{BnF

gallica
BIBLIOTHÈQUE
NUMÉRIQUE

Grégoire 01 (pape ; 0540?-0604). Sancti Gregorii papae I, cognomento Magni, Opera omnia ad manuscriptos codices romanos, gallicanos, anglicanos emendata, aucta, et illustrata notis. Studio et labore monachorum ordinis Sancti Benedicti, e congregatione San.... 1849.

1/ Les contenus accessibles sur le site Gallica sont pour la plupart des reproductions numériques d'oeuvres tombées dans le domaine public provenant des collections de la BnF.Leur réutilisation  s'inscrit dans le cadre de la loi n°78-753 du 17 juillet 1978 :
*La réutilisation non commerciale de ces contenus est libre et gratuite dans le respect de la législation en vigueur et notamment du maintien de la mention de source.
*La réutilisation commerciale de ces contenus est payante et fait l'objet d'une licence. Est entendue par réutilisation commerciale la revente de contenus sous forme de produits élaborés ou de fourniture de service.

Cliquer ici pour accéder aux tarifs et à la licence

2/ Les contenus de Gallica sont la propriété de la BnF au sens de l'article L.2112-1 du code général de la propriété des personnes publiques.

3/ Quelques contenus sont soumis à un régime de réutilisation particulier. Il s'agit :

*des reproductions de documents protégés par un droit d'auteur appartenant à un tiers. Ces documents ne peuvent être réutilisés, sauf dans le cadre de la copie privée, sans l'autorisation préalable du titulaire des droits.
*des reproductions de documents conservés dans les bibliothèques ou autres institutions partenaires. Ceux-ci sont signalés par la mention Source gallica.BnF.fr / Bibliothèque municipale de ... (ou autre partenaire). L'utilisateur est invité à s'informer auprès de ces bibliothèques de leurs conditions de réutilisation.

4/ Gallica constitue une base de données, dont la BnF est le producteur, protégée au sens des articles L341-1 et suivants du code de la propriété intellectuelle.

5/ Les présentes conditions d'utilisation des contenus de Gallica sont régies par la loi française. En cas de réutilisation prévue dans un autre pays, il appartient à chaque utilisateur de vérifier la conformité de son projet avec le droit de ce pays.

6/ L'utilisateur s'engage à respecter les présentes conditions d'utilisation ainsi que la législation en vigueur, notamment en matière de propriété intellectuelle. En cas de non respect de ces dispositions, il est notamment passible d'une amende prévue par la loi du 17 juillet 1978.

7/ Pour obtenir un document de Gallica en haute définition, contacter reutilisation@bnf.fr.

# PATROLOGIÆ

## CURSUS COMPLETUS

SIVE

BIBLIOTHECA UNIVERSALIS, INTEGRA, UNIFORMIS, COMMODA, OECONOMICA,

## OMNIUM SS. PATRUM, DOCTORUM SCRIPTORUMQUE ECCLESIASTICORUM

QUI

## AB ÆVO APOSTOLICO AD INNOCENTII III TEMPORA

FLORUERUNT;

## RECUSIO CHRONOLOGICA

OMNIUM QUÆ EXSTITERE MONUMENTORUM CATHOLICÆ TRADITIONIS PER DUODECIM PRIORA ECCLESIÆ SÆCULA,

JUXTA EDITIONES ACCURATISSIMAS, INTER SE CUMQUE NONNULLIS CODICIBUS MANUSCRIPTIS COLLATAS, PERQUAM DILIGENTER CASTIGATA;
DISSERTATIONIBUS, COMMENTARIIS LECTIONIBUSQUE VARIANTIBUS CONTINENTER ILLUSTRATA;
OMNIBUS OPERIBUS POST AMPLISSIMAS EDITIONES QUÆ TRIBUS NOVISSIMIS SÆCULIS DEBENTUR ABSOLUTAS DETECTIS, AUCTA;
INDICIBUS PARTICULARIBUS ANALYTICIS, SINGULOS SIVE TOMOS, SIVE AUCTORES ALICUJUS MOMENTI SUBSEQUENTIBUS, DONATA;
CAPITULIS INTRA IPSUM TEXTUM RITE DISPOSITIS, NECNON ET TITULIS SINGULARUM PAGINARUM MARGINEM SUPERIOREM DISTINGUENTIBUS SUBJECTAMQUE MATERIAM SIGNIFICANTIBUS, ADORNATA;
OPERIBUS CUM DUBIIS TUM APOCRYPHIS, ALIQUA VERO AUCTORITATE IN ORDINE AD TRADITIONEM ECCLESIASTICAM POLLENTIBUS, AMPLIFICATA;
DUOBUS INDICIBUS GENERALIBUS LOCUPLETATA : ALTERO SCILICET RERUM, QUO CONSULTO, QUIDQUID UNUSQUISQUE PATRUM IN QUODLIBET THEMA SCRIPSERIT UNO INTUITU CONSPICIATUR; ALTERO SCRIPTURÆ SACRÆ, EX QUO LECTORI COMPERIRE SIT OBVIUM QUINAM PATRES ET IN QUIBUS OPERUM SUORUM LOCIS SINGULOS SINGULORUM LIBRORUM SCRIPTURÆ TEXTUS COMMENTATI SINT.
EDITIO ACCURATISSIMA, CÆTERISQUE OMNIBUS FACILE ANTEPONENDA, SI PERPENDANTUR : CHARACTERUM NITIDITAS CHARTÆ QUALITAS, INTEGRITAS TEXTUS, PERFECTIO CORRECTIONIS, OPERUM RECUSORUM TUM VARIETAS TUM NUMERUS, FORMA VOLUMINUM PERQUAM COMMODA SIBIQUE IN TOTO OPERIS DECURSU CONSTANTER SIMILIS, PRETII EXIGUITAS, PRÆSERTIMQUE ISTA COLLECTIO, UNA, METHODICA ET CHRONOLOGICA, SEXCENTORUM FRAGMENTORUM OPUSCULORUMQUE HACTENUS HIC ILLIC SPARSORUM PRIMUM AUTEM IN NOSTRA BIBLIOTHECA, EX OPERIBUS AD OMNES ÆTATES, LOCOS, LINGUAS FORMASQUE PERTINENTIBUS, COADUNATORUM.

## SERIES PRIMA,

IN QUA PRODEUNT PATRES, DOCTORES SCRIPTORESQUE ECCLESIÆ LATINÆ A TERTULLIANO AD GREGORIUM MAGNUM.

Accurante J.-P. Migne,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ,

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

UNIVERSITÉ CATHOLIQUE BIBLIOTHÈQUE LILLE

---

## PATROLOGIÆ TOMUS LXXVII.

### SANCTI GREGORII MAGNI

TOMUS TERTIUS.

---

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM;
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM VULGO D'*ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE

1849

Source gallica.bnf.fr / Bibliothèque nationale de France

# SANCTI

# GREGORII PAPÆ I

## COGNOMENTO MAGNI,

# OPERA OMNIA.

AD MANUSCRIPTOS CODICES ROMANOS, GALLICANOS, ANGLICANOS EMENDATA, AUCTA, ET ILLUSTRATA NOTIS.

STUDIO ET LABORE MONACHORUM ORDINIS SANCTI BENEDICTI, E CONGREGATIONE SANCTI MAURI

EDITIO MEMORATISSMA QUÆ PARISIIS PRODIIT ANNO DOMINI MDCCV, NUNC AUTEM ACCURATIOR ET AUCTIOR REVIVISCIT

ACCURANTE J.-P. MIGNE,

BIBLIOTHECÆ CLERI UNIVERSÆ

SIVE

CURSUUM COMPLETORUM IN SINGULOS SCIENTIÆ ECCLESIASTICÆ RAMOS EDITORE.

## TOMUS TERTIUS.

VENEUNT QUINQUE TOMI 35 FRANCIS GALLICIS.

PARISIIS, VENIT APUD EDITOREM,
IN VIA DICTA D'AMBOISE, PROPE PORTAM VULGO *D'ENFER* NOMINATAM,
SEU PETIT-MONTROUGE.

1849

# ELENCHUS OPERUM

## QUÆ IN HOC TOMO LXXVII CONTINENTUR.


| | |
|---|---|
| Liber regulæ pastoralis. | col. 9 |
| Dialogorum libri quatuor. | 149 |
| Epistolarum libri quatuordecim. | 431 |
| *Appendix ad Epistolas.* | 1327 |


### *ERRATUM.*

In capite paginæ 1503-1504, lege lineam quæ, errore typographico, initio secundæ columnæ paginæ præcedentis posita est.

Ex typis MIGNE, au Petit-Moutrouge.

# PRÆFATIO

## IN LIBRUM REGULÆ PASTORALIS.

I. Post exegetica in Scripturam sacram primo tomo comprehensa, in hoc secundo complexi sumus reliqua indubitatæ fidei Gregoriana opera, omnis interpolationis expertia, cujuscunque sint generis : sive *apologetica*, pro detrectato curæ pastoralis onere; sive *historica*, nimirum Dialogos; sive *dogmatica*, et *canonica*, Registrum videlicet Epistolarum, quibus universum pene jus canonicum continetur. Ut autem ab apologetico libro Regulæ Pastoralis tomum hunc secundum auspicaremur, multa persuaserunt; præsertim Opusculi antiquitas, præstantia et utilitas.

Primo quidem scriptum esse ante Dialogos, Epistolarumque Registrum, in ipso sui pontificatus exordio, non obscure testatur ipse sanctus Doctor, in epist. olim 43, nunc 48, libri I.

Secundo, ex omnibus sancti Gregorii lucubrationibus nulla est præstantior, sive totius operis ordo et œconomia, sive sententiarum copia pondusque perpendantur.

Tertio, nihil est in toto illo libello plane aureo, quod maximam non afferat utilitatem, non solum episcopis aliisque animarum pastoribus et rectoribus; sed etiam omnibus et singulis Christianis, maxime quibus regendæ familiæ cura incumbit.

II. Hinc ab universis tam Græcis quam Latinis avide expetitus, magno plausu exceptus est. Hunc sanctus Leander Hispalensis episcopus ab amico Gregorio sibi directum exosculatus est, ac in omnibus Hispaniarum Ecclesiis evulgavit. Hunc Mauricius Augustus ab Anatolio diacono impetratum, cum maxime placuisset, Anastasio Antiocheno episcopo in languam Græcam transferendum tradidit (*a*), et publicavit; quod agre tulit sanctus Doctor humilitate non minus quam scientia præstantissimus. Hunc Angli a primis Evangelii præconibus nostri Gregorii discipulis allatum summo in pretio semper habuerunt. Ne vero soli qui latine sciebant hujus libri fructibus pascerentur, Alfredus Occidentalium Saxonum rex sapientissimus, Oxoniensis Academiæ fundator, ipsum Saxonice vertit, et suis popularibus, præmissa præfatione gratissimum munus obtulit; cujus versionis exstant exemplaria, tum in bibliotheca Sanctissimæ Trinitatis Cantabrigensis, tum in Cottoniana.

III. Verum nullibi existimatio de hoc opere concepta magis enituit quam nostris in Galliis, et in finitimis quæ Francis tunc parebant provinciis, ut ex antiquis monumentis pene innumeris liquet, quorum pauca hic delibabimus.

In concilio Moguntino an. 813, post sanctum Evangelium, Epistolas Actusque Apostolorum ac canones, propositus est hic liber, in quo scrutarentur episcopi, *quibus modis statum Ecclesiæ Dei, et Christianæ plebis profectum, sana doctrina et exemplis justitiæ inconvulsum, largiente gratia Dei, perficere et conservare potuissent*; ut in hujus concilii præfatione legitur.

In concilio Rhemensi II, ejusdem anni, can. 10 : *Lectæ sunt sententiæ libri Pastoralis beati Gregorii, ut pastores Ecclesiæ intelligerent, quomodo ipsi vivere, et qualiter sibi subjectos deberent admonere; quoniam, teste eodem beato Gregorio, aliter admonendi sunt prælati atque aliter subditi.*

In concilio Turonensi III, sub idem tempus habito, promulgatum est, can. 3: *Nulli episcopo liceat Canones, aut Librum Pastoralem a beato Gregorio papa, si fieri potest, ignorare. In quibus se debet unusquisque quasi in speculo assidue considerare.*

Concilii Cabilonensis II primus canon decernit ut episcopi canones intelligant, *et librum beati Gregorii Papæ de cura pastorali; et secundum formam ibidem constitutam et vivant et prædicent.*

Denique in concilio Aquisgranensi ann. 836, cap. 1, de Vita episcoporum, idem liber commendatur can. 7, 9 et 10, ac cap. 2, de doctrina episcoporum, can. 3. 5, 6.

Ad hæc accedit quod ex Hincmaro Rhemensi archiepiscopo (*In Præf. opusc.* 55 *Capit.*) intelligimus, in more tunc positum fuisse ut ordinandus et consecrandus episcopus coram altari, una cum libro sacrorum Canonum Regulam Pastoralem beati Gregorii in manu acciperet, cum hac obtestatione : *ut ita servaret in vivendo, docendo et judicando, sicut ibidem descriptum est.*

Ut autem pluribus prodessent apud nostros Gallos perfectissimæ et exquisitissimæ videndi regulæ hoc libro propositæ, ejusdem versio Gallica nuper prodiit Parisiis apud Andream Pralard 1694. Quæ si ad manu exaratos Codices, potius quam ad excusos fuisset exacta, numeris omnibus absoluta merito dici posset.

IV. Præstantissimum hoc opus, antequam ederetur, diu parturivit sanctus Doctor. Certe jam mente præconceptum gerebat, cum tricesimum librum Moralium elucubraret, ut conferenti argumenta admonitionum tertiæ partis, cum capite olim 4, nunc num. 13, laudati libri constabit, ubi videlicet legitur : *Aliter namque viri, aliter admonendæ sunt feminæ. Aliter juvenes, aliter senes*, etc. Quæ sic concludit : *et quidem de singulis, quis sit admonitionis ordo, subtiliter insinuare debuimus; sed formidata locutionis prolixitate præpedimur. Auctore autem Deo, in alio opere id explere appetit animus; si tamen laboriosæ hujus vitæ adhuc aliquantulum tempus restaverit.*

V. Id feliciter implevit in ipso veluti pontificalis muneris tyrocinio, ut Joanni Ravennati episcopo responderet, amice conquerenti quod *Pastoralis curæ pondera fugere delitescendo voluisset.* Raræ admodum nunc sunt, at frequentes olim fuerunt hujusmodi querelæ; universis fere piis viris ad officium pastorale postulatis, tantum onus præ animi demissione summaque modestia deprecantibus. Eamdem ob causam expostulantibus amicis respondere coactus est Gregorius alter longe senior cognomento Theologus, in Apologetico seu oratione prima in qua fugæ suæ, declinandi episcopatus gratia, rationes exponit (*Tom. I*); et postquam captantium episcopatum insaniam increpavit, pastoralis officii difficultates prosequitur, tum in animarum gubernatione, tum in verbi divini erogatione et prædicatione, tum in christianæ perfectionis assequendæ necessitate : *Antistitis enim*, inquit, *vitium est non esse quam optimum.* Eximium sane opus, dignumque ex quo Gregorius noster multa deprompsisse judicetur, in his præsertim sententiam hanc : *Ars artium, et scientia scientiarum est, hominem regere*, quæ legitur in Apologetico Greg. Nazianzeni cap. 31, et lib. Reg. Past. I part. c. 1.

(*a*) Versionis Græcæ jacturam lugemus. Nullam illius memoriam superfuisse sæculo IX hinc conjicimus, quod Photius, qui in sua Bibliotheca Dialogos a Zacharia Græce redditos plurimum commendat, Cod. 252, de Græca translatione libri Reg. Pastor. prorsus silet

Eodem quoque argumento, ac simili occasione scripsit Joannes Chrysostomus libros sex de sacerdotio, quibus inter tot eximia sancti Doctoris opera, primas partes jure merito Suidas tribuit, propter orationis tum sublimitatem, tum perspicuitatem et elegantiam. Sed jam ad ipsum redeamus Regulæ Pastoralis librum; et quid in illo edendo sit a nobis præstitum ostendamus.

VI. In plerisque a sancto Pontifice elaboratis, distinctio capitulorum eorumque argumenta minime ad eum spectant. At vero ipsum agnoscunt auctorem, tum integri Libri Pastoralis distributio quatuor in partes, tum partium in varia capitula, præfixique singulis capitulis tituli. Præcipua nobis cura fuit ut purum ab omnibus, sive antiquariorum, sive typographorum mendis et corruptelis textum repræsentaremus; quod plurimorum, et quidem optimorum Mss. ope impletum magna saltem ex parte confidimus.

Et sane turpiter deformatum jacebat etiam in novissimis Editis pulcherrimum opus; ita ut sæpe sensus aut hæreret, aut penitus deficeret, aut etiam, quod pejus est, ad errorem deflecteret: quod paucis exemplis demonstrare operæ pretium est, non ut aliis Editoribus invidiam, nobis vero gratiam quæramus, sed ut castigatioris editionis necessitas magis ac magis eluceat.

VII. Tertia parte, capite 1, admonit. 22, col. 1106, edit. Gussanv., legitur: *Ne cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus, quasi ariditate radicis, exsiccentur;* ubi orationis series, librique manuscripti cogunt legere: *quasi a viriditate radicis exsecentur.* Quæ optime cohærent immediate præcedentibus: *Ictum securis vicinæ prævideant;* et ad prolatam ex Luca Joannis increpationem, *jam securis ad radicem arboris posita est* (*Luc.* III), haud dubie referuntur.

Admonitione 23, col. 1108, Mutilus profertur Matthæi contextus hoc modo: *Quid putatis, quia pacem veni mittere in terram? non utique, sed gladium* (*Matth.* x): cum in Mss. legatur: *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram* (vel *in terra*); *non veni pacem mittere, sed gladium.*

Admon. 24, col. 1110: *Hinc namque est quod contra damnati illius vasa, videlicet Antichristi prædicatores, divina voce beato Job dicitur.* In Mss. autem exstat: *damnati illius vasis, videlicet Antichristi;* et quidem ad mentem Gregorii qui solet Antichristum vas diaboli appellare. Vide Moral., lib. XXXII, n. 22.

Admon. 36, col. 1112: *Atque aliter* (admonendi sunt) *qui bona faciunt, abscondunt.* Desideratur sensus, at restituendo voculam *quæ*, et legendo: *qui bona quæ faciunt, abscondunt*, completur.

Cap. 2 ejusdem tertiæ partis, col. 1130, quod in nostra Edit. est cap. 63: *Sic prædicanda sunt bona, ne ex latere jubeantur et mala*, ubi legendum: *Ne ex latere juventur et mala*, ut habent Mss. omnes. Scopus sancti Doctoris ex proxime cohærentibus palam fit: *Sic*, inquit, *tenacibus infundatur tribuendi largitas, ut tamen prodigis effusionis frena minime laxentur.*

Denique c. 4, nobis 58, col. 1129: *Concedendo enim lenia, subtrahit acriora, ut quia ad deserenda cuncta simul non assurgeret, dum in quoddam suum animus familiariter relinquitur, a quodam suo sine labore toleretur.* Si quid sensus his verbis insit, pessimum quid sonant, nempe animum in quibusdam minimis vitiis relinquendum, ut in majoribus toleretur, et quiescat; quod absit a tanti Doctoris mente. Sic itaque legendum ex Mss.: *Concedendo enim lenia* (vel *levia*) *subtraxit acriora; ut quia ad deserenda cuncta simul non assurgeret, dum in quoddam suum* (vitium, vel, *in quodam suo* vitio) *familiariter relinquitur*, a quodam suo (vitio) *sine dolore tolleretur*; quæ plana sunt et sana.

VII. Talibus igitur et longe pluribus erratis pulcherrimum opus fœdantibus, omnem adhibuimus diligentiam, ut antiquiorum melioris notæ Codicum magnam colligeremus supellectilem, ad quos conferretur textus, eorumque ope facile repurgaretur; quorum hic indiculum accipe.

1. Trecensis antiquissimus, uncialibus majusculisque litteris, non longe post sancti Gregorii obitum, ut conjicere licet, exaratus. Hoc in Codice eleganter et accurate, unde testimonia Scripturæ sacræ proferantur, annotatur. Si qua vero juxta LXX Interp. laudentur, indicatur. Verum a male feriato quopiam lectore corruptus est pretiosissimus hic liber, maxime in sacræ Scripturæ contextibus. Arduum tamen haud fuit assequi quid ante corruptelam legeretur, quod secuti sumus. Commodatus est nobis vetustissimus hic Codex a RR. Patribus Oratorii collegii Trecensis, annuente ac favente reverendissimo patre de la Tour, congregationis Oratorii præposito generali meritissimo.

2. Codex Corbeiensis not. 53 octingentorum annorum ætatem superat.

3. Carnotensis Ecclesiæ, ejusdem fere antiquitatis.

4. Sancti Petri Carnotensis, vix inferioris ætatis.

5. Alter ejusdem monasterii D circiter annorum.

6. Sancti Petri Belvacensis. Exaratus est Codex hic Belvacensem Ecclesiam regente episcopo Hugone, medio seculo X, vel paulo post, ut ex versibus de hujus episcopi recenti morte in calce voluminis eadem manu descriptis assequi possumus.

7. Ecclesiæ Laudunensis.

8, 9 et 10. Sancti Petri Gemeticensis quorum antiquior DCC annorum ætatem præfert.

11, 12 et 13. Sancti Audoeni Rothomag. Primus a DC annorum antiquitate parum abest.

14. Ecclesiæ primatialis Rothomag. D annorum.

15. Monasterii Beatæ Mariæ de Lyra.

16 et 17. Duo Sancti Theoderici prope Rhemos omnino consentientes.

18. Monasterii Vallis Claræ ord. Cisterciensis.

19. Monasterii Longipontis ejusdem ordinis.

20. Vigesimo loco recensendi Anglicani octo, unus ex bibliotheca publica Oxoniensi, alter ex bibliotheca collegii Mertoniensis, cæteri ex collegio Sancti Joannis Præcursoris, aut ex bibliotheca Ecclesiæ Vintoniensis, de quibus consule Thomam Jamesium in *Gregorio restituto.*

21. Consuluimus præterea, et adhibuimus ad insigniora loca duos Sangermanenses Codices, quos potissimum, dum prelo subjiceretur eximium hoc opus, ob oculos habuimus.

Variis quoque Editionibus usi sumus, præsertim Parisiensibus una an. 1518 et altera 1571. Romana seu Vaticana Sixti V summi pontificis jussu adornata, et aliis aut pene coævis, aut recentioribus, præsertim Parisiensi ann. 1668, quæ prodiit ex officina Leonardina, opera Theologi Parisiensis, a quo collectas magna cura diversas lectiones ex antiquioribus Mss. cum nostris convenire pene ubique observavimus.

Faxit Deus, ut quemadmodum Gregorius librum hunc assidue legendo, et consulendo universam Ecclesiam tanta charitate, pietate, humilitate, mansuetudine, sollicitudine gubernavit; ita qui singulis administrandis Ecclesiis præficiuntur ejusdem consiliis et monitis prælucentibus, munere pastorali rite defungantur, et sic aliis præsint, ut et illis prosint et sibi.

# SANCTI GREGORII MAGNI,

ROMANI PONTIFICIS,

# [a] REGULÆ PASTORALIS LIBER,

## AD JOANNEM EPISCOPUM CIVITATIS RAVENNÆ.

## *PRIMA PARS.*

**1** *Reverentissimo et sanctissimo fratri Joanni coepiscopo, Gregorius* [b].

Pastoralis curæ me pondera fugere delitescendo voluisse, benigna, frater carissime, atque humili intentione reprehendis; quæ ne quibusdam levia esse videantur, præsentis libri stylo exprimo de eorum gravedine omne quod penso, ut et hæc qui vacat, incaute non expetat; et qui incaute expetiit, adeptum se esse pertimescat. [c] Quadripartita vero disputatione liber iste distinguitur, ut ad lectoris sui animum ordinatis [d] allegationibus quasi quibusdam passibus gradiatur. Nam cum rerum necessitas exposcit, pensandum valde est ad culmen quisque regiminis qualiter veniat; atque ad hoc rite perveniens, qualiter vivat; et bene vivens, qualiter doceat; et recte docens, infirmitatem suam quotidie quanta consideratione cognoscat, ne aut humilitas accessum fugiat, [e] aut perventioni vita contradicat; aut vitam doctrina destituat; aut doctrinam præsumptio extollat. **2** Prius ergo appetitum timor temperet: post autem magisterium quod a non quærente suscipitur, vita commendet; ac deinde necesse est ut pastoris bonum quod [f] vivendo ostenditur, etiam loquendo propagetur. Ad extremum vero superest ut perfecta quæque opera consideratio propriæ infirmitatis deprimat, ne hæc ante occulti [g] arbitrii oculos tumor elationis exstinguat. Sed quia sunt plerique mihi imperitia similes, qui dum metiri se nesciunt, quæ non didicerint docere concupiscunt; qui pondus magisterii tanto levius æstimant, quanto vim magnitudinis illius ignorant; ab ipso libri hujus reprehendantur exordio; ut quia indocti ac præcipites doctrinæ arcem tenere appetunt, a præcipitationis suæ ausibus in ipsa locutionis nostræ janua repellantur.

### CAPUT PRIMUM.

[h] *Ne venire imperiti ad magisterium audeant.*

Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. [i] Ab imperitis ergo pastorale magisterium qua temeritate suscipitur, quando **3** ars est artium regimen animarum. Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpe qui nequaquam spiritalia præcepta cognoverunt, cordis se medicos profiteri non metuunt: dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis erubescunt. Sed quia auctore Deo ad religionis reverentiam omne jam præsentis sæculi culmen inclinatur, sunt nonnulli qui intra sanctam Ecclesiam per speciem regiminis gloriam affectant honoris; videri doctores appetunt, transcendere cæteros concupiscunt, atque attestante Veritate, primas salutationes in foro, primos in cœnis recubitus, primas in conventibus cathedras quærunt (*Matth.* XXIII, 6, 7); qui susceptum curæ pastoralis officium ministrare digne tanto magis nequeunt, quanto ad humilitatis magisterium ex sola elatione pervenerunt. Ipsa quippe in magisterio lingua confunditur, quando aliud discitur, et aliud docetur. Quos contra Dominus per prophetam queritur, dicens: *Ipsi regnaverunt, et non ex me; principes exstiterunt, et ego ignoravi* (*Osee* VIII, 4). Ex se namque, et non ex arbitrio summi Rectoris regnant, qui nullis fulti virtutibus nequaquam divinitus vocati, sed sua cupidine accensi, culmen regiminis rapiunt potius quam assequuntur. Quos tamen internus judex et provehit,

[a] Ita Corb., Belvac. et alii vetust. Quem titulum prætulimus, quod legatur in epist. olim 46, lib. al. IV, nunc lib. V. ep. 49, *ut librum regulæ pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi.* In recentioribus Mss. legitur, *liber Curæ pastoral.*, quibus concinunt plur. Edit. Occasionem huic titulo forte præbuit libri exordium, *Pastoralis curæ me pondera*, etc. In Trec. titulus desideratur.

[b] Tertius Gemet. addit, *salutem.*

[c] Hæc editoribus persuaserunt librum hunc in IV partes dividendum, quamvis hujus divisionis nulla in vet. Mss. sint vestigia. Verum Gregorius, parte tertia, c. 26, admonitione 27, indicat quædam jam a se dicta in prima parte: *sicut*, inquit, *in priori hujus voluminis parte jam diximus.* Unde non immerito intelligitur partitionis libri hujus ipsum esse auctorem. Scribitur autem *quadripartita* in antiquissimis Codd. Trec., Belvac., Gemet., Theodoric.

[d] Trec., Bellov., duo antiq. Carnot., *alligationibus*

[e] Hæc deerant in Corb., sed addita sunt recentiori manu. In 1 Carnot. quoque non legitur, *aut vitam doctr. destituat.* Illa repræsentant Trec. et alii.

[f] Corb., *videndo.*

[g] Laudun. et Trec., *arbitris oculos.*

[h] Hoc argumentum legitur in indice Trec. Cod., nec tamen præmittitur capiti primo, quod absolute sic incipit: *Nulla ars.* Prima linea minio est depicta. In margine notatur 1, et in reliquis capp. 2, 3, 4, etc. Qua in re huic Ms. concinunt Gemeticenses.

[i] Corb., Laud., Longip.: *Ab imper. ergo pastoribus magist. pastorale suscipitur in magna temeritate, quoniam ars*, etc.

et nescit, quia quos permittendo tolerat, profecto per judicium reprobationis ignorat. Unde ad se quibusdam et post miracula venientibus dicit : *Recedite a me operarii iniquitatis, nescio qui estis* (*Luc.* XIII, 27). Pastorum imperitia voce Veritatis increpatur, cum per Prophetam dicitur : *Ipsi pastores ignoraverunt intelligentiam* (*Isai.* LVI, 11). Quos rursum Dominus detestatur, dicens : *Et tenentes legem nescierunt me* (*Jer.* II, 8). Et nesciri ergo se ab eis Veritas queritur, et nescire se principatum nescientium protestatur, quia profecto hi qui ea (*Dist.* 38, *c. Qui ea*) quæ sunt Domini nesciunt, a Domino nesciuntur, Paulo attestante qui ait : *Si quis autem ignorat, ignorabitur* (*I Cor.* XIV, 38). Quæ nimirum Pastorum sæpe imperitia meritis congruit subjectorum, quia quamvis lumen scientiæ sua culpa exigente non habeant, districto tamen judicio agitur, ut per eorum ignorantiam hi etiam qui sequuntur offendant. Hinc namque in Evangelio per semetipsam Veritas dicit : *Si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foveam cadunt* (*Matth.* XV, 14). Hinc Psalmista non optantis animo, sed prophetantis [a] ministerio denuntiat, dicens : *Obscurentur oculi eorum ne videant, et dorsum illorum semper incurva* (*Psal.* LXVIII, 24). Oculi quippe sunt, qui in ipsa bonoris summi facie positi, providendi itineris officium susceperunt : quibus hi nimirum qui subsequenter inhærent; dorsa nominantur. Obscuratis ergo oculis dorsum flectitur, quia cum lumen scientiæ perdunt qui præeunt, profecto ad portanda peccatorum curvantur onera qui sequuntur.

## CAPUT II.

*Ne locum regiminis subeant, qui vivendo non perficiunt quæ meditando didicerunt.*

Et sunt nonnulli qui solerti cura spiritalia præcepta perscrutantur, sed quæ [b] intelligendo penetrant, vivendo conculcant; repente docent 4 quæ non opere, sed meditatione didicerunt; et quod verbis prædicant, moribus impugnant. Unde fit ut cum Pastor per abrupta graditur, ac præcipitium grex sequatur. Hinc namque per prophetam Dominus contra contemptibilem Pastorum scientiam queritur, dicens : *Cum ipsi limpidissimam aquam biberetis,* [c] *reliquam pedibus vestris turbabatis; et oves meæ quæ conculcata pedibus vestris fuerant, pascebantur; et quæ pedes vestri turbaverant, hæc bibebant* (*Ezech.* XXXIV, 18, 19). Aquam quippe limpidissimam Pastores bibunt, cum fluenta veritatis recte intelligentes hauriunt. Sed eamdem aquam pedibus perturbare, est sanctæ meditationis studia male vivendo corrumpere. Aquam scilicet eorum turbatam pedibus oves bibunt, cum subjecti quique non sectantur verba quæ audiunt, sed sola quæ [d] conspiciunt exempla pravitatis imitantur. Qui cum dicta sitiunt, quia per A opera perverluntur, quasi corruptis fontibus in potibus lutum sumunt. Hinc quoque scriptum est per prophetam : [e] *Laqueus ruinæ populi mei, sacerdotes mali* (*Osee.* V, 1; IX, 8). Hinc rursum de sacerdotibus Dominus per prophetam dicit : *Facti sunt domui Israel in offendiculum iniquitatis.* Nemo quippe (*Dist.* 83, *c. Nemo quippe*) amplius in Ecclesia nocet, quam qui perverse agens, nomen vel ordinem sanctitatis habet. Delinquentem namque hunc redarguere nullus præsumit; et in exemplum culpa vehementer extenditur, quando pro reverentia ordinis peccator honoratur. Indigni autem quique tanti reatus pondera fugerent, si veritatis sententiam sollicita cordis aure pensarent, quæ ait : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt,* [f] *expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Matth.* XVIII, 6). Per molam quippe asinariam, secularis vitæ circuitus ac labor exprimitur, et per profundum maris extrema damnatio designatur. Qui ergo ad sanctitatis speciem deductus, vel verbo cæteros destruit, vel exemplo; melius profecto fuerat, ut hunc ad mortem sub exteriori habitu terrena acta constringerent, quam sacra officia in culpa cæteris imitabilem demonstrarent, quia nimirum si solus caderet, utcunque hunc tolerabilior inferni pœna cruciaret.

## CAPUT III.

*De pondere regiminis; et quod adversa quæque despicienda sunt, et prospera formidanda.*

Hæc itaque breviter diximus, ut quantum sit pondus regiminis monstraremus, ne temerare sacra regimina quisquis his impar est audeat, et per concupiscentiam culminis, ducatum suscipiat perditionis. Hinc enim pie Jacobus prohibet, dicens : *Nolite plures magistri fieri, fratres mei* (*Jac.* III, 1). Hinc ipse Dei hominumque Mediator regnum percipere vitavit in terris, qui supernorum quoque spirituum scientiam sensumque transcendens, ante sæcula regnat in cœlis. Scriptum quippe est : *Jesus ergo cum cognovisset quia venturi essent ut raperent eum, et facerent eum regem,* [g] *fugit iterum in montem ipse solus* (*Joan.* VI, 15). Quis enim principari hominibus tam sine culpa potuisset, quam is qui hos nimirum regeret, quos ipse creaverat? Sed quia idcirco in carne venerat, ut non solum nos per passionem redimeret, 5 verum etiam per conversationem doceret, exemplum se sequentibus præbens, rex fieri noluit, ad crucis vero patibulum sponte convenit; oblatam gloriam culminis fugit, pœnam probrosæ mortis appetiit; ut membra ejus videlicet discerent favores mundi fugere, terrores minime timere, pro veritate adversa diligere, prospera formidando declinare, quia et ista sæpe per tumorem cor inqui-

[a] Duo priores Gemet, secundus Aud., Lyr., Rothomag., *mysterio.*

[b] Tertius Carnot., Rothomag., secundus Aud., Lyr., Longip., Val. Cl., *legendo.* Error forsitan irrepsit ex modo scribendi veterum, qui dixerunt, *intelligendo,* ut est in Trec,

[c] Bellov., *reliqua.*

[d] Corb., *conspiciunt opera.*

[e] In plur. Codd., *causa ruinæ.*

[f] Plerique Norm., *melius erat ei.*

[g] Primus Aud. et tres Gemet. : *venerunt ut raperent eum, et constituerent regem sibi, quo cognito fugit iterum in montem ipse solus et abscondit se.* Alii Norm., *quo cogn. Jesus, fugit et abscondit se.*

nant, et illa per dolorem purgant. In istis se animus erigit, in illis autem etiamsi quando se erexerit, sternit. In istis sese homo obliviscitur, in illis vero ad sui memoriam nolens etiam coactusque revocatur. In istis sæpe et anteacta bona depereunt, in illis autem longi quoque temporis admissa terguntur. Nam plerumque adversitatis magisterio sub disciplina cor premitur : quod si ad regiminis culmen erumperit, in elationem protinus usu gloriæ permutatur. Sic Saul, qui indignum se prius consideratus fugerat, mox ut regni gubernacula suscepit, intumuit (*I Reg.* x, 22 ; xv, 17, 30) ; honorari namque coram populo cupiens, dum reprehendi publice noluit, ipsum qui [a] in regnum se unxerat, scidit (*Act.* xiii, 22). Sic David auctoris judicio pene in cunctis actibus placens, mox ut pressuræ pondere caruit, in tumorem vulneris erupit (*II Reg.* xi, 3, *seq.*), factusque est in morte [b] viri crudeliter rigidus, qui in appetitu feminæ fuit enerviter fluxus ; et qui malis ante noverat pie parcere, in bonorum quoque necem post didicit sine obstaculo retractationis anhelare (*Ibid.*, 15). Prius quippe ferire deprehensum persecutorem noluit, et post cum damno desudantis exercitus etiam devotum militem exstinxit. Quem profecto ab electorum numero culpa longius raperet, nisi hunc ad veniam flagella revocassent.

## CAPUT IV.

*Quod plerumque occupatio regiminis soliditatem dissipet mentis.*

Sæpe suscepta cura regiminis cor per diversa diverberat, et impar quisque invenitur ad singula, dum confusa mente dividitur ad multa. Unde [c] quidam sapiens provide prohibet, dicens : *Fili, ne in multis sint actus tui* (*Eccli.* xi, 10), quia videlicet nequaquam plene in uniuscujusque operis ratione colligitur, dum mens per diversa partitur. Cumque foras per insolentem curam trahitur, a timoris intimi soliditate vacuatur : fit in exteriorum [d] dispositione sollicita, et sui solummodo ignara, scit multa cogitare, se nesciens. Nam cum plus quam necesse est se exterioribus implicat, quasi occupata in itinere obliviscitur quo tendebat ; ita ut ab studio suæ inquisitionis aliena, ne ipsa quidem quæ patitur damna consideret, et per quanta delinquat ignoret. Neque enim peccare se Ezechias credidit (*IV Reg.* xx, 13), cum venientibus ad se alienigenis aromatum cellas ostendit ; sed in damnationem secuturæ prolis ex eo iram judicis pertulit, quod se facere licenter æstimavit (*Isai.* xxxix, 4). Sæpe dum multa suppetunt, dumque agi possunt, quæ subjecti quia acta sunt admirentur, in cogitatione se animus elevat, et plene in se iram judicis provocat, quamvis per iniqua foras opera non erumpat. **6** Intus quippe est qui judicat, intus quod judicatur. Cum ergo in corde delinquimus, latet homines quod apud nos agimus, sed tamen ipso judice teste peccamus. Neque enim [e] rex Babyloniæ tunc reus de elatione exstitit (*Dan.* iv, 16, *seq.*), cum ad elationis verba pervenit ; quippe qui ore prophetico et ante cum [f] ab elatione tacuit, sententiam reprobationis audivit. Culpam namque perpetratæ superbiæ jam ante deterserat, qui omnipotentem Deum quem se offendisse reperit, cunctis sub se gentibus prædicavit. Sed post hæc successu suæ potestatis elevatus, dum magna se fecisse gauderet, cunctis prius in cogitatione se prætulit, et post adhuc tumidus dixit : *Nonne hæc est Babylon magna, quam ego ædificavi in domum regni, et in robore fortitudinis meæ, et in gloria decoris mei ?* (*Ibid.*, iv, 27.) Quæ videlicet vox illius iræ vindictam aperte pertulit, [g] quam occulta elatio accendit. Nam districtus judex prius invisibiliter vidit quod postea publice feriendo reprehendit. Unde et in irrationale animal hunc vertit, ab humana societate separavit, agri bestiis mutata mente conjunxit, ut districto videlicet justoque judicio homo quoque esse perderet, qui magnum se ultra homines æstimasset. Hæc itaque proferentes, non potestatem reprehendimus, sed ab appetitu illius cordis infirmitatem munimus, ne imperfecti quique culmen arripere regiminis audeant, et qui in planis [h] stantes titubant, in præcipiti pedem ponant.

## CAPUT V.

*De his qui in regiminis culmine prodesse exemplo virtutum possunt, sed quietem propriam sectando refugiunt.*

Nam sunt nonnulli, qui eximia virtutum dona percipiunt, et pro exercitatione cæterorum magnis muneribus exaltantur, qui studio castitatis mundi, abstinentiæ robore validi, doctrinæ dapibus referti, patientiæ longanimitate humiles, auctoritatis fortitudine erecti, pietatis gratia benigni, justitiæ severitate districti sunt. Qui nimirum culmen regiminum si vocati suscipere renuunt, ipsa sibi plerumque dona adimunt, quæ non pro se tantummodo, sed etiam pro aliis acceperunt. Cumque sua et non aliorum lucra cogitant, ipsis se, quæ privata habere appetunt, bonis privant. Hinc namque ad discipulos Veritas dicit : *Non potest civitas abscondi super montem posita ; neque accendunt lucernam, et ponunt eam sub modio, sed super candelabrum, ut luceat omnibus qui*

[a] Ita Mss. pene omnes, aut *in regno*. Editi, *in regem*.

[b] Excusi pene omnes *Uriæ*, invitis Mss. Anglic. et nostris.

[c] Recent. Vulgati, *admonet*, quibus contrarii sunt Mss. Cæterum familiare est Gregorio Libri Ecclesiastici auctorem, *quemdam sapientem* appellare, ut patet ex lib. vii Moral., num. 45, lib. xx, num. 51, lib. xxvii, num. 53, etc. Vide etiam infra, secunda parte, cap. 6. Eodem titulo designat scriptorem libri Sapientiæ passim. Vide lib. xiv, num. 26.

[d] Primus Aud., *disputatione*.

[e] In Trecensi, 1 Aud. et duobus priorib. Gemet., *rex Babyloniæ successu suæ pot.* omissis aliis

[f] Corb., *cum ad elationem*.

[g] Carnot. 1, *quam tamen tacitæ elationis vocem tacitus audivit, quia hanc feriendo protinus reprehendit.* A quibus non multum discrepat secundi Carnot. et tertii Aud. lectio.

[h] In Corb., *in planis titubant*, omisso *stantes*. Legitur in Trec.

*in domo sunt* (*Matth.* v, 15). Hinc Petro ait : [a] *Simon Joannis, amas me?* (*Joan.* xv, 16, 17.) Qui cum se amare protinus respondisset, audivit : *Si diligis me, pasce oves meas.* Si ergo dilectionis est testimonium cura pastionis, quisquis virtutibus pollens gregem Dei renuit pascere, pastorem summum convincitur non amare. Hinc Paulus dicit : *Si Christus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt. Et* [b] *si pro omnibus mortuus est, superest ut qui vivunt, jam non sibi vivant, sed ei qui pro ipsis mortuus est, et resurrexit* (*II Cor.* v, 15). Hinc Moyses ait (*Deuteron.* xxv, 5), ut uxorem fratris sine filiis defuncti, superstes frater 7 accipiat, atque ad nomen fratris filios gignat : quam si accipere forte renuerit, huic in faciem mulier exspuat, unumque ei pedem propinquus discalciet, ejusque habitaculum [c] domum discalceati vocet. Frater quippe defunctus ille est, qui post resurrectionis gloriam apparens, dixit : *Ite, dicite fratribus meis* (*Matth.* xxviii, 10). Qui quasi sine filiis obiit, quia adhuc electorum suorum numerum non implevit. Hujus scilicet uxorem superstes frater sortiri præcipitur, quia dignum profecto est, ut cura sanctæ Ecclesiæ ei qui hanc bene regere prævalet imponatur. Cui nolenti in faciem mulier exspuit, quia quisquis ex muneribus quæ perceperit prodesse aliis non curat, bonis quoque ejus sancta Ecclesia exprobrans, ei quasi in faciem salivam jactat. Cui ex uno pede calceamentum tollitur, ut discalceati domus vocetur. Scriptum quippe est : *Calceati pedes in præparatione Evangelii pacis* (*Ephes.* vi, 15). Si ergo ut nostram, sic curam proximi gerimus, utrumque pedem per calceamentum munimus. Qui vero suam cogitans utilitatem, proximorum negligit, quasi unius pedis calceamentum cum dedecore amittit. Sunt itaque nonnulli qui magnis, ut diximus, muneribus ditati, dum solius contemplationis studiis inardescunt, parere utilitati proximorum in prædicatione refugiunt, secretum quietis diligunt, secessum speculationis appetunt. De quo si districte judicentur, ex tantis proculdubio rei sunt, quantis venientes ad publicum prodesse potuerunt. Qua enim mente is qui proximis profuturus enitesceret, utilitati cæterorum secretum præponit suum, quando ipse summi Patris unigenitus, ut multis prodesset, de sinu Patris egressus est ad publicum nostrum?

## CAPUT VI.

*Quod hi qui pondus regiminis per humilitatem fugiunt, tunc vere sunt humiles, cum divinis judiciis non reluctantur.*

Et sunt nonnulli qui ex sola humilitate refugiunt, ne eis quibus se impares æstimant præferantur. Quorum profecto humilitas, si cæteris quoque virtutibus cingitur, tunc ante Dei oculos vera est, cum ad respuendum hoc quod utiliter subire præcipitur pertinax non est. Neque enim vere humilis est, qui superni nutus arbitrium ut debeat [d] præesse intelligit, et tamen præesse contemnit. Sed divinis dispositionibus subditus, atque a vitio obstinationis alienus, cum sibi regiminis culmen imperatur, si jam donis præventus est, quibus et aliis prosit, et ex corde debet fugere, et invitus obedire.

## CAPUT VII.

*Quod nonnunquam prædicationis officium et nonnulli laudabiliter appetunt, et ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur.*

Quamvis nonnunquam prædicationis officium et nonnulli laudabiliter appetunt, et ad hoc nonnulli laudabiliter coacti pertrahuntur : quod liquido cognoscimus, si duorum prophetantium facta pensamus, quorum unus ut ad prædicandum mitti debuisset sponte se præbuit, [e] quo tamen alter 8 pergere cum pavore recusavit. Isaias quippe Domino quærenti quem mitteret, ultro se obtulit, dicens : *Ecce ego, mitte me* (*Isai.* vi, 8). Jeremias autem mittitur, et tamen ne mitti debeat humiliter reluctatur, dicens : *A, a, a, Domine Deus, ecce nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jerem.* i, 6). En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit. Duo quippe sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor et proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isaias officium prædicationis appetit; per contemplativam vero Jeremias amori conditoris sedulo inhærere desiderans, ne mitti ad prædicandum debeat contradicit. Quod ergo laudabiliter alter appetiit, hoc laudabiliter alter expavit : iste ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille ne damna studiosi operis tacendo sentiret. Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia et is qui recusavit, plene non restitit; et is qui mitti voluit, ante per altaris calculum se purgatum vidit; ne aut non purgatus adire quisque sacra [f] ministeria audeat, aut quem superna gratia elegit, sub humilitatis specie superbe contradicat. Quia igitur valde difficile est purgatum se quemlibet posse cognoscere, prædicationis officium tutius declinatur; nec tamen declinari, ut diximus, pertinaciter debet, cum ad suscipiendum hoc superna voluntas agnoscitur. Quod Moyses utrumque miro opere explevit, qui præesse tantæ multitudini et noluit et obedivit. Superbus enim fortasse esset, si ducatum plebis innumeræ sine trepidatione susciperet; et rursum superbus existeret, si auctoris imperio obedire recusaret. Utrobique ergo humilis, utrobique subjectus, et præesse populis semetipsum metiendo noluit, et tamen de imperantis viribus præsumendo consensit. Hinc ergo, hinc quique præcipites colligant cum quanta culpa ex appetitu proprio cæteris præferri non metuunt, si sancti viri plebium ducatum suscipere Deo etiam jubente

[a] In pler. Norm., *Petre, amas me*, quod olim lectum in Trecensi.

[b] Abest particula *si* a Corb. tribus, Gemet. 2, Aud. et Lyr.

[c] Ita legere cogunt Mss. omnes, licet in Editis optimo sensu legatur, *domus discalceati vocetur*.

[d] Longip., *prodesse, et tamen prodesse*. Hic Codex aliter capita dividit, quam cæteri; ita ut cap. 7 sit attextum quinto.

[e] Rothomag. et primus Aud., *quorum tamen*.

[f] Gemet., Aud. secundus, Lyr. tertius, Carnot., Longip., *mysteria*.

timuerunt. Moyses [a] suadente Domino trepidat, et infirmus quisque ut honoris onus percipiat anhelat; et qui ad casum valde urgetur ex propriis, humerum libenter opprimendus ponderibus submittit alienis; quæ egit ferre non valet, et auget quod portet.

## CAPUT VIII.

*De his qui præesse concupiscunt, et ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt.*

Plerumque vero qui præesse concupiscunt, ad usum suæ libidinis instrumentum Apostolici sermonis arripiunt, quo ait: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* III, 1); qui tamen laudans desiderium, [b] in pavorem vertit protinus quod laudavit, cum repente subjungit: *Oportet autem episcopum irreprehensibilem esse* (*Ibid.*, 2). Cumque virtutum necessaria subsequenter enumerat, quæ sit irreprehensibilitas ipsa manifestat. Et fàvet ergo ex desiderio, et terret ex præcepto, ac si aperte dicat: Laudo quod quæritis, sed prius discite quid quæratis; ne dum vosmetipsos metiri negligitis, tanto fœdior vestra reprehensibilitas appareat, quanto et a cunctis conspici in honoris arce festinat. **9** Magnus enim regendi artifex favoribus impellit, terroribus retrahit, ut auditores suos et [c] descripto irreprehensibilitatis culmine restringat a superbia, et officium laudando quod quæritur, componat ad vitam. Quamvis notandum quod illo in tempore hoc dicitur, quo quisquis plebibus præerat, primus ad martyrii tormenta ducebatur. Tunc ergo laudabile fuit episcopatum quærere, quando per hunc quemque dubium non erat ad supplicia graviora pervenire. Unde ipsum quoque episcopatus officium boni operis expressione definitur, cum dicitur: *Si quis episcopatum desiderat, bonum opus desiderat* (*I Tim.* III, 1). Ipse ergo sibi testis est quia episcopatum non appetit, qui non per hunc boni operis ministerium, sed honoris gloriam quærit. Sacrum quippe officium non solum non diligit omnino, sed nescit, qui ad culmen regiminis anhelans, in occulta meditatione cogitationis cæterorum subjectione pascitur, laude propria lætatur, ad honorem cor elevat, rerum affluentium abundantia exsultat. Mundi ergo lucrum quæritur sub ejus honoris specie quo mundi destrui lucra debuerunt. Cumque mens humilitatis culmen arripere ad elationem cogitat, quod foris appetit, intus immutat.

## CAPUT IX.

*Quod mens præesse volentium plerumque sibi ficta bonorum operum promissione blanditur.*

Sed plerumque hi qui [d] subire magisterium pastorale cupiunt, nonnulla quoque bona opera animo proponunt; et quamvis hoc elationis intentione appetant, operaturos tamen se magna [e] pertractant; fitque ut aliud [f] in imis intentio supprimat, aliud tractantis animo superficies cogitationis ostendat. Nam sæpe sibi de se mens ipsa mentitur, et fingit se de bono opere amare quod non amat, de mundi autem gloria non amare quod amat: quæ principari appetens, fit ad hoc pavida cum quærit, audax cum pervenerit. [g] Tendens enim, ne non perveniat trepidat; sed repente perveniens, jure sibi hoc debitum ad quod pervenerit putat. Cumque percepti principatus officio perfrui sæculariter cœperit, libenter obliviscitur quidquid religiose cogitavit. Unde necesse est ut cum cogitatio extra usum ducitur, protinus mentis oculus ad opera transacta revocetur; ac penset quisque quid subjectus egerit, et repente cognoscit si prælatus bona agere quæ proposuerit possit, quia nequaquam valet in culmine humilitatem discere, qui in imis positus non desiit superbire. Nescit laudem cum suppetit fugere, qui ad hanc didicit cum deesset anhelare. Nequaquam vincere avaritiam potest, quando ad multorum sustentationem tenditur is cui sufficere propria nec soli potuerunt. Ex anteacta ergo vita se quisque inveniat, ne in appetitu se culminis imago cogitationis illudat. Quamvis plerumque in occupatione regiminis [h] ipse quoque boni operis usus perditur, qui in tranquillitate tenebatur, quia quieto mari recte **10** navem et imperitus dirigit; [i] turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus se nauta confundit. Quid namque est potestas culminis, nisi tempestas mentis? In qua semper cogitationum procellis navis cordis quatitur, huc illucque incessanter impellitur, ut per repentinos excessus oris et operis quasi per obviantia saxa frangatur. Inter hæc itaque quid sequendum est, quid tenendum, nisi ut virtutibus pollens coactus ad regimen veniat, virtutibus vacuus nec coactus accedat? Ille si omnino renititur, caveat ne acceptam pecuniam in sudarium ligans, de ejus occultatione judicetur (*Matth.* XXV, 18). Pecuniam quippe in sudario ligare, est percepta dona sub otio lenti torporis abscondere. At contra, iste cum regimen appetit, attendat ne per exemplum pravi operis, Pharisæorum more, ad ingressum regni tendentibus obstaculum fiat: qui juxta Magistri vocem (*Matth.* XXIII, 13) nec ipsi intrant, nec alios intrare permittunt. Cui considerandum quoque est, quia [j] cum causam populi electus præsul suscipit, quasi ad ægrum medicus accedit. Si ergo adhuc in ejus [k] opere passiones vivunt, qua præsumptione percussum mederi properat, qui in facie vulnus portat?

[a] Carnot. secundus, *jubente*.
[b] Aud. secundus, *imperium vertit*.
[c] Corb., Bellov., Carnot. secundus, *districto*. Alii, maxime Trecensis, *descripto*.
[d] Carnot. secundus, *sumere*, et Aud. secundus, *temporale* pro *pastorale*.
[e] Carnot. primus, *proponunt*.
[f] Aud. primus, *in intimis*.
[g] Sic Corb. et alii Mss. Gallic., Anglic., Norm., etc. Hic mutilus est Codex Trecensis et usque ad cap. 15, *sit rector discretus in silentio*, etc. Editi habent, *Timens enim*, errore manifesto in nullis Vulgatis castigato
[h] Aud. primus, *in se quoque*.
[i] Corb. et Carnot. primus, *turbatus*, prior cum Aud. 1, *turbatis*.
[j] Corb. Vat. Cl., Theod., Carnot., Norm., Longip., Laud., ms. duces sequimur, non excusos qui habent, *cum curam*.
[k] Excusi, *in ejus corpore*, contradicentibus Mss pene omnibus.

## CAPUT X.

*Qualis quisque ad regimen venire debeat.*

Ille igitur, ille modis omnibus debet ad exemplum vivendi pertrahi, qui cunctis carnis passionibus moriens jam spiritaliter vivit, qui prospera mundi postposuit, qui nulla adversa pertimescit, qui sola interna desiderat. Cujus intentioni bene congruens, nec omnino per imbecillitatem corpus, nec valde per [a] contumeliam repugnat spiritus. Qui ad aliena [b] cupienda non ducitur, sed propria largitur. Qui per pietatis viscera citius ad ignoscendum flectitur, sed nunquam plus quam deceat ignoscens, ab arce rectitudinis inclinatur. Qui nulla illicita perpetrat, sed perpetrata ab aliis ut propria deplorat. Qui ex affectu cordis alienæ infirmitati compatitur, sicque in bonis proximi sicut in suis provectibus lætatur. Qui ita se imitabilem cæteris in cunctis quæ agit insinuat, ut inter eos non habeat quod saltem de transactis erubescat. Qui sic studet vivere, ut proximorum quoque corda arentia doctrinæ valeat fluentis irrigare. Qui orationis usu et experimento jam didicit, quod obtinere a Domino quæ poposcerit, possit, [c] cui per effectus vocem jam quasi specialiter dicitur: *Adhuc loquente te, dicam, Ecce adsum* (*Isai.* LVIII, 9). [d] Si enim fortasse quis veniat, ut pro se ad intercedendum nos apud potentem quempiam virum, qui sibi iratus, nobis vero est incognitus, ducat, protinus respondemus : Ad intercedendum venire non possumus, quia familiaritatis ejus notitiam non habemus. Si ergo homo apud hominem de quo minime præsumit fieri intercessor erubescit, qua mente apud Deum intercessionis locum pro populo arripit, qui familiarem se ejus gratiæ esse per vitæ meritum nescit? **11** Aut ab eo quomodo aliis veniam postulat, qui utrum sibi sit placatus ignorat? Qua in re adhuc aliud est sollicitius formidandum, ne qui placare posse iram creditur, hanc ipse ex proprio reatu mereatur (*Dist.* 49, *initio, et c.* 1). Cuncti enim liquido novimus, quia cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati animus ad deteriora provocatur. Qui ergo adhuc desideriis terrenis astringitur, caveat ne districti iram judicis gravius accendens, dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ.

## CAPUT XI.

[e] *Qualis quisque ad regimen venire non debeat.*

Solerter ergo se quisque metiatur ne locum regiminis assumere audeat, si adhuc in se vitium damnabiliter regnat, ne is quem crimen depravat proprium, intercessor fieri appetat pro culpis aliorum. [f] Hinc etenim superna voce ad Moysen dicitur : *Loquere ad Aaron : Homo de semine tuo per familias qui A habuerit maculam, non offeret panes Domino Deo suo, nec accedet ad ministerium ejus* (*Lev.* XXI, 17). Ubi et repente subjungitur : *Si cæcus fuerit, si claudus, si vel parvo, vel grandi et torto naso, si fracto pede, si manu, si gibbus, si lippus, si albuginem habens in oculo, si jugem scabiem, si impetiginem in corpore, vel ponderosus* (*Ibid.*, 18). Cæcus quippe est, qui supernæ contemplationis lumen ignorat; qui præsentis vitæ tenebris pressus, dum venturam lucem nequaquam diligendo conspicit, [g] quo gressus operis porrigat nescit. Hinc etenim prophetante Anna dicitur, *Pedes sanctorum suorum servabit, et impii in tenebris conticescent* (*I Reg.* II, 9). Claudus vero est qui quidem quo pergere debeat aspicit, sed per infirmitatem mentis, vitæ viam perfecte non valet tenere B quam videt, quia ad virtutis statum [h] dum fluxa consuetudo non erigitur, quo desiderium innititur, illuc gressus operis efficaciter non sequuntur. Hinc enim Paulus dicit : *Remissas manus et dissoluta genua erigite, et gressus rectos facite pedibus vestris, ut non claudicans quis erret, magis autem sanetur* (*Heb.* XII, 12, 13). Parvo autem naso est, qui ad tenendam mensuram discretionis idoneus non est. Naso quippe odores fetoresque discernimus. Recte ergo per nasum discretio exprimitur, per quam virtutes eligimus, delicta reprobamus. Unde et in laude sponsæ dicitur : *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano* (*Cant.* VII, 4), quia nimirum sancta Ecclesia quæ ex causis singulis tentamenta prodeant, per discretionem conspicit, et ventura vitiorum bella ex alto C deprehendit. Sed sunt nonnulli qui dum æstimari hebetes nolunt, sæpe se in quibusdam inquisitionibus plus quam necesse est exercentes, ex nimia subtilitate falluntur. Unde hic quoque subditur : *Vel grandi et torto naso.* Nasus enim grandis et tortus est discretionis subtilitas immoderata, quæ dum plus quam decet excreverit, actionis suæ rectitudinem ipsa confundit. Fracto autem pede vel manu est, qui viam Dei pergere omnino non valet, atque a bonis actibus funditur exsors vacat, quatenus hæc non ut claudus saltem cum infirmitate teneat, sed ab his omnimodo alienus existat. Gibbus vero est quem terrenæ sollicitudinis pondus deprimit, **12** ne unquam ad superna respiciat, sed solis his quæ in infimis calcantur intendat. Qui et si quando aliquid ex bono D patriæ cœlestis audierit, ad hoc nimirum perversæ consuetudinis pondere prægravatus, cordis faciem non attollit, quia cogitationis statum erigere non valet, quem terrenæ usus sollicitudinis curvum tenet. Ex horum quippe specie Psalmista dicit : *Incurvatus sum* [i] *et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* XXXVIII, 8, *sec. LXX*). Quorum culpam quoque per semetip

gip.

[a] Maluerunt Editores saltem recentiores, *contumaciam*, contra Mss. fidem.

[b] Gemet., faventibus Lyr. et Aud. 2, *aliena capienda.*

Sic Mss., magno consensu. Editi, *cui prophetica voce jam.*

[d] Hic incipit caput undecimum in plur. Editis. Dissentiunt Codices manu exarati.

[e] Hoc caput pertinet adhuc ad septimum in Lon-

[f] Ad hæc verba inchoatur caput 11 in Mss. Corb. duob., prior. Carnot. et tribus Gemet.

[g] Aud. primus, *quo ingressus.... ponere.* Laud., *quo gressum corporis.*

[h] Editi, *dum fluxa consuetudine*, reluctantibus Mss. universis.

[i] Abest a Corb., *et humiliatus sum.*

sam Veritas reprobans, ait : *Semen autem quod in spinis cecidit, hi sunt qui audierunt verbum, et a sollicitudinibus et divitiis et voluptatibus vitæ euntes suffocantur, et non referunt fructum* (*Luc.* VIII, 14). Lippus vero est, cujus quidem ingenium ad cognitionem veritatis emicat, sed tamen hoc carnalia opera obscurant. In lippis quippe oculis pupillæ sanæ sunt, sed humore defluente [a] infirmatæ palpebræ grossescunt; quorum, quia infusione crebro atteruntur, etiam acies pupillæ vitiatur. Et sunt nonnulli quorum sensum carnalis vitæ operatio sauciat, qui videre recta subtiliter per ingenium poterant, sed usu pravorum actuum caligant. Lippus itaque est, cujus sensum natura exacuit; sed conversationis pravitas confundit. Cui bene per angelum dicitur : *Collyrio inunge oculos tuos ut videas* (*Apoc.* III, 18). Collyrio quippe oculos ut videamus inungimus, cum ad cognoscendam veri luminis claritatem intellectus nostri aciem medicamine bonæ operationis adjuvamus. Albuginem vero habet in oculo, qui veritatis lucem videre non sinitur, quia arrogantia sapientiæ seu justitiæ cæcatur. Pupilla namque oculi nigra videt, albuginem tolerans nil videt, quia videlicet sensus humanæ cogitationis si stultum se peccatoremque intelligit, cognitionem intimæ claritatis apprehendit. Si autem candorem sibi justitiæ seu sapientiæ tribuit, a luce se supernæ [b] cognitionis excludit; et eo claritatem veri luminis nequaquam penetrat, quo se apud se per arrogantiam exaltat; sicut de quibusdam dicitur : *Dicentes enim se esse sapientes, stulti facti sunt* (*Rom.* I, 22). Jugem vero habet scabiem, cui carnis petulantia sine cessatione dominatur. In scabie etenim fervor viscerum ad cutem trahitur, per quam recte luxuria designatur, quia si cordis tentatio usque ad operationem prosilit, nimirum fervor intimus usque ad cutis scabiem prorumpit; et foris jam corpus sauciat, quia dum in cogitatione voluptas non reprimitur, etiam in actione dominatur. Quasi enim cutis pruriginem Paulus curabat abstergere, cum dicebat : *Tentatio vos non apprehendat, nisi humana* (*I Cor.* X, 13); ac si aperte diceret : Humanum quidem est tentationem in corde perpeti, dæmoniacum vero est in tentationis certamine et in operatione superari. Impetiginem quoque habet in corpore, quisquis avaritia vastatur in mente : quæ si in parvis non compescitur, nimirum sine mensura dilatatur. Impetigo quippe sine dolore corpus occupat, et absque occupati tædio excrescens membrorum decorem fœdat, quia et avaritia capti animum dum quasi delectat, exulcerat; dum adipiscenda quæque cogitationi objicit, ad inimicitias accendit, et dolorem in vulnere non facit, quia æstuanti animo ex culpa abundantiam 13 promittit. Sed decor membrorum perditur, quia aliarum quoque virtutum per hanc pulchritudo depravatur; et quasi totum corpus [c] exasperat, quia per universa vitia animum supplantat, Paulo attestante qui ait : *Radix omnium malorum est cupiditas* (*I Tim.* VI, 10). Ponderosus vero est, qui turpitudinem non exercet opere, sed tamen ab hac cogitatione continua sine moderamine gravatur in mente; qui nequaquam quidem usque ad opus nefarium rapitur, sed ejus animus voluptate luxuriæ sine ullo [d] repugnationis stimulo delectatur. Vitium quippe est ponderis, cum humor viscerum ad virilia labitur, quæ profecto cum molestia dedecoris intumescunt. Ponderosus ergo est, qui totis cogitationibus 14 ad lasciviam defluens, pondus turpitudinis gestat [e] in corde; et quamvis prava non exerceat opere, ab his tamen non evellitur mente. Nec ad usum boni operis in aperto valet assurgere, quia gravat hunc in abditis pondus turpe. Quisquis ergo quolibet horum vitio [f] subigitur, panes Domino offerre prohibetur, ne profecto diluere aliena delicta non valeat is quem adhuc propria [g] devastant. Quia igitur paucis ad pastorale magisterium dignus qualiter veniat, atque hoc indignus qualiter pertimescat ostendimus, nunc is qui ad illud digne pervenerit, in eo qualiter vivere debeat demonstremus.

[a] Hic in Mss. mira varietas. In Laud., *infirmitates palpebræ*. In duob. pr. Gemet., *infirmanti palpebra*. In Corb., Bellov., Carnot. 2, duob. Theod., *infirmantes palpebræ*. In priori Carn. et Aud. 1, *infirmantia palpebra*.

[b] Gemeticenses, *cogitationis*.

[c] Laud., *exulcerat*.

[d] Editi, *repugnationis obstaculo;* quod in nullis e nostris Mss. legitur.

[e] Carnot. primus et secundus Aud., *in corpore*.

[f] Carnot. primus, *subjungitur*. Bellov. et alii, *subigitur*.

[g] Hic absolvitur caput in Longip.

# *SECUNDA PARS.*

## DE [a] VITA PASTORIS.

### CAPUT PRIMUM [*Al. XII*].

*Is qui ad regimen ordinate pervenerit, qualem se in ipso regimine debeat exhibere.*

Tantum debet actionem populi actio transcendere præsulis, quantum distare solet a grege vita pastoris. Oportet namque ut metiri sollicite studeat quanta tenendæ rectitudinis necessitate constringitur, sub cujus æstimatione populus grex vocatur. Sit ergo necesse est cogitatione mundus, actione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis comcto Doctore propositæ, cum conveniat hæc inscriptio, ut patet ex superioribus verbis quibus cap. 11 absolvitur, eam retinendam duximus.

[a] Titulus hic in antiquis Mss. non legitur, nisi recentiori manu addictus, ut videtur in 2 Gemet. Continua ergo serie in manu exaratis sequitur cap. 12. In Longip. est tantum cap. 9. Divisioni tamen a san-

passione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens. Sed hæc quæ breviter enumerando perstrinximus, paulo latius replicando disseramus.

## CAPUT II [*Al. XIII*]

### *Ut rector cogitatione sit mundus.*

Rector semper cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat, quia necesse est ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat : ne tacta quæque deterius inquinet, [a] si sordida insequens lutum [b] tenet. Hinc namque per prophetam dicitur : *Mundamini qui fertis vasa Domini* ( *Isai.* LII, 11 ). Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad æterna sacraria perducendas in suæ conversationis fide suscipiunt. Apud semetipsos ergo quantum debeant mundari conspiciant, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ sponsionis portant. Hinc divina voce præcipitur (*Exod.* XXVIII, 15), ut in Aaron pectore rationale judicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus [c] sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat ; nec indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum aliis constitutus, ex gravitate vitæ semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet. In quo etiam rationali vigilanter adjungitur, ut duodecim patriarcharum nomina describantur. Ascriptos etenim patres semper in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum Sanctorum vestigia sine cessatione considerat, et cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis limitem operis pedem [d] tendat. Quod bene etiam rationale judicii vocatur, quia debet rector subtili semper examine bona malaque discernere, et quæ vel quibus, quando vel qualiter congruant, studiose cogitare ; nihilque proprium quærere, sed sua commoda propinquorum bona deputare. Unde illic scriptum est : *Pones autem in rationali judicii doctrinam et veritatem, quæ erunt in pectore Aaron quando ingredietur coram Domino, et gestabit judicium filiorum Israel in pectore suo in conspectu Domini semper* (*Ibid.*, 30). Sacerdoti quippe judicium filiorum Israel in pectore coram Domini conspectu gestare, est A subjectorum causas pro sola interni judicis intentione discutere, ut nihil se ei humanitatis admisceat in hoc quod divina positus vice dispensat, ne correptionis [e] studia privatus dolor exasperet. Cumque contra aliena vitia æmulator ostenditur, quæ sua sunt exsequatur, ne tranquillitatem judicii aut latens invidia maculet, aut præceps ira perturbet. Sed dum consideratur terror ejus qui super omnia præsidet, videlicet judicis intimi, non sine magno regantur timore subjecti. Qui nimirum timor dum mentem rectoris humiliat, purgat ; ne hanc aut præsumptio spiritus levet, aut carnis delectatio inquinet, aut per terrenarum **15** rerum [f] cupidinem importunitas pulvereæ cogitationis obscuret : quæ tamen non pulsare rectoris animum nequeunt, sed festinare necesse B est, ut repugnatione vincantur, ne vitium quod per suggestionem tentat, [g] mollitie delectationis subigat, cumque hæc ab animo tarde repellitur, [h] mucrone consensus occidat.

## CAPUT III [*Al. XIV*].

### *Ut rector semper sit operatione præcipuus.*

Sit rector operatione præcipuus, ut vitæ viam subditis vivendo denuntiet, et grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat, quia quod loquendo imperat, ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per prophetam dicitur : *Super montem* C *excelsum ascende tu qui evangelizas Sion* ( *Isai.* XL, 9). Ut videlicet qui cœlesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum desereus, in [i] rerum culmine stare videatur ; tantoque facilius subditos ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. Hinc divina lege arinum sacerdos in sacrificium et dextrum accipit et separatum ( *Exod.* XXIX, 22), ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis ; nec inter malos tantummodo quæ recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore [j] ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso auctori discat immolare. Et non solum [k] pectore quæ recta sunt cogitet, sed D spectatores suos ad sublimia arma operis invitet : nulla prospera præsentis vitæ appetat, nulla adversa pertimescat ; blandimenta mundi [l] respecto intimo terrore despiciat, terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat. Unde su-

[a] Vatic., præeuntibus Paris. 1518, Gilot. et al. Ed., *si sordida in se mens*. Repugnant Angl. et nostri Mss.

[b] Carnot. secundus, *manet*.

[c] In Corb., *rationale*.

[d] And. primus, *ponat*.

[e] Carnot. primus, et primus Aud., *studio*.

[f] Hic dissentiunt Mss. Corb. habet, *cupidinem pollutæ pulvereæ cogit*. Carnot. secundus, *pollutæ cogitationis*, omisso *pulv*. Duo prior. Gemet., *cupiditatem imp. pulvere cog*.

[g] Carnot. 1, *malitia dilectionis*. Aud. 1, *malitia delectationis*.

[h] Carnot. 2 et Bellov., *Vereor ne consensus succedat*.

[i] Primus Aud., *in cœlestium rerum*.

[j] Audoen. secundus caret voce *ordinis*.

[k] Hic locus in Audoen. primo, et primo Carnot. legitur sine hac voce *pectore*.

[l] Laud., *respectu intimi terroris*. Favet Carnot. secundus.

pernæ quoque vocis imperio (*Exod.* XXIX, 5) in utroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur, ut contra adversa ac prospera virtutum semper ornamento muniatur; quatenus, juxta vocem Pauli (*II Cor.* VI, 7), per arma justitiæ a dextris sinistrisque gradiens, cum ad sola quæ [a] interiora sunt nititur, in nullo [b] delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluntatem demulceant, non aspera ad desperationem premant; ut dum nullis passionibus intentionem mentis humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur ostendat. Quod recte etiam superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco, et torta fieri bysso præcipitur (*Exod.* XXVIII, 8), ut quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus, qui aereo colore resplendet adjungitur, ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, **16** sed ad amorem cœlestium surgat; ne dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. [c] Auro quoque et hyacintho purpura permiscetur; ut videlicet sacerdotale cor, cum summa quæ prædicat sperat, in semetipso etiam suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, et cœlestis regni sibi habitum moribus defendat. De hac quippe nobilitate spiritus per Petrum dicitur: *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). De hac etiam potestate, quia vitia subigimus, Joannis voce roboramur, qui ait: *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Hanc dignitatem fortitudinis Psalmista considerat, dicens: *Mihi autem nimis honorificati sunt amici tui, Deus, nimis confortatus est principatus eorum* (*Psal.* CXXXVIII, 17). Quia nimirum sanctorum mens principaliter in summis erigitur, cum exterius perpeti abjecta cernuntur. Auro autem, hyacintho ac purpuræ bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni judicis oculos omnia virtutum bona ex charitate decorentur; et cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu [d] occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia Deum simul ac proximum diligit, quasi ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat, vel sic proximorum curam exsequitur, ut a divino amore torpescat, quia unum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta charitatis tenditur, restat procul dubio ut per abstinentiam A caro macteretur. Unde et bis tincto cocco torta byssus adjungitur. De terra etenim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi candens decore munditiæ corporalis castitas designatur? Quæ videlicet torta, pulchritudini superhumeralis innectitur; quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes cæteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

## CAPUT IV (*Al. XV*).

*Ut sit rector discretus in silentio, utilis in verbo.*

Sit rector (*Dist.* 45, *Sit rector*) discretus in silentio, utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in B errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant, in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui libere recta pertimescunt; et juxta Veritatis vocem (*Joan.* X, 12), nequaquam jam gregis costodiæ Pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos per prophetam Dominus increpat, dicens: *Canes muti non valentes latrare* (*Isai.* LVI, 10). Hinc rursum queritur, dicens: *Non ascendistis ex aaverso, nec opposuistis* **17** *murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* XIII, 5). Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die C Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori enim recta timuisse dicere, quid est aliud quam tacendo terga præbuisse? qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursum delinquenti populo dicitur: *Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec* [e] *aperiebant iniquitatem tuam; ut te ad pœnitentiam provocarent* (*Thren.* II, 14). Prophetæ quippe in sacro eloquio nonnunquam doctores vocantur; qui dum fugitiva esse præsentia [f] indicant, quæ sunt ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit, quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur; qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis est sermo correD ptionis, quia [g] increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait: *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt arguere* (*Tit.* I, 9). Hinc per Malachiam dicitur: *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malac.* II, 7). Hinc per Isaiam Do-

[a] Ita Corb. tres Carnot., Belv., Aud. primus, tres Gemet. Legitur tamen in Edit., *anteriora*.

[b] Carnot. primus, *dilectionis*. Corb., *in nullo delectationes infimæ latere flectantur*.

[c] In pler. Mss., *auro quoque ac bysso atque hyacintho*; omitti debet *ac bysso*. Byssi enim infra meminit

[d] Carnot. primus, Laud. et Belvac., *occulti arbitris*.

[e] Carnot. primus, et Aud. primus, *corripiebant*.

[f] Aud. 1, *judicant*.

[g] Tres Gemet., secundus et tertius Aud., Lyr., Corb., *increvatio*.

minus admonet, dicens : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam* (*Isaiæ.* LVIII, 1). Præconis quippe officium suscipit, quisquis ad sacerdotium accedit, ut ante adventum judicis qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos ergo si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super Pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit (*Act.* II, 3); quia nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens, tintinnabulis ambiatur (*Exod.* XXVIII, 33), ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni spectatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est : *Ut audiatur sonitus quando ingreditur et egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur* (*Ibid.*, 35). Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non auditur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine prædicationis sonitu incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis illius describuntur inserta. Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere? Propheta attestante qui ait : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psalm.* CXXXI, 9). Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque sacerdotis opera clament. Sed cum rector se ad loquendum præparat, sub quanto cautelæ studio loquatur attendat, ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur, et cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscidat. Hinc namque Veritas dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Per sal quippe, [a] verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Hinc in sacerdotis veste **18** juxta divinam vocem tintinnabulis mala punica conjunguntur (*Exod.* XXVIII, 34). Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico, [b] uno exterius cortice multa interius grana muniuntur; sic [c] innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Ne igitur rector incautus ad loquendum proruat, hoc quod jam præmisimus, per semetipsam Veritas discipulis clamat : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Ac si figurate per habitum sacerdotis dicat : Mala punica tintinnabulis jungite, ut per omne quod dicitis, unitatem fidei cauta observatione teneatis. Providendum quoque est sollicita intentione rectoribus ut ab eis non solum prava nullo modo, sed ne recta quidem nimie et inordinate proferantur; quia sæpe dictorum virtus perditur, cum apud corda audientium loquacitatis incauta importunitate levigatur; et auctorem suum hæc eadem loquacitas inquinat, quæ servire auditoribus ad usum profectus ignorat. Unde bene per Moysen dicitur : *Vir qui fluxum seminis patitur, immundus erit* (*Levit.* XV, 2). In mente quippe audientium semen secuturæ cogitationis est auditæ qualitas locutionis, quia dum per aurem sermo concipitur, cogitatio in mente generatur. Unde et ab hujus mundi sapientibus prædicator egregius seminiverbius est vocatus (*Act.* XVII, 18). Qui ergo fluxum seminis sustinet, immundus asseritur, quia multiloquio subditus, ex eo se inquinat, quod si ordinate promeret, prolem rectæ cogitationis edere in audientium corda potuisset; dumque incautus per loquacitatem diffluit, non ad usum generis, sed ad immunditiam semen effundit. Unde Paulus quoque cum discipulum de instantia prædicationis admoneret, dicens : *Testificor coram Deo et Christo Jesu, qui judicaturus est vivos et mortuos, per adventum ipsius et regnum ejus, prædica verbum, insta opportune, importune* (*II Tim.* IV, 1); dicturus *importune*, præmisit *opportune*, quia scilicet apud auditoris mentem ipsa sua [d] utilitate se destruit, si habere importunitas opportunitatem nescit.

## CAPUT V [*Al. XVI*].

*Ut sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus.*

Sit rector singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, ut et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat, ne aut alta petens, proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens, appetere alta derelinquat (*II Cor.* XII, 3). Hinc est namque quod Paulus in paradisum ducitur, cœlique tertii secreta rimatur, et tamen illa invisibilium contemplatione suspensus, ad cubile carnalium aciem mentis revocat, atque in occultis suis qualiter debeant conversari dispensat, dicens : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat; similiter autem et uxor viro* (*I Cor.* VII, 2). Et paulo post (*Ibid.*, 5) : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut* **19** *vacetis orationi; et iterum revertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas.* Ecce jam cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur; et quem sublevatus ad invisibilia erigit, hunc [e] miseratus ad secreta infirmantium oculum cordis flectit. Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen [f] stratum carnalium sollicitudine deserit, quia compage charitatis summis simul, et infimis junctus, et in semetipso virtute

[a] Laud., *verbum sapientiæ.*
[b] Tres Gemet., Carnot. primus et secundus, ac Belv. *una.....cortice.*
[c] Lyr., *universos.*
[d] Tres Gemet., tertius Carnot., Val. Cl., secundus Aud. et Lyr., *subtilitate.* At duo Theod., Laud. et alii, *utilitate.*
[e] Longip. ac plurimi, *misericorditer.*
[f] Trecensis, Corb., Norm., Belv., Laud., etc., sic legendum suadent; a quibus longe abeuntes Editores omnes posuerunt, *statum carn.* Supra habes, *carnalium cubile persc.*

spiritus ad alta valenter rapitur, et pietate in aliis æquanimiter infirmatur. Hinc etenim dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.*, XI, 29) ? Hinc rursus ait : *Factus sum Judæis tanquam Judæus* (*I Cor.* IX, 20). Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, [a] sed extendendo pietatem, ut in se personam infidelium transfiguraus, ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset, quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi recte voluisset. Hinc iterum dicit : *Sive mente excedimus, Deo ; sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* V, 13) ; quia et semetipsum noverat contemplando transcendere, et eumdem se auditoribus condescendendo temperare. Hinc Jacob Domino desuper innitente, et uncto deorsum lapide, ascendentes ac descendentes angelos vidit (*Gen.* XXVIII, 12) ; quia scilicet prædicatores recti non solum sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum, contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moyses crebro tabernaculum intrat et exit ; et qui intus in contemplationem rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit : exemplum proculdubio rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant ; et velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his in quibus dubitant apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Hinc ipsa Veritas per susceptionem nostræ humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet (*Luc.* VI, 12) ; imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens ; ut etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit ; et quo benigne descendit ad infirma, valenter recurrit ad summa. Tales autem sese qui præsunt exhibeant, quibus subjecti [b] occulta quoque sua prodere non erubescant ; ut cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad Pastoris mentem quasi ad matris sinum recurrant ; et hoc quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio, ac lacrymis orationis lavent. Unde et ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum, id est luterem, duodecim boves portant (*III Reg.* VII, 23, *seq.*) : qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent. Quid namque duodecim bobus, nisi universus pastorum ordo designatur ? De quibus Paulo disserente lex dicit : *Non obturabis os bovi trituranti* (*I Cor.* IX, 9 ; *ex Deuteron.* XXV, 4). **20** Quorum quidem nos aperta opera cernimus, sed apud districtum judicem quæ illos posterius maneant in occulta retributione nescimus. Qui tamen cum condescensionis suæ patientiam diluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant ; ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, et quasi in boum lutere cogitationis vel operis manus lavet. Et fit plerumque ut dum rectoris animus aliena tentamenta condescendendo cognoscit, auditis tentationibus etiam ipse pulsetur, quia et hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua proculdubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timenda sunt, quia Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius a sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.

## CAPUT VI [*Al. XVII*].

*Ut sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus.*

Sit rector bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus ; ut et bonis in nullo se præferat, et cum pravorum culpa exigit, potestatem protinus sui [c] prioratus agnoscat, quatenus et honore suppresso æqualem se subditis bene viventibus deputet, et erga perversos jura rectitudinis exercere non formidet. Nam sicut in libris Moralibus dixisse me memini (*Lib.* XXI, *Moral.*, *cap.* 10, *nunc n.* 22), liquet quod omnes homines natura æquales genuit, sed variante meritorum ordine alios aliis culpa postponit. Ipsa autem diversitas quæ accessit ex vitio, divino judicio dispensatur ; ut quia omnis homo æque stare non valet, alter regatur ab altero. Unde cuncti qui præsunt, non in se potestatem debent ordinis, sed æqualitatem pensare conditionis ; nec [d] præesse se hominibus gaudeant, sed prodesse. Antiqui etenim patres nostri non reges hominum, sed pastores pecorum fuisse memorantur. Et cum Noe Dominus filiisque ejus diceret : *Crescite et multiplicamini, et replete terram* (*Gen.* IX, 21), protinus adjunxit : *Et terror vester ac tremor sit super cuncta animalia terræ.* Quorum videlicet terror ac tremor, quia esse super animalia terræ præcipitur, profecto esse super homines prohibetur. Homo quippe brutis animalibus, non autem hominibus cæteris natura prælatus est ; et idcirco ei dicitur ut ab animalibus et non ab hominibus timeatur, quia contra naturam superbire est ab æquali velle timeri. Et tamen necesse est ut rectores a subditis timeantur, quando ab eis Deum minime timeri deprehendunt ; ut humana saltem formidine peccare metuant, qui divina judicia non formidant. Nequaquam namque præpositi ex hoc

[a] Sequimur hic Trec., Laud., Gemeticenses, duos Carnot. Prior Carn. cum primo Aud. habet, *sed appetendo.* Neutris consentiunt Vulgati, in quibus leg., *sed ostendendo.*

[b] Laud., *occulta quæque sua.*

[c] Ita Trec. et plerique. In Carnot. primo tamen et in Aud. primo habes, *sui primatus.*

[d] Hæc ex S. P. Benedicti regulæ c. 64, deprompta videntur, ubi exstat : *sciatque* (abbas) *sibi oportere prodesse magis quam præesse.* Nec mirum, cum regulæ hujus observationi assuefactus esset Gregorius.

quæsito timore superbiunt, in quo non suam gloriam, sed subditorum justitiam quærunt. In eo enim quod metum sibi a perverse viventibus exigunt, quasi non hominibus, sed animalibus dominantur, quia videlicet **21** ex qua parte bestiales sunt subditi, ex ea debent etiam [a] formidini jacere substrati.

Sed plerumque rector eo ipso quo cæteris præeminet, elatione cogitationis intumescit, et dum ad usum cuncta subjacent, dum ad votum velociter jussa complentur, dum omnes subditi, si qua bene gesta sunt, laudibus efferunt, male gestis autem nulla auctoritate contradicunt, dum plerumque laudant etiam quod reprobare debuerant, seductus ab his quæ infra suppetunt, super se animus extollitur; et dum foris immenso favore circumdatur, intus veritate vacuatur, atque oblitus sui in voces se spargit alienas, talemque se credit, qualem se foris audit, non qualem intus discernere debuit. Subjectos despicit, eosque æquales sibi [b] naturæ ordine non agnoscit; et quos sorte potestatis excesserit, transcendisse se etiam vitæ meritis credit. Cunctis se æstimat amplius sapere, quibus se videt amplius posse. In quodam quippe se constituit culmine apud semetipsum, et qui æqua cæteris naturæ conditione constringitur, ex æquo respicere cæteros dedignatur; sicque usque ad ejus similitudinem ducitur, de quo scriptum est: *Omne sublime videt, et ipse est rex super universos filios superbiæ* (*Job* XLI, 25). Qui singulare culmen appetens, et socialem angelorum vitam despiciens, ait: *Ponam sedem meam ad Aquilonem, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). Miro ergo judicio intus foveam dejectionis invenit, dum foris se in culmine potestatis extollit. Apostatæ quippe angelo similis efficitur, dum homo hominibus esse similis dedignatur. Sic Saul post humilitatis meritum in tumorem superbiæ culmine potestatis excrevit: per humilitatem quippe prælatus est, per superbiam reprobatus, Domino attestante, qui ait: *Nonne cum esses parvulus in oculis tuis, caput te constitui in tribubus Israel?* (*I Reg.* XV, 17.) Parvulum se in suis prius oculis viderat, sed fultus temporali potentia, jam se parvulum non videbat. Cæterorum namque comparationi se præferens, quia plus cunctis poterat, magnum se præ omnibus æstimabat. Miro autem modo cum apud se parvulus, apud Deum magnus; cum vero apud se magnus apparuit, apud Deum parvulus fuit. Plerumque ergo dum ex subjectorum affluentia animus inflatur, [c] in fluxum superbiæ ipso potentiæ fastigio lenocinante corrumpitur. Quam videlicet potentiam bene regit, qui et tenere illam noverit et impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, et scit cum illa cæteris æqualitate componi. Humana etenim mens plerumque extollitur, etiam cum nulla potestate fulcitur; quanto magis in altum se erigit, cum se ei etiam potestas adjungit? Quam tamen potestatem recte dispensat qui sollicite noverit et sumere ex illa quod adjuvat, et expugnare quod tentat, et æqualem se cum illa cæteris cernere, et tamen se peccantibus zelo ultionis anteferre.

Sed hanc discretionem plenius agnoscimus, si Pastoris primi exempla cernamus. Petrus namque auctore Deo sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio, et sese ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens: *Surge, ne feceris, et ego ipse homo sum* (*Act.* x, 26). Sed cum Ananiæ et Sapphiræ **22** culpam [d] reperit (*Act.* v, 5), mox quanta potentia super cæteros excrevisset ostendit. Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante, deprehendit: et summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod honore sibi vehementer impenso coram bene agentibus fratribus non agnovit. Illic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, hic zelus ultionis jus aperuit potestatis. Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret: *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri* (*II Cor.* I, 23). Atque illico adjunxit: *Fide enim statis.* Ac si id quod protulerat aperiret, dicens: Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis; æquales enim vobis sumus in quo vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se fratribus esse nesciebat, cum diceret: *Facti sumus* [e] *parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7). Et rursum: *Nos autem servos vestros per Christum* (*II Cor.* IV, 5). Sed cum culpam quæ corrigi debuisset invenit, illico magistrum se esse recoluit, dicens, *Quid vultis? In virga veniam ad vos* (*I Cor.* IV, 21).

Summus itaque locus bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur. Sed cum delinquentes subditos præpositi corrigunt, restat necesse est ut sollicite attendant, quatenus per disciplinæ [f] debitum culpas quidem jure potestatis feriant, sed per humilitatis custodiam æquales se ipsis fratribus qui corriguntur, agnoscant: quamvis plerumque etiam dignum est ut eosdem quos corrigimus, tacita nobis cogitatione præferamus. Illorum namque per nos vitia disciplinæ vigore feriuntur, in his vero quæ ipsi committimus, ne verbi quidem ab aliquo invectione laceramur. Tanto ergo apud Dominum obligatiores sumus, quanto apud homines inulte peccamus. Disciplina autem nostra subditos divino judicio tanto liberiores reddit, quanto hic eorum culpas sine vindicta non deserit. Servanda itaque est et in corde humilitas, et in opere disciplina. Atque inter hæc solerter intuendum est, ne dum immoderatius custoditur virtus humilitatis, solvantur jura regiminis; et dum prælatus quisque plus se quam decet dejicit, subditorum vitam stringere sub disciplinæ vinculo non possit. Teneant ergo rectores exterius quod pro aliorum utilitate suscipiunt; servent inte-

[a] Tres Gemet., *fortitudini.*
[b] Editores maluerunt, *naturæ origine*, invitis omnibus Mss.
[c] Ita Trec., Carnot., Gemet., Laud., Val. Cl., etc., et vet. Edit. in Gilot, et recent. legitur, *in luxum.*
[d] Aud. primus, *reprehendit.*
[e] Tres Genet., *sicut parvuli.*
[f] Duo priores Gemet., *meritum.*

rius quod de sua æstimatione pertimescunt. Sed tamen quibusdam signis decenter erumpentibus, eos apud se esse humiles etiam subjecti deprehendant, quatenus et in auctoritate eorum quod formident videant, et de humilitate quod imitentur agnoscant. Studeant igitur sine intermissione qui præsunt, ut eorum potentia quanto magna exterius cernitur, tanto apud eos interius deprimatur, [a] ne cogitationem vincat, ne in delectationem sui animum rapiat, ne jam sub se mens eam regere non possit, cui se libidine dominandi supponit. Ne enim præsidentis animus ad elationem potestatis suæ delectatione rapiatur, recte per quemdam sapientem dicitur : *Ducem te constituerunt, noli extolli, sed esto in illis quasi unus ex illis* (*Eccli.* XXXII, 1). Hinc etiam Petrus ait : *Non dominantes in clero, sed forma facti* [b] *gregis* (*I Petr.* V, 3). Hinc per semetipsam Veritas ad altiora nos virtutum merita provocans, dicit : *Scitis quia principes gentium dominantur eorum, et qui majores* **23** *sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos, sed quicunque voluerit inter vos major fieri, sit vester minister ; et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester servus : sicut Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* XX, 25, *seq.*). Hinc est quod servum ex suscepto regimine elatum, quæ post supplicia maneant, indicat, dicens : *Quod si dixerit malus ille servus in corde suo : Moram facit Dominus meus venire, et cœperit percutere conservos suos, manducet autem et bibat cum ebriis; veniet dominus servi illius, in die qua non sperat, et hora qua ignorat, et dividet eum, partemque ejus ponet cum hypocritis* (*Matth.* XXIV, 48 *seq.*). Inter hypocritas enim jure deputatur, qui ex simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis ; et tamen nonnunquam gravius delinquitur si inter perversos plus æqualitas quam disciplina custoditur. Quia enim falsa pietate superatus ferire Heli delinquentes filios noluit, apud districtum judicem semetipsum cum filiis crudeli damnatione percussit (*I Reg.* IV, 17, 18). Hinc namque divina ei voce dicitur : *Honorasti filios tuos magis quam me* (*Ibid.*, II, 29). Hinc pastores increpat per prophetam, dicens : *Quod fractum est non alligastis, et quod abjectum est non reduxistis* (*Ezech.* XXXIV, 4). Abjectus enim reducitur cum quisque in culpa lapsus, ad statum justitiæ ex pastoralis sollicitudinis vigore revocatur. Fracturam vero ligamen astringit, cum culpam disciplina deprimit, ne plaga usque ad interitum defluat, si hanc districtionis severitas non coarctat.

Sed sæpe deterius frangitur, cum fractura incaute colligatur, ita ut gravius scissuram sentiat, si hanc immoderatius ligamenta constringant. Unde necesse est ut cum peccati vulnus in subditis corrigendo restringitur, magna se sollicitudine [c] etiam districtio ipsa moderetur, quatenus sic jura disciplinæ contra delinquentes exerceat, ut pietatis viscera non amittat. Curandum quippe est ut rectorem subditis et matrem pietas, et patrem exhibeat disciplina. Atque inter hæc sollicita circumspectione providendum, ne aut districtio rigida, aut pietas sit remissa. Nam sicut in libris Moralibus jam diximus (*Lib.* XX *Moral.*, *n.* 14, *c.* 8, *et epist.* 25, *lib.* I), disciplina vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed erga subditos suos inesse rectoribus debet et juste [d] consulens misericordia, et pie sæviens disciplina. Hinc namque est quod docente Veritate (*Luc.* X, 34), per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur, ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, per oleum foveantur. Necesse quippe est ut quisquis sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus per vinum [e] mundentur putrida, per oleum foveantur sananda. Miscenda ergo est lenitas cum severitate; faciendum quoddam ex utroque temperamentum, ut neque [f] multa asperitate exulcerentur subditi, neque nimia benignitate solvantur. Quod juxta Pauli vocem (*Hebr.* IX, 4) bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est ; quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga **24** districtionis, sit et manna dulcedinis. Hinc David ait : *Virga tua et baculus tuus, ipsa me consolata sunt* (*Psal.* XXII, 4). Virga enim percutimur, baculo sustentamur. Si ergo est districtio virgæ quæ feriat, sit et consolatio baculi quæ sustentet. Sit itaque amor, sed non emolliens ; [g] sit vigor, sed non exasperans ; sit zelus, sed non immoderate sæviens ; sit pietas, sed non plus quam expediat parcens ; ut dum se [h] in arce regiminis justitia clementiaque permiscet, is qui præest corda subditorum et terrendo demulceat, et tamen ad terroris reverentiam demulcendo constringat.

## CAPUT VII [*Al. XVIII*].

*Ut sit rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens.*

Sit rector internorum curam in exteriorum occupatione non minuens, exteriorum providentiam in internorum sollicitudine non relinquens ; ne [i] aut exterioribus deditus ab intimis corruat, aut solis interioribus occupatus, quæ foris debet proximis non impendat. Sæpe namque nonnulli velut obliti quod fratribus animarum causa prælati sunt, toto cordis adnisu sæcularibus curis inserviunt ; has, cum adsunt, se agere exsultant ; ad has etiam cum desunt, diebus ac noctibus cogitationis turbidæ æstibus anhelant.

[a] Carnot. primus, *ne cogitatione tumeant*. Aud. primus, *ne cogitatione timeant*.
[b] Tres Gemet., *gregi*.
[c] In Editis aut *districtior*, *aut districtor ipse*. Quibus Mss. omnes reluctantur.
[d] In plur. Edit. tam Moral. quam Pastoral., *consolans*. Apud Gratianum et in Mss. habes *consulens*.
[e] Tres Gemet., Lyr. et Aud. secundus, *mordeantur*. Trec., Val. Clar. et alii, *mundentur*.
[f] Corb., *nimia*. Trecensem et alios plur. sequimur.
[g] Edit., *sit rigor*. Reluctantur Mss. omnes.
[h] Carnot. primus, *in arte*.
[i] Corb. et Gemet. tertius, *ne aut solis exterioribus*.

Cumque ab his, cessante forsitan [a] opportunitate, quieti sunt, ipsa deterius sua quiete fatigantur. Voluptatem namque censent si actionibus deprimuntur, laborem deputant si in terrenis negotiis non laborant. Sicque fit, ut dum [b] se urgeri mundanis tumultibus gaudent, interna quæ alios docere debuerant ignorent. Unde subjectorum quoque proculdubio [•] vita torpescit, quia cum proficere spiritaliter appetit, in exemplo ejus qui sibi prælatus est, quasi in obstaculo itineris offendit. Languente enim capite membra incassum vigent, et in exploratione hostium frustra exercitus velociter sequitur, si ab ipso duce itineris erratur. Nulla subditorum mentes exhortatio sublevat, eorumque culpas increpatio nulla castigat; quia dum per animarum præsulem terreni exercetur officium judicis, a gregis custodia vacat cura pastoris; et subjecti veritatis lumen apprehendere nequeunt, quia dum pastoris sensus terrena studia occupant, vento tentationis impulsus Ecclesiæ oculos pulvis cæcat. Quo contra recte humani generis Redemptor, cum nos a ventris voracitate compesceret, dicens : *Attendite autem vobis, ut non graventur corda vestra in crapula et ebrietate* (*Luc.* XXI, 34), illico adjunxit : *Aut in curis hujus vitæ.* Ubi pavorem quoque protinus intente adjiciens : *Ne forte*, inquit, *superveniat in vos repentina dies illa* (*Ibid.*). Cujus adventus etiam qualitatem denuntiat, dicens : *Tanquam laqueus enim veniet super omnes qui sedent super faciem omnis terræ* (*Ibid.*, 35). Hinc iterum dicit : *Nemo potest duobus dominis servire* (*Luc.* XVI, 13). Hinc Paulus religiosorum mentes a mundi consortio contestando, ac potius conveniendo suspendit, dicens : *Nemo militans Deo implicat se* **25** *negotiis sæcularibus, ut ei placeat cui se probavit* (*II Tim.* II, 4). Hinc Ecclesiæ rectoribus et vacandi studia præcipit, et [d] consulendi remedia ostendit, dicens : *Sæcularia igitur* [e] *judicia si habueritis, contemptibiles qui sunt in Ecclesia, illos constituite ad judicandum* (*I Cor.* VI, 14); ut ipsi videlicet dispensationibus terrenis inserviant, quos dona spiritalia non exornant. Ac si apertius dicat : Quia penetrare intima nequeunt, saltem necessaria foris operentur. Hinc Moyses, qui cum Deo loquitur (*Exod.* XVIII, 17, 18), Jethro alienigenæ reprehensione judicatur, quod terrenis populorum negotiis stulto labore deserviat : cui et consilium mox præbetur, ut pro se alios ad jurgia dirimenda constituat, et ipse liberius ad erudiendos populos spiritalium arcana cognoscat.

A subditis ergo inferiora gerenda sunt, a rectoribus summa cogitanda; ut scilicet oculum, qui prævidendis gressibus præeminet, cura pulveris non obscuret. Caput namque subjectorum sunt cuncti qui præsunt; et ut recta pedes valeant itinera carpere, hæc proculdubio caput debet ex alto providere, ne a provectus sui itinere pedes torpeant, cum curvata rectitudine corporis caput sese ad terram declinat. Qua autem mente animarum præsul honore pastorali inter cæteros utitur, si in terrenis negotiis quæ reprehendere in aliis debuit, et ipse versatur? Quod videlicet ex ira justæ retributionis per prophetam Dominus minatur, dicens : *Et erit sicut populus, sic sacerdos* (*Oseæ* IV, 9). Sacerdos quippe est ut populus, quando ea agit is qui spiritali officio fungitur, quæ illi nimirum faciunt qui adhuc de studiis carnalibus judicantur. Quod cum magno scilicet dolore charitatis Jeremias propheta conspiciens, quasi sub destructione templi deplorat, dicens : *Quomodo obscuratum est aurum, mutatus est color optimus, dispersi sunt lapides sanctuarii in capite omnium platearum* (*Thren.* IV, 1)? Quid namque auro, quod metallis cæteris præeminet, nisi excellentia sanctitatis? Quid colore optimo, nisi cunctis amabilis reverentia religionis exprimitur? Quid sanctuarii lapidibus, nisi sacrorum ordinum personæ signantur? Quid platearum nomine, nisi præsentis vitæ latitudo figuratur? Quia enim Græco eloquio πλάτος latitudo dicitur, profecto a latitudine plateæ sunt vocatæ. Per semetipsam vero Veritas dicit : *Lata et spatiosa via est quæ ducit ad perditionem* (*Matth.* VII, 13). Aurum igitur obscuratur, cum terrenis actibus sanctitatis vita polluitur. Color optimus commutatur, cum quorumdam qui degere religiose credebantur, æstimatio anteacta minuitur. Nam cum quilibet post sanctitatis habitum terrenis se actibus inserit, quasi colore permutato ante humanos oculos ejus reverentia despecta pallescit. Sanctuarii quoque lapides in plateas dispergantur, cum causarum secularium foras lata itinera expetunt hi qui ad ornamentum Ecclesiæ internis mysteriis quasi [f] in secretis tabernaculi vacare debuerunt. Ad hoc quippe sanctuarii lapides fiebant, ut intra sancta sanctorum in vestimento summi sacerdotis apparerent. Cum vero ministri religionis a subditis honorem Redemptoris sui ex merito vitæ non exigunt, sanctuarii **26** lapides in ornamento pontificis non sunt. Qui nimirum sanctuarii lapides dispersi per plateas jacent, cum personæ sacrorum ordinum voluptatum suarum [g] latitudini deditæ, terrenis negotiis inhærent. Et notandum quod non hos dispersos in plateis, sed in capite platearum dicit; quia et cum terrena agunt, summi videri appetunt, ut et lata itinera teneant [h] ex voluptate delectationis, et tamen in platearum sint capite ex honore sanctitatis.

Nil quoque obstat si sanctuarii lapides eosdem multitudo et præstantia ponere, *tabernaculi.* Nunc quidem in Trecensi legitur, *sanctuarii;* at a secunda manu scriptum.

[a] Hic dissentiunt Mss. Ex Anglican., alii habent *importunitate*, alii *inopportunitate;* quod habetur in Corb., Belv. et secundo Carnot. Sequimur Trecensem cum quo Norm. conveniunt, et omnes Vulgati.

[b] Corb., *urgere se.* In Trecens., *dum se urgueri.*

[c] Corb., *vita turpescit.*

[d] Carnot. primus, *consolandi.*

[•] Carnotenses, *negotia.*

[f] Excusi, *in secretis sanctuarii.* Coegit nos Mss. multitudo et præstantia ponere, *tabernaculi.* Nunc quidem in Trecensi legitur, *sanctuarii;* at a secunda manu scriptum.

[g] Recentiores Excusi, *libidini*, reluctantibus omnibus Mss. Cæterum per *personas sacrorum ordinum*, hic et paulo superius intelligit Greg. potissimum episcopos, presbyteris tamen et diaconis non exclusis. Vide infra, *viri sac. ord.*

[h] Tres Gemet., Lyr. secundus, Aud. Longip., *ex*

ipsos quibus constructum sanctuarium existebat accipimus : qui dispersi in platearum capite jacent. quando sacrorum ordinum viri terrenis actibus ex desiderio inserviunt, ex quorum prius officio sanctitatis gloria stare videbatur. Sæcularia itaque negotia aliquando ex compassione toleranda sunt, nunquam vero ex amore requirenda ; ne cum mentem diligentis aggravant, hanc suo victam pondere ad ima de cœlestibus mergant. At contra, nonnulli gregis quidem curam suscipiunt, sed sic sibimet vacare ad spiritalia appetunt, ut rebus exterioribus nullatenus occupentur. Qui cum curare corporalia funditus negligunt, subditorum necessitatibus minime [a] concurrunt. Quorum nimirum prædicatio plerumque despicitur ; quia dum delinquentium facta corripiunt, sed tamen eis necessaria præsentis vitæ non tribuunt, nequaquam libenter audiuntur. Egentis etenim mentem doctrinæ sermo non penetrat, si hunc apud ejus animum manus misericordiæ non commendat. Tunc autem verbi semen facile germinat, quando hoc in audientis pectore pietas prædicantis rigat. Unde rectorem necesse est ut interiora possit infundere, cogitatione innoxia etiam exteriora providere. Sic itaque Pastores erga interiora studia subditorum suorum ferveant, quatenus in eis exterioris quoque vitæ providentiam non relinquant. Nam quasi jure, ut diximus, a percipienda prædicatione gregis animus frangitur, si cura exterioris subsidii a pastore negligatur. Unde et primus pastor sollicite admonet, dicens : *Seniores qui in vobis sunt, obsecro consenior et testis Christi passionum, qui et ejus quæ in futuro revelanda est, gloriæ communicatur, pascite qui in vobis est gregem Dei* (*I Pet.* v, 1). Qui hoc in loco pastionem cordis an corporis suaderet aperuit, cum protinus adjunxit : *Providentes* [b] *non coacte, sed spontanee secundum Deum, neque turpis lucri gratia, sed voluntarie.* Quibus profecto verbis pastoribus pie præcavetur, ne dum subjectorum [c] inopiam satiant, se mucrone ambitionis occidant, ne cum per eos carnis subsidiis reficiuntur proximi, ipsi remaneant a justitiæ pane jejuni. [d] Hanc Pastorum sollicitudinem Paulus excitat, dicens : *Qui suorum, et maxime domesticorum curam non habet, fidem negavit, et est infideli deterior* (*I Tim.* v, 8). Inter hæc itaque metuendum semper est, et vigilanter intuendum, ne dum cura ab eis exterior agitur, ab interna intentione mergantur. Plerumque enim, ut prædiximus, corda rectorum dum temporali sollicitudini incaute deserviunt, ab intimo amore frigescunt ; et foras fusa oblivisci **27** non metuunt, quia animarum regimina susceperunt. Sollicitudo ergo quæ subditis exterius impenditur, sub certa necesse est mensura teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur : *Sacerdotes caput suum non radent, neque comam nutrient, sed tondentes attondeant capita sua* (*Ezech.* XLIV, 20). Sacerdotes namque jure vocati sunt, qui ut sacrum ducatum præbeant, fidelibus præsunt. Capilli vero in capite, exteriores sunt cogitationes in mente : qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant ; quæ ex sensu negligenti, quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt, habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire ; ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent. Ubi et bene dicitur : *Tondentes tondeant capita sua* (*Ibid.*) ; ut videlicet [e] curæ temporalis sollicitudinis et quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant. Dum igitur et per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, et rursus [f] per moderatam cordis intentionem non impeditur, capilli in capite sacerdotis et servantur ut cutem cooperiant, et resecantur ne oculos claudant.

## CAPUT VIII. [*Al. XIX.*]

*Ne placere rector suo studio hominibus appetat, sed tamen ad quod placere debeat, intendat.*

Inter hæc quoque necesse est ut rector solerter invigilet, ne hunc cupido placendi hominibus pulset ; ne cum studiose interiora penetrat, cum provide exteriora subministrat, se magis a subditis diligi quam veritatem quærat ; ne cum, bonis actibus fultus, a mundo videtur alienus, hunc auctori reddat extraneum amor suus. Hostis namque Redemptoris est, qui per recta opera quæ facit, ejus vice ab Ecclesia amari concupiscit, quia adulterinæ cogitationis reus est, si placere puer sponsæ oculis appetit, per quem sponsus dona transmisit. Qui nimirum amor proprius cum rectoris mentem ceperit, aliquando hanc inordinate ad mollitiem, aliquando vero ad asperitatem rapit. Ex amore etenim suo mens rectoris in mollitiem vertitur ; quia cum peccantes subditos respicit, ne erga hunc eorum dilectio torpeat, corripere non præsumit ; nonnunquam vero errata subditorum quæ increpare debuerat, adulationibus demulcet. Unde bene per prophetam dicitur : *Væ his qui consuunt pulvillos sub omni* [g] *cubito manus, et faciunt cervicalia sub capite universæ ætatis ad capiendas animas* (*Ezech.* XIII, 18). Pulvillos quippe sub omni cubito manus ponere, est cadentes a sua rectitudine animas, atque in hujus mundi se [h] delectatione reclinantes, blanda adulatione refovere. Quasi

*voluntate.* Sequimur Trecens., Corb. et alios quos Editores omnes expresserunt.

[a] Primus Aud., exquisitiori sensu, *occurrunt.*

[b] Corb., Belv. et secundus Carnot., *non coactos.* Prior Carnot., *non coacti, sed spontanei.*

[c] Idem Carnot. et primus Aud., *inopiam sentiant.*

[d] Secundus Carnot., *Hinc pastorum.*

[e] Corb,, cum nonnullis, *curæ temporalis sollicitudines.* Laud., *curæ temporales sollicitudines.*

[f] In Edit. Paris. 1518, Gilot. et plur., *per immoderatam.* Quibus suffragantur multi Mss., scil. tres Carnot., duo Aud., Lyr. et tertius Gemet. Secus alii, præsertim Trec., quem errare nusquam deprehendimus, nisi ubi recenti manu corruptus fuit.

[g] Duo priores Gemet. hic et deinceps, *cubitu* ; consentiunt Lyr. et secundus Aud.

[h] Duo pr. Gemet., *dilectione.*

enim pulvillo cubitus, vel cervicalibus caput jacentis A excipitur, cum correptionis duritia peccanti subtrahitur, eique mollities favoris adhibetur, ut in errore molliter jaceat, quem nulla asperitas contradictionis pulsat. Sed hæc rectores, **28** qui semetipsos diligunt, his proculdubio exhibent, a quibus se noceri posse in studio gloriæ temporalis timent. Nam quos nil contra se valere conspiciunt, hos nimirum asperitate rigidæ semper invectionis premunt, nunquam clementer admonent, sed pastoralis mansuetudinis obliti, jure dominationis terrent. Quos recte per prophetam divina vox increpat, dicens : *Vos autem cum austeritate imperabatis eis et cum potentia* (*Ezech.* XXXIV, 4). Plus enim se suo auctore diligentes, jactanter erga subditos se erigunt, nec quid agere debeant, sed quid valeant attendunt; nil de subsequenti B judicio metuunt, improbe de temporali potestate gloriantur; libet ut licenter et illicita faciant, et subditorum nemo contradicat. Qui ergo et prava studet agere, et tamen ad hæc vult cæteros tacere, ipse sibimet testis est, quia plus veritate se appetit diligi, quam contra se non vult defendi. Nemo quippe est qui ita vivat, ut aliquatenus non delinquat. Ille ergo se ipso amplius veritatem desiderat amari, qui sibi a nullo vult contra veritatem parci. Hinc etenim Petrus increpationem Pauli libenter accepit (*Galat.* II, 11); hinc David correptionem subditi humiliter audivit (*II Reg.* XII, 7); quia rectores boni dum privato diligere amore se nesciunt, liberæ puritatis verbum a subditis obsequium humilitatis credunt. Sed inter hæc necesse est ut cura regiminis tanta mode- C raminis arte temperetur, quatenus subditorum mens cum quædam recte sentire potuerit, sic in vocis libertatem prodeat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat; ne dum fortasse immoderatius linguæ eis libertas conceditur, vitæ ab his humilitas amittatur. Sciendum quoque est [a] quod oporteat ut rectores boni placere hominibus appetant, sed ut suæ æstimationis dulcedine proximos in affectum veritatis trahant, non ut se amari desiderent, sed ut dilectionem suam quasi quamdam viam faciant, per quam corda audientium ad amorem Conditoris introducant. Difficile quippe est, ut quamlibet recta denuntians prædicator qui non diligitur, libenter audiatur. Debet ergo qui præest, et studere se diligi, D quatenus possit audiri, et tamen amorem suum pro semetipso non quærere, ne inveniatur ei cui servire per officium cernitur, occulta cogitationis tyrannide resultare. Quod bene Paulus insinuat, cum sui nobis studii occulta manifestat, dicens : *Sicut et ego per omnia omnibus placeo* (*I Cor.* X, 33). Qui tamen rursus dicit : *Si adhuc hominibus placerem, Christi servus non essem* (*Galat.* I, 10). Placet ergo Paulus, et non placet, quia in eo quod placere appetit, non se, sed per se hominibus placere veritatem quærit.

## CAPUT IX [*Al. XX*].

*Quod scire sollicite rector debet, quia plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur.*

Scire etiam rector debet quod plerumque vitia virtutes se esse mentiuntur. Nam sæpe sub parcimoniæ nomine se tenacia palliat, contraque se effusio sub appellatione largitatis occultat. Sæpe inordinata remissio pietas creditur, et effrenata ira spiritalis zeli virtus æstimatur. Sæpe præcipitata actio velocitatis efficacia, atque agendi tarditas **29** gravitatis consilium putatur. Unde necesse est ut rector animarum virtutes ac vitia vigilanti cura discernat, ne aut cor tenacia occupet, et parcum se videri in dispensationibus exsultet; aut cum effuse [b] quid perditur, largum se quasi miserando glorietur; aut remittendo quod ferire debuit, ad æterna supplicia subditos pertrahat; aut immaniter feriendo quod delinquitur, ipse gravius delinquat; aut hoc quod agi recte ac graviter potuit, immature præveniens leviget; aut bonæ actionis meritum differendo, ad deteriora [c] permutet.

## CAPUT X [*Al. XXI*].

*Quæ esse debet rectoris discretio correptionis et dissimulationis, fervoris et mansuetudinis.*

Sciendum quoque est quod aliquando subjectorum vitia prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda; aliquando et aperte cognita, mature toleranda, aliquando vero subtiliter et [d] occulta perscrutanda; aliquando leniter arguenda, aliquando autem vehementer increpanda. Nonnulla quippe, ut diximus, prudenter dissimulanda sunt, sed quia dissimulantur, indicanda; ut cum delinquens et deprehendi se cognoscit et perpeti, has quas in se tacite tolerari considerat, augere culpas erubescat, seque se judice puniat, quem sibi apud se rectoris patientia clementer excusat. Qua scilicet dissimulatione bene Judæam Dominus corripit, cum per prophetam dicit : *Mentita es, et mei non es recordata, neque cogitasti in corde tuo, quia ego tacens et quasi* [e] *non videns* (*Isaiæ* LVII, 11). Et dissimulavit ergo culpas, et innotuit, quia et contra peccantem tacuit, et hoc ipsum tamen quia tacuerit dixit. Nonnulla autem vel aperte cognita, mature toleranda sunt, cum videlicet rerum minime opportunitas congruit, ut aperte corrigantur. Nam secta immature vulnera deterius infervescunt, et nisi cum tempore medicamenta conveniant, constat proculdubio quod medendi officium amittant. Sed cum tempus subditis ad correptionem quæritur, sub ipso culparum pondere patientia præsulis exercetur. Unde bene per Psalmistam dicitur : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 3). In dorso quippe onera sustinemus. Supra dorsum igitur suum fabricasse peccatores queritur, ac si aperte dicat : Quos corrigere nequeo, quasi superimpositum onus porto.

Nonnulla autem occulta subtiliter sunt perscru-

[a] Corrupte in Gilot., Vatic. et plur., *quod non oporteat;* repugnantibus Mss. Anglic., etc., necnon invito sensu.

[b] Editi, contra Mss. fidem, *quid impenditur.*

[c] Laud., *permittet.*

[d] Carnot. primus et secundus Aud., *et occulte.*

[e] Primus Carn. cum 2 priorib. Gem., *non audiens.*

tanda, ut quibusdam signis erumpentibus, rector in subditorum mente omne quod clausum latet, inveniat, et interveniente correptionis articulo, ex minimis majora cognoscat. Unde recte ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis,* [a] *fode parietem* (*Ezech.* VIII, 8). Ubi mox idem propheta subjungit : *Et cum fodissem parietem, apparuit ostium unum. Et dixit ad me : Ingredere, et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic. Et ingressus vidi; et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio, et universa idola domus Israel depicta erant in pariete* (*Ibid.* 9, 10). Per Ezechielem quippe præpositorum persona signatur, per parietem duritia subditorum. Et quid est parietem fodere, nisi acutis inquisitionibus **30** duritiam cordis aperire? Quem cum fodisset, apparuit ostium; quia cum cordis duritia vel studiosis percunctationibus, vel maturis correptionibus scinditur, quasi quædam janua ostenditur, ex qua omnia in eo qui corripitur cogitationum interiora videantur. Unde et bene illic sequitur : *Ingredere et vide abominationes pessimas, quas isti faciunt hic* (*Ibid.*). Quasi ingreditur ut abominationes aspiciat, qui discussis quibusdam signis exterius apparentibus, ita corda subditorum penetrat, ut cuncta ei quæ illicite cogitantur innotescant. Unde et subdidit : *Et ingressus vidi; et ecce omnis similitudo reptilium, et animalium abominatio* (*Ibid.*). In reptilibus cogitationes omnino terrenæ signantur, in animalibus vero jam quidem aliquantulum a terra suspensæ, sed adhuc terrenæ mercedis præmia requirentes. Nam reptilia toto ex corpore terræ inhærent, animalia [b] autem magna parte corporis a terra suspensa sunt, appetitu tamen gulæ ad terram semper inclinantur. Reptilia itaque sunt intra parietem, quando cogitationes volvuntur in mente, quæ a terrenis desideriis nunquam levantur. Animalia quoque sunt intra parietem, quando et si qua jam justa, si qua honesta cogitantur, appetendis tamen lucris temporalibus honoribusque deserviunt; et per semetipsa quidem jam quasi a terra suspensa sunt, sed adhuc per ambitum quasi per gulæ desiderium sese [c] ad ima submittunt. Unde et bene subditur : *Et universa idola domus Israel depicta erant in pariete* (*Ezech.* VIII, 10). Scriptum quippe est: *Et avaritia, quæ est idolorum servitus* (*Coloss.* III, 5). Recte ergo post animalia, idola describuntur, quia etsi honesta actione nonnulli jam quasi a terra se erigunt, ambitione tamen inhonesta semetipsos ad terram deponunt. Bene autem dicitur, *Depicta erant;* quia dum exteriorum rerum intrinsecus species attrahuntur, quasi in corde depingitur quidquid fictis imaginibus deliberando, cogitatur. Notandum itaque est quia prius foramen in pariete, ac deinde ostium cernitur, et tunc demum occulta abominatio demonstratur; quia nimirum uniuscujusque peccati prius signa forinsecus, deinde janua apertæ [d] iniquitatis ostenditur, et tunc demum omne malum quod intus latet aperitur.

Nonnulla autem sunt leniter arguenda : nam cum non malitia, sed sola ignorantia vel infirmitate delinquitur, profecto necesse est ut magno moderamine ipsa delicti correptio temperetur. Cuncti quippe quousque in hac mortali carne subsistimus, corruptionis nostræ infirmitatibus subjacemus. Ex se ergo debet quisque colligere qualiter alienæ hunc oporteat [e] imbecillitati misereri, ne contra infirmitatem proximi si ad increpationis vocem ferventius rapitur, oblitus sui esse videatur. Unde bene Paulus admonet, dicens : *Si præoccupatus fuerit homo in aliquo delicto, vos qui spiritales estis, instruite hujusmodi in spiritu mansuetudinis, considerans teipsum, ne et tu tenteris* (*Galat.* VI, 1). Ac si aperte dicat : Cum displicet ex aliena infirmitate quod conspicis, pensa quod es; ut in increpationis zelo se spiritus temperet, dum sibi quoque quod increpat timet.

Nonnulla autem sunt vehementer increpanda, **31** ut cum culpa ab [f] auctore non cognoscitur, quanti sit ponderis, ab increpantis ore sentiatur. Et cum sibi quis malum quod perpetravit levigat, hoc contra se graviter ex corripientis asperitate pertimescat. Debitum quippe rectoris est supernæ patriæ gloriam per vocem prædicationis ostendere, quanta in hujus vitæ itinere tentamenta antiqui hostis lateant aperire, et subditorum mala quæ tolerari leniter non debent, cum magna zeli asperitate corrigere; ne si minus contra culpas accenditur, culparum omnium reus ipse teneatur. Unde bene ad Ezechielem dicitur : *Sume tibi laterem, et pones eum* [g] *coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem* (*Ezech.* IV, 1). Statimque subjungitur : *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones, et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Eique [h] ad munitionem suam protinus subinfertur : *Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem.* Cujus enim Ezechiel propheta nisi magistrorum speciem tenet? Cui dicitur : *Sume tibi laterem, et pones eum coram te, et describes in eo civitatem Jerusalem.*

Sancti quippe doctores sibi laterem sumunt, quando terrenum auditorum cor, ut doceant, apprehendunt. Quem scilicet laterem coram se ponunt, quia tota illud mentis intentione custodiunt. In quo et civitatem Jerusalem jubentur describere; quia prædicando terrenis cordibus curant summopere quæ sit supernæ pacis visio demonstrare. Sed quia incassum gloria patriæ cœlestis agnoscitur, nisi et quanta hic irruant hostis callidi tentamenta noscantur, apte subjungitur : *Et ordinabis adversus eam obsidionem, et ædificabis munitiones.* Sancti quippe prædicatores

[a] Tres Gem., *fode tibi;* quod olim lectum in Trec., aut, *fode ibi.* Iidem Cod., *et cum perfodissem.*
[b] Ita Mss. et vet. Ed. In recent., *mole corporis;* quod minime verum.
[c] Aud. secundus, *ad ima suspendunt.*
[d] Longip., *inquisitionis.*
[e] Lyr. et secundus Aud., *infirmitati prodesse.*
[f] Laud., *actore.*
[g] Carnot. secundus, *contra te.*
[h] Corb., *ad monitionem.*

obsidionem circa laterem, in quo Jerusalem civitas descripta est, ordinant, quando terrenæ menti, sed jam supernam patriam requirenti, quanta eam in hujus vitæ tempore vitiorum impugnet adversitas demonstrant. Nam cum unumquodque peccatum quomodo proficientibus insidietur ostenditur, quasi obsidio circa civitatem Jerusalem voce prædicatoris ordinatur. Sed quia non solum debent innotescere qualiter vitia impugnent, verum etiam quomodo custoditæ nos virtutes roborent, recte subjungitur: *Et ædificabis munitiones.* Munitiones quippe sanctus prædicator ædificat, quando quæ virtutes quibus resistant vitiis demonstrat. Et quia, crescente virtute, plerumque bella tentationis augentur, recte adhuc additur: *Et comportabis aggerem, et dabis contra eam castra, et pones arietes in gyro.* Aggerem namque comportat, quando prædicator quisque molem crescentis tentationis enuntiat. Et contra Jerusalem castra erigit, quando [a] rectæ intentioni audientium hostis callidi [b] circumspectas et quasi incomprehensibiles insidias prædicit. Atque arietes in gyro ponit, cum tentationum aculeos in hac vita nos undique circumdantes, et [c] virtutum murum perforantes innotescit.

Sed cuncta hæc licet subtiliter rector insinuet, nisi contra delicta singulorum æmulationis spiritu ferveat, nullam sibi in perpetuum absolutionem parat. Unde illic adhuc recte subjungitur: **32** *Et tu sume tibi sartaginem ferream, et pones eam murum ferreum inter te et inter civitatem.* Per sartaginem quippe frixura mentis, per ferrum vero increpationis fortitudo signatur. Quid vero acrius doctoris mentem, quam zelus Dei frigit et excruciat? Unde Paulus hujus sartaginis urebatur frixura, cum diceret: *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror?* (*II Cor.* XI, 29.) Et quia quisquis zelo Dei accenditur, ne damnari ex negligentia debeat, forti in perpetuum custodia munitur, recte dicitur: *Pones eam murum ferreum inter te et civitatem.* Sartago enim ferrea murus ferreus inter prophetam et civitatem ponitur; quia cum nunc fortem zelum rectores exhibent, eumdem zelum postmodum inter se et auditores suos fortem munitionem tenent; ne tunc ad vindictam destituti sint, si nunc fuerint in correptione dissoluti

Sed inter hæc sciendum est quia dum ad increpationem se mens doctoris exasperat, difficile valde est ut non aliquando et ad aliquid quod dicere non debet erumpat. Et plerumque contingit ut dum culpa subditorum cum magna invectione corripitur, magistri lingua usque ad excessus verba pertrahatur. Cumque increpatio immoderate accenditur, corda delinquentium in desperatione deprimuntur. Unde necesse est ut exasperatus rector, cum subditorum mentem plus quam debuit percussisse considerat, apud se semper ad pœnitentiam recurrat; ut per lamenta veniam in conspectu veritatis obtineat, ex eo etiam quod per zeli ejus studium peccat. Quod figurate Dominus per Moysen præcipit, dicens: *Si quis abierit cum amico suo simpliciter in silvam ad ligna cædenda, et lignum securis* [d] *fugerit manu, ferrumque lapsum de manubrio amicum ejus percusserit et occiderit, hic ad unam supradictarum urbium* [e] *fugiet, et vivet; ne forte proximus ejus, cujus effusus est sanguis, doloris stimulo persequatur et apprehendat eum, et percutiat animam ejus* (*Deut.* XIX, 4, 5). Ad silvam quippe cum amico imus, quoties ad intuenda subditorum delicta convertimur. Et simpliciter ligna succidimus, cum delinquentium vitia pia intentione resecamus. Sed securis [f] manu fugit, cum sese increpatio plus quam necesse est in asperitatem pertrahit. Ferrumque de manubrio prosilit, cum de correptione sermo durior excedit. Et amicum percutit et occidit, quia auditorem suum prolata contumelia a spiritu dilectionis interficit. Correpti namque mens repente ad odium proruit, si hanc immoderata increpatio plus quam debuit addicit. Sed is qui incaute ligna percutit et proximum exstinguit, ad tres necesse est urbes fugiat, ut in una earum defensus vivat; quia si ad pœnitentiæ lamenta conversus, in unitate sacramenti sub spe et charitate absconditur, reus perpetrati homicidii non tenetur. Eumque exstincti proximus et cum invenerit non occidit; quia cum districtus judex venerit, qui sese nobis per naturæ nostræ consortium junxit, ab eo proculdubio culpæ reatum non expetit, quem sub ejus venia fides, spes, et charitas abscondit.

## **33** CAPUT XI [*Al. XXII*].

*Quantum rector sacræ legis meditationibus esse debeat intentus.*

Sed omne hoc rite a rectore agitur, si supernæ formidinis et dilectionis spiritu afflatus, studiose quotidie sacri eloquii præcepta meditetur; ut in eo vim sollicitudinis, et erga cœlestem vitam providæ circumspectionis, quam humanæ conversationis usus indesinenter destruit, divinæ admonitionis verba restaurent; et qui ad vetustatem vitæ per societatem sæcularium ducitur, ad amorem semper spiritalis patriæ compunctionis [g] aspiratione renovetur. Valde namque inter humana verba cor defluit; cumque indubitanter constet quod externis occupationum tumultibus impulsum a semetipso corruat, studere incessabiliter debet, ut per eruditionis studium resurgat. Hinc est enim quod prælatum gregi discipulum Paulus admonet, dicens: *Dum venio attende lectioni* (*I Tim.* IV, 13). Hinc David ait: *Quomodo dilexi legem tuam, Domine, tota die meditatio mea est* (*Ps.* CXVIII, 97). Hinc Moysi Dominus de portanda arca præcepit, dicens: *Facies quatuor circulos au-*

[a] Corb., *recta intentione.*
[b] Gemet. et tertius Carnot., *incircumspectas.* Hanc lectionem amplexi sunt Gilot., Vatic. ac cæteri Edit., præter Gussanv., quem sequimur præeuntibus Mss. Anglic., Trec., Corb., etc.
[c] Carnot. Secundus, *et virtutem muri.*
[d] Tres Gemet. et primus Aud., *fugerit manum.*
[e] Al., *fugiat*, ut est in trib. Gemet.
[f] Corb. cum Norm., *manum fugit.*
[g] Carnot. tertius, *asperitate renovetur.* Longip. *revocetur.*

*reos, quos pones per quatuor arcæ angulos, faciesque vectes de lignis sethim, et operies auro, inducesque per circulos qui sunt in arcæ lateribus, ut portetur in eis qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis* (*Exod.* xxv,12,*seq.*). Quid per arcam, nisi sancta Ecclesia figuratur? Cui quatuor circuli aurei per quatuor angulos jubentur adjungi, quia in eo quod per quatuor mundi partes dilatata tenditur, **34** proculdubio quatuor sancti Evangelii libris accincta prædicatur. Vectesque de lignis sethim fiunt, qui eisdem ad portandum circulis inseruntur; quia fortes perseverantesque doctores velut imputribilia ligna quærendi sunt, qui instructioni sacrorum voluminum semper inhærentes, sanctæ Ecclesiæ unitatem denuntient, et quasi [a] intromissi circulis arcam portent. Vectibus quippe arcam portare, est bonis doctoribus sanctam Ecclesiam ad rudes [b] infidelium mentes prædicando deducere. Qui auro quoque jubentur operiri, ut dum sermone aliis insonant, ipsi etiam vitæ splendore fulgescant. De quibus apte subditur: *Qui semper erunt in circulis, nec unquam extrahentur ab eis.* Quia nimirum necesse est ut qui ad officium prædicationis excubant, a sacræ lectionis studio non recedant. Ad hoc namque vectes esse in circulis semper jubentur, ut cum portari arcam opportunitas exigit, de intromittendis vectibus portandi tarditas nulla generetur; quia videlicet cum spiritale aliquid a subditis Pastor inquiritur, ignominiosum valde est si tunc quærat discere, cum quæstionem debet enodare. Sed circulis vectes inhæreant, ut doctores semper in suis cordibus eloquia sacra meditantes, testamenti arcam sine mora elevent, si quidquid necesse est, protinus docent. Unde bene primus pastor Ecclesiæ pastores cæteros admonet, dicens: *Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea* [c] *quæ in vobis est spe* (*I Petr.* III, 15). Ac si aperte dicat: Ut ad portandam arcam nulla mora præpediat, vectes a circulis nunquam recedant.

[a] Ita Trec., Laud., Gemet., etc. In Editis, *intromissis*, contra sacræ Scripturæ sensum.

[b] Carnot. secundus, *fidelium*.

[c] Trec., Theod. et Corb., *quæ in vobis est spes*.

# [a] *TERTIA PARS.*

## QUALITER RECTOR BENE VIVENS DEBEAT DOCERE ET ADMONERE SUBDITOS.

### PROLOGUS [*Al., cap. XXIII*].

Quia igitur qualis esse debeat pastor ostendimus, nunc qualiter doceat demonstremus. Ut enim longe ante nos reverendæ memoriæ Gregorius [b] Nazianzenus edocuit (*Orat.* 1), non una eademque cunctis exhortatio congruit, quia nec cunctos par morum qualitas astringit. Sæpe namque aliis officiunt, quæ aliis prosunt. Quia et plerumque herbæ quæ hæc animalia nutriunt, alia occidunt; et lenis sibilus equos mitigat, catulos instigat. Et medicamentum quod hunc morbum imminuit, alteri vires jungit; et panis qui vitam fortium roborat, parvulorum necat. Pro qualitate igitur audientium formari debet sermo doctorum, ut et ad sua singulis congruat, et tamen a communis ædificationis arte nunquam recedat. Quid enim sunt intentæ mentes auditorum, nisi ut ita dixerim, quædam in cithara tensiones stratæ chordarum? quas tangendi artifex, ut non sibimetipsi dissimile canticum faciat, dissimiliter pulsat. Et idcirco chordæ consonam modulationem reddunt, quia uno quidem plectro, sed non uno impulsu feriuntur. Unde et doctor quisque, ut in una cunctos virtute charitatis ædificet, ex una doctrina, non una eademque exhortatione tangere corda audientium debet.

### CAPUT PRIMUM [*Al. XXIV*].

*Quanta debet esse diversitas in arte prædicationis.*

Aliter namque admonendi sunt viri, atque aliter feminæ.

Aliter juvenes, aliter senes.

Aliter inopes, aliter locupletes.

Aliter læti, aliter tristes.

Aliter subditi, aliter prælati.

Aliter servi, aliter domini.

Aliter hujus mundi sapientes, aliter hebetes.

Aliter impudentes, aliter verecundi.

Aliter protervi, aliter pusillanimes.

Aliter impatientes, aliter patientes.

Aliter benevoli, aliter invidi.

Aliter simplices, aliter impuri.

Aliter incolumes, aliter ægri.

Aliter qui flagella metuunt, et propterea innocenter **35** vivunt; aliter qui sic in iniquitate duruerunt, ut neque per flagella corrigantur.

Aliter nimis taciti, aliter multiloquio vacantes.

Aliter pigri, aliter præcipites.

Aliter mansueti, aliter iracundi.

Aliter humiles, aliter elati.

Aliter pertinaces, aliter inconstantes.

Aliter gulæ dediti, aliter abstinentes.

[a] In Trec., Corb. et plur. vet. Mss., hic titulus abest, et quæ sequuntur caput 23 componunt. In Longip. legitur: *Explicit liber primus, incipit liber secundus. Cap.* 20.

[b] Trec. et Corb., *Nazanzenus*.

Aliter qui suâ misericorditer tribuunt, aliter qui aliena rapere contendunt.

Aliter[a] qui nec aliena rapiunt, nec sua largiuntur: aliter qui et ea quæ habent tribuunt, et tamen aliena rapere non desistunt.

Aliter discordes, aliter pacati.

Aliter seminantes jurgia, aliter pacifici.

Aliter qui sacræ legis verba non intelligunt recte; aliter qui recte quidem intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur.

Aliter qui cum digne prædicare valeant, præ nimia humilitate formidant; aliter quos a prædicatione imperfectio vel ætas prohibet, et tamen præcipitatio impellit.

Aliter qui in hoc quod temporaliter appetunt, prosperantur; aliter qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen adversitatis labore fatigantur.

Aliter conjugiis obligati, aliter a conjugii nexibus liberi.

[b] Aliter admistionem carnis experti, aliter ignorantes.

Aliter qui peccata deplorant operum, aliter qui cogitationum.

Aliter qui commissa plangunt, nec tamen deserunt; aliter qui deserunt, nec tamen plangunt.

Aliter qui illicita quæ faciunt, etiam laudant; aliter qui accusant prava, nec tamen devitant

Aliter qui repentina concupiscentia superantur, atque aliter qui in culpa ex consilio ligantur.

Aliter qui licet minima, crebro tamen illicita faciunt; aliter qui se a parvis custodiunt, sed aliquando [c] in gravioribus demerguntur.

Aliter qui bona nec inchoant, aliter qui inchoata minime consummant.

Aliter qui mala occulte agunt, et bona publice; aliter qui bona quæ faciunt abscondunt, et tamen quibusdam factis publice mala de se opinari permittunt.

[d] Sed quid utilitatis est, quod cuncta hæc collecta numeratione transcurrimus, si non etiam admonitionis modos per singula, quanta possumus brevitate, pandamus [e].

[*Al.*, *c. XXIV*] (*Admonitio* 1.) [f] Aliter igitur admonendi sunt viri, atque aliter feminæ, quia illis graviora, istis vero injungenda sunt leviora, ut illos magna exerceant, istas autem levia demulcendo convertant.

[*Al.*, *c. XXV.*] (*Admonitio* 2.) Aliter admonendi sunt juvenes, atque aliter senes, quia illos plerumque severitas admonitionis ad profectum dirigit; istos vero ad meliora opera **36** deprecatio blanda componit. Scriptum quippe est : *Seniorem ne increpaveris, sed obsecra ut patrem* (*I Tim.* v, 1).

## CAPUT II [*Al. XXVI*].

*Quomodo admonendi sint inopes et divites.*

(*Admonitio* 3.) Aliter admonendi sunt inopes, atque aliter locupletes; illis namque offerre consolationis solatium contra tribulationem, istis vero inferre metum contra elationem debemus. Inopi quippe a Domino per prophetam dicitur : *Noli timere, quia non confunderis* (*Isai.* LIV, 4). Cui non longe post blandiens, dicit : *Paupercula tempestate convulsa* (*Ibid.*, 11). Rursumque hanc consolatur, dicens : *Elegi te in camino paupertatis* (*Ibid.*, XLVIII, 10). At contra Paulus discipulo de divitibus dicit : *Divitibus hujus sæculi præcipe non superbe sapere, neque sperare in incerto divitiarum suarum* (*I Tim.* VI, 17). Ubi notandum valde est, quod humilitatis doctor memoriam divitum faciens non ait, Roga, sed *Præcipe*, quia etsi impendenda est pietas infirmitati, honor tamen non debetur elationi. Talibus ergo rectum quod dicitur, tanto rectius jubetur, quanto et in rebus transitoriis altitudine cogitationis intumescunt. De his in Evangelio Dominus dicit : *Væ vobis divitibus, qui habetis consolationem vestram* (*Luc.* VI, 24). Quia enim quæ sunt æterna gaudia nesciunt, ex præsentis vitæ abundantia consolantur. Offerenda est ergo eis consolatio, quos caminus paupertatis excoquit; atque illis inferendus est timor, quos consolatio gloriæ temporalis extollit; ut et illi discant quia divitias quas [g] non conspiciunt possident, et isti cognoscant quia eas quas conspiciunt nequaquam tenere possunt. Plerumque tamen personarum ordinem permutat qualitas morum, ut sit dives humilis, sit pauper elatus. Unde mox prædicantis lingua cum audientis debet vita componi, ut tanto districtius [h] in paupere elationem feriat, [i] quanto eam nec illata paupertas inclinat; et tanto lenius humilitatem divitum mulceat, quanto eos nec abundantia quæ sublevat, exaltat.

Nonnunquam tamen etiam superbus dives exhortationis blandimento placandus est, quia et plerumque dura vulnera per lenia fomenta mollescunt, et

[a] Corb., *qui aliena appetunt*. Vulgati habent *appetunt*, pro *rapiunt*.

[b] Editi, *aliter peccatorum carnis conscii*, *aliter ignari*. Quod nullus ex Mss. nostris exhibet.

[c] Trec. et Corb., *in gravibus*.

[d] Ab his verbis usque ad hæc, *admonitio* 1, nihil legitur in Corb. præter capitum hujusce partis tertiæ et quartæ quæ admonitionibus subjunguntur summaria. Mox sequitur : *Incipit liber secundus.* Hoc in Cod. liber Reg. Past. in duos tantum libros dividitur. Eadem est partitio trium Gemet. et Longip. In Trec., nulla est distinctio vel librorum vel partium.

[e] Hic in Vulgatis attexitur : *De his igitur omnibus a principali sumentes exordium, latius ex ordine per singula disseramus.* Assumentum est in Mss. Anglic. et nostris ignotum. Aliunde vero inutile est post ista verba : *Sed quid utilitatis*, etc., quæ in Trecensi et al. excepto Corb. leguntur.

[f] In Trec. et al. Mss. cap. 24, et sic deinceps, singulas admonitiones pro singulis capitibus computando.

[g] Sic legendum ex Mss. Trec., Carn., Val. Cl., Theodoric., Bellov., Gemet., etc., non, *quas non concupiscunt*, ut est in Gilot. et aliis poster. Editis. Paulo post, iidem Excusi, omnibus Mss. invitis, *quas concupiscunt.*

[h] Carn. secundus, *in pauperis elationem ferveat.*

[i] Laud., *quanto eum tumor elationis infestat, nec illata paupertas inclinat.*

furor insanorum sæpe ad salutem medico blandiente reducitur; cumque eis in dulcedine condescenditur, languor insaniæ mitigatur. Neque enim negligenter intuendum est, quod cum Saulem spiritus adversus invaderet, apprehensa David cithara, ejus vesaniam sedabat (*I Reg.* XVIII, 10). Quid enim per Saulem, nisi elatio potentum; et quid per David innuitur, nisi humilis vita sanctorum? Cum ergo Saul ab immundo spiritu arripitur, David canente, ejus vesania temperatur; quia cum sensus potentum per elationem in furorem vertitur, dignum est ut ad salutem mentis quasi dulcedine citharæ, locutionis nostræ tranquillitate revocetur. Aliquando autem cum hujus sæculi potentes arguuntur, prius per quasdam similitudines velut **37** de alieno negotio requirendi sunt; et cum rectam sententiam quasi in alterum protulerint, tunc modis congruentibus de proprio reatu feriendi sunt; ut mens temporali potentia tumida contra corripientem nequaquam se erigat, quæ suo sibi judicio superbiæ cervicem calcat; et in nulla sui defensione se exerceat, quam sententia proprii oris ligat. Hinc est enim quod Nathan propheta arguere regem venerat, et quasi de causa pauperis contra divitem judicium quærebat (*II Reg.* XII, 4, 5, *seq.*); ut prius rex sententiam diceret, et reatum suum postmodum audiret, quatenus nequaquam justitiæ contradiceret, quam ipse in se protulisset. Vir itaque sanctus et peccatorem considerans et regem, miro ordine audacem reum prius per confessionem ligare studuit, et postmodum per invectionem secare. Celavit paululum [a] quem quæsivit, sed percussit repente quem tenuit. Pigrius enim fortasse incideret, si ab ipso sermonis exordio aperte culpam ferire voluisset; sed præmissa similitudine, eam quam occultabat exacuit increpationem. Ad ægrum medicus venerat, secandum vulnus videbat, sed de patientia ægri dubitabat. Abscondit igitur ferrum medicinale sub veste, quod eductum subito fixit in vulnere, ut secantem gladium sentiret æger antequam cerneret, nè si ante cerneret, sentire recusaret.

## CAPUT III [*Al. XXVII.*]

### *Quomodo admonendi læti et tristes.*

(*Admonitio* 4.) Aliter admonendi sunt læti, atque aliter tristes. Lætis videlicet inferenda sunt tristia quæ sequuntur ex supplicio; tristibus vero inferenda sunt læta quæ promittuntur ex regno. Discant læti ex minarum asperitate quod timeant; audiant tristes præmiorum gaudia de quibus præsumant. Illis quippe dicitur: *Væ vobis qui ridetis nunc, quoniam flebitis* (*Luc.* VI, 25); isti vero eodem magistro docente audiunt: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo tollet a vobis* (*Joan.* XVI, 22). Nonnulli autem læti vel tristes non rebus fiunt, sed [b] conspersionibus existunt. Quibus profecto intimandum est quod quædam vitia quibusdam conspersionibus juxta sunt. Habent enim læti ex propinquo luxuriam, tristes iram. Unde necesse est ut non solum quisque consideret quod ex conspersione sustinet, sed etiam quod ex vicino deterius perurget; ne dum nequaquam pugnat contra hoc quod tolerat, ei quoque a quo se liberum æstimat, vitio succumbat.

## CAPUT IV [*Al. XXVIII*].

### *Quomodo admonendi subditi et prælati.*

(*Admonitio* 5.) Aliter admonendi sunt subditi, atque aliter prælati. Illos ne subjectio conterat, istos ne locus superior extollat. Illi ne minus quæ jubentur impleant, isti ne plus justo jubeant [c] quæ compleantur. Illi ut humiliter subjaceant, isti ut temperanter præsint. Nam quod intelligi et figuraliter potest, illis dicitur: *Filii, obedite parentibus vestris in Domino*; istis vero præcipitur: *Et patres, nolite ad iracundiam provocare filios vestros* (*Coloss.* III, 20, 21). Illi **38** discant quomodo ante [d] occulti arbitri oculos sua interiora componant, isti quomodo etiam commissis sibi exempla bene vivendi exterius præbeant.

Scire etenim prælati debent (II, *q.* 3, *c. Præcipue, p. scire prælati*), quia si perversa unquam perpetrant, [e] tot mortibus digni sunt, quot ad subditos suos perditionis exempla transmittunt. Unde necesse est ut tanto se cautius a culpa custodiant, quanto per prava quæ faciunt, non soli moriuntur [f sed aliorum animarum, quas pravis exemplis destruxerunt, rei sunt]. Unde admonendi sunt illi; ne districtius puniantur si absoluti reperiri nequiverint saltem de se; isti ne de subditorum erratibus judicentur, etiamsi se jam de se securos inveniunt. Illi ut tanto circa se sollicitius vivant, quanto eos aliena cura non implicat; isti vero ut sic aliorum curas expleant, quatenus et suas agere non desistant, et sic in propria sollicitudine ferveant, ut a commissorum custodia minime torpescant. Illi enim sibimet vacanti dicitur: *Vade ad formicam, o piger, et considera vias ejus, et disce sapientiam* (*Proverb.* VI, 6). Iste autem terribiliter admonetur, cum dicitur: *Fili mi, si spoponderis pro amico tuo, defixisti apud extraneum manum tuam, et illaqueatus es verbis oris tui, et captus propriis sermonibus* (*Ibid.*, 1). Spondere namque pro amico, est alienam animam in periculo suæ conversationis accipere. Unde et apud extraneum manus defigitur, quia apud curam sollicitudinis quæ ante deerat, mens ligatur. Verbis vero oris sui illaqueatus est, ac propriis sermonibus captus; quia dum commissis sibi cogitur bona dicere, ipsum prius necesse est quæ dixerit custodire. Illaqueatur igitur verbis oris sui, dum ratione exigente constringitur, ne ejus vita ad aliud quam admonet relaxetur. Unde apud districtum judicem

[a] In Excusis, *quod quæsivit*. Omnes Mss. nostri, *quem*, optimo sensu.

[b] Per *conspersionem* Gregorius intelligit hic et alibi indolem, naturam, corporis et animæ temperationem et habitum, ut satis liquet. Vide infra, cap. 38, juxta recent. Edit. 3, et 61 in Mss.

[c] Laud. et Corb., *quam compleantur*.

[d] Laud. et Trec., *occulti arbitris*.

[e] Gemet. ac plur., *tot tormentis*.

[f] Carent hac parenthesi Trec., Corb., Laud. Est in Gemeticensibus et in primo Aud.

cogitur tanta in opere exsolvere, quanta eum constat aliis voce præcepisse. Ubi et bene mox exhortatio subditur, ut dicatur : *Fac ergo quod dico, fili mi, et temetipsum libera, quia incidisti in manus proximi tui : discurre, festina, suscita amicum tuum ; ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (*Prov.* VI, 3). Quisquis enim ad vivendum aliis in exemplo præponitur, non solum ut ipse vigilet, sed etiam ut amicum suscitet admonetur. Ei namque vigilare bene vivendo non sufficit, si non et illum cui præest, a peccati torpore disjungit. Bene autem dicitur : *Ne dederis somnum oculis tuis, nec dormitent palpebræ tuæ* (*Ibid.*, 4). Somnum quippe oculis dare, est intentione cessante, subditorum curam omnino negligere. Palpebræ vero dormitant, cum cogitationes nostræ ea quæ in subditis arguenda cognoscunt, pigredine deprimente dissimulant. Plene enim dormire, est commissorum acta nec scire, nec corrigere. Non autem dormire, sed dormitare est, quæ quidem reprehendenda sunt cognoscere, sed tamen propter mentis tædium dignis ea increpationibus non emendare. Dormitando vero oculus ad plenissimum somnum ducitur, quia dum plerumque qui præest malum quod cognoscit non resecat, ad hoc quandoque negligentiæ suæ merito pervenit, ut quod a subjectis delinquitur, nec agnoscat.

Admonendi sunt itaque qui præsunt, ut per **39** circumspectionis studium oculos pervigiles intus et in circuitu habeant, et cœli animalia fieri contendant. (*Ezech.* I, 18). Ostensa quippe cœli animalia in circuitu et intus oculis plena describuntur (*Apoc.* IV, 6). Dignum quippe est ut cuncti qui præsunt intus atque in circuitu oculos habeant, quatenus et interno judici in semetipsis placere studeant, et exempla vitæ exterius præbentes, ea etiam quæ in aliis sunt corrigenda deprehendant.

Admonendi sunt subditi, ne præpositorum suorum vitam temere judicent, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident; ne unde mala recte redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt, ne cum culpas præpositorum considerant, contra eos audaciores fiant, sed sic si qua valde sunt eorum prava, apud semetipsos dijudicent, ut tamen divino timore constricti ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent. Quod melius ostendimus, si David factum ad medium deducamus (*I Reg.* XXIV, 4, *seq.*). Saul quippe persecutor, cum ad purgandum ventrem speluncam fuisset ingressus, illic cum viris suis David inerat, qui jam tam longo tempore persecutionis ejus mala tolerabat. Cumque eum viri sui ad feriendum Saul accenderent, fregit eos responsionibus, quia manum mittere in christum Domini non deberet. Qui tamen occulte surrexit, et oram chlamydis ejus abscidit. Quid enim per Saul, nisi mali rectores; quid per David, nisi boni subditi designantur? Saul igitur ventrem purgare, est pravos præpositos conceptam in corde malitiam usque ad opera miseri odoris extendere, et cogitata apud se noxia factis exterioribus exsequendo monstrare. Quem tamen David ferire metuit, quia piæ subditorum mentes ab omni se peste obtrectationis abstinentes, præpositorum vitam nullo linguæ gladio percutiunt, etiam cum de imperfectione reprehendunt. Qui etsi quando pro infirmitate sese abstinere vix possunt, [a] ut extrema quædam atque exteriora præpositorum mala, sed tamen humiliter loquantur, quasi oram chlamidis silenter incidunt ; quia videlicet dum prælatæ dignitati saltem innoxie et latenter derogant, quasi regis superpositi [b] vestem fœdant, sed tamen ad semetipsos redeunt seque vehementissime vel de tenuissima verbi laceratione reprehendunt. Unde bene et illic scriptum est : *Post hæc David percussit cor suum, eo quod abscidisset oram chlamidis Saul* (*Ibid.*, 6). Facta quippe præpositorum oris gladio ferienda non sunt, etiam cum recte reprehendenda judicantur. Si quando vero contra eos vel in minimis lingua labitur, necesse est ut per aflictionem pœnitentiæ cor prematur; quatenus ad semetipsum redeat, et cum præpositæ potestati deliquerit, ejus contra se judicium a quo sibi prælata est perhorrescat. Nam cum præpositis delinquimus, ejus ordinationi qui eos nobis prætulit obviamus. Unde Moyses quoque cum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait : *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Dominum* (*Exod.* XVI, 8).

## **40** CAPUT V [*Al. XXIX*].

*Quomodo admonendi servi et domini.*

(*Admonitio* 6.) Aliter admonendi sunt servi, atque aliter domini. Servi scilicet, ut in se semper humilitatem conditionis aspiciant ; domini vero, ut naturæ suæ qua æqualiter sunt cum servis conditi, memoriam non amittant. Servi admonendi sunt ne dominos despiciant, ne Deum offendant si ordinationi illius superbiendo contradicunt ; domini quoque admonendi sunt, quia contra Deum de munere ejus superbiunt, si eos quos per conditionem tenent subditos, æquales sibi per naturæ consortium non agnoscunt. Isti admonendi sunt ut sciant se servos esse dominorum : illi admonendi sunt ut cognoscant se conservos esse servorum. Istis namque dicitur : *Servi, obedite dominis carnalibus* (*Coloss.* III, 22). Et rursum : *Quicunque sunt* [c] *sub jugo servi, dominos suos omni honore dignos arbitrentur* (*I Tim.* VI, 1) ; illis autem dicitur : *Et vos domini eadem facite illis, remittentes minas, scientes quod et illorum et vester Dominus est in cœlis* (*Ephes.* VI, 2).

## CAPUT VI [*Al. XXX*].

*Quomodo admonendi sapientes et hebetes.*

(*Admonitio* 7.) Aliter admonendi sunt sapientes hujus sæculi, atque aliter hebetes. Sapientes quippe admonendi sunt, ut [d] amittant scire quæ sciunt ; he-

[a] Corb., Laud., Longip., *ut non extrema.*

[b] Vulgati, *vestem secant ;* potius ex conjectura quam ex Mss., qui omnes contradicunt.

[c] Carnot. secundus, *sub jugo servitutis.*

[d] Sic legere cogunt Mss. Trec., Carnotenses, Val Cl., duo Gemet. vet., duo Aud. Editi habent, *ut sciant amittere*, quibus favet Cod. Belvac. In tertio Gemet. legitur, *ne amittant scire.*

betes quoque admonendi sunt, ut appetant scire quæ nesciunt. In illis hoc primum destruendum est, quod se sapientes arbitrantur; in istis jam ædificandum est quidquid de superna sapientia cognoscitur, quia dum minime superbiunt, quasi ad suscipiendum ædificium corda paraverunt. Cum illis laborandum est, ut sapientius stulti fiant, stultam sapientiam deserant, et sapientem Dei stultitiam discant; istis vero prædicandum est, ut ab ea quæ putatur stultitia, ad veram sapientiam vicinius transeant. Illis namque dicitur : *Si quis videtur inter vos sapiens esse in hoc sæculo, stultus fiat, ut sit sapiens* (*I Cor.* III, 18); istis vero dicitur : *Non multi sapientes secundum carnem* (*Ibid.*, I, 22). Et rursum : *Quæ stulta sunt mundi elegit Deus, ut confundat sapientes* (*Ibid.*, 27). Illos plerumque ratiocinationis argumenta, istos nonnunquam melius exempla convertunt. Illis nimirum prodest, ut in suis allegationibus victi jaceant; istis vero aliquando sufficit ut laudabilia aliorum facta cognoscant. Unde et magister egregius, sapientibus et insipientibus debitor (*Rom.* I, 14), cum Hebræorum quosdam sapientes, quosdam vero etiam tardiores admoneret, illis de completione Testamenti Veteris loquens, eorum sapientiam argumento superavit, dicens : *Quod enim antiquatur et senescit, prope interitum est* (*Hebr.* VIII, 13). Cum vero solis exemplis quosdam trahendos cerneret, in eadem Epistola adjunxit : *Sancti ludibria et verbera experti, insuper et vincula et carceres, lapidati sunt, secti sunt, tentati sunt, in occisione gladii mortui sunt* (*Ibid.*, XI, 36, 37). Et rursum : *Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei, quorum intuentes exitum conversationis, imitamini fidem* (*Ibid.*, XIII, 7); quatenus et illos victrix ratio frangeret, et istos ad majora conscendere imitatio blanda suaderet.

### 41 CAPUT VII [*Al. XXXI*].

*Quomodo admonendi impudentes et verecundi.*

(*Admonitio* 8.) Aliter admonendi sunt impudentes, atque aliter verecundi. Illos namque ab impudentiæ vitio non nisi increpatio dura compescit; istos autem plerumque ad melius exhortatio modesta componit. Illi se delinquere nesciunt, nisi etiam a pluribus increpentur; istis plerumque ad conversionem sufficit quod eis doctor mala sua saltem leniter ad memoriam reducit. Illos melius corrigit qui invehendo reprehendit; istis autem major profectus adducitur, si hoc quod in eis reprehenditur quasi ex latere tangatur. Impudentem quippe Judæorum plebem Dominus aperte increpans, ait : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* (*Jerem.* III, 3). Et rursum verecundantem refovet, dicens : *Confusionis adolescentiæ tuæ oblivisceris, et opprobrii viduitatis tuæ non recordaberis, quia dominabitur tui qui fecit te* (*Isai.* LIV, 4). Impudenter quoque delinquentes Galatas aperte Paulus increpat, dicens : *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit* (*Galat.* III, 1)? Et rursum : *Sic stulti estis, ut cum spiritu cœperitis, nunc carne consummamini* (*Ibid.* 3)? Culpas vero verecundantium quasi compatiens reprehendit, dicens : *Gavisus sum in Domino vehementer, quoniam tandem aliquando refloruistis pro me sentire sicut et sentiebatis ; occupati enim eratis* (*Philipp.* IV, 10) ; ut et illorum culpas increpatio dura [a] detegeret, et horum negligentiam mollior sermo velaret.

### CAPUT VIII [*Al. XXXII*].

*Quomodo admonendi protervi et pusillanimes.*

(*Admonitio* 9.) Aliter admonendi sunt protervi, atque aliter pusillanimes. Illi enim dum valde de se præsumunt, exprobrando cæteros dedignantur; isti autem dum nimis infirmitatis suæ sunt conscii, plerumque in desperationem cadunt. Illi singulariter summa æstimant cuncta quæ agunt, isti vehementer despecta putant esse quæ faciunt, et idcirco in desperatione franguntur. Subtiliter itaque ab arguente discutienda sunt opera protervorum, ut in quo sibi placent, ostendantur quia Deo displicent.

Tunc enim protervos melius corrigimus, cum ea quæ bene egisse se credunt, male acta monstramus; ut unde adepta gloria creditur, inde utilis subsequatur confusio. Nonnunquam vero cum se vitium proterviæ minime perpetrare cognoscunt, compendiosius ad correctionem veniunt, si alterius culpæ manifestioris ex latere requisitæ [b] improperio confunduntur; ut ex eo quod defendere nequeunt, cognoscant se tenere improbe quod defendunt. Unde cum proterve Paulus Corinthios adversum se invicem videret inflatos, ut alius Pauli, alius Apollo, alius Cephæ, alius Christi esse se diceret (*I Cor.* I, 12; III, 4), incestus culpam in medium deduxit, quæ apud eos et perpetrata fuerat, et incorrecta remanebat, dicens : *Auditur inter vos fornicatio, et talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita ut uxorem patris quis habeat. Et vos inflati estis, et non magis luctum habuistis, ut tolleretur de medio* **42** *vestrum qui hoc opus fecit* (*I Cor.* V, 1, 2). Ac si aperte dicat : Quid vos [c] per proterviam, hujus vel illius dicitis, qui per dissolutionem negligentiæ, nullius vos esse monstratis?

At contra, pusillanimes aptius ad iter bene agendi reducimus, si quædam illorum bona ex latere requiramus, ut dum in eis alia reprehendendo corripimus, alia amplectendo laudemus, quatenus eorum teneritudinem laus audita nutriat, quam culpa increpata castigat. Plerumque autem utilius apud illos proficimus, si et eorum bene gesta memoramus. Et si qua ab eis inordinate gesta sunt, non jam tanquam perpetrata corripimus, sed quasi adhuc ne perpetrari debeant prohibemus, ut et illa quæ approbamus, illatus favor augeat, et contra ea quæ reprehendimus

[a] Corb., *detergeret*. Legendum *detegeret*, propter antithesim cum *velaret;* sicque legitur in Trec., Gemet., Aud., etc., omisso epitheto *dura*.

[b] Rothomag. et Longip., *in proprio vitio confunduntur*.

[c] Mirum quantum hic discrepent Mss. Corb. et Belv. habent, *quid vos proterva*. Duo priores Gemet., *quid vos proterviam*. Prior Carnot. et Laud., *quid vos hujus proterviam*. Tertius Carnot., Rothomag., primus Aud., Lyr., Longip., tertius Gemet., *quid vos protervi*. Lectionis nostræ, quæ est Cod. Trec. et vulgatorum, patet sensus.

magis apud pusillanimes exhortatio verecunda convalescat. Unde idem Paulus cum Thessalonicenses in accepta prædicatione perdurantes, quasi de vicino mundi termino quadam cognosceret pusillanimitate turbatos, prius in eis quæ fortia prospicit laudat, et caute monendo postmodum quæ infirma sunt roborat. Ait enim : *Gratias agere debemus Deo semper pro vobis, fratres, ita ut dignum est, quoniam supercrescit fides vestra, et abundat charitas uniuscujusque vestrum in invicem; ita ut et nos ipsi in vobis gloriemur in ecclesiis Dei, pro patientia vestra et fide* (*II Thes.* I, 3, 4).

Qui cum blanda hæc vitæ eorum præconia præmisisset, paulo post subdidit, dicens : *Rogamus autem vos, fratres, per adventum Domini nostri Jesu Christi, et nostræ congregationis in ipsum, ut non cito* B *moveamini a vestro sensu, neque terreamini, neque per spiritum, neque per sermonem, neque per epistolam tanquam per nos missam, quasi instet dies Domini* (*Ibid.* II, 1). Egit enim verus doctor, ut prius audirent laudati quod recognoscerent, et postmodum quod exhortati sequerentur; quatenus eorum mentem ne admonitio subjuncta concuteret, laus præmissa solidaret; et qui commotos eos vicini finis suspicione cognoverat, non jam redarguebat motos, sed quasi transacta nesciens, adhuc commoveri prohibebat; ut dum de [a] ipsa levitate motionis prædicatori suo se incognitos crederent, tanto reprehensibiles fieri, quanto et cognosci ab illo formidarent.

## CAPUT IX [*Al. XXXIII*].

*Quomodo admonendi sint impatientes et patientes.*

(*Admonitio* 10.) Aliter admonendi sunt impatientes, atque aliter patientes. Dicendum namque est impatientibus quia dum refrenare spiritum negligunt, per multa etiam quæ non appetunt iniquitatum abrupta rapiuntur, quia videlicet mentem impellit furor quo non trahit desiderium; et agit commota velut nesciens, unde post doleat sciens. Dicendum quoque impatientibus, quia dum motionis impulsu præcipites, quædam velut alienati peragunt, vix mala sua postquam fuerint perpetrata cognoscunt. Qui dum perturbationi suæ minime obsistunt, etiamsi qua a se tranquilla mente fuerant bene gesta confundunt, et improviso **43** impulsu destruunt, quidquid forsitan diu labore provido construxerunt. Ipsa namque D quæ mater est omnium custosque virtutum, per impatientiæ vitium virtus amittitur charitatis. Scriptum quippe est : *Charitas patiens est* (*I Cor.* XIII, 4). Igitur cum minime est patiens, charitas non est. Per hoc quoque impatientiæ vitium ipsa virtutum nutrix doctrina dissipatur. Scriptum namque est : *Doctrina viri per patientiam noscitur* (*Prov.* XIX, 11). Tanto ergo quisque minus ostenditur doctus, quanto minus convincitur patiens. Neque enim potest veraciter bona docendo impendere, si vivendo nescit æquanimiter aliena mala tolerare.

A Per hoc quoque impatientiæ vitium plerumque mentem arrogantiæ culpa transfigit; quia dum despici in mundo hoc quisque non patitur, bona si qua sibi occulta sunt, ostentare conatur, atque sic per impatientiam usque ad arrogantiam ducitur; dumque ferre despectionem non potest, detegendo semetipsum in ostentatione gloriatur. Unde scriptum est : *Melior est patiens arrogante* (*Eccle.* VII, 9). Quia videlicet eligit patiens quælibet mala perpeti quam per ostentationis vitium bona sua occulta cognosci. At contra eligit arrogans bona de se vel falsa jactari, ne mala possit vel minima perpeti. Quia igitur cum patientia relinquitur, etiam bona reliqua quæ jam gesta sunt destruuntur, recte ad Ezechielem in altari Dei fieri fossa præcipitur, ut in ea videlicet superposita holocausta serventur (*Ezech.* XLIII, 15). Si enim in altari fossa non esset, omne quod in eo sacrificium reperiret, superveniens aura dispergeret. Quid vero accipimus altare Dei, nisi animam justi, quæ quot bona egerit, tot super se ante ejus oculos sacrificia imponit? Quid autem est altaris fossa, nisi bonorum patientia, quæ dum mentem ad adversa toleranda humiliat, quasi more foveæ hanc in imo positam demonstrat? Fossa ergo in altari fiat, ne superpositum sacrificium aura dispergat : id est, electorum mens patientiam custodiat, ne commota vento impatientiæ, et hoc quod bene operata est amittat. Bene autem hæc eadem fossa unius cubiti esse monstratur (*Ibid.*); quia nimirum si patientia non describitur, unitatis mensura servatur. Unde et Paulus ait : *Invicem onera* C *vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* VI, 2). Lex quippe Christi est charitas unitatis, quam soli perficiunt, qui nec cum gravantur excedunt. Audiant impatientes quod scriptum est : *Melior est patiens viro forti, et qui dominatur animo suo, expugnatore urbium* (*Prov.* XVI, 32). Minor enim est victoria urbium, quia extra sunt quæ subiguntur; valde autem [b] majus est quod per patientiam vincitur, quia ipse a se animus superatur, et semetipsum sibimetipsi subjicit, quando eum patientia intra se [c] frenare compellit. Audiant impatientes quod electis suis Veritas dicit : *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* XXI, 19). Sic enim conditi mirabiliter sumus, ut ratio animam, et anima possideat corpus. Jus vero animæ a corporis possessione D repellitur, si non prius anima a ratione possidetur. Custodem igitur conditionis nostræ patientiam Dominus esse monstravit, qui in ipsa nos possidere nosmetipsos docuit. Quanta ergo sit impatientiæ culpa cognoscimus, per quam et hoc ipsum amittimus possidere quod sumus. Audiant impatientes quod per Salomonem rursum dicitur : *Totum* **44** *spiritum suum profert stultus, sapiens autem differt et reservat in posterum* (*Prov.* XXIX, 11). Impatientia quippe impellente agitur ut totus foras spiritus proferatur; quem idcirco perturbatio citius ejicit, quia nulla interius disciplina sapientiæ circumcludit. Sapiens autem

[a] Tertius Carn., *lev. monitionis.* Belv., *lev. movitionis.* Laud.. *levitate motionis.*

[b] Duo priores Gem., *melius est.*
[c] Laud., Belv., Carnot. secundus, *frenari.*

differt et reservat in posterum. Læsus enim, in præsens se ulcisci non desiderat, quia etiam tolerans parci optat, sed tamen juste [a] vindicari omnia extremo judicio non ignorat.

At contra admonendi sunt patientes, ne in eo quod exterius portant, interius doleant, ne tantæ virtutis sacrificium quod integrum foras immolant, intus malitiæ peste corrumpant; et cum ab hominibus non agnoscitur, sed tamen sub divina examinatione peccatur, tanto deterior culpa doloris fiat, quanto sibi ante homines virtutis speciem vindicat.

Dicendum itaque est patientibus, ut studeant diligere quos sibi necesse est tolerare; ne si patientiam dilectio non sequatur, in deteriorem culpam odii virtus ostensa vertatur. Unde Paulus cum diceret: *Charitas patiens est*, illico adjunxit: *Benigna est* (*I Cor.* XIII, 4); videlicet ostendens quia quos ex patientia tolerat, amare etiam ex benignitate non cessat. Unde idem doctor egregius cum patientiam discipulis suaderet, dicens: *Omnis amaritudo, et ira, et indignatio, et clamor, et blasphemia tollatur a vobis* (*Ephes.* IV, 31), quasi cunctis exterius jam bene compositis ad interiora convertitur, dum subjungit: *Cum omni malitia* (*Ibid.*); quia nimirum frustra indignatio, clamor et blasphemia ab exterioribus tollitur, si in interioribus vitiorum mater malitia dominatur; et incassum foras nequitia ex ramis inciditur, [b] si surrectura multiplicius intus in radice servatur. Unde et per semetipsam Veritas dicit: *Diligite inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, et orate pro persequentibus et calumniantibus vos* (*Luc.* VI, 27). Virtus itaque est coram hominibus, adversarios tolerare; sed virtus coram Deo, diligere; quia hoc solum Deus sacrificium accipit, quod ante ejus oculos in altari boni operis flamma charitatis incendit. Illinc est quod rursum quibusdam patientibus, nec tamen diligentibus dicit: *Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, et trabem in oculo tuo non vides* (*Matth.* VII, 3; *Luc.* VI, 41)? Pertubatio [c] quippe impatientiæ festuca est; malitia vero in corde, trabes in oculo. Illam namque aura tentationis agitat, hanc autem consummata nequitia pene immobiliter portat. Recte vero illic subjungitur: *Hypocrita, ejice primum trabem de oculo tuo, et tunc videbis ejicere festucam de oculo fratris tui* (*Ibid.*). Ac si dicatur menti iniquæ interius dolenti, et sanctam se exterius per patientiam demonstranti: Prius a te molem malitiæ excute, et tunc alios de impatientiæ levitate reprehende, ne dum non studes simulationem vincere, pejus tibi sit aliena prava tolerare.

Evenire etiam plerumque patientibus solet ut eo quidem tempore quo vel adversa patiuntur, vel contumelias audiunt, nullo dolore pulsentur, et sic patientiam exhibeant, ut custodire etiam cordis innocentiam non omittant; sed cum post paululum hæc ipsa quæ pertulerint, ad memoriam revocant, igne se doloris inflammant, argumenta ultionis inquirunt, et mansuetudinem quam tolerantes habuerunt, retractantes in malitiam vertunt. Quibus citius a prædicante succurritur, si quæ sit **45** hujus permutationis causa pandatur. Callidus namque adversarius bellum contra duos movet, unum videlicet inflammans ut contumelias prior inferat, alterum provocans ut contumelias læsus reddat. Sed plerumque dum hujus jam victor est qui injuriam persuasus irrogat, ab illo vincitur qui illatam sibi æquanimiter portat. Unius ergo victor quem commovendo subjugavit, tota contra alterum virtute se erigit, eumque obsistentem fortiter et vincentem dolet; quem quia commovere in ipsa contumeliarum jaculatione non potuit, ab aperto certamine interim quiescens, et secreta suggestione cogitationem lacescens, aptum deceptionis tempus inquirit. Quia enim publico bello [d] perdidit, ad exercendas occulte insidias exardescit. Quietis namque tempore jam ad victoris animum redit, et vel rerum damna, aut injuriarum jacula ad memoriam reducit, cunctaque quæ sibi illata sunt, vehementer exaggerans, intolerabilia ostendit; tantoque mentem mœrore conturbat, ut plerumque vir patiens illa se æquanimiter tolerasse post victoriam captivus erubescat, seque non reddidisse contumelias doleat, et deteriora rependere, si occasio præbeatur, quærat. Quibus ergo isti sunt similes, nisi his qui per fortitudinem id campo victores sunt, sed per negligentiam postmodum intra urbis claustra capiuntur? Quibus sunt similes, nisi iis quos irruens gravis languor a vita non subtrahit, sed leniter veniens [e] recidiva febris occidit? Admonendi sunt igitur patientes, ut cor post victoriam muniant, ut hostem publico bello superatum insidiari [f] mœniis mentis intendant; ut languorem plus [g] reserpentem timeant, ne hostis callidus eo in deceptione postmodum majori exsultatione gaudeat, quo illa dudum contra se rigida colla victorum calcat.

## CAPUT X [*Al. XXXIV*].

*Quomodo admonendi benevoli et invidi.*

(*Admonitio* 11.) Aliter admonendi sunt benevoli, atque aliter invidi. Admonendi namque sunt benevoli, ut sic alienis bonis congaudeant, quatenus habere propria concupiscant. Sic proximorum facta diligendo laudent, ut ea etiam imitando multiplicent, ne si in hoc præsentis vitæ stadio ad certamen alienum devoti fautores, sed pigri spectatores assistant, eo post certamen sine bravio remaneant, quo nunc in certamine non laborant; et tunc eorum palmas affli-

[a] Primus et tertius Carnot., *judicari*.

[b] Trec., Laud., Rothom., Lyr., duo priores Gemet., *si surreptura*.

[c] Primus Carnot., *impatientibus*.

[d] Carn. primus, *bello non perdidit*. Melius in cæteris Mss., *perdidit*, hoc est victus fuit, succubuit, a proposito excidit. Eodem sensu sæpe usurpatur absolute verbum hoc, ut in præf. Moral., c. III, lib. XXXIII num. 1, necnon præfat. ad lib. XXVIII.

[e] Longip., *rediviva febris*.

[f] In Gemet., post correctionem, *insidiari in ejus mentibus*.

[g] Rothom., Lyr. et tres Gemet., *repetentem*.

cti respiciant, in quorum nunc laboribus otiosi perdurant. Valde quippe peccamus, si aliena bene gesta non diligimus. Sed nil mercedis agimus, si ea quæ diligimus, in quantum possumus non imitamur. Dicendum itaque est benevolis, quia si imitari bona minime festinant quæ laudantes approbant, sic eis virtutum sanctitas sicut stultis spectatoribus ludicrarum artium vanitas placet. Illi namque aurigarum et histrionum gesta [a] favoribus efferunt, nec tamen tales esse desiderant, quales illos conspiciunt esse quos laudant. Mirantur eos placita egisse, sed tamen devitant similiter placere. Dicendum est **46** benevolis ut cum proximorum facta conspiciunt, ad suum cor redeant, et de alienis actibus non præsumant; ne bona laudent, et agere recusent. Gravius quippe extrema ultione feriendi sunt, quibus placuit quod imitari noluerunt.

Admonendi sunt invidi, ut perpendant quantæ cæcitatis sunt, qui alieno provectu deficiunt, aliena [b] exsultatione contabescunt. Quantæ infelicitatis sunt, qui melioratione proximi deteriores fiunt; dumque augmenta alienæ prosperitatis aspiciunt, apud semetipsos anxie afflicti, cordis sui peste moriuntur. Quid istis infelicius, quos dum conspecta felicitas afficit, pœna nequiores reddit? Aliorum vero bona quæ habere non possunt, si diligerent, sua facerent. Sic quippe sunt universi consistentes in fide, sicut multa membra uno in corpore: quæ per officium quidem diversa sunt, sed eo quo sibi vicissim congruunt, unum fiunt. Unde fit ut pes per oculum videat, et per pedes oculi gradiantur; ori auditus aurium serviat, et ad usum suum auribus oris lingua concurrat; suffragetur venter manibus, ventri operentur manus. In ipsa igitur corporis positione accipimus, quod in actione servemus. Nimis itaque turpe est non imitari quod sumus. Nostra sunt nimirum, quæ etsi imitari non possumus, amamus in aliis; et amantium fiunt quæque amantur in nobis. Hinc ergo pensent invidi, charitas quantæ virtutis est, quæ alieni laboris opera, nostra sine labore facit. Dicendum itaque est invidis, quia dum se a livore minime custodiunt, in antiquam versuti hostis nequitiam demerguntur. De illo namque scriptum est: *Invidia autem diaboli mors intravit in orbem terrarum* (*Sap.* II, 24). Quia enim ipse cœlum perdidit, condito hoc homini invidit, et damnationem suam perditus adhuc alios perdendo cumulavit. Admonendi sunt invidi ut cognoscant quantis lapsibus succrescentis ruinæ subjaceant, quia dum livorem a corde non projiciunt, ad apertas operum nequitias devolvuntur. Nisi enim Cain invidisset acceptam fratris hostiam, minime pervenisset ad exstinguendam vitam. Unde scriptum est: *Et respexit Dominus ad Abel et ad munera ejus; ad Cain vero et ad munera ejus non respexit. Iratusque est Cain vehementer, et concidit vultus ejus* (*Genes.* IV, 4). Livor itaque sacrificii, fratricidii seminarium fuit. Nam quem meliorem se esse doluit, ne utcunque esset [c] amputavit. Dicendum est invidis quia dum se ista intrinsecus peste consumunt, etiam quidquid in se aliud boni habere videntur interimunt. Unde scriptum est: *Vita carnium sanitas cordis, putredo ossium invidia* (*Prov.* XIV, 30). Quid enim per carnes nisi infirma quædam ac tenera, et quid per ossa nisi fortia acta signantur? Et plerumque contingit ut quidam cum cordis innocentia in nonnullis suis actibus infirmi videantur, quidam vero jam quædam ante humanos oculos robusta exerceant, sed tamen erga aliorum bona intus invidiæ pestilentia tabescant. Bene ergo dicitur: *Vita carnium sanitas cordis;* quia si mentis innocentia custoditur, etiam si qua foris infirma sunt quandoque roborantur. **47** Et recte illic subditur: *Putredo ossium invidia*, quia per livoris vitium ante Dei oculos pereunt etiam quæ humanis oculis fortia videntur. Ossa quippe per invidiam putrescere, est quædam etiam robusta deperire.

## CAPUT XI [*Al. XXXV*].

*Quomodo admonendi simplices et versipelles.*

(*Admonitio* 12.) Aliter admonendi sunt simplices, atque aliter impuri. Laudandi sunt simplices quod studeant nunquam falsa dicere, sed admonendi sunt ut noverint nonnunquam vera reticere. Sicut enim semper dicentem [d] falsitas læsit, ita nonnunquam quibusdam audita vera nocuerunt. Unde coram discipulis Dominus locutionem suam silentio temperans, ait: *Multa habeo vobis dicere, sed nunc non potestis illa portare* (*Joan.* XVI, 12). Admonendi sunt igitur simplices, ut sicut fallaciam semper utiliter vitant, ita veritatem semper utiliter proferant. Admonendi sunt ut simplicitatis bono prudentiam adjungant, quatenus sic securitatem de simplicitate possideant, ut circumspectionem prudentiæ non amittant. Hinc namque per doctorem gentium dicitur: *Volo vos sapientes esse in bono, simplices autem in malo* (*Rom.* XVI, 19). Hinc electos suos per semetipsam Veritas admonet, dicens: *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). Quia videlicet in electorum cordibus debet et simplicitatem columbæ astutia serpentis acuere, et serpentis astutiam columbæ simplicitas temperare, quatenus nec seducti [e] per prudentiam calleant, nec ab intellectus studio ex simplicitate torpescant.

At contra admonendi sunt impuri, ut quam gravis sit, quem cum culpa sustinent, duplicitatis labor agnoscant. Dum enim deprehendi metuunt, semper improbas defensiones quærunt, semper pavidis suspicionibus agitantur. Nil autem est ad defendendum puritate tutius, nil ad dicendum veritate facilius. Nam dum [f] fallaciam suam tueri cogitur, duro cor labore

[a] Rothom. et Lyr., *laudibus*.
[b] Ita Trec., Laud., Belvac., tres Carnot., Theod. et duo priores Gemet., quibus concinunt vet. Ed. In Gilot. et recentioribus leg. *exaltatione*.
[c] Duo priores Gem., *tentavit*. In Trec. et cæteris, *amputavit*, quos, licet ægre, sequimur.
[d] Idem Gemet., *lacessit*.
[e] Corb., Carnot., Belv., Rothom., primus Aud., Lyr., *per prudentiam novi calleant*. Longip., *per prud. nova cal*. Sequimur Trec., Gemet., etc.
[f] Excusi, ante Guss., *falsitatem*, reluctantibus Mss. Anglic., Trec., Norm., etc. Ibid., in Guss. et pleris-

fatigatur. Hinc namque scriptum est: *Labor labiorum ipsorum operiet eos* (*Psal.* CXXXIX, 10). Qui enim [a] nunc implet, tunc operit, quia cujus nunc animum per blandam inquietudinem exerit, tunc per asperam retributionem premit. Hinc per Jeremiam dicitur: *Docuerunt linguam suam loqui mendacium, ut inique agerent laboraverunt* (*Jerem.* IX, 5). Ac si aperte diceretur: Qui amici esse veritatis sine labore poterant, ut peccent laborant; cumque vivere simpliciter renuunt, laboribus [b] exigunt ut moriantur. Nam plerumque in culpa deprehensi, dum quales sint [c] cognosci refugiunt, sese sub fallaciæ velamine abscondunt, et hoc quod peccant, quodque jam aperte cernitur, excusare moliuntur; ita ut sæpe is qui eorum culpas corripere studet, aspersæ falsitatis nebulis seductus, pene amisisse se videat quod de eis jam certum tenebat. Unde recte sub Judææ specie per prophetam contra peccantem animam excusantemque se, dicitur: *Ibi habuit foveam ericius* (*Isai.* XXXIV, 15). Ericii quippe nomine impuræ mentis seseque callide defendentis duplicitas designatur; quia videlicet ericius cum apprehenditur, ejus et **48** caput cernitur, et pedes videntur, et corpus omne conspicitur; sed mox ut apprehensus fuerit, semetipsum in [d] sphæram colligit, pedes introrsus subtrahit, caput abscondit, et intra tenentis manus totum simul amittitur, quod totum simul ante videbatur. Sic nimirum, sic impuræ mentes sunt, cum in suis excessibus comprehenduntur. Caput enim ericii cernitur, quia quo initio ad culpam peccator accesserit videtur. Pedes ericii conspiciuntur, quia quibus vestigiis nequitia sit perpetrata cognoscitur, et tamen adductis repente excusationibus impura mens introrsus pedes colligit, quia cuncta iniquitatis suæ vestigia abscondit. Caput subtrahit, quia miris defensionibus nec inchoasse se malum aliquod ostendit. Et quasi sphæra in manu tenentis remanet, quia is qui corripit, cuncta quæ jam cognoverat subito amittens, involutum intra conscientiam peccatorem tenet; et qui totum jam deprehendendo viderat, tergiversatione pravæ defensionis illusus totum pariter ignorat. Foveam ergo habet ericius in reprobis, quia [e] malitiosæ mentis duplicitas sese intra se colligens abscondit in tenebris defensionis.

Audiant impuri quod scriptum est: *Qui ambulat simpliciter, ambulat confidenter* (*Prov.* X, 9). Fiducia quippe magnæ securitatis est simplicitas actionis. Audiant quod sapientis ore dicitur: *Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum* (*Sap.* I, 5). Audiant quod Scriptura rursum teste perhibetur: *Cum simplicibus sermocinatio ejus* (*Prov.* III, 32). Deo enim sermocinari, est per illustrationem suæ præsentiæ humanis mentibus arcana revelare. Cum simplicibus igitur sermocinari dicitur; quia de supernis mysteriis illorum mentes radio suæ visitationis illuminat, quos nulla umbra duplicitatis obscurat. Est autem speciale duplicium malum, quia dum perversa et duplici actione cæteros fallunt, quasi præstantius cæteris prudentes se esse gloriantur; et quia districtionem retributionis non considerant, de damnis suis miseri exsultant. Audiant autem quomodo super illos propheta Sophonias vim divinæ animadversionis intendat, dicens: *Ecce dies Domini venit magnus et horribilis, dies iræ dies illa, dies tenebrarum et caliginis, dies nebulæ et turbinis, dies tubæ et clangoris super omnes civitates munitas, et super omnes angulos excelsos* (*Soph.* I, 14, 15). Quid enim per civitates munitas exprimitur, nisi suspectæ mentes et fallaci semper defensione circumdatæ, quæ quoties earum culpa corripitur, veritatis ad se jacula non admittunt? Et quid per excelsos angulos (duplex quippe semper est in angulis paries) nisi impura corda signantur? quæ dum veritatis simplicitatem fugiunt, ad semetipsa quodammodo duplicitatis perversitate replicantur, et, quod est deterius, apud cogitationes suas in fastu prudentiæ ex ipsa se culpa impuritatis extollunt. Dies igitur Domini vindictæ atque animadversionis plena super civitates munitas et super excelsos angulos venit, quia ira extremi judicii humana corda et defensionibus contra veritatem clausa destruit, et duplicitatibus involuta dissolvit. Tunc enim munitæ civitates cadunt, quia mentes Deo [f] impenetratæ damnabuntur. **49** Tunc excelsi anguli corruunt, quia corda quæ se per impuritatis prudentiam erigunt, per justitiæ sententiam prosternuntur.

## CAPUT XII [*Al. XXXVI*].

*Quomodo admonendi sunt incolumes et ægri.*

(*Admonitio* 13.) Aliter admonendi sunt incolumes, atque aliter ægri. Admonendi sunt incolumes, ut salutem corporis exerceant ad salutem mentis; ne si acceptæ incolumitatis gratiam ad usum nequitiæ inclinent, dono deteriores fiant; et eo postmodum supplicia graviora mereantur, quo nunc largioribus bonis Dei male uti non metuunt. Admonendi sunt incolumes, ne opportunitatem salutis in perpetuum promerendæ despiciant. Scriptum namque est: *Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2). Admonendi sunt ne placere Deo si cum possunt noluerint, cum voluerint sero non possint. Hinc est enim quod eos post sapientia deserit, quos prius diutius renuentes vocavit, dicens: *Vocavi, et renuistis; extendi manum meam, et non fuit qui aspiceret; despexistis omne consilium meum, et increpationes meas neglexistis; ego quoque in interitu vestro ridebo, et subsannabo, cum vobis quod timebatis advenerit.*

que Excusis, *conatur* vel *conantur*, pro *cogitur*, quod habes in Corb., Trec., Laud., etc.

[a] Quinque Anglic., *nunc implicat*, nullo ex nostris consentiente.

[b] Corb., Belv. et secundus Carn., *exiguntur*; sequimur Trec. et cæteros.

[c] Trec., Carnot. et Belvac., *cognoscere fugiunt*.

[d] Trec., Bellov. et alii vetust., *speram*. Sic scribi *sphæram* in antiquioribus Codd. jam observavimus.

[e] Primus Carnot., *malitiosa mens duplicata*.

[f] Ita Trec., Rothom. et al. Norm. In tertio Carnot legitur, *impœnitentes*. In omnibus fere Editis, *suspectæ*.

rit (*Prov.* I, 24, *seq.*). Et rursum : *Tunc invocabunt me, et non exaudiam; mane consurgent, et non invenient me* (*Ibid.*, 28). Salus itaque corporis quando ad bene operandum accepta despicitur, quanti sit muneris amissa sentitur. Et infructuose ad ultimum quæritur, quæ congruo concessa tempore utiliter non habetur. Unde bene per Salomonem rursum dicitur : *Ne des alienis honorem tuum, et annos tuos crudeli; ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena, et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes et corpus tuum* (*Ibid.* V, 9, *seq.*). Qui namque alieni a nobis sunt, nisi maligni spiritus, qui a cœlestis sunt patriæ sorte separati? Quis vero honor noster est, nisi quia in luteis corporibus conditi, ad Conditoris tamen nostri sumus imaginem et similitudinem creati? Vel quis alius crudelis est, nisi ille angelus apostata, qui et semetipsum pœna mortis superbiendo perculit, et inferre mortem humano generi etiam perditus non pepercit? Honorem itaque suum alienis dat, qui ad Dei imaginem et similitudinem conditus, vitæ suæ tempora [a] malignorum spirituum voluptatibus administrat. Annos etiam suos crudeli tradit, qui ad voluntatem male dominantis adversarii accepta vivendi spatia expendit. Ubi bene subditur : *Ne forte impleantur extranei viribus tuis, et labores tui sint in domo aliena.* Quisquis enim per acceptam valetudinem corporis, per tributam sibi sapientiam mentis, non exercendis virtutibus, sed perpetrandis vitiis elaborat, nequaquam suis viribus suam domum, sed extraneorum habitacula, id est immundorum spirituum facta multiplicat, nimirum vel luxuriando, vel superbiendo agens, ut etiam se addito, perditorum numerus crescat. Bene autem subditur : *Et gemas in novissimis, quando consumpseris carnes et corpus tuum.* Plerumque enim accepta **50** salus carnis per vitia [b] expenditur ; sed cum repente subtrahitur, cum molestiis caro atteritur, cum jam egredi anima urgetur, diu male habita quasi ad bene vivendum salus amissa requiritur. Et tunc gemunt homines quod Deo servire noluerunt, quando damna negligentiæ suæ recuperare serviendo nequaquam possunt. Unde alias dicitur : *Cum occideret eos, tunc requirebant eum* (*Psal.* LXXVII, 34).

At contra admonendi sunt ægri, ut eo se filios Dei sentiant, quo illos disciplinæ flagella castigant. Nisi enim correctis hæreditatem dare disponeret, erudire eos per molestias non curaret. Hinc namque ad Joannem Dominus per angelum dicit : *Ego quos amo arguo et castigo* (*Apoc.* III, 19 ; *Prov.* III, 11). Hinc rursum scriptum est : *Fili mi, noli negligere disciplinam Domini, neque fatigeris cum ab eo argueris. Quem enim diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 5, 6). Hinc Psalmista ait : *Multæ tribulationes justorum,* [c] *et de omnibus his liberavit eos Dominus* (*Psal.* XXXIII, 20). Hinc quoque beatus Job in dolore exclamans, ait : *Si justus fuero, non levabo caput, saturatus afflictione et miseria* (*Job.* X, 15). Dicendum est ægris, ut si cœlestem patriam, suam credunt, necessario in hac labores velut in aliena patiantur. Hinc est enim quod lapides extra tunsi sunt, ut in constructione templi Domini absque mallei sonitu ponerentur ; quia videlicet nunc foris per flagella tundimur, ut intus [d] in templum Dei postmodum sine disciplinæ percussione disponamur, quatenus quidquid in nobis est superfluum, modo percussio resecet, et tunc sola nos in ædificio concordia charitatis liget. Admonendi sunt ægri, ut considerent pro percipiendis terrenis hæreditatibus quam dura carnales filios disciplinæ flagella castigent. [e] Quæ ergo nobis divinæ correptionis pœna gravis est, per quam et nunquam amittenda hæreditas percipitur, et semper mansura supplicia vitantur? Hinc etenim Paulus ait : *Patres quidem carnis nostræ habuimus eruditores, et reverebamur eos ;* [f] *non multo magis obtemperabimus patri spirituum, et vivemus? Et illi quidem in tempore paucorum dierum secundum voluntatem suam erudiebant nos; hic autem ad id quod utile est in recipiendo sanctificationem ejus* (*Hebr.* XII, 9, 10).

Admonendi sunt ægri, ut considerent quanta salus cordis sit molestia corporalis, quæ ad cognitionem sui mentem revocat, et quam plerumque salus abjicit, infirmitatis [g] memoriam reformat, ut animus qui extra se in elationem ducitur, cui sit conditioni subditus, ex percussa quam sustinet carne memoretur. Quod recte per Balaam (si tamen vocem Dei subsequi obediendo voluisset) in ipsa ejus itineris retardatione signatur (*Num.* XXII, 23, *seq.*). Balaam namque pervenire ad propositum tendit, sed ejus votum animal cui præsidet præpedit. Prohibitione quippe immorata asina angelum videt, quem humana mens non videt ; quia plerumque caro per molestias tarda flagello suo menti Deum indicat, quem mens ipsa carni præsidens non videbat, ita ut anxietatem spiritus proficere in hoc mundo cupientis, velut iter tendentis impediat, donec ei invisibilem qui sibi obviat innotescat. Unde et **51** bene per Petrum dicitur : *Correptionem habuit suæ vesaniæ subjugale mu-*

[a] Gilot. et alii recent., sensu ita fere postulante, *malignorum spirituum voluntatibus ;* cum in vet. Ed. et in omnibus fere Mss. nostris, sc., Trec., Laud., Belv., Corb., Carnot., duobus prioribus Gemet., exstet, *voluptatibus.* Malignorum spirituum voluptates appellat, quas illi suggerunt et offerunt. Paulo post habent etiam Laud., Corb., Belvac. et secundus Carnot., *ad voluptatem ;* secus Trec. et al. Per voluptatem intelligi quoque potest beneplacitum. Quod idem esse videtur cum voluntate.

[b] Secundus Carnot., *extenditur.*

[c] Extremam hujus versus partem non habent Trec., Gemeticenses, Val. Cl., Theod., aliique plur. et præstantissimi Mss.

[d] Laud., *in templo.*

[e] Carnot. primus, *Quære ergo nobis.*

[f] In Ed., *nonne multo.* Trec., Belvac., Carnot. et pl., eodem sensu, habent simpliciter, *non multo magis.*

[g] Sic Trec., Carnotenses et al. Editores omnes, legentes *memoria,* sensum corruperunt. Hic significatur molestiam corporis revocare memoriam infirmitatis, quam plerumque abigit optima valetudo.

tum, *quod in hominis voce loquens prohibuit prophetæ* **A** *insipientiam* (*II Petr.* II, 15). Insanus quippe homo a subjugali muto corripitur, quando elata mens humilitatis bonum quod tenere debeat ab afflicta carne memoratur. Sed hujus correptionis donum idcirco Balaam non obtinuit, quia ad maledicendum pergens, vocem, non mentem mutavit. Admonendi sunt ægri ut considerent quanti sit muneris molestia corporalis, quæ et admissa peccata diluit, et ea quæ admitti poterant compescit; quæ sumpta ab exterioribus plagis, concussæ menti pœnitentiæ vulnera infligit. Unde scriptum est : *Livor vulneris abstergit mala,* [a] *et plagæ in secretioribus ventris* (*Prov.* XX, 30). Mala enim livor vulneris abstergit, quia flagellorum dolor vel cogitatas, vel perpetratas nequitias diluit. Solet vero ventris appellatione mens accipi; quia sicut **B** venter consumit escas, ita mens pertractando excoquit curas. Quia enim venter mens dicitur, ea sententia docetur qua scriptum est : *Lucerna Domini spiraculum hominis, quæ investigat omnia secreta ventris* (*Ibid.*). Ac si diceret : Divini afflatus illuminatio, cum in mentem hominis venerit, eam sibimetipsi illuminans ostendit, quæ ante Spiritus sancti adventum cogitationes pravas et portare poterat, et pensare nesciebat. Livor ergo vulneris abstergit mala, et plagæ in secretioribus ventris; quia cum exterius percutimur, ad peccatorum nostrorum memoriam taciti afflictique revocamur, atque ante oculos nostros cuncta quæ a nobis sunt male gesta reducimus, et per hoc quod foris patimur, magis intus quod fecimus dolemus. Unde fit ut inter aperta **C** vulnera corporis amplius nos abluat plaga secreta ventris, quia sanat nequitias pravi operis occultum vulnus doloris.

Admonendi sunt ægri quatenus patientiæ virtutem servent, ut incessanter quanta Redemptor noster ab his quos creaverat, pertulit mala, considerent; quod tot abjecta conviciorum probra sustinuit; quod de manu antiqui hostis captivorum animas quotidie rapiens, insultantium alapas accepit; quod aqua salutis nos diluens, a perfidorum sputis faciem non abscondit; [b] quod advocatione sua nos ab æternis suppliciis liberans, tacitus flagella toleravit; quod inter angelorum choros perennes nobis honores tribuens, colaphos pertulit; quod a peccatorum nos punctio- **D** nibus salvans, spinis caput supponere non recusavit; quod æterna nos dulcedine inebrians in siti sua fellis amaritudinem accepit; quod qui pro nobis Patrem, quamvis divinitate esset æqualis, adoravit, sub irrisione adoratus tacuit; quod vitam mortuis præparans, usque ad mortem ipse vita pervenit. Cur itaque asperum creditur, ut a Deo homo toleret flagella pro malis, si tanta Deus ab hominibus pertulit mala pro bonis? Aut quis sana intelligentia de percussione sua ingratus existat, se ipse hinc sine flagello non exiit, qui hic sine peccato vixit?

## CAPUT XIII [*Al.* XXXVII].

*Quomodo admonendi qui flagella metuunt, et qui contemnunt.*

(*Admonitio* 14.) Aliter admonendi sunt qui flagella metuunt, **52** et propterea innocenter vivunt; atque aliter admonendi sunt, qui sic in iniquitate duruerunt, ut neque per flagella corrigantur. Dicendum namque est flagella timentibus, ut et bona temporalia nequaquam pro magno desiderent, quæ adesse etiam pravis vident; et mala præsentia nequaquam velut intolerabilia fugiant, quibus hic plerumque etiam bonos affici non ignorant. Admonendi sunt ut si malis veraciter carere desiderant, æterna supplicia perhorrescant, neque in hoc suppliciorum timore remaneant, sed ad amoris gratiam nutrimento charitatis excrescant. Scriptum quippe est : *Perfecta charitas foras mittit timorem* (*I Joan.* IV, 18). Et rursum scriptum est : *Non accepistis spiritum servitutis iterum in timore, sed spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba pater* (*Rom.* VIII, 15). Unde idem doctor iterum dicit : *Ubi spiritus Domini, ibi libertas* (*II Cor.* III, 17). Si ergo adhuc a prava actione formidata pœna prohibet, profecto formidantis animum nulla spiritus libertas tenet. Nam si pœnam non metueret, culpam proculdubio perpetraret. Ignorat itaque mens gratiam libertatis, quam ligat servitus timoris. Bona enim pro semetipsis amanda sunt, et non pœnis compellentibus exsequenda. Nam qui propterea bona facit, quia tormentorum mala metuit, vult non esse quod metuat, ut audenter illicita committat. Unde luce clarius constat quod coram Deo innocentia amittitur, ante cujus oculos desiderio peccatur.

At contra hi, quos ab iniquitatibus nec flagella compescunt, tanto acriori invectione feriendi sunt, quanto majori insensibilitate duruerunt. Plerumque enim sine dedignatione dedignandi sunt, sine desperatione desperandi; ita duntaxat, ut et ostensa desperatio formidinem incutiat, et subjuncta admonitio ad spem reducat. Districte itaque contra illos divinæ sententiæ proferendæ sunt, ut ad cognitionem sui considerata æterna animadversione revocentur. Audiant enim in se impletum esse quod scriptum est : *Si contuderis stultum in pila, quasi ptisanas ferienti desuper pilo, non auferetur ab eo stultitia ejus* (*Prov.* XXVII, 22). Contra hos propheta Domino conqueritur, dicens : *Attrivisti eos, et renuerunt accipere disciplinam* (*Jer.* V, 3). Hinc est quod Dominus dicit : *Interfeci et perdidi populum istum, et tamen a viis suis non sunt reversi* (*Isai.* IX, 13). Hinc rursum ait : *Populus non est reversus ad percutientem se* (*Jer.* XV, 6). Hinc voce flagellantium propheta conqueritur, dicens : *Curavimus Babylonem et non est sanata* (*Jer.* LI, 9). Babylon quippe curatur, nec tamen ad sanitatem reducitur, quando mens in prava actione confusa, verba correptionis audit, flagella correptionis percipit, et tamen ad recta salutis itinera redire con-

[a] Gemeticenses, *et plaga.*

[b] Editi omnes invitis Mss. Anglic. et nostris, *quod vocatione sua.* Significatur Christum, ut docet Joannes, advocatum apud patrem nos habere.

temnit. Hinc captivo Israelitico populo, nec tamen ab iniquitate converso Dominus exprobrat, dicens : *Versa est mihi domus Israel in scoriam; omnes isti æs, et* [a] *stannum, et ferrum, et plumbum in medio fornacis* (*Ezech.* XXII, 18). Ac si aperte dicat : Purgare eos per ignem tribulationis volui, et argentum illos vel aurum fieri quæsivi, sed in fornace mihi in æs, stannum, et ferrum, et plumbum versi sunt, quia non ad virtutem, sed ad vitia etiam in tribulatione proruperunt. Æs quippe dum percutitur, amplius metallis cæteris sonitum reddit. Qui igitur in percussione positus erumpit ad sonitum murmurationis, in æs versus est **53** in medio fornacis. Stannum vero cum ex arte componitur, argenti speciem mentitur. Qui ergo simulationis vitio non caret in tribulatione, stannum factus est in fornace. Ferro autem utitur, qui vitæ proximi insidiatur. Ferrum itaque in fornace est qui nocendi malitiam non amittit in tribulatione. Plumbum quoque cæteris metallis est gravius. In fornace ergo plumbum invenitur, qui sic peccati sui pondere premitur, ut etiam in tribulatione positus [b] a terrenis desideriis non levetur. Hinc rursum scriptum est : *Multo labore sudatum est, et non exivit* [c] *de ea nimia rubigo ejus neque per ignem* (*Ezech.* XXIV, 12). Ignem quippe nobis tribulationis admovet, [d] ut in nobis rubiginem vitiorum purget; sed nec per ignem rubiginem amittimus, quando et inter flagella vitio non caremus. Hinc Propheta iterum dicit : *Frustra conflavit conflator; malitiæ eorum non sunt consumptæ* (*Jer.* VI, 29).

Sciendum vero est, quod nonnunquam cum inter flagellorum duritiam remanent incorrecti, dulci sunt admonitione mulcendi. Quos enim cruciamenta non corrigunt, nonnunquam ab iniquis actionibus lenia blandimenta compescunt; quia et plerumque ægros, quos fortis [e] pigmentorum potio curare non valuit, ad salutem pristinam tepens aqua revocavit; et nonnulla vulnera quæ curari incisione nequeunt, fomentis olei sanantur. Et durus [f] adamas incisionem ferri minime recipit, sed leni hircorum sanguine mollescit.

## CAPUT XIV [*Al. XXXVIII*].

*Quomodo admonendi taciturni et verbosi.*

(*Admonitio* 15.) Aliter admonendi sunt nimis taciti, atque aliter multiloquio vacantes. Insinuari namque nimis tacitis debet, quia dum quædam vitia incaute fugiunt, occulte deterioribus implicantur. Nam sæpe linguam quia immoderatius frenant, in corde gravius multiloquium tolerant; ut eo plus cogitationes in mente ferveant, quo illas violenta custodia indiscreti silentii angustat. Quæ plerumque tanto latius diffluunt, quanto se esse securius æstimant, quia foris a reprehensoribus non videntur. Unde nonnunquam mens in superbiam extollitur, et quos loquentes audit, quasi infirmos despicit. Cumque os corporis claudit, quantum se vitiis superbiendo aperiat non agnoscit. Linguam etenim premit, mentem elevat; et cum suam nequitiam minime considerat, tanto apud se cunctos liberius, quanto et secretius accusat. Admonendi sunt igitur nimis taciti, ut scire sollicite studeant, non solum quales foris ostendere, sed etiam quales se debeant intus exhibere, ut plus ex cogitationibus occultum judicium quam ex sermonibus reprehensionem metuant proximorum. Scriptum namque est : *Fili mi, attende sapientiam meam, et prudentiæ meæ inclina aurem tuam, ut custodias cogitationes* (*Prov.* V, 1). Nil quippe in nobis est corde fugacius, quod a nobis toties recedit, quoties per pravas cogitationes defluit. Hinc etenim Psalmista ait : *Cor meum dereliquit me* (*Ps.* XXXIX, 13). Hinc ad semetipsum rediens, ait : *Invenit servus tuus cor suum ut oraret te* (*II Reg.* VII, 27). Cum ergo cogitatio per custodiam **54** restringitur, cor quod fugere consuevit invenitur.

Plerumque autem nimis taciti cum nonnulla injusta patiuntur, eo in acriorem dolorem prodeunt, quo ea quæ sustinent non loquuntur. Nam si illatas molestias tranquille lingua diceret, [g] a conscientia dolor emanaret. Vulnera enim clausa plus cruciant. Nam cum putredo quæ interius fervet ejicitur, ad salutem dolor aperitur. Scire igitur debent, qui plus quam expedit tacent, ne inter molesta quæ tolerant, dum linguam tenent, vim doloris exaggerent. Admonendi sunt enim ut si proximos sicut se diligunt, minime illis taceant unde eos juste reprehendunt. Vocis enim medicamine utrorumque saluti concurritur, dum et ab illo qui infert actio prava compescitur, et ab hoc qui sustinet doloris fervor vulnere aperto temperatur. Qui enim proximorum mala respiciunt, et tamen in silentio linguam premunt, quasi conspectis vulneribus usum medicaminis subtrahunt, et eo mortis auctores fiunt, quo virus quod poterant curare noluerunt. Lingua itaque discrete frenanda est, non insolubiliter obliganda. Scriptum namque est : *Sapiens tacebit usque ad tempus* (*Eccli.* XX, 7), ut nimirum cum opportunum considerat, postposita censura silentii, loquendo quæ congruunt, in usum se utilitatis impendat. Et rursum scriptum est : *Tempus tacendi, et tempus loquendi* (*Eccle.* III, 7). Discrete quippe vicissitudinum pensanda sunt tempora, ne aut cum restringi lingua debet, per verba inutiliter defluat; aut cum loqui utiliter potest, semetipsam pigre restringat. Quod bene Psalmista considerans, dicit : *Pone, Domine, custodiam ori meo, et*

[a] Hic et infra semper legitur, *stagnum*, in Trec., Corb., Laud. et Gemet.

[b] Gemet. aliique Norm. cum tertio Carnot., *æternis desideriis non elevetur.*

[c] Corb, *de eo.* Laud., *de camino.*

[d] Trec., Corb., Laud., Gemet. et alii Norm., *ut in nos..... purget.*

[e] Carnot. primus, *purgamentorum*, quem sequeremur nisi Trec. et cæteri Mss. nos cogerent præferre, *pigmentorum.*

[f] Trec., duo priores Gemet. et vetust., *adamans*; ibid., pro *recipit*, Laud. habet *minime non recipit*, optimo sensu, sc., adamas ne minimam quidem ferri incisionem patitur.

[g] Corb., Laud., Belvac., secundus Carnot., *mens a conscientiæ dolore aliena maneret.* Belv. tamen et secundus Carnot. habent, *manaret*, pro *maneret*, errore amanuensis. Sequimur Trecensem et alios.

*stium circumstantiæ labiis meis* (*Ps.* CXL, 3). Non enim poni ori suo parietem, sed ostium petit, quod videlicet aperitur et clauditur. Unde et nobis caute discendum est, qualenus os discretum et congruo tempore vox aperiat, et rursum congruo taciturnitas claudat.

At contra admonendi sunt multiloquio vacantes, ut vigilanter aspiciant a quanto rectitudinis statu depereunt, dum per multiplicia verba dilabuntur. Humana etenim mens aquæ more [a] circumclusa ad superiora colligitur, quia illud repetit unde descendit; et relaxata deperit, quia se per infima inutiliter spargit. Quot enim supervacuis verbis a silentii sui censura dissipatur, quasi tot rivis extra se ducitur. Unde et redire interius ad sui cognitionem non sufficit, quia per multiloquium sparsa, a secreto se intimæ B considerationis excludit. Totam vero se insidiantis hostis vulneribus detegit, quia nulla munitione custodiæ circumcludit. Unde scriptum est: *Sicut urbs patens et absque murorum ambitu, ita vir qui non potest in loquendo cohibere spiritum suum* (*Prov.* XXV, 28). Quia enim murum silentii non habet, patet inimici jaculis civitas mentis; et cum se per verba extra semetipsam ejicit, apertam se adversario ostendit. Quam tanto ille sine labore superat, quanto et ipsa quæ vincitur, contra semetipsam per multiloquium pugnat.

Plerumque autem quia per quosdam gradus desidiosa mens in lapsum casus impellitur, dum **55** otiosa cavere verba negligimus, ad noxia pervenimus; ut prius loqui aliena libeat, postmodum detra- C ctionibus eorum vitam [b] de quibus loquitur mordeat, ad extremum vero usque ad apertas lingua contumelias erumpat. Hinc seminantur stimuli, oriuntur rixæ, accenduntur faces odiorum, pax exstinguitur cordium. Unde bene per Salomonem dicitur: *Qui dimittit aquam, caput est jurgiorum* (*Prov.* XVII, 14). Aquam quippe dimittere est linguam in fluxum eloquii relaxare. Quo contra in bona etiam parte iterum dicitur: *Aqua profunda, verba ex ore viri* (*Ibid.*, XVIII, 4). Qui ergo dimittit aquam, caput est jurgiorum, quia qui linguam non refrenat, concordiam dissipat. Unde e diverso scriptum est: *Qui imponit stulto silentium, iras mitigat* (*Ibid.*, XXVI. 10). Quod autem multiloquio quisque serviens, [c] rectitudinem justitiæ tenere nequaquam possit, testatur Propheta, D qui ait: *Vir linguosus non dirigetur super terram* (*Ps.* CXXXIX, 12). Hinc quoque Salomon iterum dicit: *In multiloquio non deerit peccatum* (*Prov.* X, 19). Hinc Isaias ait: *Cultus justitiæ silentium* (*Is.* XXXII, 17), videlicet indicans quia mentis justitia desolatur quando ab immoderata locutione non parcitur. Hinc A Jacobus ait: *Si quis putat se religiosum esse non refrenans linguam suam, sed seducens cor suum, hujus vana est religio* (*Jac.* I, 26). Hinc rursum ait: *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum* (*Ibid.*, 19). Hinc iterum, linguæ vim definiens., adjungit: *Inquietum malum, plena veneno mortifero* (*Jac.* III, 8). Hinc per semetipsam nos Veritas admonet, dicens: *Omne verbum otiosum quod locuti fuerint homines, reddent de eo rationem in die judicii* (*Matth.* XII, 36). Otiosum quippe verbum est, quod aut ratione justæ necessitatis, aut intentione piæ utilitatis caret. Si ergo de otioso sermone ratio exigitur, pensemus quæ pœna multiloquium maneat, in quo etiam per noxia verba peccatur.

## CAPUT XV [*Al. XXXIX*].

*Quomodo admonendi pigri et præcipites.*

(*Admonitio* 16.) Aliter admonendi sunt pigri, atque aliter præcipites. Illi namque suadendi sunt, ne agenda bona, dum differunt, amittant; isti vero admonendi sunt, ne dum bonorum tempus incaute festinando præveniunt, eorum merita immutent. Pigris itaque intimandum est quod sæpe dum opportune agere quæ possumus nolumus, paulo post cum volumus non valemus. Ipsa quippe mentis desidia dum congruo fervore non accenditur, a bonorum desiderio funditus, convalescente furtim torpore mactatur. Unde aperte per Salomonem dicitur: *Pigredo immittit soporem* (*Prov.* XIX, 15). Piger enim recte sentiendo quasi vigilat, quamvis nil operando torpescat, sed pigredo soporem immittere dicitur, quia paulisper etiam [d] recte sentiendi vigilantia amittitur, dum a bene operandi studio cessatur. Ubi recte subjungitur: *Et anima dissoluta esuriet* (*Ibid.*). Nam quia se ad superiora stringendo non dirigit, neglectam se inferius per desideria expandit; et dum studiorum sublimium vigore non constringitur, cupiditatis infimæ [e] fame sauciatur; ut quo se per disciplinam **56** ligare dissimulat, eo se esuriens per voluptatum desideria spargat. Hinc ab eodem rursus Salomone scribitur: *In desideriis est omnis otiosus* (*Prov.* XXI, 26). Hinc ipsa Veritate prædicante (*Matth.* XII, 44, 45), uno quidem exeunte spiritu munda domus dicitur, sed multiplicius redeunte dum vacat occupatur. Plerumque piger dum necessaria agere negligit, quædam sibi difficilia opponit, quædam vero incaute formidat; et dum quasi invenit quod velut juste metuat, ostendit quod in otio quasi non injuste torpescat. Cui recte per Salomonem dicitur: *Propter frigus piger arare noluit; mendicabit ergo æstate, et non dabitur ei* (*Prov.* XX, 4). Propter frigus quippe piger non arat, [f] dum desidiæ torpore constrictus, agere quæ debet bona dissimulat. Propter frigus pi-

[a] In Angl., *aquæ more circumclusæ*. Stant pro nostra lectione Trec., Belv., tres Carnot., Rothomag. Lyr.

[b] Laud., *de quibus loquimur*.

[c] Belv. et duo priores Carnot., *serviens, linguam frenare nequiverit accidet ut rectitudinem*, etc.

[d] In Belv., Corb., Theod. et duobus prioribus Carnot., *recte sentiendo*. Quæ lectio a recto sensu non abhorret, modo sic legatur: *quia paulisper etiam recte sentiendo vigilantia amittitur*. Scilicet non sufficit recte sentire, nisi bonum operemur, quo neglecto amittitur vigilantia. Alia lectio quam sequimur, est Trec., Genet., etc.

[e] Laud. et primus Carnot., *cup. infirmæ acumine sauc.* Belv. et secundus Carn. habent etiam *acumine*, additis post *sauciatur*, his verbis, *vel fames augetur*.

[f] Norm. et Carnot., *dum desidia et torp.*

ger non arat, dum parva ex adverso mala metuit, et operari maxima prætermittit. Bene autem dicitur: *Mendicabit æstate, et non dabitur ei.* Qui enim nunc in bonis operibus non exsudat, cum sol judicii ferventior apparuerit, quia frustra regni aditum postulat, nil accipiens æstate mendicat. Bene huic per eumdem Salomonem rursum dicitur: *Qui observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metit* (*Eccle.* XI, 4). Quid enim per ventum, nisi malignorum spirituum tentatio exprimitur? Et quid per nubes quæ moventur a vento, nisi [a] adversitates pravorum hominum designantur? A ventis videlicet impelluntur nubes, quia immundorum spirituum afflatu pravi excitantur homines. Qui ergo observat ventum, non seminat; et qui considerat nubes, nunquam metit; quia quisquis tentationem malignorum spirituum, quisquis persecutionem pravorum hominum metuit, neque nunc grana boni operis seminat, neque tunc manipulos sanctæ retributionis secat.

At contra, præcipites dum bonorum actuum præveniunt tempus, meritum pervertunt, et sæpe in malis corruunt, dum bona minime discernunt. Qui nequaquam quæ quando agant inspiciunt, sed plerumque acta quia ita non debuerunt agere cognoscunt. Quibus sub auditoris specie recte apud [b] Salomonem dicitur: *Fili, sine consilio nihil facias, et post factum non pœnitebis* (*Eccli.* XXXII, 24). Et rursum: *Palpebræ tuæ precedant gressus tuos* (*Prov.* IV, 25). Palpebræ quippe gressus præcedunt, cum operationem nostram consilia recta præveniunt. Qui enim negligit considerando prævidere quod facit, gressus tendit, oculos claudit, pergendo iter conficit, sed prævidendo sibimetipsi non antecedit, atque idcirco citius corruit, quia quo pedem operis ponere debeat, per palpebram consilii non attendit.

## CAPUT XVI [*Al. XL*].

### *Quomodo admonendi mansueti et iracundi.*

(*Admonitio* 17.) Aliter admonendi sunt mansueti, atque aliter iracundi. Nunnunquam enim mansueti cum præsunt, vicinum et quasi juxta positum torporem desidiæ patiuntur. Et plerumque nimia resolutione lenitatis, ultra quam necesse est vigorem districtionis emolliunt. At contra iracundi cum reginum loca percipiunt, quo impellente ira in mentis væsaniam **57** devolvuntur, eo etiam subditorum vitam dissipata quietis tranquillitate confundunt. Quos cum furor agit in præceps, ignorant quidquid irati faciunt, ignorant quidquid a semetipsis patiuntur irati. Nunnunquam vero, quod est gravius, iræ suæ stimulum justitiæ zelum putant. Et cum vitium virtus creditur, sine metu culpa cumulatur. Sæpe ergo mansueti dissolutionis torpescunt tædio; sæpe iracundi rectitudinis falluntur zelo. Illorum itaque virtuti vitium latenter adjungitur; his autem suum vitium quasi virtus fervens videtur. Admonendi sunt igitur illi ut fugiant quod juxta ipsos est, isti quod in ipsis est attendant; illi quod non habent discernant, [c] isti quod habent. Amplectantur mansueti sollicitudinem, damnent iracundi perturbationem. Admonendi sunt mansueti, ut habere etiam æmulationem justitiæ studeant; admonendi sunt iracundi, ut æmulationi quam se habere existimant, mansuetudinem subjungant. Idcirco namque Spiritus sanctus in columba nobis est et in igne monstratus, quia videlicet omnes quos implet, et columbæ simplicitate mansuetos, et igne zeli ardentes exhibet.

Nequaquam ergo sancto Spiritu plenus est, qui aut in tranquillitate mansuetudinis fervorem æmulationis deserit, aut rursum in æmulationis ardore virtutem mansuetudinis amittit. Quod fortasse melius ostendimus, si in medium Pauli magisterium proferamus, qui duobus discipulis et non diversa charitate præditis, diversa tamen adjutoria prædicationis impendit. Timotheum namque admonens, ait: *Argue, obsecra, increpa in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV, 2). Titum quoque admonet dicens: *Hæc loquere, et exhortare, et argue cum omni imperio* (*Tit.* II, 15). Quid est quod doctrinam suam tanta arte dispensat, [d] ut in exhibenda hac, alteri imperium, atque alteri patientiam proponat, nisi quod mansuetioris spiritus Titum, et paulo ferventioris vidit esse Timotheum? Illum per æmulationis studium inflammat, hunc per lenitatem patientiæ temperat. Illi quod deest jungit, huic quod super est subtrahit. Illum stimulo impellere nititur, hunc freno moderatur. Magnus quippe susceptæ Ecclesiæ colonus, alios palmites ut crescere debeant rigat; alios cum plus justo crescere conspicit resecat, ne aut non crescendo non ferant fructus, aut, immoderate crescendo, quos protulerint amittant. Sed longe alia est ira quæ sub æmulationis specie subripit, alia quæ turbatum cor et sine justitiæ prætextu confundit. Illa enim in hoc quod debet inordinate extenditur, hæc autem semper in his quæ non debet inflammatur. Sciendum quippe est quia in hoc ab impatientibus iracundi differunt, quod illi ab aliis illata non tolerant, isti autem etiam quæ tolerentur important. Nam iracundi sæpe etiam [e] se de-

[a] Hoc est, adversantium pravorum impetus, et oppugnationes. De sensu vocis hujus apud Gregorium, vide l. II Moral. n. 51.

[b] Hic sanctus Doctor librum Ecclesiastici diserte Salomoni tribuit, cujus auctorem sæpe alibi appellat tantum, *quemdam sapientem*. Vide l. VII Moral, n. 45; l. XX, n. 51; l. XXVII, n. 53; l. XXXIII, n. 23. Infra, in admonitione 22, Salomon, juxta quosdam Mss. optimæ fidei, pronuntiatur scriptor hujus sacri libri. Consule ibidem notam *a*.

[c] Secundus Carn., Corb., Longip., Rothomag., Lyr. et tertius Gemet.: *Isti quod habent amplectantur. Mansueti per sollicitudinem torporem damnent, iracundi perturbationem.* Ita etiam primus Carnot., adjecto *ut*, ante *torporem*. In Laud., Belv. et tertio Carnot.: *Illi quid habent discernant, isti quod non habent amplectantur. Mansueti per sollicitudinem torp. damnent*. Duo priores Gemet.: *Mansueti pro sollicitudine torp. damnent*. Sequitur cum omnibus Edit. Trecensem.

[d] Belv. et secundus Carn.; *ut ad exhibenda hæc*.

[e] Laud., *dedignantes inseq.* Tertius Carnot., *decinantes ut dedignantes inseq.*

clinantes insequuntur, rixæ occasionem commovent, labore contentionis gaudent; quos tamen melius corrigimus, si in ipsa iræ suæ commotione declinamus. Perturbati quippe quid audiant ignorant, sed ad se reducti tanto [a] liberius exhortationis verba recipiunt, quanto se tranquillius toleratos erubescunt. Menti autem furore ebriæ, omne rectum quod dicitur, perversum videtur. Unde et Nabal ebrio culpam **58** suam Abigail laudabiliter tacuit, quam digesto vino laudabiliter dixit (*I Reg.* xxv, 37). Idcirco enim malum quod fecerat, cognoscere potuit, quia hoc ebrius non audivit.

Cum vero ita iracundi alios impetunt, ut declinari omnino non possint, non aperta exprobratione, sed sub quadam sunt cautela reverentiæ parcendo feriendi. Quod melius ostendimus, si Abner factum ad medium deducamus. Hunc quippe cum Asael vi incautæ præcipitationis impeteret, scriptum est: *Locutus est Abner ad Asael, dicens : Recede, noli me persequi, ne compellar confodere te in terram. Qui audire contempsit, et noluit declinare. Percussit ergo eum Abner aversa hasta in inguine, et transfodit eum, et mortuus est* (*II Reg.* II, 22, 23). Cujus enim Asael typum tenuit, nisi eorum, quos vehementer arripiens furor in præceps ducit? Qui in eodem furoris impetu tanto caute declinandi sunt, quanto et insane rapiuntur. Unde et Abner, qui nostro sermone patris lucerna dicitur, fugit, quia doctorum lingua quæ supernum Dei lumen indicat, cum per abrupta furoris mentem cujuspiam ferri conspicit, cumque contra irascentem dissimulat verborum jacula reddere, quasi persequentem non vult ferire. Sed cum iracundi nulla consideratione se mitigant, et quasi Asael persequi et insanire non cessant, necesse est ut hi qui furentes conantur reprimere, nequaquam se in furore erigant, sed quidquid est tranquillitatis ostendant; quædam vero subtiliter proferant, in quibus ex obliquo furentis animum pungant. Unde et Abner cum contra persequentem substitit, non eum recta, sed aversa asta transforavit. Ex mucrone quippe percutere, est impetu apertæ increpationis obviare. Aversa vero hasta persequentem ferire, est furentem tranquille ex quibusdam tangere, et quasi parcendo superare. Asael autem protinus occumbit, quia commotæ mentes dum et parci sibi sentiunt, et tamen responsorum ratione in intimis sub tranquillitate tanguntur, ab eo quod et erexerant statim cadunt. Qui ergo [b] a fervoris sui impetu sub lenitatis percussione resiliunt, quasi sine ferro moriuntur.

## CAPUT XVII [*Al. XLI*].

### *Quomodo admonendi humiles et elati.*

(*Admonitio* 18.) Aliter admonendi sunt humiles, atque aliter elati. Illis insinuandum est quam sit vera excellentia quam sperando tenent; istis vero intimandum est quam sit nulla temporalis gloria, quam et amplectentes non tenent. Audiant humiles quam sint æterna quæ appetunt, quam transitoria quæ contemnunt; audiant elati quam sint transitoria quæ ambiunt, quam æterna quæ perdunt. Audiant humiles ex magistra voce Veritatis : *Omnis qui se humiliat, exaltabitur* (*Luc.* xviii, 14); audiant elati : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Ibid.*) Audiant humiles : *Gloriam præcedit humilitas;* audiant elati : *Ante ruinam exaltatur spiritus* (*Prov.* xv, 33; xvi, 18). Audiant humiles : *Ad quem respiciam, nisi ad humilem et quietum, et trementem sermones meos* (*Isai.* lxvi, 2)? audiant elati : *Quid superbit terra et cinis* (*Eccli.* x, 9)? Audiant humiles : *Deus humilia respicit;* audiant elati : *Et alta a longe cognoscit* (*Psal.* cxxxvii, 6). Audiant **59** humiles, *quia Filius hominis non venit ministrari, sed ministrare* (*Matth.* xx, 28); audiant elati, *quia initium omnis peccati superbia est* (*Eccli.* x, 15). Audiant humiles, *quia Redemptor noster humiliavit semetipsum, factus obediens usque ad mortem* (*Philip.* II, 8); audiant elati quod de eorum capite scriptum est : *Ipse est rex super universos filios superbiæ* (*Job.* xli, 25). Occasio igitur perditionis nostræ facta est superbia diaboli, et argumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis enim noster inter omnia conditus, voluit videri supra omnia elatus : Redemptor autem noster magnus manens super omnia, [c] fieri inter omnia dignatus est parvus.

Dicatur ergo humilibus, quia dum se dejiciunt, ad Dei similitudinem ascendunt : dicatur elatis, quia dum se erigunt, in apostatæ angeli imitationem cadunt. Quid itaque elatione dejectius, quæ dum supra se tenditur, ab altitudine veræ celsitudinis elongatur? Et quid humilitate sublimius, quæ dum se in ima deprimit, auctori suo manenti super summa conjungit? Est tamen aliud quod in eis debeat caute pensari, quia sæpe quidam humilitatis decipiuntur specie, quidam vero elationis suæ ignoratione falluntur. Nam plerumque nonnullis qui sibi humiles videntur, is qui hominibus deferri non debet, conjunctus est timor; plerumque vero elatos comitari solet liberæ vocis assertio. Et cum quædam increpanda sunt vitia, illi reticent ex timore, et tamen tacere se æstimant ex humilitate, isti loquuntur per impatientiam elationis, et tamen se credunt loqui per libertatem rectitudinis. Illos ut perversa non increpent, sub specie humilitatis premit culpa formidinis; istos ad increpanda quæ non debent, aut magis increpanda quam debent, sub imagine libertatis effrenatio impellit tumoris. [d] Unde et elati admonendi sunt (II, *q.* 7, *c. Admonendi*), ne plus quam decet sint liberi; et humiles admonendi sunt, ne plus quam expedit sint subjecti, ne aut illi defensionem justitiæ vertant in exercitationem superbiæ, aut isti cum student plus quam necesse est hominibus subjici, compellantur eorum etiam vitia venerari.

Considerandum vero est quod plerumque elatos

[a] Gemet. ac pl. Norm., *tanto libentius.*

[b] Editi, *a furoris sui*, contra Mss. tam Angl. quam nostrorum fidem.

[c] De hoc loquendi modo Gregorio familiari, vide l. xv Moral., n. 20; l. xvi, n. 37, ac passim.

[d] Gratianus hæc referens, non verba sed sensum reddit.

utilius corripimus, si eorum correptionibus quædam laudum fomenta misceamus. Inferenda namque illis sunt aut alia bona quæ in ipsis sunt, aut dicendum certe quæ poterant esse si non sunt; et tunc demum resecanda sunt mala quæ nobis displicent, cum prius ad audiendum eorum placabilem mentem fecerint præmissa bona quæ placent. Nam et equos indomitos blanda prius manu tangimus, ut eos nobis plenius postmodum etiam per flagella subigamus. Et amaro pigmentorum poculo mellis dulcedo adjungitur, ne ea quæ saluti profutura est, in ipso gustu aspera amaritudo sentiatur; dum vero gustus per dulcedinem fallitur, [a] humor mortiferus per amaritudinem vacuatur. Ipsa ergo in elatis invectionis exordia, permixta sunt laude temperanda, ut dum admittunt favores quos diligunt, etiam correptiones recipiant quas oderunt.

Plerumque autem persuadere elatis utilia melius possumus, si profectum eorum nobis potius **60** quam illis profuturum dicamus, si eorum [b] meliorationem nobis magis quam sibi impendi postulemus. Facile enim ad bonum elatio flectitur, si et aliis ejus inflexio prodesse credatur. Unde Moyses, qui regente se Deo, deserti iter aerea columna duce pergebat [c] cum Hobab cognatum suum a gentilitatis conversatione vellet educere, et omnipotentis Dei dominio subjugare: *Proficiscimur ad locum quem Dominus daturus est nobis; veni nobiscum, ut bene faciamus tibi, quia Dominus bona promisit Israeli. Cui cum respondisset ille: Non vadam tecum, sed revertar in terram meam in qua natus sum; illico adjunxit: Noli nos relinquere; tu enim nosti in quibus locis per desertum castra ponere debeamus, et eris ductor noster* (*Num.* x, 29, *seq.*). Neque enim Moysi mentem ignorantia itineris angustabat, quem et [d] ad prophetiæ scientiam cognitio Divinitatis expanderat, quem columna exterius præibat, quem de cunctis interius per conversationem cum Deo sedulam locutio familiaris instruebat. Sed videlicet vir providus elato auditori colloquens, solatium petivit ut daret; ducem requirebat in via, ut dux ei fieri potuisset ad vitam. Egit itaque ut superbus auditor voci ad meliora suadenti eo magis fieret devotus, quo putaretur necessarius; et unde se exhortatorem suum præcedere crederet, inde se sub verbis exhortantis inclinaret.

## CAPUT XXIII [*Al. XLII*].

*Quomodo admonendi pertinaces et inconstantes.*

(*Admonitio* 19.) Aliter admonendi sunt pertinaces, atque aliter inconstantes. Illis dicendum est quod plus de se quam sunt sentiunt, et idcirco alienis consiliis non acquiescunt; istis vero intimandum est quod valde se despicientes negligunt, et ideo levitate cogitationum a suo judicio per temporum momenta flectuntur. Illis dicendum est quia nisi meliores se cæteris æstimarent, nequaquam cunctorum consilia suæ deliberationi postponerent; istis dicendum est quia si hoc quod sunt, utcunque attenderent, nequaquam eos per tot [e] varietatis latera mutabilitatis aura versaret. Illis per Paulum dicitur: *Nolite prudentes esse apud vosmetipsos* (*Rom.* xii, 16); at contra isti audiunt: *Non circumferamur omni vento doctrinæ* (*Ephes.* iv, 14). De illis per Salomonem dicitur: *Comedent fructus viæ suæ, suisque consiliis saturabuntur* (*Prov.* i, 31); de istis autem ab eo rursus scribitur: *Cor stultorum dissimile erit* (*Ibid.*, xv, 7). Cor quippe sapientum sibimetipsi semper est simile; quia dum rectis persuasionibus acquiescit, constanter se in bono opere dirigit. Cor vero stultorum dissimile est, quia dum mutabilitate se varium exhibet, nunquam id quod fuerat manet. Et quia quædam vitia sicut ex semetipsis gignunt alia, ita ex aliis oriuntur, sciendum summopere est quod tunc ea corripiendo melius tergimus, cum ab ipso amaritudinis suæ fonte siccamus. Pertinacia quippe ex superbia, inconstantia vero ex levitate generatur.

Admonendi igitur sunt pertinaces, ut elationem suæ cogitationis agnoscant, et semetipsos vincere studeant; ne dum rectis aliorum suasionibus foris superari despiciunt, intus a superbia **61** captivi teneantur. Admonendi sunt, ut solerter aspiciant quia Filius hominis, cui una semper cum Patre voluntas est, ut exemplum nobis frangendæ nostræ voluntatis præbeat, dicit: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus qui misit me Patris* (*Joan.* v, 30). Qui ut hujus adhuc virtutis gratiam commendaret, servaturum se hoc in extremo judicio præmisit, dicens: *Ego a me ipso non possum facere quidquam, sed sicut audio, judico* (*Ibid.*). Qua itaque [f] conscientia dedignatur homo alienæ voluntati acquiescere, quando Dei et hominis Filius, cum virtutis suæ gloriam venit ostendere, testatur se non a semetipso judicare?

At contra admonendi sunt inconstantes, ut mentem gravitate roborent. Tunc enim genimina in se mutabilitatis [g] arefaciunt, cum a corde prius radicem levitatis abscidunt, quia et tunc fabrica robusta construitur, cum prius locus solidus, in quo fundamentum poni debeat, providetur. Nisi ergo ante mentis levitas caveatur, cogitationum inconstantia minime vincitur. A quibus se alienum Paulus fuisse perhibuit, cum dicit: *Nunquid levitate usus sum? aut quæ cogito, secundum carnem cogito, ut sit apud me, est et non* (*I Cor.* i, 17)? Ac si aperte dicat: Idcirco mu-

[a] Laud. et secundus Gemet., *humor mortifer*. Sic quoque legitur in Gemet. primo, sed a secunda manu.

[b] Laud., Longip., Val. Cl., duo priores Gemet., et tertius Carnot., *moderationem*.

[c] Al., *Jetro*. Cod. Corb. habet utramque lectionem.

[d] Laud., Rothom., Lyr., *ad prophetæ*. In Trec., Corb. et plerisque legitur, *quam*, sc. mentem, pro *quem*.

[e] Edit. pleræque, *varietatis littora*, quibus ex Mss. ignoramus. Paulo post habent, *fructus vineæ suæ* pro *viæ*. Hebr. textus, ejusque versiones, nec non Mss. sancti Gregorii cogunt legere, *viæ suæ*.

[f] Laud., *constantia*.

[g] Laud, et tertius Gemet., *arescunt*. Alii Norm., *arefiunt*.

tabilitatis aura non moveor, quia levitatis vitio non succumbo.

## CAPUT XIX [*Al. XLIII*].

*Quomodo admonendi qui intemperantius, et qui parcius cibo utuntur.*

(*Admonitio* 20.) Aliter admonendi sunt gulæ dediti, atque aliter abstinentes. Illos enim superfluitas locutionis, levitas operis, atque luxuria ; istos vero sæpe impatientiæ, sæpe vero superbiæ culpa comitatur. Nisi enim gulæ deditos immoderata loquacitas raperet, dives ille qui epulatus quotidie dicitur splendide in lingua gravius non arderet, dicens : *Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, ut refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24). Quibus profecto verbis ostenditur quia epulando quotidie crebrius in lingua peccaverat, qui totus ardens refrigerari se præcipue in lingua requirebat. Rursum quia gulæ deditos levitas protinus operis sequitur, auctoritas sacra testatur, dicens : *Sedit populus manducare et bibere*, et *surrexerunt ludere* (*Exod.* XXXII, 6). Quos plerumque edacitas usque ad luxuriam pertrahit, quia dum satietate venter extenditur, aculei libidinis excitantur. Unde et hosti callido, qui primi hominis sensum in concupiscentia pomi aperuit, sed in peccati laqueo strinxit, divina voce dicitur : *Pectore et ventre repes* (*Gen.* III, 14), ac si ei aperte diceretur : Cogitatione et ingluvie super humana corda dominaberis. Quia gulæ deditos luxuria sequitur, propheta testatur, qui dum aperta narrat, occulta denuntiat, dicens : *Princeps cocorum destruxit muros Jerusalem* (*Jer.* XXXIX, 9 ; *IV Reg.* XXV, 10, *sec. LXX*). Princeps namque cocorum venter est (*Dist.* 44, *initio*), cui magna cura obsequium a cocis impenditur, ut ipse delectabiliter cibis impleatur. Muri autem Jerusalem virtutes sunt animæ, ad desiderium supernæ pacis elevatæ. Cocorum igitur princeps muros Jerusalem dejicit ; quia dum venter ingluvie extenditur, virtutes animæ per luxuriam destruuntur.

**62** Quo contra nisi mentes abstinentium plerumque impatientia a sinu tranquillitatis excuteret, nequaquam Petrus cum diceret : *Ministrate in fide vestra virtutem, in virtute autem scientiam, in scientia autem abstinentiam* (*II Petr.* I, 5) ; protinus vigilanter adjungeret, dicens : *In abstinentia autem patientiam*. Deesse quippe abstinentibus patientiam prævidit, quæ eis ut adesset admonuit. Rursum nisi cogitationes abstinentium nonnunquam superbiæ culpa transfigeret, Paulus minime dixisset : *Qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV. 3). Qui rursum ad alios loquens, dum de abstinentiæ virtute gloriantium præcepta perstringeret, adjunxit : *Quæ sunt rationem quidem habentia sapientiæ in superstitione et humilitate, et non ad parcendum corpori, non in honore aliquo ad saturitatem carnis* (*Coloss.* II, 23). Qua in re notandum est quod in disputatione sua prædicator egregius superstitioni humilitatis speciem jungit, quia dum plus quam necesse est per abstinentiam caro atteritur, humilitas foris ostenditur, sed de hac ipsa humilitate graviter interius superbitur. Et nisi aliquando mens ex abstinentiæ virtute tumesceret, nequaquam hanc velut inter magna merita Pharisæus arrogans studiose numeraret, dicens : *Jejuno bis in sabbato* (*Luc.* XVIII, 12). Admonendi ergo sunt gulæ dediti, ne in eo quod escarum delectationi incubant, luxuriæ se mucrone transfigant ; et quanta sibi per esum loquacitas, quanta mentis levitas insidietur, aspiciant, ne dum ventri molliter serviunt, vitiorum laqueis crudeliter astringantur. Tanto enim longius a secundo parente receditur, quanto per immoderatum usum dum manus ad cibum tenditur, parentis primi lapsus iteratur. At contra admonendi sunt abstinentes, ut sollicite semper aspiciant, ne cum gulæ vitium fugiunt, acriora his vitia quasi ex virtute generentur ; ne dum carnem macerant, ad impatientiam spiritus erumpant : et nulla jam virtus sit quod caro vincitur, si spiritus ab ira superatur. Aliquando autem dum mens abstinentium ab ira se deprimit, hanc quasi peregrina veniens lætitia corrumpit, et eo abstinentiæ bonum deperit, quo sese a spiritalibus vitiis minime custodit. Unde recte per prophetam dicitur : *In diebus jejuniorum vestrorum inveniuntur voluntates vestræ* (*Isai.* LVIII, 3, *sec. LXX*). Et paulo post : *In judicia et rixas jejunatis, et percutitis pugnis* (*Ibid.*) [a] Voluntas quippe ad lætitiam pertinet, pugnus ad iram. Incassum ergo per abstinentiam corpus atteritur, si inordinatis dimissa motibus mens vitiis dissipatur. Rursumque admonendi sunt, ut abstinentiam suam et semper sine imminutione custodiant et nunquam hanc apud occultum judicem eximiæ virtutis credant, ne si fortasse magni esse meriti creditur, cor in elationem sublevetur. Hinc namque per prophetam dicitur : *Nunquid tale est jejunium quod elegi? Sed frange esurienti panem tuum, et egenos vagosque induc in domum tuam* (*Ibid.*, 5).

Qua in re pensandum est virtus abstinentiæ quam parva respicitur, quæ nonnisi ex aliis virtutibus commendatur. Hinc Joel ait : *Sanctificate jejunium*. Jejunium quippe sanctificare, est adjunctis aliis bonis dignam Deo abstinentiam carnis ostendere. Admonendi sunt abstinentes, ut noverint quia tunc placentem Deo abstinentiam offerunt, **63** cum ea quæ sibi de alimentis subtrahunt, indigentibus largiuntur. Solerter namque audiendum est, quod per prophetam Dominus redarguit, dicens : *Cum jejunaretis et plangeretis in quinto et in septimo mense per hos septuaginta annos, nunquid jejunium jejunastis*

[a] Trec., Carnot. primus et Belv., a prima manu, *voluptas*. Retinuimus *voluntas*, quod referatur ad locum Isaiæ ; in quo legitur *voluntates vestræ*. Quanquam in Trecensi legamus, *voluptates*. At in Hebr. fonte et in translatione septuaginta Interp. ex qua desumuntur laudata verba, legitur *voluntas* aut *voluntates*. In versionibus Syriaca et Arabica habes, *cupiditatibus indulgetis, cupiditates quæritis*. Verum hic *cupiditates* non possunt significare *voluptates*, sed propriam voluntatem.

*mihi? Et cum* [a] *comedistis et bibistis, nunquid non vobismetipsis comedistis, et vobismetipsis bibistis* (*Zach.* VII, 5 *seq.*)? Non enimDeo, sed sibi quisque jejunat, si ea quæ ventri ad tempus subtrahit, non egenis tribuit, sed ventri postmodum offerenda custodit.

Itaque ne aut illos appetitus gulæ a mentis statu dejiciat, aut istos afflicta caro ex elatione supplantet, audiant illi ex ore Veritatis : *Attendite autem vobis, ne forte graventur corda vestra in crapula et ebrietate, et curis hujus mundi* (*Luc.* XXI, 34). Ubi utilis quoque pavor adjungitur : *Et superveniat in vos repentina dies illa. Tanquam laqueus enim superveniet in omnes, qui sedent super faciem omnis terræ* (*Ibidem*, 35). Audiant isti : *Non quod intrat in os, coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, coinquinat hominem* (*Matth.* XV, 11). Audiant illi : *Esca ventri, et venter escis ; Deus autem et hunc* [b] *et has destruet* (*I Cor.* VI, 13). Et rursum : *Non in commessationibus et ebrietatibus* (*Rom.* XIII, 13). Et rursum : *Esca nos non commendat Deo* (*I Cor.* VIII, 8). Audiant isti, *quia omnia munda mundis ; coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum* [*Tit.* I, 15). Audiant illi : *Quorum deus venter est, et gloria in confusione ipsorum* (*Philip.* III, 19). Audiant isti : *Discedent quidam a fide* (*I Tim.* IV, 1, 3). Et paulo post : *Prohibentium nubere, abstinere a cibis, quos Deus creavit ad percipiendum cum gratiarum actione fidelibus et his qui cognoverunt veritatem.* Audiant illi : *Bonum est non manducare carnem, neque bibere vinum : neque in quo frater tuus scandalizatur* (*Rom.* XIV, 21). Audiant isti : *Modico vino utere propter stomachum et frequentes tuas infirmitates* (*I Tim.* V, 23). Quatenus et illi discant cibos carnis [c] inordinate non appetere, et isti creaturam Dei quam non appetunt, non audeant condemnare.

## CAPUT XX [*Al. XLIV*].

*Quomodo admonendi qui sua distribuunt, et qui rapiunt aliena.*

(*Admonitio* 21.) Aliter admonendi sunt qui jam sua misericorditer tribuunt, atque aliter qui adhuc et aliena rapere contendunt. Admonendi namque sunt qui jam sua misericorditer tribuunt, ne cogitatione tumida super eos se quibus terrena largiuntur, extollant; ne idcirco se meliores æstiment, quia contineri per se cæteros vident. Nam terrenæ domus dominus famulorum ordines ministeriaque dispertiens, hos ut regant, illos vero statuit ut ab aliis regantur. Istos jubet ut necessaria cæteris præbeant, illos ut accepta ab aliis sumant. Et tamen plerumque offendunt qui regunt, et in patrisfamilias gratia permanent qui reguntur. Iram merentur qui dispensatores sunt, sine offensione perdurant qui ex aliena dispensatione subsistunt. Admonendi sunt igitur qui jam quæ possident misericorditer tribuunt, ut a cœlesti Domino dispensatores se positos subsidiorum temporalium agnoscant; et tanto humiliter præbeant, quanto et aliena esse intelligunt quæ dispensant. Cumque in illorum ministerio quibus accepta largiuntur 6¼ constitutos se esse considerant, nequaquam eorum mentes tumor sublevet, sed timor premat. Unde et necesse est ut sollicite perpendant [d] ne commissa indigne distribuant; ne quædam quibus nulla, ne nulla quibus quædam; ne multa quibus pauca, ne pauca præbeant quibus impendere multa debuerunt; ne præcipitatione hoc quod tribuunt inutiliter spargant; ne tarditate petentes noxie crucient; ne recipiendæ hic gratiæ intentio subrepat; ne dationis lumen laudis transitoriæ appetitio exstinguat; ne oblatum munus conjuncta tristitia obsideat; ne in bene oblato munere animus plus quam decet hilarescat, ne sibi quidquam, cum totum recte impleverint, tribuant, et simul omnia postquam peregerint perdant. Ne enim sibi virtutem suæ liberalitatis deputent, audiant quod scriptum est : *Si quis administrat, tanquam ex virtute quam administrat Deus* (*I Petr.* IV, 11). Ne in benefactis immoderatius gaudeant, audiant quod scriptum est : *Cum feceritis omnia quæ præcepta sunt vobis, dicite : Servi inutiles sumus, quod debuimus facere,* [e] *fecimus* (*Luc.* XVII, 10). Ne largitatem tristitia corrumpat, audiant quod scriptum est : *Hilarem enim datorem diligit Deus* (*II Cor.* IX, 7). Ne ex impenso munere transitoriam laudem quærant, audiant quod scriptum est : *Nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua* (*Matth.* VI, 3); Id est, piæ dispensationi nequaquam se gloria vitæ præsentis admisceat, sed opus rectitudinis [f] appetitio ignoret favoris. Ne impensæ gratiæ vicissitudinem requirant, audiant quod scriptum est : *Cum facis prandium aut cœnam, noli vocare amicos tuos, neque fratres tuos, neque cognatos, neque vicinos divites, ne forte et ipsi te reinvitent, et fiat tibi retributio : sed cum facis convivium, voca pauperes, debiles, claudos cæcos; et beatus eris, quia non habent* [g] *unde retribuere tibi* (*Luc.* XIV, 12 *seq.* etc.) Ne quæ præbenda sunt citius, sero præbeantur, audiant quod scriptum est : *Ne dicas amico tuo : Vade et revertere, et cras dabo tibi, cum statim possis dare* (*Prov.* III, 28). Ne sub obtentu [h] largitatis ea quæ possident inutiliter spargant, audiant quod scriptum est : *Sudet elecmosyna in manu tua.* Ne cum multa necesse sint, pauca largiantur, audiant quod scriptum est : *Qui parce seminat, parce et metet* (*II Cor.* IX, 6). Ne cum pauca oportet, plurima præbeant et ipsi postmodum minime inopiam tolerantes ad impatientiam erumpant, audiant quod scriptum est : *Non ut aliis sit remissio, vobis autem tribulatio, sed ex*

[a] Laud., Val. Cl. Corb., Gemet., *comeditis et bibitis.* Trec., *cum comedi is et cum bibitis.*
[b] Laud. Trec. et duo priores Gemet., *et hæc.*
[c] Gemet. et Laud., *immoderate.*
[d] Corb. hic et deinceps longa serie habet *nec*, pro *ne.*
[e] Aud. primus, *non fecimus.*
[f] In Edit., *appetitionem.* Cogimur sequi Mss. turbam, et quidem optimorum, sc., Trec., Laud., Corb., duorum priorum Carnot.
[g] Ita Corb., Trec., Laud., Gemet. Consentit vet. Edit. 1518. Aliæ habent, *unde retribuant.*
[h] Laud. et nonnulli, *pietatis.*

*æqualitate, vestra abundantia illorum inopiam suppleat, et ut illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum* (*Ibid.* VIII, 13, 14). Cum enim dantis mens ferre inopiam nescit, si multa sibi subtrahit, occasionem contra se impatientiæ exquirit. Prius namque præparandus est patientiæ animus, et tunc aut multa sunt aut cuncta largienda, ne dum minus æquanimiter inopia irruens fertur, et præmissæ largitatis merces pereat, et adhuc mentem deterius murmuratio subsequens perdat. Ne omnino nihil eis præbeant, quibus conferre aliquid parvum debent, audiant quod scriptum est : *Omni petenti te tribue* (*Luc.* VI, 30). Ne saltem aliquid præbeant, quibus omnino conferre nil debent, audiant quod scriptum est : *Da bono, et non receperis peccatorem ; benefac humili, et non dederis impio* (*Eccli.* XII, 4). Et rursum : *Panem tuum et vinum super sepulturam justi constitue, et noli ex eo manducare et bibere cum peccatoribus* (*Tob.* IV, 17).

**65** Panem enim suum et vinum peccatoribus præbet, qui iniquis subsidia pro eo quod iniqui sunt impendit. Unde et nonnulli hujus mundi divites, cum fame crucientur Christi pauperes, effusis largitatibus nutriunt histriones. Qui vero indigenti etiam peccatori panem suum, non quia peccator, sed quia homo est, tribuit ; nimirum non peccatorem, sed justum pauperem nutrit, quia in illo non culpam, sed naturam diligit.

Admonendi sunt etiam qui jam sua misericorditer largiuntur, ut sollicite custodire studeant, ne cum emmissa peccata eleemosynis redimunt, adhuc redimenda committant ; ne venalem Dei justitiam æstiment, si cum curant pro peccatis nummos tribuere, arbitrentur se posse inulte peccare. *Plus est* namque *anima quam esca, et corpus quam vestimentum* (*Matth.* VI, 25 ; *Luc.* XII, 23). Qui ergo escam aut vestimentum pauperibus largitur, sed tamen animæ vel corporis iniquitate polluitur, quod minus est justitiæ obtulit, et quod majus est, culpæ ; sua enim Deo dedit, et se diabolo.

At contra admonendi sunt qui adhuc et aliena rapere contendunt, ut sollicite audiant quid veniens in judicium Dominus dicat. Ait namque : *Esurivi, et non dedistis mihi manducare ; sitivi, et non dedistis mihi bibere ; hospes eram, et non collegistis me ; nudus, et non operuistis me ; infirmus et in carcere, et non visitastis me* (*Matth.* XXV, 35, 36). Quibus etiam præmittit, dicens : *Discedite a me, maledicti, in ignem æternum, qui paratus est diabolo et angelis ejus* (*Matth.* XXV, 41). Ecce nequaquam audiunt, [a] quia rapinas vel quælibet alia violenta commiserunt, et tamen æternis gehennæ ignibus mancipantur. Hinc ergo colligendum est quanta damnatione plectendi sunt qui rapiunt aliena, si tanta animadversione feriuntur qui sua indiscrete tenuerunt. Perpendant A quo eos obliget reatu res rapta, si tali subjicit pœnæ non tradita. Perpendant quid mereatur injustitia illata, si tanta percussione digna est pietas non impensa.

Cum aliena rapere intendunt, audiant quod scriptum est : *Væ ei qui multiplicat non sua ; usquequo aggravat contra se densum lutum* (*Habac.* II, 6) ? Avaro quippe contra se densum lutum aggravare, est terrena lucra cum pondere peccati cumulare. Cum multiplicare large habitationis spatia cupiunt, audiant quod scriptum est : *Væ qui conjungitis domum ad domum, et agrum agro copulatis, usque ad terminum loci. Nunquid habitabitis soli vos in medio terræ* (*Isai.* V, 8) ? Ac si aperte diceret : Quousque vos extenditis, [b] qui habere in communi mundo consor- B tes minime potestis ? Conjunctos quidem premitis, sed contra quos valeatis vos extendere, semper invenitis. Cum augendis pecuniis inhiant, audiant quod scriptum est : *Avarus non impletur pecunia ; et qui amat divitias, non capiet fructus ex eis* (*Eccle.* V, 9). Fructus quippe ex illis caperet, si eas bene spargere non amando voluisset. Qui vero eas diligendo retinet, hic utique sine fructu derelinquet. Cum repleri cunctis simul [c] opibus inardescunt, audiant quod scriptum est : *Qui festinat ditari, non erit innocens* (*Prov.* XXVIII, 20) ; profecto enim qui augere opes ambit, vitare peccatum negligit ; et more avium captus, cum escam terrenarum rerum avidus conspicit, quo stranguletur peccati laqueo non agnoscit. **66** Cum C quælibet præsentis mundi lucra desiderant, et ea quæ de futuro [d] damna patientur, ignorant, audiant quod scriptum est : *Hæreditas ad quam festinatur in principio, in novissimo benedictione carebit* (*Prov.* XX, 21). Ex hac quippe vita initium ducimus, ut ad benedictionis sortem in novissimo veniamus : qui itaque in principio hæreditari festinant, sortem sibi in novissimo [e] benedictionis amputant ; quia dum per avaritiæ nequitiam hic multiplicari appetunt, illic ab æterno patrimonio exhæredes fiunt. Cum vel plurima ambiunt, vel obtinere cuncta quæ ambierint possunt, audiant quod scriptum est : *Quid prodest homini si totum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum faciat* (*Matth.* XVI, 26) ? Ac si aperte Veritas dicat : Quid prodest homini si totum quod extra se est congregat, si hoc ipsum solum quod ipse D est, damnat ? Plerumque autem citius raptorum avaritia corrigitur, si in verbis admonentis quam fugitiva sit præsens vita, monstretur : si eorum ad medium memoria deducatur, qui et ditari in hoc mundo diu conati sunt, et tamen in adeptis divitiis diu manere nequiverunt, quibus festina mors repente et simul abstulit quidquid eorum nequitia nec simul nec repente congregavit ; qui non solum hic rapta reliquerunt, sed secum ad judicium causas rapinæ

[a] Corb., Belv., et duo priores Carnot., *qui rapinus.*

[b] Trec., tres Gemet., Rothom., Audoen., Lyr., *qui non habere in communi mundo minime potestis.* Fortasse hic *minime*, non habet vim negandi, sed significat : *ne minimam quidem mundi portionem aliis habitandam conceditis.* Vide supra, c. 13, nota *e.*

[c] In vet. Edit. 1518 et Gussanv., *operibus*, crasso errore.

[d] Vitiose in Excusis, *de futuro damno.*

[e] Gussanv., non minori errore, *benedictione.*

detulerunt. Horum itaque exempla audiant, quos in verbis suis proculdubio et ipsi condemnant; ut cum post verba ad cor redeunt, imitari saltem quos judicant, erubescant.

## CAPUT XXI [*Al. XLV*].

*Quomodo admonendi qui aliena non appetunt, sed sua retinent; et qui sua tribuentes, aliena tamen rapiunt.*

(*Admonitio* 22.) Aliter admonendi sunt qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur; atque aliter qui et ea quæ habent tribuunt, et tamen aliena rapere non desistunt. Admonendi sunt qui nec aliena appetunt, nec sua largiuntur, ut sciant sollicite quod ea de qua sumpti sunt, cunctis hominibus terra communis est, et idcirco alimenta quoque omnibus communiter profert. Incassum ergo se innocentes putant, qui commune Dei munus sibi privatum vindicant; qui cum accepta non tribuunt, in proximorum nece grassantur, quia tot pene quotidie perimunt, quot morientium pauperum apud se subsidia abscondunt. Nam cum quælibet necessaria indigentibus ministramus, sua illis reddimus, non nostra largimur; justitiæ debitum potius solvimus, quam misericordiæ opera implemus. Unde et ipsa Veritas cum de misericordia caute exhibenda loqueretur, ait: *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus* (*Matth.* VI, 1). Cui quoque sententiæ etiam Psalmista concinens dicit: *Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in æternum* (*Psal.* CI, 9). Cum enim largitatem impensam pauperibus præmisisset, non hanc vocare misericordiam, sed justitiam maluit; quia quod a communi Domino tribuitur, justum profecto est, ut quicunque accipiunt, eo communiter utantur. Hinc etiam Salomon ait: *Qui justus est, tribuet et non cessabit* (*Prov.* XXI, 26). Admonendi sunt quoque ut sollicite attendant quod ficulnea quæ fructum non habuit, contra hanc districtus agricola queritur, quod etiam terram occupavit. **67** Terram quippe ficulnea sine fructu occupat, quando mens tenacium hoc quod prodesse multis poterat, inutiliter servat. Terram ficulnea sine fructu occupat, quando locum quem exercere alius [a] per solem boni operis valuit, stultus per desidiæ umbram premit.

Illi autem nonnunquam dicere solent: Concessis utimur, aliena non quærimus, et si digna misericordiæ retributione non agimus, nulla tamen perversa perpetramus. Quod idcirco sentiunt, quia videlicet aurem cordis a verbis cœlestibus claudunt. Neque enim dives in Evangelio, qui induebatur purpura et bysso, qui epulabatur quotidie splendide (*Luc.* XVI, 19, *seq.*), aliena rapuisse, sed infructuose propriis usus fuisse perhibetur, eumque post hanc vitam ultrix gehenna suscepit, non quia aliquid illicitum gessit, sed quia immoderato usu totum se licitis tradidit.

Admonendi sunt tenaces, ut noverint quod hanc primam injuriam faciunt Deo, quia danti sibi omnia, nullam misericordiæ hostiam reddunt. Hinc enim Psalmista ait: *Non dabit Deo propitiationem suam, nec pretium redemptionis animæ suæ* (*Psal.* XLVIII, 8). Pretium namque redemptionis dare, est opus bonum prævenienti nos gratiæ reddere. Hinc Joannes exclamat dicens: *Jam securis ad radicem arboris posita est. Omnis arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, et in ignem mittetur* (*Luc.* III, 9). Qui ergo se innoxios, quia aliena non rapiunt æstimant, ictum securis vicinæ prævideant, et torporem improvidæ securitatis amittant, ne cum ferre fructum boni operis negligunt, a præsenti vita funditus [b] quasi a viriditate radicis exsecentur.

At contra admonendi sunt, qui et ea quæ habent tribuunt, et aliena rapere non desistunt, [c] ne valde munifici videri appetant, et de boni specie deteriores fiant. Hi etenim propria indiscrete tribuentes, non solum ut supra jam diximus, ad impatientiæ murmurationem proruunt; sed cogente se inopia, usque ad avaritiam devolvuntur. Quid ergo eorum mente infelicius, quibus de largitate nascitur avaritia, et peccatorum seges quasi ex virtute seminatur? Prius itaque admonendi sunt ut tenere sua rationabiliter sciant, et tunc demum ut aliena non ambiant. Si enim radix culpæ in ipsa effusione non exuritur, nunquam per ramos exuberans avaritiæ spina [d] siccatur. Occasio ergo rapiendi subtrahitur, si bene prius jus possidendi disponatur. Tunc vero admoniti audiant, quomodo quæ habent misericorditer tribuant, quando nimirum didicerunt ut bona misericordiæ per interjectam rapinæ nequitiam non confundant. Violenter enim exquirunt quæ misericorditer largiuntur. Sed aliud est pro peccatis misericordiam facere, aliud pro misericordia facienda peccare: quæ jam nequaquam misericordia nuncupari potest, quia ad dulcem fructum non proficit quæ per virus pestiferæ radicis amarescit. Hinc est enim quod ipsa etiam sacrificia per prophetam Dominus reprobat, dicens: *Ego Dominus diligens judicium, et odio habens rapinam in holocausto* (*Isai.* LXI, 8). Hinc iterum dixit: *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ* **68** *offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXI, 27). Qui sæpe quoque et indigentibus subtrahunt quæ Deo largiuntur. Sed quanta eos animadversione renuat [e] per quemdam sapientem Dominus demonstrat, dicens: *Qui offert sacrificium de substantia pauperis, quasi qui victimat filium in conspectu patris sui* (*Eccli.* XXXIV. 24). Quid namque esse intolerabilius potest, quam mors filii ante oculos patris? Hoc itaque

[a] Carnot. primus, *per sobolem boni operis*; alii contradicunt, aliundeque legendum *solem* probat *umbræ* oppositio.

[b] Corrupte Guss., *quasi ariditate radicis exsiccentur*. Lectioni nostræ favent duo Mss. S. Germ. et cæteri. Ratio quoque suffragatur; nam *exsecentur* optime refertur ad ea quæ immediate præmissa sunt: *ictum securis vicinæ prævideant*.

[c] Excusi, inconsultis Mss., *ne dum valde munifici videri appetunt, de boni*.

[d] Carnot. secundus, *secatur*.

Duo priores Gemet., *per Salomonem*. In Trec. legitur, *quemdam sapientem*. At in marg. notatur eadem manu, *Aput Salomonem*, id est, *apud Sal.* Nam in vet. Mss. *t* pro *d* solet usurpari. Eadem nota legitur infra in hoc Cod. in Admon. 31, ubi laudatur alius Ecclesiastici locus.

sacrificium quanta ira aspiciatur ostenditur, quod orbati patris dolori comparatur. Et tamen plerumque quanta tribuunt, pensant; quanta autem rapiunt, considerare dissimulant. Quasi mercedem numerant, et perpendere culpas recusant. Audiant itaque quod scriptum est: *Qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum* (*Aggæi.* VI). In sacculo quippe pertuso videtur, quando pecunia mittitur; sed quando amittitur, non videtur. Qui ergo quanta largiuntur aspiciunt, sed quantum rapiunt non perpendunt, in pertuso sacculo mercedes mittunt, quia profecto has [a] in spem suæ fiduciæ intuentes congerunt, sed non intuentes perdunt.

## CAPUT XXIII. [*Al. XLVI*].

*Quomodo admonendi sunt discordes et pacati.*

(*Admonitio* 23.) Aliter admonendi sunt discordes, atque aliter pacati. Discordes namque admonendi sunt ut certissime sciant quia quantislibet virtutibus polleant, spiritales fieri nullatenus possunt, si uniri per concordiam proximis negligunt. Scriptum quippe est: *Fructus autem spiritus est charitas, gaudium, pax* (*Gal.* V, 22). Qui ergo servare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat. Hinc Paulus ait: *Cum sit inter vos zelus et contentio, nonne carnales estis* (*I Cor.* III, 3)? Hinc iterum quoque dicit: *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII, 14). Hinc rursum admonens ait: *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis: unum corpus et unus spiritus, sicut vocati estis in una spe vocationis vestræ* (*Ephes.* IV, 3, 4). Ad unam ergo vocationis spem nequaquam pertingitur, si non ad eam unita cum proximis mente curratur. At sæpe nonnulli quo quædam specialiter dona percipiunt, eo superbiendo donum concordiæ quod majus est, amittunt; ut si fortasse carnem præ cæteris gulæ refrenatione quis edomat, concordare eis quos superat abstinendo contemnat. Sed qui abstinentiam a concordia separat, quid admoneat Psalmista perpendat; ait enim: *Laudate eum in tympano et choro* (*Psal.* CL, 4). In tympano namque sicca et percussa pellis resonat, in choro autem [b] voces societate concordant. Quisquis itaque corpus affligit, sed concordiam deserit, Deum quidem laudat in tympano, sed non laudat in choro. Sæpe vero dum quosdam major scientia erigit, a cæterorum societate disjungit, et quasi quo plus sapiunt, eo a concordiæ virtute desipiscunt. Hi itaque audiant quid per semetipsam Veritas dicat: *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Sal quippe sine pace non virtutis est donum, sed damnationis argumentum. Quo enim quisque melius sapit, [c] eo deterius delinquit; et idcirco inexcusabiliter merebitur supplicium, quia prudenter **69** si voluisset, potuit vitare peccatum. Quibus recte quoque per Jacobum dicitur: *Quod si zelum amarum habetis, et contentiones sunt in corde vestro, nolite gloriari, et mendaces esse adversum veritatem. Non est ista sapientia desursum descendens, sed terrena, animalis, diabolica. Quæ autem desursum est sapientia primum quidem pudica est, deinde pacifica* (*Jac.* III, 14, 15, 17). Pudica videlicet, quia caste intelligit; pacifica autem, [d] quia per elationem se minime a proximorum societate disjungit. Admonendi sunt dissidentes, ut noverint quod tandiu nullum boni operis Deo sacrificium immolant, quandiu a proximorum charitate discordant. Scriptum namque est: *Si offers munus tuum ad altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V, 28, 24). Ex qua scilicet præceptione pensandum est quorum hostia repellitur, quam intolerabilis culpa monstratur. Nam cum mala cuncta bonis sequentibus diluantur, pensemus quanta sint mala discordiæ, quæ nisi exstincta funditus fuerint, bonum subsequi non permittunt. Admonendi sunt discordes, ut si aures a mandatis cœlestibus [e] declinant, mentis oculos ad consideranda ea quæ in infimis versantur aperiant; quod sæpe aves unius ejusdemque generis sese socialiter volando non deserunt, et quod gregatim animalia bruta pascuntur. Quia si solerter aspicimus, concordando sibi irrationalis natura indicat, quantum malum per discordiam rationalis natura committat, quando hæc [f] a rationis intentione perdidit, quod illa motu naturali custodit.

At contra admonendi sunt pacati, ne dum plus quam necesse est, pacem quam possident amant, ad perpetuam pervenire non appetant. Plerumque enim gravius intentionem mentium rerum tranquillitas tentat; ut quo non sunt molesta quæ tenent, eo minus amabilia fiant quæ vocant; et quo delectant præsentia, eo non inquirantur æterna. Unde et per semetipsam Veritas loquens, cum terrenam pacem a superna distingueret, atque ad venturam discipulos ex præsenti provocaret, ait: *Pacem relinquo vobis, pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27). Relinquo scilicet transitoriam, do mansuram. Si ergo in ea cor quæ relicta est figitur, nunquam ad illam quæ danda est, pervenitur. Pax igitur præsens ita tenenda est, et ut diligi debeat et contemni; ne si immoderate diligitur, diligentis animus in culpa capiatur. Unde et admonendi sunt pacati, ne dum nimis humanam pacem desiderant, pravos hominum mores nequaquam redarguant; et consentiendo perversis, ab auctoris sui se pace disjungant; ne dum humana foras jurgia metuunt, interni fœderis [g] discissione feriantur. Quid est enim pax transitoria, nisi quoddam vestigium pacis æternæ? Quid ergo esse dementius potest, quam vestigia in pulvere impressa diligere, sed ipsum a quo impressa sunt, non amare?

[a] Laud. et primus Aud., *in specie suæ fiduciæ.*
[b] Editoribus magis placuit, *voces societæ*, invitis omnibus Mss. nostris.
[c] Laud., *eo concordiam deserens deterius delinquit.*
[d] Corb., *quia prælatione.*
[e] Corb., *non declinant.*
[f] Laud. et Val. Cl., *cum rationis.* Et quidem sensu meliori. Cogimur tamen sequi Trec. et cæteros Cod., tum manu exaratos, tum excusos.
[g] Belv. et duo priores Carn., *discussione.*

Hinc David dum totum se ad fœdera pacis internæ constringeret, testatur quod cum malis concordiam non teneret, dicens : *Nonne qui te oderunt, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, inimici facti sunt mihi* (*Psal.* CXXXVIII, 21, 22). Inimicos etenim Dei perfecto odio odisse, est et quod facti sunt diligere, **70** et quod faciunt increpare; mores parvorum premere, vitæ prodesse.

Pensandum ergo est, quando ab increpatione quiescitur, quanta culpa cum pessimis pax tenetur, si propheta tantus hoc velut in hostiam Deo obtulit, quod contra se pro Domino pravorum inimicitias excitavit. Hinc est quod tribus Levi assumptis gladiis per castrorum media transiens, quia feriendis noluit peccatoribus parcere, Deo manus dicta est consecrasse (*Exod.*, XXXII, 27, *seq.*). Hinc Phinees peccantium civium gratiam spernens, coeuntes cum Madianitis perculit, et iram Domini iratus placavit (*Num.* XXV, 9). Hinc per semetipsam Veritas [a] dicit : *Nolite arbitrari, quia venerim pacem mittere in terram. Non veni pacem mittere, sed gladium* (*Matth.* X, 34). Malorum namque cum incaute amicitiis jungimur, culpis ligamur. Unde Josaphat, qui tot de anteacta vita præconiis attollitur, de Achab regis amicitiis pene periturus increpatur. Cui a Domino per prophetam dicitur : *Impio præbes auxilium, et his qui oderunt Dominum, amicitia jungeris ; et idcirco iram quidem Domini merebaris, sed bona opera inventa sunt in te, eo quod abstuleris lucos de terra Juda* (*II Par.* XIX, 24). Ab illo enim qui summe rectus est, eo ipso jam discrepat, quo perversorum amicitiis vita nostra concordat. Admonendi sunt pacati, ne si ad correptionis verba prosiliant, temporalem pacem sibi perturbare formident. Rursumque admonendi sunt, ut eamdem pacem dilectione integra intrinsecus teneant, quam per invectionem vocis sibi extrinsecus turbant. Quod utrumque provide se David servasse perhibet, cum dicit : *Cum his qui oderunt pacem, eram pacificus, cum loquebar illis, impugnabant me gratis* (*Psal.* CXIX, 7). Ecce et loquens impugnabatur ; et tamen impugnatus, erat pacificus, quia nec insanientes cessabat reprehendere, nec reprehensos negligebat amare. Hinc etiam Paulus ait : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII, 18). Hortaturus enim discipulos ut pacem cum omnibus haberent, præmisit, dicens : *Si fieri potest*, atque subjunxit : *Quod ex vobis est.* Difficile quippe erat ut si male acta corriperent, habere pacem cum omnibus possent. Sed cum temporalis pax in pravorum cordibus ex nostra increpatione confunditur, inviolata necesse est ut in nostro corde servetur. Recte itaque ait : *Quod ex vobis est.* Ac si nimirum dicat : Quia pax ex duarum partium consensu subsistit, si ab eis qui corripiuntur expellitur, integra tamen in vestra qui corripitis mente teneatur. Unde idem rursum discipulos admonet, dicens : *Si quis non obedit verbo nostro, per epistolam hunc notate : et non commisceamini cum illo, ut confundatur* (*II Thess.* III, 14). Atque illico adjunxit : *Et nolite ut inimicum existimare illum, sed corripite ut fratrem* (*Ibid.*, 15). Ac si diceret : Pacem cum eo exteriorem solvite, sed interiorem circa illum medullitus custodite ; ut peccantis mentem sic vestra discordia feriat, quatenus pax a cordibus vestris nec abnegata discedat.

## CAPUT XXIII [*Al. XLVII*].

*Quomodo admonendi qui jurgia serunt, et pacifici.*

(*Admonitio* **24.**) Aliter admonendi sunt seminantes jurgia, atque aliter pacifici. Admonendi namque sunt qui **71** jurgia seminant, ut cujus sint sequaces agnoscant. De apostata quippe angelo scriptum est, cum bonæ messi [b] inserta fuisset zizania : *Inimicus homo hoc fecit* (*Matth.* XIII, 28). De cujus etiam membro per Salomonem dicitur : *Homo apostata, vir inutilis, graditur ore perverso, annuit oculis, terit pede ; digito loquitur, pravo corde machinatur malum, et omni tempore jurgia seminat* (*Prov.* VI, 12). Ecce quem seminantem jurgia dicere voluit, prius apostatam nominavit : quia nisi more superbientis angeli a conspectu Conditoris prius intus aversione mentis caderet, foras postmodum usque ad seminanda jurgia non veniret. Qui recte describitur quod annuit oculis, digito loquitur, terit pede. Interior namque est custodia, [c] quæ ordinata servat exterius membra. Qui ergo statum mentis perdidit, subsequenter foras in inconstantiam motionis fluit, atque exteriori mobilitate indicat, quod nulla interius radice subsistat. Audiant jurgiorum seminatores quod scriptum est : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* V, 9). Atque e diverso colligant, quia si filii Dei vocantur qui pacem faciunt, proculdubio Satanæ sunt filii qui confundunt. Omnes autem qui per discordiam separantur a viriditate dilectionis, arefiunt. Qui etsi boni operis fructus in suis actionibus proferunt, profecto nulli sunt, quia non [d] ex unitate charitatis oriuntur. Hinc ergo perpendant seminantes jurgia, quam multipliciter peccant : qui dum unam nequitiam perpetrant, ab humanis cordibus cunctas simul virtutes eradicant. In uno enim malo innumera peragunt, quia seminando discordiam, charitatem quæ nimirum virtutum omnium mater est, exstinguunt. Quia autem nihil pretiosius est Deo virtute dilectionis, nil est desiderabilius diabolo exstinctione charitatis. Quisquis ergo seminando jurgia dilectionem proximorum perimit, hosti Dei familiarius servit, quia qua ille amissa cecidit, hanc iste vulneratis cordibus subtrahens, eis iter ascensionis abscidit.

At contra admonendi sunt pacifici, ne tantæ actionis pondus levigent, si inter quos fundare pacem

[a] Hic restituimus textum Evang., magna ex parte mutilum in Editis, duorum Germ., Belvac., Trec., etc., ope.

[b] In Laud. et tertio Gemet., *inserta fuissent zizania.* In Trec. et aliis, *zizania* usurpatur in singulari.

[c] Carnot. primus et Theod., *quæ ornata.*

[d] Laud., *ex virtute caritatis.*

debeant, ignorent. Nam sicut multum nocet si unitas desit bonis, ita valde est noxium si non desit malis. Si ergo perversorum nequitia in pace jungitur, profecto eorum malis actibus robur augetur; quia quo sibi in malitia congruunt, eo se robustius bonorum afflictionibus illidunt. Hinc namque est quod [a] contra damnati illius vasis, videlicet Antichristi prædicatores, divina voce beato Job dicitur: *Membra carnium ejus cohærentia sibi* (*Job.* XLI, 14). Hinc sub squamarum specie de ejus satellitibus perhibetur: *Una uni conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas* (*Ibid.*, 7) Sequaces quippe illius quo nulla inter se discordiæ adversitate divisi sunt, eo in bonorum gravius nece glomerantur. Qui ergo iniquos pace sociat, iniquitati vires administrat, quia bonos deterius deprimunt, quos et unanimiter persequuntur. Unde prædicator egregius gravi Pharisæorum Sadducæorumque persecutione deprehensus, inter semetipsos dividere studuit, quos contra se graviter unitos vidit, cum clamavit, dicens: *Viri fratres, ego Pharisæus sum, filius Pharisæorum, de spe et resurrectione mortuorum ego judicor* (*Act.* XXIII, 6). Dumque Sadducæi spem resurrectionemque **72** mortuorum esse denegarent, quam Pharisæi juxta sacri eloquii præcepta crederent, facta in persecutorum unanimitate dissensio est, et divisa turba illæsus Paulus exivit, quæ hunc unita prius immaniter pressit. Admonendi itaque sunt qui faciendæ pacis studiis occupantur, ut pravorum mentibus prius amorem debeant internæ pacis infundere, quatenus eis postmodum valeat exterior pax prodesse; ut dum eorum cor in illius [b] cognitione suspenditur, nequaquam ad nequitiam ex hujus perceptione rapiatur; dumque [c] supernam provident, terrenam nullo modo ad usum suæ deteriorationis inclinent. Cum vero perversi quique tales sunt, ut nocere bonis nequeant, etiamsi concupiscant, inter hos nimirum debet terrena pax construi et priusquam ab eis valeat superna cognosci; ut hi scilicet quos contra dilectionem Dei malitia suæ impietatis exasperat, saltem ex proximi amore mansuescant; et quasi e vicino ad melius transeant, ut ad illam quæ a se longe est, pacem Conditoris ascendant.

## CAPUT XXIV [*Al. XLVIII*].

*Quomodo admonendi rudes in doctrina sacra, et docti, sed non humiles.*

(*Admonitio* 25.) [a] Aliter admonendi sunt qui sacræ legis verba non recte intelligunt; atque aliter qui recte quidem intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur. Admonendi enim enim sunt qui sacræ legis verba non recte intelligunt, ut perpendant, quia salubberrimum vini potum in veneni sibi poculum vertunt, ac per medicinale ferrum vulnere mortali se feriunt, dum per hoc in se sana perimunt, per quod salubriter abscindere sauciata debuerunt. Admonendi sunt, ut perpendant quo Scriptura sacra in nocte vitæ præsentis quasi quædam nobis lucerna sit posita, cujus nimirum verba dum non recte intelligunt, de lumine tenebrescunt. Quos videlicet ad intellectum pravum intentio perversa non raperet, nisi prius superbia inflaret. Dum enim se præ cæteris sapientes arbitrantur, sequi alios ad melius intellecta despiciunt; atque ut apud imperium vulgus scientiæ sibi nomen extorqueant, student summopere et ab aliis recte intellecta destruere, et sua perversa roborare. Unde bene per prophetam dicitur: *Secuerunt prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum* (*Amos* I, 13). Galaad namque acervus testimonii interpretatur. Et quia cuncta simul congregatio Ecclesiæ per confessionem servit testimonio veritatis, non incongrue per Galaad Ecclesia exprimitur, quæ ore cunctorum fidelium, de Deo quæque vera sunt testatur. Prægnantes autem vocantur animæ, quæ intellectum verbi ex divino amore concipiunt, si ad perfectum tempus veniant, conceptam intelligentiam operis ostensione parituræ. Terminum vero suum dilatare, est opinionis suæ nomen extendere. Secuerunt ergo prægnantes Galaad ad dilatandum terminum suum; quia nimirum hæretici mentes fidelium quæ jam aliquid de veritatis intellectu conceperant perversa prædicatione perimunt, et scientiæ sibi nomen extendunt. Parvulorum corda jam de verbi conceptione gravida, **73** erroris gladio scindunt, et quasi doctrinæ sibi opinionem faciunt. Hos ergo cum conamur instruere ne perversa sentiant, admoneamus prius necesse est, ne inanem gloriam quærant. Si enim radix elationis absciditur, consequenter rami pravæ assertionis arefiunt. Admonendi sunt etiam, ne errores discordiasque generando, legem Dei quæ idcirco data est ut sacrificia Satanæ prohibeat, eamdem ipsam in Satanæ sacrificium vertant. Unde per prophetam Dominus queritur, dicens: *Dedi eis frumentum, vinum et oleum, et argentum multiplicavi eis et aurum, quæ fecerunt Baal* (*Oseæ* II, 8). Frumentum quippe a Domino accipimus, quando in dictis obscurioribus subducto tegmine litteræ per medullam spiritus legis interna sentimus. Vinum suum Dominus nobis præstat, cum Scripturæ suæ alta prædicatione nos debriat. Oleum quoque suum nobis tribuit, cum præceptis apertioribus vitam nostram blanda lenitate disponit. Argentum multiplicat cum nobis luce veritatis plena eloquia subministrat. Auro quoque nos ditat, quando cor nostrum intellectu summi fulgoris irradiat. Quæ cuncta hæretici Baal offerunt, quia apud auditorum suorum corda corrupte omnia intelligendo pervertunt. Et de frumento Dei, vino atque oleo, argento pariter et auro, Satanæ sacrificium immolant, quia ad errorem discordiæ verba pacis inclinant. Unde admonendi sunt ut perpendant, quia

[a] Gilot. et alii recent., *contra damnati illius vasa*, reluctantibus Mss. Trec., German., Belvac., etc., imo repugnante sanctissimo doctore, qui solet Antichristum vas diaboli appellare. Vide lib. XXXII Moral., num. 22. Hic autem editoribus placet peccatores Antichristi vasa nuncupare.

[b] Duo Gemet. priores, *cogitatione*.

[c] Corb. et tertius Gem., *superna... terrena;* optime *supernam*, sc., pacem.

[d] Laud. et Corb., *Aliter adm. enim sunt.*

dum perversa mente de præceptis pacis discordiam faciunt, justo Dei examine ipsi de verbis vitæ moriuntur.

At contra admonendi sunt qui recte quidem verba legis intelligunt, sed hæc humiliter non loquuntur; ut in divinis sermonibus prius quam aliis eos proferant, semetipsos requirant, ne insequentes aliorum facta, se deserant; et cum recte cuncta de sacra Scriptura sentiunt, hoc solum quod per illam contra elatos dicitur, non attendant. Improbus quippe et imperitus est medicus, qui alienum mederi appetit, et ipse vulnus quod patitur nescit. Qui igitur verba Dei humiliter non loquuntur, profecto admonendi sunt, ut cum medicamina ægris apponunt, prius virus suæ pestis inspiciant, [a] ne alios medendo ipsi moriantur. Admoneri debent, ut considerent ne [b] a virtute dicti, dicendi qualitate discordent, ne loquendo aliud, et ostendendo aliud prædicent. Audiant itaque quod scriptum est : *Si quis loquitur, quasi sermones Dei* (*I Petr.* IV, 11). Qui ergo verba quæ proferunt, ex propriis non habent, cur quasi de propriis tument? Audiant quod scriptum est : *Sicut ex Deo coram Deo in Christo loquimur* (*II Cor.* II, 17). Ex Deo enim coram Deo loquitur, qui prædicationis verbum et quia a Deo accepit intelligit, et placere per illud Deo non hominibus quærit. Audiant quod scriptum est : *Abominatio Domini est omnis arrogans* (*Prov.* XVI, 15). —Quia videlicet dum in verbo Dei gloriam propriam quærit, jus dantis invadit; eumque laudi suæ postponere nequaquam metuit, a quo hoc ipsum quod laudatur accepit. Audiant quod prædicatori per Salomonem dicitur : *Bibe aquam de cisterna tua, et fluenta putei tui. Deriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide. Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui* (*Prov.* V, 15). Aquam quippe prædicator de cisterna sua bibit, cum ad cor suum rediens, prius **74** audit ipse quod dicit. Bibit sui fluenta putei, si sui irrigatione verbi infunditur. Ubi bene subjungitur : *Diriventur fontes tui foras, et in plateis aquas divide* (*Ibid.*, 18). Rectum quippe est ut ipse prius bibat, et tunc prædicando aliis influat. Fontes namque foras derivare, est exterius aliis vim prædicationis infundere. In plateis autem aquas dividere, est in magna auditorum amplitudine juxta uniuscujusque qualitatem divina eloquia dispensare. Et quia plerumque inanis gloriæ appetitus subrepit dum sermo Dei ad multorum notitiam currit, postquam dictum est : *In plateis aquas divide*, recte subjungitur : *Habeto eas solus, nec sint alieni participes tui* (*Ibid.*). Alienos quippe malignos spiritus vocat, de quibus per Prophetam tentati hominis voce dicitur : *Alieni insurrexerunt in me, et fortes quæsierunt animam meam* (*Ps.* LIII, 5). Ait ergo : Aquas et in plateis divide, et tamen solus habe. Ac si apertius dicat : Sic necesse est ut prædicationi exterius servias, quatenus per elationem te immundis spiritibus non conjungas, ne in divini verbi ministerio hostes tuos ad te participes admittas. Aquas ergo et in plateis dividimus, et tamen soli possidemus, quando et exterius late prædicationem fundimus, et tamen per eam humanas laudes assequi minime ambimus.

[a] Trec. et alii Mss. unanimiter ita habent, quod recentiores mutarunt in, *aliis medendo*.

[b] Eadem libertate, spretis Mss., Gilot. et alii recent. habent, *a virtute dicendi, vivendi qualitate discordent*, vel, *a virtute dicti, vivendi*, etc.

## CAPUT XXV [*Al. XLIX*].

*Quomodo admonendi qui officium prædicationis nimia humilitate detrectant, et qui præcipiti festinatione occupant.*

(*Admonitio* 26.) Aliter admonendi sunt qui cum prædicare digne valeant, præ nimia humilitate formidant; atque aliter admonendi sunt quos a prædicatione imperfectio vel ætas prohibet, et tamen præcipitatio impellit. Admonendi namque sunt qui cum prædicare utiliter possunt, immoderata tamen humilitate refugiunt; ut ex minori consideratione colligant quantum in majoribus rebus derelinquant. Si enim indigentibus proximis ipsi quas haberent pecunias absconderent, [c] adjutores proculdubio calamitatis exstitissent. Quo ergo reatu constringantur aspiciant, qui dum peccantibus fratribus verbum prædicationis subtrahunt, morientibus mentibus vitæ remedia abscondunt. Unde et bene quidam sapiens dicit : *Sapientia abscondita et thesaurus* [d] *invisus, quæ utilitas in utrisque* (*Eccli.* XX, 32)? Si populos fames attereret, et occulta frumenta ipsi servarent, [e] auctores proculdubio mortis existerent. Qua itaque plectendi sunt pœna considerent, qui cum fame verbi animæ pereant, ipsi panem perceptæ gratiæ non ministrant. Unde et bene per Salomonem dicitur : *Qui abscondit frumenta, maledicetur in populis* (*Prov.* XI, 26). Frumenta quippe abscondere, est prædicationis sanctæ apud se verba retinere. In populis autem talis quisque maledicitur, quia in solius culpa silentii pro multorum quos corrigere potuit pœna damnatur. Si medicinalis artis minime ignari secandum vulnus cernerent, et tamen secare recusarent, profecto peccatum fraternæ mortis ex solo torpore committerent. Quanta ergo culpa involvantur aspiciant, qui dum cognoscunt vulnera mentium, curare ea negligunt sectione verborum. Unde et bene per prophetam **75** dicitur : *Maledictus qui prohibet gladium suum a sanguine* (*Jer.* XLVIII, 10). Gladium quippe a sanguine prohibere, est prædicationis verbum a carnalis vitæ interfectione retinere. De quo rursum gladio dicitur : *Et gladius meus* [f] *manducabit carnes* (*Deut.* XXXII, 42).

Hi itaque cum apud se sermonem prædicationis occultant, divinas contra se sententias terribiliter audiant, quatenus ab eorum cordibus timorem timor expellat. Audiant quod talentum qui erogare noluit, cum sententia damnationis amisit (*Matth.* XXV, 24, *seq.*). Audiant quod Paulus eo se a proximorum sanguine mundum credidit, quo feriendis eorum vitiis non pepercit, dicens : *Contestor vos hodierna die,*

[c] Laudun., *auctores*.

[d] Carnot. primus, et primus Aud., *absconditus*.

[e] Gemet. et pl. Norm., *exactores*.

[f] Gemet. cum primo Aud., *devorabit*.

*quia mundus sum a sanguine omnium : non enim subterfugi quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (*Act.* xx, 26, 27). Audiant quod voce angelica Joannes admonetur, cum dicitur : *Qui audit, dicat : Veni* (*Apoc.* xxii, 17). Ut nimirum cui se vox interna insinuat, illuc etiam clamando alios quo ipse rapitur trahat ; ne clausas fores etiam vocatus inveniat, si vocanti vacuus appropinquat. Audiant quod Isaias quia a verbi ministerio tacuit, illustratus superno lumine, magna voce pœnitentiæ se ipse reprehendit, dicens : *Væ mihi quia tacui* (*Isai.* vi, 5). Audiant quod per Salomonem in illum prædicationis scientia multiplicari promittitur, qui in hoc quod jam obtinuit, torporis vitio non tenetur. Ait namque : *Anima quæ benedicit, impinguabitur ; et qui inebriat, ipse quoque inebriabitur* (*Prov.* xi, 25). Qui enim exterius prædicando benedicit, interioris augmenti pinguedinem recipit ; et [a] dum vino eloquii auditorum mentem debriare non desinit, potu multiplicati muneris debriatus excrescit. Audiant quod David hoc Deo in munere obtulit, quod prædicationis gratiam quam acceperat non abscondit, dicens : *Ecce labia mea non prohibebo. Domine, tu cognovisti ; justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi* (*Ps.* xxxix, 10, 11). Audiant quod sponsi colloquio ad sponsam dicitur : *Quæ habitas in hortis, amici auscultant ; fac me audire vocem tuam* (*Cant.* viii, 13). Ecclesia quippe in hortis habitat, quæ ad viriditatem intimam exculta plantaria virtutum servat. Cujus vocem amicos auscultare, est electos quosque verbum prædicationis illius desiderare : quam videlicet vocem sponsus audire desiderat, quia ad prædicationem ejus per electorum suorum animas anhelat. Audiant quod Moyses cum irascentem Deum populo cerneret, et assumi ad ulciscendum gladio juberet ; illos a parte Dei denuntiavit existere, qui delinquentium scelera incunctanter ferirent, dicens : *Si quis Domini est, jungatur mihi ; ponat vir gladium super femur suum : ite et redite de porta usque ad portam per medium castrorum, et occidat unusquisque fratrem, et amicum, et proximum suum* (*Exod.* xxxii, 27). Gladium quippe super femur ponere, est prædicationis studium voluptatibus carnis anteferre ; ut cum sancta quis studet dicere, curet necesse est illicitas suggestiones edomare. De porta vero usque ad portam ire, est a vitio usque ad vitium, per quod ad mentem mors ingreditur, increpando discurrere. Per medium vero castrorum transire, est tanta æqualitate intra Ecclesiam vivere, ut qui delinquentium culpas redarguit, in nullius se debeat favorem declinare. Unde et recte subjungitur : *Occidat vir fratrem, et amicum, et proximum suum.* Fratrem scilicet et amicum et proximum interficit, qui cum punienda invenit, ab increpationis **76** gladio nec eis quos per cognationem diligit parcit. Si ergo ille Dei dicitur qui ad ferienda vitia zelo divini amoris excitatur profecto esse se Dei denegat, qui inquantum sufficit, increpare vitam carnalium recusat.

At contra admonendi sunt quos a prædicationis officio vel imperfectio, vel ætas prohibet, et tamen præcipitatio impellit, ne dum tanti sibi onus officii præcipitatione arrogant, viam sibi subsequentis meliorationis abscidant ; et cum arripiunt intempestive quod non valent, perdant etiam quod implere quandoque tempestive potuissent ; atque scientiam, quia incongrue conantur ostendere, juste ostendantur amisisse. Admonendi sunt ut considerent quod pulli avium si ante pennarum perfectionem volare appetant, unde ire in alta cupiunt, inde in ima mergantur. Admonendi sunt ut considerent quod, structuris recentibus necdum solidatis, [b] si tignorum pondus superponitur, non habitaculum, sed ruina fabricatur. Admonendi sunt ut considerent quod conceptas soboles feminæ si priusquam plene formentur proferunt, nequaquam domos, sed tumulos replent. Hinc est enim quod ipsa Veritas, quæ repente quos vellet roborare potuisset, ut exemplum sequentibus daret, ne imperfecti prædicare præsumerent, postquam plene discipulos [c] de virtute prædicationis instruxit, illico adjunxit : *Vos autem sedete in civitate quoadusque induamini virtute ex alto* (*Luc.* xxiv, 49). In civitate quippe considemus, si intra mentium nostrarum nos claustra constringimus, ne loquendo exterius evagemur ; ut cum virtute divina perfecte induimur, tunc quasi a nobismetipsis foras etiam alios instruentes exeamus. Hinc per quemdam sapientem dicitur : *Adolescens loquere in causa tua vix ; et si bis interrogatus fueris, habeat initium responsio tua* (*Eccli.* xxxii, 10). Hinc est quod idem Redempter noster, cum in cœlis sit conditor, et ostensione suæ potentiæ semper doctor angelorum, ante tricennale tempus in terra magister noluit fieri hominum ; ut videlicet præcipitatis vim saluberrimi timoris infunderet, cum ipse etiam, qui labi non posset, perfectæ vitæ gratiam non nisi perfecta ætate prædicaret. Scriptum quippe est : *Cum factus esset annorum duodecim, remansit puer Jesus in Jerusalem* (*Luc.* ii, 42). De quo a parentibus requisito, paulo post subditur : *Invenerunt illum in templo seaentem in medio doctorum, audientem illos et interrogantem* (*Ibid.*, 46). Vigilanti itaque consideratione pensandum est, quod cum Jesus annorum duodecim dicitur in medio doctorum sedens, non docens, sed interrogans invenitur. Quo exemplo scilicet ostenditur ne infirmus docere quis audeat, si ille puer doceri interrogando voluit, qui per divinitatis potentiam verbum scientiæ ipsis suis doctoribus ministravit. Cum vero per Paulum discipulo dicitur, *Præcipe hæc et doce : nemo adolescentiam tuam contemnat* (*I Tim.* iv, 12) ; sciendum nobis est quia in sacro eloquio aliquando adolescentia juventus vocatur. Quod citius ostenditur, si Salomonis ad medium verba proferantur, qui ait : *Lætare juvenis in adolescentia tua* (*Eccle.* xi, 9). Si enim utraque unum

[a] Corb. et alii a Guss. visi, *dum divino eloquio.*
[b] Corb., *si lignorum.*
[c] Laud., *de virtutis prædicatione.*

esse non decerneret, quem monebat in adolescentia, juvenem non vocaret.

## 77 CAPUT XXVI [*Al. L*].

*Quomodo admonendi quibus omnia ex sententia succedunt, et quibus nulla.*

(*Admonitio* 27.) Aliter admonendi sunt qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur; atque aliter qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen adversitatis labore fatigantur. Admonendi namque sunt qui in hoc quod temporaliter appetunt prosperantur, ne cum cuncta ad votum suppetunt, dantem quærere negligant; [a] sed in his quæ dantur animum figant; ne peregrinationem pro patria diligant, ne subsidia itineris in obstacula perventionis vertant, ne nocturno lunæ lumine delectati, claritatem solis videre refugiant. Admonendi itaque sunt ut quæque in hoc mundo consequuntur, calamitatis solatia, non autem præmia retributionis credant; sed contra favores mundi mentem erigant, ne in eis ex tota cordis delectatione succumbant. Quisquis enim prosperitatem qua utitur, apud judicium cordis, melioris vitæ amore non reprimit, favorem vitæ transeuntis in mortis perpetuæ occasionem vertit. Hinc est enim quod sub Idumæorum specie, qui vincendos [b] se prosperitati suæ reliquerunt, in hujus mundi successibus lætantes increpantur cum dicitur: *Dederunt terram meam sibi in hæreditatem cum gaudio, et toto corde, et ex animo* (*Ezech.* XXXVI, 5). Quibus verbis perpenditur, quod non solum quia gaudeant, sed quod toto corde et ex animo gaudeant, districta reprehensione feriantur. Hinc Salomon ait: *Aversio parvulorum interficiet eos, et prosperitas stultorum perdet illos* (*Prov.* I, 32). Hinc Paulus admonet dicens: *Qui emunt, tanquam non possidentes, et qui utuntur hoc mundo, tanquam non utantur* (*I Cor.* VII, 30). Ut videlicet sic nobis quæ suppetunt, exterius serviant, quatenus a supernæ [c] delectationis studio animum non inflectant, ne luctum nobis internæ peregrinationis temperent eaque in exsilio positis subsidium præbent; et quasi felices in transitoriis nos gaudeamus, qui ab æternis [d] nos interim miseros cernimus. Hinc namque est quod electorum voce dicit Ecclesia: *Læva ejus sub capite meo, et dextera illius amplexabitur me* (*Cant.* II, 6). Sinistram Dei, prosperitatem videlicet vitæ præsentis, quasi sub capite posuit, quam intentione summi amoris premit. Dextera vero Dei eam amplectitur; quia sub æterna ejus beatitudine tota devotione continetur. Hinc rursum per Salomonem dicitur: *Longitudo dierum in dextera ejus, in sinistra vero illius divitiæ et gloria.* (*Prov.* III, 16). Divitiæ itaque et gloria qualiter sint habenda docuit, quæ posita in sinistra memoravit. Hinc Psalmista ait: *Salvum me fac dextera tua* (*Ps.* CVII, 7). Neque enim ait manu, sed dextera; ut videlicet cum dexteram diceret, quia æternam salutem quæreret, indicaret. Hinc rursum scriptum est: *Dextera manus tua, Domine, confregit inimicos* (*Exod.* XV, 6, *sec. LXX*). Hostes enim Dei etsi in sinistra ejus proficiunt, dextera franguntur quia plerumque pravos vita præsens elevat, sed adventus æternæ beatitudinis damnat.

Admonendi sunt qui in hoc mundo prosperantur, ut solerter considerent quia præsentis vitæ prosperitas aliquando idcirco datur ut ad meliorem **78** vitam provocet, aliquando vero ut in æternum plenius damnet. Hinc est enim quod plebi Israeliticæ Chanaan terra promittitur, ut quandoque ad æterna speranda provocetur. Neque enim rudis ille populus promissionibus Dei in longinquum crederet, si a promissore suo non etiam e vicino aliquid percepisset. Ut ergo ad æternorum fidem certius roboretur, nequaquam solummodo spe ad res, sed rebus quoque ad spem trahitur. Quod liquido Psalmista testatur, dicens: *Dedit eis regiones gentium, et labores populorum possederunt: ut custodiant justificationes ejus, et legem ejus requirant* (*Ps.* CIV, 44). Sed cum largientem Deum humana mens boni operis [e] responsione non sequitur, unde nutrita pie creditur, inde justius damnatur. Hinc enim per Psalmistam rursum dicitur: *Dejecisti eos, dum allevarentur* (*Ps.* LXXII, 18). Quia videlicet reprobi cum recta opera divinis muneribus non rependunt, cum totos se hic deserunt, et affluentibus prosperitatibus dimittunt, unde exterius proficiunt, inde ab intimis cadunt. Hinc est quod in inferno cruciato diviti dicitur: *Recepisti bona in vita tua* (*Luc.* XVI, 25). Idcirco enim bona hic recepit et malus, ut illic plenius mala reciperet, quia hic fuerat nec per bona conversus.

At contra admonendi sunt, qui ea quidem quæ mundi sunt concupiscunt, sed tamen adversitatis labore fatigantur, ut sollicita consideratione perpendant, Creator [f] dispositorque cunctorum quanta super eos gratia vigilat, quos in sua desideria non relaxat. Ægro quippe quem medicus desperat, concedit ut cuncta quæ concupiscit accipiat. Nam qui sanari posse creditur, a multis quæ appetit prohibetur: et pueris nummos subtrahimus, quibus tota simul patrimonia hæredibus reservamus. Hinc ergo de spe æternæ hæreditatis gaudium sumant, quos adversitas vitæ temporalis humiliat; quia nisi salvandos in perpetuum cerneret, erudiendos sub disciplinæ regimine divina dispensatio non frenaret. Admonendi itaque sunt qui in his quæ temporaliter concupiscunt, adversitatis labore fatigantur, ut sollicite considerent quod plerumque etiam justos cum temporalis potentia sustollit, velut in laqueo culpa

[a] Gemeticenses, *sed a quo dantur animo figant*. Alii Norm., cum tertio Carnot., *si in his quæ*, etc.

[b] Corb., Belv. et duo priores Carnot., *se prosperitate sua*.

[c] Belv. primus et tertius Carn., Rothom., Lyr., Val. Cl., *dilectionis*.

[d] Excusi, *nos interimi*. Adhæremus Trec., Belv., Corb., Laud. et duobus prioribus Carn. Tertius habet, *nos interius*.

[e] Visum est Editoribus ponere, *repensatione* pro *responsione*, quod legitur in omnibus Mss. nostris.

[f] Iidem Ed. mutarunt *dispositor* (sic habent Mss. omnes) in, *dispensator*.

comprehendit. Nam sicut in priori hujus voluminis parte jam diximus (1 *parte, c.* 3), David Deo amabilis rectior fuit in servitio, quam cum pervenit ad regnum (*I Reg.* XXIV, 18). Servus namque amore justitiæ, deprehensum adversarium ferire timuit; rex autem persuasione luxuriæ devotum militem etiam sub studio fraudis exstinxit (*II Reg.* XI, 17). Quis ergo opes, quis potestatem, quis gloriam quærat innoxie, si et illi exstiterunt noxia, qui hæc habuit non quæsita? Quis inter hæc sine magni discriminis labore salvabitur, si ille in his culpa interveniente turbatus est, qui ad hæc fuerat Deo elegente præparatus? Admonendi sunt ut cousiderent quia Salomon qui post tantam sapientiam usque ad idololatriam cecidisse describitur, nihil in hoc mundo priusquam caderet, adversitatis habuisse memoratur; sed concessa sapientia funditus cor deseruit, quod nulla vel minima tribulationis disciplina custodivit (*III Reg.* XI, 4).

## 79 CAPUT XXVII. [*Al. LI*]

*Quomodo admonendi conjugati et cælibes.*

(*Admonitio* 28.) Aliter admonendi sunt conjugiis obligati, atque aliter a conjugii nexibus liberi. Admonendi namque sunt conjugiis obligati, ut cum vicissim quæ sunt alierius cogitant, sic eorum quisque placere studeat conjugi, ut non displiceat Conditori; s c ea quæ hujus mundi sunt agant, ut tamen appetere quæ Dei sunt non omittant; sic de bonis præsentibus gaudeant, ut tamen sollicita intentione mala æterna pertimescant; sic de malis temporalibus lugeant, ut tamen consolatione integra spem in bonis perennibus figant; quatenus dum in transitu cognoscunt esse quod agunt, [a] in mansione quod appetunt; nec mala mundi cor frangant, cum spes bonorum cœlestium roborat; nec bona præsentis vitæ decipiant, cum suspecta subsequentis judicii mala contristant. Itaque animus Christianorum conjugum et infirmus et fidelis, qui et plene cuncta temporalia despicere non valet, et tamen æternis se conjungere per desiderium valet; quamvis in delectatione carnis interim jaceat, supernæ spei refectione convalescat. Et si habet quæ mundi sunt in usu itineris, sperat quæ Dei sunt in fructu perventionis; nec totum se ad hoc quod agit conferat, ne ab eo quod robuste sperare debuit funditus cadat. Quod bene ac breviter Paulus exprimit, dicens: *Qui habent uxores, tanquam non habentes sint; et qui flent, tanquam non flentes; et qui gaudent, tanquam non gaudentes* (*I Cor.* VII, 29, 30). Uxorem quippe quasi non habendo habet, qui sic per illam carnali consolatione utitur, ut tamen nunquam ad prava opera a melioris intentionis rectitudine ejus amore flectatur. Uxorem quasi non habendo habet, qui transitoria esse cuncta conspiciens, curam carnis ex necessitate tolerat, sed æterna gaudia [b] spiritus ex desiderio exspectat. Non flendo autem flere, est sic exteriora adversa plangere, ut tamen noverit æternæ spei consolatione gaudere. Et rursum, non gaudendo gaudere, est sic de infimis animum attollere, ut tamen nunquam desinat summa formidare. Ubi apte quoque paulo post subdit: *Præterit enim figura hujus mundi* (*Ibid.*, 1). Ac si aperte diceret: Nolite, constanter mundum diligere, quando et ipse non potest, quem diligitis, stare. Incassum cor quasi manentes figitis, dum fugit ipse quem amatis.

Admonendi sunt conjuges, ut ea in quibus sibi aliquando displicent, et patientes invicem tolerent, et exhortantes invicem salvent. Scriptum namque est: *Invicem onera vestra portate, et sic adimplebitis legem Christi* (*Galat.* IV, 2). Lex quippe Christi charitas est; [c] quia ex illo nobis et largiter sua bona contulit, et æquanimiter mala nostra portavit. Tunc ergo legem Christi [d] imitando complemus, quando et nostra bona benigne conferimus, et nostrorum mala pie sustinemus. Admonendi quoque sunt, ut eorum quisque non tam quæ ab altero tolerat, quam quæ ab ipso tolerantur attendat. **80** Si enim sua quæ portantur considerat, ea quæ ab altero sustinet, levius portat.

Admonendi sunt conjuges, ut suscipiendæ prolis se meminerint causa conjunctos, et cum immoderatæ admistioni servientes, propagationis articulum in usum transferunt voluptatis, perpendant quod licet extra non excant, in ipso tamen conjugio conjugii jura trascendunt. Unde necesse est ut crebris [e] exorationibus deleant quod pulchram copulæ speciem admistis voluptatibus fœdant. Hinc est enim quod peritus medicinæ cœlestis Apostolus non tam sanos instituit, quam infirmis medicamenta monstravit, dicens: *De quibus scripsistis mihi: Bonum est homini mulierem non tangere; propter fornicationem autem unusquisque suam habeat uxorem, et unaquæque suum virum habeat* (*I Cor.* VII, 1, *seq. etc.*). Qui enim fornicationis metum præmisit, profecto non stantibus præceptum contulit; sed ne fortasse in terram ruerent, lectum cadentibus ostendit. Unde adhuc infirmantibus subdidit: *Uxori vir debitum reddat, similiter et uxor viro* (*Ibid.*). Quibus dum in magna honestate conjugii aliquid de voluptate largiretur, adjunxit: *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*Ibid.*). Culpa quippe esse innuitur. quod indulgeri perhibetur; sed quæ tanto citius relaxetur, quanto non per hanc illicitum quid agitur, sed hoc quod est licitum, sub moderamine non tenetur. Quod bene Loth in semetipso exprimit, qui ardentem Sodomam fugit; sed tamen Segor inveniens, nequaquam mox montana conscendit (*Gen.* XIX, 30). Ardentem quippe Sodomam fugere, est illicita carnis incendia declinare. Altitudo vero montium, est munditia continentium. Vel certe quasi in

[a] Removimus hinc *sciant*, ab Editoribus frustra additum, ipsius etiam sensus damno.

[b] Laud., *ex desiderio spiritus*.

[c] Sic restituimus ad Mss. omnium fidem, cum prius in Editis legeretur, *quia ille nobis*.

[d] Carn. primus, *meditando*.

[e] Ita Trec., Laud., Gemet. et alii. In Excusis, *crebris exhortationibus*, repugnante sensu.

monte sunt qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admistionem debitam, nulla carnis voluptate solvuntur. [a] In monte quippe stare est, nisi fructum propaginis in carne non quærere. In monte stare, est carni carnaliter non adhærere. Sed quia multi sunt qui scelera quidem carnis deserunt, nec tamen in conjugio positi usus solummodo debiti jura conservant, exiit quidem Loth Sodomam, sed tamen mox ad montana non pervenit, quia jam damnabilis vita relinquitur, sed adhuc celsitudo conjugalis continentiæ [b] subtiliter non tenetur. Est vero in medio Segor civitas, quæ fugientem salvet infirmum, quia videlicet cum sibi per incontinentiam miscentur conjuges, et lapsus scelerum fugiunt, et tamen venia salvantur. Quasi parvam quippe civitatem inveniunt in qua ab ignibus defendantur, quia conjugalis hæc vita non quidem in virtutibus mira est, sed tamen a suppliciis secura. Unde idem Loth ad angelum dicit : *Est civitas hic juxta, ad quam possum fugere, parva; et salvabor in ea. Nunquid non modica est, et vivet anima mea in ea* (*Genes.* XIX, 20)? Juxta ergo dicitur, et tamen ad salutem tuta perhibetur, quia conjugalis vita nec a mundo longe divisa est, nec tamen a gaudio salutis aliena. Sed tunc in hac actione vitam suam conjuges quasi in parva civitate custodiunt, quando pro se assiduis deprecationibus intercedunt. Unde et recte per angelum **81** ad eumdem Loth dicitur : *Ecce etiam in hoc suscepi preces tuas, ut non subvertam urbem pro qua locutus es* (*Ibid.* 21). Qui videlicet cum deprecatio funditur Deo nequaquam talis conjugii vita damnatur. De qua deprecatione Paulus quoque admonet, dicens : *Nolite fraudare invicem, nisi forte ex consensu ad tempus, ut vacetis orationi* (*I Cor.* VII, 5).

At contra admonendi sunt qui ligati conjugiis non sunt, ut præceptis cœlestibus eo rectius serviant, quo eos ad curas mundi nequaquam jugum copulæ carnalis inclinat; ut quos onus licitum conjugii non gravat, nequaquam pondus illicitum terrenæ sollicitudinis premat; sed tanto eos paratiores dies ultimus, quanto et expeditiores inveniat; ne quo meliora agere vacantes possunt, sed tamen negligunt, eo supplicia deteriora mereantur. Audiant quod Apostolus cum quosdam ad cælibatus gratiam instrueret, non conjugium sprevit, sed curas mundi nascentes ex conjugio repulit, dicens : *Hoc ad utilitatem vestram dico, non ut laqueum vobis injiciam; sed ad id quod honestum est, et quod facultatem præbeat sine impedimento* [c] *Domino observiendi* (*Ibid.*, 35). Ex conjugiis quippe terrenæ sollicitudines prodeunt; et idcirco magister gentium auditores suos ad meliora persuasit, ne sollicitudine terrena ligarentur. Quem igitur cælibem curarum sæcularium impedimentum præpedit., et conjugio se nequaquam subdidit, et tamen conjugii onera non evasit. Admonendi sunt cælibes, ne sine damnationis judicio misceri se feminis vacantibus putent. Cum enim Paulus fornicationis vitium tot criminibus exsecrandis inseruit, cujus sit reatus indicavit, dicens : *Neque fornicatores, neque idolis servientes, neque adulteri, neque molles, neque masculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebriosi, neque maledici, neque rapaces regnum Dei possidebunt* (*I Cor.* VI, 9, 10). Et rursum : *Fornicatores autem et adulteros judicabit Deus* (*Hebr.* XIII, 4). Admonendi itaque sunt, ut si tentationum procellas cum difficultate salutis tolerant, conjugii portum petant. Scriptum namque est : *Melius est nubere, quam uri* (*I Cor.* VII, 9). Sine culpa scilicet ad conjugium veniunt, si tamen necdum meliora voverunt. Nam quisquis bonum majus subire proposuit, bonum minus quod licuit, illicitum fecit. Scriptum quippe est : *Nemo mittens manum suam* [d] *ad aratrum, et respiciens retro, aptus est regno cœlorum* (*Luc.* IX, 62). Qui igitur fortiori studio intenderat, retro convincitur respicere, si relictis amplioribus bonis ad minima retorquetur.

## CAPUT XXVIII [*A.. LII*].

*Quomodo admonendi peccata carnis experti, et eorum experles.*

(*Admonitio* 29.) Aliter admonendi sunt peccatorum carnis conscii, atque aliter ignari. Admonendi namque sunt peccata carnis experti, ut mare saltem post naufragium metuant, et perditionis suæ discrimina vel cognita perhorrescant; ne qui pie post perpetrata mala servati sunt, hæc improbe repetendo moriantur. Unde peccanti animæ et nunquam a peccato desinenti dicitur : *Frons mulieris meretricis facta est tibi, noluisti erubescere* (*Jerem.* III, 3). Admonendi itaque sunt ut studeant quatenus si accepta naturæ bona integra servare noluerunt, saltem scissa resarciant. Quibus nimirum necesse est ut perpendant **82** in tam magno fidelium numero quam multi et se illibatos custodiant, et alios ab errore convertant. Quid ergo isti dicturi sunt, si aliis in integritate stantibus, ipsi nec post damna resipiscunt. Quid dicturi sunt, si cum multi et alios secum deferunt ad regnum, hi exspectanti Domino nec semetipsos reducunt? Amonendi sunt, ut præterita commissa considerent, et imminentia devitent. Unde sub Judææ specie per prophetam Dominus corruptis in hoc mundo mentibus transactas ad memoriam culpas revocat, quatenus pollui in futuris erubescant, dicens : *Fornicatæ sunt in Ægypto, in adolescentia sua fornirere.*

[a] Hic laborat sensus in Editis ubi legitur, *in monte quippe stare quid est, nisi fructum propaginis in carne non quærere?* Quod pugnat contra superiora : *In monte sunt qui etiam carnali copulæ inhærent, sed tamen extra suscipiendæ prolis admistionem debitam, nulla carnis voluptate solvuntur*. Expressimus præsertim Mss. Trec., ubi, *nisi fructum non quærere* idem est ac, *nonnisi fructum propaginis in carne quæ*

[b] Laud. primus, and. et nonnulli. *sublimiter*. In Trec. et cæteris, *subtiliter*.

[c] Trec., Laud., Val. Cl. et tres Gemet., *Domino observandi*. Corb., *Dominum observandi;* et secunda manu, *Dom. obsecrandi*.

[d] Laud., Theodor. et Val. Cl., *super aratrum*.

*catæ sunt; ibi subacta sunt ubera earum, et fractæ sunt mammæ pubertatis earum* (*Ezech.* XXIII, 3). In Ægypto quippe ubera subiguntur, cum turpi hujus mundi desiderio humanæ mentis voluntas substernitur. In Ægypto pubertatis mammæ franguntur, quando naturales sensus adhuc in semetipsis integri, pulsantis concupiscentiæ corruptione vitiantur.

Admonendi sunt peccata carnis experti, ut vigilanti cura conspiciant post delicta nobis ad se redeuntibus Deus quanta benevolentia sinum suæ pietatis expandat, cum per prophetam dicat : *Si dimiserit vir uxorem suam, et illa recedens duxerit virum alium, nunquid revertetur ad eam ultra? Nunquid non polluta et contaminata erit mulier illa? Tu autem fornicata es cum amatoribus multis, tamen revertere ad me, dicit Dominus* (*Jerem.* III, 1). Ecce de fornicante et relicta muliere argumentum justitiæ proponitur, et tamen nobis post lapsum redeuntibus non justitia, sed pietas exhibetur. Ut hinc utique colligamus, si nobis delinquentibus tanta pietate parcitur, a nobis nec post delictum redeuntibus quanta improbitate peccatur ; aut quæ ab illo erit super improbos venia, qui non cessat vocare post culpam. Quæ nimirum bene per prophetam post delictum misericordia vocationis exprimitur, cum averso homini dicitur : *Et erunt oculi tui videntes præceptorem tuum, et aures tuæ audient verbum post tergum monentis* (*Isai.* XXX, 20). Humanum quippe genus Dominus in faciem monuit, quando in paradiso condito homini atque in libero arbitrio stanti, quid facere, quidve non facere deberet, indixit. Sed homo in Dei faciem terga dedit, cum superbiens ejus jussa contempsit. Nec tamen superbientem Deus deseruit, qui ad revocandum hominem legem dedit, [a] exhortantes angelos misit, in carne nostræ mortalitatis ipse apparuit. Ergo post tergum stans nos admonuit, qui ad recuperationem nos gratiæ etiam contemptus vocavit. Quod igitur generaliter simul potuit dici de cunctis, hoc necesse est specialiter sentiri de singulis. Quasi enim coram Deo positus quisque verba monitionis ejus percipit, cum priusquam peccata perpetret, voluntatis ejus præcepta cognoscit. Adhuc enim ante faciem ejus stare, est necdum eum peccando contemnere. Cum vero derelicto bono innocentiæ, iniquitatem eligens appetit, jam terga in ejus faciem mittit. Sed ecce adhuc et post tergum Deus subsequens monet, qui etiam post culpam ad se redire persuadet. Aversum revocat, commissa non respicit, revertenti sinum pietatis expandit. Vocem ergo post tergum monentis audimus, si ad invitantem nos Dominum saltem post peccata revertimur. Debemus igitur pietatem **83** vocantis erubescere, si justitiam nolumus formidare ; quia tanto graviori improbitate contemnitur, quanto et contemptus adhuc vocare non dedignatur.

At contra admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ut tanto sollicitius præcipitem ruinam metuant, quanto altius stant. Admonendi sunt, ut noverint, quia quo magis loco prominenti consistunt, eo crebrioribus sagittis insidiatoris impetuntur. Qui tanto ardentius solet erigi, quanto robustius se conspicit vinci ; tantoque intolerabilius dedignatur vinci, quanto contra se videt per integra infirmæ carnis castra pugnari. Admonendi sunt ut incessanter præmia suscipiant, et libenter proculdubio tentationum quas tolerant labores calcabunt. Si enim attendatur felicitas quæ sine transitu attingitur, leve fit quod transeundo laboratur. Audiant quod per prophetam dicitur. *Hæc dicit Dominus eunuchis : Qui custodierint sabbata mea, et elegerint quæ volui, et fœdus meum tenuerint : dabo eis in domo mea et in muris meis locum et nomen melius a filiis et filiabus* (*Isa.* LVI, 4, 5). Eunuchi quippe sunt, qui compressis motibus carnis, affectum in se pravi operis abscidunt. Quo autem apud Patrem loco habeantur, ostenditur ; quia in domo Patris videlicet æterna mansione etiam filiis præferuntur. Audiant quod per Joannem dicitur : *Hi sunt qui cum mulieribus non sunt coinquinati : virgines enim sunt, et sequuntur Agnum quocunque ierit* (*Apoc.* XIV, 4). Et quod canticum cantant, quod nemo potest dicere, nisi illa centum quadraginta quatuor millia. Singulariter quippe canticum Agno cantare, est cum eo in perpetuum præ cunctis fidelibus etiam de incorruptione carnis gaudere. Quod tamen electi cæteri canticum audire possunt, licet dicere nequeant, quia per charitatem quidem in illorum celsitudine læti sunt, quamvis ad eorum præmia non assurgant. Audiant peccatorum carnis ignari quod per semetipsam de hac integritate Veritas dicit : *Non omnes capiunt verbum hoc* (*Matth.* XIX, 11). Quod eo innotuit summum, quo denegavit omnium ; et dum prædicit quia difficile capitur, audientibus innuit [b] captum cum qua cautela teneatur.

Admonendi sunt itaque peccata carnis ignorantes, ut et præeminere virginitatem conjugio sciant, et tamen se super conjuges non extollant, quatenus dum et virginitatem præferunt, et se postponunt ; et illud non deserant quod melius esse æstimant, et se custodiant [c] quo se inaniter non exaltant. Admonendi sunt ut considerent quod plerumque actione sæcularium vita continentium confunditur, cum et illi ultra habitum assumunt opera, et isti juxta ordinem proprium non excitant corda. Unde bene per prophetam dicitur : *Erubesce, Sidon, ait mare* (*Isai.* XXIII, 4). Quasi enim per vocem maris ad verecundiam Sidon adducitur, quando per comparationem vitæ sæcularium atque in hoc mundo fluctuantium, ejus qui munitus et quasi stabilis cernitur, vita reprobatur. Sæpe enim nonnulli ad Dominum post carnis peccata redeuntes, tanto se ardentius in bonis operibus exhibent, quanto damnabiliores se de malis vident. Et sæpe quidam in carnis integritate perdurantes, cum minus se respiciunt habere quod defleant, plene sibi sufficere vitæ suæ **84** innocentiam putant, atque ad fervorem spiritus nullis se ardoris stimulis inflam-

[a] Gemet. primus, *exhortatus.*
[b] Corb., *cœptum.*
[c] Carnot. primus, *quos inaniter.*

mant. Et fit plerumque Deo gratior amore ardens vita post culpam, quam securitate torpens innocentia. Unde et voce judicis dicitur : *Remittuntur ei peccata multa, quia dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Et : *Gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitente, magis quam super nonaginta novem justis, quibus non opus est pœnitentia* (*Luc.* XV, 10). Quod citius ex ipso usu colligimus, si nostræ mentis judicia pensemus. Plus namque terram diligimus quæ post spinas exarata fructus uberes producit, quam quæ nullas spinas habuit, sed tamen exculta sterilem segetem gignit. Admonendi sunt peccata carnis ignorantes, ne superioris ordinis celsitudine se cæteris præferant, cum ab inferioribus quanta se melius agantur ignorant. In examine namque recti judicis mutat [a] merita ordinum, qualitas actionum. Quis enim consideratis ipsis rerum imaginibus, nesciat quod in natura gemmarum carbunculus præferatur hyacintho? Sed tamen cærulei coloris hyacinthus præfertur pallenti carbunculo; quia et illi quod naturæ ordo subtrahit, species decoris adjungit; et hunc quem naturalis ordo prætulerat, coloris qualitas fœdat. Sic ergo in humano genere et quidam in meliori ordine deteriores sunt, et quidam in deteriori meliores, quia et isti sortem extremi habitus bene vivendo transcendunt, et illi superioris loci meritum moribus [b] non exsequendo diminuunt.

## CAPUT XXIX [*Al. LIII*].

### *Quomodo admonendi qui peccata operum lugent, et qui solum cogitationum.*

(*Admonitio* 30.) Aliter admonendi sunt qui peccata deplorant operum, atque aliter qui cogitationum. Admonendi quippe sunt qui peccata deplorant operum, ut consummata mala perfecta diluant lamenta, ne plus astringantur in debito perpetrati operis, [c] et minus solvant fletibus satisfactionis. Scriptum quippe est : *Potum dedit nobis in lacrymis in mensura* (*Psal.* LXXIX, 6); ut videlicet uniuscujusque mens tantum pœnitendo compunctionis suæ bibat lacrymas, quantum se a Deo meminit aruisse per culpas. Admonendi sunt ut incessanter admissa ante oculos reducant, atque vivendo agant, ut a districto judice videri non debeant. Unde David [d] cum peteret, dicens : *Averte oculos tuos a peccatis meis* (*Psal.* L, 11), paulo superius intulit : *Delictum meum* [e] *coram me est semper* (*Ibid.*, 5). Ac si diceret : Peccatum meum ne respicias postulo, quia hoc respicere ipse non cesso. Unde et per prophetam Dominus dicit : *Et peccatorum tuorum memor non ero, tu autem memor esto* (*Isai.* XLIII, 25, 26, *sec. LXX*). Admonendi sunt ut singula quæque admissa considerent, et dum per unumquodque erroris sui inquinationem deflent, simul se ac totos lacrymis mundent. Unde bene per Jeremiam dicitur, cum Judææ singula delicta pensarentur : *Divisiones aquarum deduxit oculus meus* (*Thren.* III, 48). Divisas quippe ex oculis aquas deducimus, quando peccatis singulis dispertitas lacrymas damus. Neque enim uno eodemque tempore æque mens de omnibus dolet; sed dum nunc hujus, nunc illius culpæ memoria acrius tangitur, simul de omnibus in singulis commota purgatur.

**85** Admonendi sunt, ut de misericordia quam postulant, præsumant, ne vi immoderatæ afflictionis intereant. Neque enim pie Dominus ante delinquentium oculos flenda peccata opponeret, si per semetipsum ea districte ferire voluisset. Constat enim quod a suo judicio abscondere voluit, quos miserando præveniens sibimetipsis judices fecit. Hinc enim scriptum est : *Præveniamus faciem Domini in confessione* (*Psal.* XCIV, 2). Hinc per Paulum dicitur : *Si nosmetipsos dijudicaremus, non utique judicaremur* (*I Cor.* XI, 31). Rursumque admonendi sunt, ut sic de spe fiduciam habeant, ne tamen incauta securitate torpescant. Plerumque enim hostis callidus mentem quam peccato supplantat, cum de ruina sua afflictam [f] respicit, securitatis pestiferæ blanditiis seducit. Quod figurate exprimitur, cum factum Dinæ memoratur. Scriptum quippe est : *Egressa est Dina ut videret mulieres regionis illius ; quam cum vidisset Sichem filius Hèmor Hevæi, princeps terræ illius, adamavit eam, et rapuit, et dormivit cum illa, vi opprimens virginem; et conglutinata est anima ejus cum ea, tristemque blanditiis delinivit* (*Genes.* XXXIV, 1-3). Dina quippe ut mulieres videat extraneæ regionis, egreditur, quando unaquæque mens sua studia negligens, actiones alienas curans, extra habitum atque extra ordinem proprium vagatur. Quam Sichem princeps terræ opprimit, quia videlicet inventam in curis exterioribus diabolus corrumpit. *Et conglutinata est anima ejus cum ea* (*Ibid.*); quia unitam sibi per iniquitatem respicit. Et quia cum mens a culpa resipiscit, [g] addicitur, atque admissum flere conatur; corruptor autem spes ac securitates vacuas ante oculos revocat, quatenus utilitatem tristitiæ subtrahat, recte illic adjungitur : *Tristemque blanditiis delinivit* (*Ibid.*). Modo enim aliorum facta graviora, modo nil esse quod perpetratum est, modo misericordem Deum loquitur, modo adhuc tempus subsequens ad pœnitentiam pollicetur; ut dum per hæc decepta mens ducitur, ab intentione pœnitentiæ suspendatur; quatenus tunc bona nulla percipiat, quam nunc mala nulla contristant : et tunc plenius obruatur suppliciis, quæ nunc etiam [h] gaudet in delictis.

At contra admonendi sunt qui peccata cogitationum deflent, ut sollicite considerent intra mentis arcana utrum delectatione tantummodo, an etiam consensu deliquerint. Plerumque enim [i] tentatur cor,

[a] Idem, *merita cordium.*
[b] Idem Cod., *non sequendo.*
[c] Laud., *si minus solv.*
[d] Corb., Carnot., Belv., *cum pœniteret.* Sequimur cum editis Trec., Norm., etc.
[e] Corb., *contra me.*
[f] Belv., Corb. et primus Carnot., *reperit.*
[g] Vulgati, mss. contradicentes, *ad se ducitur.* Familiaris est nostro Gregorio vox ista, *addicitur*, de qua jam lib. II Moral., num. 15. Vide etiam lib. IX, num. 52, et lib. XXII, num. 22, 25.
[h] Bellov., prima manu, *gaudet in deliciis.*
[i] Ita Mss., vel, *tentatum cor.* In Gussanv., *tentatu cor.*

et ex carnis nequitia delectatur, et tamen eidem nequitiæ ex ratione renititur, ut in secreto cogitationis et contristet quod libet, et libeat quod contristat. Nonnunquam vero ita mens baratro tentationis absorbetur, ut nullatenus renitatur, sed ex deliberatione sequitur hoc, unde ex delectatione pulsatur; et si facultas exterior suppetat, rerum mox effectibus interiora vota consummat. Quod videlicet si justa animadversio districti judicis respicit, non est jam cogitationis culpa, sed operis; quia etsi rerum tarditas foras peccatum distulit, intus hoc consensionis opere voluntas implevit.

In primo autem parente didicimus quia tribus modis omnis culpæ nequitiam perpetramus, suggestione scilicet, delectatione et consensu. **86** Primum itaque per hostem, secundum vero per carnem, tertium per spiritum perpetratur. Insidiator enim [a] prava suggerit, caro se delectationi subjicit, atque ad extremum spiritus victus delectatione consentit. Unde [b] et ille serpens prava suggessit, Eva autem quasi caro se delectationi subdidit, Adam vero velut spiritus suggestione ac delectatione superatus assensit. Suggestione itaque peccatum agnoscimus, delectatione vincimur, consensu etiam ligamur. Admonendi sunt igitur qui nequitias cogitationis deflent, ut sollicite considerent in qua peccati mensura ceciderunt, quatenus juxta ruinæ modum quam in semetipsis introrsus sentiunt, etiam mensura lamentationis erigantur, ne si cogitata mala minus cruciant, usque ad perpetranda opera perducant. Sed inter hæc ita terrendi sunt, ut tamen minime frangantur. Sæpe enim misericors Deus eo citius peccata cordis abluit, quo hæc exire ad opera non permittit; et cogitata nequitia quando citius solvitur, quia effectu operis districtius non ligatur. Unde recte per Psalmistam dicitur : *Dixi, pronuntiabo adversum me injustitias meas Domino, et tu remisisti impietatem cordis mei* (*Ps.* xxxi, 5). Qui enim impietatem cordis subdidit, quia cogitationum injustitias pronuntiare vellet indicavit. Dumque ait : *Dixi, pronuntiabo*, atque illico adjunxit, *Et tu remisisti;* quam sit super hæc facilis venia ostendit. Qui dum se adhuc petere promittit, hoc [c] quod petere se promittebat, obtinuit; quatenus quia usque ad opus non venerat culpa, usque ad cruciatum non perveniret pœnitentia, sed cogitata afflictio mentem tergeret, quam nimirum tantummodo [d] cogitata iniquitas inquinasset.

## CAPUT XXX [*Al. LIV*].

*Quomodo admonendi qui a peccatis quæ deflent, non abstinent; et qui cum abstineant, non deflent.*

(*Admonitio* 31.) Aliter admonendi sunt qui admissa plangunt (*De pœn., dist.* 3, *c. Qui admissa plangunt*), nec tamen deserunt; atque aliter qui deserunt, nec tamen plangunt. Admonendi sunt enim qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut considerare sollicite sciant quia flendo inaniter se mundant, qui vivendo se nequiter inquinant, cum idcirco se lacrymis lavant, ut mundi ad sordes redeant. Hinc enim scriptum est : *Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti* (*Prov.* xxvi, 11; *II Petr.* ii, 22). Canis quippe cum vomit, profecto cibum qui pectus deprimebat, projicit; sed cum ad vomitum revertitur, unde levigatus fuerat, rursus oneratur. Et qui admissa plangunt, profecto nequitiam, de qua male satiati fuerant, et quæ mentis intima deprimebat, confitendo projiciunt, quam post confessionem dum repetunt, resumunt. Sus vero in volutabro luti cum lavatur, sordidior redditur. Et qui admissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ [e] gravioris culpæ se subjicit (*Eadem dist., c.* 14, *Qui admissa plangit*); quia et ipsam quam flendo potuit impetrare veniam contemnit, et quasi in lutosa aqua semetipsum volvit, quia dum fletibus suis vitæ munditiam subtrahit, ante Dei oculos sordidas ipsas etiam lacrymas facit. Hinc rursum scriptum est : *Ne iteres verbum in oratione tua* (*Eccli.* vii, 15). **87** Verbum namque in oratione iterare, est post fletum committere quod rursum necesse sit flere. Hinc per Isaiam dicitur : *Lavamini* (*Isai.* i, 16), *mundi estote* (*Eadem dist., c.* 15, *Lavamini*). Post lavacrum enim mundus esse negligit, quisquis post lacrymas vitæ innocentiam non custodit. Et lavantur ergo et nequaquam mundi sunt, qui commissa flere non desinunt, sed rursus flenda committunt. Hinc per quemdam sapientem dicitur : [f] *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit illum, quid proficit lavatio ejus* (*Eccli.* xxxiv, 30)? Baptizatur quippe a mortuo (*Eadem dist., c.* 16, *Baptizatur*), qui mundatur fletibus a peccato; sed post baptisma mortuum tangit, qui culpam post lacrymas repetit.

Admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut ante districti judicis oculos eis se esse similes agnoscant, qui venientes ad faciem quorumdam hominum, magna eis submissione blandiuntur; recedentes autem, inimicitias ac damna quæ valent atrociter inferunt. Quid est enim culpam flere, nisi humilitatem Deo suæ devotionis ostendere? Et quid est post fletum prava agere, nisi superbas in eum quem rogaverat, inimicitias exercere? Jacobo attestante qui ait : *Quicunque voluerit amicus esse sæculi hujus, inimicus Dei constituitur* (*Jac.* iv, 4). Admonendi sunt qui admissa plangunt, nec tamen deserunt, ut sollicite considerent quia ita plerumque mali inutiliter compunguntur ad justitiam, sicut plerumque boni innoxie tentantur ad culpam. Fit quippe mira exigentibus meritis dispositionis internæ mensura, ut et illi dum de bono aliquid agunt, quod

[a] Carnot. primus, *cum prava suggerit.*
[b] Trec., duo priores Carnot., duo priores Gemet. et Bellov., per correctionem, *et illic serpens.*
[c] Laud., Val. Cl., tertius Gemet. et tertius Carnot., *hoc quod peteret, pœnitendo obtinuit.*
[d] Duo priores Gemet., *agitata.*
[e] Bellov. et secundus Carn., *tanto graviori culpæ.. quanto et ipsam.*
[f] Ad hunc locum in cod. Trecensi annotatur in margine : *Apud Salomonem.* Quod probat Salomon tunc ascriptum fuisse Ecclesiastici librum.

tamen non perficiunt, superbe inter ipsa quæ etiam plenissime perpetrant mala confidant; et isti dum de malo tentantur, cui nequaquam consentiunt, quo per infirmitatem titubant, eo gressus cordis ad justitiam per humilitatem verius figant. Balaam quippe, justorum tabernacula respiciens, ait : *Moriatur anima mea morte justorum, et fiant novissima mea horum similia* (*Num.* XXIII, 10). Sed cum compunctionis tempus abscessit, contra eorum vitam, quibus se similem fieri etiam moriendo poposcerat, consilium præbuit; et cum occasionem de avaritia reperit, illico oblitus est quidquid sibi de innocentia optavit (*Ibid.*, XXIV, 14). Hinc vero doctor et prædicator gentium Paulus, ait : *Video aliam legem in membris meis, repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Qui profecto idcirco tentatur, ut in bono robustius ex ipsa infirmitatis suæ [a] cognitione solidetur. Quid est ergo quod ille compungitur, et tamen justitiæ non appropinquat; iste tentatur, et tamen eum culpa non inquinat, nisi hoc quod aperte ostenditur, quod nec malos bona imperfecta adjuvant, nec bonos mala inconsummata condemnant?

At contra admonendi sunt qui admissa deserunt, nec tamen plangunt; ne jam relaxatas æstiment culpas, quas etsi agendo non multiplicant, nullis tamen fletibus mundant. Neque enim scriptor, si a scriptione cessaverit, quia alia non addidit, etiam illa quæ scripserat delevit; nec qui contumelias irrogat, si solummodo tacuerit, satisfecit, cum profecto necesse sit ut verba præmissæ superbiæ verbis subjectæ humilitatis impugnet; nec debitor absolutus est quia alia non multiplicat, nisi et illa quæ ligaverat solvat. Ita et cum Deo delinquimus, nequaquam satisfacimus si ab iniquitate **88** cessamus, nisi voluptates quoque quas dileximus, e contrario appositis lamentis insequamur. Si enim nulla nos in hac vita operum culpa maculasset, nequaquam nobis hic adhuc degentibus ipsa ad securitatem innocentia nostra sufficeret, quia illicita animum multa pulsarent. Qua ergo mente securus est, qui perpetratis iniquitatibus ipse sibi testis est quia innocens non est?

Neque enim Deus nostris cruciatibus pascitur, sed delictorum [b] morbos medicamentis contrariis medetur, ut qui voluptatibus delectati discessimus, fletibus amaricati redeamus; et qui per illicita defluendo cecidimus, etiam a licitis nosmetipsos restringendo surgamus; et cor quod insana lætitia infuderat, salubris tristitia exurat; et quod vulneraverat elatio superbiæ, curet abjectio humilis vitæ. Hinc enim scriptum est : *Dixi iniquis, Nolite inique agere; et delinquentibus, Nolite exaltare cornu* (*Ps.* LXXIV, 5). Cornu quippe delinquentes exaltant, si nequaquam se ad pœnitentiam ex cognitione suæ iniquitatis humiliant. Hinc rursum dicitur : *Cor contritum et humiliatum Deus non spernit* (*Ps.* L, 19). Quisquis enim peccata plangit, nec tamen deserit, cor quidem conterit, sed humiliare contemnit. Qui vero peccata jam deserit, nec tamen plangit, jam quidem humiliat, sed tamen cor conterere recusat. Hinc Paulus ait : *Et hæc quidem fuistis;* [c] *sed abluti estis, sed sanctificati estis* (*I Cor.* VI, 11). Quia nimirum illos emendatior vita sanctificat, quos per pœnitentiam abluens afflictio fletuum mundat. Hinc Petrus cum quosdam territos malorum suorum consideratione conspiceret, admonuit, dicens : *Pœnitentiam agite, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Act.* II, 38). Dicturus enim baptisma, præmisit pœnitentiæ lamenta, ut prius se aqua suæ afflictionis infunderent, et postmodum sacramento baptismatis lavarent. Qua igitur mente qui transactas culpas flere negligunt, vivunt securi de venia, quando ipse summus Pastor Ecclesiæ huic etiam Sacramento addendam pœnitentiam credidit, quod peccata principaliter exstinguit?

## CAPUT XXXI [*Al. LV*].

*Quomodo admonendi qui illicita quorum sunt conscii laudant; et qui condemnantes, minime tamen cavent.*

(*Admonitio* 32.) Aliter admonendi sunt qui illicita quæ faciunt etiam laudant; atque aliter qui accusant prava, nec tamen devitant. Admonendi sunt enim qui illicita quæ faciunt etiam laudant, ut considerent quod plerumque plus ore quam opere delinquant. Opere namque per semetipsos solos prava perpetrant; ore autem per tot personas iniquitatem exhibent, quot audientium mentes iniqua laudantes docent. Admonendi ergo sunt, ut si eradicare mala dissimulant, saltem seminare pertimescant. Admonendi sunt, ut eis perditio privata sufficiat. Rursumque admonendi sunt, ut si mali esse non metuunt, erubescant saltem videri quod sunt. Plerumque enim culpa dum absconditur, effugatur, quia dum mens erubescit videri quod tamen esse non metuit, erubescit quandoque esse quod fugit videri. Cum vero pravus quisque impudenter innotescit, quo liberius omne facinus perpetrat, eo etiam licitum putat; **89** et quod licitum suspicatur, in hoc proculdubio multiplicius mergitur. Unde scriptum est : *Peccatum suum sicut Sodoma prædicaverunt, nec absconderunt* (*Isai.* III, 9). Peccatum enim suum si Sodoma absconderet, adhuc sub timore peccaret. Sed funditus frena timoris amiserat, quæ ad culpam nec tenebras inquirebat. Unde et rursum scriptum est : *Clamor Sodomorum et Gomorrhæ multiplicatus est* (*Gen.* XVIII 20). Peccatum quippe cum voce, est culpa in actione; peccatum vero etiam cum clamore, est culpa cum libertate.

At contra admonendi sunt qui accusant prava, nec tamen devitant, ut provide perpendant quid in districto Dei judicio pro sua excusatione dicturi sunt, qui de reatu suorum criminum etiam semetipsis judicibus non excusantur. Hi itaque quid aliud quam præcones sunt sui? Voces contra culpas proferunt, et semetipsos operibus reos trahunt. Admonendi sunt ut videant

[a] Carnot. primus, *cogitatione.*
[b] Idem Cod., *morbis.*
[c] Omittitur in Guss., *sed abluti estis.*

quia de occulta jam retributione judicii est, quod eorum mens malum quod perpetrat illuminatur ut videat, sed non conatur ut vincat ; ut quo melius videt, eo deterius pereat, quia et intelligentiæ lumen percipit, et actionis pravæ tenebras non relinquit. Nam cum acceptam ad adjutorium scientiam negligunt, hanc contra se in testimonium vertunt ; et de lumine intelligentiæ augent supplicia, quod profecto acceperant ut possent delere peccata. Quorum nimirum nequitia cum malum agit quod dijudicat, venturum jam judicium hic degustat ; ut cum æternis suppliciis servatur [a] obnoxia, suo hic interim examine non sit absoluta ; tantoque illic graviora tormenta percipiat, quanto hic malum non deserit, etiam quod ipsa condemnat. Hinc enim Veritas dicit : *Servus qui cognovit voluntatem Domini sui, et non præparavit, et non fecit secundum voluntatem ejus,* [b] *vapulabit multis* (*Luc.* XII, 47). Hinc Psalmista, ait : *Descendant in infernum viventes* (*Psal.* LIV, 16). Vivi quippe quæ circa illos aguntur sciunt et sentiunt, mortui autem sentire nil possunt. Mortui enim in infernum descenderent, si mala nesciendo perpetrarent. Cum vero sciunt mala, et tamen faciunt, ad iniquitatis infernum viventes miseri [c] sentientesque descendunt.

## CAPUT XXXII [*Al. LVI*].

*Quomodo admonendi qui subito motu, et qui consulto peccant.*

(*Admonitio* 33.) Aliter admonendi sunt qui repentina concupiscentia superantur, atque aliter qui in culpa ex consilio ligantur. Admonendi quippe sunt quos repentina concupiscentia superat, ut in bello præsentis vitæ se quotidie positos attendant, et cor quod [d] prævidere vulnera non potest, scuto solliciti timoris tegant ; ut occulta insidiantis hostis jacula perhorrescant, et in tam caliginoso certamine intentione continua intra mentis castra se muniant. Nam si a circumspectionis sollicitudine cor destituitur, vulneribus aperitur, quia hostis callidus tanto liberius pectus percutit, quanto nudum a providentiæ **90** lorica deprehendit. Admonendi sunt qui repentina concupiscentia superantur, ut curare nimis terrena desuescant ; quia intentionem suam dum rebus transitoriis immoderatius implicant, quibus culparum jaculis transfigantur ignorant. Unde et per Salomonem vox percussi et dormientis exprimitur, qui ait : *Verberaverunt me, sed non dolui ;* [e] *traxerunt me, et ego non sensi. Quando evigilabo, et rursum vina reperiam* (*Prov.* XXVIII, 35)? Mens quippe a cura suæ sollicitudinis dormiens verberatur et non dolet, quia sicut imminentia mala non prospicit, sic nec quæ perpetraverit agnoscit. Trahitur et nequaquam sentit, quia per illecebras vitiorum ducitur, nec tamen ad sui custodiam suscitatur. Quæ quidem evigilare optat, ut rursum vina reperiat, quia quamvis somno torporis a sui custodia prematur, vigilare tamen ad sæculi curas nititur, ut semper voluptatibus debrietur ; et cum ad illud dormiat in quo solerter vigilare debuerat, ad aliud vigilare appetit, ad quod laudabiliter dormire potuisset. Hinc superius scriptum est : *Et eris quasi dormiens in medio mari, et quasi sopitus gubernator amisso clavo* (*Ibid.*, 34). In medio enim mari dormit, qui in hujus mundi tentationibus positus, providere motus irruentium vitiorum quasi imminentes undarum cumulos negligit. Et quasi clavum gubernator amittit, quando mens, ad regendam navem corporis, studium sollicitudinis perdit. Clavum quippe in mari amittere, est intentionem providam inter procellas hujus sæculi non tenere. Si enim gubernator clavum sollicite stringit, modo in fluctibus ex adverso navem dirigit, [f] modo ventorum impetus per obliquum findit. Ita cum mens [g] vigilanter animam regit, modo alia superans calcat, modo alia providens declinat ; ut et præsentia laborando subjiciat, et contra futura certamina prospiciendo convalescat. Hinc rursum de fortibus supernæ patriæ bellatoribus dicitur : *Uniuscujusque ensis super femur suum, propter timores nocturnos* (*Cant.* III, 8). Ensis enim super femur ponitur, quando acumine sanctæ prædicationis prava suggestio carnis edomatur. Per noctem vero cæcitas nostræ infirmitatis exprimitur, quia quidquid adversitatis in nocte imminet non videtur. Uniuscujusque ergo ensis super femur suum ponitur [h] propter timores nocturnos, quia videlicet sancti viri dum ea quæ non vident metuunt, ad intentionem certaminis parati semper assistunt. Hinc rursum sponsæ dicitur : *Nasus tuus sicut turris quæ est in Libano* (*Cant.* VII, 4). Rem namque quam oculis non cernimus, plerumque odore prævidemus. Per nasum quoque odores fetoresque discernimus. Quid ergo per nasum Ecclesiæ, nisi sanctorum provida discretio designatur? Qui etiam turri similis quæ est in Libano dicitur, quia discreta eorum providentia ita in alto sita est, ut tentationum certamina et priusquam veniant videat, et contra ea dum venerint munita subsistat. Quæ enim futura prævidentur, cum præsentia fuerint, [i] minoris virtutis fiunt ; quia dum contra ictum quisque paratior redditur, hostis qui se inopinatum

[a] Laud., *innoxia*.
[b] Gemet., *plagis vapulabit multis*.
[c] Laud., *scientesque*.
[d] Habent antiqui Mss. Trec., Bellov., Gemet., *providere*.
[e] Corb., *transfixerunt me*. Indicia sunt correctionis factæ in Trec., ubi videtur olim ita lectum. Cæterum lectionis hujus fundamenta nulla, nulla vestigia exstant aut in Hebr. textu, aut in variis ejus translationibus. Neque sic legit Gregorius, cum postea dicat, locum hunc explicando : *trahitur, et nequaquam sentit*.
[f] Corb., Carnot., Belv., Laud., Longip., Val. Cl., Theod., *modo undas superans calcat, modo alia providens declinat, modo ventorum impetus per obliquum findit. Ita*. Excusis suffragantur Trecensis, Gemet. et al.
[g] Recent. Ed., *vigilantem*. Repugnant Mss. Obest sensus a sancto Doctore propositus.
[h] In plerisque Ed., *propter tentationes sive timores nocturnos*. Glossema est.
[i] Hoc est, minori vi pulsant ; quod fortasse non intelligentes Editores, mutarunt *virtutis* in *timoris* contradicentibus quotquot legimus Mss.

91 credidit, eo ipso quo prævisus est, enervatur.

At contra admonendi sunt qui in culpa ex consilio ligantur, quatenus provida consideratione perpendant, quia dum mala ex judicio faciunt, districtius contra se judicium accendunt; ut tanto eos durior sententia feriat, quanto illos in culpa arctius vincula deliberationis ligant. Citius fortasse delicta pœnitendo abluerent, si in his sola præcipitatione cecidissent. Nam tardius peccatum solvitur quod et per consilium solidatur. Nisi enim mens omni modo æterna despiceret, in culpa ex judicio non periret. [a] Hoc ergo præcipitatione lapsis per consilium pereuntes differunt, quod cum hi a statu justitiæ peccando concidunt, plerumque simul et in laqueum desperationis cadunt. Hinc est quod per prophetam Dominus non tam præcipitationum prava, quam delictorum studia reprehendit, dicens : *Ne forte egrediatur ut ignis indignatio mea, et succendatur, et non sit qui exstinguat, propter malitiam studiorum vestrorum* (*Jer.* IV, 4). Hinc iterum iratus dicit : *Visitabo super vos juxta fructum studiorum vestrorum* (*Ibid.* XXIII, 2). Quia ergo peccatis aliis differunt peccata quæ per consilium perpetrantur, non tam prave facta Dominus quam studia pravitatis insequitur. In factis enim sæpe infirmitate, sæpe negligentia, in studiis vero malitiosa semper intentione peccatur. Quo contra recte beati viri expressione per Prophetam dicitur : *Et in cathedra pestilentiæ non sedit* (*Ps.* I, 1). Cathedra quippe judicis esse vel præsidentis solet. In cathedra autem pestilentiæ sedere, est ex judicio prava committere : in cathedra pestilentiæ sedere, est et ex ratione mala discernere, et tamen ex deliberatione perpetrare. Quasi in perversi consilii cathedra sedet, qui tanta iniquitatis elatione attollitur, ut adimplere malum etiam per consilia conetur. Et sicut assistentibus turbis prælati sunt qui cathedræ honore fulciuntur, ita delicta eorum qui præcipitatione corruunt, exquisita per studium peccata transcendunt. Admonendi ergo sunt, ut hinc colligant qui in culpa etiam se per consilium ligant, qua quandoque ultione feriendi sunt, qui nunc pravorum non socii, sed [b] principes fiunt.

## CAPUT XXXIII [*Al. LVII*].

*Quomodo admonendi qui minimis, sed crebris noxis, et qui minimas cavent gravibus aliquando immerguntur.*

(*Admonitio* 34.) Aliter admonendi sunt qui, licet minima, crebro tamen illicita faciunt; atque aliter qui se a parvis custodiunt, sed aliquando in gravibus demerguntur. Admonendi sunt qui quamvis in minimis, sed tamen frequenter excedunt, ut nequaquam considerent qualia, sed quanta committunt. Facta enim sua si despiciunt timere cum pensant, debent formidare cum numerant. Altos quippe gurgites fluminum, parvæ sed innumeræ replent guttæ pluviarum. Et hoc agit sentina latenter excrescens, quod patenter procella sæviens. Et minuta sunt quæ erumpunt membris per scabiem vulnera, sed cum multitudo eorum innumerabiliter occupat, sic vitam corporis sicut unum grave inflictum 92 pectori vulnus necat. Hinc videlicet scriptum est :

*Qui modica spernit, paulatim decidit* (*Eccli.* XIX, 1). Qui enim peccata minima flere ac devitare negligit, a statu justitiæ non quidem repente, sed partibus totus cadit. Admonendi sunt qui in minimis frequenter excedunt, ut sollicite considerent quia nonnunquam in parva deterius, quam in majori culpa peccatur. Major enim quo citius quia sit culpa agnoscitur, eo etiam celerius emendatur; minor vero dum quasi nulla creditur, eo pejus quo et securius in usu retinetur. Unde fit plerumque ut mens assueta malis levibus nec gravia perhorrescat, atque ad quamdam auctoritatem nequitiæ per culpas nutrita perveniat; et tanto in majoribus contemnat pertimescere, quanto in minimis didicit non timendo peccare.

At contra admonendi sunt qui se a parvis custodiunt, sed aliquando in gravibus demerguntur, ut sollicite seipsos deprehendant, quia dum cor eorum de custoditis minimis extollitur, ad perpetranda graviora ipso elationis suæ barathro [c] devorantur; et dum foris sibi parva subjiciunt, sed per inanem gloriam intus intumescunt, languore superbiæ intrinsecus viciam mentem etiam foras per mala majora prosternunt. Admonendi ergo sunt qui se a parvis custodiunt, sed aliquando in gravibus demerguntur, ne ubi se stare extrinsecus æstimant, ibi intrinsecus cadant, et juxta districti judicis retributionem elatio minoris justitiæ via fiat ad foveam gravioris culpæ. Qui enim vane elati, boni minimi [d] custodiam suis viribus tribuunt, juste derelicti culpis majoribus obruuntur; et cadendo discunt non fuisse proprium quod steterunt, ut mala immensa cor reprimant, quod minima bona exaltant. Admonendi sunt ut considerent quod et in culpis gravioribus alto reatu se obligant, et tamen plerumque in parvis quæ custodiunt, deterius peccant, quia et in illis iniqua faciunt, et per ista se hominibus quod iniqui sunt tegunt. Unde fit ut cum majora mala perpetrant coram Deo, apertæ [e] iniquitatis sit; et cum parva bona custodiunt coram hominibus, simulatæ sanctitatis. Hinc est enim quod Pharisæis dicitur : *Liquantes culicem, camelum autem glutientes* (*Matth.* XXIII, 24). Ac si aperte diceretur : Minima mala discernitis, majora devoratis. Hinc est quod rursum ore Veritatis increpantur, cum audiunt : *De-*

[a] Editi, *hac ergo præcipitatione lapsi per consilium pereuntes differunt*, in quibus sensus desideratur. Legendum igitur, ut habent Trec., Corb., Theod., Val. Cl., Laud., Norm., etc. *Hoc ergo*, id est, *in hoc præcipitatione lapsis*, id est, *ab his qui per præcipitationem labuntur, per consilium*, seu *ex deliberatione, pereuntes differunt*. Vet. Mss. habent *labsis* pro *lapsis*. In Theod. legitur, *a præcipatione lapsis*. Infra, *peccatis aliis differunt peccata*.

[b] Ita melius Mss. quam Excusi, ubi legitur, *principes sunt*.

[c] Trec., cui consentiunt Editi recentiores, *devoratur*, sc., *cor*.

[d] Corrupte in Guss., *custodiam suam viribus*.

[e] Tres Gemet. et duo poster. Carnot., *iniq. sint*. Legitur *sit* in Trec. et in al., optimo quidem sensu.

*cimatis mentham, et anethum, et cyminum; et relinquitis quæ graviora sunt legis, judicium, et misericordiam, et fidem.* Neque enim negligenter audiendum est quod cum decimari minima diceret, extrema quidem de oleribus maluit, sed tamen bene olentia memorare; ut profecto ostenderet quia simulatores cum parva custodiunt, odorem [a] de se extendere sanctæ opinionis quærunt; et quamvis implere maxima prætermittant, ea tamen minima observant, quæ humano judicio longe lateque redoleant.

## CAPUT XXXIV [*Al. LVIII*].

*Quomodo admonendi qui bona nec inchoant et qui inchoata non absolvunt.*

(*Admonitio* 35.) Aliter admonendi sunt qui bona nec inchoant, **93** atque aliter qui inchoata minime consummant. Qui enim bona nec inchoant, non sunt eis prius ædificanda quæ salubriter diligant, sed destruenda ea in quibus semetipsos nequiter versant. Neque enim sequuntur quæ inexperta audiunt, nisi prius quam perniciosa sint ea quæ sibi sunt experta, deprehendant, quia nec levari appetit, qui et hoc ipsum quia cecidit nescit; et qui dolorem vulneris non sentit, salutis remedia non requirit. Prius ergo ostendenda sunt, quam sint vana quæ diligunt, et tunc demum vigilanter intimanda quam sint utilia quæ prætermittunt. Prius videant fugienda quæ amant, et sine difficultate postmodum [b] cognoscant amanda esse quæ fugiunt. Melius enim inexperta recipiunt, si de expertis quidquid disputationis audiunt, veraciter cognoscunt. Tunc igitur pleno voto discunt vera bona quærere, cum certo judicio deprehenderint falsa se vacue tenuisse. Audiant ergo quod bona præsentia et a delectatione citius transitura sunt, et tamen eorum causa ad ultionem sine transitu permansura; quia et nunc quod libet invitis subtrahitur, et tunc quod dolet invitis in supplicium reservatur. Itaque eisdem rebus terreantur salubriter, quibus noxie delectantur; ut dum perculsa mens alta ruinæ suæ damna conspiciens, sese [c] in præcipitium pervenisse deprehendit, gressum post terga revocet, et pertimescens quæ amaverat, discat diligere quæ contemnebat.

Hinc est enim quod Jeremiæ misso ad prædicationem dicitur : *Ecce constitui te hodie super gentes et super regna, ut evellas et destruas, et disperdas et dissipes, et ædifices et plantes* (*Jer.* I, 10). Quia nisi prius perversa destrueret, ædificare utiliter recta non posset; nisi ab auditorum suorum cordibus spinas vani amoris evelleret, nimirum frustra in eis sanctæ prædicationis verba plantaret. Hinc est quod Petrus prius evertit, ut postmodum construat, cum nequaquam Judæos monebat quid jam facerent, sed de his quæ fecerant, increpabat dicens : *Jesum Nazarenum virum approbatum a Deo in vobis, virtutibus et prodigiis et signis quæ per illum fecit Deus in medio vestri, sicut vos scitis : hunc definito consilio et præscientia Dei traditum, per manus iniquorum* [d] *affigentes interemistis, quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni* (*Act.* II, 22-24); ut videlicet crudelitatis suæ cognitione destructi, ædificationem sanctæ prædicationis quanto anxie quærerent, tanto utiliter audirent. Unde et illico respondet : *Quid ergo faciemus, viri fratres?* Quibus mox dicitur : *Agite pœnitentiam, et baptizetur unusquisque vestrum* (*Ibid.*, 37, 38). Quæ ædificationis verba profecto contemnerent, nisi prius salubriter ruinam suæ destructionis invenissent. Hinc est quod Saulus cum super eum cœlitus lux emissa resplenduit, non jam quid recte deberet facere, sed quid prave fecisset, audivit. Nam cum prostratus requireret, dicens : *Quis es, Domine?* Respondetur protinus : *Ego sum Jesus Nazarenus, quem tu persequeris* (*Act.* IX, 4, *seq.*, XXII, 8, *seq.*). Et cum repente subjungeret : *Domine,* [e] *quid me jubes facere* (*Ibid.*)? Illico adjungitur : [f] *Surgens ingredere civitatem, et ibi dicetur tibi quid te oporteat facere* (*Ibid.*). Ecce de cœlo Dominus loquens persecutoris sui facta corripuit, nec tamen illico quæ essent facienda monstravit. Ecce elationis ejus fabrica jam tota corruerat, et **94** post ruinam suam humilis ædificari requirebat; et cum superbia destruitur, ædificationis tamen verba retinentur; ut videlicet persecutor immanis diu destructus jaceret, et tanto post in bonis solidius surgeret, quanto prius funditus eversus a pristino errore cecidisset. Qui ergo nulla adhuc agere bona cœperunt, a rigiditate antea suæ pravitatis, correctionis manu evertendi sunt, ut ad statum postmodum rectæ operationis erigantur, quia et idcirco altum silvæ lignum succidimus, ut hoc in ædificii tegmine sublevemus; sed tamen non repente in fabrica ponitur, ut nimirum prius vitiosa ejus viriditas exsiccetur, cujus quo plus in infimis humor excoquitur, eo ad summa solidius levatur.

At contra admonendi sunt qui inchoata bona minime consummant, ut cauta circumspectione considerent quia dum proposita non perficiunt, etiam quæ fuerant cœpta convellunt. Si enim quod videtur gerendum sollicita intentione non crescit, etiam quod fuerat bene gestum decrescit. In hoc quippe mundo humana anima quasi more navis est contra ictum fluminis [g] conscendentis : uno in loco nequaquam stare permittitur, quia ad ima relabitur, nisi ad summa conetur. Si ergo inchoata bona fortis operantis manus ad perfectionem non sublevat, ipsa operandi remissio contra hoc quod operatum est, pugnat. Hinc est enim quod per Salomonem dicitur : *Qui mollis et dissolutus est in opere suo, frater est sua opera dissipantis* (*Prov.* XVIII, 9). Quia videlicet qui cœpta bona districte non exsequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur. Hinc Sardis Ecclesiæ ab

[a] Vulgati, *de se ostendere*. Stant contra Mss. omnes, quibus inhærendum censemus.
[b] Carn. secundus, *cognoscent*.
[c] Trec., Belv., Theod., et primus Carn., *sese in præcipiti*. Alii, *præcipitio*.
[d] Guff., mendose, *affligentes*.
[e] Vulgati recent., *quid me vis facere?*
[f] Excusi, *surge et ingr.*
[g] Corruptissime Editi ante Guss., *condescendentis*. Emendantur tam ex Mss. Angl. quam ex nostris.

angelo dicitur : *Esto vigilans, et confirma cætera quæ moritura erant, non enim* [a] *invenio opera tua plena coram Deo meo* (*Apoc.* III, 2). Quia igitur plena coram Deo ejus opera inventa non fuerant, moritura reliqua etiam quæ erant gesta prædicebat. Si enim quod mortuum in nobis est ad vitam non accenditur, hoc etiam exstinguitur, quod quasi adhuc vivum tenetur. Admonendi sunt ut perpendant quod tolerabilius esse potuisset recti viam non arripere, quam arrepta post tergum redire. Nisi enim retro aspicerent, erga cœptum studium nullo torpore languerent. Audiant ergo quod scriptum est : *Melius erat eis non cognoscere viam justitiæ, quam post agnitionem retrorsum converti* (*II Petr.* II, 21). Audiant quod scriptum est : *Utinam frigidus esses, aut calidus; sed quia tepidus es, et nec frigidus, nec calidus, incipiam te evomere ex ore meo* (*Apoc.* III, 15). Calidus quippe est qui bona studia et arripit et consummat; frigidus vero est qui consummanda nec inchoat. Et sicut a frigore per teporem transitur ad calorem, ita a calore per teporem reditur ad frigus. Quisquis ergo [b] amisso infidelitatis frigore vivit, sed nequaquam tepore superato excrescit ut ferveat, procul dubio calore desperato, dum noxio in tepore demoratur, agit ut frigescat. Sed sicut ante teporem frigus sub spe est, ita post frigus tepor in desperatione. Qui enim adhuc in peccatis est, conversionis fiduciam non amittit. Qui vero post conversionem tepuit, et spem quæ esse potuit de peccatore subtraxit. Aut calidus ergo quisque esse, aut frigidus quæritur, ne tepidus evomatur; ut videlicet aut necdum conversus, adhuc de se spem **95** conversionis præbeat, aut jam conversus in virtutibus inardescat; ne evomatur tepidus, qui a calore quem proposuit torpore ad noxium frigus redit.

## CAPUT XXXV [*Al. LIX*].

### *Quomodo admonendi qui mala clam et bona palam faciunt; ac qui versa vice.*

(*Admonitio* 36.) Aliter admonendi sunt qui mala occulte agunt, et bona publice; atque aliter qui bona quæ faciunt abscondunt, et tamen quibusdam factis publice mala de se opinari permittunt. Admonendi enim sunt qui mala occulte agunt, et bona publice, ut pensent humana judicia quanta velocitate evolant, divina autem quanta immobilitate perdurant. Admonendi sunt ut in fine rerum mentis oculos figant, quia et humanæ laudis attestatio præterit, et superna sententia, quæ et abscondita penetrat, ad retributionem perpetuam convalescit. Dum igitur occulta mala sua divinis judiciis, recta autem sua humanis oculis anteponunt, et sine teste est bonum quod publice faciunt, et non sine æterno teste est quod latenter delinquunt. Culpas itaque suas occultando hominibus, virtutesque pandendo, et unde puniri debeant abscondentes detegunt, et unde remunerari poterant, detegentes abscondunt. Quos recte sepulcra dealbata speciosa exterius, sed mortuorum ossibus plena Veritas vocat (*Matth.* XXIII, 27), quia vitiorum mala intus contegunt, humanis vero oculis quorumdam demonstratione operum, de solo foris justitiæ colore blandiuntur. Admonendi itaque sunt, ne quæ agunt recta despiciant, sed ea meriti melioris credant. Valde namque bona sua dijudicant, qui ad eorum mercedem sufficere humanos favores putant. Cum enim pro recto opere laus transitoria quæritur, æterna retributione res digna vili pretio venundatur. De quo videlicet pretio percepto Veritas dicit : *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam* (*Matth.* VI, 2, 5). Admonendi sunt ut considerent quia dum pravos se in occultis exhibent, sed tamen exempla de se publice in bonis operibus præbent, ostendunt sequenda quæ fugiunt, clamant amanda quæ oderunt, vivunt postremo aliis, et sibi moriuntur.

At contra admonendi sunt qui bona occulte faciunt, et tamen quibusdam factis publice de se mala opinari permittunt, ne cum bona semetipsos actionis rectæ virtute vivificant, in se alios per exemplum pravæ æstimationis occidant; ne minus quam se proximos diligant, et cum ipsi [c] salubrem potum vini sorbeant, intentis in sui consideratione mentibus pestiferum veneni poculum fundant. Hi nimirum in uno proximorum vitam minus adjuvant, in altero multum gravant, dum student et recta occulte agere, et quibusdam factis, ad exemplum de se prava seminare. Quisquis enim laudis concupiscentiam calcare jam sufficit, ædificationis fraudem perpetrat, si bona quæ agit, occultat; et quasi jactato semine germinandi radices subtrahit, qui opus quod imitandum est, non ostendit. Hinc namque in Evangelio Veritas dixit : *Videant opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Ubi illa quoque sententia [d] promitur, **96** quæ longe aliud præcepisse videtur, dicens : *Attendite ne justitiam vestram faciatis coram hominibus, ut videamini ab eis* (*Matth.* VI, 1).

Quid est ergo quod opus nostrum et ita faciendum est ne videatur, et tamen ut debeat videri præcipitur, nisi quod ea quæ agimus, et occultanda sunt, ne ipsi laudemur, et tamen ostendenda sunt, ut laudem cœlestis Patris augeamus? Nam cum nos justitiam nostram coram hominibus facere Dominus prohiberet, illico adjunxit : *Ut videamini ab eis*. Et cum rursus videnda ab hominibus bona opera nostra præciperet, protinus subdidit : *Ut glorificent Patrem vestrum qui in cœlis est* (*Matth.* V, 16). Qualiter igitur videnda essent, vel qualiter non videnda, ex sententiarum fine monstravit, quatenus operantis mens opus suum et propter se videri non quæreret, et tamen hoc propter cœlestis Patris gloriam non celaret. Unde fit plerumque ut bonum opus et in occulto sit, cum fit publice; et rursus in publico, cum agitur occulte. Qui enim in publico bono opere non suam, sed superni Patris

[a] Corb., *inveni*. Sic prius lectum in Trec.

[b] Adjecimus ex Mss. Angl. et Gallic., *vivit*, post, *frigore*; et mavimus *exardescit* Editorum in *excrescit*, quod habent Mss. omnes; vel, *erescit*.

[c] Trec et Corb., *salubre potum*.

[d] Belv., *repromittitur*. Duo priores Carnot., *præmittitur*.

gloriam quærit, quod fecit abscondit; quia solum illum testem habuit, cui placere curavit. Et qui in secreto suo bono opere deprehendi ac laudari concupiscit; et nullus fortasse vidit quod exhibuit, et tamen hoc coram hominibus fecit, quia tot testes in bono opere secum duxit, quot humanas laudes in corde requisivit. Cum vero prava æstimatio, in quantum sine peccato valet, ab intuentium mente [a] non tergitur, cunctis mala credentibus per exemplum culpa propinatur. Unde et plerumque contingit, ut qui negligenter de se mala opinari permittunt, per semetipsos quidem nulla iniqua faciant; sed tamen per eos qui se imitati fuerint, multiplicius delinquant. Hinc est quod Paulus immunda quædam sine pollutione comedentibus, sed imperfectis tentationis scandalum sua hac comestione moventibus dicit: *Videte ne forte hæc licentia vestra offendiculum fiat infirmis* (*I Cor.* VIII, 9). Et rursus. *Et peribit infirmus in tua conscientia frater, propter quem Christus mortuus est. Sic autem peccantes in fratres, et percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis* (*Ibid.*, 11, 12). Hinc est quod Moyses cum diceret: *Non maledices surdo*, protinus adjunxit: *Nec coram cæco pones offendiculum* (*Levit.* XIX, 14). Surdo quippe maledicere, est absenti et non audienti derogare: coram cæco vero offendiculum ponere, est discretam quidem rem agere, sed tamen ei qui lumen discretionis non habet, scandali occasionem præbere.

## CAPUT XXXVI [*Al. LX*].

*De exhortatione multis exhibenda, ut sic singulorum virtutes adjuvet, quatenus per hanc contraria virtutibus vitia non excrescant.*

[b] Hæc sunt quæ præsul animarum in prædicationis diversitate custodiat, ut sollicitus congrua singulorum vulneribus medicamina [c] opponat. Sed cum magni sit studii ut exhortandis singulis serviatur ad singula, cum valde laboriosum sit unumquemque de propriis sub dispensatione debitæ considerationis instruere, longe tamen laboriosius est auditores [d] innumeros ac diversis passionibus laborantes, uno eodemque tempore voce unius et **97** tanta arte vox temperanda est, ut cum diversa sint auditorum vitia, et singulis inveniatur congrua, et tamen sibimetipsi non sit diversa; ut inter passiones medias uno quidem ductu transeat, sed more bicipitis gladii tumores cogitationum carnalium ex diverso latere incidat, quatenus sic superbis prædicetur humilitas, ut tamen timidis non augeatur metus, sic timidis infundatur auctoritas, ut tamen superbis non crescat effrenatio. Sic otiosis ac torpentibus prædicetur sollicitudo boni operis, ut tamen inquietis immoderatæ licentia non augeatur actionis. Sic inquietis ponatur modus, ut tamen otiosis non fiat torpor securus. Sic ab impatientibus exstinguatur ira, ut tamen remissis • ac lenibus non crescat negligentia. Sic lenes accendantur ad zelum, ut tamen iracundis non addatur incendium. Sic tenacibus infundatur tribuendi largitas, ut tamen prodigis effusionis frena minime laxentur. Sic prodigis prædicetur parcitas, ut tamen tenacibus peritarum rerum custodia non augeatur. Sic incontinentibus laudetur conjugium, ut tamen jam continentes non revocentur ad luxum. Sic continentibus laudetur virginitas corporis, ut tamen in conjugibus despecta non fiat fecunditas carnis. Sic prædicanda sunt bona, ne ex latere [f] juventur et mala. Sic laudanda sunt bona summa, [g] ne desperentur ultima. Sic nutrienda sunt ultima, ne dum sufficere creduntur, nequaquam tendatur ad summa.

## CAPUT XXXVII [*Al.* LXI].

*De exhortatione quæ uni adhibenda est contrariis passionibus laboranti.*

Et gravis quidem prædicatori labor est, in communis prædicationis voce, ad occultos singulorum motus causasque vigilare, et palæstrarum more in diversi lateris arte se vertere; multo tamen acriori labore fatigatur, quando uni e contrariis vitiis servienti prædicare compellitur. Plerumque enim quis lætæ nimis [h] conspersionis existit; sed tamen eum repente tristitia oborta immaniter deprimit. Curandum est itaque prædicatori quatenus sic tergatur tristitia quæ venit ex tempore, ut non augeatur lætitia quæ suppetit ex conspersione; et sic frenetur lætitia quæ ex conspersione est, ut tamen non crescat tristitia quæ venit ex tempore. Iste gravatur usu immoderatæ præcipitationis, et aliquando tamen ab eo quod festine agendum est, eum vis præpedit subito natæ formidinis. Ille gravatur usu immoderatæ formidinis, et aliquando tamen in eo quod appetit, temeritate impellitur præcipitationis. Sic itaque in isto reprimatur subito oborta formido, ut tamen non excrescat enutrita diu præcipitatio. Sic in illo reprimatur repente oborta præcipitatio, ut tamen non convalescat impressa ex conspersione formido. Quid autem mirum si mentium medici ista custodiunt, dum tanta discretionis arte se temperant, qui non corda sed corpora medentur? Plerumque enim debile corpus opprimit languor immanis, cui languori **98** scilicet obviari adjutoriis fortibus debet, sed tamen corpus debile, adjutorium forte non sustinet. Studet igitur qui medetur, quatenus sic superexistentem morbum subtrahat, ut nequaquam supposita corporis debilitas crescat, ne fortasse languor cum

[a] Ita cum Trec., Theod., Corb., Laud. et Gemet., veteres Ed., cum in recent. legatur, *non tegitur*.

[b] In Corb. est cap. 37. In Longip., 57.

[c] In Excusis, *apponat*. Obsequimur Mss.

[d] Belv. et primus Carn., *innumeris ac diversis*. Retinemus jam vulgatam lect., quæ est Trec. et cæt.

• Duo priores Gemet., *levibus*, et infra *leves*.

[f] Ita legendum ex Mss. Germ., Belvac., Trec., Norm., etc., non ut habent Editi, *jubeantur*. Occasionem hallucinationi præbuerunt vet. Mss., in quibus scriptum, *jubentur*, pro *juventur*, littera *b* pro *v* usurpata. Postea Editores mutarunt *jubentur*, in *jubeantur*.

[g] Ex mera conjectura, rejecto *desperentur*, Editores prætulerunt *despiciantur*.

[h] De hac voce jam dictum est in admonitione 4, seu cap. 5.

vita deficiat. Tanta ergo adjutorium discretione componit, ut uno eodemque tempore et languori obviet et debilitati. Si igitur medicina corporis indivise adhibita servire divisibiliter potest (tunc enim vere medicina est, quando sic per eam vitio superexistenti [a] succurritur, ut etiam supposite conspersioni serviatur), cur medicina mentis una eademque prædicatione [b] apposita, morum morbis diverso ordine obviare non valeat, quæ tanto subtilior agitur, quanto de invisibilibus tractatur?

## CAPUT XXXVIII [*Al.* LXII.]

*Quod aliquando leviora vitia relinquenda sunt, ut graviora subtrahantur.*

Sed quia plerumque dum duorum vitiorum languor irruit, hoc levius, illud fortasse gravius premit; ei nimirum vitio rectius sub celeritate subvenitur, per quod festine ad interitum tenditur. Et si hoc a vicina morte restringi non potest, nisi illud etiam quod existit contrarium crescat [c] tolerandum prædicatori est, ut per exhortationem suam artificioso moderamine unum patiatur crescere, quatenus possit aliud a vicina morte retinere. Quod cum agit, non morbum exaggerat, sed vulnerati sui, cui medicamentum adhibet, vitam servat, ut exquirendæ salutis congruum tempus inveniat. Sæpe enim quis a ciborum se ingluvie minime temperans, jamjamque pene [d] superantis luxuriæ stimulis premitur, qui hujus puguæ metu territus, dum se per abstinentiam restringere nititur, inanis gloriæ tentatione fatigatur: in quo nimirum unum vitium nullatenus extinguitur, nisi aliud nutriatur. Quæ igitur pestis ardentius insequenda est, nisi quæ periculosius premit? Tolerandum nunquam est ut per virtutem abstinentiæ interim arrogantia contra viventem crescat, ne eum per ingluviem a vita funditus luxuria exstinguat. Hinc est quod Paulus, cum infirmum auditorem suum perpenderet, aut prava adhuc velle agere, aut de actione recta humanæ laudis retributione gaudere, ait: *Vis non timere potestatem? bonum fac, et habebis laudem ex illa* (*Rom.* XIII, 3). Neque enim ideo bona agenda sunt ut potestas hujus mundi nulla timeatur, aut per hæc gloria transitoriæ laudis sumatur. Sed cum infirmam mentem ad tantum robur ascendere non posse pensaret, ut et pravitatem vitaret simul et laudem; prædicator egregius ei, admonendo aliquid obtulit, et aliquid tulit. Concedendo enim lenia, subtraxit acriora; ut quia ad deserenda cuncta simul non assurgeret, dum in quodam suo vitio animus familiariter relinquitur, a quodam suo sine labore [•] tolleretur.

## 99 CAPUT XXXIX [*Al.* LXIII].

*Quod infirmis mentibus omnino non debent alta prædicari.*

[f] Sciendum vero est prædicatori, ut auditoris sui animum ultra vires non trahat, ne, ut ita dicam, dum plus quam valet tenditur, mentis chorda rumpatur. Alta enim quæque debent multis audientibus contegi, et vix paucis aperiri. Hinc namque per semetipsam Veritas dicit: *Quis putas est fidelis dispensator et prudens, quem constituit dominus super familiam suam, ut det illis in tempore tritici mensuram* (*Matth.* XXIV, 45; *Luc.* XII, 42)? Per mensuram quippe tritici exprimitur modus verbi, ne cum angusto cordi incapabile aliquid tribuitur, extra fundatur. Hinc Paulus ait: *Non potui vobis loqui quasi spiritalibus,* B *sed quasi carnalibus. Tanquam parvulis in Christo lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 1). Hinc Moyses a secreto Dei exiens, coruscantem coram populo faciem velat (*Exod.* XXXIV, 33), quia nimirum turbis claritatis intimæ arcana non indicat. Hinc per eum divina voce præcipitur (*Ibid.* XXI, 33), ut is qui cisternam foderit, si operire neglexerit, corruente in ea bove vel asino, pretium reddat; quia ad alta scientiæ fluenta perveniens, cum hæc apud bruta audientium corda non contegit, pœnæ reus addicitur, si per verba ejus in scandalum, sive munda sive immunda mens capiatur. Hinc ad beatum Job dicitur? *Quis dedit gallo intelligentiam* (*Job.* XXXVIII, 36)? Prædicator etenim sanctus dum caliginoso hoc clamat in tempore, quasi gallus cantat in nocte, cum C dicit: *Hora est jam nos de somno surgere* (*Rom.* XIII, 11). Et rursum: *Evigilate justi, et nolite peccare* (*I Cor.* XV, 34). Gallus autem **100** [g] profundioribus horis noctis altos edere cantus solet; cum vero matutinum jam tempus in proximo est, minutas ac tenues voces format, quia nimirum qui recte prædicat, obscuris adhuc cordibus aperta clamat, nil de occultis mysteriis indicat, ut tunc subtiliora quæque de cœlestibus audiant, cum luci veritatis appropinquant.

## CAPUT XL.

*De opere prædicationis et voce.*

Sed inter hæc ad ea quæ jam superius diximus, charitatis studio retorquemur, ut prædicator quisque D plus actibus quam vocibus insonet, et bene vivendo vestigia sequacibus [h] imprimat potius, quam loquendo quo gradiantur ostendat. Quia et gallus iste, quem pro exprimenda boni prædicatoris specie in locutione sua Dominus assumit, cum jam edere cantus parat, prius alas excutit, et semetipsum feriens

[a] Mallemus, *occurritur*, quod legitur in primo Carn., nisi in Trec. et aliis etiam potioribus esset, *succurritur*.

[b] Corb., Laud., Theod. et primus Carn., *oppositi*.

[c] Corb., Belv. et duo priores Carn., *curandum*. Trec. et al., *tolerandum*.

[d] Primus Carn., *superatis*.

[•] Ita Gem., Trec., Belvac., Corb., Norm., etc. At invitis Mss. repugnanteque totius orationis sensu, recentiores Editores habent hic, *toleretur*. Docet itaque Gregorius fideles in minoribus vitiis aliquandiu tolerandos, ut facilius a majoribus tollantur et eximantur.

[f] Rothom., Lyr. et tertius Gem., *studendum*.

[g] Corb., *in profundioribus*.

[h] In Guss., omissa erat vocula *potius*. In aliis habetur: *imprimat, ut potius agendo quam loquendo*.

vigilantiorem reddit, quia nimirum necesse est ut hi qui verba sanctæ prædicationis [a] movent, prius studio bonæ actionis evigilent, ne in semetipsis torpentes opere, alios excitent voce; prius se per sublimia facta excutiant, et tunc ad bene vivendum alios sollicitos reddant; prius cogitationum alis semetipsos feriant; quidquid in se inutiliter torpet, sollicita in- A vestigatione deprehendant, districta animadversione corrigant; et tunc demum aliorum vitam loquendo componant; prius punire propria fletibus curent, et tunc quæ aliorum punienda sunt denuntient; et antequam verba exhortationis insonent, omne quod loculturi sunt, operibus clament.

[a] Excidit Editoribus *monent*, pro *movent*, quod legimus in omnibus Cod. mss.

# QUARTA PARS.

## QUALITER PRÆDICATOR OMNIBUS RITE PERACTIS AD SEMETIPSUM REDEAT, NE HUNC VEL VITA VEL PRÆDICATIO EXTOLLAT.

Sed quia sæpe dum prædicatio modis congruentibus ubertim funditur, apud semetipsum de ostensione sui occulta lætitia loquentis animus sublevatur, magna cura necesse est ut timoris laceratione se mordeat, ne qui aliorum vulnera medendo ad salutem revocat, ipse per negligentiam suæ salutis intumescat, ne proximos juvando se deserat, ne alios erigens cadat. Nam quibusdam sæpe magnitudo virtutis occasio perditionis fuit; ut cum de confidentia virium inordinate securi sunt, per negligentiam inopinate morerentur. Virtus namque cum vitiis renititur, quadam delectatione ejus sibimetipsi animus blanditur; fitque ut bene agentis mens metum suæ [a] circumspectionis abjiciat, atque in sui confidentia secura requiescat; cui jam torpenti seductor callidus omne quod bene gessit enumerat, eamque quasi præ cæteris præpollentem in tumore cogitationis exaltat. Unde agitur, [b] ut ante justi judicis oculos, fovea mentis sit memoria virtutis; quia reminiscendo quod gessit, dum se apud se erigit, apud humilitatis auctorem cadit. Hinc namque superbienti animæ dicitur: *Quo pulchrior es, descende, [c] et dormi cum incircumcisis* (*Ezech.* XXXII, 19). Ac si aperte diceretur: Quia ex virtutum decore te elevas, ipsa tua pulchritudine impelleris ut cadas. Hinc sub Jerusalem specie, virtute superbiens anima reprobatur, cum dicitur: *Perfecta eras in decore meo, quem posueram super te, dicit Dominus; et habens fiduciam in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo* (*Ezech.* XVI, 14, 15). Fiducia quippe suæ pulchritudinis animus attollitur, cum de virtutum meritis læta apud se securitate gloriatur. Sed per hanc eamdem fiduciam ad fornicationem ducitur; quia cum interceptam mentem cogitationes suæ decipiunt, hanc maligni spiritus per innumera vitia seducendo corrumpunt. Notandum vero quod dicitur: *Fornicata es in nomine tuo*; quia cum respectum mens superni rectoris deserit, laudem protinus privatam quærit, et sibi arrogare incipit omne bonum, quod ut largitoris præco- B nio serviret accepit; opinionis suæ gloriam dilatare desiderat, satagit ut mirabilis cunctis innotescat. In suo ergo **101** nomine fornicatur, quæ legalis thori connubium deserens, corruptori spiritui in laudis appetitu substernitur. Hinc David ait: *Tradidit in captivitatem virtutem eorum, et pulchritudinem eorum in manus inimici* (*Psal.* LXXVII, 61). In captivitatem etenim virtus, et pulchritudo in manus inimici traditur, cum deceptæ menti antiquus hostis ex boni operis elatione dominatur: quæ tamen virtutis elatio, quamvis plene non superat, utcunque tamen et electorum animum sæpe tentat; sed cum sublevatus destituitur, destitutus ad formidinem revocatur. Hinc etenim David iterum ait: *Ego dixi in abundantia mea, non movebor in æternum* (*Psal.* XXIX, 7). Sed quia de confidentia virtutis intumuit, paulo post quid pertulit adjunxit: *Avertisti faciem tuam a me, et factus sum conturbatus* (*Ibid.*, 8). Ac si aperte dicat: Fortem me inter virtutes credidi, sed quantæ infirmitatis sim derelictus agnovi. Hinc rursum dicit: *Juravi et statui custodire judicia justitiæ tuæ* (*Ps.* CXVIII, 106). Sed quia ejus virium non erat manere in custodia quam jurabat, debilitatem suam protinus turbatus invenit. Unde et ad precis opem repente se contulit, dicens: *Humiliatus sum usquequaque, Domine; vivifica me secundum verbum tuum* (*Ibid.*, CVII). Nonnunquam vero superna moderatio priusquam per munera provehat, infirmitatis memoriam ad mentem revocat, ne de acceptis virtutibus intumescat. Unde Ezechiel propheta quoties ad contemplanda cœlestia ducitur, C D **102** prius filius hominis vocatur; ac si hunc aperte Dominus admoneat, dicens: Ne de his quæ vides, in elatione cor subleves, cautus perpende quod es; ut cum summa penetras, esse te hominem recognoscas, quatenus dum ultra te raperis, ad temetipsum sollicitus infirmitatis tuæ [d] freno revoceris. Unde necesse est ut cum virtutum nobis copia blanditur, ad infirma sua mentis oculus redeat, seseque salubriter deorsum premat; nec recta quæ egit, sed quæ agere

[a] Gemeticenses, *suspectionis*.

[b] Ed. Gilot. et nonnullæ, *ante stulti judicis;* quod optime referri potest ad mentem stulte de suis virtutibus præsumentem. Adhæremus Mss.

[c] Corb., *surge qui dormis cum incircumcisis*.

[d] Lyr., *consideratione*.

neglexit aspiciat; ut dum cor ex memoria infirmitatis atteritur, apud humilitatis auctorem robustius in virtute solidetur. Quia et plerumque omnipotens Deus idcirco Rectorum mentes quamvis ex magna parte perficit, imperfectas tamen ex parva aliqua parte derelinquit; ut cum miris virtutibus rutilant, imperfectionis suæ tædio tabescant, et nequaquam se de magnis erigant, dum adhuc contra minima innitentes laborant; sed quia extrema non valent vincere, de præcipuis actibus non audeant superbire.

Ecce, bone vir, reprehensionis meæ necessitate compulsus, dum monstrare qualis esse debeat Pastor invigilo, pulchrum depinxi hominem pictor fœdus; aliosque ad perfectionis littus dirigo, qui adhuc in delictorum fluctibus versor. Sed in hujus quæso vitæ naufragio orationis tuæ me tabula sustine, ut quia pondus proprium deprimit, tui meriti manus me levet.

# ARGUMENTUM

## IN QUATUOR LIBROS DIALOGORUM SANCTI GREGORII MAGNI.

Ex editione Romana anni 1591.

**103** Illud sanctissimo eruditissimoque pontifici Gregorio propositum fuit, ut quæcunque de cura pastorali instituta et præcepta litteris mandasset, ea episcoporum in Italia, cum sanctitate vitæ tum episcopalis virtutis disciplina florentissimorum, exemplis vere solideque exprimeret. Optimo igitur jure factum videtur, ut Pastorali libro præclaros illos Dialogorum de vita et miraculis Patrum Italicorum libros, tum Latinos, tum Græcos in Vaticana bibliotheca conquisitos summaque fide ex veterum exemplarium ratione emendatos, adjungeremus. Tanti autem hos libros vetus Græcia fecit, ut ob præstantiam, Gregorium Dialogi nomine appellarit. Cum vero contra Græcos ipsos est aliqua suscepta disputatio, plerique Græci non modo illi veteri Græcia digni, sed etiam ab hac ætate recentes, ex ipsis his libris argumentorum arma sumpserunt adversus suos, ut in ultima hujus argumenti parte perspicue demonstratur. Sunt vero hi libri ita suaviter et luculenter scripti, ut eorum auctorem facile quis agnoscat Gregorium Magnum, qui Petrum Diaconum, cum interrogantem inducat, aditum et viam sibi aperit, cum ad præclara illa divinaque responsa, tum ad explicandas magnas quæstiones, quæ difficiles explicatus habent. Et vero ex iis secundus liber plenus est miraculis et exemplis vitæ sancti Benedicti Abbatis. Reliqui vero tres varie aspersi sunt documentis, et exemplis aliorum perfectorum et probatorum virorum, præsertim episcoporum, ut Paulini Nolani, Marcellini Anconitani, Bonifacii Ferentini, Fortunati Tudertini, Constantii Aquini, Fulgentii Utriculani, Herculani Perusini, et aliorum multorum, quos longum nimis esset recensendo enumerare. Est igitur cur ab omnibus eo studiosius legantur, quo cumulatiores sunt, et documentis, et exemplis, quibus in omnes partes sanctæ vitæ usus conformari potest.

Latinis autem Dialogis Græcos apposuimus, quoniam sapientum virorum judicio, atque exemplo optimum factu illud videtur, ut Græca cum Latinis conjungantur. Quod cum in cæteris omnibus fieri expedit, tum omnino effici oportuit in horum Dialogorum editione, qui hæreticorum quorumdam, omnia temere oppugnantium, pravis studiis exagitati, in posterum præsidio firmissimo communiuntur Græcæ hujus interpretationis veteris, qua a tam erudito Pontifice Zacharia nihil neque ad veri perspicientiam, neque ad rerum quæ commemorantur gravitatem, neque ad purum sermonis cultum, neque ad sententiarum gravitatem, neque ad dogmatum pondus præstantius dici aut exprimi potuit. Hæc autem editio, quam in omnes partes utilis, vel potius necessaria sit, cum ex aliis multis facile intelligi possit, tum ex eo maxime, quod non solum olim in concilio Lugdunensi, quod Gregorius decimus habuit, verum etiam in Florentino, ii Dialogi Græci, una cum aliis veterum Græcorum Patrum monimentis desiderati non modo sint, verum etiam jam inde usque a Græcia asportati, ad retundendam ipsorum Græcorum, pertinaciter a Latinis dissidentium, audaciam. Quare factum est ut cum contra Græcos est aliqua unquam suscepta disputatio, plerique etiam Græci, ex iis ipsis Dialogis contra suos argumentorum arma sumpserint. Id vero in multis aliis animadverti licet, **104** sed præsertim et in Emmanuele Caleca, qui horum Dialogorum doctrinis instructus, in eodem concilio Lugdunensi, egregia disputationum certamina contra suos confecit, et in Gennadio Scholario patriarcha Constantinopolitano, qui in ipsa synodo Florentina œcumenica Græcos cum Latina Ecclesia de quibusdam fidei catholicæ decretis diu pugnantes vicit argumentorum et doctrinarum armis, quæ sibi ad dimicandum sumpsit ex horum Græcorum Dialogorum auctoritate, quam maximi semper fecit et vetus, et recens Græcia. Sed res est in promptu, neque opus habet cur in præsenti pluribus explicetur. Ut igitur rationibus publicis consuleremus, operæ pretium censuimus, Latinis sanctissimi Gregorii papæ Dialogis eos adjungere, quos itidem eruditissimus Zacharias pontifex Græcos divine fecit. Cum autem aliæ plures causæ esse possint, eæque gravissimæ, quamobrem hanc Græcam Dialogorum interpretationem e Vaticana typographia emiserimus, eas relinquimus judicio eruditorum hominum, de catholica republica bene sentientium. Cæterum illud inficiandum nobis non est, in hac ipsa Editione, præsertim libro tertio, desiderari hæc capita sex (1) utpote κζ'. *περὶ τῶν μὴ θελησάντων μιαροφαγῆσαι τεσσαράκοντα γεωργῶν, καὶ ὑπὸ τῶν Λογγοβάρδων ἀποκεφαλισθέντων.* Deinde alterum caput proxime sequens, κη'. *περὶ τῶν αἰχμαλώτων τῶν μὴ θελησάντων τὴν τῆς αἰγὸς κεφαλὴν προσκύνησαι, καὶ κατασφαγέντων.* Post, caput tertium nempe, κθ'. *περὶ Ἀρειανοῦ ἐπισκόπου τυφλωθέντος.* Proximum etiam caput quartum notatum littera λ'. *περὶ τῆς ἐκκλησίας τῆς ἁγίας ἀγαθῆς εἰς τὴν Σουβοῦραν.* Aliud item caput consequens, videlicet λα'. *περὶ Ἑρμηνιγίλδου ῥηγὸς πρωην Ἀρειανοῦ ὑπάρχοντος, καὶ διὰ τὸ προσελθεῖν αὐτὸν τῇ ὀρθοδόξῳ πίστει, ὑπὸ τοῦ ἰδίου πατρὸς σφαγέντος.* Ultimum et sextum caput est, λβ'. *περὶ τῶν ἀπὸ Ἀφρικῆς ἐπισκόπων, τῶν διὰ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν γλωσσοκοπηθέντων, καὶ πάλιν λαληθέντων.* Hæc quidem capita sex ordine numerata absunt in hac Vaticana Editione, non dolo, nec fraude, sed quia etiam accuratissime investigata ea nulla exstant in duobus exemplaribus vetustissimis, quorum

(1) Sex illa capita libri tertii, quæ deerant in prima Dialogorum Græcorum editione, in posterioribus editionibus restituta sunt ex Henrici Canisii tomo III lectionum antiquarum. Sic etiam habentur in ms. Codice Regio, ex quo plura alia restaurata sunt, ut dicetur in notis ad Dialogos. (*Monitum Petri Gussanvillæi*).

unum est Vaticanum, alterum nobilissimæ Bibliothecæ Cryptæ Ferratæ. Nec vero si hæc capita desiderantur, eam ob rem negligenda fuit hæc Græcorum Dialogorum Editio, cum cætera capita, Græce reddita, in omnes partes maxime utilia esse queant ad reipublicæ catholicæ usum; illa vero sex quæ desiderantur, cum præsertim in exemplari Gregoriano Latino, et in cæteris Latinis monumentis ita belle et usque adeo enucleate perscripta sunt, etiamsi, vel temporum vetustate, vel hominum vitio deleta his temporibus non essent, nulla inde jactura facta putetur.

# VINDICIÆ DIALOGORUM SANCTI GREGORII MAGNI,

## AUCTORE PETRO GUSSANVILLÆO.

**105** De vindicandis Gregorio papæ primo, qui et Magnus cognominatur, Dialogis, nullus, quod sciam, hactenus laboravit (*a*), tum quia illos constans plurimorum sæculorum consensus auctori suo asserebat, tum quia criticorum natio certos sibi fines inquisitionis circumscribens, nondum ausa fuerat veritates quaslibet suarum dubitationum tormentis aggredi. Prodiere tandem aliqui nostro sæculo, qui Dialogos istos aut omnino repudiant, aut certe sancto Gregorio abjudicant, levibus, ut existimo, conjecturis adducti. Eos refellere animus est, ne novus error si negligitur, serpat latius, et incuriosorum mentes inficiat; quibus ut caveamus jubet charitas, susceptique in edendo Gregorio muneris ratio deposcit. Id autem ut cum efficacitate præstemus, prodibit 1° Gregorius, suos ipse sibi Dialogos vindicans; 2° sequentur auctores plurimi omnium fere a Gregorio sæculorum; 3° astipulabuntur innumeri Codices manu exarati, iique melioris notæ; 4° demum præcipua criticorum istorum momenta difflabimus.

Sanctus Gregorius rogatus a familiaribus, ut exemplo Hieronymi, Theodoreti, et Cassiani, illustriora quæque Patrum qui paulo ante in Italia floruerant facta describeret, annuit, litterisque ad amicos datis instanter petiit, ut quæcunque ad rem istam pertinentia noverant, sine mora transmitterent. Legesis epistolam 50 libri II, ind. 11, ad Maximianum : « Fratres mei qui mecum familiariter vivunt, omnimodo me compellunt aliqua de miraculis Patrum, quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque vos cognovisse contigit, mihi breviter indicetis. De domno enim Nonnoso abbate, qui juxta domnum Anastasium de Pentumis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hæc igitur, et si qua sunt alia, tuis peto epistolis imprimi, et mihi sub celeritate transmitti. » Maximianum rescripsisse liquet, ex c. 7 l. I Dialogorum, ubi de Nonnoso verba faciens Gregorius, testatur se hæc omnia a Maximiano, quem et episcopum nominat, et adhuc in vivis esse indicat, didicisse. Erat autem annus quartus pontificatus Gregorii, cum id scribebat, Christi vero 594. Porro Maximianus obiit ann. 596, ex historiæ Siculæ scriptoribus. De eo etiam mentionem facit lib. III Dialog., c. 36, et l. IV, c. 32, sicut et homilia 34, in Evangelia; quibus in locis eum dicit episcopum Syracusanum, et monasterii sui Patrem, ad quem etiam sunt plures epistolæ in Regesto.

Notabit lector in Homiliis et in Dialogis easdem historias eisdem fere verbis expressas, et tanquam ab eodem relatas, inveniri, ut in l. III Dialog., c. 6, et in lib. IV, c. 56, ubi de Cassio Narniensi episcopo verba facit, de quo etiam loquitur hom. 37 in Evang. In eodem l. IV, c. 14, ubi de Servulo, cujus antiqua Martyrologia meminerunt ad diem X Kal. Jan., ait se de eo in homiliis locutum, quod videre est in homil. 15 in Evang. Sic et in c. 15 ejusdem l. IV, loquitur Gregorius de Romula, de qua se in homiliis verba fecisse testatur, nempe hom. 30 in Evang. Idem dicendum de c. 16, ubi de Tarsilla, de qua hom. 38, cap. 19; de Stephano, hom. 39, cap. 27; de Theophanio, hom. 36, cap. 37; de Theodoro puero, hom. 38, cap. 38; de Chrysaorio, hom. 12. Eodem c. 38, de Athanasio presbytero Isauriæ, de quo sæpe in epistolis mentionem facit. Cap. 57, loquitur de Agatho Panormitano episcopo, quem constat ex historiis vixisse tempore Pelagii II decessoris Gregorii, ut ipsemet loquitur. Sed et de eodem Pelagio prædecessore suo disertis verbis agit cap. 16 lib. III, et de eo alias sæpe mentionem habet. In cap. 19, de Autarith Longobardorum rege, de quo lib. I, epist. 17, et alibi. Historiam vero Herminigildi quis ad alia quam ad Gregorii tempora referat, cum ipse dicat eam se ab amico suo Leandro, Hispalensi episcopo, qui ei interfuit, didicisse? Rem fuse narrat in ejusdem l. cap. 31. Sed et in c. 32, 36 et 37, de sua ad urbem Constantinopolitanam **106** legatione, cum esset Pelagii II Apocrisiarius, refert. Quis porro ignoret Leandrum jam tum in urbe Constantinopoli pro Wisigothorum rege legatione fungentem, Gregorio familiarissimum fuisse; unde et ipsi Moralium libros, ejus hortatu elaboratos, inscripsit, et ad eum plures epistolas dedit.

Denique scripturus Vitam sancti Benedicti, initio libri II Dialogorum, ait se quæ dicturus est accepisse a quatuor ejusdem sancti discipulis, quorum adhuc duo in vivis erant.

Ex his omnibus luce meridiana clarius constat, quantum aberraverint qui Dialogos istos Gregorio II, Gregorio nostro 150 annis juniori, assignarunt, cum hæc omnia quæ retulimus alteri quam Gregorio I convenire nemo sanus affirmare aut judicare possit.

Inter auctores qui post Gregorium vixere, primum profero Paterium, ipsius familiarem ac discipulum, sanctæ Romanæ Ecclesiæ notarium et secundicerium, de quo etiam in Regesto mentio habetur. Is librum Testimoniorum edidit, ex omnibus Gregorii operibus collectum, idque sancti Patris hortatu, ut ipsemet in Præfatione loquitur, in quo plusquam viginti ex ipsis Dialogis testimonia iisdem prorsus verbis adducit ut lectori studioso indicabunt notæ ad marginem positæ (*b*). Paterii liber operibus Gregorii subjunctus est.

Taius vel Taio Cæsaraugustanus episcopus, qui vivebat ann. 650, insigne opus edidit, quod inscripsit Collectaneum ex operibus sancti Gregorii, ut ipse in proœmio testatur, quodque in libros quinque divisit, et Quirico episcopo Toletano, viro celeberrimo dicavit. In hoc opere plura de Dialogis Gregorii testimonia proferuntur, quæ causa brevitatis omitto, et quæ lector videre poterit in insigni manuscripto Codice, qui asservatur in bibliotheca Thuanea.

(*a*) Imo ex Nostris plurimi jam id præstiterant, præsertim Benedictus Haeftenus, in prolegom. ad Vitam sancti Bened., et J. Mabillonius, in præfat. ad tom. I Actorum, § 2.

(*b*) In Editione Gussanvillæana nullæ notæ indicant testimonia ex Dialogis a Paterio excerpta. Sunt tamen aliqua ejus Collectioni inserta; ut in lib. Num. cap. 4, et in lib. Josue cap. 1. Sed longe pauciora quam Gussanvillæus asserit, quia Paterii non sunt Collecta in Novum Testamentum nomine Paterii insignita et vulgata, ut suo loco demonstrabimus.

Idefonsus, Toletanus episcopus, qui obiit an. 667, in libro quem composuit de Scriptoribus Ecclesiasticis, cap. 1, Dialogos nostri Gregorii memorat his verbis : De vitis Patrum per Italiam commorantium edidit (Gregorius) etiam libros quatuor, quos volumine uno compegit : quem quidem Codicem Dialogorum maluit appellari.

Julianus, Toletanus etiam episcopus, an. 680, opus edidit, quod Prognosticon futuri sæculi appellavit, et Idalio Barcinonensi episcopo inscripsit ; in eo plura ex Dialogis loca refert lib. II, cap. 8, 12, 19, 24, 25, et aliis.

Beda presbyter, qui florebat an. 730, lib. II Histor., cap. 1, facta Gregorii referens, sic ait : « Libros etiam Dialogorum quatuor fecit, etc, » Et paulo ante inducit sanctum Gregorium, de onere Pastorali conquerentem his verbis, quæ habentur initio Dialogorum : « Infelix animus meus, etc. »

Paulus Diaconus, qui vivebat an. 780, in Vita Gregorii, quam ejus operibus præfiximus, ita loquitur : « Libros etiam Dialogorum quatuor edidit, in quibus rogatu Petri Diaconi sui virtutes sanctorum, etc. » Et paulo ante refert ex præfatione Dialogorum hæc verba : « Qualis autem in monasterio fuerit, quamque laudabili studio vitam duxerit, ex ipsius possumus verbis colligere, quibus ipse in pontificatu jam positus, dum cum Petro suo colloqueretur Diacono, flendo usus est dicens : Infelix quippe animus meus, etc. » In historia denique quam de Gestis Langobardorum inscripsit, lib. IV, cap. 5, Dialogorum quoque mentionem ita facit : « Sapientissimus et beatissimus papa Romanæ urbis, postquam alia multa ad utilitatem sanctæ Ecclesiæ scripserat, etiam libros quatuor de vita sanctorum composuit, quem Codicem Dialogum, id est duorum locutionem, quia ipsum cum suo Diacono Petro colloquentem ediderat, appellavit. Ilos igitur libros præfatus papa Theudelindæ reginæ direxit, quam sciebat utique et Christi fidei deditam, et in bonis actibus esse præcipuam. » Jam supra, in lib. I, cap. 26, de his etiam Dialogis verba fecerat, ubi de sancto Benedicto agens, in hunc modum loquitur : « His quoque diebus beatissimus Benedictus, etc., cujus vitam, sicut notum est, beatissimus papa Gregorius in suis Dialogis suavi sermone composuit. »

Joannes Diaconus, qui circa an. 875 floruit, vitamque Gregorii accuratissime scribens, omnia Ecclesiæ Romanæ scrinia diligenter evolvit, pluribus in locis Dialogorum a Gregorio editorum meminit. Lib. I, cap. 7, refert recuperatam sanitatem a Gregorio precibus Eleutherii monachi, de quo lib. III Dialog., cap. 37, et plures alias ejusmodi historias, quæ in Dialogorum opere continentur, passim recenset. Lib. II, cap. 11 sic loquitur : « Inter prudentissimos **107** consiliarios familiaresque delegit Petrum Diaconum, coætaneum suum, cum quo postea disputans, quatuor Dialogorum libros composuit. » Et in lib. IV, cap. 75, Gregorius sanctorum miracula Patrum cum Petro suo Diacono, quæ per inquisitionem atque responsionem protulerat, expositionis altius studium interrumpens, sola nominum prænotatione distinxit, et in libros quatuor ordinavit, etc.

Hadrianus papa I, an. 787, in epistola ad Carolum magnum pro septima synodo, actione 5, cap. 16, citat Dialogorum cap. 9 lib. I, his verbis : « Sanctus Gregorius in Dialogis suis meminit de sancto Bonifacio, etc. »

Anastasius Bibliothecarius, in Vita Zachariæ papæ, ait eum quatuor Dialogorum sancti Gregorii libros ex Latina in Græcam linguam vertisse ; abiit autem ann. 887.

Alcuinus, Bedæ discipulus et Caroli Magni præceptor, in fine libri de divinis Officiis, ubi de 3, 7 et 30, die pro defunctis agit, testimonium super ea re ex cap. 55 lib. IV Dialogorum affert. Florebat ann. 790.

Hincmarus, Rhemensis archiepiscopus, qui floruit an. 860, plurima in operibus suis ex Dialogis Gregorii testimonia profert, ut tom. I, pag. 106, 422, 460, 524, 537, 548, et aliis, quæ referre tædiosum esset.

Paschasius Ratbertus, Corbeiensis monachus, circa an. 850, in libro de Corpore et Sanguine Domini laudat cap. 58 lib. IV Dialogorum.

Prudentius, Trecensis episcopus, an. 845, librum scripsit de Prædestinatione contra Joannem Scotum Erigenam, in quo nonnulla profert testimonia ex Dialogis Gregorii, ut in c. 17, n. 10, c. 19, n. 2, et aliis.

Photius, Patriarcha Constantinopolit., an. 870, in sua Bibliotheca, cod. 252, post elogium Gregorii, de quatuor Dialogorum libris ab eo scriptis, et a Zacharia papa in linguam Græcam translatis ita loquitur : « Quin etiam vitas eorum qui in Italia claruissent, salubribus admistis narrationibus, quatuor Dialogis concinnavit. Etenim per centum et sexaginta quinque annos hi qui Latinam linguam ignorarent, sola utilitate hujus operis frustrati sunt. Zacharias vero, qui hujus sancti viri post illud tempus successor fuit, tantum opus Italia conclusum in linguam Græcam vertens, communem utilitatem orbi terrarum benigne exhibuit. Taceo plurimos alios e Græcis, Joannem Damascenum, Euthymium et alios, qui Gregorium ob Dialogos ab ipso scriptos Dialogum cognominarunt. »

Regino, Prumiensis abbas, qui excessit anno 904, lib. II de Ecclesiastiasticis disciplinis, c. 198, narrat historiam quæ habetur lib. IV Dialogorum, cap. 32, de quodam qui filiolam suam polluerat.

Concilium Triburiense sub Formoso, an. 895, cap. 17. Ut nullus in Ecclesia sepeliatur, refert ex lib. I Dialogorum, cap. 53, historiam Valentini cujusdam in Ecclesia sepulti, et ex ea a dæmonibus ejecti.

Berno Augiensis abbas, an. 1020, in libello de quibusdam rebus ad missam spectantibus, cap. 12, narrat quæ a beato Gregorio de Paschasio Diacono scribuntur in lib. IV Dialogorum, cap. 40.

Burchardus, Wormatiensis episcopus, plurima in Decretis suis ex Dialogorum libro testimonia adducit. Vivebat an. 1000.

Algerus Cluniacensis monachus, qui florebat an. 1050, lib. II de Sacramento Corporis et Sanguinis Domini, profert, cap. 31 lib. III Dialogorum Gregorii.

Lanfrancus, Cantuariensis archiepiscopus, an. 1080, in libro de Corpore et Sanguine Domini, cap. 14 et 20, argumentum sumit ex cap. 58 lib. IV eorumdem Dialogorum.

Idem facit Durandus, Troarnensis abbas, qui circa an. 1075 florebat, in libro de Corpore et Sanguine Christi, parte VI ; et Guitmundus, Aversanus archiepiscopus, ann. 1070, in libro de Veritate Eucharistiæ.

Anselmus, Lucensis episcopus, qui decessit anno 1086, in Collectione canonum, lib. V, cap. 24, refert caput fere integrum 30 lib. III Dialogorum. Lib. II, c. 159, affert testimonium de Purgatorio, ex lib. IV Dialogorum, c. 39, et plura alia.

Alulfus, monachus Tornacensis, qui floruit an. 1090, edidit exemplo Paterii, sed longe Pateriano ampliorem librum insignem, compositum ex omnibus operibus Gregorii, quem propterea Gregorialem inscripsit, ubi testimonia retulit in duodecim prophetas et in alia quædam sacræ Scripturæ loca quæ Paterius omiserat. Is itaque in exceptionibus tam super Vetus quam super Novum Testamentum innumera profert

loca ex variis Gregorii Dialogorum libris. Cæterum **108** hoc opus Alulfi (*a*) exstat in tribus voluminibus antiqua manu et eleganti charactere exaratum, in monasterio Longipontis, ordinis Cisterciensis, Diœcesis Suessionensis.

Possemus adducere plurimos viros insignes, qui Dialogos illos approbarunt, Sigebertum Gemblacensem, Ivonem Carnotensem, Honorium Augustodunensem, Rupertum Tuitiensem, Bernardum Claravallensem, Gratianum (*b*), Petrum Lombardum, dictum Magistrum sententiarum, Guillelmum de Campellis, Canonicorum sancti Victoris Parisiensis Institutorem, ac post episcopum Catalaunensem, Petrum Cluniacensem, Albertum magnum, Thomam Aquinatem, Bonaventuram, et alios qui ad sæculum usque nostrum floruerunt. Verum ne simus fastidio, lectorem ad eos remittimus.

Sed nec manuscriptos Dialogorum Gregorii Codices enumerare operæ pretium est, cum infiniti propemodum ubique inveniantur, nec ullum fere antiquum monasterium sit in quo duo aut tria exemplaria Dialogorum Gregorii scripta non reperiantur.

Quibus machinis tot testium testimoniorumque robur valeant adversarii infringere, non satis video. Restat ut quæ a ratione petunt argumenta dissolvamus. Sunt autem tria quæ maxime opponunt. Primum ducunt ex stylo, quem in Dialogis omnino diversum, inæqualem, et inelegantem, barbaris et corruptis vocibus refertum aiunt, et Gregorii ingenio, majestateque prorsus indignum. 2° In eis multa mirantur quæ sunt penitus incredibilia. 3° Doctrinæ Gregorii quædam adversantur, ut lib. IV Dialogorum, cap. 29, ubi gehennæ ignem esse corporeum dicitur, cum e contrario manifeste dicat Gregorius, lib. XV Moral., c. 17, ejusmodi ignem esse incorporeum.

Quod ad stylum attinet, agnosco diversitatem aliquam, non tamen omnimodam. Et vero quis nesciat idem fere in omnibus sanctorum Patrum operibus animadverti, et varium esse stylum pro varietate tractatuum ac materiarum? Neque enim eumdem esse orationum, epistolarum, historiarum, dialogorum, etc., stylum, quis sanus asseruerit. Quanquam in hisce Dialogis multa sunt, quæ cæterorum Gregorii operum stylum, vim, elegantiam, immo et scientiæ altitudinem referant, ut legenti patet. Sed et ipsam styli diversitatem non mirabitur, qui viderit Gregorium ipsum ingenue fateri se eumdem stylum in solo opere Moralium observare non potuisse. Sic enim loquitur lib. XI Moral. cap. 1 : « Quamvis in prolixo opere esse culpabilis styli mutabilitas non debeat, etc. » Et paulo post : « Immutationem styli, lector meus æquanimiter accipe, quia et sæpe eosdem cibos edentibus diversitas placet coctionis. »

Ad phrases et dictiones barbaras quod attinet, quis nesciat multa ejusmodi in sanctorum Patrum tractatibus reperiri, qui non tam elegantiæ et puritati sermonis, quam veritati et simplicitati studuerunt. Idque se de industria factitasse fatetur ipsemet Gregorius in epistola ad Leandrum Moralibus præfixa, ubi de his ita loquitur cap. 5 : « Ipsam artem loquendi, quam magisteria disciplinæ exterioris insinuant, servare despexi. Nam sicut hujus quoque epistolæ tenor enuntiat, non metacismi collisionem fugio, non barbarismi confusionem devito, situs motusque præpositionum, casusque servare contemno; quia indignum vehementer existimo, ut verba cœlestis oraculi restringam sub regulis Donati. Neque enim hæc ab ullis interpretibus in Scripturæ sacræ autoritate servata sunt. » Idem de vocibus barbaris dicendum, quas Langobardorum et aliorum populorum barbaries in Italiam invexerat : unde et jam Latinæ linguæ puritas velut luto isto prorsus inficiebatur. Imo et illa verba, paulo ut ita dicam rusticiora, non ipsius Gregorii, sed aliorum esse ipsemet profitetur in prologo Dialogorum : « Id vero scire te cupio, quia in quibusdam sensum solummodo, in quibusdam vero et verba cum sensu teneo; quia si de personis omnibus ipsa specialiter verba tenere voluissem, hæc rusticano usu prolata stylus scribentis non apte susciperet. »

De historiis quæ in Dialogis continentur, nihil est quod dicam, nisi quod Gregorius eas referendo prout ab aliis didicerat, fidem suam liberavit. Paucæ enim sunt, quas ipse se vidisse, aut quibus interfuisse dixerit. Fecit quod plurimi sanctorum Patrum fecerunt in multis historiis, quæ utique incredibiles videbuntur, si ad rationis humanæ trutinam expendantur. Quia vero sunt miracula, id est fidem humanam excedentia, humano judicio metienda non esse quis ambigat? Standum putavit rumoribus publicis, uti testes oculati ipsi defuerunt, cum ex eo præsertim fidelium posset augeri pietas, et nulla erroris aut falsi **109** aliunde species appareret. Præclare et apposite ad rem nostram Theodoretus, in præfatione Historiæ sanctorum Patrum : « Narrando autem procedet oratio, non utens legibus encomiorum, sed pauca quædam vere referens. Rogo autem qui in hanc religiosam inciderint historiam, seu formam monasticæ exercitationis (vocet enim quis hoc corpus (*c*) ut voluerit), ne iis quæ dicuntur minus credant, si quid audient quod eorum vires superet, nec ex se illorum virtutem metiantur; sed aperte sciant quod piorum animis Deus desuper metitur dona sanctissimi Spiritus, et majora largitur perfectioribus. Hæc autem a me dicta sunt ad eos qui in rerum divinarum mysteriis non sunt admodum accurate initiati; mystæ enim adytorum Spiritus sciunt gloriam Spiritus, et quænam per homines in hominibus faciat miracula, attrahens incredulos ad Dei cognitionem. Qui autem non est crediturus iis quæ a me dicenda sunt, clarum est eum ne iis quidem credere tanquam veris quæ per Mosen et Jesum et Eliam et Elisæum facta sunt, habere autem etiam pro fabulis miracula quæ facta sunt a sanctis apostolis. Sin autem illa esse vera testatur, hæc quoque credat esse a falso aliena. Quæ enim in illis operata est gratia, ea per illos quoque fecit ea quæ fecit. Perennis enim gratia et eos qui digni sunt eligens, veluti per quosdam salientes per hos effudit fluenta suæ operationis. Ex iis autem quæ sunt dicenda, ipse quidem vidi nonnulla; quæ autem non vidi, audivi ab illis qui viderunt, viris virtutis amantibus, et qui digni sunt habiti ut et eos viderent, et eorum doctrina fruerentur. Evangelicæ autem doctrinæ scriptores fide digni non solum sunt Matthæus et Joannes, magni et primi in evangelistis, qui Domini videre miracula, sed etiam Lucas et Marcus, quos qui ab initio viderunt, et fuerunt Verbi ministri, non solum quæ passus est, et quæ fecit Dominus, sed ea etiam quæ perpetuo docuit, accurate edocuerunt. Etenim cum non vidisset ipse beatus Lucas, in principio operis dicit se ea narrare de quibus certior factus est. Non ergo etsi audiamus eum non vidisse ea quæ narrat, sed hanc doctrinam accepisse ab aliis, non minus ei et Marco credimus quam Matthæo et Joanni. Uterque enim est in

(*a*) Alulfi opus in Novum Testamentum, Paterii nomine insignitum, prodiit seorsim Romæ anno 1553, et inter sancti Gregorii Opera ann. 1591, ac deinceps in variis Gregorianis Editionibus. Hallucinationem ostensuri sumus, cum Paterium integrum et genuinum infra exhibebimus.

(*b*) Inserta Gratiani Decreto Dialogorum testimonia quotquot occurrerunt in margine notare, quod neglexit Gussanvillæus, nobis curæ fuit.

(*c*) Apud Theodoritum legitur, τὸ σύγγραμμα, quod significat *hoc scriptum*, sive, ut apud interpretem habetur, *hoc opus*, non vero hoc corpus. In cæteris veterum scriptorum locis, hic aut alibi a Gussanv. laudatis, pro ipso spondere minime volumus.

narrando fide dignus, ut qui didicerit ab eis qui viderunt. Nos itaque alia quidem narrabimus, ut quæ a nobis visa sunt, alia autem ut qui crediderimus eis qui viderant narrantibus viris, qui illorum vitam sunt æmulati. Prolixiori autem de iis usus sum oratione, dum volo persuadere me vera narraturum. »

Tertio denique certum est sententiam sancti Patris eamdem esse in Dialogis quæ in cæteris ejus operibus. Frivolum est enim quod aiunt, diversam, imo contrariam eam omnino esse de igne inferni, quem corporeum in Dialogis esse profitetur, scilicet in lib. IV, cap. 29. Verba sunt : Si igitur diaboli ejusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ, et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta ? Cum econtra, in lib. XV Moral., cap. 17 (*a*), apertissime dicat ignem gehennæ esse incorporeum, scilicet exponens illa verba cap. XX Job : *Devorabit eum ignis qui non succenditur*. Sic enim loquitur : « Miro valde modo paucis verbis expressus est gehennæ ignis ; ignis namque corporeus ut esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis. Qui cum necesse est ut servetur, per congesta ligna proculdubio nutritur ; nec valet nisi succensus esse, et nisi refotus subsistere. At contra gehennæ ignis cum sit incorporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur. Sed creatus semel durat inextinguibilis, et succensione non indiget, et ardore non caret. » Fateor in quibusdam Editionibus ita legi, imo et in nonnullis mss. Codicibus ; verum errorem esse oscitantium exscriptorum et imperitorum librariorum nemo non judicabit, cum viderit infinitos illos Codices mss. antiquissimos, et probatissimos, ex quibus nonnulli a nobis inspecti sunt : nimirum in bibliotheca Vaticana Codices mss. Moralium, n. 574, 575, 578, 579, 582 ; Codex antiquissimus bibliothecæ Barberinæ ; alius item ms. Codex in folio magno pergameno admodum antiquo, qui tempore Alexandri VII ex Bibliotheca Urbinate Romam advectus est ; duo etiam Bibliothecæ Chisiæ : omnes isti Codices scriptum habent *corporeus* ; et licet duo Mss. alii, num. 576 et 589, habeant *incorporeus*, manifesto tamen apparet syllabam, *in*, recentiore manu supra adjunctam esse. Sed et antiqua translatio Italica Moralium, edita Florentiæ ann. 1486, sic eam sententiam transfert : *mà lo fuoco dall' inferno è tutto per contrario.* **110** *Imperochè essendo egli cosa corporale et ardendo corporalmente li miseri dannati*, etc. Hæc omnia supradicta ad me misit eminentiss. card. Bona, qui ea præ eximia sua erga litteratos benignitate recensere dignatus est. Eodem modo scriptum habent Codices Gallicani, Sorbonicus 600 et amplius ann. ; cathedralis Sanctæ Mariæ Rhemensis 600 annorum ; Sancti Remigii Rhemensis duo 800 et 600 ann. ; Sancti Germani a Pratis 800 fere ann. ; Codex antiquissimus et optimæ notæ Ecclesiæ Bajocensis ; Codex Bibliothecæ viri clarissimi et eruditissimi Claudii Jolii, Cantoris Parisiensis, 700 ann. ; Monasterii Regalis Montis ord. Cisterciensis 600 ann. ; Bibliothecæ Ecclesiæ Bellovacensis 700 ann. ; Codices duo Sancti Cornelli Compendiensis, alter 800 et amplius ann., alter 300 ann. ; Codex Regius 400 ann. ; in Bibliotheca Ecclesiæ Carnotensis, 400 ann. ; in Bibliotheca viri cl. Emerici Bigotii, 400 annorum ; in monasterio Cluniacensi Codex scriptus a Bertramo monacho, jussu sancti Majoli abbatis, qui obiit an. 994, cum præfuisset annis 40.

Sed et antiquiorum et emendatiorum Editionum auctores ita legisse constat. Profero Venetam an. 1480, quæ prima censetur fuisse Editionum sancti Gregorii, studio Bartholomæi Cremonensis, canonici regularis, in qua, lib. XV, cap. 50, legitur, *corporeus*. Sic in alia Veneta 1496 ; in Parisiensibus annorum 1495, 1518, 1521, et aliis, quas studio brevitatis omitto.

Eodem quoque modo legerunt qui Gregorii Moralium libros in compendium redegerunt. Cujusmodi est ms. Codex Corbeiensis, tempore Adhalardi abbatis, circa an. 750, qui asservatur in Bibliotheca sancti Germani Pratensis, scilicet post epistolas, numero 54, sancti Gregorii a Paulo diacono ad eumdem Adhalardum missas, habetur liber, cui titulus est : *Incipit ecloga quam scripsit Lathen filius Bath, de Moralibus Job, quas Gregorius fecit*. Ubi, l. XV, ante finem, ita legitur : « Devorabitque eum ignis qui non succenditur. Gehennæ ignis, cum sit corporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, » et cætera, ut apud sanctum Gregorium.

Odo Cluniacensis abbas, qui floruit an. 940, in Epitome Moralium sancti Gregorii, c. 20, num. 26, sic habet : « At contra gehennæ ignis cum sit corporeus, etc. »

Garnerus, canonicus regularis sancti Victoris Parisiensis, sub Hilduino abbate, an. 1140, in opere quod Gregorianum nominavit, l. XI, c. 1, eodem plane modo legit quo supra.

Ita etiam legitur in ms. Codice qui asservatur in Bibliotheca Cœlestinorum Parisiis, et appellatur Remediarium conversorum, quique collectus est ex dictis sancti Gregorii in Moralibus. Hic, in tertia parte, l. VI, capitul. 7, in titulo sic habet : « Quod damnatorum corpora simul et animæ torquebuntur igne corporeo et inexstinguibili, l. XV Moral. » In corpore autem capituli ita legitur : « In reprobis quidem per desiderium ardet conscientia, et foris cruciat ignis gehennæ. Qui cum sit corporeus, et in se missos reprobos corporaliter exurat, etc. » Cæterum hoc opus sine auctoris nomine tribuitur Petro Blesensi a quibusdam, nempe in Catalogo mss. Codicum Angliæ. Pitsæus tamen in libro de Scriptoribus Angliæ tribuit Petro cuidam archidiacono Londinensi paulo recentiori.

Denique ita legendum esse constat ex theologorum communi doctrina, qui post Magistrum sententiarum, in IV, dist. 50, et sanctum Thomam, in IV, dist. 44, quæst. 2, artic. 3, asserunt ignem inferni esse corporeum, et duobus maxime testimoniis nituntur, nempe sancti Augustini et sancti Gregorii. Et quidem sanctus Augustinus, l. XXI, de Civitate Dei, c. 10, ita loquitur : « Cur autem non dicamus, quamvis veris, miris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi. » Et paulo post : « Adhærebunt ergo si eis nulla sunt corpora spiritus dæmonum, imo spiritus dæmones, licet incorporei corporeis ignibus cruciandi. » Et tandem sic concludit : « At vero gehenna illa corporeus ignis erit, et cremabit corpora damnatorum, aut et hominum et dæmonum, solida hominum, aerea dæmonum, etc. » Sanctus autem Gregorius, qui a sententia sancti Augustini vix unquam recedit, idem docet duobus illis locis quæ retulimus, nempe l. XV Moral., c. 17, et l. IV Dialog., c. 29 (*Nunc numero* 35), ubi expressis verbis ait ignem gehennæ esse corporeum. Quod autem sit ejus ista doctrina, demonstrat luculenter Prudentius, Trecensis episcopus, qui vivebat circa an. 850. Etenim in responsione ad Joannem Scotum Erigenam sic ait : « Primo hæc tua sententia in eo falsitatis arguitur, quod ignem illum ab Augustino corporeum, a Gregorio incorporeum dici mentitur. Nam uterque eum absque contradictione corporeum confitetur. Et quia super Augustino tu ipse fassus es, ipsius sententiam ponere non necessarium duximus. Super æstimatione autem Gregorii, ne cui in dubium veniat, tametsi paulo superius sententiam illius de eodem igne in Moralibus posuerimus, qua eum corporeum fatetur ; non ab re tamen videtur, si aliam ejus sententiam ex alio ipsius opere ad medium deducamus. » Nam sicut liber illius, **111** qui Dialogorum prænotatur, refert, Petrus Diaconus, cum de memorato igne inter alia suscitans [*Lege* sciscitans] ita adorsus est, etc., refert verba c. 29 lib. IV Dialog. Tunc conclu-

(*a*) Nunc num. 35, ubi tamen legitur *ignis... corporeus*.

dit: « Ecce dum ignis illius corporei testimonia certa proponimus, ad omnia pene quæ in præfata tua sententia posueras, responsio vera reddita comprobatur. Nam auctoritate tanti doctoris non solum ignis ille corporeus asseveratur, verum etiam et animas hominum et apostatas spiritus in eo sensibiliter cruciari probabiliter docetur. » Eadem fuit opinio Flori magistri, Ecclesiæ Lugdunensis diaconi, Prudentii æqualis, qui in scripto quod edidit nomine Ecclesiæ Lugdunensis contra eumdem Scotum Erigenam, c. 17, probat ignem inferni esse corporeum, referens Gregorii testimonium hoc modo : « Gehennæ ignis cum sit corporeus, » et reliqua, ut apud sanctum Gregorium, Moralium loco citato. Hæc desumpta sunt ex libro qui inscribitur, *Vindiciæ prædestinationis et gratiæ*, auctore clarissimo viro D. Guillelmo Mauguino. Rem totam optime elucidavit Sextus Senensis, in Bibliothecæ sacræ lib. v, annot. 141, ubi post relatum sancti Gregorii testimonium ex lib. xv Moralium sic ait : « Videtur ex his verbis deduci quod ignis inferni sit incorporeus, et ab hoc igne nostro specie diversus, etc. Cæterum non ita sensisse Gregorium perspicue demonstratur lib. iv Dialogorum c. 29, etc. » Tum ita concludit eleganter : « Proinde sciendum est hæc verba Gregorii in omnibus Codicibus Lugdunensibus Hugonis a Porta, et in aliquibus mss. exemplaribus corrupte legi, ubi in his habetur : Ignis vero gehennæ cum sit incorporeus, etc. Delenda fuerat syllaba *in*, ut pro dictione *incorporeus*, legeretur *corporeus*. Hoc enim sequentia verba palam ostendunt. » Et in hunc modum ea citat divus Thomas in IV Sententiarum volumine, dist. 44, quæst. 2, etc. Ex quibus apparet eum corruptionem quorumdam exemplarium tam mss. quam impressorum agnovisse, quibus nos quamplurimos et optimæ notæ Codices opposuimus, præter antiquiorum et probatiorum Editionum exemplaria, quæ vocem *corporeus* retinuerunt. Et propterea illam lib. xv Moral., c. 17, restituimus, cum in posterioribus Editionibus haberetur vox *incorporeus*. Sed de his satis superque.

Ex supradictis aperte (ni fallor) intelligi colligique potest quatuor Dialogorum libros non alii quam Gregorio papæ, ejus nominis primo, tribui oportere: quibus ille homo Romanus, genere ac opibus clarus, *miracula Patrum*, qui in Italia paulo ante floruerant, litteris mandavit; sicut eadem ætate Gregorius, Turonicus episcopus, librum composuit *de Vitis sanctorum Patrum, seu quorumdam* (ut ipsius nomine utar) *feliciosiorum* qui in Gallia sanctitate miraculisque claruerant, cum episcoporum et presbyterorum, tum abbatum et reclusorum. Sed uter altero prior scripserit, aut uter ab altero ea in materia præventus sit, haud facile dixerim.

Post assertos Gregorio Magno Dialogos, superest ut quid hac in Editione præstitum sit paucis lectorem admoneamus.

In primis textum Latinum multis in locis depravatum ad fidem plurimorum mss. Codicum emendavimus: quorum indicem hinc apponere supervacaneum est, cum initio totius Gregoriani operis id abunde præstiterimus, ubi Mss. omnium quibus in universo opere emendando usi sumus, catalogum texuimus.

Deinde quod ad versionem Græcam attinet, ejus auctorem faciunt Zachariam papam Gregorii magni post annos 175 successorem, qui cum natione Græcus esset, pro amore gentis suæ Dialogos illos in linguam Græcam aut transtulit aut transferendos curavit, ut qui Latinam linguam ignorarent, tanti operis utilitate non frustrarentur, inquit Photius in Bibliotheca, Cod. 252. Id etiam demonstrat auctor anonymus præfationis Græcæ quam a nobis Latine redditam præfiximus Dialogis, ex ms. Codice Bibliothecæ regis Christianissimi desumptam, quam quia in multis notarius corruperat, emendavimus ex altero ms. Codice Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani : cujus præfationis Græcæ exemplum benigne mihi transmisit vir clarissimus Petrus Paulus Boscha, doctor theologus, et ejusdem bibliothecæ præfectus, qui et varias quasdam eorumdem Dialogorum Græcorum lectiones dedit, ex quibus nonnulla Ms. Regii σφάλματα correxi : unde et pro tanto beneficio maximam viro doctissimo et humanissimo gratiam me habere profiteor. Sed nec parum me obstrictum esse sentio erudito viro D. Emerico Bigotio litteratis omnibus notissimo, qui suis in textum Græcum doctissimis et maximi judicii conjecturis, necnon et collatione quam de libro secundo ad exemplar Ingolstadiense summo cum labore fecit, me plurimum adjuvit. Porro notandum est versionis hujus Dialogorum auctorem non semper menti sancti Gregorii adhæsisse; sed sæpe paraphrasibus et additionibus usum, et in transferendis verbis **112** a Gregorii sensu recessisse, ut in notis demonstrabitur. Sunt etiam multæ voces barbaræ, prout ferebant ea tempora, in quibus Græca simul et Latina lingua corrumpi incipiebat. Plurima quoque reperiuntur vocabula Latinogræca, quorum syllabum infra adjiciemus. Præterea versio illa Græca non usquequaque similis est in Ediditis et in Ms. Regio; imo in plurimis differt, ita ut integras interdum periodos reperire sit in Ms. quæ in Editionibus non leguntur. Quod si conjectura uti licet, factum crediderim ex eo quod Dialogos illos forte bis traduxerit Zacharias; quod idem sibi contigisse refert Socrates, lib. II Historiæ Ecclesiasticæ, cap. 1, ubi ait se ea quæ in priori Editione minus accurate retulerat, in posteriori enucleatius et studiosius reddidisse. Quamvis autem Græca multis in locis ope Ms. Regii emendaverimus, id tamen accuratius acturi fuissemus, si plura suppetissent exemplaria. Adde quod in Ms. illo Regio nævi non pauci amanuensis imperitia aut oscitantia irrepserunt. Postremo notas adjecimus, paucas tamen et in loca difficiliora, id exigentibus viris doctis; statueram enim solas Epistolas notis illustrare, has tamen qualescunque benevolo lector animo accipiet, benignoque oculo perleget, interim dum ampliores et elucubratiores ab Eruditis parabuntur.

# PRÆFATIO

## IN LIBROS DIALOGORUM SANCTI GREGORII PAPÆ.

**113** I. Edituri Dialogos qui sancti Gregorii papæ nomen præ se ferunt, paucis saltem præfari debemus, tum de auctore, tum de opere. Quamvis enim de utroque argumento jam copiosissime disputatum sit et doctissime, quædam tamen attexere libet, quam fieri poterit brevissime, unde controversiæ hac de re institutæ facilius dirimendæ magis ac magis lux affulgeat.

II. Gregorium hujus nominis primum Romanum pontificem Dialogorum istorum parentem esse negavit *Cedrenus* vir Græcus et in Latinis peregrinus; dubitavere *Huldricus Coccius*, *Chemnitius*, *Andreas Rivetus* et alii ex heterodoxis non pauci. Asseruerunt autem, invictissimisque argumentis demonstrarunt ex nostris præsertim *Benedictus Haeftenus* Affligeniensis monasterii præpositus in *Disquisitionibus Monasticis*, prolegom. 2 et seq. ad Vitam sancti Benedicti; ac *Joannes Mabillonius*, tomo I Act. sanctorum ordin. sancti Benedicti

in præfatione, a num. 17 ad 30. Idem non minus strenue postea præstitit *Petrus Gussanvillæus* in *Vindiciis* quas præmittendas duximus. Verum præ cæteris eamdem materiam cumulatissime simul ac ornatissime retractavit e sodalibus nostris, qui laudatos Dialogos e Latino in Gallicum convertit, ediditque an. 1689, nimirum in præfatione qua eximium hoc opus munivit. Hoc ipsum breviter uno quasi syllogismo complexuri sumus hic et confecturi.

III. Dialogorum proxime edendorum scriptor, quicunque sit, monachum induisse, et quidem in Romano quod condiderat ipse monasterio, passim profitetur, scilicet in ipso Dialogorum prologo, lib. III, cap. 33; l. IV, cap. 21, 38, 47, 55, etc. Ex assignatis locis, maxime ex cap. 55 libri IV, liquet eumdem a se constructo monasterio præfuisse. Apocrisiarii provinciam Constantinopoli obiisse constat ex lib. III, cap. 36. Postea Romanum pontificem creatum esse, palam fit ex ejusdem libri cap. 16, ubi Pelagium II papam suum antecessorem appellat, et ex l. IV, c. 57, ubi ejusdem sui antecessoris adhuc meminit. Romæ sedens Homilias in Evangelia ad populum habuit, ut sæpissime testatur, maxime lib. IV, cap. 14, 15, 16, 19, 27. In laudatis Homiliis vicissim de Dialogis a se conscriptis loquitur; potissimum hom. 38 libri I Dialogorum, caput 7. Est de Nonnoso abbate, ubi quæ de eo narrat, profitetur a Maximiano Syracusano episcopo accepisse. Porro, lib. III, alias 2, indictione 11, epistola olim 50, nunc 51, eumdem Maximianum rogat Gregorius, ut quæ de Nonnoso abbate noverit, et de Italicorum Patrum miraculis, sibi per epistolas nuntiare curet; quod a fratribus suis de hoc argumento scribere compelleretur. Idem prorsus est quod in Dialogis pertractatur, ut ex ipso titulo non obscure potest intelligi.

IV. Quis autem sanæ mentis, alteri quam nostro Gregorio, vel unicum ex his omnibus veluti lineamentis, quibus ejus vita perfectissime exprimitur, convenire posse suspicetur? Et certe optime conveniunt cum his quæ de eodem sanctissimo Patre, ex indubitatis ejusdem operibus didicimus; scilicet ex lib. Moralium, maxime in epist. prævia ad sanctum Leandrum, ex Registro Epist., ex Homiliis, etc.

V. Verum, inquies, qui sub Gregorii persona latere voluit Dialogorum scriptor, cum sancti Patris historiam ad unguem ex assidua operum ejus lectione didicisset, iis se coloribus pingere ac ornare studuit. Quasi vero tam peritus fallendi artifex esse potuisset, is cui nimiam simplicitatem in miraculis credendis et narrandis adversarii nostri passim objiciunt. Præterea quonam pacto fraus universos qui de Gregorio scripserunt, sive suppares, sive etiam æquales, latere potuit? Quomodo fefellit ejus notarium et exceptorem Paterium? Sane in tam certis luceque meridiana clarioribus probandis frustra diutius immoraremur. Vindicatis itaque nostro Gregorio Dialogis, jam ipse ab obtrectatoribus vindicandus; qui scilicet eum nimiæ credulitatis arguunt, imo rudis et stolidæ simplicitatis, qua nobis aniles fabulas ab eo referri conqueruntur.

VI. Primo autem peto a morosis illis acutisque censoribus utrum sincere credant quæ tum in Veteri tum in Novo Testamento narrantur miracula, licet omni verisimilitudine careant: Evæ colloquium cum serpente, Genes. III; uxorem Loth in statuam salis conversam, Genes. XIX; Asinam cui Balaam insidebat, humano more, imo præter plerorumque hominum captum et consuetudinem, cum ipso sapientissime disputasse, Num. XXII; e molari dente maxillæ asini aquas erupisse, ut unius Samsonis sitis restingueretur, Judic. XV; staterem inventum in ore piscis recenter hamo capti, Matth. XVII; **114** Petrum super aquas ambulasse, Matth. XIV; legionem dæmonum ex unico homine ejectam a Christo et missam in porcos, qui præcipiti cursu in mare se projecerunt ac perierunt, Marci V; et similia quamplurima.

Secundo, interrogare liceat eos qui ita exsufflant relata a Gregorio miracula, utrum indubitatam fidem habeant Christo etiam cum sacramento asserenti, Joan. XIV, 12: *Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, et ipse faciet, et majora horum faciet.*

Tertio concedant nobis illi tam emunctæ naris critici, tempus edendis illis signis ac miraculis magis idoneum fuisse, quando vocandi ad fidem fuerunt barbari a vera religione Deique cognitione prorsus extorres. Quippe, Apostolo teste, I Cor XIV, 22, *Linguæ* (idem dic de cæteris miraculis) *non fidelibus, sed infidelibus; prophetiæ autem non infidelibus, sed fidelibus.* Judæis ergo quibus concessæ prophetiæ tanquam fidelibus, denegata ut plurimum signa quæ gentilibus a fide prorsus alienis reservata et reposita fuerunt.

VII. His autem impetratis, minime obstupescendum, labente quinto sæculo et fere toto sexto percurrento (quæ tempora Gregorius Dialogis suis complectitur) tot tantaque a Deo procurata fuisse miracula. Nimirum totus pene tunc orbis aut in idololatriæ tenebris, aut in densa nefandarum hæresum caligine misere jacebat, adeo ut vix unus tunc, maxime in Occidente, regnaret princeps, qui verum Deum legitimo ritu coleret. Italia aut ab Ostrogothis Arianam perfidiam amplexis occupata, aut Langobardis postea tradita, qui Arianorum errores æque sectabantur, vel idololatriæ, quod pejus est, serviebant. Gallia Francis idolorum cultoribus, vel ab eorum cultu paulo ante, nec perfecte revocatis parebat, aut Visigothis aliisque barbaris fidei catholicæ infestis. Hispania iisdem Visigothis et Suevis æque Arianis cesserat. Britannia insula novis hospitibus, Anglis videlicet subdita, redintegratum suis in templis idolorum cultum ingemiscebat. Vandali Africa potiti, bellum atrocissimum Catholicis indixerant, ut Arianum dogma statuerent.

VIII. Nunquid igitur a Dei benignitate ac providentia tum abhorrebat fieri miracula tot et tanta, quibus ad veritatis lucem infideles pellicerentur? Quod sane contigit. Nam intra non multos annos Langobardi Arianam impietatem ejurarunt; Gothi catholicam fidem amplexi sunt in Hispania, auctore ac hortatore Reccaredo rege; Angli Christo nomen dederunt; omnes denique ad Christianæ et orthodoxæ fidei unitatem recepti.

IX. Quod spectat ad Langobardos, qui magna ex parte Italiam his temporibus obtinebant, eorum conversionem non mediocriter promoverunt Gregoriani Dialogi: his enim ad se missis a Gregorio, uti narrat Paulus Diaconus, usa est Theodelinda regina, ad catholicam fidem tum regi, tum ejus gentilibus et subditis persuadendam. Et vero hac in historia plurima narrantur miracula (*Histor. Langob. l.* IV, *c.* 5), ipso spectante Langobardorum exercitu facta, quæ nisi certo constitissent, omniumque fuissent calculo comprobata, Langobardi quos Gregorius ursis magis quam hominibus similes propter ferocitatem depingit, irrisissent; majorique quam antea odio in catholicam fidem, Ecclesiamque Romanam exarsissent. Contrarium autem contigisse refert ex eadem gente Paulus Diaconus, lib. IV de Gestis Langobard., c. 4. Scilicet Agilulfum regem, cæteris fere ipsius exemplum sequentibus, catholicam fidem amplexum esse, Ecclesiis adempta bona restituisse, episcopisque debitum honorem impendisse.

X. Præter idololatriæ reliquias in Italia et alibi passim adhuc superstites, aperteque grassantes hæreses, tunc apud ipsos etiam qui Catholici audiebant, exitiosi serpebant occulteque disseminabantur errores, contra animarum immortalitatem, et corporum resurrectionem. De resurrectione ancipitem olim se fuisse, humiliter fatetur ipse Gregorius, homil. 26 in Evangelia. *Multi enim*, inquit, *de resurrectione dubitantes, sicut et nos aliquando fuimus.* Vide etiam l. II in Ezechielem, hom. 8, olim 20, et l. XIV Moral., n. 70. Greg. Turonicus,

l. x Hist., capp. 13 et 14, testatur quemdam Ecclesiæ suæ presbyterum docuisse *futuram non esse resurrectionem;* quem ipse debellavit.; et Theodulfum Diaconum *urbis Parisiacæ, qui sibi videbatur in aliquo sciolus, sæpius de hac causa altercationes movisse.* Audiamus Petrum Diaconum cum Gregorio colloquentem, l. III, c. 38 : *Quia multos intra sanctæ Ecclesiæ gremium constitutos, de vita animæ post mortem carnis perpendo dubitare.* Quorum saluti prospiciens Gregorius, post asserta invictissimis argumentis hæc fidei dogmata, plurima congerit miracula et prodigia, quibus ut immortalitas animæ, ita resurrectio carnis apud rudiores efficacius probaretur.

XI. Ex his quæ gesta refert Gregorius, nonnulla sunt quibus ipse interfuit, alia vero a locupletibus testibus acceperat; nimirum a sanctissimis episcopis, fuci prorsus expertibus, ab integerrimæ vitæ monachis aut monasteriorum præfectis, a viris nobilibus et ingenuis. Nihil ex imperiti vulgi rumusculis scripsit. Cur ergo reus postulatur, cum exploratum sit, historiæ leges ab eo tanta cautione scribente religiose fuisse observatas?

**115** XII. Neque tamen idcirco velim asseverare nihil falsi obrepsisse in rerum quæ narrantur adjunctis et circumstantiis. Quinimmo inficiari non possum in his quæ leguntur de sancto Paulino episcopo Nolano aliqua contra historiæ veritatem pugnare; videlicet quod abductus fuerit in Africam a Vandalis Campaniam devastantibus, cum nonnisi diu post sancti Paulini obitum Vandali Africam occupaverint et depopulati sint Italiam. Ex hoc tamen loco insolubiles difficultates non oriuntur. Dici etenim potest Vandalos hic pro Gothis esse sumptos, quod, ut observat post Procopium Chifflétius in Paulino illustrato (*Lib. de Bel. Vand., c.* 2; *Chifft., p.* 187), ex eadem gente forent orti; legibus iisdem uterentur, eademque lingua, quam Gothicam vocant, eidem hæresi addicti essent.

Nolam a Gothis fuisse captam circa ann. Christi 410, consentiunt scriptores omnes. Quo tempore a barbaris vinctus Paulinus, ut ubi opes reconditas haberet, indicaret, Deum ita precabatur, ut refert Augustinus, l. I de Civitate Dei, c. 10 : *Domine, non excrucier propter aurum et argentum; ubi enim sint omnia mea tu scis.* Verisimile autem videtur captivos, et in his Paulinum, una cum Gothorum exercitu, ex Italia in Gallias, et triennio post in Hispaniam abductos, ac Vandalis qui ab anno 409 Hispaniam invaserunt, venditos. Legesis dissertationem 7 operibus et Vitæ sancti Paulini attextam, in nova Editione, an. scilicet 1685. Hac enodata difficultate, plana sunt omnia in Dialogis, tum quoad historiam, tum quoad chronologiam.

XIII. Si qua describantur miracula rationi minime consentanea, similia occurrunt apud Ambrosium, Augustinum, præsertim in libris de Civitate Dei, Hieronymum, Sulpicium Severum ex Patribus Latinis; ut interim taceam Gregorium Turon., Fortunatum Pictav., Nicetium Trevirensem; atque ex Græcis, apud Theodoritum in Historia religiosa, Greg. Nyssenum in Vita Gregorii Neocæsar. episcopi cognomento Thaumaturgi, ipsumque Athanasium in Vita sancti Antonii, quam ei jure merito nostri asserunt in novissima operum sancti Doctoris Editione. Itaque ne propter insolentiam, narratis a Gregorio miraculis fides denegaretur, minus credibilia similibus exemplis aliunde accersitis munire curavimus, ut videre est l. I, capp. 1, 3, 4, etc.; lib. III, c. 3 et seq.

Quod spectat ad eos quos pius Doctor in extremis positos futura vaticinatos esse testatur, ut l. IV, c. 26, id illustrari potest ex August., l. XII de Genesi ad litt., c. 17, ubi similia proferuntur, quem consule. Lege quoque doctissimum Petitum, l. I de Sibyl., quo in loco laudat Tertullianum, libro de Anima, c. 53, et utitur testimonio Tullii, l. I de Divinatione asserentis hominem quemdam ex insula Rhodo sex aliorum mortem prædixisse.

XIV. Cæterum quibus non ita placent miracula, liberum est, his prætermissis, insignia virtutum exempla hic proposita seligere; quæ procul dubio, ut ipse monet sanctus Doctor, l. II, cap. ultimo, miraculis omnibus sunt anteponenda. Ut in unico stemus, quis ad Sanctuli presbyteri humilitatem, patientiam, charitatem, ut in libro III, c. 37, delineantur, non obstupescat?

Multa etiam fidei dogmata his in Dialogis exponuntur et astruuntur; idque forsitan heterodoxorum in eos odium potius excitavit, quam longa miraculorum series. De corpore et sanguine Christi in Eucharistia quid sentiat, vide l. II, capp. 24 et 37, et lib. IV passim. De viatico morti proximis ministrato, lege l. II, c. 37, ac l. IV, capp. 15 et 55. De sanctissimo novæ legis sacrificio pro vivis et pro defunctis offerendo, consule l. IV, c. 55 et seq. De purgatorio agit eodem lib., cap. 39, 55, etc. Prædestinatio doctissime explicatur l. I, c. 8. Immortalitas animæ pœnarumque reprobis et præmiorum justis retribuendorum æternitas, validissimis argumentis propugnatur l. IV, c. 4 et seq. De visione Dei theologice disseritur l. II, c. 35. De justorum beatitudine ante resurrectionem legendum caput 25 l. IV. Ut de mystica theologia quædam delibemus, nullibi clarius explicatur quid sit compunctio, quot ejus species, qui effectus, etc., quam l. III, c. 34. Sed jam Dialogorum vindiciis ponamus modum, ut summatim quæ de ipsis observanda supersunt absolvamus.

XV. Dialogorum auctorem esse sanctum Gregorium, ex supra dictis constat; verum cum in Dialogis duo saltem colloquantur, quis hic qui cum sanctissimo doctore congreditur inquirendum. Id nos docet ipse Gregorius in Dialogorum exordio : *Dilectissimus filius meus Petrus Diaconus adfuit, qui mihi a primævo juventutis flore amicitiis familiariter obstrictus est, atque ad sacri verbi indagationem socius.* Hoc de Petro testimonium multis persuasit, eum in sancti Andreæ monasterio monachum fuisse, ac sub Gregorii tunc abbatis disciplina institutum. Joannes Diaconus tamen, in Vita sancti Gregorii, l. II, c. 11, Petrum clericis potius accenset quam monachis in sancti Patris contubernio viventibus. Ipsummet esse Petrum Subdiaconum, ad quem sæpe, et quidem familiarissime scribit Gregorius, nihil conjicere prohibet. Hic primo Gregoriani pontificatus anno ecclesiasticum patrimonium rexit in Sicilia, altero vero in Campania. His provinciis defunctus, potuit ad diaconatum promoveri, ac deinceps lateri summi pontificis adhærere. Lege epp. 1 et 2 l. I, et l. II, 32, olim lib. XII, 30. Ejus elogium historicum legesis tom. I Act. sanctorum ord. sancti Bened., pag. 497.

**116** XVI. Hoc vero scribendi genus, mutua fingendo colloquia, usurparunt sancti Patres, non solum ad res polemicas pertractandas, ut Hieronymus tum adversus Luciferianos, tum in Pelagianos, et Theodoritus tribus prioribus libris tractatus qui *Eranistes* nuncupatur; sed etiam ad gesta sanctorum referenda. Sic enim Palladius Joannis cognomento Chrysostomi vitam perscripsit, et Sulpicius Severus tribus Dialogis virtutes monachorum Orientalium et sancti Martini prosecutus est.

XVII. Occasionem rationemque scribendorum Dialogorum aperit ipse Gregorius in epist. ad Maximianum Syrac. *Fratres mei,* inquit, *qui mecum familiariter vivunt, omni modo me compellunt aliqua de miraculis Patrum quæ in Italia facta audivimus, sub brevitate scribere. Ad quam rem solatio vestræ charitatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in mente redeunt, quæque cognovisse vos contigit, mihi breviter indicetis* (*Lib.* III, *al.* II *ind.* 11, *epist. olim* 30, *nunc* 31), etc. Gregorium nonnisi de sanctis qui in Italia floruerunt loqui cogitasse

patet ex l. III, c. 14, ubi de sancto Isaac ita loquitur : *Hic itaque venerabilis Isaac ortus ex Italia non fuit, sed ea illius narro miracula quæ conversatus in Italia fecit.* Ubi excusatum se petit, quod de Isaac non in Italia nato agat. Per miracula Patrum intelligi possunt tam stupenda virtutum opera, quam signa et prodigia, quæ bonis operibus postponenda, nec immerito docet sanctus Gregorius, l. II, c. ult. Unde non minus accurate illa observavit, quam ista.

XVIII. Tempus quo scripti sunt Dialogi, explorari posse videtur ex l. III, c. 19, ubi legimus : *Ante hoc fere quinquennium, quando apud hanc Romanam urbem alveum suum Tiberis egressus est*, etc. Hanc Tiberis exundationem brevi secuta est lues, quæ Pelagium papam abstulit. Quo defuncto Gregorius in ejus locum suffectus est mense Septembri ann. 590. Ab illa itaque inundatione quam nono mense, hoc est Novembri ann. 589, contigisse narrat Gregorius Turon. annos quinque computando (*Lib.* X *Hist.*, *c.* 1), usque ad tempus quo scripti sunt Dialogi, pervenimus ad ann. 594. At vero l. IV Dial., c. 26, Gregorius noster tres tantum numerat annos elapsos ab extrema peste quæ Romam devastarat : *In ea quoque mortalitate*, inquit, *quæ ante triennium hanc urbem vehementissima clade vastavit*, etc. Quæ inter se pugnantia componere possumus, dicendo priori loco non Gregorium loqui, sed Joannem Tribunum, cujus refert verba. Deinde Joannem non assignare quinquennium integrum, sed *fere quinquennium.* Præterea ipsum computare annos ab inundatione, Gregorium vero a pestilentia, quæ quidem paulo post inundationem cœpit, sed diu postea desæviit, et ultra annum integrum, ut ex hom. 1 in Evangelia liquido constat : *Pestilentias sine cessatione patimur*, inquit Gregorius jam summus pontifex factus; hanc enim homiliam, quæ legitur habita Dominica secunda Adventus, prius pronuntiare non potuit, quam elapso anno integro ab exundatione. Tandem Joannes de annis solum inchoatis fortasse loquitur, Gregorius de expletis. Assentimur ergo his qui Gregorium Dialogos elucubrasse volunt anno 593 aut 594.

XIX. Ut huic operi tranquillius incumberet, secessum quidem petiit vir solitariæ vitæ studiosissimus, ut in ipso Dialogorum exordio legitur; neque tamen Roma excessit, cum l. IV, c. 26, jam laudato, Romam designans dicat : *In ea quoque mortalitate quæ ante triennium hanc urbem..... vastavit.* Ita sæpe loquitur, maxime l. III, capp. 19 et 33, et l. IV, c. 52, quod manifeste probat eum Romæ tunc fuisse. Neque vero decebat vigilantissimum pastorem gregem suum, tot imminentibus periculis, tot lupis circumstantibus diu deserere. Ex veteri autem inscriptione quam publici juris fecit noster Mabillonius tomo IV Analect., pag. 497, intelligitur Gregorium ad condendos Dialogos in monasterium sancti Andreæ secessisse.

XX. Statim ac in lucem editi sunt Dialogi, toto in orbe Christiano summa gratulatione sunt excepti, maxime in Italia, et ab ipsis etiam Langobardis, favente præsertim Theodelinda regina, ut jam diximus, maximo in pretio habiti. Certe quanti eos fecerint majores nostri, probant innumeri propemodum exarati manu Codices, in quibus aut integri continentur, aut in epitomen redacti. Illis autem contrahendis operam dedit præ cæteris sanctus Odo, Cluniac. abbas. Hujusmodi compendium in Codice Uticensi sexcentorum annorum invenimus, quod utrum sit Odonis an alterius nos latet (*Vide tom.* XVII *Bibl. PP. Lug.*).

XXI. Optimam de iisdem conceptam opinionem confirmat quoque quod tot in linguas conversi legantur. Præter Græcam enim versionem, de qua mox agemus, exstat Arabica in bibliotheca Colb. asservata, quæ anno 779 facta fuit ex Græca, non ex ipso latino textu. De illa consule præfationem novæ interpretationis gallicæ, p. 106 et seq. Ibidem lege quæ commemorantur de Saxonica versione jussu regis Alfredi facta inclinante sæculo IX, vel etiam ab ipso elaborata, ut asserit Guillelmus *Cave* in historia Litteraria; de versione Gallica in bibliotheca Joannis ducis Bituricensis **117** qui Joannis regis tertius filius erat asservata, olimque magno pretio comparata; ac de plurimis aliis. Bibliothecam monasterii Lyrani in diœcesi Ebroicensi perlustrando, incidimus in Codicem D ann. eosdem Dialogos Gallice redditos et rythmice continentem. Exstant quoque stricta oratione Latina descripti in Bibliotheca Gemeticensi. Ex his omnibus unicam tantum interpretationem exhibemus, scilicet Græcam, in qua edenda quid a nobis præstitum sit dicemus, postquam de ipsius Latini textus nova hac Editione quædam fuerint præmissa; de aliis enim quæ præcesserunt, sufficiet legere Dialogorum Vindicias, auctore Petro Gussanvillæo supra excusas, ubi plurimas recenset, quarum copiam habuit. Infra quoque post recensitos mss. Codices quos consuluerimus subjicietur.

XXII. 1° Argumenta seu capitum titulos retinuimus, quod in Mss. fere omnibus legantur, atque ab ipsomet Gregorio prodiisse jure credantur.

2° Breves notas infra columnas attexuimus, in quibus aut variantes lectiones inserimus, aut restitutionum a nobis factarum rationem reddimus, aut quæ sanctus Gregorius narrat illustrantur, aut nonnullis difficultatibus occurritur, scrupulique removentur. Ex his autem notis paucas a Gussanvillæo et Mabillonio mutuati sumus, parum curantes utrum nostra daremus an aliena, modo nostris meliora. Illorum autem a quibus eas mutuo sumpsimus, nomen in calce duximus ascribendum.

XXIII. 3° At nihil nobis antiquius fuit quam totum opus pristinæ reddere sanitati et integritati, ope Mss. Codicum quorum indicem hic accipe : — 1. Codex S. Germ. a Pratis saltem DCCC annorum notatus a tergo 162, quem brevitatis causa German. appellamus; — 2. Duo alii Codices inferioris ætatis in ejusdem monasterii bibliotheca asservati, quos Sangerm. nuncupaturi sumus; — 3. Sancti Petri Carnotensis Codices tres, unus nono sæculo, alter undecimo, tertius vero decimo tertio descriptus; — 4. Duo S. Theoderici prope Rhemos notati 58 et 59, qui non raro ab invicem dissentiunt; — 5. Compendiensis monasterii Sancti Cornelii a tergo signatus 30; — 6. Codex monasterii Longipontis, ord. Cisterciensis; — 7. Exemplar optimæ notæ monasterii Vallis Claræ, ejusdem ord.; — 8. Duo monasterii S. Petri Gemeticensis, quorum antiquior ad DCC annorum ætatem accedit; — 9. Codex monasterii Pratellensis, ejusdem fere ævi et antiquitatis; — 10. Duo monasterii S. Audoeni in urbe Rothomago non minus quam DC ann.; — 11. Totidem Beccenses aliquando mutili; — 12. Codex biblioth. Bigotianæ apud Rothomagum D, ad minimum, annorum; — 13. Codex monasterii Lyrani. — 14. Tot Mss. Gallicanorum seriem claudet insignis Codex biblioth. Regiæ, nono circiter sæculo exaratus, at ex longe antiquiori descriptus, ut conjicere licet ex titulo, ubi Gregorius minime vocatur sanctus; sic enim legitur : *Incipit liber Dialogorum Gregorii papæ urbis Romæ, de diversis miraculis pulchris.* Et postea : *Dialogorum Gregorii papæ urbis Romæ num. 4, de miraculis Patrum Italiæ.* — 15. His omnibus accedunt quatuor exemplaria mss. ad quæ in Anglia collati sunt Dialogi, quorum varias lectiones publicavit Thomas Jamesius. — 16. Adhibuimus quoque præstantiores Editiones : Parisiensem, an. 1518, per magistrum Bertholdum Rembolt et Joan. Parvum adornatam; Gilotianam Parisiis vulgatam an. 1571; Vaticanam Parisiis recusam 1605; denique Gussanvillæanam an. 1675.

XXIV. Neque vero tanti laboris in evolvendis tot Codicibus, nos pœnitet, quandoquidem eorum auxilio non solum factarum a Gussanvillæo restitutionum rationes, quas ipse dissimulavit, compertas habuimus, sed etiam plurima in omnibus Editis adhuc corrupta sanavimus et restituimus, quod nonnullis exemplis, ut se offerent, nunc breviter sumus demonstraturi.

Lib. I, cap. 9, de sancto Bonifacio, legitur in Excusis : *Episcopatus officium tenuit, moribus implevit.* At in Mss. elegantius, propter antithesim : *Episcopatum officio tenuit, moribus implevit.*

Eodem libro, cap. 11, Editi habent : *Crudi panes signo signari solent.* At Mss. a quibus standum credidimus : *Ligno signari solent.* Cæteroquin, *signo signari*, quid sensus habet? quid sonat?

Lib. II, cap. 1, in Editione Gussanvill. : *Sed Benedictus plus appetens mala mundi perpeti,* **118** *quam laudes ab hominibus quærere.* Tria ultima verba quæ proprio marte, nullo prælucente ms. Codice addidit, resecavimus; quibus rejectis periodus magis sapit. Paulo antea corrupte habetur in Excusis, *omnes agnoscerent, a quanta Benedictus puer conversationis gratia perfectione cœpisset.* Pro, *omnes agnoscerent, Benedictus puer conversationis gratiam, a quanta perfectione cœpisset.*

Lib. III, cap. 2, irrepsit in Editos, *Justinianum seniorem principem*, pro *Justinum seniorem*, ut ex Mss. legendum; neque sinit historiæ veritas aliter legere.

Eodem libro, cap. 37, de Sanctulo in Vulgatis habetur : *sicut jucundus erat et vultu et animo ;* ubi exstat in Mss., *sicut jocundi erat et vultus et animi.* Significat sanctus Gregorius Sanctulum læto semper animo et vultu fuisse, unde subdit : *Laborantes Langobardos læto vultu salutavit.* Et paulo post : *Quibus*, videlicet Langobardis a quibus injuriis lacessitus fuerat, *vir Domini lætiori adhuc vultu respondit.*

Lib. IV, cap. 35 in Excusis : *Quidam Stephanus qui alio nomine Optio dictus fuit.* In Editione Gussanvillæi ad marginem additur : *cui cognomen Optio fuit.* Restituimus autem ex Mss., *Quidam Stephanus qui in numero Optio fuit.* Error a primis Editoribus incœpit; quod forsan ignorarunt, quid hic *numerus*, quid *Optio* significaret. Utrumque docebunt notæ ad hunc locum.

Ejusdem libri cap. 47 : *In eodem quoque monasterio alius quidam Joannes dictus est, magnæ indolis adolescens, qui ætatem suam intellectu et gravitate transigebat.* Ita barbare libri editi, et contra sensum. At ex Mss. lumen affulsit, ubi legitur, *transibat*, quod prætulimus. Sed de his, et de Latinis Dialogis satis. Nunc de versione Græca conjunctim hic edita, paucis prænonitum lectorem velim.

XXV. Dialogorum sancti Gregorii interpretem esse Zachariam testantur Anastasius Bibliothecarius (*In Zach.*), Joannes Diaconus (*Lib. IV, c.* 95), Photius (Cod. 252); diffitetur nemo. Errant autem tum Joannes Diaconus, tum Photius in assignando tempore quo prodiit hæc interpretatio; Joannes enim id factum docet, *post annos fere centum septuaginta quinque, temporibus imperatoris Constantini*, scilicet Copronymi. Photius vero, quem sequitur anonymus in præfatione Græca versioni præmissa, asserit centum sexaginta quinque annos effluxisse, inter Dialogos a Gregorio conditos, eosdemque a Zacharia Græce redditos. Constat autem sanctum Zachariam an. 741 sedere cœpisse, nec ultra decem annos et paucos menses Ecclesiam rexisse. Unde cum ab anno 593, quo citius conditi non sunt Dialogi, usque ad extrema pontificatus Zachariæ tempora, non numerantur nisi centum quinquaginta octo anni, utrumque in Chronologia peccasse necesse est.

Quod spectat ad ipsam versionem, legenti patebit eam ab authentico Latino, tum in capitulorum titulis et argumentis, tum in aliis multis dissentire, ut aliquot in locis observavimus. Quantum ad scribendi rationem attinet, vocibus scatet barbaris, quæ doctissimo Cangio linguæ Græcobarbaræ Glossarium colligenti amplam segetem suppeditarunt.

XXVI. Hanc interpretationem corruptam fuisse l. II, cap. ultimo, antiqua est Joannis Diaconi aliorumque orthodoxorum querela. Ubi enim Latine legitur : *Cum constet quia Paraclitus Spiritus a Patre semper procedat et Filio*, Græcus interpres, vel potius interpolator reddit : *Manifestum est quod Paraclitus Spiritus ex Patre procedat, et in Filio maneat.* Id fraude Græcorum Spiritus sancti processionem a Filio impugnantium factum queritur Joannes Diaconus. Hujus autem corruptelæ auctorem fuisse Photium, peritissimum scilicet talium depravationum artificem, inde maxime suspicor, quod Zachariæ opus et Gregorianos Dialogos plurimum commendet. Nimirum ex illis interpolatis, jamjam sibi aut suis contra processionem Spiritus sancti arma conflabat, et machinas comparabat.

Cæterum a Græcorum errore quantum sit alienus Gregorius, probare in promptu est, tum ex symbolo quod initio sui pontificatus edidit, ubi docet *Spiritum sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coæternum de Patre et Filio procedentem*, tum ex multis Moral. locis. Nempe lib. I, num. 30, olim cap. 7, ait : *Dum sanctum Spiritum qui a se procedit*, id est a Filio. Et lib. V, num. 65 : *Qui de Patre procedens, et de eo quod est Filii accipiens.* Clarius adhuc hom. 26 in Evang., post initium : *De Patre procedit et Filio.*

XXVII. Superest ut quantum a nobis laboratum sit ut emendatiorem Editionem procuraremus hujus interpretationis Græcæ paucis aperiamus. Dissimulare non possumus in recensenda Editione Gussanvillæana offendisse nos in gravissima σφάλματα. Comparatione autem facta cum Vaticanis Editis, intelleximus Gussanvillæum ex iis omnes pene typographicos lapsus etiam graviores, in sua transtulisse; religione erga Romanos typos, an oscitantia, judicent alii. Quod, ne inaniter a nobis jactari credatur, quibusdam exemplis in medium prolatis confirmandum est.

**119** In Editione Gussanv., lib. III, cap. 21, col. 178, legitur ἐκθλιβῆναι, ἐκβληθῆναι. Ita quoque in Vaticana. — Cap. 26, col. 187, vitiosa est interpunctio in utraque Editione hoc modo : καὶ τὰ μὴ ὑποστελλόμενα, ξίφος τήν, etc., ubi transposita virgula legendum, ὑποστελλόμενα ξίφος, τήν, etc. Col. 188 ejusdem capitis ultimum verbum mendose scribitur in utraque, scilicet : πειράσωμαι, pro πειράσομαι. — Cap. 28, col. 190, in utraque, καθώπερ, pro καθάπερ. — Cap. 34, col 203, in utraque hæc omittuntur fere initio : θρηνῶνται ὅθεν ἐκ προσώπου τῶν μετανούντων Ἱερ. Ibidem, infra, post quindecim circiter lineas, οἱ συμμετοχή, pro ἡ συμ. — Cap. 37, col. 215, prope finem οὔ τὸ, pro οὕτως.

Lib. IV, in titulo, cap. 4, col. 226, legitur Ἐκκλησιαστίκου, pro Ἐκκλησιαστοῦ. In extrema cap. hujus parte, col. 230, prætermissæ sunt duæ lineæ integræ. — Initio sequentis capitis, ibid., desunt tria verba.— Cap. 15, paulo post initium, col. 246, deficit omnino sensus duarum linearum omissione.—Cap. 38, non longe ab exordio legitur καλεῖς, pro λαλεῖς. Et versus finem δρόμου, loco, τρόμου. —Cap. 42, circa medium ὑπερκάτω, pro ὑποκάτω.

Ante col. 178, nullos similes errores observavimus, non quod superiora puriora sint et castigatiora, sed quia jam fere integram Editionem Dialogorum adornaveramus, antequam veniret in mentem hæc animadvertere.

Ut ab his erratis utrique communibus Editioni, et a multo pluribus expurgaremus Zacharianam interpretationem, præsto nobis fuerunt exemplaria duo Græca, Regium et Colbertinum; quod tamen in cap. 13 libri II desiuit. Neque vero satis nobis fuit eorum ope mendosa emendare, nisi etiam quibusdam notis, quæ sana jam et pura erant, illustraremus, ut lectoris laborem levaremus (quod æqui bonique consulat), nullum detrectantes.

# PRÆFATIO [a] IN DIALOGOS SANCTI GREGORII MAGNI,

## AUCTORE ANONYMO.

**120** Ἐπαινοῦνται μὲν δικαίως παρὰ πάντων οἱ ἀρετὴν μετερχόμενοι· οὐ γὰρ αὐτοὶ μόνοι τοῦ κέρδους μετέχουσιν· ἀλλὰ καὶ τοῖς μετέπειτα ὀρθῶς [b] βιῶναι προαιρουμένοις, καθάπερ ἔμπνουν εἰκόνα καὶ στήλην ἔμψυχον, διὰ τῆς μνήμης ταύτην καταλιμπάνουσιν. Ἀξιεπαινετώτεροι δὲ μᾶλλον οἱ πᾶσαν σπουδὴν τιθέμενοι, μετὰ τὸ κατορθῶσαι τὴν ἀρετὴν, τοῦ καὶ συγγράμματα τῷ βίῳ καταλείπειν, δυνάμενα πρὸς ἀρετὴν γυμνάζειν, τοὺς πόθῳ τούτοις ἐντυγχάνοντας. Μεγίστη γὰρ ὁδὸς πρὸς τὴν τοῦ καθήκοντος εὕρεσιν ἡ μελέτη τῶν θείων γραφῶν (*Basilius, epist. 1 ad Gregor. Naz.*). Ἐν ταύταις γὰρ καὶ αἱ τῶν πράξεων ὑποθῆκαι εὑρίσκονται, καὶ βίοι τῶν μακαρίων ἀνδρῶν ἀνάγραπτοι παραδεδομένοι, οἷον εἰκόνες τινὲς ἔμψυχοι τῆς κατὰ Θεὸν πολιτείας τῷ μιμήματι τῶν ἀγαθῶν ἔργων πρόκεινται· καθὼς [c] καί τινες τῶν ἁγίων ἡμῶν πατέρων περὶ τούτου ἐφιλοσόφησαν. Πολλῶν τοίνυν σπουδαίων ἀνδρῶν κατὰ τὴν παλαιὰν καὶ καινὴν διαθήκην συγγράμματα καταλελοιπότων τῷ βίῳ, ἱστορίας τε τῶν γεγονότων καὶ προφητείας τῶν μελλόντων περιέχοντα, οὐ μὴν ἀλλὰ βίους ἁγίων καὶ ἐναρέτων ἀνδρῶν, τῶν τε κατὰ τὴν Ἀνατολὴν καὶ Αἴγυπτον ἐν ἀσκήσει διαπρεψάντων· ἐκ πνεύματος ἁγίου κινηθεὶς, καὶ ὁ παντὸς ἐπαίνου ὑπέρτερος ὁ ἐν ἁγίοις πατὴρ ἡμῶν Γρηγόριος ὁ παμμακάριστος ὁ τῆς μεγαλωνύμου πόλεως Ῥώμης γενόμενος πάπας, σὺν καὶ ἑτέροις πλείστοις βίβλοις κάλλει τε λέξεως καὶ βάθει νοημάτων διαλάμπουσιν, καὶ τοὺς βίους τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διαπρεψάντων ἁγίων ἀνδρῶν, [d] καθ' οὓς τε χρόνους καὶ τόπους γεγόνασιν, ἐν τέσσαρσι βιβλίοις [e] τῇ Ῥωμαίων διαλέκτῳ διεγράψατο. Διελθόντων δὲ ἤδη που ἑκατὸν ἑξήκοντα πέντε ἐνιαυτῶν, καὶ μηδενὸς τῶν πάντων σπουδὴν θεμένου ἐπὶ τὴν ταυτῶν μετάφρασιν ἐκ τῆς Ῥωμαίας εἰς τὴν Ἑλλάδα γλῶτταν, ὁ ἐκ τῆς ἄνωθεν [f] ῥοπῆς ψηφισθεὶς ποιμήν τε καὶ ποιμενάρχης καὶ ὁδηγὸς ὀρθοδόξου πίστεως, ὁ τοῦ πρωτοβάθρου τῶν ἀποστόλων Πέτρου διάδοχος Ζαχαρίας, ὁ τρισμακάριστος, καὶ ἰσάγγελος, ἀποστολικὸς καὶ οἰκουμενικὸς πάπας, φιλόθεος ὢν καὶ φιλόκαλος τὴν ψυχὴν, καὶ ὅλον ἑαυτὸν ἀναθεὶς τῇ μελλούσῃ μισθαποδοσίᾳ, μετὰ πάντων αὐτοῦ τῶν ἀγαθῶν κατορθωμάτων ἐπιμελῶς σχολάζων ταῖς θείαις γραφαῖς, κατὰ τὴν ἐντολὴν τοῦ κυρίου τὴν φάσκουσαν, Ἐρευνᾶτε τὰς γραφὰς, ἐν αὐταῖς γὰρ δοκεῖτε ζωὴν αἰώνιον ἔχειν· ἐπιμνησθεὶς περὶ τοῦ βίου καὶ τῆς πολιτείας τῶν κατὰ τὴν ἀνατολὴν γενομένων ἁγίων πατέρων καὶ ἀσκητῶν, βουλὴν ἀρίστην ἐβουλεύσατο, τοῦ καὶ [g] τὰς αὐτὰς βίβλους τὰς παρὰ τῶν ἀνωτέρω μνημονευθέντων συγγραφείσας τῇ Ῥωμαίᾳ διαλέκτῳ, τάς τε περιεχούσας τῶν κατὰ τὴν Ἰταλίαν διαπρεψάντων ἁγίων πατέρων ἀρετὰς,

**121** Merito quidem virtutis sectatores laudibus omnium celebrantur. Neque enim sibi solis lucrum comparant, verum etiam posteris recte vivendi studio deditis illam velut viventem quamdam imaginem et animatam statuam factorum suorum relinquunt. Sed multo ampliori laude digni censendi sunt, qui post virtutis opera omne studium in eo posuerunt, ut scripta mundo relinquerent, quæ eos, qui cum affectu illa legerent, ad virtutem instituere et exercere possent. Maxima enim via ad id quod honestum est inveniendum, Scripturarum divinarum est meditatio; siquidem in iis actionum præcepta reperiuntur, et vitæ sanctorum virorum scriptis traditæ veluti quædam divinæ conversationis imagines animatæ ad imitationem bonorum operum propositæ sunt, prout quidam sanctorum Patrum nostrorum philosophati sunt. Cæterum cum multi exstiterint studiosi viri tam in Veteri quam in Novo Testamento, qui scripta præteritarum rerum historias et futurarum prædictiones continentia orbi reliquerunt, necnon Vitas sanctorum et virtute præditorum hominum, qui per Orientem et Ægyptum in vita monastica excelluerunt, Spiritu sancto motus, omni laude major sanctus Pater noster Gregorius beatissimus et inclytæ urbis Romæ papa, una cum plurimis aliis libris dictionis venustate et sensuum profunditate nitentibus, Vitas etiam sanctorum hominum qui in Italia eluxerunt, et quo tempore quibusve in locis floruerunt, quatuor libris Latina lingua conscripsit. Cum autem effluxissent [h] jam centum et sexaginta quinque anni, et ex omnibus nemo repertus esset qui ad ipsos ex Latina lingua in Græcam transferendos operam impenderet, divino consilio electus pastor, et princeps pastorum, orthodoxæ fidei dux, et principis apostolorum Petri successor Zacharias, ter beatus, et angelis par, apostolicus et œcumenicus papa, cum animam haberet Dei et præclararum rerum amantem, et totum se retributioni futuræ consecrasset, inter cætera ab ipso præclare gesta, diligenter Scripturis divinis vacans, juxta præceptum Domini dicentis: *Scrutamini Scripturas, quia in ipsis videmini vitam æternam habere* (*Joan.* v, 19). Recordatus vitæ et conversationis sanctorum Patrum et monachorum qui in Oriente vixerunt, optimum scilicet suscepit consilium tam libros illos a viris supra memoratis Latina lingua conscriptos, quam eos qui complectuntur virtutes sanctorum Patrum qui in

[a] Abest a Codicibus Latinis, et ab Ed. Vatic. Exstat Græce in Cod. Reg. 2934, et Colb. 2500.
[b] Colb. βιοῦν.
[c] Mss. καί τινι τῶν.... πεφιλοσόφηται.
[d] Mss. καθ' οἵους τε.
[e] Colb. τῇ Ῥομαίᾳ.
[f] Mss. θείας ῥοπῆς.
[g] Colbert. Τὰς αὐτὰς τέσσαρας βίβλους παρὰ τοῦ ἀνωτέρω μνημονευθέντος ἀοιδίμου πατρὸς ἡμῶν Γρηγορίου συγγραφείσας.
[h] Joannes Diaconus, lib. IV, cap. 75, numerat centum et septuaginta quinque annos. Utrumque in Chronologia aberrasse ostendimus in præf.

Italia claruerunt, in linguam Græcam transferendi; cupiens videlicet utilem animæ fructum ex ipsis provenientem abundanter cunctis elargiri. Hoc igitur ad finem deducens, thesaurum quidem indeficientem iis qui studiose libros illos legerint reliquit; sibi vero repositam fidelibus et prudentibus dispensatoribus mercedem acquisivit. Subjectorum autem librorum capita sunt hujusmodi.

A εἰς τὴν Ἑλλάδα μεταφράσαι γλῶτταν· ἀφθόνως πᾶσιν θέλων παρέχειν τὸν ἐξ αὐτῶν ποριζόμενον ψυχικὸν πλοῦτον. Τοῦτο οὖν εἰς πέρας ἀγαγών, θησαυρὸν μὲν ἀνέκλειπτον τοῖς πόθῳ ἐντυγχάνουσιν κατέλιπε, ἑαυτῷ δὲ τὸν ἀποκείμενον μισθὸν τῶν πιστῶν καὶ φρονίμων οἰκονόμων περιεποιήσατο. [a] Τῶν δὲ ὑποτεταγμένων βίβλων εἰσὶν τὰ κεφάλαια οὕτως.

[a] Quæ sequuntur desunt in Colb.

Nota. Hic, in editione Benedictina evolvitur Græco-latina series elenchorum capitum, qua nos consulto caremus, quippe quod iidem elenchi singulis capitibus præfixi legantur. Edit.

# SANCTI GREGORII PAPÆ
# DIALOGORUM LIBRI IV,
## DE VITA ET MIRACULIS [a] PATRUM ITALICORUM,
## ET DE ÆTERNITATE ANIMARUM.

# ΓΡΗΓΟΡΙΟΥ
ΤΟΥ ΑΓΙΩΤΑΤΟΥ ΚΑΙ ΑΠΟΣΤΟΛΙΚΟΥ [b] ΠΑΠΑ ΤΗΣ ΠΡΕΣΒΥΤΕΡΑΣ ΡΩΜΗΣ
# [c] ΔΙΑΛΟΓΟΙ ΙΣΤΟΡΙΚΟΙ.
ΠΡΟΣ ΠΕΤΡΟΝ, [d] ΔΙΑΚΟΝΟΝ,
Περὶ πολιτείας διαφόρων πατέρων τῶν ἐν τῇ Ἰταλίᾳ διαλαμψάντων.

## LIBER PRIMUS.

**149** Quadam die nimiis quorumdam sæcularium tumultibus depressus, quibus in suis negotiis plerumque cogimur solvere etiam quod nos certum est non debere, secretum locum petii amicum [e] mœroris, ubi omne quod de mea mihi occupatione displicebat, se patenter ostenderet, et cuncta quæ infligere dolorem consueverant, congesta ante oculos licenter venirent. Ibi itaque cum afflictus valde et diu tacitus sederem, dilectissimus filius meus Petrus diaconus adfuit, mihi a primævo juventutis flore amicitiis familiariter obstrictus, atque ad sacri verbi indagationem socius. Qui gravi excoqui cordis languore me intuens, ait: Nunquidnam novi tibi aliquid accidit, quod plus te solito mœror tenet? Cui, inquam: Mœror, Petre, quem quotidie patior, et semper mihi per usum vetus est, et semper per augmentum novus. [f] Infelix quippe animus meus occupationis suæ pulsatus vulnere, meminit qualis aliquando in monasterio fuit; **152**

## ΒΙΒΛΙΟΝ ΠΡΩΤΟΝ.

B

**150** Μία τῶν ἡμερῶν σφοδραῖς τισιν ἀνάγκαις κοσμικαῖς βαρηθείς, ἐξ ὧν ἐν ταῖς αὐταῖς πραγματείαις ἐκλύεσθαι ἐκ παντὸς ἀναγκαζόμεθα, ὅπερ τοῦτο ἐν ἡμῖν τὸ σύνολον εἶναι οὐκ ἐφείλει, ἠτησάμην ἐμαυτῷ ἡσυχάζοντά τινα τόπον φίλον τῆς λύπης, ἐν ᾧ τόπῳ ἅπαντα τὰ τῇ ἐμῇ ἀπαρέσκοντα φροντίδι, αὐτά μοι φανερῶς ἐπεδεικνύοντο, καὶ πάντα ἃ τὸν πόνον ἐκθλίβειν εἰώθασιν, ἐνώπιον τῶν ἐμῶν ὀφθαλμῶν εὐκόλως παρίσταντο. Ἐκεῖ τοίνυν καθεζομένου μου, πάνυ τεθλιμμένου καὶ ἡσυχάζοντος, ὁ ἀγαπητός μου υἱὸς Πέτρος ὁ διάκονος παρέστη μοι, ὅς τις καὶ ἐκ πρώτου καιροῦ τῆς ἡλικίας αὐτοῦ, καὶ ἐν τῷ τῆς νεότητος ἄνθει, γνησίως ἐν τῷ τῆς φιλίας [g] δεσμῷ συνηρμόσθη μοι, οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ ἐν τῇ τῶν ἱερῶν λόγων διατυπώσει κοινωνός μοι γεγονώς, ὅς τις θεασάμενός με σφοδρῶς τῷ τῆς καρδίας νοσήματι συγκαιόμενον, ἔφη· Μήτοι γε νέον τι συνέβη, ὅτι πλειοτέρα σε τοῦ ἔθους λύπη, ὡς ὁρῶ, κατέχει; ᾧ τινι ἀποκριθείς, εἶπον· Ἡ λύπη, Πέτρε, ἥνπερ καθ' ἡμέραν ὑπομένω, τῷ μὲν ἔθει παλαιά

[a] Ita pler. Codd. Abest tamen *Italicorum*, a Gemet. et Aud. Sanctus Gregorius satis innuit sibi propositum esse de Patribus Italicis loqui. Consule præfat. Porro per Patres intelligendi sunt *majores*, seu sancti, superioris ætatis. Non igitur solos hic designat monachos, eo sensu quo dicitur, *Vita Patrum*. Quanquam soleat S. Doctor monachos *Patres* appellare (*Vide l.* IV, *olim* III, *epist.* 46, *al.* 44), et veteres monachos, *abbates*, hoc est *Patres*, nuncupatos legamus.

[b] Abest καὶ ἀποστολικοῦ a Mss. Colb.

[c] Seg. διάλογος.

[d] Mss. ἀρχιδιάκονον. Infra diaconus simpliciter nuncupatur, tam in textu Lat. quam in translatione Græca.

[e] Germ., *mœrori*. Gemet., *mœrori meo*.

[f] Iste locus usque ad verba hæc, *quem reliqui*, exscriptus est a Beda, l. II Hist., cap. 1, et a Paulo Diac., in sancti Greg. Vita. Similia scribit sanctus Doctor in præf. Moral. ad Leandrum, et in epist. 4, 5, 6, etc., lib. I.

[g] Reg. δεσμῷ. Colb. convenit cum Editis, qui θεσμῷ præferunt.

ἐστι, διὰ δὲ προσθήκης νεάζει. [a] Ταλαιπωρεῖ τοίνυν ἡ ψυχή μου τῇ ἑαυτῆς ἀσχολίᾳ, νυσσομένη τῷ τραύματι. Μνημονεύει γὰρ ὁποία ποτὲ ἐν τῷ μοναστηρίῳ **151** ὑπῆρχε· πῶς αὐτῇ πάντα τὰ μὴ ἀνήκοντα ὑπέκειτο· πόσων πραγμάτων τῶν ἐν τῷ βίῳ κυλιομένων ὑπερανέστηκεν, ἥ τις οὐδὲν ἕτερον εἰ μὴ τὰ οὐράνια μεριμνᾷν εἴωθεν· κρατουμένη γὰρ τῷ σώματι τὰ τῆς σαρκὸς κλεῖθρα, τῇ θεωρίᾳ ὑπερέβαινε· διὸ καὶ τὸν θάνατον, τὸν πᾶσι φοβερὸν ὑπάρχοντα, ὥσπερ εἴσοδον ζωῆς καὶ τοῦ καμάτου αὐτῆς ἀμοιβὴν ἠγάπα. Ἥ τις νῦν προφάσει ποιμαντικῆς μερίμνης, κοσμικῶν ἀνθρώπων πράγμασιν ὑποπίπτει, [b] καὶ μετὰ τοσοῦτον ὡραῖον τῆς ἀϊδιότητος αὐτῆς κάλλος, γηΐνης πράξεως τῷ κονιορτῷ * συνοζένει. Ἡνίκα γὰρ ἑαυτὴν διὰ συγκατάβασιν πολλῶν εἰς τὰ ἔξωθεν σκορπίζει, ὅτε τοῖς ἔνδον ἐπινεύσει, πρὸς ταῦτα πόῤῥωθεν [c] δραμοῦσα, ἐλαχίστη ὑποστρέφει. Κατανοῶ τοιγαροῦν τί ὑποφέρω, καὶ τί ἀπεβαλόμην. Ἐν ὅσῳ δὲ ἀφορῶ εἰς ὃ ἀπώλεσα, γίνεται τοῦτο βαρύτερον ὅπερ βαστάζω. Ἰδοὺ γὰρ μεγίστης θαλάττης τοῖς κύμασι δονοῦμαι, ἀλλὰ καὶ ἐν τῷ πλοίῳ τοῦ νοὸς, σφοδροτάτης ἀνάγκης τῷ κλύδονι προσαράσσομαι. Καὶ ἐν ὅσῳ τῆς πρώτης ζωῆς μνημονεύω, ὥσπερ εἰς τὰ ὀπίσω τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀπενέγκας, θεώμενος τὸν λιμένα ὅθεν ἐξῆλθον, ἀναστενάζω. Ὅπερ μοι καὶ ἔστιν ἀκμὴν βαρύτερον, ὅτι ἐν ὅσῳ τοῖς ἀμετρήτοις κύμασι πεφυρμένος φέρομαι, μόλις λοιπὸν τὸν λιμένα θεάσασθαι δύναμαι, ὅνπερ κατέλιπον· τοιαῦται γὰρ αἱ συμφοραὶ τοῦ νοὸς ὑπάρχουσι, πρῶτον μὲν ἀπολέσαι τὸ καλὸν, ὅπερ κατέχει, μνημονεύειν δὲ ὅπερ ἀπώλεσεν· ὅτε δὲ μήκοθεν ἀποστῇ, καὶ αὐτοῦ οὗπερ ἀπώλεσεν ἀγαθοῦ ἐπιλανθάνεται· γίνεται δὲ ὅπως μετέπειτα μή τε ἐπὶ μνήμης θεάσηται, ὅπερ πρότερον διὰ πράξεως ἐκράτει. Ὅθεν τοῦτο ἀληθὲς ὑπάρχει ὃ προεθέμην, ὅτι ἡνίκα μήκοθεν πλέομεν, οὐδὲ τὸν λιμένα λοιπὸν τῆς ἡσυχίας, ὃν κατελίπομεν, θεωροῦμεν. Αεὶ οὖν ἀληθῶς εἰς προσθήκην τοῦ ἐμοῦ πόνου πρόστίθεται ἡ ζωὴ τῶν καταλειψάντων τὸν παρόντα κόσμον ὅλῃ τῇ διαθέσει, καὶ εἰς ὕψος ἀγγελικῆς πολιτείας ἀναδραμόντων, ὧν ἐπὶ μνήμης τὸ ὕψος τοῦ βίου φέρων, πόσον ἐγὼ ἐν τοῖς κατωτάτοις κεῖμαι, ἐπιγινώσκω· ἐξ ὧν οἱ πλεῖστοι τῷ ἑαυτῶν κτίστῃ ἐν τῇ ἡσύχῳ ζωῇ εὐηρέστησαν· ἵνα μὴ δι' ἀνθρωπίνων πράξεων ἐκ τοῦ νεάζοντος λογισμοῦ παλαιωθῶσι, τούτους οὖν ὁ παντοδύναμος Θεὸς ταῖς τοῦ κόσμου τούτου φροντίσιν οὐ συνεχώρησεν δεσμευθῆναι. Ὅθεν λοιπὸν τὰ προελθόντα προθύμως ἐκτίθημι, διὰ τῆς ἐρωτήσεως καὶ ἀποκρίσεως, καὶ τῆς τῶν ὀνομάτων διαγνώσεως

ΠΕΤΡ. Οὐ πάνυ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ τινῶν τὴν πολιτείαν δυνάμεσι [d] διαλάμψασαν διέγνων· ἐκ τίνων τοίνυν τῇ μιμήσει [e] ἀνάπτῃ ἀγνοῶ. Καλοὺς μὲν οὖν ἀνθρώπους ἐν τῇ γῇ ταύτῃ γεγονέναι οὐκ ἀπιστῶ, σημεῖα δὲ καὶ δυνάμεις παρ' αὐτῶν [f] οὐδαμῶς γεγονέναι ὑπολαμβάνω. Εἰ δὲ καὶ εἰσὶ μέχρι τοῦ παρόντος σιγῇ καλυπτόμενα, μὴ ἀγνοήσωμεν, ἅπερ γεγονότα ὑπάρχουσιν.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐὰν μόνα, Πέτρε, τὰ περὶ τῶν τελείων καὶ δοκίμων ἀνδρῶν ἀναγγείλω, ἅπερ ἐγὼ μόνος τὸ ἀνθρωπάριον, διά τε καλῶν καὶ πιστῶν ἀνθρώπων μαρτυρούντων

A quomodo ei labentia cuncta subter erant; quantum rebus omnibus quæ volvuntur eminebat; quod nulla nisi cœlestia cogitare consueverat; quod etiam retentus corpore, ipsa jam carnis claustra contemplatione transibat; quod mortem quoque, quæ pene cunctis pœna est, videlicet ut ingressum vitæ et laboris sui præmium amabat. At nunc ex occasione curæ pastoralis sæcularium hominum negotia patitur, et post tam pulchram quietis suæ speciem, terreni actus pulvere fœdatur. Cumque se pro condescensione multorum ad exteriora sparserit, etiam cum interiora appetit, ad hæc procul dubio minor redit. Perpendo itaque quid tolero, perpendo quod amisi. Dumque intueor illud quod perdidi, fit hoc gravius quod porto. Ecce etenim nunc magni maris fluctibus
B quatior, atque in navi mentis tempestatis validæ procellis illidor. Et cum prioris vitæ recolo, quasi post tergum ductis oculis viso littore suspiro. Quodque adhuc gravius est, dum immensis fluctibus turbatus feror, vix jam portum videre valeo quem reliqui, quia et ita sunt casus mentis, ut prius quidem perdat bonum quod tenet, [g] si tamen se perdidisse meminerit; cumque longius recesserit, etiam boni ipsius quod perdiderat obliviscatur; fitque ut post neque per memoriam videat, quod prius per actionem tenebat. Unde hoc agitur quod præmisi, quia cum navigamus longius, jam nec portum quietis quem reliquimus videmus. Nonnunquam vero in augmentum mei doloris adjungitur, quod quorumdam vita
C qui præsens sæculum tota mente reliquerunt, mihi ad memoriam revocatur. Quorum dum culmen aspicio, quantum ipse in infimis jaceam agnosco; quorum plurimi Conditori suo in secretiori vita placuerunt, qui ne per humanos actus a novitate mentis veterascerent, eos omnipotens Deus hujus mundi laboribus noluit occupari. Sed jam quæ prolata sunt, melius insinuo, si ea quæ per inquisitionem ac responsionem [h] dicta sunt, sola nominum prænotatione distinguo.

PETR. Non valde in Italia aliquorum vitam virtutibus fulsisse cognovi; ex quorum igitur comparatione accenderis ignoro. Et quidem bonos viros in hac
D terra fuisse non dubito, signa tamen atque virtutes aut ab eis nequaquam facta existimo, aut ita sunt hactenus silentio suppressa, ut utrumne sint facta nesciamus.

GREGOR. Si sola, Petre, referam, quæ de perfectis probatisque viris unus ego homuncio, vel bonis ac fidelibus viris attestantibus, agnovi, vel per memet-

[a] Reg. ταλαιπωρία τοίνυν ἡ ψυχή μου συνέχεται, τῆς ἑαυτοῦ ἀσχολία, νυσσομένη τῷ, etc. Colb., νυσσομένη τῷ πράγματι.

[b] Reg., καὶ μετὰ τὸ ὡραῖον κάλλος αὐτῆς τῆς ἀϊδιοτητος τῷ κονιορτῷ τῆς γηΐνης πράξεως συνοζένει, etc.

[c] Reg. et Colb., δειλιῶσα.

[d] Ita Mss. cum in Vulgatis legatur διαλαμψάντων, quod minus respondet Latino textui.

[e] Excusi, ἀνάπτεται, deficiente sensu.

[f] Reg., ἀληθῶς γενήσθαι.

[g] Fortasse legendum, *sic tamen ut se perdidisse*, etc., ad quod valde alludit versio Græca. In omnibus tamen Mss. habetur *si tamen se*.

[h] Ita Mss., ubi Editi habent, *dicenda sunt*.

ipsum didici; dies, ut opinor, ante quam sermo, A cessabit.

PETR. Vellem quærenti mihi de eis aliqua narrares. Neque pro hac re interrumpere expositionis studium grave videatur, quia non dispar ædificatio oritur ex memoria virtutum. In expositione quippe qualiter invenienda atque tenenda sit virtus, agnoscitur; in narratione vero signorum cognoscimus inventa ac retenta qualiter declaretur. Et sunt nonnulli, quos ad amorem patriæ cœlestis plus exempla, quam prædicamenta **153** succendunt. Fit vero plerumque audientis animo duplex adjutorium in exemplis Patrum, quia si ad amorem venturæ vitæ ex præcedentium comparatione accenditur, etiam si se esse aliquid existimat, dum meliora de aliis cognoverit, humiliatur (*Eadem leg., hom.* 38 *et* 39 *in* B *Evang.*).

GREGOR. Ea quæ mihi sunt virorum venerabilium narratione comperta, incunctanter narro sacræ auctoritatis exemplo, cum mihi luce clarius constet [a] quia Marcus et Lucas Evangelium quod scripserunt, non visu, sed auditu didicerunt. Sed ut dubitationis occasionem legentibus subtraham, per singula quæ describo, quibus hæc auctoribus mihi comperta sint manifesto. Hoc vero scire te cupio, quia in quibusdam sensum solummodo, in quibusdam vero et verba cum sensu teneo; quia si de personis omnibus ipsa specialiter verba tenere voluissem, hæc rusticano usu prolata stylus scribentis non apte susciperet. Seniorum valde venerabilium didici relatione quod narro.

## CAPUT PRIMUM.

### [b] *De Honorato abbate monasterii Fundensis.*

[c] Venantii quondam patricii in [d] Samnii partibus villa fuit, in qua colonus ejus filium Honoratum nomine habuit (*Martyrolog.*, 16 *Jan.*), qui ab annis puerilibus ad amorem cœlestis patriæ per abstinentiam exarsit. Cumque magna conversatione polleret, seque jam ab otioso quoque sermone restringeret, multumque, ut præfatus sum, per abstinentiam carnem domaret, die quadam parentes ejus vicinis suis convivium fecerunt, in quo ad vescendum carnes paratæ sunt : quas dum ille ad esum contingere pro abstinentiæ amore recusaret, cœperunt eum parentes D ejus irridere, ac dicere : Comede; nunquid piscem in his montibus tibi allaturi sumus? Illa vero in loco pisces audiri consueverant, non videri. Sed cum his sermonibus Honoratus irrideretur, repente in convivio aqua ad ministerium defuit; et cum situla lignea, sicut illic moris est, mancipium ad fontem perrexit.

[a] Eadem exempla profert Theodoretus in præfat. Hist. Relig.

[b] Hujus meminit Martyrol. Rom., die 16 Jan.

[c] Is esse videtur cujus encomium legitur apud Cassiod., l. IX, epist. 23.

[d] Mss. pler., *Samniæ*. Pratell. et Germ. hic habent *Samniæ*, et postea *Samnii*.

[e] Reg., μικρά.

[f] Mss., οὐρανίου πατρίδος πλειόνως τὰ ὑποδ... ἤπερ.

ἔμαθον, καὶ ὅσα δι' ἑαυτοῦ ἔγνων, ἐπιλείψει με, ὡς οἶμαι, διηγούμενον ὁ χρόνος.

ΠΕΤΡ. Δυσωπῶ, πανάγιε πάτερ, πάνυ ποθοῦντός μου, ἵνα τῆς περὶ αὐτῶν ἄρξῃ διηγήσεως, καὶ μὴ βαρεῖα νομισθῇ ἡ αἴτησις τοῦ διανοιγῆναι τὰ τῆς ὑποθέσεως· οὐ γὰρ [e] μετρία οἰκοδομὴ ἀνατέλλει ἐκ τῆς μνήμης τῶν δυνάμεων. Ἐν γὰρ τῇ διαθέσει, τὸ, πῶς εὑρίσκεται καὶ κρατεῖται ἡ δύναμις, διαγινώσκεται· ἐν δὲ τῇ ἐξηγήσει τῶν σημείων εὑρεθεῖσα καὶ κρατηθεῖσα, λαμπρύνεται. Εἰσὶ γὰρ πλεῖστοι, οὓς ἐν τῷ πόθῳ τῆς [f] ἐπουρανίου βασιλείας πλείονα τὰ ὑποδείγματα μᾶλλον, ἤπερ **154** τὰ κηρύγματα διεγείρουσι. Γίνεται δὲ ἐν τῇ τοῦ ἀκούοντος ψυχῇ διπλῆ βοήθεια τὰ τῶν πατέρων ὑποδείγματα· ὅτι καὶ εἰς τὸν πόθον τῆς μελλούσης ζωῆς ἐκ τῆς τῶν προλαβόντων μιμήσεως θερμότερος γίνεται, καὶ ἐὰν ἑαυτὸν εἶναί τι νομίζῃ, ἐν ὅσῳ περὶ ἑτέρων κρείττονα [g] διαγνῷ, ταπεινοῦται.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἅπερ μοι ὑπάρχουσι, παρὰ ἀνδρῶν εὐσεβῶν διηγηθέντα, ἐκεῖνα κἀγὼ ἐν ἐμφανεστάτῃ διηγήσει ἐκτίθημι, ἱερᾶς ἀρχηγίας τῷ ὑποδείγματι ἑπόμενος, καθὼς μοι δυνατὸν ὑπάρχει. Μάρκος γὰρ καὶ Λουκᾶς, ἅπερ συνεγράψαντο εὐαγγέλια, οὐχὶ τῇ θέᾳ, ἀλλὰ τῇ ἀκοῇ μεμαθήκασιν. Ὅμως, ἵνα τῆς ἀπιστίας τὴν ὑπόθεσιν ἐκ τῶν ἀναγινωσκόντων [h] παρεπάρω, περὶ ἑκάστου ὧνπερ γράφω, παρὰ τίνων μοι εἰσὶ διηγηθέντα φανεροποιήσω. Τοῦτο δὲ ἀληθῶς γινώσκειν σε βούλομαι, ὅτι ἔν τισι τὸν νοῦν μόνον, ἔν τισι δὲ καὶ ῥήματα σὺν τῷ νοὶ κρατῶ· ἱκάνειν γὰρ ἤθελον προσωπικῶς ἁπάντων αὐτῶν τὴν ὡραιότητα τῶν λόγων κρατῆσαι, ταῦτα τῇ ἰδιωτίᾳ μου προβληθέντα ὁ κάλαμος τοῦ γραφέως οὐ προσφόρως ὑπε- C δέχετο. Παρὰ πρεσβυτῶν οὖν σφόδρα σεμνοτάτων τὴν διήγησιν, ἣν ἀφηγοῦμαι, μεμάθηκα.

## ΚΕΦΑΛ. Α'.

δὲ πλεῖστοι οἴτινες καὶ μέχρι τοῦ παρόντος περιεισι. Πλείω δὲ τί ζητεῖς ἔργον, ὁπόταν [a] συνεφώνει ἡ τῆς πολιτείας καθαριότης τῇ σπουδῇ τοῦ κηρύγματος; Τοσοῦτος γὰρ αὐτὸν πόθος εἰς τὸ προσενέγκαι τῷ Θεῷ ψυχὰς, ἐξέκαυσεν, ὥστε καὶ μοναστηρίοις προϊστάμενος, οὐ διέλιπεν ἐν ἐκκλησίαις, ἐν πόλεσιν, ἐν ἐμπορίοις, καὶ ἐν ἑκάστῳ τόπῳ τῶν πιστῶν διατρέχων, καὶ τὰς τῶν ἀκουόντων καρδίας εἰς τὸν πόθον τῆς [b] αἰωνίου ζωῆς διέγειρων. Πάνυ δὲ εὐτελεστάτοις ἐνδύμασιν ἐκέχρητο· ὥστε τοὺς μὴ γινώσκοντας αὐτὸν προσκυνουμένους παρ' αὐτοῦ, βδελύττεσθαι τοῦτον ἀντιπροσκυνῆσαι. Ἐν ἑτέροις δὲ τόποις πορευόμενος, [c] ἔθος ἦν αὐτῷ τῷ εὐτελεστάτῳ πάντων τῶν ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἵππων ἐπιβῆναι. Καπιστρίῳ δὲ ἀντὶ χαλιναρίου, καὶ ἀντὶ σέλλης δέρμασι προβάτων ἐχρῆτο. Τὰς δὲ ἱερὰς βίβλους, ἐν δερματίνῳ δισακκίῳ ἐβάσταζε, καὶ ὅπου δ' ἂν ἀπήρχετο, τὴν τῆς γραφῆς ἀνοίγων πηγὴν, τὴν τῶν νοημάτων ἐπότιζε γῆν. Ἔφθασε δὲ καὶ μέχρι τῆς τῶν Ῥωμαίων πόλεως ἡ φήμη τῆς αὐτοῦ κηρύξεως. Καθὼς δὲ ἔθος τοῖς [d] κολάξειν ὑπάρχει, διὰ τῆς οἰκείας γλώττης τοῦ ἀκροωμένου αὐτοῖς τὴν ψυχὴν ἐπισπωμένους φονεύειν, κατ' ἐκεῖνον τὸν καιρὸν οἱ κληρικοὶ τούτου τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου τῷ προέδρῳ [e] ἀργολογοῦντες, ἔλεγον· Τίς ἐστιν ὁ ἄγροικος ἄνθρωπος οὗτος, ὅς τε τὴν τῆς κηρύξεως αὐθεντίαν ἑαυτῷ ἐπισπᾶται, καὶ τὴν διακονίαν τῆς [f] ὑμετέρας, δέσποτα, παναγιστίας εἰς ἑαυτὸν μετατέθεικεν, αὐτομολῶν ἀμαθεστάτος; Πεμφθήτω οὖν, εἰ δοκεῖ ὑμῖν, ὅς τις αὐτὸν ἐνταῦθα ὀφείλει ἀγαγεῖν, ἵνα γνῷ τίς ἡ ἐκκλησιαστικὴ κατάστασις ὑπάρχει. Καθάπερ δὲ πολλάκις συμβαίνει περὶ πολλὰ τῆς ψυχῆς ἀσχολουμένης, τὴν κολακείαν ἐν αὐτῇ χώραν λαμβάνειν, ἐὰν μὴ ἀγρύπνῳ φυλακῇ ἐξ αὐτῆς ἀποπεμφθῇ, συνέβη καὶ τότε τοῖς δελεάζουσιν αὐτὸν **170** κληρικοῖς συναινέσαι τὸν πατριάρχην, καὶ τὸν αὐτὸν ἁγιώτατον ἄνδρα Ἐκύτιον ἐν τῇ τῶν Ῥωμαίων πόλει ἐνεχθῆναι ἐκέλευσεν, ὅπως τὰ ἑαυτοῦ μέτρα ὁποῖά ἐστιν ἐπιγνώσηται. Ἰουλιανὸν δὲ ἀποστείλας, τὸν τηνικαῦτα δεφένσορα ὑπάρχοντα, ἐσχάτως δὲ καὶ τὴν ἐπισκοπὴν τῆς ἐν Σαβίνῃ ἐκκλησίας διεθύνοντα, τοῦτον ἐκέλευσεν, ὅπως ἐν μεγίστῃ τιμῇ ἀγάγῃ, ἵνα μὴ ἐν οἱῳδήποτε τρόπῳ ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος ὕβριν ὑπομείνῃ. Ἱκανὸς δὲ τοῖς κληρικοῖς ἐν τούτῳ θέλων ὀφθῆναι, μετὰ σπουδῆς ἐν τῷ μοναστηρίῳ κατέλαβεν· καὶ τοῦτον ἐκεῖσε μὴ εὑρηκώς, τοὺς τῶν ἀδελφῶν προύχοντας ἐν τῇ μονῇ καλλιγραφοῦντας θεασάμενος, ἤρξατο ἐπερωτᾶν, ποῦ ὁ ἡγούμενος ὑπάρχει. Πρὸς ὃν ἀποκριθέντες εἶπον· Ἐν ταύτῃ τῇ κοιλάδι, τῇ τῷ μοναστηρίῳ ὑποκειμένῃ χόρτον θερίζει. Ὁ δὲ αὐτὸς Ἰουλιανὸς παῖδα εἶχε πάνυ [g] ἐπαρμένον, καὶ ὑπερήφανον ὃν καὶ αὐτὸς μόλις κυριεῦσαι ἠδύνατο. Τοῦ-

[a] Uterque Mss., συμφωνεῖ.
[b] Reg., ἐπουρανίου.
[c] Mss., ἔθος εἶχε τῷ. Et paulo post, ἐπιβαίνειν.
[d] In utroque, κόλαξιν.
[e] Reg., κολακεύοντες. Colb., ἀργοκωμωδοῦντες.
[f] Reg., ἡμετέρας.
[g] Reg., ἐπηρμένον.
[h] Pler. Excusi, *jumento sedere*, quod etiam habent pauci Mss. De hoc loquendi modo, Gregorio et coævis, aut etiam antiquioribus scriptoribus familiari jam præmonuimus in nota ad l. I Moral., num. 22. Vide præterea l. II in Ezech., hom. 5 num. 2, not.
[i] Editi, *per semetipsum*., Mss. Germ., Norm., Theod., Val. Cl., Longip., Compend., etc., sequimur.

A Sed quid plus quæris operis, quando concordabat vitæ munditia cum studio prædicationis? Tantus quippe illum fervor ad colligendas Deo animas accenderat, ut sic monasteriis præesset, quatenus per ecclesias, per castra, per vicos, per singulorum quoque fidelium domos circumquaque discurreret, et corda audientium ad amorem patriæ cœlestis excitaret. Erat vero valde vilis in vestibus, atque ita despectus, ut si quis illum fortasse nesciret, salutatus etiam resalutare despiceret, et quoties alia tendebat ad loca, [h] jumentum sedere consueverat, quod despicabilius omnibus jumentis in cella potuisset reperiri; in quo etiam capistro pro freno, et vervecum pellibus pro sella utebatur. Super [i] semetipsum sacros codices in pelliceis sacculis missos dextro B lævoque portabat latere, et quocunque pervenisset, Scripturarum aperiebat fontem, et rigabat prata mentium. Hujus quoque opinio prædicationis ad Romanæ urbis notitiam pervenit; atque (ut est lingua adulantium auditoris sui animam amplectendo necans), eodem tempore clerici hujus apostolicæ sedis antistiti adulando questi sunt, dicentes: Quis est iste vir rusticus, qui auctoritatem sibi prædicationis arripuit, et officium apostolici nostri Domini sibimet indoctus usurpare præsumit? Mittatur ergo, si placet, qui huc eum exhibeat, ut quis sit ecclesiasticus vigor agnoscat. Sicut autem moris est ut occupato in multis animo adulatio valde subrepat, si ab ipso cordis ostio nequaquam **169** fuerit citius repulsa, suadentibus se clericis consensum pontifex præbuit, C ut ad Romanam urbem deduci debuisset, et quænam sua esset mensura cognosceret. Julianum tamen tunc defensorem mittens, qui Sabinensi Ecclesiæ postmodum in episcopatu præfuit, hoc præcepit, ut magno cum honore eum deduceret, nec quidquam Dei famulus ex conventione eadem injuriæ sentiret. Qui parere de eo clericorum votis concitus volens, festine ad ejus monasterium cucurrit, ibique absente illo [j] antiquarios scribentes reperit, ubi abbas esset inquisivit. Qui dixerunt: In valle hac quæ monasterio subjacet, fenum secat. Idem vero Julianus superbum valde atque contumacem puerum habuit, cui vix poterat vel ipse dominari. Hunc ergo misit, ut ipsum ad se sub celeritate perduceret. Perrexit puer, et protervo spiritu pratum velociter ingressus, D omnesque illic intuens fenum secantes, requisivit quisnam esset Equitius. Moxque ut audivit quis

[j] Antiquariorum laborem monachos maxime decere jam observavimus in Vita Cassiodori Gallice scripta, l. III, c. 3, § 6. Lege ipsum Cassiod., de Instit. c. 30, et Sulpicium Sev., de Vita sancti Martini, c. 7, ubi laudans disciplinam in monasterio a sancto Martino institutam: *Ars*, inquit, *ibi, exceptis scriptoribus, nulla habebatur*. In Vita sancti Epiphanii, auctore quodam ejus discipulo, num. 5: *Occurrit ei quidam vir Christianus, nomine Lucianus, admirandus et eruditus, qui vitam exercebat monasticam, et elegantis librarii artem apprime tenebat, eique navans strenue operam ex ea panem quærebat quotidianum*. Sacris libris describendis etiam sanctimoniales operam navasse, probat exemplum Melaniæ junioris. Vide Sur, ad diem 31 Januarii.

esset, eum adhuc longe positus aspexit, et immenso timore correptus, cœpit tremere, lassescere, seque ipsum nutanti gressu vix posse portare. Qui tremens ad Dei hominem pervenit, atque ulnis humiliter ejus genua deosculans, strinxit, suumque dominum ei occurrisse nuntiavit. Cui resalutato Dei famulus præcepit, dicens : Leva fenum viride, porta pabulum jumentis in quibus venistis : ecce ego, quia parum superest, opere expleto te subsequor. Is autem qui missus fuerat, Julianus defensor mirabatur valde quidnam esset quod redire moraretur puer : cum ecce revertentem puerum conspicit, atque in collo fenum ex prato deferentem ; qui vehementer iratus cœpit clamare, dicens : Quid est hoc ? Ego te misi hominem deducere, non fenum portare. Cui puer respondit : Quem quæris, ecce subsequitur. Tum ecce vir Dei, clavatis calceatus caligis, falcem fenariam in collo deferens, veniebat : quem adhuc longe positum puer suo domino quia ipse esset quem quæreret indicavit. Idem vero Julianus repente ut vidit Dei famulum, ex ipso habitu despexit, eumque qualiter deberet alloqui proterva mente præparabat. Mox vero ut servus Dei cominus adfuit, ejusdem Juliani animum intolerabilis pavor invasit, ita ut tremeret, atque ad insinuandum hoc ipsum [a] quod venerat, vix sufficere lingua potuisset. Qui humiliato mox spiritu ad ejus genua cucurrit, orationem pro se fieri petiit, et quia pater ejus [b] apostolicus pontifex eum videre vellet indicavit. Vir autem venerandus Equitius cœpit immensas gratias omnipotenti Deo agere, asserens quod se per summum pontificem gratia superna visitasset. Illico vocavit fratres, præcepit hora eadem jumenta præparari, atque exsecutorem suum cœpit vehementer **172** urgere ut statim exire debuissent. Cui Julianus ait : Hoc fieri nullatenus potest, quia lassatus ex itinere hodie non valeo exire. Tunc ille respondit : Contristas me, fili, quia si hodierna die non egredimur, jam crastina non exibimus. Dei itaque famulus exsecutoris sui lassitudine coactus, in monasterio suo eadem nocte demoratus est. Cum ecce sequenti die sub ipso lucis crepusculo vehementer equo in cursu fatigato ad Julianum puer cum epistola pervenit, in qua præceptum est ei ne servum Dei contingere vel movere de monasterio auderet. Quem cum ille requireret cur sententia esset mutata, cognovit, quia nocte eadem, in qua ipse exsecutor illuc missus est, per visum pontifex fuerat vehementer exterritus, cur ad exhibendum Dei hominem mittere præsumpsisset. Qui protinus surrexit, seque venerandi viri commendans

A τον οὖν πρὸς αὐτὸν ἀπέστειλεν, ὅπως μετὰ σπουδῆς αὐτὸν ἀγάγῃ. Ἀπελθὼν δὲ ὁ παῖς, καὶ ἀποτόμως ἐν τῷ λιβαδίῳ εἰσελθών, εἰς πάντας τοὺς τὸν χόρτον θερίζοντας ἀτενίσας, ἐπεζήτει τίς ἐστιν ὁ Ἐκύθιος· ὡς δὲ παρ' αὐτῶν τίς ἐστι διέγνω, μήκοθεν τοῦτον ὑπάρχοντα θεασάμενος, ἀναριθμήτῳ φόβῳ βληθείς, ἤρξατο τρέμειν καὶ ἀγωνιᾶν, καὶ μόλις δύνασθαι τῇ τοῦ βήματος κινήσει βαδίζειν. Ὅς τις πρὸς τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον δεδοικὼς ἐλθών, μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης τοῖς ποσὶν αὐτοῦ περιπλακείς, καὶ τούτους περιπτυσσόμενος, τὴν τοῦ κυρίου αὐτοῦ παρουσίαν ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἐμήνυσεν. Ὄντινα ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος προσαγορεύσας, χόρτον αὐτῷ χλωρὸν ἐπᾶραι προσέταξεν εἰς τροφὴν τῶν κτηνῶν, ἐν οἷς παρεγένοντο, λέγων· Ἄπελθε, τέκνον, καὶ [c] πληροῦντός μου τὸ ἐναπομεῖναν ὀλίγον ἔργον, εὐθέως καταλαμβάνω. Ἰουλιανὸς δὲ

B ὁ δεφένσωρ, σφόδρα ἐθαύμαζεν ἐπὶ τῇ [d] τοῦ παιδὸς βραδύτητι. Ὑποστρέφοντα δὲ τοῦτον θεασάμενος, καὶ ἐν τῷ ὤμῳ χόρτον ἐκ τοῦ λιβαδίου ἐπιφερόμενον, θυμωθεὶς ἤρξατο κράζειν καὶ λέγειν· Τί ἐστι τοῦτο; ἐγὼ ἄνθρωπον ἀγαγεῖν σε ἀπέστειλα, οὐχὶ δὲ χόρτον βαστάσαι. Ὧ τινι ὁ παῖς ἀποκριθείς, εἶπεν· Ἰδοὺ ὃν ζητεῖς, ὄπισθέν μου ἀκολουθῶν καταλαμβάνει. Εὐθέως δὲ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ὑποδησάμενος, [e] καὶ δεσμήσας τὰ ὑποδήματα αὐτοῦ, ἐπὶ τοῦ ὤμου βαστάζων τὸ δρέπανον, ἐν ᾧ τὸν χόρτον ἔκοπτε, παρεγένετο. Ὃν ἐκ μήκους ὁ παῖς ἐρχόμενον θεασάμενος, τῷ κυρίῳ αὐτοῦ ἐμήνυσεν, Ὅτι ὅνπερ ζητεῖς, αὐτὸς ὑπάρχει. Ὁ δὲ αὐτὸς Ἰουλιανὸς, ἡνίκα τὸν τοῦ Θεοῦ [f] δοῦλον ἐρχόμενον ἐθεάσατο, ἐξ αὐτοῦ τοῦ σχήματος τοῦτον ἐβδελύξατο, τὸ πῶς δὲ [g] ὀφείλει βριαρῶς αὐτῷ διαλεχθῆναι ἠὐτρεπίζετο. Πλησίον δὲ αὐτοῦ ὁ τοῦ Θεοῦ

C ἄνθρωπος παραγενόμενος, ἀνυπόστατος φόβος ἐν τῇ Ἰουλιανοῦ ψυχῇ εἰσῆλθε, καὶ λοιπὸν τρέμων, μόλις ἀναγγεῖλαι ἠδυνήθη τὸ διατὶ ἐλήλυθε. Ταπεινωθέντος οὖν τοῦ φρονήματος αὐτοῦ, τοῖς γόνασι τοῦ ἁγίου προσέδραμε, καὶ εὐχὴν ὑπὲρ ἑαυτοῦ ᾐτεῖτο γενέσθαι, καὶ ὅτι ὁ πατὴρ ἡμῶν ὁ ἀποστολικὸς ποθεῖ τοῦ θεάσασθαι ὑμᾶς, καὶ [h] ἐπὶ τούτῳ με ἀπέστειλεν. Ὁ δὲ εὐλαβέστατος ἀνὴρ Ἐκύτιος ἤρξατο εὐχαριστηρίους ὕμνους τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ ἀναπέμπειν, καὶ λέγειν, Ὅτι ἡ ἄνωθεν χάρις διὰ τοῦ ὑψηλοτάτου με πατριάρχου ἐπεσκέψατο. Εὐθέως οὖν καλέσας τοὺς ἀδελφοὺς, ἐκέλευσεν αὐτοῖς ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ τὰ κτήνη ἑτοιμάσαι, καὶ [i] τὸν ἐκβιβαστὴν αὐτοῦ **171** ἤρξατο ἐπισπεύδειν, ἵνα εὐθέως περιπατήσωσι. Πρὸς ὃν Ἰουλιανὸς ἔφη· Ἐσιάνθην ἐκ τῆς ὁδοῦ, πάτερ, καὶ σήμερον ἐξελθεῖν οὐ δύναμαι. Ἀποκριθεὶς δὲ ὁ τοῦ Θεοῦ δοῦλος,

D εἶπεν αὐτῷ· Θλίβεις με, τέκνον, ἐὰν γὰρ τῇ σήμερον ἡμέρᾳ μὴ πορευθῶμεν, αὔριον λοιπὸν ἀδύνατόν ἐστιν ἡμᾶς πορευθῆναι. Ἀναγκασθεὶς δὲ ὑπὸ τοῦ Ἰουλιανοῦ, τὴν αὐτὴν νύκτα ἐν τῷ μοναστηρίῳ ἔμεινε, τῇ δὲ ἐπιούσῃ ἡμέρᾳ αὐγάζοντος τοῦ φωτὸς, παῖς πρὸς Ἰουλιανὸν μετ' ἐπιστο-

[a] Ita ex Mss. legendum. Editi, explicationis causa, sic habent : *hoc ipsum pro quo venerat.* In Big., *hoc ipsum ad quod.*

[b] Hoc nomine jam sæculo VI designabatur pontifex Rom., quod ad nos usque perseveravit. Hinc in publicis supplicationibus rogamus *ut domnum apostolicum*, etc. Mos iste apud Græcos etiam receptus. Unde Theod. Studita, l. I, epist. 34, ad Leon. papam : *Tibi primo omnium apostolico capiti nostro*, etc. ; et l. II, epist. 55 : *Misi epistolas duas ad apostolicum.* Et ita passim. Observa quoque paulo post papam vocari *summum pontificem.*

[c] Colb., πληροῦντος τὸ ἀποκείμενον ὀλίγον.

[d] Colb., τοῦ πατρὸς βραδ. ὑπόστε... τὸν παῖδα.

[e] Reg., καὶ ὑποδήσας τά.

[f] Idem, ἄνθρωπον.

[g] Reg. : ὀφίλει ἰσχυρῶς αὐτῷ διαλεχθῆναι ἠὐτρεπίζεν, ὡς δὲ πλησίον αὐτοῦ ὁ τοῦ θεοῦ ἄνθρωπος παρεγένετο, ἀνυπόστατος φόβος ἐν τῇ τοῦ Ἰουλιανοῦ. Colb. διαλεχθῆναι ὡπλίζετο.

[h] Colb., διὰ τοῦτό με. Reg., ἐπὶ τοῦτό με.

[i] Reg., τὸν ἐπιβαστήν

λῆς κατέλαβε, σφόδρα τὸν ἵππον ἐλάσας, περιεχούσης τῆς ἐπιστολῆς, ἵνα τὸν τοῦ Θεοῦ δοῦλον μὴ τολμήσῃ ἐκ τῆς μονῆς αὐτοῦ κινῆσαι. Τὸν δὲ ἀποσταλέντα ἐπερωτῶν, διατί ἡ ἀπόφασις ὑπηλλάγη, ἐπέγνω, ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ νυκτὶ ἐν ᾗ ὁ αὐτὸς Ἰουλιανὸς ἀπεστάλη, δι' ὀπτασίας ὁ πατριάρχης ἔμφοβος γέγονε, [a] δι' ὃν ἀποστεῖλαι ἐτόλμησεν, ἵνα τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἀγάγῃ. Παρευθὺς δὲ ἀναστὰς, καὶ ἑαυτὸν ταῖς τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς εὐχαῖς παραθέμενος, πρὸς αὐτὸν ἔφη· Παρακαλεῖ ὁ πατὴρ ἡμῶν ὁ πατριάρχης τοῦ μὴ [b] κοπηθῆναι ὑμᾶς. Τοῦτο δὲ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἀκούσας, πάνυ λυπηθεὶς, εἶπεν· Οὐχὶ τῇ χθὲς ἡμέρᾳ εἶπόν σοι, ὅτι ἐὰν μὴ εὐθέως πορευθῶμεν, οὐδαμῶς λοιπὸν ἡμῖν ἀπελθεῖν ἀποβήσεται; Τότε οὖν διὰ τὸ ποιῆσαι ἀγάπην, τὸν αὐτὸν δεφένσορα ὀλίγον παρακρατήσας, καὶ ὑπὲρ τοῦ κόπου αὐτοῦ μισθόν τινα, καίτοι μὴ θέλοντος αὐτοῦ παρασχὼν, ἀπέστειλε. Γίνωσκε οὖν, Πέτρε, ἐν ποίᾳ [c] δόξῃ παρὰ Θεοῦ ὑπάρχουσιν οἱ ἑαυτοὺς ἐν τῷ παρόντι βίῳ βδελυκτοὺς εἶναι ἑλόμενοι· μετὰ γὰρ τῶν τῆς ἐπουρανίου πατρίδος πολιτῶν ἀριθμοῦνται, οἵ τινες βδελυκτοὶ τοῖς ἀνθρώποις εἶναι οὐκ αἰδοῦνται. Ὅσοι δὲ διὰ τῆς ὑψηλοφροσύνης ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν πλησίων δικαιοῦσιν, καὶ διὰ τῆς κενοδοξίας φυσιοῦνται, ἀπεναντίας τῶν τοῦ Θεοῦ ὀφθαλμῶν κεῖνται. Ὅθεν αὐτοὺς καὶ ὁ τῆς [d] διδασκαλίας λόγος διελέγχων, λέγει· Ὑμεῖς ἐστε οἱ δικαιοῦντες ἑαυτοὺς ἐνώπιον τῶν ἀνθρώπων· ὁ Θεὸς δὲ γινώσκει τὰς καρδίας ὑμῶν, τὸ γὰρ ὑψηλὸν ἐν ἀνθρώποις, βδέλυγμα παρὰ Θεῷ ὑπάρχει.

ΠΕΤΡ. Θαυμάζω λίαν, ὅτι περὶ τοιούτου ἀνδρὸς συνεπᾶραι τὸν πατριάρχην ἠδυνήθησαν.

ΓΡΗΓΟΡ. Τί θαυμάζεις, Πέτρε, [e] εἰ τῷ νῷ ἐσφάλη; ἄνθρωποι γὰρ ὄντες πλανώμεθα, ὅπερ καὶ Δαυὶδ ὑπέστη, ὅς τις καὶ προφητείας πνεῦμα ἔχειν μεμαρτύρηται, ὅτε τοὺς λόγους τοῦ παιδὸς ψευδομένου ἀκούσας, ψῆφον κατὰ τοῦ ἀθώου υἱοῦ Ἰωνάθαν δέδωκεν. Ὅπερ δὲ διὰ τοῦ Δαυὶδ γέγονε, τῇ κρυπτῇ τοῦ Θεοῦ κρίσει, δίκαιον εἶναι πιστεύομεν· τῇ γὰρ ἀνθρωπίνῃ κατανοήσει, πῶς δίκαιόν ἐστιν οὐκ ἐπιστάμεθα. Τί οὖν θαυμαστὸν, ἐὰν τοῖς λόγοις τῶν ψευδομένων, καὶ ἡμεῖς εἰς ἕτερα ἀπαγώμεθα, οἵ τινες προφῆται οὐχ ὑπάρχομεν; Οὐ μέγα οὖν εἰ καὶ ἑνὸς ἑκάστου τῶν πατριαρχῶν τὸν νοῦν ἡ τῶν φροντίδων ἀλλεπάλληλος μέριμνα λυμαίνεται. Ὁπόταν γὰρ ἡ ψυχὴ εἰς πολλὰ διαμερίζεται, σμικρύνεται καθ' ἕκαστον, καὶ πάντων εἰς ἓν συνεπαίρεται, ἐν ὅσῳ ἐν πολλοῖς τῇ ἀσχολίᾳ πλατύνεται.

ΠΕΤΡ. Σφόδρα ἀληθῆ ἅπερ λέγεις ὑπάρχουσιν.

ΓΡΗΓΟΡ. Οὐχ ἡγοῦμαι δίκαιον οὐδὲ τοῦτο σιγῆσαι, ὅπερ παρὰ Βαλεντίνου τοῦ εὐλαβεστάτου, τὸ τηνικαῦτα ἡγουμένου μου γεγονότος, περὶ τούτου τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς διηγουμένου ἀκήκοα. Ἔλεγε γὰρ ὅτι ἐν τῷ εὐκτηρίῳ τοῦ μακαρίου μάρτυρος Λαυρεντίου τὸ σῶμα αὐτοῦ ἦν τεθαμμένον. Ἐπάνω δὲ τοῦ μνήματος γεωργός τις [f] ἄρκαν μετὰ σίτου ἐπέθηκεν, μὴ κατανοήσας, ὁποῖος ἀνὴρ αὐτόθι **174** ἔκειτο. Αἰφνίδιον οὖν τάραχος ἐξ οὐρανόθεν γέγονεν, καὶ πάντων ἐν τῇ ἑαυτῶν καταστάσει διαμενόντων, ἡ ἐπάνω τοῦ μνήματος τεθεῖσα ἄρκα ἐπήρθη, καὶ ἀπὸ

A orationibus, ait: Rogat [g] Pater noster ne fatigari debeatis. Cumque hoc Dei famulus audisset, contristatus ait: Nunquid non die hesterno dixi tibi, quia si statim non pergeremus, jam pergere minime liceret? Tunc pro charitatis exhibitione aliquantulum exsecutorem suum in cella detinuit, eique laboris sui [h] commodum coacto renitentique dedit. Cognosce igitur, Petre, in quanta Dei custodia sunt qui in hac vita seipsos despicere noverunt; cum quibus intus civibus in honore numerantur, qui despecti foris hominibus esse non erubescunt; quia econtra in Dei oculis jacent, qui apud suos et proximorum oculos per inanis gloriæ appetitum tument. Unde et quibusdam Veritas dicit: *Vos estis qui justificatis vos coram hominibus, Deus autem novit corda vestra: quia quod hominibus altum est, abominabile est ante Deum* (*Luc.* XVI, 15).

B

PETR. Miror valde quod de tali viro subripi pontifici tanto potuerit.

GREGOR. Quid miraris, Petre, quia fallimur qui homines sumus? An mente excidit quod David, qui prophetiæ spiritum habere consueverat, contra innocentem Jonathæ filium sententiam dedit, cum verba pueri mentientis audivit? Quod tamen quia per David factum est, [i] et occulto Dei judicio justum credimus, et tamen humana ratione qualiter justum fuerit, non videmus. Quid ergo mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur, qui prophetæ non sumus? Multum vero est quod uniuscujusque præsulis mentem curarum densitas devastat. Cumque animus dividitur ad multa, fit minor ad singula: tantoque ei in una qualibet re subripitur, quando latius in multis occupatur.

C

PETR. Vera sunt valde quæ dicis.

GREGOR. Silere non debeo, quod de hoc viro abbate quondam meo reverentissimo [j] Valentino narrante, agnovi. Aiebat namque quia corpus ejus dum in beati Laurentii martyris oratorio esset humatum, super sepulcrum illius rusticus quidam arcam cum frumento posuit, nec quantus qualisque vir illic jaceret, perpendere **173** ac vereri curavit. Tunc repente turbo cœlitus factus, rebus illic omnibus in sua stabilitate manentibus, arcam, quæ superposita sepulcro ejus fuerat, extulit, longeque projecit, ut

D

[a] Reg., δι' οὗ. Colb. δι' ὧν.
[b] Uterque Cod., κοπωθῆναι.
[c] Colb., τάξει.
[d] Uterque, ἀληθείας, et melius quidem, juxta textum Lat., *veritas dicit: Vos*, etc.
[e] Reg.. εἰ ἐν τῷ ἀνθρώπῳ.
[f] Reg., ἀρκλύον, et inira, ἀρκλίον. Colb., ἄρκλα; fortasse ad significandum *arculam*.
[g] Plerique Mss., *Pater vester*.
[h] *Commodum* hic significat stipendium, mercedem, laboris præmium, Græce, κόπου μισθόν. Sæpe hæc vox apud Gregorium accipitur pro qualibet pensitatione, ut l. I, epist. olim 42, nunc 44.
[i] Duo priores Carn., duo Audoeni, Big. et Lyr., *et occultum Dei judicium justum cred.*
[j] Bigot., 2 Aud., Longip. cum Germ., *Valentio.* Tres Carnot., Gemet., primus Aud., Prat., Lyr., *Valentione.* Hic nota Gregorium vitam monasticam amplexum esse.

palam cuncti cognoscerent quanti esset meriti is cujus illic corpus jaceret.

Etiam ea quæ subjungo, prædicti venerabilis viri Fortunati, qui valde mihi ætate, opere et simplicitate placet, relatione cognovi. Eamdem Valeriæ provinciam Langobardis intrantibus, ex monasterio reverentissimi viri Equitii in prædicto oratorio ad sepulcrum ejus monachi fugerunt. Cumque Langobardi sævientes oratorium intrassent, cœperunt eosdem monachos foras trahere, ut eos aut per tormenta discuterent, aut gladiis necarent. Quorum unus ingemuit, atque acri dolore commotus clamavit : Heu, heu, sancte Equiti, placet tibi quod trahimur, et nos non defendis? Ad cujus vocem protinus sævientes Langobardos immundus spiritus invasit. Qui corruentes in terram tandiu vexati sunt, quousque hoc cuncti, etiam qui foris erant, Langobardi cognoscerent, quatenus locum sacrum temerare ulterius non auderent. Sicque vir sanctus dum discipulos defendit, etiam multis post remedium illuc fugientibus præstitit.

## CAPUT V.

*De Constantio mansionario Ecclesiæ sancti Stephani.*

Cujusdam coepiscopi mei didici relatione quod narro : qui in Anconitana urbe per annos multos in monachico habitu deguit, ibique vitam non mediocriter religiosam duxit; cui etiam quidam nostri jam provectioris ætatis, qui ex eisdem sunt partibus, attestantur. Juxta eam namque civitatem ecclesia beati martyris Stephani sita est, in qua vir vitæ venerabilis, Constantius nomine, mansionarii functus officio deserviebat (*Martyrolog.*, 23 *Sept.*) : cujus sanctitatis opinio sese ad notitiam hominum longe lateque tetenderat, quia idem vir funditus terrena despiciens, toto annisu mentis ad sola cœlestia flagrabat. Quadam vero die dum in eadem Ecclesia oleum deesset, et prædictus Dei famulus unde lampades accenderet omnino non haberet, [a] omnes lampades Ecclesiæ implevit aqua, atque ex more in medio [b] papyrum posuit; quas allato igne succendit, sicque aqua arsit in lampadibus ac si oleum fuisset. Perpende igitur, Pe-

μήκους ἐρρίφη, ὅπως γνώσωνται πάντες πόσης παρὰ Θεοῦ τιμῆς ἠξιώθη, οὗτινος τὸ σῶμα ἐκεῖσε ἔκειτο.

Ταῦτα δὲ ἅπερ νυνὶ [c] καθυποβάλλω τῷ διηγήματι παρὰ τοῦ προλεχθέντος εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς Φορτούνατου διηγουμένου ἐπέγνων. Ὅστις [d] καὶ τῷ γήρᾳ, καὶ τοῖς ἔργοις, καὶ τῇ ἀκακίᾳ πάνυ μοι ἀρέσκει. Ἔλεγε δὲ οὗτος, ὅτι ἐν τῇ αὐτῇ τῆς Βαλερίας χώρᾳ τῶν [e] Λογγοβάρδων εἰσελθόντων, μοναχοὶ ἐκ τοῦ μοναστηρίου τοῦ εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς Ἐκυτίου, εἰς τὸ μνῆμα αὐτοῦ ἐν τῷ προλεχθέντι εὐκτηρίῳ προσέφυγον. Οἱ δὲ Λογγοβάρδοι θυμωθέντες, καὶ ἐν τῷ εὐκτηρίῳ εἰσελθόντες, ἤρξαντο τοὺς μοναχοὺς ἔξω σύρειν, ὅπως αὐτοὺς, εἴτε διὰ βασάνων μαστιγώσωσιν, εἴτε ξίφει θανατώσωσιν. Εἷς δὲ ἐξ αὐτῶν στενάξας, καὶ ἐκ μεγίστου πόνου κινηθείς, ἔκραξεν· Αἴ, ἅγιε Ἐκύτιε, ἀρέσκει σοι ὅτι συρόμεθα, καὶ οὐκ ἐκδικεῖν ἡμᾶς; Παρευθὺ δὲ σὺν τῷ λόγῳ αὐτοῦ, πνεῦμα ἀκάθαρτον εἰς τοὺς θηριώδεις Λογγοβάρδους εἰσῆλθε· καὶ εἰς τὴν γῆν καταπεσόντες ἐπὶ τοσοῦτον ἐδαιμονίσθησαν, ἕως οὗ πάντες οἱ ἔξω ὄντες Λογγοβάρδοι τοῦτο [f] μεμαθήκασιν, ὥστε τοῦ λοιποῦ τῷ ἱερῷ τόπῳ ἐκείνῳ οὐδαμῶς ἐπιβῆναι ἐτόλμησαν. Ὁ γὰρ ἅγιος οὗτος ἀνὴρ, τοὺς μαθητὰς τότε ἐκδικήσας, πολλοῖς [g] ἐπ' ἐσχάτου πρόνοιαν παρέσχετο τοῖς ἐκεῖ καταφεύγουσιν.

### ΚΕΦΑΛ. Ε'.

Περὶ Κωνσταντίου [h] παραμοναρίου ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου Στεφάνου πλησίον τῆς πόλεως Ἀγκώνων.

Παρὰ συνεπισκόπου μου τινὸς μεμάθηκα, ἥνπερ διηγοῦμαι ἀφήγησιν, ὅστις ἐν τῇ Ἀγκώνων πόλει, ἐπὶ πολλοὺς χρόνους ἐν τῷ μοναχικῷ διέπρεψε σχήματι, σπουδαίως καὶ ἐν πάσῃ εὐλαβείᾳ ἐκεῖσε πολιτευσάμενος· ᾧ τινι συμμαρτυροῦσι καὶ ἐκ τῶν ἡμετέρων τινὲς προβεβηκότες ἤδη λοιπὸν, καὶ ἐκ τῶν αὐτόθι γεγονότες μερῶν, [i] ὡς ὅτι πλησίον τῆς αὐτῆς πόλεως Ἀγκώνων, ἐκκλησία τοῦ ἁγίου πρωτομάρτυρος Στεφάνου διάκειται. Ἀνὴρ δέ τις τῇ πολιτείᾳ πάνυ εὐλαβέστατος, Κωνστάντιος τοὔνομα, ἐν αὐτῇ προσκαρτερῶν, τὴν τῆς ἐκκλησίας δουλείαν ἐπετέλει. Ἡ οὖν φήμη τῆς ἁγιωσύνης αὐτοῦ πᾶσιν ἀνθρώποις κατάδηλος διὰ πλάτους γέγονεν· ἐξ ὅλης γὰρ τῆς καρδίας αὐτοῦ τὰ ἐπίγεια βδελυξάμενος, ὅλῃ τῇ τοῦ νοὸς διαθέσει εἰς μόνα τὰ οὐράνια ἔσπευδεν. Ἐν μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ ἔλαιον ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ παρέλειψεν, ὥστε παντελῶς μὴ ἔχειν τὸν προλεχθέντα τοῦ Θεοῦ δοῦλον ὅθεν τὰς καυδήλας ὀφείλῃ ἅψαι. Γεμίσας δὲ πάσας ὕδατος, καὶ πρὸς συνέθειαν ἐν μέσῳ τὸ ἰ ἀπτρὴν βαλὼν, προσαγαγὼν τὸ

[a] Germ., *omnes candelas*; primus Aud. et Lyr., *omnes cyathos*. In Græca vers. legitur, καυδήλας, καυδήλαις; qua voce intelligi lucernas olearias multis probat Cangius in Gloss. Gr.

[b] Papyrum hic pro ellychnio adhibitam legimus; quod etiam testatur Gregorius Turon. de Vitis Patrum, l. VIII: *In quo nec papyrus addita, nec olei gutta stillantis adjecta.* Ad cereos conficiendos usurpatam docet sanctus Paulinus in nat. 30, de sancto Felice :

Lumina ceratis adolentur odora papyris.

Porro per papyrum hic intelligi debent papyri, quod est fruticis palustris genus, philyræ, quæ ad chartas, funes, stragulas, vestes, et ad varios alios usus præparabantur. Papyri originem ex locis palustribus, usumque ad luminariaoptime describit Ennodius in benedictione cerei, opusc. *Papyrum ad alimenta ignium lympha transmisit.*

[c] Reg., συνέταξα τῷ.

[d] Idem, καὶ τοῖς λόγοις καὶ τοῖς ἔργοις πάνυ ἀρέσκη. ἔλεγε δὲ οὕτως.

[e] Mss., Λογγιβάρδων, Λογγίβαρδοι.

[f] Uterque Cod., μεμαθήκασιν. (Sic.)

[g] Colb., ἐπ' ἐσχάτου παρέθετο πρ.

[h] Cætera quæ in titulo leguntur, desunt in Cod. Colb.; παραμονάριος autem optime respondet voci Latinæ *Mansionarius*; et à παραμονή derivatur, quod custodiam, vel stationem militarem aut custodiam palatii significat. Mansionarius enim Ecclesiæ dicitur, qui ejus est custos et assiduus in ea ministrat. Infra, l. III, c. 24, indiscriminatim idem Theodorus vocatur modo, φύλαξ, *custos*, modo παραμονάριος, *Mansionarius*. Idem occurrit cap. 25, seq., de Abundio.

[i] Colb., ὡς ἐν τῇ πλησίον.

[j] Reg., ἀπρίν. Colb., αὐτρὴν. Retinemus ἀπτρὴν, quod significat *ellychnium*. Vide Gloss. Gr. Cang. Ἀπὸ τεῦ ἅπτω *accendo* derivatum videtur.

πῦρ ἤψεν· οὕτως δὲ τὸ ὕδωρ ἐν ταῖς κανδήλαις ἤψεν, [a] ὡς ὅτε ἔλαιον ὑπῆρχεν. Κατανοήσας (Sic) οὖν, Πέτρε, ποίας δικαιοσύνης ὁ ἄνθρωπος οὗτος γέγονεν, ὅστις τῇ ἀκάγκῃ τῆς στενώσεως νυττόμενος, τὰν τοῦ στοιχείου φύσιν ἐνήλλαξεν.

ΠΕΤΡ. Ὄντως σφόδρα θαυμαστόν ἐστιν ὅπερ ἀκούω, ἀλλ' ἤθελον γνῶναι ἐν ποίᾳ ταπεινώσει ἔνδον ὑπῆρχεν ὁ τοσαύτῃ ὑψώσει ἔξωθεν διαλάμπων.

**175** ΓΡΗΓΟΡ. Μεταξὺ [b] τῶν δυνάμεων ἐν ποίοις ἡ ψυχὴ διάκειται, καλῶς ἐπιζητεῖς· σφόδρα γὰρ τὸν νοῦν ἔνδον ἐκπλήττουσιν ἐν τῇ δοκιμασίᾳ ἅπερ ἔξωθεν γίνονται θαύματα. Τούτου δὲ τοῦ σεβασμίου Κωνσταντίου ἓν ὅπερ ἐποίησεν ἐὰν ἀκούσῃς, ταχέως μαθήσῃ, ποίας ταπεινώσεως γέγονεν.

ΠΕΤΡ. Ἡνίκα περὶ τοῦ τοιούτου θαύματος διηγήσω, ἔξεστι λοιπὸν, ὅπως με καὶ περὶ τῆς ταπεινώσεως τοῦ νοὸς αὐτοῦ οἰκοδομήσῃς.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐν τῷ σφόδρα τὴν φήμην τῆς ἁγιωσύνης αὐτοῦ [c] πλατυνθῆναι, πολλοὶ ἐκ διαφόρων χωρῶν συνερχόμενοι, τοῦτον θεωρῆσαι ἐπεθύμουν. Ἐν μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ γεωργός τις ἐκ τῶν ἐκ μήκους διακειμένων τόπων πρὸς τὸ θεάσασθαι αὐτὸν παραγέγονεν· κατ' αὐτὴν δὲ τὴν ὥραν συνέβη τὸν ἅγιον τοῦτον ἄνδρα ἐν ξυλίνῳ τετραποδίῳ ἱστάμενον, τὰς κανδήλας σκευάζειν. Πάνυ γὰρ [d] στενὸς ὑπῆρχεν τῇ ἡλικίᾳ, καὶ ἰσχνὸς τῇ τοῦ σώματος κατασκευῇ, καὶ ἀειδὴς τῇ μορφῇ. Ἐπιμελῶς δὲ τοῦ παραγενομένου γεωργοῦ πρὸς τὸ θεάσασθαι αὐτὸν ἐπιζητοῦντος τίς ὁ εὐλαβέστατος ἀνὴρ Κωνστάντιος ὑπάρχει, καὶ ὅπως αὐτῷ ὀφείλῃ ἐπιδειχθῆναι δυσωποῦντος, οἱ τοῦτον σαφῶς ἐπιστάμενοι, τῷ γεωργῷ αὐτὸν ὑπέδειξαν. Καθάπερ δὲ οἱ ἄφρονι λογισμῷ χρώμενοι, καὶ ἐκ τῆς τοῦ σώματος κατασκευῆς τὴν ἀρετὴν ἀνδρὶ ὁρίζονται, τὸν αὐτὸν τρόπον καὶ οὗτος, [e] στενὸν καὶ ἄμορφον τὸν ἅγιον θεασάμενος, οὐδαμῶς [f] ἐπίστευε τοῦτον εἶναι περὶ οὗ ἀκήκοεν. Ἐν δὲ τῷ λογισμῷ αὐτοῦ ἀμφιβολία τις ὑπῆρχεν, ὧν τε περὶ αὐτοῦ ἦν ἀκούσας, καὶ περὶ ὧν ἐθεάσατο· διελογίζετο γὰρ ἐν ἑαυτῷ μὴ δύνασθαι τοιοῦτον [g] στενὸν εἶναι, ὃν ἐν πολλῷ μεγέθει διὰ τῆς φήμης εἶχεν. Ὡς δὲ ἐκ πλείστων ἀκούσας, φανερὸν αὐτῷ γέγονεν, ὅτι αὐτὸς ὑπάρχει περὶ οὗ ἀκήκοεν, ἤρξατο καταγελᾶν, καὶ βδελύττεσθαι αὐτὸν, λέγων· Ἐγὼ μέγαν ἄνθρωπον θεάσασθαι προσεδόκουν, οὗτος δὲ ἀνθρώπου οὐδὲν ἔχει. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Κωνστάντιος τοῦτο ἀκούσας, καταλείψας ἃς ἐπεμελεῖτο κανδήλας, μετὰ σπουδῆς κατῆλθε, καὶ εἰς τὸν τοῦ γεωργοῦ ἀσπασμὸν ἔδραμεν, καὶ μετὰ πολλοῦ πόθου ταῖς ἑαυτοῦ χερσὶ τοῦτον περιλαβών, ἤρξατο αὐτὸν καταφιλεῖν καὶ μεγάλας χάριτας αὐτῷ ὁμολογεῖν, ὅτι περὶ αὐτοῦ οὕτως ἔκρινεν· ἔλεγε γὰρ αὐτῷ, Ὅτι σὺ μόνος τοὺς ὀφθαλμούς σου ἔσχες ἀνεωγμένους εἰς ἐμέ. Ἐκ τούτου οὖν τοῦ πράγματος κατανοῆσαί ἐστι ποίας παρ' ἑαυτῷ ταπεινώσεως ὑπῆρχεν, ὅς τις τὸν βδελυσσόμενον αὐτὸν γεωργὸν περισσοτέρως μᾶλλον ἠγάπησεν· ἑκάστου γὰρ τὴν ἔνδον κεκρυμμένην προαίρεσιν ἡ προσαγομένη ὕβρις δοκιμάζει· καθάπερ γὰρ οἱ ὑπερήφανοι ταῖς τιμαῖς, οὕτως οἱ ταπεινόφρονες ἐπὶ τῇ ἑαυτῶν ἐξουδενώσει ἀγάλλονται· ὅταν δὲ καὶ ἐν τοῖς τῶν ἀλλοτρίων ὀφθαλμοῖς ἐξουδενημένοι ὁρῶνται, πλειόνως χαίρονται, καὶ τὴν ἑαυτῶν κρίσιν στηριχθῆναι πιστεύουσιν, ὅτι ὁποίους ἑαυτοὺς εἶχον, τοιοῦτοι καὶ παρ' ἐκείνων ἐνομίσθησαν.

tre, cujus meriti vir iste fuerit, qui necessitate compulsus, elementi naturam mutavit.

PETR. Mirum est valde quod audio; sed nosse vellem cujus humilitatis apud se esse intus potuit iste, qui tantæ excellentiæ foris fuit.

**176** GREGOR. Inter virtutes animum congrue requiris, quia multum valde est quod tentatione sua intus mentem lacessunt mira quæ foris fiunt. Sed si hujus Constantii venerabilis unum quod fecit audis, cujus humilitatis fuerit, citius agnosces.

PETR. Postquam facti illius tale miraculum dixisti, superest etiam ut me de humilitate mentis eius ædifices.

GREGOR. Quia valde opinio sanctitatis ejus excreverat, multi hunc ex diversis provinciis anxie videre sitiebant. Quadam vero die ex longinquo loco ad videndum eum quidam rusticus venit. Eadem vero hora casu contigerat, ut sanctus vir stans in ligneis gradibus, reficiendis deserviret lampadibus. Erat autem pusillus valde, exili forma atque despecta. Cumque is qui ad videndum eum venerat quisnam esset inquireret, atque obnixe peteret ut sibi debuisset ostendi, hi qui illum noverant monstrarunt quis esset. Sed sicut [h] stultæ mentis homines merita ex qualitate corporis metiuntur, eum parvulum atque despectum videns, ipsum hunc esse cœpit omnino non credere. In mente etenim rustica inter hoc quod audierat et videbat, quasi facta fuerat quædam rixa; et æstimabat tam brevem per visionem esse non posse, quem tam ingentem habuerat per opinionem. Cui ipsum esse dum a pluribus fuisset assertum, despexit et cœpit irridere, dicens : Ego grandem hominem credidi,. iste autem de homine nihil habet. Quod ut vir Dei Constantius audivit, lampades quas reficiebat protinus lætus relinquens, concitus descendit, atque in ejusdem rustici amplexum ruit, eumque ex amore nimio constringere cœpit brachiis, et osculari, magnasque gratias agere quod is de se talia judicasset, dicens : Tu solus in me apertos oculos habuisti. Qua ex re pensandum est cujus apud se humilitatis fuerit, qui despicientem se rusticum amplius amavit. Qualis enim quisque apud se lateat, contumelia illata probat. Nam sicut superbi honoribus, sic plerumque humiles sua despectione [i] gratulantur. Cumque se et in alienis oculis viles aspiciunt, idcirco gaudent, quia hoc judicium confirmari intelligunt, quod de se et ipsi apud semetipsos habuerunt.

[a] Colb., ὡς ὅτι ἔλαιον.
[b] Reg., τῶν σημείων.
[c] Colb., πλατύνεσθαι.
[d] Uterque Cod., σεμνὸς ὑπῆρχεν
[e] Iidem, σεμνὸν καὶ ἄμορφον; error videtur.
[f] Mss., ἐπίστευσεν.
[g] Reg., μικρὸν. Colb., σεμνὸν.
[h] Prat., Big., Lyr., primus Aud., Gemet. et unus Carn., *stultæ mentes hominis*, vel *hominum*.
[i] Aud. et Lyr., *gloriantur*.

PETR. Ut agnosco, vir iste magnus foris fuit in miraculis, sed major intus in humilitate cordis.

ΠΕΤΡ. Ὡς οἶμαι, ὁ ἀνὴρ οὗτος μέγας μὲν γέγονεν ἔξωθεν ἐν θαύμασι, μείζων δὲ ἔνδοθεν ἐν ταπεινοφροσύνῃ.

## CAPUT VI

## ΚΕΦΑΛ. ς'.

[a] *De Marcellino Anconitanæ civitatis episcopo.*

Περὶ Μαρκελλίνου ἐπισκόπου τῆς αὐτῆς πόλεως.

GREGORIUS. Ejusdem quoque Anconitanæ antistes Ecclesiæ vir vitæ venerabilis Marcellinus fuit (*Martyrol.*, 9 *Jan.*), [b] cujus gressum dolore nimio podagra contraxerat, eumque familiares sui sicubi necesse erat in manibus ferebant. Quadam vero die per culpam incuriæ eadem civitas Anconitana **177** succensa est. Cumque vehementer arderet, concurrerunt omnes ut ignem exstinguerent. Sed illis aquam certatim projicientibus, ita crescebat flamma, ut jam totius urbis interitum minari videretur. Cumque propinquiora sibi quæque loca ignis invaderet, jamque urbis partem non modicam consumpsisset, et obsistere nullus valeret, deductus in manibus venit episcopus, et tanta periculi necessitate compulsus, familiaribus suis se portantibus præcepit, dicens: [c] Contra ignem me ponite. Quod ita factum est, atque in eo loco est positus, ubi tota vis flammæ videbatur incumbere. Cœpit autem miro modo in semetipsum incendium retorqueri, ac si reflexione sui impetus exclamaret se episcopum transire non posse. Sicque factum est ut flamma incendii illo termino refrenata, in semetipsa refrigesceret, et contingere ulterius quidquam ædificii non auderet. Perpendis, Petre, cujus sanctitatis fuerit ægrum hominem sedere, et exorando flammas premere?

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐν τῇ αὐτῇ τοίνυν τῆς Ἀγκώνων πόλεως ἐκκλησίᾳ ἐπίσκοπος γέγονεν ἀνὴρ πάνυ τῇ πολιτείᾳ εὐλαβέστατος, Μαρκελλῖνος τοὔνομα, οὗτινος τὴν τῶν ποδῶν βάσιν ἡ τῆς ποδαλγίας νόσος συνέσπασεν, ὥστε κινηθῆναι αὐτὸν μὴ δύνασθαι· ἀλλ' ὅπου χρεία ἦν αὐτὸν ἀπελθεῖν, ἐν ταῖς χερσὶν τῶν οἰκείων αὐτοῦ ὑπουργῶν τοῦτον βαστάζεσθαι. Ἐν [n] μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ διὰ πταίσματός τινος ἀμέλειαν ἡ αὐτὴ πόλις **178** Ἀγκὼν ἐνεπυρίσθη. Τοῦ δὲ πυρὸς σφοδρῶς τὴν πόλιν κατανεμομένου, συνέδραμον ἅπαντες, εἴπως κατασβέσαι αὐτὸ δυνηθῶσι. Πρὸς ὃ δὲ τῷ πυρὶ ὕδωρ ἐπέχυνον, πλειοτέρως ἡ φλὸξ ὑπερηύξανεν, ὥστε λοιπὸν παντελῆ ἀπώλειαν τῇ αὐτῇ πόλει ἀπειληθῆναι. Ἐν ὅσῳ δὲ διαφόρους τόπους τὸ πῦρ κατέφλεξεν, καὶ οὐ μικρὸν μέρος λοιπὸν τῆς πόλεως κατενεμήσατο, μηδενὸς ὑποστῆναι δυναμένου, ὁ ἐπίσκοπος χερσὶ βασταζόμενος κατέλαβε, καὶ τῇ ὀδύνῃ τῆς τοῦ πυρὸς ἀνάγκης νυττόμενος, τοῖς αὐτὸν βαστάζουσιν ἐκέλευσε, λέγων· Κατέναντι τοῦ πυρὸς ἐμὲ θήσατε, ὅπερ λοιπὸν καὶ γέγονεν καὶ ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ ἐτέθη, ἐν ᾧ πᾶσα ἡ τῆς φλογὸς δύναμις ἐπιβληθεῖσα ἐφαίνετο. Ἤρξατο δὲ θαυμαστῷ τρόπῳ τὸ πῦρ πρὸς ἑαυτὸ ὑποστρέφειν, ὥστε φωνῆς δίκην κεκραγέναι τῇ τῆς ὑποστροφῆς αὐτοῦ δυναστείᾳ, μὴ δύνασθαι τὸν ἐπίσκοπον παρελθεῖν. Οὕτω τοίνυν γέγονεν, ὥστε τὴν τοῦ ἐμπυρισμοῦ φλόγα χαλιναγωγηθεῖσαν, ἐν αὐτῷ τῷ ὁροθεσίῳ ψυχρὰν θεῖναι, καὶ τοῦ λοιποῦ μὴ ἅψασθαί τινος τῶν κτισμάτων. Κατανοεῖς, Πετρέ, ποίας ἁγιωσύνης ὑπῆρχεν οὗτος ὁ ἄνθρωπος, ὅτι ἀσθενὴς ὢν, καὶ καθεζόμενος, δι' εὐχῆς τὴν φλόγα κατέπαυσεν;

PETR. Et perpendo et obstupesco.

ΠΕΤΡ. Κατανοῶ, καὶ λίαν ἐκπλήττομαι.

## CAPUT. VII.

## ΚΕΦΑΛ. Ζ'.

*De Nonnoso præposito monasterii in monte* [d] *Soractis.*

Περὶ Νοννώσου οευτεραρίου μονῆς τῆς εἰς τὸ Σεραφθὴν ὄρος.

GREGORIUS. de vicino nunc loco tibi aliquid narrando, quod et viri venerabilis [e] Maximiani episcopi, et Laurionis, quem nosti veterani monachi, qui uterque nuncusque superest, relatione cognovi; qui scilicet Laurio in illo monasterio quod juxta Nepesinam urbem [f] Suppentonia vocatur, ab Anastasio viro sanctissimo nutritus est. Qui nimirum Anastasius, vitæ venerabilis viro [g] Nonnoso præposito monasterii, quod in Soractis monte situm est, et propinquitate loci et morum magnitudine, et virtutum studiis assidue jungebatur (*Martyrol.*, 2 *Sept.*). Idem vero Nonnosus sub asperrimo sui monasterii degebat Patre:

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Περὶ πλησιάζοντος τόπου νῦν σοί τι διηγήσομαι, ὅπερ παρὰ ἀνδρῶν εὐλαβῶν ἀφηγουμένων μεμάθηκα, Μαξιμιανοῦ λέγω δή τοῦ ἐπισκόπου καὶ Λαυρίονος γέροντος μοναχοῦ, ὅνπερ καὶ σὺ ἔγνως, οἵτινες καὶ μέχρι τοῦ νῦν περίεισιν. Ὅς τις Λαυρίων ἐν τῷ μοναστηρίῳ τῷ διακειμένῳ πλησίον τῆς [i] Νεπεσίας πόλεως, ὅπερ Ὑπόκρημνον καλεῖται, παρὰ Ἀναστασίου ἀνδρὸς ἁγιωτάτου ἀνετράφη. Ὁ οὖν αὐτὸς Ἀναστάσιος, λίαν ὑπάρχων τῇ πολιτείᾳ σεβάσμιος, πάνυ προσέκειτο Νοννώσῳ τῷ δευτεραρίῳ τῆς μονῆς, τῆς ἐν τῷ Σεραφθὴν ὄρει διακειμένης, καὶ διὰ τὴν τοῦ τόπου πλησιότητα, καὶ διὰ τὴν τῶν ἠθῶν μεγίστην κοσμιότητα. Ὁ δὲ αὐτὸς Νοννῶσος

Nunc sancti Sylvestri, qui in eo latitasse fertur, nomine insignitur hic mons. Nomen tamen, sancti Gregorii ævo nondum mutaverat: quod facile probat tunc nondum disseminatam de sancti Sylvestri latebris, de meditato ad Constantini curationem infanticidio, ejusdemque imperatoris baptismo Romæ celebrato, historiam.

[a] Titulus in Gemet. est: *Quomodo Marcellinus episcopus positus est contra ignem, et exstinctus est.* Ubique argumenta prolixiora exhibet hic Codex.

[b] Gemet., *cujus gressum nimius dolor contraxerat.*

[c] Hoc exemplum refert Vener. Beda in Vita sancti Cuthberti, c. 14.

[d] Mons hic Poetis olim decantatus. Virgilius recensens populos qui contra Æneam in prælium descenderunt, de hujus montis accolis canit, Æneid. l. VII:

Hi Soractis habent arces.

Et Horatius, l. I Carm., ode 9:

Vides ut alta stet nive candidum
Soracte.

[e] Syracusani, de quo sæpe in epistolis.

[f] *Vide, cap. seq., notam* a *et* b (*col.* 185, *not.* b et c).

[g] Nonnosi meminit sanctus Gregorius, lib. olim. II, ind. 11, epist. 50, nunc l. III, epist. 51.

[h] Reg., μιᾷ δὲ τῶν ἡμερῶν.

[i] Reg., Νεμεσίας. Colb., Νεσπεσίας.

ὑπὸ σκληρότατον πατέρα τὸν τῆς μονῆς αὐτοῦ διῆγεν· ἀλλὰ τὴν σκληρότητα τῶν τούτου ἠθῶν, θαυμασίως πάντοτε τῇ μακροθυμίᾳ ὑπέφερεν. Καὶ οὕτω τοῖς ἀδελφοῖς ἐν πραότητι προΐστατο, ὥστε τὸν τοῦ πατρὸς θυμὸν, διὰ τῆς ἑαυτοῦ ταπεινοφροσύνης πάντοτε κατεπράϋνε. Τὸ δὲ αὐτὸ μοναστήριον ἐν τῇ ἀκροτάτῃ τοῦ ὄρους κορυφῇ διακείμενον ὑπάρχει· ὅθεν πρὸς τὸ ποιῆσαι τοῖς ἀδελφοῖς μικρὸν κηπάριον οὐδεμία ἰσότης ἐν τῷ τόπῳ ἐφαίνετο. Ἐν δὲ τῷ τοῦ ὄρους πλαγίῳ [a] στενὸς τόπος ὑπῆρχεν, ὃν ἐπεκράτει λίθου παμμεγέθους ἀπόκλασμα. Ἐν μιᾷ δὲ ἡμέρᾳ ὁ εὐλαβέστατος ἀνὴρ Νοννῶσος ἐν ἑαυτῷ διελογίζετο ἐπιτήδειον τὸν τόπον ὑπάρχειν πρὸς κήπου ποίησιν, ἐὰν μὴ ὁ λίθος αὐτὸν ἐπεκράτει. Τοῦτον δὲ μετακινῆσαι πεντήκοντα [ζεύγη βοῶν οὐκ ἠδύναντο· ὅθεν λοιπὸν οὐκ ἦν ἐλπὶς [b] δι' ἀνθρωπίνου καμάτου τοῦτο γενέσθαι. Ἀρίστην δὲ βουλὴν βουλευσάμενος, ἐπὶ τὴν θείκὴν καταφεύγει βοήθειαν, καὶ ἐν ἐκείνῳ τῷ τόπῳ εἰς εὐχὴν ἑαυτὸν δέδωκεν ἐν τῇ νυκτερινῇ ἡσυχίᾳ. Πρωΐας δὲ γενομένης ἐν αὐτῷ τῷ τόπῳ οἱ ἀδελφοὶ παρεγένοντο, καὶ ἰδοὺ τὸ μέγεθος τοῦ τοιούτου λίθου εὖρον [c] μακρόθεν ἐξ ἐκείνου τοῦ τόπου **179** ὑποχωρῆσαν, καὶ τῇ αὐτοῦ ὑποχωρήσει πλατυσμὸν γενέσθαι πρὸς κήπου ποίησιν τοῖς ἀδελφοῖς.

Ἐν ἄλλῳ τοίνυν καιρῷ, ἐν ὅσῳ ὁ αὐτὸς σεβάσμιος ἀνὴρ κανδήλας ἐν τῷ εὐκτηρίῳ ἔπλυνεν, μία ἐκ τῶν αὐτοῦ χειρῶν εἰς τὴν γῆν πεσοῦσα συνετρίβη, ὥστε εἰς πλεῖστα κλάσματα γενέσθαι αὐτήν. Τὴν δὲ τοῦ πατρὸς σφοδροτάτην ὀργὴν φόβουμενος, ἅπαντα τὰ τῆς κανδήλης κλάσματα συναγαγὼν, ἐνώπιον τοῦ θυσιαστηρίου ἔθηκεν, ἑαυτὸν δὲ εἰς εὐχὴν δέδωκε. Πληρώσαντος δὲ αὐτοῦ τὴν εὐχὴν, καὶ ἀναστάντος, ὑγιῆ τὴν κανδήλαν εὗρεν, ἧς τὰ κλάσματα φοβούμενος ἦν συναγαγών. Ὁ σεβάσμιος οὖν οὗτος ἀνὴρ ἐν τοῖς δυσὶ τούτοις θαύμασι, δύο πατέρων τὴν δύναμιν ἐν τῇ ἐπιδείξει τῶν σημείων ἐμιμήσατο· ἐν τῇ μεταθέσει τοῦ λίθου, Γρηγορίου τοῦ λόγῳ τὸν λίθον μετακινήσαντος· ἐν δὲ τῆς κανδήλης [d] ἀνακτίσει, τὴν τοῦ Δονάτου δύναμιν, ἥτις τὸ κεκλασμένον ποτήριον ἐν τῇ πρώτῃ ὑγιότητι ἀπεκατέστησεν.

ΠΕΤΡ. Καθὼς θεωρῶ, ἔχομεν ὅμοια τῶν παλαιῶν νέα θαύματα.

ΓΡΗΓ. Θέλεις ἐν τῇ τοῦ Νοννώσου ἐργασίᾳ ὅμοιόν τι τῶν τοῦ Ἐλισσαίου [e] γνωρίσαι;

ΠΕΤΡ. Θέλω καὶ πάνυ ἐπιθυμῶ.

ΓΡΗΓ. Ἐλαίου ποτὲ ἐν τῷ μοναστηρίῳ λεῖψις γέγονεν, ἦν δὲ λοιπὸν ὁ καιρὸς τοῦ σωρεῦσαι ἐκ τῶν δένδρων τὰς ἐλαίας, ἀλλ' οὐδαμῶς καρπὸς ἐν τοῖς τοῦ μοναστηρίου δένδροις ἐφαίνετο. [f] Βουλῆς οὖν ὁ πατὴρ τῆς μονῆς γέγονεν, ὅπως οἱ ἀδελφοὶ πέριξ πρὸς τοὺς ἔχοντας ἐλαίας ἐπὶ τῷ συνάξαι ἀπέλθωσιν, [g] ὅπως ἐκ τοῦ μισθοῦ τῆς ἐργασίας αὐτῶν δυνηθῶσιν ὀλίγον ἔλαιον ἐν τῇ μονῇ ἐνέγκαι. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Νοννῶσος, μετὰ πολλῆς ταπει-

A sed ejus mores mira semper æquanimitate tolerabat. Sicque fratribus præerat in mansuetudine, sicut crebro Patris iracundiam ex humilitate mitigabat. Quia vero ejus monasterium in summo montis cacumine situm est, ad quemlibet parvum hortum fratribus excolendum nulla patebat planities : unus autem brevissimus locus in latere montis excreverat, quem ingentis saxi naturaliter egrediens moles occupabat. Quadam die dum Nonnosus vir venerabilis cogitaret, quod saltem ad condimenta olerum nutrienda locus idem aptus potuisset existere, si hunc moles saxi illius non teneret, occurrit animo, quod eamdem molem [h] quinquaginta boum paria movere non possent. Cumque de humano labore facta esset desperatio, ad divinum se solatium contulit, seque illic nocturno
B silentio in orationem dedit. Cumque mane facto ad eumdem locum fratres venirent, invenerunt molem tantæ magnitudinis **180** ab eodem loco longius recessisse, suoque secessu largum fratribus spatium [i] dedisse.

Alio quoque tempore cum idem vir venerabilis lampades vitreas in oratorio lavaret, una ex ejus manibus cecidit, quæ per innumeras partes fracta dissiluit : [j] qui vehementissimum Patris monasterii furorem timens, lampadis protinus omnia fragmenta collegit, atque ante altare posuit, seque cum gravi gemitu in orationem dedit. Cumque ab oratione ca-
C put levasset, sanam lampadem reperit, quam timens per fragmenta collegerat. Sicque in duobus miraculis duorum Patrum virtutes imitatus est : in mole scilicet saxi, factum [k] Gregorii qui montem movit ; in reparatione vero lampadis, virtutem [l] Donati, qui fractum calicem pristinæ incolumitati restituit.

PETR. Habemus, ut video, de exemplis veteribus nova miracula.

GREGOR. Visne aliquid in operatione Nonnosi de imitatione quoque Elisæi cognoscere?

PETR. Volo, atque inhianter cupio.

GREGOR. Dum quadam die in monasterio vetus oleum deesset, jamque colligendæ olivæ tempus in-
D cumberet, sed fructus in oleis nullus appareret, visum Patri monasterii fuerat ut circumquaque fratres in colligendis olivis ad exhibenda extraneis opera pergerent, quatenus ex mercede sui operis aliquantulum monasterio oleum deportarent. Quod vir Domini Nonnosus fieri cum magna humilitate prohibuit, ne ex-

[a] Colb. habet adhuc σεμνός, pro στενός ; Reg., μικρός.
[b] Reg., δι' ἀνθρωπίνων χειρῶν.
[c] Colb., μηκόθεν ; et paulo post πλατυσμὸν γεγονότα πρός.
[d] Uterque Cod. Reg., sc. et Colb., ἀνακτησει.
[e] Colb., νοῆσαι.
[f] Mss., βουλὴ δὴ (vel οὖν) τῷ πατρί.
[g] Reg., ἅπως.
[h] In Ed. ante Guss., *quingenta* ; corrigitur hic error ex Mss. tam. Angl. quam Gall., et ex Græca vers.
[i] In Editis contra Mss. fidem additur, *ad excolendum hortum.*
[j] Germ., Compend. et unus Theod., *qui vehementissime.*
[k] Cognomento Thaumaturgi, Neocæs. in Ponto episc., in cujus Vita a sancto Gregorio Nyss. conscripta legitur hoc miraculum.
[l] Qui Aretii in Etruria fuit episcopus et pro martyre colitur die 7 Aug.

eunles fratres ex monasterio dum lucra olei quærerent, animarum damna paterentur. Sed quia in monasterii arboribus olivæ paucæ inesse videbantur, eas coiligi præcepit, et in prælo mitti, et quamlibet [a] parum olei exire potuisset, sibimet deferri. Factumque est, et susceptum in parvo vasculo oleum fratres Nonnoso Dei famulo detulerunt : quod ipse protinus ante altare posuit, cunctisque egredientibus oravit, atque accersitis postmodum fratribus præcepit, ut hoc quod detulerant oleum levarent, et per cuncta vasa monasterii exigue fundendo dividerent, quatenus benedictione ejusdem olei omnia infusa viderentur : quæ protinus ut erant vacua claudi fecit. Die vero altera aperta omnia plena reperta sunt.

A νοφροσύνης τοῦτο γενέσθαι ἐκώλυσε, μήπως τῶν ἀδελφῶν τῆς μονῆς ἐξερχομένων, ἐν ὅσῳ κέρδη ἐλαίου ζητοῦσι, ψυχικὴν ζημίαν ὑπομείνωσι. Μᾶλλον δὲ ἐν τοῖς τοῦ μοναστηρίου δένδροις τούτους ἀπελθεῖν ἐκέλευσεν, ὀλίγαι γὰρ ἐλαίαι ἐν αὐτοῖς ἐθεωροῦντο, καὶ αὐτὰς σωρευθῆναι καὶ ἐν τῷ ἐλαιοτριβείῳ βληθῆναι προσέταξεν, [e] καὶ εἴ τι ὀλίγον ἔλαιον ἐξελθεῖν δυνήσηται, ὅπως αὐτῷ προσαγάγωσι. Γέγονε τοίνυν καὶ ἐν [f] στενωτάτῳ ἀγγείῳ τὸ ἔλαιον οἱ ἀδελφοὶ δεξάμενοι, Νοννώσῳ τῷ τοῦ Θεοῦ δούλῳ [g] ἀπήγαγον. Ὅπερ αὐτὸς δεξάμενος ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου τέθεικε· καὶ πάντων ἐξελθόντων, μόνος ἔνδον τῆς ἐκκλησίας ἀπέμεινεν, καὶ ἑαυτὸν εἰς εὐχὴν δέδωκε. Μετὰ δὲ τοῦτο φωνήσας τοὺς ἀδελφούς, ἐκέλευσεν ἵνα ὅπερ αὐτῷ προσήγαγον ἔλαιον ἐπάρωσι, καὶ εἰς ὅλα τὰ τοῦ μοναστηρίου ἀγγεῖα κατ' ὀλίγον ἐκχέοντες διαμερίσωσιν, ὅπως ἐκ τῆς τοῦ ἐλαίου εὐλογίας ἅπαντα πιανθῶσι, καὶ ταῦτα σάβουρα ὄντα παρευθὺ κλεισθῆναι πεποίηκεν. Ἐν δὲ ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἀνοιχθέντα, ἅπαντα γέμοντα εὑρέθησαν.

Petr. Probamus quotidie impleri verba Veritatis, B quæ ait : *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 27).

ΠΕΤΡ. Πιστεύομεν καθ' ἡμέραν πληροῦσθαι τοῦ ἀληθινοῦ Θεοῦ καὶ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τὰ ῥήματα, ἅπερ προεῖρηκεν· Ὁ πατήρ μου ἕως ἄρτι ἐργάζεται, κἀγὼ ἐργάζομαι.

## CAPUT VIII.

*De Anastasio abbate monasterii, quod [b] Suppentonia vocatur.*

Gregorius. Eodem quoque tempore venerandus vir Anastasius, cujus superius memoriam feci (*Cap.* 7), sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, notarius fuit (*Martyrol.*, 11 *Jan.*). Qui soli **181** Deo vacare desiderans, scrinium deseruit, monasterium elegit, atque in eo loco [c] quem præfatus sum, qui Suppentonia vocatur, per annos multos in sanctis actibus vitam duxit, eique monasterio solerti custodia præfuit. Quo videlicet in loco ingens desuper rupes eminet, et profundum subter [d] præcipitium patet. Quadam vero nocte cum jam omnipotens Deus ejusdem venerabilis viri Anastasii labores remunerare decrevisset, ab alta rupe vox facta est, quæ producto sonitu clamaret, dicens : Anastasi, veni. Quo vocato alii quoque septem fratres vocati sunt ex nomine. Parvo autem momento ea quæ fuerat emissa vox siluit, et octavum fratrem vocavit. Quas dum aperte voces congregatio audisset, dubium non fuit quin eorum qui vocati fuerant obitus appropinquasset. Intra paucos igitur dies primus venerandus vir Anastasius, cæteri autem in eo ordine ex carne educti sunt, quo de rupis vertice fuerant vocati. Frater vero ille ad quem vocandum vox parum siluit, atque eum ita nominavit, morientibus aliis, paucis diebus vixit, et tunc vitam finivit; ut aperte monstraretur quia interjectum vocis silentium parvum vivendi spatium signaverit. Sed mira res contigit, quia venerabilis vir Anastasius dum de corpore exiret, erat quidam frater in

ΚΕΦΑΛ. Η'.

Περὶ Ἀναστασίου ἡγουμένου μονῆς τῆς Ὑπόκρημνον ὀνομαζομένης.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐν αὐτῷ τοίνυν τῷ χρόνῳ ὁ σεβάσμιος ἀνὴρ Ἀναστάσιος, οὗτινος ἀνωτέρῳ μνείαν ἐποιησάμην, [h] νωτάριος ὑπῆρχε ταύτης τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ἣ Θεοῦ χάριτι νυνὶ δουλεύω ἐγώ. Ὅς τις **182** Θεῷ μόνῳ ἐν ἡσυχίᾳ δουλεῦσαι ἐπιθυμῶν, τὸ σκρίνιον καταλείψας, τὸν μονήρη βίον ἐξελέξατο, καὶ ἐν τῇ προμνημονευθείσῃ μονῇ, ἥ τις Ὑπόκρημνον καλεῖται ἀποταξάμενος, ἐπὶ πολλοὺς χρόνους διαρκέσας, ἐν ἁγίᾳ ἀναστροφῇ τὴν ζωὴν παρήγαγε· τῆς δὲ αὐτῆς μονῆς ἀγρύπνῳ φυλακῇ καὶ τὴν ἡγεμονίαν ἐπὶ ἔτη ἱκανὰ ἐνεχειρίσθη. Ἐν αὐτῷ οὖν τῷ τόπῳ παμμεγέθης λίθος ἄνωθεν ὑπέρκειται, καὶ βαθύτατος κρημνὸς κάτωθεν θεωρεῖται. Ὅτε δὲ λοιπὸν ὁ παντοδύναμος Θεὸς τοῦ αὐτοῦ σεβασμίου ἀνδρὸς Ἀναστασίου τοῖς κόποις ἄνεσιν παρασχεῖν ἐκέλευσεν, ἐν μιᾷ νυκτὶ ἐκ τοῦ ὕψους τοῦ λίθου φωνὴ γέγονεν μετὰ ἤχου λέγουσα· Ἀναστάσιε, δεῦρο. Αὐτοῦ δὲ κληθέντος, ἕτεροι ἑπτὰ ἀδελφοὶ ἐξ ὀνόματος ἐκλήθησαν. Μικρὸν δὲ τῆς γενομένης φωνῆς σιωπησάσης, καὶ τὸν ὄγδοον ἀδελφὸν ἐκάλεσε. Πᾶσα οὖν ἡ [i] συνοδεία φανερῶς τῆς φωνῆς ἐκείνης ἀκούσασα, ἐν πληροφορίᾳ γέγονεν, ὅτι τῶν κεκλημένων ὁ θάνατος ἐπλησίασε. Μεταξὺ οὖν ὀλίγων ἡμερῶν πρῶτος ὁ εὐλαβέστατος ἀνὴρ Ἀναστάσιος, καὶ οἱ λοιποὶ κατ' ὄρδινον τῶν δεσμῶν τοῦ σώματος ἀπολυθέντες, πρὸς κύριον ἐξεδήμησαν, ὃν τρόπον ἐκ τῆς κορυφῆς [j] τοῦ λίθου ἐκλήθησαν. Ὁ δὲ ἀδελφὸς ἐκεῖνος, ὃν ἡσυχάσασα ἡ φωνὴ μετ' ὀλίγον ἐκάλεσε, τελευτησάντων τῶν ἄλλων ζήσας ὀλίγας ἡμέρας, καὶ αὐτὸς λοιπὸν ἐν κυρίῳ ἐτελειώθη, ὥστε δειχθῆναι, ὅτι τὸ διά-

[a] Germ., *parum oleum*. Norm., *parvum oleum*.
[b] Nunc castellum sancti Eliæ.
[c] In Ed. *quem præfatus sum Suppentoniam vocari*.
[d] Propter hoc præcipitium locus hic Ὑπόκρημνον Græce vocatur. Fortasse etiam Suppentonia dicitur, quod superpendeat, et quasi pensilis immineat.
[e] Reg., ἴσως ὀλίγον ἔλαιον.
[f] Colb., σεμνοτάτῳ ἀγγείῳ. Reg., μικροτάτῳ. Sæpe Zacharias utitur voce σεμνός, ad significandum *parvum, exiguum*, ut infra videbimus, c. 9, σεμνοῦ παιδαρίου. Et paulo post, σεμνοτάτῳ ἀγγείῳ. Plurima deinceps exempla vocis hujus hoc sensu usurpatæ recurrent.
[g] Reg., ἀπήγαγον. (Sic.)
[h] Uterque, νοτάριος.
[i] Mss., συνοδία, et quidem melius; neque tamen aliquid mutare præsumpsimus, quia quemadmodum dicitur ἐξοδία et ἐξοδεία exitus, ita dici posse videtur συνοδία et συνοδεία conventus.
[j] Colb., τοῦ ὄρους.

στημα τῆς σιγῆς τοῦ καλοῦντος, μικρὰν ἀναμονὴν αὐτῷ τοῦ ζῆν [a] προεσήμαινεν. Θαυμαστὸν δὲ πρᾶγμα μετὰ τοῦτο συνέβη· τοῦ γὰρ σεβασμίου ἀνδρὸς Ἀναστασίου ἐκ τοῦ παρόντος βίου μεταστάντος, ἀδελφός τις ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπῆρχεν, ὃς τις ἐπάνω αὐτοῦ ζῆσαι οὐκ ἤθελεν. Τοῖς δὲ ποσὶν αὐτοῦ προσκυλινδούμενος, μετὰ δακρύων ἱκέτευεν αὐτόν, λέγων· Οὕτως ἔχοι σε πρὸς ὃν ἀπέρχῃ, μὴ ἐάσῃς με ἐπάνω σου ἑπτὰ ἡμέρας ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ ποιῆσαι. Πρὸ οὖν τῆς ἑβδόμης ἡμέρας καὶ αὐτὸς λοιπὸν ἐτελεύτησεν, ὥστις οὐκ ἦν ἐν ἐκείνῃ τῇ νυκτὶ μετὰ τῶν ἄλλων κεκλημένος. Φανερὸν [b] οὖν ὑπάρχει, ὅτι τὴν τούτου μετάστασιν μόνη ἡ τοῦ εὐλαβεστάτου Ἀναστασίου προσευχὴ ὑπακουσθεῖσα ἠδυνήθη ποιῆσαι.

A monasterio qui super eum vivere nolebat : provolutus vero ejus pedibus cœpit cum lacrymis ab eo postulare, dicens : Per illum ad quem vadis, te adjuro, ne septem dies super te in hoc mundo i faciam; ante cujus septimum diem etiam ipse defunctus est, qui tamen in illa nocte inter cæteros non fuerat vocatus, ut aperte claresceret, quia ejus obitum sola venerabilis Anastasii intercessio obtinere potuisset.

ΠΕΤΡ. Ἤνίκα ὁ ἀδελφὸς οὗτος κεκλημένος μεταξὺ τῶν ἄλλων οὐκ ἦν, ἀλλὰ ταῖς εὐχαῖς τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς ἐκ τοῦ κόσμου τούτου μετέστη, τί ἕτερον δίδοται νοεῖν, εἰ μὴ ὅτι οἱ παρὰ τῷ κυρίῳ τέλειοι ὄντες, δικαίως ὑπακουσθῆναι πολλάκις [c] δύνανται, καὶ εἰς αὐτὰ ἅπερ προωρισμένα οὐχ ὑπάρχουσιν.

PETR. Cum idem frater et vocatus inter cæteros non est, et tamen sancti viri intercessionibus ex hac luce subtractus est, quid aliud datur intelligi, nisi quod hi qui apud Dominum magni sunt meriti, obtinere aliquando possunt ea etiam quæ non sunt prædestinata?

ΓΡΗΓΟΡ. Ὑπακουσθῆναι οὐδαμῶς δύνανται ἐν τοῖς μὴ ὑπάρχουσι προωρισμένοις, ἅπερ δὲ εὐχόμενοι οἱ ἅγιοι ἄνδρες ποιοῦσιν, ἤδη λοιπὸν προωρισμένα εἰσίν, ὅπως διὰ προσευχῆς τούτων ἐπιτεύξωνται. Καὶ αὐτὴ γὰρ ἡ τῆς αἰωνίου βασιλείας κληρονομία παρὰ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ τοῖς ἐκλεκτοῖς [d] προορισθεῖσα ὑπάρχει, διὰ δὲ καμάτου πολλοῦ καὶ δεήσεως λαμβάνειν αὐτοὺς [e] ηὐδόκησεν, ἅπερ πρὸ τῶν αἰώνων δωρήσασθαι προώρισεν.

GREGOR. [k] Obtineri nequaquam possunt quæ prædestinata non fuerint (*Gratian., caus.* 23, *q.* 4, *c.* 21, *Obtineri*) ; sed ea quæ sancti viri orando efficiunt, ita prædestinata sunt, ut precibus obtineantur. Nam ipsa quoque perennis regni prædestinatio ita est ab omnipotenti Deo disposita, ut ad hoc electi ex labore perveniant, quatenus postulando mereantur accipere quod eis omnipotens Deus ante sæcula disposuit donare.

ΠΕΤΡ. Ἤθελον τηλαυγῶς μοι δειχθῆναι, ἐὰν δύνηται ἡ προόρισις τῇ εὐχῇ συνεργῆσαι.

PETR. Probari mihi apertius velim, si potest prædestinatio precibus juvari.

ΓΡΗΓΟΡ. Τοῦτο, Πέτρε, ὅπερ ἐγὼ προεθέμην, συντόμως [f] δύναται ἐπιγνῶναι. Καθὼς οὖν ἐπίστασαι, τῷ Ἀβραὰμ ὁ Θεὸς εἶπεν· Ἐν Ἰσαὰκ κληθήσεταί σοι σπέρμα. Καὶ πάλιν· Πατέρα πολλῶν ἐθνῶν τέθεικά σε. Καὶ πάλιν ὑπέσχετο αὐτῷ, λέγων· Εὐλογῶν εὐλογήσω σε, καὶ πληθύνων πληθυνῶ τὸ σπέρμα σου ὡς τὰ ἄστρα τοῦ οὐρανοῦ, καὶ ὡς τὴν ἄμμον τὴν παρὰ τὸ χεῖλος τῆς θαλάσσης. Ὅθεν λοιπὸν φανερὸν καθέστηκεν, ὅτι ὁ παντοδύναμος Θεὸς, διὰ τοῦ Ἰσαὰκ πληθῦναι τὸ σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ **183** προώρισε. [g] Γέγραπται δὲ, ὅτι Ἰσαὰκ ἠτήσατο τὸν κύριον περὶ τῆς γυναικὸς αὐτοῦ, διὰ τὸ εἶναι αὐτὴν στεῖραν, καὶ εἰσήκουσεν αὐτοῦ, καὶ ἔδωκεν αὐτῇ σύλληψιν τῇ Ῥεβέκκᾳ. Ἐὰν οὖν τὸ σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ διὰ τοῦ Ἰσαὰκ πληθῦναι προώρισε, διατί σύζυγον στεῖραν ἔλαβεν. Ἐντεῦθεν οὖν [h] φανερὸν ὑπάρχει, ὅτι ἡ προόρισις ταῖς εὐχαῖς πληροῦται, ἐν τῷ δι' εὐχῆς ὑπακουσθῆναι τὸν Ἰσαὰκ τεκνοποιῆσαι, ἐν ᾧ ὁ Θεὸς πληθῦναι τὸ [i] σπέρμα τοῦ Ἀβραὰμ ἣν προορίσας.

Tunc idem miles equum suum, quem celerrimo miraculi imperio a sua vesania vidit immutatum, eidem sancto viro decrevit offerendum. Quem cum suscipere ille renueret, ipse vero in precibus, ne despiceretur ejus oblatio, perseveraret, sanctus vir mediam duarum partium viam tenens, et petitionem militis audivit, et munus recipere pro exhibita virtute recusavit; prius namque dignum pretium præbuit, et postea equum qui sibi offerebatur accepit. Quia enim si non susciperet, eum contristari conspexerat, charitate cogente emit quod necessarium non habebat.

A ἐπὶ τὴν τοῦ ἵππου κεφαλὴν τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ ποιήσας, πᾶσαν αὐτοῦ τὴν λύσσαν εἰς πραότητα μετέβαλεν· ὥστε πραότερον αὐτὸν μᾶλλον ἔκτοτε γενέσθαι ὑπὲρ τὸ πρότερον, πρὶν ἢ τὴν λύσσαν ἐκείνην σχῇ. Τότε ὁ στρατιώτης ἐκεῖνος τὸν ἑαυτοῦ ἵππον, ὅνπερ θαυμασίᾳ κελεύσει συντόμως ἐκ τῆς λύσσης ἰαθέντα ἐθεάσατο, τῷ ἁγίῳ τούτῳ ἀνδρὶ προσενέγκαι ἔκρινε. [c] Μὴ βουλομένου δὲ τὸν ἵππον τοῦ ἐπισκόπου δέξασθαι, αὐτὸς ἀπέμενεν ἱκετεύων μὴ παροικτρωθῆναι τὴν αὐτοῦ προσφοράν. Ὁ δὲ ἅγιος ἀνὴρ οὗτος, μέσην ὁδὸν κρατήσας, καὶ τὴν τοῦ στρατιώτου αἴτησιν ἐπλήρωσε, καὶ τὸ δῶρον δέξασθαι διὰ τὸ γενόμενον θαῦμα οὐκ ἠθέλησε. Πρότερον οὖν δικαίαν [d] τιμὴν δεδωκὼς, τότε τὸν ἵππον τὸν προσενεχθέντα αὐτῷ ἐδέξατο. Εἰ μὴ γὰρ τοῦτον λαβεῖν κατεδέξατο, πάνυ ὁ στρατιώτης θλιβῆναι ἤμελλεν. Τῆς οὖν ἀγάπης ἀναγκαζούσης, ἠγόρασεν, οὗπερ χρείαν οὐκ εἶχεν.

Neque hoc silere de hujus viri virtutibus debeo, quod ante dies fere duodecim agnovi. Quidam namque ad me deductus est senex pauper; atque ut mihi senum collocutio esse semper amabilis solet, studiose hunc unde esset inquisivi, qui se esse de Tudertina civitate respondit. Cui inquam : Quæso te, Pater, num Fortunatum episcopum nosti? Qui ait : Novi, et bene novi. Tunc ipse subjunxi : Dic, rogo, si qua illius miracula nosti, et desideranti mihi qualis vir fuerit innotesce. Qui ait : Homo ille longe fuit ab istis hominibus quos videmus modo. Nam quidquid ab omnipotenti Deo petiit, ita dum peteret impetravit. Cujus hoc unum narro miraculum, quod ad præsens animo occurrit. Quadam namque die Gothi juxta Tudertinam civitatem venerunt, qui ad partes Ravennæ properabant, et duos parvos puerulos de possessione abstulerant, quæ possessio præfatæ Tudertinæ civitati subjacebat. Hoc cum viro sanctissimo Fortunato nuntiatum fuisset, protinus misit, atque eosdem Gothos ad se evocari fecit. Quos blando sermone alloquens, eorum prius studuit asperitatem placare, ac post intulit, dicens : Quale vultis pretium dabo, et puerulos quos abstulistis reddite, mihique hoc gratiæ vestræ munus præbete. Tunc is qui prior eorum esse videbatur, respondit dicens : Quidquid aliud præcipis, facere parati sumus, nam istos puerulos nullatenus reddemus. Cui venerandus vir blande minatus est, dicens : Contristas me, [a] fili, et non audis Patrem tuum : noli me contristare, [b] ne non expediat tibi. Sed idem Gothus in cordis sui feritate permanens, negando discessit. Die vero altera digressurus, rursus ad episcopum venit, quem eisdem verbis pro prædictis puerulis iterum episcopus rogavit. Cumque ad reddendum nullo modo consentire voluisset, contristatus episcopus dixit : Scio quia tibi non expedit quod me contristato discedis. Quæ Gothus verba despexit, atque ad hospitium reversus,

B Οὐδὲ τοῦτο παρασιωπηθῆναι δίκαιον κρίνω ἐκ τῶν τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρὸς [e] δυνάμεων, ὅπερ πρὸ τῶν δώδεκα τούτων ἡμερῶν ἔγνων. Γέρων γάρ τις πτωχὸς ἦλθε πρός με. Ὡς δὲ προσφιλής μοι πάντοτε τῶν γερόντων ἡ συντυχία ὑπάρχει, νουνεχῶς τοῦτον πόθεν ἐστὶν ἠρξάμην ἐπερωτᾷν· ὅστις καὶ ἀπὸ τῆς πόλεως Τουδέρεως ἑαυτὸν εἶναι ἔφασκεν. Ἐγὼ δὲ προσθεὶς εἶπον· Αἰτῶ σε, πάτερ, Φορτουνᾶτον τὸν ἐπίσκοπον γινώσκεις; Αὐτὸς δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπε· Γινώσκω, καὶ πάνυ καλῶς αὐτὸν γινώσκω. Ἐγὼ οὖν πρὸς αὐτὸν ἔφην· Εἰπέ, δυσωπῶ, ἐάν τινα τῶν αὐτοῦ θαυμάτων γινώσκῃς, καὶ ἐπιθυμοῦντός μου [f] διηγῆσαι ὁποῖος ἀνὴρ ὑπῆρχε. Τότε ὁ γέρων ἀποκριθεὶς, εἶπεν· Ὁ ἀνὴρ ἐκεῖνος μακρὰν ὑπῆρχεν [g] ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων τῆς γενεᾶς ταύτης ὧν νῦν θεωροῦμεν. Εἴτι γὰρ παρὰ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ ἠτεῖτο, [h] εὐθέως τοῦτο ἐλάμβανεν. Ἓν δὲ ἐκ τῶν αὐτοῦ θαυμάτων, ὅπερ μοι πρὸς τὸ παρὸν ἐν τῷ λογισμῷ ὑπεισῆλθε, [i] διηγήσεσθαι πειράσομαι. Ἐν μιᾷ ἡμέρᾳ πλησίον τῆς πόλεως Τουδέρεως, Γότθοι κατέλαβον, οἵτινες ἐπὶ τὰ μέρη Ῥαβέννης ἀνήρχοντο. Δύο οὖν παιδία σεμνὰ ἀπὸ κτήματος [j] ὑποκειμένου ἐπήρασαν. Ὡς οὖν τούτῳ τῷ ἁγιωτάτῳ ἀνδρὶ Φορτουνάτῳ ἐμηνύθη, εὐθέως ἀπέστειλε, καὶ τοὺς αὐτοὺς Γότθους πρὸς ἑαυτὸν μεταστειλάμενος, ἤρξατο τούτους κολακευτικοῖς λόγοις προσφέρεσθαι, θέλων πρότερον τὴν τούτων καταπραΰναι τραχύτητα. Μετὰ δὲ τοῦτο περὶ τῶν παιδίων λόγον αὐτοῖς προήγαγε, λέγων· Οἷαν θέλετε τιμὴν δίδωμι, καὶ τοὺς παῖδας οὓς ἐπήρατε ἀπόδοτέ μοι; τοῦτο γὰρ ὑμῶν ποιούντων, μεγάλην μοι χάριν καταβάλλεσθε, καὶ ὡς [k] ὅτι δῶρόν μοι αὐτοὺς παρέχετε, χάριν ὑμῖν ὁμολογῶ. Τοῦτο δὲ ὁ πρῶτος αὐτῶν ἀκούσας ἀπεκρίθη, λέγων· Εἴτι ἡμῖν [l] κελεύσεις ἄλλο, ἕτοιμοί ἐσμεν ποιῆσαι, ἐπεὶ τοὺς παῖδας τούτους οὐδαμῶς ἀποδοῦναι δυνάμεθα. Πρὸς ὃν ὁ σεβάσμιος οὗτος ἀνὴρ μετὰ πραότητος εἶπε· Θλίβεις με, τέκνον, ὅτι οὐκ ἀκούεις μου τοῦ πατρός σου. Μὴ θελήτης με θλίψαι, μή πως καὶ οὐ συμφέρῃ σοι. Ὁ οὖν αὐτὸς Γότθος ἐν τῇ τῆς καρδίας αὐτοῦ ἀνημερότητι διαμένων, μὴ πεισθεὶς ἀνεχώρησεν. Ἐν ἄλλῃ δὲ ἡμέρᾳ

C

D

[a] Abest *fili* a German. Norm. et fere omnibus Mss. Legitur in Græca vers.

[b] Excusi, reluctantibus Mss., *nam non expedit tibi.*

[c] Ita restituimus ex Mss. Prius legebatur : μὴ βουλόμενος... ἐπίσκοπος.

[d] Reg., τιμὴν δέδωκε τῷ στρατίωτῃ καὶ τότε τὸν ἵππον.

[e] Reg., θαυμάτων.

[f] Reg., διήγησαι, cum accentu in antepenult.,—et quidem melius: est enim secunda persona imperativi. EDIT.

[g] Idem, ἀπὸ τῆς γενεᾶς ταύτης ἧς νῦν θεωροῦμεν.

[h] Colb., τοῦτο πάντοτε ἐλαμβανεν. Reg., τοῦτο πάντως ἐλάμβανεν. ὧν οὖν ἐκ τῶν τούτου θαυμάτων.

[i] Mss., διηγήσασθαι.

[j] Idem, ὑποκειμένου, τῆς αὐτῆς πόλεως τουδέρεως.

[k] Reg., ὡς δῶρόν μοι αὐτοὺς παρέχοντες χάριν ὁμολογῶ.

[l] Idem. κελεύεις, quod Latinum fidelius reddit.

τῆς πόλεως ἐξερχόμενος, πάλιν πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ἦλθε. Τοῖς δὲ αὐτοῖς λόγοις περὶ τῶν προλεχθέντων παιδίων, ἤρξατο αὖθις ὁ ἐπίσκοπος παρακαλεῖν. Μὴ πειθομένου δὲ αὐτοῦ ταῦτα ἀποδοῦναι, [a] Θλίβεις με, ὁ ἐπίσκοπος εἶπε· πίστευσον ὅτι οἶδα οὐ συμφέρειν σοι, ὅτι θλιβόμενον καταλιμπάνων με ἀναχωρεῖς. Βδελυξάμενος δὲ ὁ Γότθος τὰ ῥήματα αὐτοῦ, καὶ εἰς τὸ ἄπληκτον αὐτοῦ ὑποστρέψας, τοὺς αὐτοὺς παῖδας περὶ ὧν ὁ ἐπίσκοπος παρεκάλει, τοῖς ἵπποις [b] ἐπιβιβάσαι **199** μετὰ τῶν ἀνθρώπων αὐτοῦ προέπεμψεν. Ὁμοίως δὲ καὶ αὐτὸς ἐπιβὰς τῷ ἵππῳ κατόπισθεν αὐτῶν ἠκολούθει. Ἐν δὲ τῇ αὐτῇ πόλει ἔμπροσθεν τῆς ἐκκλησίας τοῦ ἁγίου Πέτρου ἐλθών, τοῦ ἵππου αὐτοῦ ὁ ποὺς ὀλισθήσας, καὶ μετ' αὐτοῦ συμπεσών, τὸν [c] μηρὸν τοῦ αὐτοῦ Γότθου ἔκλασεν, ὥστε τὸ ὀστοῦν εἰς δύο μέρη γενέσθαι. Τοῦτον δὲ οἱ παρόντες, ταῖς χερσὶν ἄραντες, ἐν τῷ ἀπλήκτῳ αὐτοῦ ἀπήγαγον. Παρευθὺς οὖν μετὰ σπουδῆς πολλῆς, ἀποστείλας τοὺς παῖδας ἀνθυπέστρεψεν, οὕσπερ ἦν προπέμψας, περὶ ὧν ὁ ἐπίσκοπος παρεκάλει. Καὶ τῷ αὐτῷ σεβασμίῳ ἀνδρὶ Φορτουνάτῳ τῷ ἐπισκόπῳ ἐδήλωσε, λέγων· Παρακαλῶ σε, τίμιε πάτερ, ἀπόστειλον πρός με τὸν διάκονόν σου. Ἐλθόντος δὲ τοῦ διακόνου πρὸς αὐτὸν, τοὺς παῖδας οὓς παντάπασιν ἀποδοῦναι διανεβάλλετο, εἰς μέσον ἀγαγών, τούτους τῷ διακόνῳ ἀπέδωκε, λέγων· Ἄπελθε καὶ εἰπὲ τῷ κυρίῳ μου τῷ ἐπισκόπῳ· Ἰδοὺ δι' ὧν [d] κατηράσω με πεπληγμένος κεῖμαι. Ἀλλὰ τοὺς παῖδας οὕσπερ ἐζήτεις ἀπόλαβε, καὶ ὑπέρ ἐμοῦ, δυσωπῶ, πρεσβείαν ποίησον, ὅπως διὰ τῆς ἁγίας σου εὐχῆς, ἰάσεως τύχω. Δεξάμενος δὲ τοὺς παῖδας παρ' αὐτοῦ ὁ διάκονος, πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ὑπέστρεψε. Καὶ ταῦτα αὐτῷ [e] ἀπαγγείλας, παρευθὺ ὁ εὐσεβὴς οὗτος ἀνὴρ Φορτουνᾶτος, εὐλογημένον ὕδωρ τούτῳ δεδωκὼς, ἀπέστειλεν αὐτὸν, λέγων· Ἄπελθε ἐν τάχει, καὶ τὸ ὕδωρ τοῦτο ἐπάνω τοῦ σώματος αὐτοῦ ῥᾶνον. Τοῦ δὲ διακόνου ἀπελθόντος, καὶ πρὸς τὸν Γότθον εἰσελθόντος, τὸ εὐλογημένον ὕδωρ ἐπάνω τῶν μελῶν αὐτοῦ ἔῤῥανε· πρᾶγμα δὲ συνέβη θαυμαστὸν καὶ φρίκης ἄξιον· ἠνίκα γὰρ τὸ ὕδωρ τοῦ μηροῦ τοῦ Γότθου ἥψατο, πᾶσα ἡ συντριβὴ ἐκείνη ἐστερεώθη, καὶ ἐν τῇ προτέρᾳ ὑγείᾳ ὁ μηρὸς αὐτοῦ ἀπεκατέστη· ἐν αὐτῇ δὲ τῇ ὥρᾳ ἐκ τοῦ κραβάτου ἀναστὰς, καὶ τῷ ἵππῳ αὐτοῦ ἐπιβὰς, [f] ἐν τῇ ὁδῷ ᾗ ἤρξατο ἐπορεύθη, ὡς ὅτι [g] οὐδὲ μίαν βλάβην ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ ἦν ὑπομείνας. Γέγονε δὲ τοῦτο, ἵνα τοὺς παῖδας οὕσπερ μετὰ τιμήματος τῷ ἁγίῳ ἀνδρὶ Φορτουνάτῳ τῷ ἐπισκόπῳ ἀποδοῦναι οὐκ ἤθελε, κολάσει ὑποκείμενος, δῶρον αὐτοὺς [h] ἀποστρέψῃ. Τῆς διηγήσεως δὲ ταύτης πληρωθείσης, ἤθελεν ἀκμὴν ὁ γέρων καὶ ἄλλα τινὰ περὶ αὐτοῦ μοι διηγήσασθαι. Ἀλλὰ διὰ τὸ πολλοὺς παρεῖναι τοὺς παρ' ἡμῶν νουθετεῖσθαι ὀφείλοντας, καὶ λοιπὸν σχολὴν ἄγειν μὴ δυνάμενος, λοιπὸν δὲ καὶ [i] τῆς ἡμέρας πρὸς ἑσπέραν ἤδη κλινούσης, πλεῖόν τι περὶ τῶν ἔργων τοῦ σεβασμίου ἀνδρὸς Φορτουνάτου ἀκοῦσαί μοι οὐκ [j] ηὐκαίρησεν. Ἅπερ εἰ ἐνδεκτὸν ὑπῆρχε, διηνεκῶς ἀκούειν ἤθελον.

Ἐν δὲ ἄλλῃ ἡμέρᾳ ὁ αὐτὸς γέρων πρᾶγμα περὶ αὐτοῦ μᾶλλον θαυμασιώτερον διηγήσατο, λέγων· Ἐν τῇ αὐτῇ τῆς Τουδέρεως πόλει, ἀνήρ τις Μάρκελλος [k] τοὔνομα σεμνῶς πολιτευόμενος, ἅμα δυσὶν αὐτοῦ ἀδελφαῖς κατοικῶν,

A eosdem pueros de quibus agebatur, equis superimpositos cum **200** suis hominibus præmisit. Ipse vero statim ascendens equum subsecutus est. Cumque in eadem civitate ante beati Petri apostoli ecclesiam venisset, [1] equo ejus pes lapsus est; qui cum eo corruit, et ejus coxa mox fracta est, ita ut in duabus partibus os esset divisum. Tunc levatus in manibus, reductus est ad hospitium. Qui festinus misit, et pueros quos præmiserat reduxit, et viro venerabili Fortunato mandavit, dicens : Rogo te, Pater, mitte ad me diaconum tuum. Cujus diaconus dum ad jacentem venisset, pueros quos redditurum se episcopo omnino negaverat, ad medium deduxit, eosque diacono illius reddidit, dicens : Vade, et dic domino meo episcopo : Quia maledixisti mihi, ecce percussus sum; sed pueros quos quæsisti, recipe, et pro me, rogo, intercede. B Susceptos itaque puerulos diaconus ad episcopum reduxit, [m] cui benedictam aquam venerabilis Fortunatus statim dedit, dicens : Vade citius, et eam super jacentis corpus projice. Perrexit itaque diaconus, atque ad Gothum introgressus, benedictam aquam super membra illius aspersit. Res mira et vehementer stupenda! mox ut aqua benedicta Gothi coxam contigit, ita omnis fractura solidata est, et saluti pristinæ coxa restituta, ut hora eadem de lecto surgeret, et ascenso equo ita cœptum iter ageret, ac si nullam umquam læsionem corporis pertulisset. Factumque est ut qui sancto viro Fortunato pueros cum pretio reddere obedientiæ subjectus noluit, eos sine pretio pœna subactus [n] daret. His igitur expletis studebat adhuc senex de eo et alia narrare. Sed quia C nonnulli aderant ad quos exhortandos occupabar, jamque diei tardior hora incubuerat, venerabilis Fortunati facta diu mihi audire non licuit, quæ audire, si liceat, semper volo.

D Sed die alia idem senex rem de illo magis adhuc mirabilem narravit, dicens : In eadem Tudertina urbe Marcellus quidam, bonæ actionis vir, cum duabus sororibus suis habitabat : qui eveniente molestia

[a] Mss., ἀποδοῦναι. λυπηθεὶς ὁ ἐπίσκοπος εἶπε πίστευσον οἶδα ὅτι οὐ συμφέρει σοι.
[b] Iidem, ἐπιβάσας μετὰ.
[c] Mss., Τὸ μήρον... ἐκλάσθη.
[d] Colb., κατηράσω μοι.
[e] Uterque Ms., ἀπέγγειλε παρευθὺ οὖν ὁ.
[f] Reg., ἐπορεύθη τὴν ὁδὸν αὐτοῦ ὡς
[g] Colb., una voce, οὐδεμίαν.
[h] Uterque, ὑποστρέψῃ.
[i] Reg., τὴν ἡμέραν... κλίνουσαν. Ita etiam Colb. hoc solo discrimine quod habet, ἐπικλίνουσαν.
[j] Mss., εὐκαίρησεν.
[k] Iidem., ὀνόματι.

[1] Ita Mss. Quod emendantes Editores mutaverunt in, *equi ejus.*
[m] Aquæ bened. usum, et ex usu miraculum, vide apud Epiphan., in hær. 50 Ebionit., n. 12, et apud Photium, cod. 96, ubi refertur Eucliæ cujusdam filium ab Chrysostomo aquæ bened. aspersione a morbo desperatissimo fuisse liberatum. Vide etiam Hist. Tripart. l. IX, ubi ex Theodorito refertur, Marcellum Apameæ episc. jussisse aquam bened. aspergi. *Quod dum fuisset factum, dæmon effugit, non ferens aquæ virtutem.*
[n] Gussanv., renitentibus aliis tum excusis, tum manu exaratis, *coactus donavit.*

corporis, [a] ipso sacratissimo vesperascente jam Sabbato paschali, defunctus est. Cujus corpus cum longius esset efferendum, die eodem sepeliri non potuit. Cumque mora esset temporis ad explendum debitum sepulturæ, sorores ejus, morte ejus afflictæ, cucurrerunt flentes ad venerabilem virum Fortunatum, eique magnis vocibus clamare cœperunt : Scimus quia apostolorum vitam tenes, leprosos mundas, cæcos illuminas, veni, et resuscita mortuum nostrum. Qui mox ut cognovit earum fratrem defunctum, flere ipse etiam de morte ejus cœpit, eisque respondit, dicens : **201** Recedite, et hæc dicere nolite, quia jussio omnipotentis Dei est, cui contraire nullus hominum potest. Illis itaque discedentibus, tristis ex morte ejus mansit episcopus. Subsequente autem die Dominico ante exsurgentis lucis crepusculum, vocatis duobus diaconibus suis, perrexit ad domum defuncti; accedensque ad locum ubi corpus jacebat exanime, ibi se in orationem dedit. Expleta autem prece surrexit, et juxta corpus defuncti sedit; non autem grandi voce defunctum per nomen vocavit, dicens : Frater Marcelle. Ille autem, ac si leviter dormiens, ad vicinam vocem [b] quamvis modicam fuisset excitatus, statim oculos aperuit, atque ad episcopum respiciens, dixit : O quid fecisti? o quid fecisti? Cui episcopus respondit, dicens : Quid feci? At ille : Duo hesterno die venerunt, qui me ejicientes ex corpore in bonum locum duxerunt, hodie autem unus missus est qui dixit : Reducite eum, quia Fortunatus episcopus in domum ejus venit. Quibus verbis expletis, mox ex infirmitate convaluit, et in hac vita diutius mansit. Nec tamen credendum est quia locum quem acceperat perdidit, quia dubium non est quod intercessoris sui precibus potuit post mortem melius vivere, qui et ante mortem studuit omnipotenti Deo placere. Sed cur multa de ejus vita dicimus, cum nunc usque ad corpus illius tot virtutum documenta teneamus? Dæmoniacos quippe absolvere, ægros curare quoties ex fide petitur, ut vivus consueverat hoc indesinenter facere, et apud mortua sua ossa perseverat. Sed libet, Petre, adhuc ad Valeriæ provinciæ partes narrationis meæ verba reducere, de quibus me eximia valde miracula ex ore venerabilis Fortunati, cujus longe superius memoriam feci (*Scilicet initio cap.* 4), contigit audisse. Qui crebro ad me nunc usque veniens, dum facta mihi veterum narrat, nova refectione me satiat.

ἀσθενείᾳ σωματικῇ περιέπεσε. Καὶ ἐν αὐτῇ τῇ ἑσπέρᾳ τοῦ ἁγίου Σαββάτου, τῆς ἀναστάσεως τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐπιφωσκούσης, τέλει τοῦ βίου ἐχρήσατο. Ἐκ μήκους δὴ τοῦ τόπου ὄντος, ἐν ᾧ τὸ σῶμα ταφῆναι ἤμελλεν τῇ αὐτῇ τοῦ ἁγίου Σαββάτου ἑσπέρᾳ, τοῦτο θάψαι οὐκ ἠδυνήθησαν. Βραδύτητος οὖν γενομένης τοῦ κηδευθῆναι αὐτὸν, αἱ ἀδελφαὶ αὐτοῦ περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ θλιβόμεναι, πρὸς τὸν σεβάσμιον ἄνδρα Φορτουνᾶτον τὸν ἐπίσκοπον κλαίουσαι, ἔδραμον, καὶ τοῖς τούτου ποσὶ μετὰ στεναγμοῦ καὶ δακρύων προσκυλινδούμεναι, ἔλεγον· Οἴδαμεν, τίμιε πάτερ, ὅτι τοῖς τῶν Ἀποστόλων ἴχνεσιν ἐξακολουθῶν, πάντα ὅσα τὸν Θεὸν αἰτεῖς, λαμβάνεις· λεπροὺς γὰρ καθαρίζεις, καὶ τοῖς τυφλοῖς [c] τὸ βλέμμα χαρίζῃ· ἐλθὲ οὖν καὶ τὸν ἀρτίως τελευτήσαντα ἡμῶν ἀδελφὸν ἀνάστησον. Ἀκούσας δὲ ὁ ἐπίσκοπος περὶ τοῦ θανάτου αὐτοῦ, πάνυ λυπηθείς, κλαίειν ἤρξατο, πρὸς δὲ ταύτας ἀποκριθείς, **202** εἶπεν· Ἀποστῆτε ἀπ' ἐμοῦ, [d] καὶ ταῦτα λέγειν μὴ θελήσητε. Τῇ τοῦ παντοδυνάμου γὰρ Θεοῦ κελεύσει ἡ τούτου τελείωσις γέγονε, καὶ ὅπερ αἰτεῖσθε τὴν ἐμὴν ὑπερβαίνει δύναμιν. Ὑποχωρησάντων δὲ αὐτῶν μετὰ λύπης, ἔμεινεν τῇ ἑσπέρᾳ ὁ ἐπίσκοπος. [e] Πρὸ τοῦ δὲ ἡμέραν τοῦ ἁγίου πάσχα διαυγᾶσαι, ὑπὸ τὸν ὄρθρον, καλέσας δύο διακόνους αὐτοῦ, εἰς τὸν οἶκον τοῦ τεθνεῶτος σὺν αὐτοῖς ἀπῆλθε. Προσελθὼν δὲ τῷ τόπῳ ἐν ᾧ τὸ σῶμα ἄψυχον ἔκειτο, ἐκεῖ ἑαυτὸν εἰς εὐχὴν δέδωκε. Πληρώσαντος δὲ αὐτοῦ τὴν εὐχὴν, ἀνέστη, καὶ πλησίον τοῦ τεθνεῶτος ἐκαθέσθη. [f] Σεμνῇ δὲ τῇ φωνῇ τοῦτον ἐξ ὀνόματος ἐκάλεσε, λέγων· Ἀδελφὲ Μάρκελλε. Τῆς δὲ φωνῆς ταύτης ὁ νεθνηκὼς ἀκούσας, ὡς ὅτι ἐλαφρῷ ὕπνῳ ἐκάθευδεν ἐξυπνισθείς, καὶ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἀνεῴξας, πρὸς τὸν ἐπίσκοπον ἀτενίσας, εἶπεν· Τί [g] ἐποίησας; Πρὸς ὃν ὁ ἐπίσκοπος ἀπεκρίθη, λέγων· Τί ἐποίησα; Αὐτὸς δὲ εἶπε· Τῇ χθὲς ἡμέρᾳ, δύο τινὲς ἦλθον πρός με, οἵ τινες ἐκ τοῦ σώματος τούτου με ἐξαγαγόντες, εἰς τόπον πάνυ καλόν με ἀπήγαγον. Σήμερον δὲ εἷς ἀποσταλείς, εἶπεν· Ἀποστρέψατε αὐτὸν, ὅτι Φορτουνᾶτος ὁ ἐπίσκοπος εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ ἦλθε. Τῶν δὲ ῥημάτων τούτων πληρωθέντων, παρευθὺ καὶ ἐκ τῆς νόσου ἐνίσχυσε, καὶ ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ἔτη [h] πλείω διέμεινε. Πιστεύομεν δὲ ὅτι οὐδὲ τόπον ὃν ἔλαβεν [i] ἀπώλεσε καὶ δισταγμὸς ἐν τούτῳ οὐκ ἔστι. Τοῦ γὰρ εὐχομένου ὑπὲρ αὐτοῦ ταῖς πρεσβείαις, ἠδυνήθη μᾶλλον μετὰ τὸ ἀναστῆναι αὐτὸν ἐκ νεκρῶν βέλτιον ζῆσαι. Ὅστις καὶ πρὸ θανάτου ἠγωνίσατο τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ εὐαρεστῆσαι. Τί δὲ πολλὰ περὶ τῆς τοῦ μακαρίου τούτου Φορτουνάτου πολιτείας λέγομεν; Μέχρι γὰρ καὶ τοῦ παρόντος, ἐν [j] ᾧ τὸ τίμιον αὐτοῦ σῶμα κατάκειται, πλῆθος θαυμάτων ἐπιτελεῖται. Δαιμονιοῦντας γὰρ ἐκ τῆς τῶν ἀκαθάρτων πνευμάτων δουλείας ἐλευθεροῖ, ἀσθενεῖς θεραπεύει, καὶ πᾶσι τοῖς πιστῶς αἰτοῦσι τὰς ἰάσεις παρέχει. Καθάπερ γὰρ ἐν τῇ παρούσῃ ζωῇ περὶ ὧν ἀόκνως τοῦτο ποιεῖν ἔθος εἶχε, καὶ μετὰ τὴν ἐντεῦθεν μετάστασιν, τῇ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ χάριτι, ἐν τῷ τιμίῳ αὐτοῦ σώματι τὰ αὐτὰ ἐπιτελοῦνται. Ἡδέως δὲ πάλιν, Πέτρε, [k] περὶ τῶν μερῶν τῆς Βαλερίας χώρας τὴν τοῦ λόγου διήγησιν ἐπανάγω, περὶ ὧν μέγιστα θαυμάσια συνέβη με ἀκοῦσαι ἐκ στόματος Φορτουνάτου τοῦ ἀνωτέρω παρ' ἡμῶν μνημονευθέντος, ὅστις μέχρι τοῦ παρόντος συχνότερον πρός με [l] παραβάλλειν εἴωθε· καὶ τὰς τῶν ἀρχαίων ἀνδρῶν ἀρετάς μοι διηγούμενος, νεαρᾶς εὐφροσύνης με πληροῖ

[a] German., Longip. et secundus Theod., *ipso sacratissimo vespere ascendente jam Sabbato pasch.*
[b] German. et plerique Norm., *quamvis modica fuisset excitatus.*
[c] Uterque Ms., τὸ βλέπειν.
[d] Mss., καὶ τοιαῦτα.
[e] Reg., καὶ τοῦ θεοῦ δεομενος. πρὸ τοῦ
[f] Reg. μικρᾷ δὲ τῇ φωνῇ τὸν αὐτὸν.
[g] His verbis absolvitur caput hoc in Colb.
[h] Reg., ἐπὶ πλείω.
[i] Idem, ἀπώλεσε. (Sic.)
[j] Idem, ἐν ᾧ τόπῳ. Et paulo post δαιμονιῶντας.
[k] Reg., περὶ τῶν μερῶν. (Sic.)
[l] Reg., παραγίνεσθαι.

ΚΕΦΑΛ. ΙΑ'.

Περὶ Μαρτυρίου μοναχοῦ χώρας τῆς Βαλερίας.

[a] Οὗτος τοίνυν διηγεῖτο, ὅτι ἐν αὐτῇ τῆς Βαλερίας χώρᾳ, ἀνήρ τις ὑπῆρχεν ὀνόματι Μαρτύριος πάνυ σπουδαίως τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ δουλεύων, ὅστις διὰ τῶν ἔργων τὴν πολιτείαν φανερὰν ἀπέδειξεν. Ἐν μιᾷ γὰρ τῶν ἡμερῶν, [b] οἱ ὑπ' αὐτὸν ἀδελφοί, ὑποσπόδιον ἄρτον πεποιήκασι, καὶ τὸν τοῦ τιμίου σταυροῦ τύπον ἐν αὐτῷ ποιῆσαι ἐληθάργισαν, καθὼς ἐν τῇ αὐτῇ χώρᾳ ἔθος ὑπάρχει τοὺς ἄρτους σφραγίζειν· ὥστε διὰ τετάρτων μερίδων τὸν ἄρτον ἐσφραγισμένον θεωρεῖσθαι. Ὁ δὲ αὐτὸς τοῦ Θεοῦ δοῦλος Μαρτύριος [c] ἐπιστὰς, τούτων πρὸς ἑαυτοὺς ἀφηγουμένων, ἐπέγνω μὴ εἶναι τὸν ἄρτον ἐσφραγισμένον. Ἤδη δὲ λοιπὸν ἐν τῇ ἀνθρακιᾷ ὑπὸ [d] **203** τῆς στάκτης ὁ αὐτὸς ἄρτος ἐκαλύπτετο· πρὸς οὓς εἶπε· Διά τί αὐτὸν, ἀδελφοί, οὐκ ἐσφραγίσατε; τοῦτο δὲ εἰπὼν, τὴν χεῖρα αὐτοῦ πλησίον τοῦ πυρὸς [e] προσενεγκών, καὶ τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ ποιήσας, παραχρῆμα τοιοῦτον ψόφον ὁ ἄρτος ἐν τῷ πυρὶ πεποίηκεν, ὥστε νομίζειν ὅτι χύτρα μεγάλη συνετρίβη. Μετὰ δὲ τὸ ὀπτηθῆναι τὸν ἄρτον, καὶ ἐκ τοῦ πυρὸς ἐξελθεῖν, ἐσφραγισμένος τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ εὑρέθη, ᾧτινι χεὶρ οὐχ ἥψατο, ἀλλ' ἡ πίστις τοῦτο πεποίηκεν.

ΚΕΦΑΛ. ΙΒ'.

Περὶ Σευήρου πρεσβυτέρου τῆς αὐτῆς χώρας.

Ἐν τοῖς αὐτοῖς τῆς Τουδέρεως πόλεως μέρεσι, μεταξὺ δύο ὀρέων ἐν κοιλάδι τινὶ, ἐπιχωρίως Ἰντεροκρίνα ὀνομαζομένῃ, ἐκκλησία τῆς δεσποίνης ἡμῶν τῆς ἁγίας Θεοτόκου καὶ ἀεὶ παρθένου Μαρίας ὑπάρχει. Ἀνὴρ δέ τις Σευῆρος ὀνόματι [f] πάνυ θαυμασίας διαγωγῆς ἐν τῇ αὐτῇ ἐκκλησίᾳ ἱερεὺς ὑπῆρχεν, οἰκοδεσπότης δέ τις ἐν τῇ ἐσχάτῃ ἡμέρᾳ τοῦ θανάτου αὐτοῦ ἐλθὼν, ἐν συντόμῳ πρὸς τὸν αὐτὸν πρεσβύτερον ἀποστείλας ἐδυσώπει, ἵνα μετὰ σπουδῆς πρὸς αὐτὸν παραγένηται, καὶ ὑπὲρ αὐτοῦ πρεσβείαν ποιήσῃ, ὅπως δι' ἐξομολογήσεως καὶ μετανοίας τὰ πεπραγμένα αὐτῷ ἁμαρτήματα λύσιν λάβωσι, πρὶν ἢ καὶ τοῦ σώματος τούτου ἐξέλθῃ. Συνέβη δὲ κατὰ συγκυρίαν τὸν αὐτὸν [g] πρεσβύτερον, εἰς τὸ τὴν ἄμπελον κλαδεῦσαι, εἶναι ἐπάσχολον, καὶ τοῖς πρὸς αὐτὸν ἐλθοῦσιν, εἶπεν· Ὑμεῖς προλάβετε, καὶ ἰδοὺ κἀγὼ καταλαμβάνω ὑμᾶς. Θεωρήσας δὲ, ὅτι ὀλίγον ἦν ἐναπομείνας ἐν τῷ ἔργῳ αὐτοῦ, συνεῖδε μικρὸν προσκαρτερῆσαι, ὅπως πληρώσῃ αὐτό. Τοῦτο δὲ τελειώσας, ἤρξατο πρὸς τὸν ἀσθενοῦντα πορεύεσθαι. Ἀπερχομένου δὲ αὐτοῦ, ὑπήντησαν αὐτῷ ἐν τῇ ὁδῷ οἱ καὶ τὸ πρὶν πρὸς αὐτὸν ἐλθόντες, λέγοντες· Διά τί, πάτερ, ἐβράδυνας; μηκέτι οὖν κοπωθῇς,

[a] Idem, οὕτως... διηγεῖτό μοι ὅτι. Ita quoque Colb., omisso μοι.

[b] Colb., οἱ αὐτοῦ ἀδελφοί.

[c] Colb., ἐπιστὰς καὶ τοῦτο πρὸς ἑαυτοὺς ἀφηγουμένους νοήσας.

[d] Reg., τῆς σποδοῦ. Colb. τῆς τάκτης.

[e] Colb., πυρὸς προσεγγίσας τὸν τύπον τοῦ σταυροῦ. Reg., προσενεγκὰς τὸν τύπον.

[f] Reg., πάνυ θαυμαστὸς τῇ πολιτείᾳ. Colb., πάνυ θαυμαστὸς καὶ θαυμασίας.

[g] Reg., πρεσβύτερον εἶναι εἰς τὸ τὴν ἄμπελον κλαδεῦσαι, καὶ τυῖς.

CAPUT XI.

*De Martyrio monacho provinciæ Valeriæ.*

Quidam namque in eadem provincia, [h] Martyrius nomine (*Martyrol.*, 23 *Jan.*), devotus valde omnipotentis Dei famulus exstitit, qui hoc de virtutis suæ testimonio signum dedit. Dum quadam die fratres illius panem subcinericium fecissent, eique obliti essent crucis signum imprimere, sicut in hac provincia crudi panes [i] ligno signari solent, [j] ut per quadras quatuor partiti videantur, idem Dei famulus adfuit, eisque referentibus signatum non fuisse cognovit. Cumque jam panis ille prunis **204** esset et cineribus coopertus, dixit: Quare hunc minime signastis? Qui hoc dicens, signum crucis digito contra prunas fecit. Quo signante protinus immensum crepitum panis dedit, ac si ingens in ignibus olla crepuisset. Qui dum coctus postmodum fuisset ab igne subtractus, ea cruce signatus inventus est, quam non contactus, sed fides fecit.

CAPUT XII.

*De Severo presbytero ejusdem provinciæ.*

In eo etiam loco Interorina vallis dicitur, quæ a multis verbo rustico Interocrina nominatur, in qua erat quidam vir vitæ valde admirabilis, nomine Severus, Ecclesiæ beatæ Mariæ Dei genitricis semper virginis [k] sacerdos (*Martyrol.*, 15 *Feb.*). Hunc cum quidam paterfamilias ad extremum venisset diem, missis concite nuntiis, rogavit ut ad se quantocius veniret, suisque orationibus pro peccatis ejus intercederet, ut, acta de malis suis pœnitentia, solutus culpa ex corpore exiret. Qui videlicet sacerdos inopinate contigit ut ad putandam vineam esset occupatus, atque ad se venientibus diceret: Antecedite, ecce ego vos subsequor. Cumque videret sibi in eodem opere parum aliquid superesse, paululum moram fecit, ut opus quod minimum restabat expleret, quo expleto, cœpit ad ægrum pergere. Eunti vero in itinere occurrentes hi qui prius venerant, obviam facti sunt, dicentes: Pater, quare tardasti? Noli fatigari, quia jam defunctus est. Quo audito, ille contremuit, magnisque vocibus se interfectorem illius clamare cœpit. Flens itaque pervenit ad corpus de-

[h] Alius est a Martyrio qui laudatur in hom. 39 in Evang. Hic enim Valeriæ, ille Lycaoniæ monachus fuit. In illis distinguendis hallucinatus est Guitmundus, lib. II de Eucharistia. Prioris nomen Martyrologio inseritur die 23 Jan.

[i] Ita Reg., German., duo alii Sangerm., Norm., etc. In Editis, *signo signari solent*.

[j] Hinc Suidæ, Κοδρίτης ἄρτος, panis quadratus quatuor in partes dividendus. Quadra itaque est frustum panis. Hinc Juven., satyr. 5:

Ut bona summa putes aliena vivere quadra.

Et Horat., l. I, epist. 17:

Et mihi dividuo findetur munere quadra.

In Moreto etiam Virgilii nomine vulgato:

Format opus palmisque suum dilatat in orbem,
Et notat impressis æquo discrimine quadris.

Etsi ad commodiorem panis divisionem, hæc figura crucis imprimeretur pani; nonnihil tamen religionis in signando crucis charactere accedebat. Sic panis trifidus aliquando coquebatur, ut Trinitatem adumbraret. Hinc sanctus Paulinus, epist. 3, ad Alypium, in fine: *Panem unum sanctitati tuæ unitatis gratia misimus, in quo etiam Trinitatis soliditas continetur.*

[k] Sacerdos hic simpliceem presbyterum significat, cum pro episcopo accipi soleat in antiquioribus et hujus ævi scriptoribus.

functi, seque coram lecto illius cum lacrymis [a] in terram dedit. Cumque vehementer fleret, in terram caput tunderet, seque reum mortis illius clamaret, repente is qui defunctus fuerat animam recepit. Quod dum multi qui circumstabant aspicerent, admirationis vocibus emissis, cœperunt amplius flere præ gaudio. Cumque eum requirerent ubi fuerit, vel quomodo rediisset, ait : Tetri valde erant homines qui me ducebant, ex quorum ore et naribus ignis exibat, quem tolerare non poteram. Cumque per obscura loca me ducerent, subito pulchræ visionis [b] juvenis cum aliis nobis euntibus obviam factus est, qui me trahentibus dixit : Reducite illum, quia Severus presbyter plangit, ejus enim lacrymis Dominus eum donavit. Qui scilicet Severus protinus de terra surrexit, eique pœnitentiam agenti opem suæ intercessionis præbuit. Et dum per dies septem de perpetratis culpis pœnitentiam æger redivivus ageret, octava die lætus de corpore exivit. Perpende, Petre, quæso, hunc de quo loquimur Severum, quam dilectum Dominus attendit, quem contristari nec ad modicum pertulit.

A ἐκεῖνος γὰρ ἐτελεύτησεν. Τοῦτο δὲ ὁ πρεσβύτερος ἀκούσας, καὶ σύντρομος γενόμενος, ἤρξατο [e] ὀδύρεσθαι, καὶ μεγάλῃ τῇ φωνῇ φονευτὴν ἑαυτὸν τούτου καλεῖν. Κλαίων τοίνυν κατέλαβεν ἐν ᾧ τὸ σῶμα τοῦ τελευτήσαντος ἔκειτο, καὶ ἑαυτὸν ἔμπροσθεν τοῦ κραβάτου αὐτοῦ [f] εἰς γῆν ἔρριψε, τούτου δὲ σφοδρῶς κλαίοντος, καὶ τὴν κεφαλὴν εἰς τὴν γῆν προσαράσσοντος, καὶ ἑαυτὸν αἴτιον τοῦ θανάτου αὐτοῦ εἶναι λέγοντος, ἄφνω ὁ τελευτηκὼς τὴν ψυχὴν [g] ἀνέλαβε. Τοῦτο δὲ οἱ περιεστῶτες θεασάμενοι, καὶ σφόδρα ἐπὶ τῷ θαύματι ἐκπλαγέντες, ἤρξαντο ἐπὶ πλεῖον ἀπὸ χαρᾶς κλαίειν, καὶ τοῦτον ἐπερωτᾷν, τὸ ποῦ ἦν καὶ πῶς ὑπέστρεψεν; Αὐτὸς δὲ ἀποκριθεὶς εἶπεν· Ἄνδρες τινὲς σοβαροὶ σφόδρα ἦσαν, οἵ τινές με παρέλαβον, ὧν ἐκ τοῦ στόματος καὶ τῶν ῥινῶν πῦρ ἐξήρχετο, ὅπερ ὑποφέρειν οὐκ ἠδυνάμην. Ἐν ὅσῳ δὲ διὰ σκοτεινῶν τόπων με περιῆγον, ἄφνω νεανίσκος πάνυ εὔοπτος, μετὰ καὶ ἑτέρων ἐν B [h] ἀπαντήσει ἡμῖν γέγονε, καὶ πρὸς τοὺς σύροντάς με εἶπεν· Ὑποστρέψατε αὐτὸν, ὅτι Σευῆρος ὁ πρεσβύτερος κλαίει περὶ αὐτοῦ. Τοῖς γὰρ ἐκείνου δάκρυσιν ὁ κύριος αὐτὸν ἐδωρήσατο. Ὁ δὲ αὐτὸς Σευῆρος ὁ πρεσβύτερος, ἐκ τῆς γῆς ἀναστὰς, καὶ τῷ Θεῷ εὐχαριστήσας, τοῖς περὶ μετανοίας λόγοις τοῦτον νουθετήσας, καὶ διὰ τῆς αὐτοῦ εὐχῆς ἅλασμὸν τῶν ἁμαρτιῶν ὁ ἀσθενὴς κομισάμενος, ἑβδόμην ἡμέραν ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ὑποστρέψας πεποίηκε, περὶ τῶν αὐτῷ πεπραγμένων μετάνοιαν ἄγων. Τῇ δὲ ὀγδόῃ ἡμέρᾳ εὐφραινόμενος, πρὸς κύριον ἐξεδήμησεν. Κατανόησον οὖν ἐν ποίᾳ ἀγαπήσει ὁ κύριος Σευῆρον τὸν πρεσβύτερον εἶχεν, ὃν οὐδὲ πρὸς ὥραν θλιβῆναι ἠνέσχετο.

Petr. Admiranda sunt valde hæc, quæ me **205** invenio nunc usque latuisse. Sed quid esse dicimus quod modo tales viri nequeunt inveniri

ΠΕΤΡ. Ὄντως θαυμαστά εἰσι σφόδρα, ἅπερ μέχρι τοῦ **206** παρόντος τὴν ἐμὴν διελάνθανεν εἴδησιν· τί δὲ τοῦτο εἶναι λέγομεν, ὅτι τοιοῦτοι ἄνδρες ἀρτίας εὑρεθῆναι οὐ δύνανται,

Gregor. Ego, Petre, multos tales in hoc sæculo nec modo deesse existimo : neque enim si talia signa non faciunt, ideo tales non sunt. Vitæ namque vera æstimatio in virtute est operum, non in ostensione signorum. Nam sunt plerique, qui etsi signa non faciunt, signa tamen facientibus dispares non sunt.

ΓΡΗΓ. Ἐγώ, Πέτρε, πολλοὺς τοιούτους ἄνδρας καὶ νῦν ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ εἶναι οὐκ ἀπιστῶ· οὐδὲ γὰρ ἐὰν σημεῖα τοιαῦτα οὐ ποιοῦσι νῦν, [i] οὐ παρὰ τούτου μὴ εἶναι αὐτοὺς τοιούτους ἀπιστηθήσεται. Πολιτείας οὖν ἐνθέου διάγνωσις ἐν τῇ τῶν ἔργων ὑπάρχει δυνάμει, καὶ οὐχὶ ἐν τῇ τῶν σημείων ἐπιδείξει· εἰσὶ γὰρ πλεῖστοι, οἵτινες σημεῖα μὲν οὐ ποιοῦσι, τῶν δὲ τὰ σημεῖα ποιούντων ἀνόμοιοι οὐκ εἰσί.

Petr. Unde mihi, rogo, ostendi potest, quod sint quidam qui signa non faciunt, et tamen signa facientibus dissimiles non sunt?

ΠΕΤΡ. Πόθεν μοι, παρακαλῶ, τοῦτο ἐπιδειχθῆναι δύναται, ὅτι εἰσί τινες οἱ μὴ ποιοῦντες σημεῖα, καὶ τῶν τὰ σημεῖα ποιούντων ἀνόμοιοι οὐκ εἰσί;

Gregor. Numquidnam nescis quoniam Paulus apostolus Petro apostolorum primo in principatu apostolico frater est?

ΓΡΗΓ. Μή τοί γε οὐ γινώσκεις, ὅτι Παῦλος ὁ ἀπόστολος ἀδελφὸς ὑπάρχει ἐν τῇ ἀποστόλῃ Πέτρου [j] τοῦ κορυφαίου τῶν ἀποστόλων;

Petr. Scio plane, nec dubium est quia etsi minimus omnium apostolorum, plus tamen omnibus laboravit.

ΠΕΤΡ. Ἀσφαλῶς οἶδα, [k] καὶ δισταγμὸς ἐν τούτῳ οὐκ ἔστιν· ἀλλ' οὖν γε, εἰ καὶ μικρότερος πάντων τῶν ἀποστόλων ἐστὶ, [l] πλείω πάντων ἐκοπίασε.

(*I Cor.* 15.) Gregor. Quod bene ipse reminisceris, Petrus [c] super mare pedibus ambulavit (*Matth.* 14), Paulus in mari naufragium pertulit (*II Cor.* 11) : [d] et in uno eodemque elemento ibi Paulus ire cum navi non potuit, ubi Petrus pedibus iter fecit. Aperte igi-

ΓΡΗΓ. Καθὼς ἐπίστασαι, Πέτρος ἐν τῇ θαλασσῇ τοῖς ποσὶ περιεπάτησε, Παῦλος δὲ ἐν τῇ θαλάσσῃ ναυαγίῳ περιέπεσεν· ἰδοὺ εἷς ἓν καὶ αὐτὸ τὸ στοιχεῖον, ἐν ᾧ Παῦλος μετὰ πλοίου πορευθῆναι οὐκ ἠδυνήθη, Πέτρος τοῖς ποσὶ τὴν ὁδοιπορίαν πεποίηκε. Φανερὸν οὖν καθέστηκεν,

[a] Primus Theod., *in terram in orationem dedit.*
[b] Compend., *juvenis apparuit.*
[c] Plerique mss. *in mari*, vel *in mare ped.*
[d] In Germ. et omnibus Norm. *En in uno.* In tribus Sangerm. et Regio legitur, *ibi Paulus*, etc. At in omnibus Norm., *ubi Paulus ire cum navi non potuit, ibi*, etc.
[e] Colb., κλαίειν καὶ ὀδύρεσθαι
[f] Mss., μετὰ δακρύων εἰς τὴν γῆν.
[g] Uterque, ἀπέλαβε.
[h] Iidem, ὑπαντήσει.
[i] Reg. οὐ παρὰ τούτῳ, Colb. οὐ παρὰ τοῦτο.
[j] Reg. ἀποστόλου καὶ κορυφ.
[k] Mss. καὶ πέπεισμαι, καὶ δισταγμός
[l] Reg. πλεῖον πάντων.

ὅτι εἰ καὶ ἐν τῷ θαύματι τῶν ἀμφοτέρων ἡ δύναμις ἀνόμοιος γέγονεν, ἀλλ' οὖν ἀμφοτέρων τὸ ἀξίωμα ἐν οὐρανοῖς ὅμοιον ὑπαρχει.

ΠΕΤΡ. Ἀρέσκειν ὁμολογῶ κατὰ πάντα [a] ὅπερ λέγεις· ἰδοὺ γὰρ ἀσφαλῶς ἐπέγνων, ὅτι ὁ βίος καὶ οὐ τὰ σημεῖα ζητοῦνται· καὶ αὐτὰ γὰρ τὰ γινόμενα σημεῖα τοῦ ἐναρέτου βίου ἀπόδειξιν φέρουσιν· δυσωπῶ οὖν, ἐὰν ἀκμήν τινα ὑπολείπονται, φανερά μοι ταῦτα γενέσθαι ὅπως λιμώττοντά με ἐν τοῖς ἀγαθοῖς ὑποδείγμασι διατρέψῃς.

ΓΡΗΓ. Ἠθελόν σοι εἰς αἶνον καὶ δόξαν τοῦ λυτρωτοῦ ἡμῶν Θεοῦ, περὶ ἀνδρός τινος εὐλαβοῦς, ὀνόματι Βενεδίκτου, τινὰ διηγήσασθαι· ἀλλ' ὁρῶ τὸν τῆς ἡμέρας καιρὸν πρὸς τὴν τούτων διήγησιν μὴ δυνάμενον ἐπαρκέσαι. Ὅθεν λοιπὸν ταῦτα, τοῦ Θεοῦ ἴσχυν παρέχοντος, ἄλλην ἀρχὴν συντάξεως [b] προβαλλόμενος, μετὰ ἀνέσεως διηγοῦμαι.

A tur constat, quia cum utriusque virtus fuerit dispar in miraculo, utriusque tamen meritum dispar non est in cœlo.

PETR. Placet, fateor, omnino quod dicis : ecce enim aperte novi, quia vita et non signa quærenda sunt. Sed quoniam ipsa signa quæ fiunt, bonæ vitæ testimonium ferunt, quæso te adhuc si qua sunt referas, ut esurientem me per exempla bonorum pascas.

GREGOR. Vellem tibi in laudibus redemptoris de viri venerabilis Benedicti miraculis aliqua narrare, [c] sed ad hæc explenda hodiernum tempus video non posse sufficere. Liberius itaque hæc loquemur, si aliud exordium sumamus.

B

[a] Mss. ἅπερ λέγεις.
[b] Colb. προβαλλόμενος μετὰ αἰνεσεως διηγοῦμαι, συνεργίᾳ καὶ χάριτι τοῦ Κυρίου καὶ Θεοῦ καὶ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν. Eadem habet Reg., sed desinit in διηγοῦμαι.
[c] Compend., *sed ad hæc exempla.*

# ΒΙΒΛΙΟΝ ΔΕΥΤΕΡΟΝ. LIBER SECUNDUS.

Hic secundus liber, continens Vitam S. Benedicti, ante opera magni monachorum occidentalium sospitatoris, tom. LXXVI hujus Bibliothecæ, legendus est.

# ΒΙΒΛΙΟΝ ΤΡΙΤΟΝ. LIBER TERTIUS.

C

## ΚΕΦΑΛ. Α'. CAPUT PRIMUM.

[a] Περὶ Παυλίνου ἐπισκόπου πόλεως Νωλίων.

*De* [g] *Paulino Nolanæ urbis episcopo.*

**278** Ἐν τῷ προσέχειν με τοῖς γειτνιάζουσιν πατράσι, καὶ τοῖς τούτων θαύμασι τῷ λόγῳ ἐνδιατρίβειν, τῶν μεγάλων τὰ ἔργα κατέλιπον. Τοῦ γὰρ Παυλίνου τὸ θαῦμα τοῦ τῆς [b] Νωλίων πόλεως ἐπισκόπου, τίνα οὐ καταπλήττει; Ὅστις καὶ χρόνῳ, καὶ τῇ τοῦ θαύματος δυνάμει πάντων προτερεύει. Τῆς οὖν μνήμης [c] καταλειφθείσης, ὡς παρὼν καὶ ὁρώμενος νομισθήσεται, τοῖς δὲ προλεχθεῖσιν καὶ ταῦτα, ὅση δύναμαι συντομίᾳ ἐπισφίγγω. Ἔθος γὰρ τοῖς [d] πρεσβύταις ἡμῶν τῶν καλῶν τὰ ἔργα σπουδαίως γνωστὰ ποιῆσαι τοῖς τῶν δικαίων [e] ἑπόμενοι διηγήμασιν, ὅθεν καὶ τοῦ προλεχθέντος εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς τὸ φαιδρὸν ὄνομα ἐδηλοποιήθη. Τὸ γὰρ αὐτοῦ ἔργον θαυμαστὸν, εἰς οὖν τὰ ἐκείνων οἰκοδομητέα ἐμπονήματα [f] ἑαυτὸν παρέτεινεν. Ὅθεν μοι λοιπὸν πᾶσα ἀνάγκη ὑπάρχει περὶ τῆς μεγίστης αὐτοῦ πολιτείας τοσοῦτον ἀσφαλῶς πιστεῦσαι, ὡς ὅτι ἐκεῖνα ἅπερ λέγουσι, τοῖς ἐμοῖς ὀφθαλμοῖς ἐθεώρησα.

**277** Dum vicinis valde [h] Patribus intendo, majorum facta reliqueram, ita ut Paulini miraculum, Nolanæ urbis episcopi, qui multos quorum memini virtute et tempore præcessit, memoriæ defuisse videatur. Sed ad priora nunc redeo, eaque quanta valeo brevitate perstringo. Sicut enim bonorum facta innotescere citius similibus solent, senioribus nostris per justorum exempla gradientibus prædicti venerabilis viri celebre nomen innotuit, ejusque opus admirabile ad eorum se instruenda studia tetendit, quorum me necesse fuit [i] grandævitati tam certo credere, ac si ea quæ dicerent meis oculis vidissem.

D

Ἐν τοῖς χρόνοις τοίνυν τῶν λυσσομανῶν Οὐανδάλων, πολλοὶ τόποι τῆς Ἰταλίας ἔρημοι γεγόνασι· παντελῶς δὲ τὰ μέρη τῆς Καμπανίας ἀοίκητα κατέστησαν. Πολλοὶ οὖν

Cum sævientium Vandalorum tempore fuisset Italia in Campaniæ partibus depopulata, multique essent de hac terra in Africanam regionem transducti, vir

[a] Præmittitur in Ms. Regio capitum index.
[b] Ms., Νωλῶν.
[c] Ms., καταληφθείσης.
[d] Ms., πρεσβυτέροις.
[e] Ms., ἑπόμενοι ὑποδείγμασιν
[f] Ms., ἑμαυτὸν παρέτεινα.
[g] Hanc historiam de libera sancti Paulini servitute, amplissima nota, imo dissertatione, refellit Gussanv. quod multi alii præstiterunt. Nostram de hac controversia mentem aperuimus in præfatione. Nola autem urbs est episcopalis sub archiep. Neapol. et colonia Romana satis nota in Campania.
[h] Ita Mss. Theod., German., Norm., etc., quibus consentit Græca translatio. In Editis habes, *partibus.*
[i] Excusi, *gravitati.*

Domini Paulinus cuncta quæ [a] ad episcopii usum habere potuit captivis indigentibusque largitus est. Cumque jam nihil omnino superesset quod petentibus dare potuisset, quodam die quædam vidua advenit, quæ a regis Vandalorum genero suum filium in captivitatem fuisse ductum perhibuit, atque a viro Dei ejus pretium postulavit, si forte illius dominus hoc dignaretur accipere, et hunc concederet ad propria remeare. Sed vir Dei magnopere petenti feminæ quid dare potuisset inquirens, nihil apud se aliud nisi se invenit, petentique feminæ respondit, dicens: Mulier, **280** quod possim dare non habeo, sed memetipsum tolle, servum me juris tui esse profitere, atque ut filium tuum recipias, me vice illius in servitium trade. Quod illa ex ore tanti viri audiens, irrisionem potius credidit quam compassionem. At ille, ut erat vir eloquentissimus, [b] atque apprime exterioribus quoque studiis eruditus, dubitanti feminæ citius persuasit ut audita crederet, et pro receptione filii sui in servitium episcopum tradere non dubitaret. Perrexere igitur utrique ad Africam. Procedenti autem regis genero, qui ejus filium habebat, vidua rogatura se obtulit, ac prius petiit ut ei filium donare debuisset. Quod cum vir barbarus [c] typho superbiæ turgidus, gaudio transitoriæ prosperitatis inflatus, non solum facere, sed etiam audire despiceret, vidua subjunxit, dicens: Ecce hunc hominem pro eo vicarium præbeo, solummodo pietatem in me exhibe, mihique unicum filium redde. Cumque ille venusti vultus hominem conspexisset, quam artem nosset inquisivit. Cui vir Dei Paulinus respondit, dicens: Artem quidem aliquam nescio, sed hortum bene excolere scio. Quod vir [d] gentilis valde libenter accepit, cum in nutriendis oleribus quia peritus esset audivit. Suscepit itaque servum, et roganti viduæ reddidit filium. Quo accepto, vidua ab Africana regione discessit. Paulinus vero excolendi horti suscepit curam. Cumque idem regis gener crebro ingrederetur hortum, suumque hortulanum quædam requireret, et sapientem valde esse hominem videret, amicos cœpit et familiares deserere, et sæpius cum suo hortulano colloqui, atque ejus sermonibus delectari. Cui Paulinus quotidie ad [e] mensam odoriferas virentesque herbas deferre consueverat, et accepto pane ad curam horti

ὑπ' αὐτῶν αἰχμαλωτισθέντες, ἐκ τῆς γῆς ταύτης ἐν τῇ χώρᾳ τῆς Ἀφρικῆς ἀπηνέχθησαν. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Παυλῖνος πάντα ὅσα εἰς τὴν τοῦ ἐπισκοπίου χρείαν εἶχε, τοῖς αἰχμαλώτοις καὶ τοῖς δεομένοις [f] διέμεινεν. Ἡνίκα δὲ λοιπὸν, οὐδὲν αὐτῷ παντάπασιν ὑπελείφθη, ὅπερ τοῖς αἰτοῦσι δοῦναι [g] ὀφείλοι, ἡμέρᾳ τινὶ χήρα τις γυνὴ πρὸς αὐτὸν ἦλθε, λέγουσα, τὸν ταύτης υἱὸν παρὰ τοῦ γαμβροῦ τοῦ [h] ῥηγὸς τῶν Οὐανδάλων ἐν τῇ αἰχμαλωσίᾳ ἐπενεχθῆναι, καὶ παρὰ τοῦ ἀνθρώπου τοῦ Θεοῦ τὴν [i] τιμὴν αὐτοῦ ἠτεῖτο, ἐὰν καὶ καταξιώσῃ ὁ κύριος αὐτοῦ ταύτην λαβεῖν, καὶ τοῦτον παραχωρῆσαι εἰς τὰ ἴδια ὑποστρέψαι. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος μετὰ πάσης σπουδῆς καὶ προθυμίας ἐπιζητήσας, ἐάν τι περιεύρῃ, ὅπερ τῇ αἰτούσῃ γυναικὶ παρασχεῖν [j] ὀφείλῃ, οὐδὲν παρ' ἑαυτῷ ἄλλο τι εὗρεν, εἰ μὴ ἑαυτὸν, καὶ πρὸς αὐτὴν ἀπεκρίθη, λέγων· **279** Γύναι, τί σοι δωρήσασθαι οὐκ ἔχω. Ἐμὲ δὲ ἑαυτὸν δοῦλον, σοῦ ὑπεξούσιον δίδωμι, καὶ ἵνα τὸν υἱὸν ἀπολάβῃς, ἐμὲ δὲ ἀντ' αὐτοῦ εἰς δουλείαν παράδος. Ἐκείνη δὲ ἐκ τοῦ στόματος τοιούτου ἀνδρὸς τοῦτο ἀκούσασα ἐμπαιγμὸν μᾶλλον, ἤπερ συμπάθειαν εἶναι ἐπίστευσεν. Αὐτὸς δὲ λόγιος ἀνὴρ καὶ ἀγχίνους ὑπάρχων, καὶ τὰ ἔξω φιλοπόνως πεπαιδευμένος, τῇ δισταζούσῃ γυναικὶ ταχέως παρήνεσεν, ὅπως τὰ λεχθέντα αὐτῇ ἀληθῆ εἶναι πιστεύσῃ, καὶ διὰ τὴν τοῦ υἱοῦ αὐτῆς ἀνάρρυσιν, τὸν ἐπίσκοπον εἰς δουλείαν παραδοῦναι μὴ δειλιάσῃ. Ἐπορεύθησαν τοίνυν εἰς Ἀφρικὴν ἀμφότεροι. Προσερχομένου δὲ τοῦ γαμβροῦ τοῦ ῥηγὸς, ὅστις τὸν υἱὸν αὐτῆς εἶχεν, ἡ χήρα προσῆλθεν αὐτῷ δυσωποῦσα, ὅπως τὸν υἱὸν αὐτῆς ἀπολάβῃ. Ὁ δὲ βάρβαρος ἐκεῖνος ἀνὴρ τῷ τύφῳ τῆς ὑπερηφανείας ὑπεραιρόμενος, καὶ τῇ παρεχομένῃ χαρᾷ τῆς κατευοδώσεως φυσιούμενος, οὐ μόνον τοῦτο ποιῆσαι, ἀλλὰ καὶ ἀκοῦσαι ἐβδελύξατο. Ἡ δὲ χήρα προσέθετο, λέγουσα· Ἰδοὺ τὸν ἄνθρωπον τοῦτον ἀντίσωμον ὑπέρ αὐτοῦ παρέχω· μόνον ποίησον εὐσπλαγχνίαν εἰς ἐμὲ, καὶ τὸν μονογενῆ μου υἱὸν ἀπόδος μοι. Ἐκεῖνος δὲ ἱλαρῷ προσώπῳ τὸν ἄνθρωπον θεασάμενος, ποίαν τέχνην ἐπίσταται ἐπεζήτησεν· ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Παυλῖνος, ἀπεκρίθη αὐτῷ, λέγων· Τέχνην μὲν οὖν τινα οὐκ ἐπίσταμαι, κῆπον δὲ καλῶς ἐπιμελήσασθαι γινώσκω. Τοῦτο δὲ ὁ ἐθνικὸς ἀνὴρ ἐκεῖνος ἀκούσας, ἡδέως πάνυ ἐδέξατο, ὅτι ἐν τῇ τοῦ κήπου ἐπιμελείᾳ ἔμπειρος ὑπῆρχεν. Ἐδέξατο οὖν αὐτὸν δοῦλον, καὶ τῇ παρακαλούσῃ γυναικὶ τὸν υἱὸν αὐτῆς ἀποδέδωκεν, ὃν λαβοῦσα [k] ἀπὸ τῆς ἐν Ἀφρικῇ χώρας ὑπεχώρησεν. Ὁ δὲ Παυλῖνος τὴν

[a] In Editis, *episcopi*, renitentibus Mss. Angl., Norm., Germ., Theod., etc., Græcoque interprete.

[b] Duo Gemet. et Prat., *atque a primævo juventutis flore distincte et digne eruditus.*

[c] Mss. Germ., Norm. et plerique, *typo*. De hac voce vide l. XXIII Moral., n. 25, et l. XXXIII, n. 6.

[d] Non quod Idololatriæ deditus esset, *gentilis* dicitur (erat enim Christianus, etsi Arianus, ut alii Vandali), sed eo sensu quo Romani *gentiles* vocabant barbaros etiam sibi fœderatos. Vide Cangium in Glossar.

[e] Ita Mss., vel *odoratas*, aut, *odoras*. Nusquam autem legimus, *olera* ut in Excusis. Suffragatur huic lect. Græc. interpres.

[f] Editi, διέδωκε.

[g] Ms., ὠφείλετο. ἡμέρᾳ μιᾷ.

[h] Ῥήξ apud mediæ ætatis Græcos idem est quod βασιλεὺς apud antiquos, id est rex; nomen autem βασιλεὺς solis imperatorib. CP. tribuerunt. Quidam tamen etiam Persarum regibus: alios vero quoscunque ῥῆγας appellabant. Sic Anna Comnena in sua Alexiade Henricum IV imperatorem vocat ῥῆγα τῆς Ἀλαμανίας. Notandum vero in Ms. Regio pro Ῥῆγος, legi ἀμηρᾶ, quo nomine reges apud Arabes nuncupabantur, etc. Gussanv. — Ex hac voce Arabica idem conjecit, Ms. Regium a quodam Arabe fuisse descriptum. Fortasse etiam ex versione Arabica, de qua in præfatione dictum, hæc vox in Græcam translationem irrepsit. Significat autem *Dominum*. De ea consule Cangium, tum in gloss. Gr., tum in notis ad Joinvillæum et Cinnamum.

[i] Ms., τὸ τίμημα ἠτεῖτο ὑπὲρ ἀναῤῥύσεως ἐὰν ἄρα καὶ θελήσας ὁ κύριος αὐτοῦ τὸ λαβεῖν.

[j] Ms., ὀφείλῃ.

[k] Ms., ἀπὸ τῆς Ἀφρικῆς χώρας.

φροντίδα τῆς τοῦ κήπου ἐπιμελείας ὑπεδέξατο. Ὁ οὖν προλεχθεὶς γαμβρὸς τοῦ ῥηγὸς, συχνοτέρως εἰς τὸν κῆπον εἰσέρχεσθαι ἤρξατο, καὶ μετὰ τοῦ αὐτοῦ κηπουροῦ περί [a] τινων συζητῶν, σφόδρα τοῦτον σοφὸν ὑπάρχειν θεατάμενος, πάντας τοὺς οἰκιακοὺς αὐτοῦ φίλους καταλείψας, μετ' αὐτοῦ διηνεκῶς συνετύγχανε, καὶ τοῖς αὐτοῦ κατετρύφα ῥήμασιν. Ὁ δὲ Παυλῖνος εἰς τὴν τούτου τράπεζαν καθ' ἡμέραν κοδίμεντα καὶ εὔοσμα βότανα ἐχορήγει, καὶ τὸν ἄρτον ποριζόμενος, εἰς τὴν τοῦ κήπου φροντίδα ὑπέστρεφεν. Ἐν ᾧ δὲ τοῦτο ἐπὶ πολὺ ἐπράττετο, ἔν τινι ἡμέρᾳ τοῦ κυρίου αὐτοῦ μετ' αὐτοῦ συντυγχάνοντος, πρὸς αὐτὸν ὁ Παυλῖνος ἐν μυστηρίῳ εἶπε· Βλέπε τί πράττειν μέλλεις, καὶ πῶς τὸ τῶν Οὐανδάλων βασίλειον διοικηθῆναι ὑφείλει προνόησαι. Ἐνταῦθα γὰρ ὁ ῥὴξ τρόποις ἅπασιν ἀποθνήσκει. Ὁ δὲ τοῦτο ἀκούσας, ὡς ὑπὲρ ἅπαντας ὑπὸ τοῦ ῥηγὸς ἀγαπώμενος, οὐδαμῶς ἡσύχαζεν· ἀλλ' εἴτι παρὰ τοῦ ἑαυτοῦ κηπουροῦ ἀκήκοε, τοῦτο ἐμήνυσεν. Ὁ δὲ ῥὴξ τοῦτο ἀκούσας, ἀπεκρίθη λέγων· Ἐγὼ θέλω θεωρῆσαι τὸν ἄνδρα τοῦτον περὶ οὗ λέγεις. Ὁ δὲ τούτου γαμβρὸς, ὁ πρὸς καιρὸν εὐλαβεστάτου Παυλίνου δεσπότης, ἀποκριθεὶς εἶπε· Κοδίμεντα ἐκ τοῦ κήπου ἐν τῷ ἀρίστῳ μου ἀγαγεῖν εἴωθεν. Ταῦτα οὖν αὐτὸς εἰς τὴν σὴν τράπεζαν ἐνέγκαι ποιήσω, ἵνα γνῶς τίς ἐστιν ὁ ταῦτά μοι εἰπών. Ὡς καὶ γέγονεν. Ἡνίκα γὰρ ὁ ῥὴξ ἐπὶ τὸ ἀριστῆσαι ἠκούμβησεν, ἐκ τοῦ καμάτου αὐτοῦ ὁ Παυλῖνος περίοσμα βότανα, καὶ χλωρὰ κοδίμεντα βαστάζων εἰσῆλθεν. [b] Τοῦτον δὲ ὁ ῥὴξ αἴφνης θεασάμενος, ἐτρόμαξε· τὸν δὲ τούτου δεσπότην, διὰ τῆς ἑαυτοῦ θυγατρὸς πλησίον ἑαυτοῦ προσκαλεσάμενος, τὸ μυστήριον ὅπερ πρότερον ἦν ἀποκρύψας, ἐφανέρωσεν αὐτῷ, λέγων· Ἀληθές ἐστιν ὅπερ ἀκήκοας. Ἐν τῇ νυκτὶ γὰρ ταύτῃ ἐν ὁράματι ἐθεασάμην ἄρχοντας ἐπὶ βήματος κατ' ἐμοῦ καθεζομένους, ὧν μεταξὺ καὶ [c] οὗτος συνεκαθέζετο, καὶ τὸ φλαγέλλιον ὅπερ ποτὲ ἔλαβον τῇ αὐτῶν κρίσει ἐπήρθη μοι. **282** Ἐρώτησον οὖν αὐτὸν τίς ὑπάρχει· ἐγὼ γὰρ τοῦτον τὸν ἄνδρα τὸν ἐν [d] τοσούτῳ ἀξιώματι ὄντα, λαΐτην, καθὼς φαίνεται, εἶναι οὐχ ὑπολαμβάνω. Τότε ὁ τοῦ ῥηγὸς γαμβρὸς κατ' ἰδίαν Παυλῖνον λαβών, τίς ὑπάρχει, ἐπιζήτησε. Πρὸς ἣν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἀπεκρίθη, λέγων· Δοῦλός σου εἰμὶ, ὃν ὑπὲρ τοῦ υἱοῦ τῆς χήρας ἀντίσωμον ἐδέξω. Ἐκεῖνος δὲ πεπονημένως ἐπεζήτει, οὐχί τι νυνί ἐστιν, ἀλλὰ τί ἐν τῇ χώρᾳ αὐτοῦ ὑπῆρχε. Περὶ τούτου οὖν ἐπὶ πολὺ [e] ἐρευνήσας, ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος στενωθείς, καὶ τοὺς ὅρκους οὓς αὐτῷ ἐπήγαγε παραβαίνειν μὴ δυνάμενος, ἐπίσκοπον ἑαυτὸν ὑπάρχειν ὡμολόγησε. Τοῦτο δὲ ὁ κατέχων αὐτὸν ἀκούσας, σφόδρα ἐφοβήθη, καὶ μετὰ πάσης ταπεινοφροσύνης [f] προσηνέχθη αὐτῷ, λέγων· Αἴτησαι παρ' ἐμοῦ ὃ θέλεις, ὅπως ἐν τῇ γῇ σου μετὰ μεγίστων δώρων ὑποστρέψῃς. Πρὸς ὃν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Παυλῖνος ἀποκριθείς, εἶπεν· Ἓν ἐστιν εὐεργεσιῶν δῶρον ὃ αἰτοῦμαι, ὅπερ μοι καὶ παρασχεῖν δύνασαι, ἵνα πάντας τοὺς τῆς πόλεώς μου αἰχμαλώτους ἀπολύσῃς. Παραυτὰ οὖν ἐν πάσῃ τῇ τῆς Ἀφρικῆς χώρᾳ ἐπιζητηθέντες, ἐν πλοίοις ἅπαντες μετὰ σιταρχιῶν ἀναχθέντες, ὑπὲρ τῆς τοῦ εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς Παυλίνου πληροφορίας συνοδοιποροῦντες αὐτῷ ἀπελύθησαν. Οὐ μετὰ πολλὰς δὲ ἡμέρας καὶ ὁ τῶν Οὐανδάλων ῥὴξ ἐτε-

A remeare. Cumque hoc diutius ageretur, quadam die suo domino secum secretius loquenti ait : Vide quid agas, et Vandalorum regnum qualiter disponi debeat provide, quia rex citius et sub omni celeritate est moriturus. Quod ille audiens, quia ab eodem rege præ cæteris diligebatur, ei minime tacuit, sed quid a suo hortulano, sapienti scilicet viro, agnovisset indicavit. Quod dum rex audisset, illico respondit : Ego vellem hunc de quo loqueris hominem videre. Cui gener ejus, venerabilis Paulini temporalis dominus, respondit dicens : Virentes herbas mihi ad prandium deferre consuevit, has itaque huc ad mensam eum deportare facio, ut quis sit qui mihi hæc est locutus agnoscas. Factumque est. Et dum rex ad prandendum discubuit, Paulinus ex suo opere [g] odora B quæque et virentia delaturus advenit. Cumque hunc rex subito conspexisset, intremuit, atque, accersito ejus domino, sibi per filiam propinquo, ei secretum quod prius absconderat indicavit, dicens : Verum est quod audisti ; nam nocte hac in somnio, sedentes in tribunalibus contra me judices vidi, inter quos iste etiam simul sedebat, et flagellum quod aliquando acceperam eorum mihi judicio tollebatur. **281** Sed percunctare quisnam sit ; nam ego hunc tanti meriti virum, popularem, ut conspicitur, esse non suspicor. Tunc regis gener secreto Paulinum tulit, et quisnam esset inquisivit. Cui vir Domini respondit : Servus tuus sum, quem pro filio viduæ vicarium suscepisti. Cumque instanter ille requireret ut non [h] quid esset, sed quid in terra sua fuisset indicaret, atque hoc ab C eo iteratione [i] frequentis inquisitionis exigeret, vir Domini, constrictus magnis conjurationibus, jam non valens negare quid esset, episcopum se fuisse testatus est. Quod possessor ejus audiens, valde pertimuit, atque humiliter obtulit, dicens : Pete quod vis, quatenus ad terram tuam a me cum magno munere revertaris. Cui vir Domini Paulinus ait : Unum est quod mihi impendere beneficium potes, ut omnes civitatis meæ captivos relaxes. Qui cuncti protinus in Africana regione requisiti, cum onustis frumento navibus pro venerandi viri Paulini satisfactione, in ejus comitatu laxati sunt. Post non multos vero dies Vandalorum rex occubuit, et flagellum quod ad suam perniciem, dispensante Deo, pro fidelium disciplina acceperat amisit. Sicque factum est ut omnipotentis D Dei famulus Paulinus vera prædiceret, et qui se in servitium solum tradiderat, cum multis a servitio ad libertatem rediret, illum videlicet imitatus qui formam servi assumpsit, ne nos essemus servi peccati. Cujus sequens vestigia Paulinus, ad tempus voluntarie servus factus est solus, ut esset postmodum liber cum multis.

[a] Ms., τίνων συζητήσεων συμβαλὼν σφόδρα.
[b] Ms., τοῦτον δὲ θεασάμενος ἐξαίφνης ὁ ἀμηρᾶ ἐτρόμαξεν.
[c] Ms., οὗτος καθεζόμενος καὶ τὸ φραγέλλιον.
[d] Ms., ἐν τῇ ταύτῃ τάξει ὄντα λαικόν.
[e] Ms., ἐρευνῶντος.
[f] Ms., προσῆλθεν.
[g] Excusi, *olera quæque virentia.*
[h] In Editis, *ut non quis esset, sed quis.*
[i] Becc. et Big., *frequenti inquisitione.* Secundus Gemet., *iteratione frequenti et inquisitione.*

λειώθη, καὶ τὸ [d] φλαγέλλιον ὅπερ εἰς τὴν ἑαυτοῦ ἐξολόθρευσιν, εἰς δὲ τῶν πιστῶν παιδείαν τοῦ Θεοῦ παραχωροῦντος ἐκράτει, τοῦτο ἀπεβάλετο. Οὕτως οὖν γέγονεν, ὥστε ὁ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ οἰκέτης Παυλῖνος ἀληθῆ εἶναι τὰ μέλλοντα προείπῃ, καὶ ὁ ἑαυτὸν μόνον εἰς δουλείαν παραδοὺς, μετὰ πολλῶν ἀπὸ δουλείας εἰς ἐλευθερίαν ὑποστρέψῃ, ἐκεῖνον μιμησάμενος τὸν τὴν μορφὴν τοῦ δούλου ἀναλαβόντα, ἵνα ἡμεῖς μηκέτι ὦμεν δοῦλοι τῆς ἁμαρτίας. Οὕτινος τοῖς ἴχνεσιν ὁ Παυλῖνος ἐξακολουθήσας, πρὸς καιρὸν [e] μόνος ἐκ θελήματος δοῦλος γέγονεν, ὅπως ὕστερον μετὰ πολλῶν ἐλεύθερος γένηται.

PETR. Dum me audire contingit quod imitari non valeo, flere magis libet quam aliquid dicere.

ΠΕΤΡ. Ἐν ὅσῳ με συνέβη ἀκοῦσαι ὅπερ μιμήσασθαι οὐ δύναμαι, δακρύσαι μᾶλλον ἡδέως ἔχω, ἤπερ τι λαλῆσαι.

GREGOR. De [a] cujus etiam morte apud ejus Ecclesiam scriptum est, quia cum dolore esset lateris tactus, ad extrema perductus est. Dumque ejus omnis domus in sua soliditate persisteret, cubiculum in quo jacebat æger, facto terræ motu, contremuit, omnesque qui illic aderant nimio terrore concussit; sicque sancta illa anima carne soluta est. Factumque est ut magnus pavor invaderet eos qui Paulini mortem videre potuissent. Sed quia hæc, quam superius dixi, Paulini virtus valde est intima, nunc, si placet, ad miracula exteriora veniamus, quæ et multis jam nota sunt, et ego tam religiosorum virorum relatione didici, ut de his omnimodo ambigere non possim.

ΓΡΗΓΟΡ. Περὶ τοῦ θανάτου τοῦ ἁγίου τούτου ἀνδρὸς ἐγγράφως ἐν τῇ αὐτοῦ ἐκκλησίᾳ ἀπόκειται· ὅτι ἐν ᾧ λοιπὸν ὁ πόνος [f] τῇ πλευρᾷ αὐτοῦ ἥψατο, καὶ ἐν τοῖς ἐσχάτοις ἦν, παντὸς [g] τοῦ οἴκου ἐν τῇ ἑαυτοῦ στερεότητι μένοντος, τὸ καβούλιον ἐν ᾧ ἀσθενῶν κατέκειτο, σεισμοῦ γεγονότος συνετρόμαξε, καὶ πάντας τοὺς ἐκεῖσε ὄντας, σφοδροτάτῳ φόβῳ κατέπληξεν. Οὕτω τε ἡ ἁγία ἐκείνη ψυχὴ ἐκ τῶν τοῦ σώματος δεσμῶν ἀπολυθεῖσα, πρὸς κύριον ἐξεδήμησεν. Τοῦτο δὲ γέγονεν, ὅπως μέγιστος φόβος ἐπεισέλθῃ εἰς τοὺς τὸν θάνατον Παυλίνου θεωρῆσαι δυνηθέντας. Ἐπειδὴ γὰρ ἡ τούτου δύναμις, ἣν ἀνωτέρω εἶπον, σφόδρα μεγίστη ὑπῆρχε· νῦν δὲ, ἐὰν ἀρέσκῃ, εἰς τὰ τῶν ἔξω θαυμάσια ἔλθωμεν, ἅπερ καὶ πολλοῖς λοιπὸν εἰσιν ἐγνωσμένα. Κἀγὼ δὲ παρὰ τοσούτων ἀνδρῶν σπουδαίων ἐξηγουμένων μεμάθηκα, ὥστε περὶ τούτων παντάπασιν διστάξαι οὐ δύναμαι.

## CAPUT II.

*De sancto Joanne papa.*

Gothorum tempore, cum Joannes vir beatissimus hujus Romanæ Ecclesiæ pontifex [b] ad Justinum seniorem principem pergeret, **284** in Corinthi partibus advenit, cui necesse fuit ut in itinere ad sedendum equus requiri debuisset. Quod illic quidam vir nobilis audiens, equum, quem pro magna mansuetudine ejus conjux sedere consueverat, ita ei obtulit, ut cum ad loca alia pervenienti [c] aptus equus inveniri potuisset, deberet ille quem dederat propter suam conjugem retransmitti. Factumque est, et usque ad certum locum prædictus vir equo eodem subvehente perductus est. Qui mox ut alium reperit, illum quem acceperat retransmisit. Cumque eum prædicti nobilis viri conjux sedere ex more voluisset, ultra non valuit, quia post sessionem tanti pontificis mulierem ferre recusavit. Cœpit namque immenso flatu et fremitu, atque incessanti totius corporis motu quasi despiciendo prodere, quia post membra pontificis mulierem ferre non posset. Quod vir ejus prudenter intuitus, hunc ad eumdem venerabilem virum protinus retransmisit, magnis precibus petens ut

ΚΕΦΑΛ. Β'.

Περὶ Ἰωάννου πάπα Ῥώμης.

Ὀθεν δεδεμένος ἐν κιλικίῳ κατέκειτο, τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ δεήσεις προσφέρων, πρὸς τὸ ἐνισχύσαι αὐτόν. Ἐν δὲ τοσούτῳ τοῦ νοὸς ὕψει τὴν τοῦ παρερχομένου κόσμου δόξαν ἐβδελύξατο, ὅσῳ τῷ τοῦ Θεοῦ πόθῳ δεσμευθεὶς ἐπέγνω μηδὲν εἶναι, ὅπερ δυνήσεται αὐτὸν τούτου χωρίσαι. Τῆς δὲ τοῦ ἁγίου πάσχα ἑορτῆς ἐπελθούσης ἐν τῇ τῆς νυκτὸς ἡσυχίᾳ, σιγῇ πρὸς αὐτὸν ὁ τούτου κακόπιστος πατὴρ Ἀρειανὸν ἐπίσκοπον ἀπέστειλεν, ὅπως ἐκ τῆς αὐτοῦ χειρὸς τῆς ἀθεμίτου αὐτῶν ἱερουργίας τὴν μετάληψιν δέξηται, καὶ ἐκ τούτου λοιπὸν εἰς τὴν τοῦ πατρὸς εὐμένειαν ἐπιστρέψαι ἀξιωθῇ. Ὁ δὲ τῷ Θεῷ δεδωρημένος οὗτος ἀνὴρ τὸν πρὸς αὐτὸν ἐλθόντα Ἀρειανὸν ἐπίσκοπον παντελῶς ἐβδελύξατο, καὶ καθὼς αὐτῷ ἥρμοζε τὴν κακοπιστίαν αὐτοῦ ἀξίως διελέγξας, τοῦτον ἀφ' ἑαυτοῦ ἀπεβάλετο. Εἰ γὰρ καὶ ἔξωθεν δεδεμένος ἔκειτο, ἀλλ' ἔνδον παρ' ἑαυτῷ τῷ τοῦ λογισμοῦ φωτὶ [a] ἀμέριμνος ἵστατο. Ὑποστρέψας δὲ ὁ Ἀρειανὸς ἐπίσκοπος πρὸς τὸν δυσσεβῆ τούτου πατέρα, καὶ τὰ [b] ῥηθέντα αὐτοῦ ἐπαγγείλας ἔβρυξεν κατ' αὐτοῦ. Παρευθὺς δὲ τοὺς ἐπιφανεῖς τῶν ἀρχόντων αὐτοῦ ἀποστείλας, τούτοις ἐκέλευσεν, ἵνα τὸν σταθηρὸν τοῦ Θεοῦ ὁμολογητήν, ἐν τῷ τόπῳ ἔνθα ἔκειτο, ἀποκτείνωσιν. Ὅπερ καὶ γέγονεν. Ἠνίκα γὰρ πρὸς αὐτὸν [c] εἰσῆλθον, καὶ τὴν ἀξίνην ἐν τῷ ἐγκεφάλῳ αὐτοῦ ἐμπήξαντες, τὴν τοῦ σώματος αὐτοῦ ζωὴν ἀφείλοντο. [ [d] Οὕτως δὲ αὐτὸν ἐνίσχυσαν φονεῦσαι, ὥστε καὶ πρὸ τοῦ φονευθῆναι αὐτὸς εἰς ἑαυτὸν συνεστῶτα, τοῦτον ἐπιπλῆξαι καὶ παροικειώσασθαι.] Διὰ δὲ τὸ ἐπιδειχθῆναι [e] τὴν ἀληθινὴν αὐτοῦ δόξαν, οὐ παρέλειψαν ἄνωθεν θαύματα αὐτόθι γίνεσθαι. Ἐν γὰρ τῇ νυκτερινῇ ἡσυχίᾳ ἤρξαντο ἄσματα ψαλμῳδίας ἐν τῷ σώματι τοῦ ῥηγὸς καὶ μάρτυρος ἀκούεσθαι, καὶ λαμπάδες ἅπτουσαι αὐτόθι φαίνεσθαι, καὶ διὰ τοῦτο μάρτυρος, ὅτι μάρτυρες ἀληθῶς οἱ ἐκεῖσε παραγενόμενοι. (Sic.) Ὅθεν καὶ γέγονεν, τὸ σῶμα αὐτοῦ παρὰ πάντων πιστῶν σεβασθῆναι, ὡς ἀληθινοῦ δηλαδὴ μάρτυρος. Ὁ δὲ κακόπιστος καὶ τεκνοκτόνος αὐτοῦ πατὴρ, **347** δι' ὧν τοῦτο εἰργάσατο μεταγνούς, τῷ πόνῳ ἑαυτὸν συνετάραξεν, οὐ μέν τοί γε πρὸς τὸ ἐγκρατῆ γένεσθαι τῆς σωτηρίας ἑαυτὸν ἐπέδωκεν. Ὅτι γὰρ ἀληθὴς ὑπάρχει ἡ καθολικὴ πίστις, ἐπέγνω, τὸ δὲ ἔθνος αὐτοῦ φοβηθείς, [f] ταύτῃ προσελθεῖν οὐκ ἠξιώθη. Ἀσθενείας δὲ αὐτῷ ἐπελθούσης, καὶ ἐν τοῖς ἐσχάτοις ἀπενεχθέντος, Λεάνδρῳ τῷ ἐπισκόπῳ, ὅνπερ πρότερον σφοδρῶς ἦν καταπλήξας, Ῥεχάρεδον τὸν υἱὸν αὐτοῦ καὶ ῥῆγα, ὃν ἐν τῇ ἰδίᾳ αἱρέσει κατελίμπανεν, παραθέσθαι ἔσπευσεν, ἵνα καὶ εἰς τοῦτον τοιαῦτα ἐργάζηται, οἷα τῇ αὐτοῦ διδασκαλίᾳ, καὶ εἰς τὸν ἐκείνου ἀδελφὸν πεποίηκεν. Τῆς οὖν τοιαύτης παραθέσεως πληρωθείσης, παρευθὺ ἐτελεύτησεν. Ῥεχάρεδος δὲ ὁ ῥὴξ οὐχὶ τῷ κακοπίστῳ πατρὶ ἀκολουθήσας, ἀλλὰ τῷ μάρτυρι ἀδελφῷ ἑπόμενος, ἀπὸ τῆς δυσωνύμου Ἀρειανῆς αἱρέσεως ἐπέστρεψεν, καὶ ὅλον τὸ τῶν Οὐισιγότθων ἔθνος εἰς τὴν ἀληθινὴν ὡδήγησεν πίστιν· μὴ συγ-

A niente autem paschalis festivitatis die (*Causa* 1, *q.* 1, *c.*72, *Superveniente*), intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arianum episcopum misit, ut ex ejus manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet, atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus Ariano episcopo venienti exprobravit ut debuit, ejusque a se perfidiam dignis increpationibus repulit; quia etsi exterius jacebat ligatus, apud se tamen in magno mentis culmine stabat securus. Ad se itaque [g] reverso episcopo, Arianus pater infremuit, statimque suos [h] apparitores misit, qui constantissimum confessorem Dei illic ubi jacebat occiderent; quod et factum est. Nam mox ut ingressi sunt, securem cerebro ejus infigentes, vitam corporis abstulerunt; hocque in eo valuerunt perimere, B [i] quod ipse quoque qui peremptus est, in se constituerat despexisse. Sed pro ostendenda vera ejus gloria, superna quoque non defuere miracula. Nam cœpit in nocturno silentio psalmodiæ cantus ad corpus ejusdem regis et martyris audiri; atque ideo veraciter regis, quia et martyris. Quidam etiam ferunt quod illic nocturno tempore accensæ lampades apparebant; unde et factum est quatenus corpus illius, ut videlicet martyris, jure a cunctis fidelibus venerari debuisset. Pater vero perfidus et parricida commotus **348** pœnitentia, hoc fecisse se doluit, nec tamen usque ad obtinendam salutem. Nam quia vera esset catholica fides agnovit, sed gentis suæ timore perterritus, ad hanc pervenire non meruit. Qui oborta ægritudine ad extrema perductus, Leandro episcopo, quem prius C vehementer afflixerat, Recharedum regem filium, quem in sua hæresi relinquebat, commendare curavit, ut in ipso quoque talia faceret, qualia et in fratre illius suis cohortationibus fecisset. Qua commendatione expleta defunctus est. Post cujus mortem [j] Recharedus rex non patrem perfidum, sed fratrem martyrem sequens, ab Arianæ hæreseos pravitate conversus est, totamque Visigothorum gentem ita ad veram perduxit fidem, ut nullum in suo regno militare permitteret, qui regno Dei hostis existere per [k] hæreticam perfidiam non timeret. Nec mirum quod veræ fidei prædicator factus est, qui frater est martyris, cujus hunc quoque merita adjuvant, ut ad omnipotentis Dei gremium tam multos reducat. Qua in re considerandum nobis est, quia totum hoc agi nequaquam posset, si Herminigildus rex pro veritate D mortuus non fuisset. Nam sicut scriptum est: *Nisi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, ipsum solum manet; si autem mortuum fuerit, multum fructum affert* (*Joan.* XII, 24). Hoc fieri videmus in membris, quod factum scimus in capite. In Visigo-

[a] Ms., ἀμερίμνως ἔκειτο.

[b] Ms., ῥηθέντα αὐτῷ παρ' αὐτοῦ ἀπήγγειλεν. Ὁ δὲ βρύξας κατ' αὐτοῦ παρευθὺ τοὺς ἐπιφανεῖς.

[c] Editi, εἰσήλθασιν καί.

[d] Locus hic, quem intra uncinos conclusimus, deest in Ms., depravatusque, aut saltem non mediocriter intricatus esse videtur.

[e] Ms., ἀληθινὴν αὐτοῦ καὶ δόξαν.

[f] Ms., ταύτῃ προσελθεῖν.

[g] Plurimi Norman. cum secundo Carnot., *reverso episcopo Ariano, pater*, etc.

[h] Interpres habet, *illustriores magnatum seu procerum;* quasi intellexerit *apparitores* idem significare ac *magis apparentes* ἐπιφανεῖς.

[i] Editi, *quod ipsum quoque.*

[j] De Recharedi totiusque Visigoth. gentis conversione, consulenda epistola 122 libri IX, indict. 11, quæ olim erat 127 libri VII, indict. 11.

[k] Editi, renitentibus Mss., *hæreticam pravitatem.*

thorum etenim gente unus mortuus est, ut multi vi- A verent; et dum unum granum fideliter cecidit ad [a] obtinendam vitam animarum, seges multa surrexit.

χωρῶν τινι ὑπὸ τὴν αὐτοῦ βασιλείαν στρατεύεσθαι, ὅστις διὰ τῆς Ἀρειανῆς κακοπίστου αἱρέσεως ἐχθρὸς τῆς τοῦ Θεοῦ βασιλείας καθέστηκεν. Κήρυξ οὖν τῆς ἀληθινῆς [f] πίστεως γέγονε, ὅστις ἀδελφὸς ὑπῆρχεν τοῦ μάρτυρος, τὰ παρ' ἐκείνου δικαιώματα τούτῳ συνεργοῦντα βοηθοῦσιν, ὥστε εἰς τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ [g] κῆπον τοσοῦτον πλῆθος λαοῦ ἐπιστρέψῃ. Ἐν τούτῳ οὖν πράγματι κατανοῆσαι ἡμᾶς δεῖ, ὅτι ὅλον τοῦτο πράξαι οὐδαμῶς ἠδύνατο, εἰ μὴ Ἑρμιγίλδος ὁ ῥὴξ ὑπὲρ τῆς ἀληθείας ἀπέθανεν, καθὼς καὶ ἐν τῷ εὐαγγελίῳ γέγραπται, ὅτι ὁ κόκκος τοῦ σίτου πεσὼν εἰς τὴν γῆν ἐὰν μὴ ἀποθανῇ, αὐτὸς μόνος μένει· ἐὰν δὲ ἀποθανῇ, πολὺν καρπὸν φέρει. Τοῦτο τοίνυν καὶ ἐν τοῖς μέλεσιν ὁρῶμεν γινόμενον, ὅπερ καὶ ἐν τῇ κεφαλῇ ἡμῶν Χριστῷ. Ἐν γὰρ καὶ τῷ Οὐισιγόθων ἔθνει εἰς ἀπέθανεν, ὅπως πολλοὶ ζήσωσιν· ἐν ὅσῳ γὰρ εἷς κόκκος πιστὸς ἔπεσεν, εἰς τὸ κατασχεῖν τὴν τῶν ψυχῶν πίστιν, καρπὸς πολὺς ἀνέστη.

Petr. Res mira, et nostris stupenda temporibus.

ΠΕΤΡ. Πρᾶγμα θαυμαστὸν ὄντως, καὶ ἐκπλήξεως γέμον ἐν τοῖς ἡμετέροις χρόνοις.

## CAPUT XXXII. B

[b] *De episcopis Africanis qui pro defensione catholicæ fidei abscissa ab Arianis Vandalis lingua nullum locutionis solitæ sustinuere dispendium.*

## ΚΕΦΑΛ. ΛΒ'.

Περὶ τῶν ἀπὸ Ἀφρικῆς ἐπισκοπων τῶν διὰ τὴν ὀρθόδοξον πίστιν γλωσσοκοπηθέντων, καὶ πάλιν λαλησάντων.

Greg. Justiniani quoque Augusti temporibus, dum contra catholicorum fidem exorta a Vandalis persecutio Ariana in Africa vehementer insaniret, quidam in defensione veritatis episcopi fortiter persistentes, ad medium sunt deducti. Quos Vandalorum [c] rex verbis ac muneribus ad perfidiam flectere non valens, tormentis frangere posse se credidit. Nam cum eis in ipsa defensione veritatis [d] silentium indiceret, nec tamen ipsi contra perfidiam tacerent, ne tacendo forsitan consensisse viderentur, raptus in furorem, eorum linguas abscidi radicitus fecit. Res mira et multis nota senioribus, quia ita post pro defensione veritatis etiam sine lingua loquebantur, sicut C prius loqui per linguam consueverant.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐπὶ [h] τῶν χρόνων Ἰουστινιανοῦ τοῦ Αὐγούστου τὸ τῶν Οὐανδάλων ἔθνος κατὰ τῆς καθολικῆς ἡμῶν καὶ ὀρθοδόξου πίστεως ἀναφυέν, ὁ Ἀρειανὸς διωγμὸς σφόδρα καὶ ἐν Ἀφρικῇ ὑπῆρχεν. Τινὲς δὲ τῶν ἐκεῖσε ἐπισκόπων εἰς τὴν τῆς ἀληθείας ἐκδίκησιν στερρῶς ἱστάμενοι εἰς μέσον ἤχθησαν. Τούτους δὲ ὁ τῶν Οὐανδάλων ῥὴξ λόγοις ἀπατηλοῖς καὶ δώρων ὑποσχέσεσιν εἰς τὴν αὐτοῦ κακοπιστίαν κλῖναι μὴ δυνηθείς, ἐπειρᾶτο [i] διὰ πολλῶν βασάνων αὐτοὺς ἐπισπάσασθαι. Ὡς δὲ καὶ ἐν τούτῳ διήμαρτεν, ἡσυχάζειν αὐτοῖς ἐπέστρεψε, καὶ μὴ λαλεῖν ὑπὲρ τῆς ἐκδικήσεως τῆς ἀληθείας. Ἐκεῖνοι δὲ οὐδαμῶς τοῦτο ποιῆσαι ἠνέσχοντο, ἵνα μὴ σιωπῶντες συναινέσαι αὐτῷ νομισθῶσιν. Ἐπὶ τούτοις δὲ ὁ αὐτὸς ῥὴξ [j] τοῦ θυμοῦ ὑπερζέσας, τὰς γλώττας αὐτῶν ἐκ τοῦ λάρυγγος κοπῆναι προσέταξεν. [k] Θαῦμα δὲ συνέβη θαύματος πλῆρες, πολλοῖς καὶ τῶν ἡμετέρων γερόντων ἐγνωρισμένον. Μετὰ γὰρ τὸ τὰς γλώττας αὐτῶν ἐκκοπῆναι, ὑπὲρ τῆς ἐκδικήσεως τῆς ἀληθείας οὕτω ἐλάλουν, καθάπερ μετὰ τῆς γλώττης τὸ πρότερον.

**349** Petr. Mirandum valde et vehementer stupendum.

**350** ΠΕΤΡ. Θαυμαστὸν ὄντως ὑπάρχει καὶ σφόδρα ἔκπληκτον.

Gregor. Scriptum, Petre, est de Unigenito summi Patris: *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum* (*Joan.* I, 1). De cujus etiam virtute subjungitur: *Omnia per ipsum facta sunt* (*Ibid.*). Quid igitur miramur, si verba edere sine lingua potuit Verbum quod fecit linguam?

ΓΡΗΓΟΡ. Γέγραπται, Πέτρε, περὶ τοῦ μονογενοῦς Υἱοῦ τοῦ ἀνάρχου Πατρός· Ἐν ἀρχῇ ἦν ὁ Λόγος, καὶ ὁ Λόγος ἦν πρὸς τὸν Θεὸν, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος. Προσθεὶς δὲ ὁ εὐαγγελιστὴς, περὶ τῆς αὐτοῦ δυνάμεως λέγει· Πάντα δι' αὐτοῦ ἐγένετο. Τί οὖν [l] θαυμάζομεν, ἐὰν ὁ Λόγος ἀποφθέγγεσθαι λόγους ἄνευ γλώσσης ἠδυνήθη, ὁ τὴν γλῶτταν ποιήσας

Petr. Placet quod dicis.

ΠΕΤΡ. Ἀρέσκει ὃ λέγεις.

Gregor. Hi itaque, eo tempore profugi, ad Constantantinopolitanam urbem venerunt. Eo quoque tempore quo [e] pro explendis responsis Ecclesiæ ad principem ipse transmissus sum, seniorem quemdam episcopum reperi qui se adhuc eorum ora sine lin- D

ΓΡΗΓΟΡ. Οὗτοι τοίνυν ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ πρόσφυγοι ἐν Κωνσταντινουπόλει παρεγένοντο. Ἐν τῷ χρόνῳ δὲ ἐν ᾧ ἐγὼ ἀπεστάλην πρὸς τὸν βασιλέα ἐπὶ τὸ ἐκπληρῶσαί με τὰς τῆς ἐκκλησίας ἀποκρίσεις, γέροντά τινα ἐπίσκοπον εὗρον, ὅστις ἐμαρτύρει ἄνευ γλώττης τὰ ἐκείνων

[a] In Vulgatis, *ad obtin. fidem.*

[b] De episcopis Afris post linguam radicitus amputatam loquentibus, vide Vict. Vitensem, Hist. Persecut. Vandal. lib. v, c. 6, p. 76 edit. D. Theod. Ruinart.; et Procopium, lib. I de Bello Vandalico: *Multis et linguas exscindebat e faucibus, qui mea etiam ætate Byzantii ambulabant, integro utentes sermone, nihilque de veteri pœna persentiscentes. E queis duo, postquam se prostituti pudoris feminis miscuerant, loqui desiere.* Hæc Procop. Quæ tamen Justiniano imperante contigisse cave credere, cum nondum tunc natus esset Justinianus. Hunnericus regnare cœpit ann. circiter 484, et Justinianus ann. 527.

[c] Fuit hic *Hunnericus*, seu *Honoricus*, Victore Vit. et Procopio testibus.

[d] Prat., *silentium imponere conatus esset.*

[e] Lege exordium epistolæ libris Moral. præmissæ.

[f] Ms., ἀφόβως γεγ... ὑπάρχων.

[g] Ms., κόλπον.

[h] Ms., ἐπὶ τὸν χρόνον.

[i] Ms., ἐπειρᾶτο δι' ἀπειλῶν καὶ βασανων.

[j] Ms., τῷ θυμῷ.

[k] Ms., πρᾶγμα δέ.

[l] Τί οὖν θαυμαστὸν ἐὰν ὁ.

στόματα λαλοῦντα ἑωρακέναι. Ἀνοίγοντες γὰρ τὰ ἑαυτῶν στόματα, ἔλεγον πᾶσιν· Θεάσασθε ὅτι γλώττας μὴ ἔχοντες λαλοῦμεν. Ἐθεωροῦντο οὖν παρὰ πάντων, καὶ καθὼς ἔλεγον, οὕτως [a] ὑπῆρχον. Τῶν δὲ γλωσσῶν αὐτῶν ῥιζόθεν κοπεισῶν, καθάπερ τι βάραθρον ὁ [b] λάρυγξ ἀνεῳγμένος ἐθεωρεῖτο. Σαθούρου οὖν τοῦ στόματος ὑπάρχοντος, λόγοι πεπληρωμένοι προήρχοντο. Ἑνὸς δὲ αὐτῶν ἐκεῖσε εἰς πορνείαν σφαλέντος, εὐθέως τοῦ θαυμαστοῦ τούτου χαρίσματος ἐστερήθη· [c] δικαίᾳ τοῦ Θεοῦ κρίσει, ἵνα τὴν τῆς σαρκὸς ἐγκράτειαν φυλάξαι καταφρονήσας, ἄνευ γλώττης σωματικῆς μὴ σχῇ δύναμιν πρὸς τὸ λαλῆσαι. Ἀλλὰ ταῦτα μὲν περὶ κατακρίσεως τῆς Ἀρειανῆς αἱρέσεως λέγειν αὐταρκὲς ἡγοῦμαι. Εἰς δὲ τὰ νεωστὶ γεγονότα ἐν τῇ Ἰταλίᾳ σημεῖα τὴν διήγησιν ὑποστρέψωμεν.

A guis loquentia vidisse testabatur, ita ut apertis oribus clamarent : Ecce videte, quia linguas non habemus et loquimur. Videbatur enim a respicientibus, ut ferebat, quia abscissis radicitus linguis, quasi quoddam barathrum patebat in gutture, et tamen ore vacuo plena ad integrum verba formabantur. Quorum illic unus in luxuriam lapsus, mox privatus est dono miraculi ; recto videlicet omnipotentis Dei judicio, ut qui carnis continentiam servare neglexerat, sine lingua carnea non haberet verba [g] virtutis. Sed hæc nos pro Arianæ hæreseos damnatione dixisse sufficiat, nunc ad ea quæ nuper in Italia gesta sunt signa redeamus.

## ΚΕΦΑΛ. ΛΓ'.

### Περὶ Ἐλευθερίου ἡγουμένου μονῆς τοῦ ἁγίου Μάρκου Σπολήτης.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ὁ προλεχθεὶς Ἐλευθέριος, οὗτινος ἀνωτέρω μνείαν πεποίημαι, ὁ τῆς τοῦ μακαρίου τοῦ εὐαγγελιστοῦ μονῆς ἡγούμενος τῆς ἐν τῇ πόλει Σπολήτης διακειμένης [d] ἐν τόπῳ ὀρινῷ, πάνυ γνησίως μετ' ἐμοῦ ἀνεστρέφετο ἐν τῷ ἐμῷ μοναστηρίῳ, ὅταν ἐν πόλει ταύτῃ [e] παρεγίνετο, ὅστις ἐν τῇ ἰδίᾳ αὐτοῦ μονῇ ἐτελεύτησε. Περὶ τούτου ἔλεγον οἱ αὐτοῦ μαθηταί, ὅτι εὐχόμενος νεκρὸν ἀνέστησε. Τοιαύτης γὰρ ὁ ἀνὴρ ἀκεραιότητος καὶ κατανύξεως ὑπῆρχεν., ὥστε δισταγμὸν μὴ εἶναι, τοῦ πολλὰ δύνασθαι ὑπακουσθῆναι παρὰ τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ ἐκεῖνα τὰ δάκρυα, τὰ ἐκ τοσούτου ταπεινόφρονος καὶ ἀκάκου λογισμοῦ προερχόμενα. Περὶ τούτου οὖν θαῦμά τι, κἀγὼ διηγοῦμαι, ὅπερ αὐτὸς παρ' ἐμοῦ ἐρωτηθείς, ἁπλάστως μοι αὐτὸς ὡμολόγησεν. Ἔλεγε γάρ, ὅτι ἔν τινι ἡμέρᾳ ὁδὸν αὐτῷ διανύοντι, ὁ τῆς ἑσπέρας αὐτὸν καιρὸς κατέλαβε. Τόπου δὲ μὴ ὑπάρχοντος, ἐν ᾧ ἑαυτὸν κατακλῖναι ὀφείλῃ, ἐν μοναστηρίῳ παρθένων εἰς μονὴν εἰσῆλθε. Παιδίον δὲ μικρὸν αὐτόθι ὑπῆρχεν, ὅπερ καθ' ἑκάστην νύκτα ὑπὸ πνεύματος πονηροῦ ἐῤῥίπτετο. Αἱ ἱεραὶ θήλειαι ἐκεῖναι, ὡς Θεοῦ ἄνθρωπον ὑποδεξάμεναι, παρεκάλεσαν αὐτὸν λέγουσαι· Πάτερ τίμιε, μετὰ σοῦ ταύτῃ τῇ νυκτὶ τὸ παιδίον ἀναπαυέσθω. Αὐτὸς δὲ ἐν ἱλαρότητι τοῦτο δεξάμενος, μεθ' ἑαυτοῦ τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ ἀναπαυσθῆναι πεποίηκε. Πρωΐας δὲ γενομένης ἤρξαντο αἱ μονάστριαι ἐπιμελῶς τὸν αὐτὸν πατέρα ἐρωτᾶν, ἐάν τι συνέβη τῇ νυκτὶ τῷ παιδίῳ. Ὅστις θαυμάσας διὰ τί παρ' αὐτῶν ἠρωτᾶτο, ἀπεκρίθη, μηδὲν αὐτῷ συμβεβηκέναι. Τότε δὲ αὐτῷ ἐκεῖναι περὶ τοῦ παιδὸς ἐγνώρισαν, ὅτι οὐδὲ μίαν νύκτα τὸ πονηρὸν πνεῦμα ἀπ' αὐτοῦ ἀφίστατο. Συμφώνως οὖν ἅπασαι αὐτὸν ἐδυσώπουν, ὅπως τὸν αὐτὸν παῖδα μεθ' ἑαυτοῦ ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ λάβῃ. Οὐκ ἠδύναντο γὰρ **351** λοιπὸν θεωρεῖν αὐτὸν ὑπὸ τοῦ δαίμονος οὕτω [f] ῥιπτόμενον. Εἶξεν οὖν ὁ γέρων ἐπὶ τούτῳ, καὶ τὸν παῖδα ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ μεθ' ἑαυτοῦ ἀπήγαγε. Πολὺν δὲ καιρὸν ἐν τῷ μοναστηρίῳ τοῦ

## CAPUT XXXIII.

### *De Eleutherio servo Dei.*

Gregorius. Is autem, cujus superius memoriam feci (Cap. 21 *hujus libri*), [h] Eleutherius Pater monasterii beati evangelistæ Marci, quod [i] in Spoletanæ urbis pomeriis situm est, diu mecum est in hac urbe in meo monasterio conversatus, ibique defunctus est. Quem sui discipuli referebant [j] orando mortuum suscitasse. Vir autem tantæ simplicitatis erat et compunctionis, ut dubium non esset quod illæ lacrymæ ex tam humili simplicique mente editæ apud omnipotentem Deum multa obtinere potuissent. Hujus ergo aliquod miraculum narro, quod inquisitus mihi simpliciter et ipse fatebatur. Quadam namque die dum iter carperet, facto vespere cum [k] ad secedendum locus deesset, in monasterium virginum devenit, in quo quidam puer parvulus erat, quem malignus spiritus omni nocte vexare consueverat. Sed sanctimoniales feminæ ut virum Dei susceperunt eum rogaverunt, dicentes : Tecum, Pater, hac nocte puer iste maneat. Quem ipse benigne suscepit, secumque eum nocte eadem jacere permisit. Facto autem mane coeperunt sanctimoniales feminæ eumdem Patrem vigilanter inquirere, si quid ei puer quem dederant nocte eadem fecisset. Qui miratus cur ita requirerent, respondit : Nihil. Tunc illæ ejusdem pueri innotuerunt causam, et quod malignus spiritus nulla ab eo nocte recederet indicaverunt, summopere postulantes ut hunc secum ad monasterium tolleret, quia jam vexationem **352** illius videre ipsæ non possent. Consensit senex, puerum ad monasterium duxit. Qui cum multo tempore in monasterio fuisset, atque ad hunc antiquus hostis accedere minime præsumpsisset, ejusdem senis animus de salute pueri immoderatius per [l] lætitiam tactus est. Nam coram positis fratribus dixit : Fratres, diabolus [m] ibi cum illis sororibus jocabatur ; at vero

[a] Ms., ὑπῆρχεν.
[b] Ms., φάρυγξ ἀνοιγόμενος..... διακένου οὖν.
[c] Ms., δικαία τοῦ θεοῦ ἡ κρίσις· ἵνα ὁ τήν.
[d] Ms., ἐν τόπῳ ἀρειανῶ. Fort. ἐν τῷ πωμηριῳ.
[e] παρεγένετο..... ἐτελεύτησε.
[f] Ms., ῥησσόμενον εἶξεν.
[g] Vulgati, *veritatis*.
[h] In sacris tab. ejus nomen legitur die 6 Septembris.

[i] Primus Theod., *in Spolitana urbe pos.*
[j] Excusi, *plorando*.
[k] Gemet. et secundus Theod., *ad succedendum*, quod optime dicitur Virg. l. IV Æneid. :

Quis novus hic nostris successit sedibus hospes.

[l] Val Cl., *per læt. hilaris factus.*
[m] Vel. *sibi* ; utrumque enim legitur in Mss.

ubi ad servos Dei ventum est, ad hunc puerum accedere non præsumpsit. Post quam vocem, hora eadem ac momento, idem puer coram cunctis fratribus diabolo se invadente vexatus est; quo viso senex, se protinus in lamentum dedit. Quem dum lugentem diu fratres consolari voluissent, respondit, dicens: Credite mihi, quia in nullius vestrum ore hodie panis ingreditur, nisi puer iste a dæmonio fuerit ereptus. Tunc se in orationem cum cunctis fratribus stravit, et eo usque oratum est, quousque puer a vexatione sanaretur. Qui tam perfecte sanatus est, ut ad hunc malignus spiritus accedendi ausum ulterius non haberet.

A παιδὸς πεποιηκότος, καὶ τοῦ ἀρχαίου ἐχθροῦ μηδαμῶς τολμήσαντος αὐτῷ προσεγγίσαι, μετ' εὐφροσύνης ἡ τοῦ γέροντος ψυχὴ ἀναρμοδίως νυτομόλησε περὶ τῆς τοῦ παιδὸς σωτηρίας, ὡς ὅτι δι' αὐτοῦ ἰάσθη. Ἐνώπιον γὰρ τῶν παρόντων ἀδελφῶν, εἶπεν· Ἀδελφοί, ὁ διάβολος μετὰ τῶν μοναστριῶν ἐκείνων ἔπαιζεν. Ἡνίκα δὲ εἰς τοὺς δούλους τοῦ Θεοῦ ὁ παῖς οὗτος ἦλθε, προσεγγίσαι αὐτῷ οὐκ ἐτόλμησε. Μετὰ δὲ ταύτην τὴν φωνὴν ἐν αὐτῇ τῇ ὥρᾳ ὁ διάβολος τῷ παιδὶ ἐπιβὰς, ἐνώπιον πάντων τῶν ἀδελφῶν τοῦτον ἔῤῥηξε. Τοῦτο δὲ ὁ γέρων θεασάμενος, παραυτὰ εἰς θρῆνον ἑαυτὸν δέδωκε. Τούτου δὲ ἐπὶ πολὺ θρηνοῦντος, καὶ τῶν ἀδελφῶν παρακαλούντων [d] αὐτὸν τοῦ μικρὸν ἐνδοῦναι, ἀπεκρίθη αὐτοῖς, λέγων· Πιστεύσατέ μοι, ὅτι ἐν οὐδενὶ [e] ἐξ ὑμῶν σήμερον ἐν τῷ στόματι ἄρτος εἰσέρχεται, εἰ μὴ ὁ παῖς οὗτος ἐκ τοῦ δαίμονος ἐλευθερωθῇ. Τότε οὖν ἑαυτὸν εἰς εὐχὴν μετὰ πάντων τῶν ἀδελφῶν ὑπέστρωσε, καὶ τοσοῦτον [f] τῆς εὐχῆς προσεκαρτέρησαν, ἕως οὗ ὁ παῖς ἀπὸ τοῦ δαίμονος ἐλευθερώθη. Οὕτω δὲ παντελῶς ὁ παῖς [g] ἰάσθη, ὥστε τοῦ λοιποῦ τὸ πονηρὸν πνεῦμα τούτῳ προσεγγίσαι οὐκ ἴσχυσεν.

Petr. Credo quod ei elatio parva subrepserat, et ideo ejus discipulos omnipotens Deus facti illius esse voluit adjutores.

B Πετρ. Λογίζομαι, ὅτι ὑψηλοφροσύνη μικρὰ αὐτῷ ὑπεισῆλθε, καὶ τούτου ἕνεκα τοὺς μαθητὰς αὐτοῦ ὁ παντοδύναμος Θεὸς βοηθοὺς αὐτοῦ ἐν τῷ θαύματι τούτῳ ποιῆσαι ἠθέλησεν.

Gregor. Ita est; nam quia pondus miraculi solus portare non potuit, divisit hoc cum fratribus, et portavit. Hujus viri oratio quantæ virtutis esset, in memetipso expertus sum. Nam cum quodam tempore in monasterio positus incisionem vitalium paterer, crebrisque angustiis per horarum momenta ad exitum propinquarem (quam medici molestiam Græco eloquio syncopin vocant), et nisi me frequenter fratres cibo reficerent, vitalis mihi spiritus funditus [a] intercidi videretur, paschalis supervenit dies. Et cum sacratissimo Sabbato, in quo omnes et parvuli pueri jejunant, ego jejunare non possem, cœpi plus mœrore quam infirmitate deficere. Sed tristis animus consilium citius invenit, ut eumdem virum Dei secreto in oratorium ducerem, eumque peterem quatenus mihi ut die illo virtus ad jejunandum daretur, suis apud omnipotentem Dominum precibus obtineret; quod et factum est. Nam mox ut oratorium ingressi sumus, [b] a me humiliter postulatus, sese cum lacrymis in orationem dedit, et post paululum completa oratione exiit. Sed ad vocem benedictionis illius, virtutem tantam meus stomachus accepit, ut mihi funditus a memoria tolleretur cibus et ægritudo. Cœpi mirari quis essem, quis fuerim, quia et cum ad animum redibat infirmitas, nihil in me ex his quæ memineram recognoscebam. Cumque [c] in dispositione monasterii occupata mens esset, obliviscebar funditus ægritudinis meæ. Si vero, ut prædixi, rediret ægritudo ad memoriam, cum tam fortem me esse sentirem, mirabar si non comedissem. Qui ad vesperam veniens, tantæ me fortitudinis inveni, ut si voluissem, jejunium usque ad diem alterum transferre potuissem. **353** Sicque

ΓΡΗΓΟΡ. Οὕτως ἐστίν. Ἐπειδὴ γὰρ τὸ βάρος τοῦ θαύματος μόνος βαστάσαι οὐκ ἴσχυσε, διεμερίσατο αὐτὸ μετὰ τῶν ἀδελφῶν. Τούτου τοῦ ἀνδρὸς ἡ εὐχὴ πόσης δυνάμεως ὑπῆρχεν, ἐγὼ ἐν ἐμαυτῷ διὰ πείρας ἔγνων. Ἐν ὅσῳ γὰρ ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπῆρχον, ἔν τινι καιρῷ ἀσθενείας συγκοπὴν τοῦ ζωοποιοῦ πνεύματος ὑπομένων, καὶ συχνῶς στενοχωρούμενος κατὰ στιγμὴν ὥρας, πρὸς τὴν τοῦ θανάτου ἔξοδον ἐπλησίαζον. Ταύτην δὲ τὴν ἀσθένειαν οἱ ἰατροὶ τῇ [c] Ἑλληνίδι διαλέκτῳ συγκοπὴν καλεῖν εἰώθασιν. Εἰ μὴ δὲ συχνοτέρως οἱ ἀδελφοί τῇ τροφῇ με παρεμυθοῦντο, τὸ ζωτικόν μοι πνεῦμα ἐκ βάθρων [h] ἀναστάσεσθαι ἤμελλε. Τῆς δὲ τοῦ ἁγίου πάσχα ἡμέρας καταλαβούσης, τῷ ἁγίῳ σαββάτῳ ἐν ᾧ πάντες ἕως καὶ τὰ [i] σεμνὰ παιδία νηστεύουσιν, ἐγὼ νηστεῦσαι οὐκ ἠδυνάμην. Ἤρξάμην τοίνυν τῇ λύπῃ πλειοτέρως, [j] εἴπερ τῆς ἀσθενείας ἐκλιμπάνειν. Ταχέως δὲ ἡ κατόδυνός μου ψυχὴ, ἀρίστην βουλὴν εὗρε. Τὸν γὰρ αὐτὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον Ἐλευθέριον ἐν μυστηρίῳ εἰς τὸ εὐκτήριον ἀπήγαγον, καὶ τοῦτο ἠτησάμην, ὅπως διὰ τῆς αὐτοῦ δεήσεως, παρὰ τῷ παντοδυνάμῳ κυρίῳ δύναμίς μοι πρὸς τὸ νεστεύειν δοθήσεται. Ὅπερ καὶ γέγονεν. Ἡνίκα γὰρ εἰς τὸ εὐκτήριον εἰσήλθομεν, καὶ μετὰ πολλῆς ταπεινώσεως τοῦτον ἠτησάμην, ἑαυτὸν μετὰ δακρύων εἰς εὐχὴν δέδωκε. Μετ' ὀλίγον δὲ τῆς εὐχῆς πληρωθείσης, ἐν τῇ τῆς εὐλογίας αὐτοῦ φωνῇ δύναμιν τοσαύτην ὁ στόμαχός μου ἔλαβεν, ὥστε παντελῶς ἐκ τῆς μνήμης μου τὴν τροφὴν καὶ τὴν ἀσθένειαν ἀρθῆναι. Ἤρξάμην τοίνυν θαυμάζειν τίς ἦμην, καὶ τίς ἐγενόμην. Ὅτε δὲ καὶ ἐπέστρεφεν ἐν ἐμοὶ ἡ ἀσθένεια, οὐδὲν ἐξ ἐκείνων ἐγνώριζον, ὧνπερ ἔπασχον πρώην. Ἡνίκα δὲ ἐν τῇ τοῦ μοναστηρίου διοικήσει ἐπάσχολος ὁ λογισμός μου ὑπῆρχε, παντελῶς ἐπελανθανόμην τῆς ἀσθενείας μου. Ἐὰν δὲ, καθὼς προεῖπον,

[a] Longip., *interdici*. Consentit secundus Theod.
[b] Sic legendum suadet unanimis Mss. consensus. In vulgatis tantum habes, *ingressi sumus, humiliter sese*.
[c] Val. Cl. et duo Theod., *in dispensatione*.
[d] Ms., αὐτὸν μικρόν τι ἐκδοῦναι.
[e] Ms., ἐξ ἡμῶν.
[f] Ms., τῇ εὐχῇ.
[g] Ms., ἰάθη, ὥστε παντελῶς τοῦ λοιποῦ.
[h] Ms., ἀναστᾶσθαι.
[i] Ms., μικρὰ παιδία.
[j] Ms., ὑπέρ.

ὑπέστρεφεν ἡ ἀσθένεια ὑπομιμνήσκουσά με, ἐν τοιαύτῃ δυνάμει θεώμενος ἑαυτὸν, καί τοι μὴ ἐσθίοντός μου ἐθαύμαζον. Πρὸς γὰρ ἑσπέραν ἐρχόμενος, τοιαύτην ἰσχὺν ἐμαυτῷ ηὗρισκον, ὥστε ἐὰν ἤθελον ἕως ἄλλης ἡμέρας τὴν νηστείαν παρατεῖναι ἠδυνάμην. **354** Ἐκ τούτων οὖν τῶν εἰς ἐμὲ γεγονότων, ἀληθῆ εἶναι κἀκεῖνα περὶ αὐτοῦ πιστεύω, ὧνπερ αὐτόπτης ἐγὼ οὐ γέγονα.

A factum est ut in me probarem ea etiam de illo vera esse quibus ipse minime interfuissem.

ΠΕΤΡ. Ἐπειδὴ τὸν ἄνδρα τοῦτον μεγίστης κατανύξεως ὑπάρχειν ἔφης, αὐτὴν τὴν τῶν δακρύων δύναμιν τηλαυγῶς μαθεῖν ἐπιθυμῶ, καὶ αἰτῶ ἵνα εἴπῃς πόσα γένη τῆς κατανύξεώς εἰσιν.

Petr. Quia eumdem virum magnæ compunctionis fuisse dixisti, ipsam lacrymarum vim largius addiscere cupio. Unde quæso [e] ut quot sunt genera compunctionis mihi edisseras.

## ΚΕΦΑΛ. ΛΔ'.

Περὶ διαφορᾶς κατανύξεως.

## CAPUT XXXIV.

*Quot sunt compunctionis genera.*

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐν πολλοῖς εἴδεσι κάλλους ἡ κατάνυξις διαιρεῖται, ὅταν ἅπαντα τὰ πταίσματα παρὰ τῶν [a] μετανοούντων θρηνῶνται. Ὅθεν ἐκ προσώπου τῶν μετανοούντων Ἱερεμίας λέγει· Διαμερισμοὺς ὑδάτων ἐξήγαγεν ὁ ὀφθαλμός μου. Δύο τοίνυν εἰσὶ κεφαλαιωδέστερα γένη τῆς κατανύξεως. Ὅταν γὰρ τὸν Θεὸν διψήσῃ ψυχή, πρῶτον μὲν τῷ φόβῳ κατανύγεται, ἔπειτα δὲ τῷ πόθῳ. Ἐν πρώτοις οὖν δάκρυσιν ἑαυτὴν κατατήκει, ὑπόμνησιν τῶν κακῶν αὐτῆς λαμβάνουσα, φοβουμένη περὶ αὐτῶν, ἵνα μὴ αἰωνίᾳ κολάσει ὑποπέσῃ. Ἡνίκα δὲ λοιπὸν ἐν πολλῇ στενοχωρίᾳ λύπης ὑπάρξῃ, ἡ δειλία τέλος λαμβάνει. Ἀμεριμνία δέ τις περὶ τῆς συγχωρήσεως, καὶ παῤῥησία ἐν αὐτῇ γεννᾶται, καὶ λοιπὸν ἐν τῷ πόθῳ τῆς οὐρανίου χαρᾶς ἡ ψυχὴ ἐκκαίεται. Καὶ ἥτις πρότερον ἔκλαιε φοβουμένη, ἵνα μὴ εἰς κρίσιν ἀπενεχθῇ, ἐν ὑστέρῳ πάλιν ἄρχεται κλαίειν πικρῶς, ὅτι ἀπέχει τῆς βασιλείας. Κατοπτεύει γὰρ ὁ νοῦς ὁποῖοι τῶν ἀγγέλων εἰσὶν οἱ χοροί, καὶ ποία αὐτῶν ἡ συμμετοχή; ποία τῶν μακαρίων πνευμάτων ἡ μεγαλωσύνη, τίς ἡ αὐτοῦ τοῦ Θεοῦ κατόπτευσις. Ἐπὶ [b] πλέον τοίνυν καὶ πλέον θρηνεῖ, ὅτι τῶν διαμενόντων ἀγαθῶν στερεῖται, ἥτις πρότερον ἐθρήνει, τὰ αἰώνια κακὰ φοβουμένη. Οὕτως οὖν γίνεται, ἵνα ἡ τελεία κατάνυξις ἐκ τοῦ φόβου τὴν ψυχὴν εἰς τὴν ἀγάπησιν καταπέμψῃ. Ὅπερ καλῶς ἐν τῇ ἱερᾷ καὶ ἀληθινῇ ἱστορίᾳ τε [c] καὶ χαρακτηριστικῇ γέγραπται, περὶ Ἀσχᾶς τῆς θυγατρὸς Χαλεῦ, ὅτι καθεζομένη ἐπὶ τῆς ὄνου, ἐστέναξεν. Ὁ δὲ πατὴρ πρὸς αὐτὴν ἔφη· Τί ἔχεις; Ἀποκριθεῖσα δὲ αὐτῷ εἶπεν· Δός μοι εὐλογίαν, τὴν γῆν τῆς ἄρκτου ὅτι ξηρὰν δέδωκάς μοι, πρόσθες μοι καὶ τὴν ὑδρευομένην. Καὶ ἔδωκεν αὐτῇ ὁ πατὴρ αὐτῆς τὴν ὑδρευομένην τὴν ἄνωθεν, καὶ τὴν ὑδρευομένην τὴν κάτωθεν. Ἀσχὰ τοίνυν ἐπὶ τῆς ὄνου καθεζομένη, ἑρμηνεύεται ψυχὴ ἡ τοῖς ἀλόγοις τῆς σαρκὸς πάθεσι προσκαθεζομένη. Τὸ δὲ, στενάξασα ᾐτήσατο παρὰ τοῦ πατρὸς τὴν γῆν τὴν ὑδρευομένην, τοῦτο δηλοῖ, ὅτι παρὰ τῷ κτιστῇ ἡμῶν μετὰ μεγάλου στεναγμοῦ ζητεῖν ἡμᾶς δεῖ τὸ τῶν δακρύων ὕδωρ. Πολλοί γάρ εἰσιν, οἵτινες διδασκαλικοῦ μὲν χαρίσματος ἠξιώθησαν, καὶ μετὰ παῤῥησίας τὸ τῆς ἀληθείας δικαίωμα λαλῆσαι, τοὺς ἐν θλίψει παραμυθήσασθαι, τοῖς δεομένοις ἐπαρκέσαι, καὶ ζηλωτὰς γενέσθαι περὶ τὴν πίστιν, ἀκμὴν δὲ τὸ δῶρον τῶν δακρύων οὐκ ἔλαβον. [d] Οὗτοι δηλαδὴ τὴν τῆς ἄρκτου τὴν ξηρὰν ἔχουσι.

Gregorius. In multas species, compunctio dividitur, quando singulæ quæque a pœnitentibus culpæ planguntur. Unde ex voce quoque pœnitentium Jeremias ait: *Divisiones aquarum deduxit oculus meus* (*Thren.* III, 48). Principaliter vero compunctionis genera duo sunt, quia Deum sitiens anima prius timore compungitur, post amore. Prius [f] enim sese in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti æterna supplicia pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietudine fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur; et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum amarissime flere incipit, quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ majestas æternæ visionis Dei; et amplius plangit quia a bonis perennibus deest, quam flevit prius cum mala æterna metuebat. Sicque fit ut perfecta compunctio formidinis, [g] trahat animum compunctioni dilectionis. Quod bene in sacra veracique historia figurata narratione describitur, quæ ait quod *Axa filia Caleb sedens super asinum suspiravit. Cui dixit pater suus: Quid habes? At illa respondit: Da mihi benedictionem; terram Australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Deditque ei pater suus* [h] *irriguum superius et irriguum inferius* (*Josue* XV, 18, *seqq.*). Axa quippe super asinum sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno gemitu quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia loqui, oppressos tueri, indigentibus possessa tribuere, ardorem fidei habere; sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram Australem et arentem habent, sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, oportet, oportet nimis, ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis mala etiam quæ antea perpetraverunt deplorent. Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irri-

[a] Locum hunc, mancum in Edit. Vatic. et Gussanv. multarum vocum omissione, restituimus ope Ms. Regii.

[b] Ms., ἐπὶ πλείῳ τοίνυν καὶ πλείῳ.

[c] Ms., Χαρακτηριτικῇ διηγήσει γέγραπται.

[d] Ms., ὅτι δηλαδὴ τὴν γῆν τῆς ἄρκου, τὴν γῆν ξηράν.

[e] Secundus Carnot., *ut mihi quæ genera sunt comp.*

*ediss.*

[f] Eadem et iisdem pene verbis docet epist. 26 lib. VII, ind. 15, in qua de compunctione potissimum agit.

[g] Longip., *tradat*, quem secuti sunt Edit.

[h] Duo Theod. et unus Carnot., *irriguam sup. et irriguam inf.*

guum superius et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum sese in lacrymis cœlestis regni desiderio affligit. Irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. **356** Et quidem prius inferius, ac post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius commemorari debuisset.

A σι, τῆς δὲ ὑδρευομένης ἀκμὴν ἐπιδέονται. Ἐν ἔργοις μὲν γὰρ ἀγαθοῖς διάκεινται, ἀλλ' ἔξεστι λοιπὸν ὅπως ἢ διὰ τὸν τῆς κρίσεως φόβον, ἢ διὰ τὸν πόθον τῆς βασιλείας τῶν οὐρανῶν, τὰ κακὰ ἃ ἔπραξαν θρηνήσωσιν, καὶ οὕτω λοιπὸν, ἔνθα οἱ μεγάλοι καὶ ζέοντες τῷ πόθῳ, καὶ οὗτοι εἰσέλθωσι. Καθὼς δὲ εἶπον, δύο τῆς κατανύξεως εἶναι γένη, ἔδωκεν αὐτῇ ὁ πατὴρ αὐτῆς γῆν τὴν ὑδρευομένην τὴν ἄνωθεν, καὶ τὴν ὑδρευομένην κάτωθεν. Ὑδρευομένην [f] τὴν ἄνωθεν τοίνυν λαμβάνει ψυχὴ ἡ ἐν δάκρυσι πενθοῦσα τῇ τῆς ἐπουρανίου ἐπιθυμίας ἐπιμελείᾳ· τὴν δὲ ὑδρευομένην τὴν κάτωθεν λαμβάνει ἡ θρηνοῦσα τῷ φόβῳ **355** τῆς αἰωνίου κολάσεως. Καίτοι γε πρότερον ἡ ὑδρευομένη ἡ κάτω δίδοται, καὶ μετέπειτα ἡ ἄνω. Διὰ οὖν τὸ ὑπερβάλλειν τῷ ἀξιώματι τὴν τοῦ πόθου κατάνυξιν, ἀναγκαῖον ὑπῆρχε, ἵνα πρότερον τῆς ἄνωθεν ὑδρευομένης ἐπιμνησθῇ ἡ ἱστορία, καὶ ἐν ὑστέρῳ τῆς κάτωθεν.

Petr. Placet quod dicis. Sed postquam hunc venerandæ vitæ Eleutherium hujus meriti fuisse dixisti, libet inquirere si nunc in mundo esse credendum est aliquos tales.

ΠΕΤΡ. Ἀρέσκει ὃ λέγεις. Ἀλλ' ἐπειδὴ τοιούτου ἀξιώματος γεγονέναι ἔφης τοῦτον τὸν [g] τὴν ζωὴν εὐλαβέστατον Ἐλευθέριον, ἐπιζητῆσαι θέλω, ἐὰν καὶ νῦν ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ πιστευτέον ἐστί, τινὰς τοιούτους ὑπάρχειν.

## CAPUT XXXV.

*De Amantio presbytero provinciæ Tusciæ.*

Gregorius. Floridus [a] Tiburtinæ Ecclesiæ episcopus, cujus veritatis atque sanctitatis est dilectioni tuæ incognitum non est. Hic mihi esse apud se presbyterum quemdam [b] Amantium nomine præcipuæ simplicitatis narravit virum; quem hoc habere virtutis perhibet, ut apostolorum more manum super ægros ponat, [c] et saluti restituat, et quantumlibet vehemens ægritudo sit, ad tactum illius abscedat. Quem hoc etiam habere miraculi adjunxit, quia in quolibet loco quamvis immanissimæ asperitatis serpentem repererit, mox ut eum signo crucis signaverit, exstinguit, ita ut virtute crucis quam vir Dei digito ediderit, diruptis visceribus moriatur. Quem si quando serpens in foramine fugerit, signo crucis os foraminis benedicit, statimque ex foramine serpens jam mortuus trahitur. Quem tantæ virtutis virum ipse etiam videre curavi, eumque ad me deductum in infirmorum domo paucis diebus manere volui, ubi, si qua adesset [d] curationis gratia, citius probari potuisset. Ibi autem quidam inter ægros alios mente captus jacebat, quem medici Græco vocabulo phreneticum appellant. Qui nocte quadam cum magnas voces, scilicet ut insanus, ederet, cunctosque ægros immensis clamoribus perturbaret, ita ut nulli illic capere somnum liceret, fiebat res [e] valde miserabilis, quia unde unus male, inde omnes deterius habebant. Sed sicut et prius a reverentissimo viro Florido episcopo, qui tunc cum prædicto presbytero illic pariter manebat, et post a puero qui nocte eadem ægrotantibus serviebat, subtiliter agnovi, idem venerabilis presbyter de proprio stratu surgens, ad lectum phrenetici silenter accessit, et super eum positis manibus oravit. Moxque illum melius habentem tulit,

ΚΕΦΑΛ. ΛΕ'.

Περὶ Ἀμαντίου ἐπισκόπου χώρας Τουσκίας.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Φλώριδος ὁ Τιβερίνης ἐπίσκοπος, οὗτινος τὰ τῆς ἀληθείας καὶ δικαιοσύνης ἄγνωστα τῇ ἀγάπῃ σου οὐχ ὑπάρχει· οὗτός μοι εἴρηκεν, εἶναι παρ' αὐτῷ πρεσβύτερόν τινα [h] Ἀμάζιον ὀνόματι, μεγίστης ἀκακίας ἄνδρα. Τοῦτον δύναμιν τοιαύτην ἐσχηκέναι μαρτυρεῖ, ὅτι τῷ ἔθει τῶν ἀποστόλων τὴν χεῖρα ἐπὶ τοὺς ἀσθενοῦντας ἐπιτιθεὶς, παραχρῆμα τὴν ἴασιν [i] παρέχει. Οἵᾳ γὰρ δηποτοῦν βαρείᾳ ἀσθενείᾳ κατέχεταί τις, διὰ μόνης τῆς τῶν χειρῶν αὐτοῦ ἁφῆς ἡ νόσος φυγαδεύεται. Καὶ τοῦτο δὲ προσέθετο ἐν τῷ περὶ αὐτὸν θαύματι, ὅτι ἐν οἱῳδ' ἂν τόπῳ ὄφιν εὕρῃ, τῆς οἰασοῦν θυμώδους σκολιότητος ὑπάρχοντα, καὶ τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ τοῦτον σφραγίσῃ, παραχρῆμα ἀποθνήσκει. Τῇ γὰρ τοῦ σταυροῦ δυνάμει, δι' οὗ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος τῷ δακτύλῳ αὐτοῦ τοῦτον ἐκτυπῶν, διασχιζομένων τῶν σπλάγχνων, τὸ θηρίον ἀποθνήσκει. Ἐὰν δὲ καὶ εἰς τρυμαλίαν ποτὲ ὄφις προσφύγῃ, ὁμοίως τῷ τοῦ σταυροῦ σημείῳ τὸ στόμιον σφραγίζων, παρευθὺ ὁ ὄφις νενεκρωμένος ἐξέρχεται. Τοῦτον τὸν ἄνδρα, τοσαύτης δυνάμεως ὑπάρχοντα, [j] πάνυ θεωρῆσαι ἠγωνισάμην. Ἀχθέντος δὲ αὐτοῦ πρός με, ἐν τῷ νοσοκομείῳ διαμεῖναι αὐτὸν ὀλίγας ἡμέρας πεποίηκα. Οἷα δὲ τῆς ἰάσεως χάρις αὐτόθι γέγονεν, ἐν' συντόμῳ παραστῆσαι δύναμαι. Μεταξὺ γὰρ ἐν τῷ νοσοκομείῳ ἀσθενῶν ὑπῆρχέ τις τὸν νοῦν βεβλαμμένος, ἥνπερ ἀσθένειαν ἡ ἰατρικὴ τέχνη τῇ Ἑλληνίδι διαλέκτῳ φρενῖτιν ὀνομάζει. Οὗτος τοίνυν ἐν ταῖς νυξί, μεγάλας καὶ ἀπαύστους προσφέρων φωνὰς, ὡς ἀνυγιὴς δηλαδὴ ταῖς φρεσὶ πάντας τοὺς ἀῤῥώστους ἐτάρασσεν, ὥστε μηδένα τῶν ἐκεῖσε κειμένων δύνασθαι ὕπνου μεταλαβεῖν. Ἐγίνετο οὖν πρᾶγμα σφόδρα ἐλεεινὸν, ὅτι τοῦ ἑνὸς κακῶς ἔχοντος, πάντες ἐξ αὐτοῦ χείρω ὠδυνῶντο. Παρὰ Φλωρίδου οὖν τοῦ ἐπισκόπου ἐν πρώτοις μεμάθηκα τὸ συμβάν, ὅς τις ἅμα τῷ προλεχθέντι πρεσβυτέρῳ [k] τὸ τηνικαῦτα

[a] Ita legendum ex omnibus Mss. vel *Tiberlinæ*, aut *Tuburtinæ*, non vero *Tuderlinæ*, ut habent Edit. Porro *Tibur* urbs episcopalis in Latio ad Anienem fl., nunc dicta *Tivoli*, multum differt a Tuderto, vulgo *Todi*, episcopali urbe in Umbria ad Tiberim fl.

[b] Ejus nomen Martyrolog. inscriptum ad 26 Sept.

[c] Al., *et salutem rest.*, ut habent Germ. et ex Norm. nonnulli.

[d] Compend., Carnot. et Longip., *consolationis gr.*

[e] In Edit., reluctantibus Mss., *valde mirabilis.*

[f] Ms., ὑδρευομένην τοίνυν τὴν ἄνωθεν λαμβάνει ἡ ψυχὴ, ἡ ἐν δάκρυσι πενθοῦσα λαβεῖν τὴν τῆς ἐπουρανίου βασιλείας ἀπόλαυσιν. Τὴν δὲ ὑδρευομένην τὴν κάτωθεν.

[g] Ms., τὸν τῷ βίῳ εὐλαβ.

[h] Ms., Ἀμάντζιον.

[i] Editi, κομίζονται. Οἷα γάρ.

[j] Ms., ἰδεῖν ἐπεθύμησα.

[k] Ms., τοῦ τηνικαῦτα.

ἐκεῖσε ἀνεπαύετο, ἔπειτα δὲ καὶ παρὰ τοῦ παιδὸς τοῦ τῇ νυκτὶ ἐκείνῃ τοῖς ἀῤῥώστοις δουλεύοντος. Ἔλεγεν οὖν ὅτι ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος πρεσβύτερος ἐκ τῆς στρωμνῆς αὐτοῦ ἀναστάς, ἐν τῇ κλίνῃ τοῦ [a] φρενετιοῦντος μωστικῶς παρεγένετο, καὶ ἐπάνω αὐτοῦ θεὶς τὰς χεῖρας ηὔξατο. Εὐθέως δὲ κρεῖττον αὐτὸν ἐσχηκότα ἐπῆρε, καὶ εἰς τὰ ἀνώγεα τοῦ οἴκου ἐν τῷ εὐκτηρίῳ μεθ' ἑαυτοῦ ἀπήγαγε· καὶ κατ' ἰδίαν τῇ εὐχῇ ἐπικλίνας, εὐθέως αὐτὸν ὑγιῆ εἰς τὴν ἰδίαν κλίνην ἀπήγαγεν, ὥστε τοῦ λοιποῦ μή τε φωνὰς αὐτὸν ἀφιέναι, μήτε τινὰ τῶν ἀσθενούντων τὸ σύνολον ταράσσειν. Ἀπολαβὼν γὰρ τελείως ἐῤῥωμένον τὸν ἑαυτοῦ λογισμὸν, ἀλλοτρίαν ἀσθένειαν οὐ προσέθετο τοῦ λοιποῦ ταράξαι. Ἐκ τούτου οὖν τοῦ ἑνὸς θαύματος τοῦ ὑπ' αὐτοῦ γεγονότος, οὗπερ θεαταὶ γεγόναμεν, καὶ πάντα τὰ περὶ αὐτοῦ ἀκουσθέντα, ἀληθῆ εἶναι πιστεύομεν.

A atque in superiora domus secum ad oratorium duxit, ubi pro eo liberius orationi incubuit, et statim eum sanum ad lectum proprium reduxit, ita ut nullas ulterius voces ederet, nec jam ægrotorum quempiam aliquo clamore perturbaret; nec jam ægritudinem auxit alienam, qui perfecte receperat mentem suam. Ex quo ejus uno facto didicimus ut de eo illa omnia audita crederemus.

ΠΕΤΡ. Μεγίστη οἰκοδομὴ πολιτείας προσγίνεται, τοῦ θεωρῆσαι ἄνδρας θαύματα ποιοῦντας, καὶ τοὺς τῆς ἐπουρανίου Ἱερουσαλὴμ πολίτας ἐν τῇ γῇ θεωρεῖσθαι.

Petr. Magna vitæ ædificatio est, videre viros tam mira facientes, atque in civibus suis Jerusalem cœlestem in terra conspicere.

## 358 ΚΕΦΑΛ. Λς'.

**Περὶ Μαξιμιανοῦ ἐπισκόπου πόλεως Συρακούσης.**

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Οὐδὲ τοῦτο παρασιωπῆσαι δίκαιον ἡγοῦμαι, ὅπερ ὁ παντοδύναμος Θεὸς κατηξίωσεν ἐπιδεῖξαι θαῦμα εἰς Μαξιμιανὸν τὸν αὐτοῦ οἰκέτην, τὸν νυνὶ Συρακουσίων ἐπίσκοπον, τότε δὲ τοῦ ἐμοῦ μοναστηρίου ἡγούμενον ὑπάρχοντα. Ἐν γὰρ τῷ διακονεῖν με ἐν Κωνσταντινουπόλει, τῇ τοῦ πατριάρχου μου κελεύσει, ταῖς ἐκκλησιαστικαῖς ἀποκρίσεσιν, ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος Μαξιμιανὸς ἀγάπης ἕνεκεν μετὰ ἀδελφῶν [b] πρός με παρεγένετο. Ἐν δὲ τῷ ὑποστρέφειν αὐτὸν ἐπὶ τὴν Ῥώμην, ἐν τῷ πελάγει [c] τῆς Ἀδρείας, σφοδροτάτῃ ἀνάγκῃ καταπιεσθείς, παραδόξῳ καὶ ἀνεξιχνιάστῳ θαύματι πέριξ αὐτοῦ καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ὄντων, καὶ τὸν θυμὸν τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ καὶ τὴν εὐσπλαγχνίαν ἐπέγνω. Ἀνέμων γὰρ σφοδρῶν ἐπιστάντων, καὶ τῶν κυμάτων αὐξανομένων, τὰ τοῦ πλοίου [d] ἡλώματα ἀνεσπάσθησαν, τὸ κατάρτιν ἐκλάσθη, τὰ ἄρμενα ἐν τῇ θαλάσσῃ ἐῤῥίφησαν, καὶ ὅλον τὸ πλοῖον ἐκ τῆς τῶν κυμάτων βίας δονηθὲν, ἐκ πάσης αὐτοῦ ἁρμονίας διελύθη. Τῶν οὖν ἁρμῶν, ὡς εἴρηται, διαλυθέντων, ἔνδον ἡ θάλασσα εἰσελθοῦσα, ἕως τῶν ἀνωτέρω σανίδων τὸ πλοῖον ἐγέμισεν, ὥστε οὐχὶ τοσοῦτον ἐν τοῖς κύμασιν εἶναι τὸ πλοῖον, ὅσον ἔνδον τοῦ πλοίου τὰ κύματα. Ὅθεν λοιπὸν πάντες οἱ ἐν τῷ πλοίῳ, οὐχὶ γειτνιάζοντα τὸν θάνατον, ἀλλὰ τοῖς ὀφθαλμοῖς παρόντα αὐτὸν θεωροῦντες, ἐν πολλῇ ταραχῇ γεγονότες, ἑαυτοὺς ἠσπάσαντο, καὶ τοῦ σώματος καὶ αἵματος τοῦ λυτρωτοῦ ἡμῶν Θεοῦ καὶ κυρίου Ἰησοῦ Χριστοῦ μεταλαβόντες, αὐτῷ τὰς ψυχὰς αὐτῶν παρέθεντο, ὅπως ταύτας εὐμενῶς ὑποδέξηται, ὧν τὰ σώματα ἐν τοιούτῳ φοβερῷ θανάτῳ παραδοθῆναι συνεχώρησεν. Ὁ δὲ παντοδύναμος Θεὸς, ὁ τοὺς αὐτῶν λογισμοὺς φοβερῶς καταπλήξας, τὴν τούτων ζωὴν θαυμασίως ἐφύλαξεν. Μέχρι γὰρ ἡμερῶν

## 357 CAPUT XXXVI.

*De Maximiano Syracusanæ civitatis episcopo.*

Gregorius. Neque hoc silendum puto, quod omnipotens Deus super [e] Maximianum famulum suum, nunc Syracusanum episcopum, tunc autem mei monasterii Patrem, dignatus est monstrare miraculum. Nam dum jussione pontificis mei in Constantinopolitanæ urbis palatio responsis ecclesiasticis deservirem, illuc ad me idem venerabilis Maximianus charitate exigente cum fratribus venit. Qui cum ad monasterium meum Romam rediret, in mari Adriatico nimia tempestate deprehensus, inæstimabili ordine atque inusitato miraculo erga se cunctosque qui cum eo aderant, omnipotentis Dei et iram cognovit, et gratiam. Nam cum in eorum morte ventorum nimietatibus elevati fluctus sævirent, ex navi [f] clavi perditi, arbor abscissa est, vela in undis projecta, totumque vas navis quassatum nimiis fluctibus, ab omni fuerat sua compage dissolutum. Rimis itaque patentibus intravit mare, atque usque ad superiores tabulas implevit navem, ita ut non tam navis intra undas quam undæ jam intra navem esse viderentur. Tunc in eadem navi residentes non jam [g] ex morte vicina, sed ex ipsa ejus præsentia ac visione turbati omnes, sibimet [h] pacem dederunt, corpus et sanguinem Redemptoris acceperunt, Deo se singuli commendantes, ut eorum animas benigne susciperet, quorum corpora in tam pavenda morte tradiderat. Sed omnipotens Deus, qui eorum mentes mirabiliter terruit, eorum quoque vitam mirabilius servavit. Nam diebus octo navis eadem usque ad superiores tabulas aquis plena, iter proprium peragens enatavit; nono autem die in [i] Cotronensis castri portum

[a] Ms., φρενιόντος. Fortasse, φρενιτιῶντος.
[b] Ms., ἐκεῖσε πρὸς μέ.
[c] Ms., τοῦ Ἀδρίας.
[d] Ms., ἡλώματα συνεσπάσθησαν, τὸ κατάρτιον συνετρίβη, τὰ ἄρμενα.
[e] Hujus meminit Martyrolog. Rom., die 9 Jun. Porro quæ hic narrantur, ex epistola ad Leandrum libris Moral. præmissa confirmantur. Plures exstant ad eum Gregorii epistolæ, quas legesis. Amicum jam e vivis sublatum deflet epist. 17 lib. v indict. 13.
[f] Ita plerique et potiores Mss. Val. Cl., *clavo perdito*. Edit. habent *clavis perditis*.
[g] Germ., duo Theod. et pler. Norm., *ex mortis vicinia*, vel *vicinio*, vel *vicinitate*.
[h] Nimirum pacis osculum, quod Eucharistiæ sumptioni præmittebatur ex antiquo more. In reg. S. P. Bened., c. 63: *Fratres sic accedant ad pacem, ad communionem.* Lege doctissimum Menardum in notis ad append. libri Sacram. ad hæc verba: *Interim osculetur archidiaconum*, p. olim 578, nunc nota 986. Hic observa veterem Eucharistiæ servandæ, ac in peregrinationibus deferendæ morem; et lege quæ de Satyro fratre scribit Ambros., lib. de ejus Excessu, n. 43 novæ Edit., et notam ad hunc locum.
[i] Beccens., *Crotoniensis*. Constat Gregor. de Crotona urbe Brutiorum in ora maris Ionii locutum, non de Crotona urbe Etruriæ, quæ mari non adjacet.

deducta est. Ex qua exierunt omnes incolumes, qui cum prædicto venerabili viro Maximiano navigabant. Cumque post eos ipse quoque fuisset egressus, mox in ejusdem portus profundum navis demersa est, ac si illis egredientibus pro pondere sublevatione caruisset; et quæ plena hominibus in pelago aquas portaverat, atque nataverat, Maximiano cum suis fratribus recedente, aquas sine hominibus in portu non valuit portare; ut hinc omnipotens Deus ostenderet quia hanc onustam sua manu tenuerat, quæ ab hominibus vacua et derelicta super aquas non potuit manere.

A ὀκτὼ τὸ αὐτῶν πλοῖον ἕως τῶν ἀνωτέρω σανίδων, ὡς εἴρηται, γεμισμένον ὕδατι, τὴν ἰδίαν ὁδὸν διανύον, ἔπλεεν. Τῇ δὲ ἐννάτῃ ἡμέρᾳ ἐν τῷ λιμένι τοῦ [g] κάστρου Κοτρώνης ὡδηγήθη. Πάντων δὲ τοῦ πλοίου ἀποβάντων, τῶν μετὰ τοῦ προλεχθέντος εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς Μαξιμιανοῦ πλεόντων, ἔσχατον δὲ πάντων καὶ αὐτοῦ ἀποβάντος, εὐθέως ἐν τῷ αὐτῷ λιμένι τὸ πλοῖον ἐβυθίσθη μετὰ τὸ κουφισμὸν τοῦ βάρους ἀπομεῖναι. Ἡ γὰρ ναῦς ἡ ἀνθρώπους ἐπιφερομένη, καὶ ὑδάτων πλήρης οὖσα ἐν τῷ πελάγει ἔπλεε· Μαξιμιανοῦ δὲ μετὰ τῶν αὐτοῦ ἀδελφῶν ἐξ αὐτῆς ἐξελθόντος, ὕδωρ ἄνευ τῶν ἀνθρώπων ἐν τῷ λιμένι βαστάξαι οὐκ ἠδυνήθη. Ἐν τούτῳ οὖν ὁ παντοδύναμος Θεὸς ὑπέδειξεν, ὅτι αὐτὸς τῇ οἰκείᾳ αὐτοῦ χειρὶ τοῦτο διεκράτει, ὅπερ ἀπὸ τῶν ἀνθρώπων [h] σάβουρον καταλειφθέν, ἐπάνω τῶν ὑδάτων διαμεῖναι οὐκ ἠδυνήθη.

## 360 CAPUT XXXXVII.

*De Sanctulo presbytero provinciæ Nursiæ.*

B

## 359 ΚΕΦΑΛ. ΛΖ'.

Περὶ Σαγκτούλου πρεσβυτέρου χώρας Νουρσίας.

Gregorius. Ante dies quoque fere quadraginta vidisti apud me eum, cujus superius memoriam feci (*Cap.* 15), venerabilis vitæ presbyterum Sanctulum nomine, qui ad me ex Nursiæ provincia annis singulis venire consuevit. Sed ex eadem provincia quidam monachus ante triduum venit, qui gravis nuntii mœrore me perculit, quia eumdem virum obiisse nuntiavit. Hujus ergo viri, etsi non sine gemitu dulcedinis recolo, jam tamen sine formidine virtutes narro, quas a vicinis ejus sacerdotibus [a] mira veritate et simplicitate præditis agnovi. Et sicut inter amantes se animos magnum charitatis familiaritas ausum præbet, a me plerumque ex dulcedine exactus, ipse quoque de his quæ egerat extrema quædam fateri cogebatur. Hic namque quodam tempore cum in prelo Langobardi [b] olivas premerent, ut in oleum liquari [c] debuissent, sicut [d] jocundi erat et vultus et animi, utrem vacuum ad prelum detulit, laborantesque Langobardos læto vultu salutavit, utrem protulit, et jubendo potius quam petendo eum impleri sibi dixit. Sed gentiles viri, qui tota jam die frustra laboraverant, atque [e] ab olivis exigere oleum torquendo non poterant, verba illius moleste susceperunt, eumque injuriis insectati sunt. Quibus vir Domini lætiori adhuc vultu respondit, dicens: [f] Sic pro me oretis, istum utrem Sanctulo impleatis, et sic a vobis revertetur. Cumque illi ex olivis oleum defluere non cernerent, et virum Dei

C

D

Γρηγοριος. Πρὸ τῶν τεσσαράκοντα ἡμερῶν τούτων ἐθεάσω παρ' ἐμοὶ ὄντα τὸν τῇ ζωῇ εὐλαβέστατον Σάγκτουλον τὸν πρεσβύτερον. Ὃς τις πρός με ἐκ τῆς Νουρσίας χώρας καθ' ἕκαστον ἐνιαυτὸν ἔθος εἶχεν τοῦ ἔρχεσθαι. Μοναχὸς δέ τις ἐκ τῆς αὐτῆς χώρας πρὸ τριῶν ἡμερῶν ἐλθὼν, τοῦτον τὸν ἄνδρα τετελευτηκέναι ἔφησεν, ὅστις ἐν βαρείᾳ λύπῃ με κατέκαμψεν διὰ τῆς ἀπαγγελίας ταύτης. Τούτου τοῦ ἀνδρὸς κἂν ἐκτὸς στεναγμοῦ τὴν τῆς γλυκύτητος αὐτοῦ μνείαν ποιήσασθαι οὐχ ὑποφέρω, ἀλλ' οὖν ὅμως ἐκτὸς πάσης ὑποστολῆς τὰς δυνάμεις αὐτοῦ διηγοῦμαι, ἃς παρὰ τῶν γειτνιαζόντων αὐτῷ ἱερέων μεμάθηκα, σφόδρα ἀληθινῶν καὶ πιστῶν ὄντων. Τὰς (Sic) δὲ καὶ παρ' ἐμοῦ ἡ αὐτοῦ γλυκύτης ἐρωτωμένη, βιαζομένη μᾶλλον, ὀλίγα ὧν πέπραχε διηγεῖτό μοι. Αἱ ψυχαὶ γὰρ δι' ἀγάπης ἀλλήλαις ἑνούμεναι, τὴν πρὸς ἑαυτὰς παῤῥησίαν τίκτουσιν. Οὗτος τοίνυν ἐν καιρῷ τινι Λογγοβάρδων τινῶν ἐλαίας ἀληθόντων, καὶ ταύτας ἐκπιεζόντων, ὅπως ἔλαιον ἐξενέγκωσι, τούτοις ἐπιστὰς [i] ἀσκὸν σάβουρον μεθ' ἑαυτοῦ ἐπιφερόμενος, καθὼς ἔθος αὐτῷ ὑπῆρχε καὶ τῇ ψυχῇ καὶ [j] τῷ προσώπῳ ἐν εὐφροσύνῃ εἶναι, τοὺς κάμνοντας Λογγοβάρδους χαρίεντι προσώπῳ προσήγορευσε, καὶ τὸν ἀσκὸν προσαγαγών, ἐπιτρέπων μᾶλλον, ἤπερ αἰτῶν ἔλαιον αὐτοῖς τοῦτον γεμίσαι ἔλεγεν. Οἱ δὲ ἐθνικοὶ ἄνθρες ἐκεῖνοι, διὰ τὸ πᾶσαν τὴν ἡμέραν εἰς ἄκαιρον [k] αὐτοὺς κάμνειν, καὶ ἔλαιον ἐκ τῆς ἐλαίας ἐξενέγκαι μὴ δύνασθαι, τὰ ῥήματα αὐτοῦ εἰς οὐδὲν λογισάμενοι, μεθ' ὕβρεων αὐτὸν ἀπεπέμποντο. Οἷς ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος [l] χαρίεντι πάλιν προσώπῳ ἀπεκρίθη, λέγων·

[a] Editi, *mira virtute*, dissentientibus Mss. et Græco interprete.

[b] Germ. et plerique, *olivam prem.*

[c] Modus est loquendi Gregorio nostro familiarissimus, qui etiam in Scriptoribus coævis aut fere supparibus occurrit. Greg. Turon., lib. de Vit. Pat., c. 9: *Immisit ei cogitationem, ut prætermissa eremo ad sæculum reverti deberet*, hoc est reverteretur. Beda, lib. I Hist., c. 23: *Augustinum..... remittunt, qui a beato Gregorio obtineret ne tam periculosam..... peregrinationem adire deberent.*

[d] Sic German., Regius, Norman., duo Carnot., et alterius fragmentum, duo Theod., Longip., etc. In Edit. legitur: *sicut jucundus erat et vultu et animo.* Cæterum hilaritas etiam in sanctis et in ipsis monachis, licet pœnitentiæ addictis, laudatur. Macario iuniori archimandritæ Nitriensi laudi tribuitur quod *hilari fronte advenientes exciperet, et lepido sermone oblectaret, urbanitate quadam juniores ad disciplinam monast. alliciens.* Vide de eo Socratem, Sozomenum, Theodoritum, et Palladium in Hist. Lausiaca.

[e] Pratel., *ab olivis exire oleum..... non potuerat.*

[f] Ita Germ. cum Longip., Val. Cl. et plurimis. Idem habet Græcus interpres. In Norm., si Gemet. ac secundum Audoen. excipias, *si mihi creditis.* Consentit secundus Carnot. In primo, *si pro me oretis*, quod Editores retinuerunt.

[g] Ms., κάστρου Κρωτώνης.

[h] Ms., κενόν.

[i] Ms., ἀσκὸν κενόν.

[j] Ms., τῷ σώματι.

[k] Ms., αὐτοὺς κοπιᾶν καὶ ἔλαιον ἐκ τῆς ἐλαίας μὴ δυνάμενοι ἐξενέγκαι, τὰ ῥήματα.

[l] Ms., φαιδρῷ προσώπῳ

Οὕτως εὔξασθε ὑπὲρ ἐμοῦ, καὶ τὸν ἀσκὸν τοῦτον τῷ Σαγκτούλῳ ψεμίσατε, ἵνα οὕτως [a] παρ' ἡμῶν ὑποστρέψῃ. Ὡς δὲ προσερχόμενον ἔλαιον ἐκ τῶν ἐλαιῶν οὐκ ἐθεώρουν, καὶ τὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον πρὸς τὸ γεμισθῆναι τὸν ἀσκὸν ἐπιμένοντα, σφόδρα θυμωθέντες, ὕβρεσιν αὐτὸν [b] πλείσταις καὶ ἀπειλαῖς ῥημάτων ἀπεπέμποντο. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος θεωρήσας ὅτι τῶν ἐλαιῶν ἐκπιεζομένων, ἔλαιον οὐδαμῶς προήρχετο, ὕδωρ αὐτῷ δοθῆναι ᾐτήσατο. Τοῦτο δέ, πάντων θεωρούντων, ηὐλόγησε, καὶ ἐν ταῖς ἐκπιεζομέναις ἐλαίαις ταῖς ἰδίαις χερσὶν ἐῤῥιψεν. Τούτου δὲ γεγονότος, τοσαύτη εὐφορία τοῦ ἐλαίου προέβη; ὥστε τοὺς Λογγοβάρδους, τοὺς πρότερον εἰς ἄκαιρον κοπιῶντας, οὐ μόνον τὰ ἴδια σκεύη πάντα γεμίσαι, ἀλλὰ καὶ τὸν ἀσκὸν, ὃν ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος ἤγαγε, καὶ χάριν δὲ αὐτῷ μεγίστην ἔχειν ὡμολόγησαν, ὅτι ἐλθὼν ἔλαιον ζητῆσαι, αὐτὸς διὰ τῆς εὐλογίας ὅπερ ᾔτειτο [c] δέδωκεν.

A ad implendum utrem sibi insistere viderent, vehementer accensi, majoribus hunc verborum contumeliis detestari cœperunt. Vir autem Dei videns quod ex prelo oleum nullo modo exiret, aquam sibi dari petiit, quam cunctis videntibus benedixit, atque in prelum suis manibus jactavit. Ex qua protinus benedictione tanta ubertas olei erupit, ut Langobardi, qui prius diu incassum laboraverant, non solum sua vascula omnia, sed utrem quoque quem vir Dei detulerat implerent, et gratias agerent, quia is qui oleum petere venerat, benedicendo dedit quod postulabat.

A sunt, Ecclesiastes appellatus est. Ecclesiastes autem proprie [f] concionator dicitur. In concione vero sententia promitur, per quam tumultuosæ turbæ seditio comprimatur. Et cum multi diversa sentiunt, per concionantis rationem ad unam sententiam perducuntur. Hic igitur liber idcirco concionator dicitur, quia Salomon in eo quasi tumultuantis turbæ suscepit sensum, ut ea per inquisitionem dicat, quæ fortasse per tentationem imperita mens sentiat. Nam quot sententias quasi per inquisitionem movet, quasi [g] tot in se personas diversorum suscipit. Sed concionator verax velut extensa manu omnium tumultus sedat, eosque ad unam sententiam revocat, cum in ejusdem libri termino ait : *Finem loquendi omnes pariter audiamus : Deum time, et mandata ejus observa; hoc est enim omnis homo* (*Eccle.* XII, 13). Si enim in libro eodem per locutionem suam multorum personas non susceperat, cur ad audiendum loquendi finem secum pariter omnes admonebat? Qui igitur in fine libri dicit : *Omnes pariter audiamus*, ipse sibi testis est quia in se multorum personas suscipiens, quasi solus locutus non est. Unde et alia sunt quæ in libro eodem per inquisitionem moventur, atque alia quæ per rationem satisfaciunt; [h] alia quæ ex tentati profert animo, atque adhuc hujus mundi delectationibus dediti; alia vero in quibus ea quæ rationis sunt **377** disserit, ut animum a delectatione compescat. Ibi namque ait : *Hoc itaque mihi visum est bonum, ut comedat quis et bibat, et fruatur lætitia ex labore suo* (*Eccle.* v, 17). Et longe inferius subjungit : *Melius est ire ad domum luctus, quam ad domum convivii* (*Eccle.* VII, 3). Si enim bonum est manducare et bibere, melius fuisse videbatur ad domum convivii pergere quam ad domum luctus. Ex qua re ostenditur quia illud ex infirmantium persona intulit, hoc vero ex rationis definitione subjunxit. Nam ipsas protinus rationis causas edisserit, et de domo luctus quæ sit utilitas ostendit, dicens : *In illa enim finis cunctorum admonetur hominum, et vivens cogitat quid* [i] *futurus sit* (*Ibid.*). Rursum illic scriptum est : *Lætare, juvenis, in adolescentia tua* (*Eccle.* XI, 9). Et paulo post subditur : *Adolescentia enim et voluptas vana sunt* (*Ibid.*, 10). Qui dum hoc postmodum vanum esse redarguit, quod prius admonuisse videbatur, patenter indicat, quia illa quasi ex desiderio carnali verba intulit, hæc vero ex judicii veritate subjunxit. Sicut ergo [j] delectationem prius carnalium exprimens, curis postpositis, denuntiat bonum esse manducare et bibere, quod tamen postmodum ex judicii ratione reprehendit, cum esse melius dicit ire ad domum luctus quam ad domum convivii; et sicut lætari de-

[a] Ms., ἐπιτιμήσεως.
[b] Excusi, ὅσα ψήφους
[c] Ms., εἰς ἕνα ἀριθμόν.
[d] Ms., παραγάγῃ.
[e] Ms., ἐνομίζετο.
[f] Interpres, litteræ magis inhærendo : *Ecclesiastes autem proprie dicitur populum congregans*, ὁ λαὸν ἀθροΐζων.
[g] Secundus Carnot., *tot in se diversorum suscipit voces.* Tertius, *tot in se personarum suscipit voces.*
[h] Compend., tertius Carnot. et duo Theoder., *alia quæ ex tentatione profert animi.* Secundus Carnot., *alia quæ ex tentatione carnaliter profert animi.* Val. Cl., *quæ ex tentato.*
[i] Primus Gemet., primus Aud. et Lyr., *futurum sit.*
[j] Primus Carnot., *dilectionem.* Ibidem omittitur, *curis postpositis.*

bere juvenem in adolescentia sua, quasi ex deliberatione carnalium proponit, et tamen postmodum per definitionem sententiæ adolescentiam et voluptatem vana esse redarguit; ita etiam concionator noster, velut ex mente infirmantium humanæ suspicionis sententiam proponit, dum dicit : *Unus interitus est hominis et jumentorum, et æqua utriusque conditio. Sicut moritur homo, sic et illa moriuntur; similiter spirant omnia, et nihil habet homo jumentis amplius* (*Eccle.* III, 10). Qui tamen ex definitione rationis suam postmodum sententiam profert, dicens : *Quid habet amplius sapiens* [a] *a stulto, et quid pauper, nisi ut pergat illuc ubi est vita* (*Ibid.* VI, 8)? Qui igitur dixit : *Nihil habet homo jumentis amplius*, ipse rursum definivit, quia habet aliquid sapiens non solum amplius a jumento, sed etiam ab homine stulto, videlicet ut pergat illuc ubi est vita. Quibus verbis primum indicat quia hic hominum vita non est, quam esse alibi testatur. Habet ergo homo hoc amplius jumentis, quia illa post mortem non vivunt, hic vero tunc vivere inchoat, cum per mortem carnis hanc visibilem vitam consummat. Qui etiam longe inferius dicit : *Quodcunque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas* (*Eccle.* IX, 10). Quomodo ergo unus interitus est hominis et jumenti, et æqua utriusque conditio? Aut quomodo nihil habet homo jumentis amplius, cum jumenta post mortem carnis non vivunt; hominum vero spiritus pro malis suis operibus post mortem carnis ad inferos deducti, nec in ipsa morte moriuntur? Sed in utraque tam dispari sententia demonstratur quia concionator verax et illud ex tentatione carnali intulit, et hoc postmodum ex spiritali veritate definivit.

κάζει ἐν τῷ λέγειν, κρεῖττον εἶναι πορευθῆναι εἰς οἶκον πένθους ἤπερ εἰς οἶκον πότου. Καὶ πάλιν ἐν τῷ εὐφρανθῆναι τὸν νεανίσκον ἐν τῇ νεότητι αὐτοῦ, ταῦτο αὐτὸ ἐκ προσώπου τῶν σαρκικῶν προτίθεται· μετέπειτα δὲ διὰ τῆς ἀποφάσεως, τὴν νεότητα καὶ τὴν ἄνοιαν ματαίαν εἶναι διελέγχει. [c] Οὗτος λοιπὸν ὁ ἐκκλησιαστὴς ἡμῶν, ὥσπερ ἐκ λογισμοῦ τῶν ἀσθενῶν τῆς τῶν ἀνθρώπων ὑποψίας ψῆφον προστίθησιν, ἐν τῷ λέγειν, ἕνα θάνατον εἶναι ἀνθρώπου καὶ κτήνους, καὶ ὁμοίαν τὴν τῶν ἀμφοτέρων ὑποταγήν, ὅτι καθὼς ἀποθνήσκει ὁ ἄνθρωπος, οὕτως ἀποθνήσκουσι κἀκεῖνα· καὶ μία πνοὴ τοῖς πᾶσι, καὶ οὐδὲν ἔχει ἄνθρωπος περισσότερον τοῦ κτήνους. Ὅστις λοιπὸν ἐκ τοῦ ὁρισμοῦ τῆς ἀπολογίας, τὴν ἰδίαν μετέπειτα ψῆφον προφέρει, λέγων· Ὅτι περισσεία τοῦ σοφοῦ ὑπὲρ τὸν ἄφρονα, διότι πένης οἶδε ποῦ πορευθῇ κατέναντι τῆς ζωῆς. Ὁ τοίνυν εἰπὼν ὅτι οὐδὲν ἔχει ὁ ἄνθρωπος τῶν κτηνῶν περισσότερον, αὐτὸς πάλιν ἀπεφήνατο, ὅτι ἔχει τι ὁ σοφός, οὐ μόνον τῶν κτηνῶν περισσότερον, ἀλλὰ καὶ ἀνθρώπου ματαίου, ἵνα πορευθῇ, ἐκεῖσε δηλονότι ἔνθα ἐστὶν ἡ ζωή. Οἷς ῥήμασι προδήλως σημαίνει, ὅτι ἐνθάδε ἡ τῶν ἀνθρώπων ζωὴ οὐκ ἔστιν, ἀλλαχοῦ δὲ ταύτην μαρτυρεῖ ὑπάρχειν. Ἔχει οὖν λοιπὸν ὁ ἄνθρωπος τοῦτο περισσότερον τῶν κτηνῶν. Ἐκεῖνα μὲν γὰρ μετὰ θάνατον οὐ ζῶσιν, οὗτος δὲ τότε ζῆσαι ἀπάρχεται, ὅταν διὰ τοῦ θανάτου τῆς σαρκὸς τὴν ὁρωμένην ζωὴν τελειώσῃ. Ὁ δὲ αὐτὸς παρακατιών, λέγει· Πάντα ὅσα ἂν εὕρῃ ἡ χείρ σου τοῦ ποιῆσαι, ὅσῃ [d] δύναμίς σοι ποίησον, ὅτι οὐκ ἔστι ποίημα, καὶ λογισμὸς, καὶ γνῶσις, καὶ σοφία ἐν ᾅδῃ, ὅπου σὺ πορεύῃ ἐκεῖ. Πῶς λοιπὸν ἓν τέλος ἐστὶν ἀνθρώπου καὶ κτήνους, καὶ ἴση τῶν ἀμφοτέρων ὑποταγή, ἢ πῶς οὐδὲν ἔχει ἄνθρωπος τοῦ κτήνους περισσότερον; Ἐπειδὴ γὰρ τὰ κτήνη μετὰ τὸν τῆς σαρκὸς θάνατον οὐ ζῶσιν, τῶν δὲ ἀνθρώπων τὰ πνεύματα διὰ τὰ κακὰ αὐτῶν ἔργα μετὰ θάνατον τῆς σαρκὸς εἰς [e] τὸν ᾅδην ἀπενεχθέντα, οὐδὲ εἰς αὐτὸν τὸν θάνατον ἀποθνήσκουσιν. Ὥστε οὖν λοιπὸν φανερῶς δείκνυται, μὴ εἶναι ἴσον ἀμφοτέρων τὸν θάνατον· ὁ γὰρ ἀληθὴς ἐκκλησιαστὴς, ἐκεῖνο μὲν ἐκ προσώπου σαρκικῆς ἐπιθυμίας προήγαγε, τοῦτο δὲ μετέπειτα ἐκ πνευματικῆς ἀληθείας ἀπεφήνατο.

PETR. Libet nescisse quod requisivi, dum me **380** in tanta subtilitate contigit discere quod nescivi. Sed quæso te, ut me æquanimiter feras, si ipse quoque apud te more Ecclesiastis nostri, infirmantium in me personam suscepero, ut eisdem infirmantibus prodesse propinquius quasi per eorum inquisitionem possim.

ΠΕΤΡ. Ὁμολογῶ μὴ γινώσκειν με ὅπερ ἐζήτησα, ἐν **379** ὅσῳ με συνέβη ἐν τοσαύτῃ λεπτότητι μαθεῖν ὅπερ οὐκ εἴδειν. Ἀλλ' αἰτῶ ὅπως μοι ἀνεξικάκως ἀνάσχῃ, ἵνα τὸ τῶν νοσούντων πρόσωπον εἰς ἐμαυτὸν ἀναδέξωμαι κατὰ τὸ ὑπόδειγμα τοῦ ἐκκλησιαστοῦ, καὶ ὡς διὰ τῆς αὐτῶν ἐπιζητήσεως ὠφέλεια τοῖς πλησίον δι' ἡμῶν γενέσθαι δυνήσωμαι.

GREGOR. Cur condescendentem te infirmitati proximorum æquanimiter non feram, cum Paulus dicat : *Omnibus omnia factus sum, ut omnes facerem salvos* (*I Cor.* IX, 22)? Quod ipse quoque dum ex condescensione charitatis egeris, in hac re amplius [b] venerari debes, in qua morem egregii prædicatoris imitaris.

ΓΡΗΓΟΡ. Διατί ἀνεξικάκως μὴ ὑπενέγκω, συγκαταβαίνοντός σου τῇ ἀσθενείᾳ τῶν πλησίον, καθὼς Παῦλος λέγει· Τοῖς πᾶσι τὰ πάντα γέγονα, ἵνα πάντως [f] τινὰς σώσω; Ὅπερ καὶ αὐτὸς νυνὶ ποιεῖς, διὰ τὴν τῆς ἀγάπης συγκατάβασιν, τὸ τοῦ κήρυκος ἔθος ἐν τῷ πράγματι τούτῳ μιμούμενος.

[a] In plurib. omittitur *a*.

[b] Hic *venerari* sumitur passive contra Grammaticorum leges; at Gregoriano more. Vide Moral. lib. XVIII, n. 13, et Pastor., parte II, cap. 6. Eodem modo in significatione passiva usurpat, *meditari*, *perscrutari*, *intueri*, et similia, ut non oscitanter legenti statim patebit.

[c] Ms., οὕτως.

[d] Ms., δύναμίς σου.

• Huc revocavimus duas fere lineas omissas in Editionibus Vaticana et Gussanvill. magno sensus detrimento.

[f] In Editis, τινὰ, id est aliquem, contra fidem Ms. et Græci textus epistolarum sancti Pauli, cui consonant versiones Syriaca et Arabica. In Vulgata legitur : *ut omnes salvos facerem*; et recte ex sup., *omnibus omnia factus sum*. Proprie, *ut omnino aliquos salvem*.

### ΚΕΦΑΛ. Ε'.

Περὶ ψυχῆς αἴφνης ἐκ τοῦ σώματος ἐξελθούσης.

ΠΕΤΡΟΣ. Τελεύτωντί τινι ἀδελφῷ συνέβη παρόντα με ἐκεῖσε εὑρεθῆναι. Ὅστις ἐν ὅσῳ ἐλάλει, αἴφνης τὸ ζωτικὸν πνεῦμα ἀπεβάλετο, καὶ ὃν πρότερον μετ' ἐμοῦ λαλοῦντα ἐθεώρουν, ἄφνω νεκρωθέντα ἐθεασάμην. Τὴν δὲ τούτου ψυχὴν εἴτε ἐξῆλθεν, [a] εἴτε οὐκ ἐξῆλθεν ἰδεῖν οὐκ ἠδυνήθην. Καὶ σφόδρα δύσκολον φαίνεται τοῦ πιστευθῆναι ὑπάρχειν πρᾶγμα, ὅπερ οὐδεὶς δύναται θεωρῆσαι.

ΓΡΗΓΟΡ. Τί θαυμαστὸν, Πέτρε, ἐὰν ἐξερχομένην τὴν ψυχὴν οὐκ ἐθεάσω, ἣνπερ οὐδὲ ἐν τῷ σώματι μένουσαν θεάσασθαι δύνασαι; Μὴ γὰρ ἀρτίως ἐν ᾧ μετ' ἐμοῦ συντυγχάνεις, ὅτι τὴν ψυχήν μου θεωρῆσαι οὐ δύνασαι, ἄψυχον εἶναί με πιστεύεις; Ἡ οὖν τῆς ψυχῆς φύσις ἀθεώρητος ὑπάρχει, ὥστε καὶ ἐκ τοῦ σώματος [b] ἀοράτως ἐξέρχεται, καθὼς καὶ ἐν τῷ σώματι οὖσα, ἀθέατος διαμένει.

### ΚΕΦΑΛ. ς'.

Περὶ ψυχῆς καὶ σώματος τῶν ἁγίων.

ΠΕΤΡΟΣ. Ἀλλὰ τὴν ζωὴν τῆς ψυχῆς ἐν τῷ σώματι μενούσης, δύναμαι εἰκάσαι ἐξ αὐτῶν τῶν τοῦ σώματος κινημάτων. Εἰ μὴ γὰρ παρῆν τῷ σώματι ἡ ψυχὴ, τὰ μέλη τοῦ αὐτοῦ σώματις κινεῖσθαι οὐκ ἠδύναντο. Ζωὴν δὲ ψυχῆς μετὰ τὴν ἐκ τῆς σαρκὸς ἔξοδον, ἐν ποίοις κινήμασιν, ἢ ἐν ποίοις ἔργοις θεωρῶ, ἵνα ἐκ τῶν θεωρουμένων πραγμάτων ὑπάρχειν κατανοήσω, ἅπερ θεωρῆσαι οὐ δύναμαι;

ΓΡΗΓΟΡ. Οὐχ ὥσπερ ἡ δύναμις τῆς ψυχῆς ζωοποιεῖ καὶ κινεῖ τὸ σῶμα, οὕτω καὶ ἡ θεία δύναμις πληροῖ πάντα ἅπερ ἔκτισεν, ἀλλὰ καὶ ἐμπνέουσα ζωοποιεῖ. Καὶ τοῖς μὲν παρέχει, ἵνα ζήσωσι, τοῖς δὲ, τὸ εἶναι καὶ μόνον. Τὸν οὖν Θεὸν ἀόρατον καὶ ἀπερίγραπτον ὑπάρχειν οὐ διστάζεις, κτίζοντα καὶ ποιμαίνοντα, πληροῦντα καὶ περιέποντα, ὑπερβαίνοντα καὶ διαμένοντα. Οὐκ ὀφείλεις οὖν διστάσαι τοῦτον καὶ ἀοράτους λειτουργοὺς ἔχειν. Ἔπρεπε γὰρ τοὺς αὐτῷ διακονοῦντας εἰς τὴν αὐτοῦ ὁμοίωσιν παρεκταθῆναι, ᾧτινι καὶ διακονοῦσιν. Ὥστε τὰ τῷ ἀοράτῳ δουλεύοντα, ἀόρατα εἶναι μὴ ἀπιστηθῶσι. Ταῦτα δὲ ποῖα εἶναι πιστεύομεν, εἰ μὴ τοὺς ἁγίους ἀγγέλους, **382** καὶ τὰ τῶν δικαίων πνεύματα, ὥστε λοιπὸν καθάπερ τὴν τοῦ σώματος κίνησιν κατανοῶν, τὴν τῆς ψυχῆς ζωὴν ἐν τῷ σώματι μένειν εἰκάζεις, οὕτως ὀφείλεις ἀπὸ τοῦ μικροῦ καὶ τὸ ὑψηλὸν εἰκάσαι. Ὅτι καὶ ἐξερχομένη τοῦ σώματος ἡ ψυχὴ ζῆσαι δύναται ἀωράτως, [c] ἣν δέον ἔστιν εἰς τὴν τοῦ ἀοράτου κτίστου λειτουργίαν διαμεῖναι.

ΠΕΤΡ. Ὀρθῶς ἅπαντα [d] ἀρέσκονται. Ἀλλ' ὁ νοῦς ἀποφεύγει, ὅπερ τοῖς σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς θεωρῆσαι οὐ δύναται.

### A CAPUT V.

*De questione animæ invisibiliter exeuntis, an sit quæ videri non potest.*

PETRUS. Quodam fratre moriente præsentem me fuisse contigit. Qui repente dum loqueretur, vitalem emisit flatum; et quem prius mecum loquentem videbam, subito extinctum vidi. Sed ejus anima utrum egressa sit, an non, non vidi; et valde durum videtur ut credatur res esse, quam nullus valeat videre.

GREGOR. Quid mirum, Petre, si egredientem animam non vidisti, quam et manentem in corpore non vides? Nunquidnam modo cum mecum loqueris quia videre in me non vales animam meam, idcirco me esse exanimem credis? Natura quippe animæ invisibilis est, atque ita ex corpore invisibiliter egreditur, sicut B in corpore invisibiliter manet.

### CAPUT VI.

*Quod vita animæ manentis in corpore sicut deprehenditur ex motu membrorum, sic vita animæ post corpus in sanctis pensanda est ex virtute miraculorum.*

PETRUS. Sed [a] vitam animæ in corpore manentis pensare possum ex ipsis motibus corporis, quia nisi corpori anima adesset, ejusdem membra corporis moveri non possent; vitam vero animæ post carnem in quibus motibus quibusve operibus video, ut ex rebus visis esse colligam quod videre non possum?

GREGOR. Non [f] quidem similiter, sed dissimiliter C dico, quia sicut vis animæ vivificat et movet corpus, sic vis divina implet quæ creavit omnia; et alia inspirando vivificat, aliis tribuit ut vivant, aliis vero hoc solummodo præstat ut sint. Quia vero esse non dubitas creantem et regentem, implentem et circumplectentem, transcendentem et sustinentem, incircumscriptum atque invisibilem Deum, ita dubitare non debes hunc invisibilia obsequia habere. Debent quippe ea quæ ministrant ad ejus similitudinem tendere cui ministrant, ut quæ invisibili serviunt, esse invisibilia non dubitentur. Hæc autem quæ esse credimus, nisi sanctos angelos, **381** et spiritus justorum? Sicut ergo motum considerans corporis, vitam animæ in corpore manentis [g] perpendis ab imo, ita vitam animæ exeuntis a corpore perpendere debes a summo, quia potest invisibiliter vivere, D quam oportet in obsequio invisibilis Conditoris manere.

PETR. Recte totum dicitur, sed mens refugit credere, quod corporeis oculis [h] non valet videre.

[a] Hic restituimus adhuc tria verba in Excusis omissa.

[b] Ita Ms. Excusi, ἀόρατος.

[c] Ms., ἣ χρὴ εἰς τήν.

[d] Ita Ms. Ed., εὑρίσκονται.

[e] In plurimis Mss. et Editis caput 6 non incipit hic, sed ad hæc verba: *Hac in re si cor paratum.*

[f] Excusi, contra Mss. Anglic., Norman., etc., fidem, *non quidem subtiliter, sed solerter.*

[g] Primus Carnot. et tertius cum primo Gemet., *perpendis animo*, vel *in animo*. Alter Gemet., *a minimo.*

[h] Excusi, *non valet videri*; legitur *videre* in omnibus Norm., tribus Carnot., duob. Theod., Val Cl., etc.; solus German. habet *videri.* Neque vero absurdum est dicere animam seu mentem corporeis oculis, hoc est per oculos, videre, cum ipsa vulgo credatur omnes corporum motus per organa corporea exsequi. Hanc esse Gregorii doctrinam ex consequentibus manifestum est.

Gregor. Cum Paulus dicat : *Est enim fides sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium* (*Hebr.* xi, 1), hoc veraciter dicitur credi, quod non valet videri. Nam credi jam non potest quod videri potest. Ut tamen te breviter [a] reducam ad te, nulla visibilia nisi per invisibilia videntur. Ecce enim cuncta corporea oculus tui corporis aspicit, nec tamen ipse corporeus oculus aliquid corporeum videret, nisi hunc res incorporea ad videndum acueret. Nam tolle mentem quæ non videtur, et incassum patet oculus qui videbat. Subtrahe animam corpori, remanent procul dubio oculi in corpore [b] aperti. Si igitur per se videbant, cur discedente anima nihil vident? Hinc ergo collige quia ipsa quoque visibilia non nisi per invisibilia videntur. Ponamus quoque ante oculos mentis ædificari domum, immensas moles levari, pendere magnas in machinis columnas ; quis, quæso te, hoc opus operatur, corpus visibile quod illas moles manibus trahit, an invisibilis anima quæ vivificat corpus? Tolle enim quod non videtur in corpore, et mox immobilia remanent cuncta quæ moveri videbantur, visibilia corpora metallorum. Qua ex re pensandum est quia in hoc quoque mundo visibili nihil nisi per creaturam invisibilem disponi potest. Nam sicut omnipotens Deus aspirando vel implendo ea quæ ratione subsistunt, et vivificat, et movet invisibilia ; ita ipsa quoque invisibilia implendo movent atque [c] vivificant carnalia corpora quæ videntur.

Petr. Istis, fateor, [d] allegationibus libenter victus, prope nulla jam esse hæc visibilia existimare compellor, qui prius in me infirmantium personam suscipiens, de invisibilibus dubitabam. Itaque placent cuncta quæ dicis; sed tamen sicut vitam animæ in corpore manentis ex motu corporis agnosco, ita vitam animæ post corpus, apertis quibusdam rebus attestantibus, cognoscere cupio.

Gregor. Hac in re si cor paratum tuæ dilectionis invenio, in allegatione minime laboro. Nunquidnam sancti apostoli et martyres Christi præsentem vitam despicerent, et in mortem carnis animas ponerent, nisi certiorem animarum vitam subsequi scirent? Tu vero ipse inquies quia vitam animæ in corpore manentis ex motibus corporis agnoscis ; et ecce hi qui animas in mortem posuerunt, atque animarum vitam postmortem carnis esse crediderunt, quotidianis **384** miraculis coruscant. Ad exstincta namque eorum corpora viventes ægri veniunt, et sanantur; perjuri veniunt, et dæmonio vexantur, dæmoniaci veniunt, et liberantur; leprosi veniunt, et mundantur; de-

Γρηγορ. Ἐν τῷ τὸν μακάριον Παῦλον λέγειν ὅτι ἐστὶ πίστις, ἐλπιζομένων ὑπόστασις πραγμάτων, ἔλεγχος οὐ βλεπομένων, δίκαιον ἐν τούτῳ ὑπάρχει τὸ πιστευθῆναι καὶ ὅπερ θεωρηθῆναι οὐ δύναται. Ἐπεὶ λοιπὸν οὐδὲ ὅπερ θεωρεῖται πιστευθῆναι δύναται. Ὅμως κατὰ τὸ δυνατόν μοι, δι' ὀλίγου σε πρὸς σεαυτὸν ἐπιστρέφω, οὐδὲν τῶν ὁρωμένων ἄνευ τῶν ἀοράτων θεωρεῖται. Ἰδοὺ γὰρ πάντα τὰ σωματικὰ ὁ ὀφθαλμὸς τοῦ σώματος θεωρεῖ. Οὐκ ἂν δέ τι σωματικὸν ὁ αὐτὸς τοῦ σώματος ὀφθαλμὸς θεάσηται, ἐὰν μὴ τοῦτον πρᾶγμα ἀσώματον κινήσῃ πρὸς τὸ θεάσασθαι. Ἔπαρον γὰρ τὸν λογισμὸν τὸν μὴ θεωρούμενον, καὶ εἰς ἄκαιρον ὁ ὀφθαλμὸς ἀνέῳκται ὁ θεώμενος. Παρέπαρον τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ σώματος, καὶ ἀπομένουσι δηλονότι οἱ ὀφθαλμοὶ ἐν τῷ σώματι ἀνεῳγμένοι. Ἐὰν οὖν δι' ἑαυτῶν ἐθεώρησαν, διατί ὑποχωρησάσης τῆς ψυχῆς οὐδὲν θεωροῦσιν. Ἐκ τούτου τοίνυν κατανόησον, ὅτι αὐτὰ τὰ ὁρώμενα, εἰ μὴ διὰ τῶν ἀοράτων οὐ θεωροῦνται. Θῶμεν οὖν ἐνώπιον τῶν ὀφθαλμῶν τοῦ νοὸς οἰκοδομηθῆναι οἶκον, καὶ ἐν πλείστῳ βάρει τοῦτον ὑψῶσαι, μεγίστους δὲ κίονας ἐν τοῖς μαγγάνοις κρεμάσαι. Τίς τοίνυν, αἰτῶ σε, τὸ ἔργον τοῦτο ἐργάζεται, τὸ σῶμα τὸ ὁρώμενον, ὅπερ αὐτὰ τὰ βάρη ταῖς χερσὶν αἴρει, ἢ ἡ ἀόρατος ψυχὴ ἡ ζωοποιοῦσα τὸ σῶμα; Ἔπαρον γὰρ τὸ μὴ θεωρούμενον ἐν τῷ σώματι, καὶ εὐθέως ἀκίνητα ἀπομένουσιν ἅπαντα ἐκεῖνα τῶν μετάλλων τὰ σώματα, ἅπερ κινούμενα ἐθεωροῦντο. Ἐκ τούτου οὖν κατανόησον, ὅτι ἄνευ τοῦ κτίσματος τοῦ ἀοράτου, οὐδὲν ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ τῷ ὁρωμένῳ διοικηθῆναι δύναται. Καθάπερ γὰρ ὁ παντοδύναμος Θεὸς ἐμπνέων καὶ πληρῶν πάντα τὰ δικαίως συνιστάμενα, ζωοποιεῖ καὶ κινεῖ τὰ ἀόρατα, οὕτως αὐτὰ τὰ ἀόρατα πληροῦσι, καὶ κινοῦσι, καὶ σφίζουσι τὰ ὁρώμενα σώματα.

Petr. Ὁμολογῶ ἤδέως, τοῦ δεσμοῦ τούτου ἀπολυθείς, μηδὲν εἶναι ταῦτα τὰ ὁρατὰ λογίσασθαι, ὅστις πρότερον τὸ τῶν νοσούντων πρόσωπον εἰς ἐμαυτὸν ἀναδεξάμενος, περὶ τῶν ἀοράτων ἐδίσταζον. Ἀρέσκουσι τοίνυν πάντα ἅπερ λέγεις· ἀλλ' οὖν καθάπερ τὴν ζωὴν τῆς ψυχῆς ἔτι ἐν τῷ σώματι ταύτης ὑπαρχούσης, ἐκ τῶν τοῦ σώματος διαγινώσκω κινημάτων, οὕτως αὐτῆς τὴν ζωὴν καὶ μετὰ τὴν ἐκ τοῦ σώματος ἔξοδον, φανερῶν μαρτυρούντων πραγμάτων διαγνῶναι ἐπιθυμῶ.

Γρηγορ. Ἐν τούτῳ τῷ πράγματι, ἐὰν ἑτοίμην καρδίαν ἐν τῷ τῆς σῆς ἀγάπης [e] δεσμῷ εὕροιμι, πέπεισμαι ὅτι οὐδὲν κοπιάσω. Οἱ ἅγιοι ἀπόστολοι καὶ μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, εἰ μὴ αἱρετωτέραν εἶναι τὴν ἐπακολουθοῦσαν ζωὴν τῶν ψυχῶν ἐγίνωσκον, πῶς τὴν παροῦσαν ζωὴν ἐβδελύσσοντο, καὶ ἐν τῷ τῆς σαρκὸς θανάτῳ τὰς ψυχὰς ἐτίθουν; σὺ δὲ αὐτὸς λέγεις, ὅτι τὴν ζωὴν τῆς ψυχῆς μενούσης αὐτῆς ἐν τῷ σώματι, ἐκ τῶν τοῦ σώματος κινημάτων ἐπιγινώσκεις. Ἰδοὺ καὶ οὗτοι, οἵ τινες τὰς ψυχὰς ἐν τῷ θανάτῳ ἔθηκαν, πιστεύσαντες ὑπάρχειν ζωὴν ταῖς ψυχαῖς μετὰ τὸν τῆς σαρκὸς θάνατον, θαύμασι **383** καθημερινοῖς ἐξαστράπτουσιν. Εἰς γὰρ τὰ νεκρὰ αὐτῶν σώματα ζῶντες ἄῤῥωστοι ἔρχονται, καὶ ἰάσεως τυγχά-

[a] Primus Gemet., *reducam a te.*
[b] Secundus Gemet., *operti.*
[c] Secundus Carnot. et Lyr, cum pler. Norm., *sensificant.* German. et secundus Theod., *sensum vivificant.* Val. Cl. et primus Carnot., *sensim vivificant.* Tertius Carnot., *sensu vivific.*
[d] In veteribus Mss. hic et alibi legitur, *alligationibus*, *alligatione*, etc. Unde Zacharias voces has reddidit per δεσμοῦ, δεσμῷ. Infra, *nulla, ut opinor, huic allegationi ratio obsistit.* Quibus Græca hæc respondent οὐδὲ μία ὡς οἶμαι, ἀπολογία τῷ δεσμῷ τουτῷ ὑπολέλειπται, *huic vinculo, huic alligationi.*
[e] Ms., δεσμῷ εὕρω.

νουσιν. Ἐπίορκοι ἔρχονται, καὶ ὑπὸ δαίμονος [a] ῥίπτονται. Δαιμονιοῦντες ἔρχονται, καὶ λυτροῦνται τοῦ δαίμονος. Λεπροὶ ἔρχονται, καὶ καθαρίζονται. Νεκροὶ ἀποφέρονται, καὶ ἀνίστανται. Κατανόησον τοίνυν πῶς ζῶσιν αἱ ψυχαὶ αὐτῶν ἐκεῖ ἔνθα ζῶσιν, ὧν ἐνθάδε νεκρὰ τὰ σώματα ἐν τοσούτοις θαύμασι ζῶσιν. Ἐὰν τοίνυν τὴν τῆς ψυχῆς ζωὴν, ἐν τῷ σώματι ταύτης μενούσης, ἐκ τῆς τῶν μελῶν κινήσεως καταλαμβάνῃ, διατί οὐ κατανοεῖς τὴν ζωὴν τῆς ψυχῆς μετὰ τὴν τοῦ σώματος ἔξοδον, διὰ τῆς τῶν θαυμάτων δυνάμεως, τῆς ἐν τοῖς νεκροῖς ὀστέοις γινομένης.

A feruntur mortui, et suscitantur. Pensa itaque eorum animæ qualiter vivunt illic ubi vivunt, quorum hic mortua corpora in tot miraculis vivunt. Si igitur vitam animæ manentis in corpore deprehendis ex motu membrorum, cur non perpendis vitam animæ post corpus, etiam per ossa mortua in virtute miraculorum?

ΠΕΤΡ. Οὐδὲ μία, ὡς οἶμαι, ἀπολογία τῷ δεσμῷ τούτῳ ὑπολέλειπται, ἡνίκα καὶ διὰ πραγμάτων ὁρωμένων ἀναγκαζόμεθα πιστεῦσαι ὅπερ θεωροῦμεν.

Petr. Nulla, ut opinor, huic allegationi ratio obsistit, in qua ex rebus visibilibus cogimur credere quod non videmus.

## ΚΕΦΑΛ. Ζ'.

### Περὶ ὁράσεως ἐξόδου ψυχῆς.

## CAPUT VII.

### *De egressibus animarum.*

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ὀλίγον ἀνωτέρω εἴρηκας, ὅτι τελευτῶντί τινι, ἐξερχομένην αὐτοῦ τὴν ψυχὴν οὐχ ἑώρακας, ὥστε καὶ τοῦτο αὐτὸ πταῖσμα ὑπῆρχεν, ὅτι σωματικοῖς ὀφθαλμοῖς ἀθέατον πρᾶγμα θεάσασθαι ἐζήτησας· ἐπεὶ τοῖς νοεροῖς ὀφθαλμοῖς πολλοὶ τῶν ἡμετέρων πίστει καθαρᾷ καὶ εἰλικρινεῖ διαθέσει ἑαυτοὺς ἐκκαθάραντες, ἐξερχομένας ψυχὰς ἐκ τοῦ σώματος πολλάκις ἐθεάσαντο. Ὅθεν μοι νῦν ἀναγκαῖον ὑπάρχει διηγήσασθαι πῶς ἐξερχόμεναι ψυχαὶ ἐθεάθησαν, καὶ πόσα ἐκεῖναι ἐν τῷ ἐξέρχεσθαι αὐτὰς ἐθεάσαντο. Ὥστε κυματίζουσαν τὴν ψυχὴν, ἥνπερ ὁλοκλήρως ἡ ἀπολογία πεῖσαι οὐκ ἠδυνήθη, τὰ ὑποδείγματα πείσουσι.

Gregorius. Paulo superius (*Cap.* v) questus es, morientis cujusdam egredientem animam te non vidisse; sed hoc ipsum jam culpæ fuit, quod corporeis oculis rem videre invisibilem quæsisti. Nam multi nostrorum mentis oculum fide pura et ubere oratione mundantes, egredientes e carne animas frequenter viderunt. Unde nunc mihi necesse est vel qualiter egredientes animæ visæ sint, vel quanta ipsæ dum egrederentur viderint enarrare, quatenus fluctuanti animo, quod plene ratio non valet, exempla suadeant.

## ΚΕΦΑΛ. Η'.

### Περὶ ἐξόδου τῆς ψυχῆς Γερμανοῦ ἐπισκόπου πόλεως Καπύης.

Ἐν τῷ δευτέρῳ βιβλίῳ ταύτης τῆς πραγματείας εἶπον περὶ τοῦ [b] τῇ ζωῇ εὐλαβεστάτου ἀνδρὸς Βενεδίκτου, καθὼς παρὰ τῶν πιστῶν αὐτοῦ μαθητῶν ἔγνων, ὅτι μήκοθεν τῆς πόλεως [c] Καπύης ὑπάρχων Γερμανοῦ τοῦ ἐπισκόπου τῆς αὐτῆς πόλεως τὴν ψυχὴν μεσονυκτίῳ ἐν σφαίρᾳ πυρίνῃ ὑπὸ ἀγγέλων βασταζομένην, καὶ ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνερχομένην ἐθεάσατο. Ὅστις τὴν αὐτὴν ψυχὴν ἀνερχομένην θεασάμενος τοῦ νοὸς τὸν κόλπον ἁπλώσας, ὡς ὅτι ὑπὸ μίαν τοῦ ἡλίου ἀκτῖνα, ὅλον τὸν κόσμον συναχθέντα τοῖς [d] νοεροῖς ὀφθαλμοῖς ἐθεάσατο.

In secundo namque hujus operis libro (*Cap.* 35) jam præfatus sum quod vir venerabilis Benedictus, sicut a fidelibus ejus discipulis agnovi, longe a Capuana urbe positus, Germani ejusdem urbis episcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab angelis aspexit. Qui eamdem quoque ascendentem animam intuens, mentis laxato sinu quasi sub uno solis radio cunctum in suis oculis collectum mundum vidit.

## ΚΕΦΑΛ. Θ'.

### Περὶ ἐξόδου τῆς ψυχῆς Σπεκιώσου μοναχοῦ.

Παρὰ τῶν αὐτῶν τοίνυν μαθητῶν αὐτοῦ διηγουμένων μεμάθηκα, ὅτι δύο εὐγενεῖς ἄνδρες, καὶ τὴν ἔξω [e] σοφίαν ἐξησκημένοι γνήσιοι ἀδελφοὶ ὑπάρχοντες, ὁ μὲν εἷς Σπεκιῶσος, ὁ δὲ ἕτερος Γρηγόριος λεγόμενοι, τῷ ἐκείνου κανόνι ἐν τῇ ἁγίᾳ ἀναστροφῇ ἑαυτοὺς παραδεδώκασι. Τούτους ὁ αὐτὸς εὐλαβέστατος πατὴρ ἐν τῷ μοναστηρίῳ, ὅπερ πλησίον τῆς Τερράκινῶν πόλεως ᾠκοδόμησεν, κατοικῆσαι πεποίηκεν. Οἵ τινὲς πολλὴν περιουσίαν χρημάτων ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ ἐκέκτηντο· ἀλλὰ πάντα ὑπὲρ λυτρώσεως τῶν ψυχῶν αὐτῶν, πτωχοῖς διανείμαντες, ἐν τῷ αὐτῷ μοναστηρίῳ διέμειναν. Ὁ δὲ εἷς ἐξ αὐτῶν, Σπεκιῶσός [f] φημι, διὰ **386** χρείαν τοῦ μοναστηρίου, πλησίον τῆς πόλεως Καπύης ἀπεστάλη. Ἔν τινι δὲ ἡμέρᾳ, ὁ τούτου ἀδελφὸς Γρηγόριος, μετὰ τῶν ἀδελφῶν ἐπὶ τρα-

In secundo namque hujus operis libro (*Cap.* 35) jam præfatus sum quod vir venerabilis Benedictus, sicut a fidelibus ejus discipulis agnovi, longe a Capuana urbe positus, Germani ejusdem urbis episcopi animam nocte media in globo igneo ad cœlum ferri ab angelis aspexit. Qui eamdem quoque ascendentem animam intuens, mentis laxato sinu quasi sub uno solis radio cunctum in suis oculis collectum mundum vidit.

## CAPUT VIII.

### *De egressu animæ* [g] *Speciosi monachi.*

Eisdem quoque discipulis illius narrantibus didici, quia duo nobiles viri, atque exterioribus studiis eruditi germani fratres, quorum unus Speciosus, alter vero Gregorius dicebatur, ejus se regulæ [h] in sancta conversatione tradiderunt. Quos idem Pater venerabilis in monasterio, quod juxta Terracinensem urbem construxerat, fecit habitare. Qui multas quidem pecunias in hoc mundo possederant, sed cuncta pauperibus pro animarum suarum redemptione largiti sunt, et in eodem monasterio permanserunt. Quorum unus, scilicet Speciosus, **385** dum pro utilitate monasterii juxta Capuanam urbem missus fuisset, die quadam frater ejus Gregorius cum fratribus ad mensam sedens atque convescens, per spiritum sublevatus aspexit, et vidit Speciosi germani sui ani-

[a] Ms., ῥάσσονται.
[b] Ms., τῷ βίῳ.
[c] Ms., Καπούης.
[d] Ms., νοεροῖς ὀφθαλμοῖς νοερῶς ἐθεάσ.
[e] Ms., παιδείαν.
[f] Ms., ὥς φασι διὰ χρ.... Καπούης.
[g] Ejus meminit Martyrol. Rom., Idibus Martii.
[h] Primus Carnot. et uterque Theod., *in sanctæ vitæ conversatione.*

mam tam longe a se positi de corpore exire ; quod mox fratribus indicavit, atque festinans cucurrit, jamque eumdem fratrem suum sepultum reperit, quem tamen hora ea qua viderat exisse de corpore invenit.

πέζης καθεζόμενος, καὶ συνεσθίων αὐτοῖς, διὰ τοῦ πνεύματος ὑψωθείς, ἑώρακε Σπεκιώσου τοῦ ἀδελφοῦ αὐτοῦ τὴν ψυχὴν ἐκ τοῦ σώματος ἐξελθοῦσαν, [e] τοσούτου διαστήματος ἀπ' αὐτοῦ ὑπάρχοντος, ὅπερ εὐθέως τοῖς ἀδελφοῖς ἐμήνυσε. Δρομαῖος οὖν ἐκεῖσε παραγενόμενος, ταφέντα αὐτὸν τὸν ἴδιον ἀδελφὸν εὗρε. Κατ' αὐτὴν δὲ τὴν ὥραν τελειωθέντα τοῦτον ἔγνω ἐν ᾗ τὴν ψυχὴν [f] αὐτοῦ ἐξερχομένην ἐθεάσατο.

## CAPUT IX.

### *De anima cujusdam inclusi.*

Quidam religiosus atque fidelissimus vir adhuc mihi in monasterio posito narravit quod aliqui de Siciliæ partibus navigio Romam petentes, in mari medio positi, cujusdam servi Dei qui in Samnio fuerat inclusus, ad cœlum ferri animam viderunt. Qui descendentes ad terram, causamque an ita esset acta perscrutantes, illo die invenerunt obiisse Dei famulum, quo eum ad cœlestia regna ascendisse cognoverunt.

## ΚΕΦΑΛ. Ι'.

### Περὶ ψυχῆς ἐγκλείστου εἰς οὐρανὸν ἀνελθούσης.

Ἀνήρ τις πάνυ σπουδαῖος καὶ πιστότατος [g] ἔτι μοι ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπάρχοντι διηγήσατο λέγων· ὅτι τινὲς ἐκ τῶν μερῶν Σικελίας διὰ τοῦ πλοὸς ἐπὶ Ῥώμην ἐρχόμενοι, ἐν μέσῳ τῆς θαλάσσης [h] ὑπάρχοντες, τινὸς δούλου τοῦ Θεοῦ τὴν ψυχήν, ὅστις ἐν Σάμνῃ ὑπῆρχεν ἔγκλειστος, ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνερχομένην ἐθεάσαντο, οἵτινες ἐν τῇ γῇ κατάξαντες, καὶ δι' ἐρεύνης περὶ τούτου γενόμενοι, ἐὰν [i] ἀληθῆ ἅπερ ἐθεάσαντο ὑπῆρχεν, εὗρον ὅτι τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ ὁ τοῦ Θεοῦ οἰκέτης ἐτελεύτησεν, ἐν ᾗ τὴν αὐτοῦ ψυχὴν εἰς τὴν οὐράνιον βασιλείαν ἐρχομένην ἐγνώκεισαν.

## CAPUT X.

### *De egressu animæ [a] Spei abbatis.*

Adhuc in monasterio meo positus cujusdam valde venerabilis viri relatione cognovi quod dico. Aiebat enim quia venerabilis Pater nomine Spes, monasterium construxit in loco cui vocabulum Cample est, qui sexti ferme milliarii interjacente spatio a vetusta Nursiæ urbe disjungitur. Hunc omnipotens et misericors Deus ab æterno verbere flagellando protexit, eique dispensationis suæ maximam [b] severitatem servavit et gratiam ; quantumque eum prius flagellando diligeret, postmodum perfecte sanando monstravit. Ejus namque oculos per quadraginta annorum spatium continuæ cæcitatis tenebris pressit, nullum ei lumen vel extremæ visionis aperiens. Sed quia nemo in verbere illius gratia se destituente subsistit, et nisi idem misericors Pater qui pœnam irrogat patientiam præstet, mox [c] per impatientiam peccatum nobis ipsa auget correptio peccatorum, fitque modo miserabili ut culpa nostra unde sperare debuit terminum, inde sumat augmentum ; idcirco nostra Deus infirma conspiciens, flagellis suis custodiam permiscet, atque in percussione sua electis filiis nunc misericorditer justus est, ut sint quibus postea debeat juste misereri. Unde venerabilem senem dum exterioribus tenebris premeret, interna nunquam luce destituit. Qui cum flagello fatigaretur corporis, habebat per sancti Spiritus custodiam, consolationem cordis. Cum vero jam anni quadragesimi **388** fuisset in cæcitate [d] tempus expletum, ei Dominus lumen reddidit, et vicinum suum obitum denuntiavit, atque

## ΚΕΦΑΛ. ΙΑ'.

### Περὶ ἐξόδου ψυχῆς Ἐλπιδίου [j] ἀρχιμανδρίτου πόλεως Νουρσίας.

Ἔτι [k] μοι ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπάρχοντι, παρά τινος ἀνδρὸς σφόδρα εὐλαβεστάτου διηγουμένου μεμάθηκα, ὅπερ κἀγὼ διηγοῦμαι. Ἔλεγε γάρ, ὅτι ὁ εὐλαβέστατος πατήρ, ὁ ὀνομαζόμενος Σπές, μοναστήρια ἓν κτίσας, ἐν τῷ τόπῳ τῷ ὀνομαζομένῳ Κάμπλε, ὅστις ἔκτῳ μιλίῳ, ἢ καὶ [l] προσένδον διάκειται ἀπὸ τῆς πόλεως τῆς καλουμένης παλαιᾶς Νουρσίας. Τοῦτον ὁ παντοδύναμος καὶ ἐλεήμων Θεὸς ἐνταῦθα παιδεύσας, ἐκ τῶν αἰωνίων βασάνων [m] ἐξείλατο. Τῆς γὰρ μεγίστης αὐτοῦ οἰκονομίας καὶ τὴν ἀπειλὴν ἔδειξε, καὶ τὴν συμπάθειαν. Πόσον γὰρ αὐτὸν τὸ πρότερον μαστίζων ἠγάπα, μετέπειτα ὁλοκλήρως αὐτὸν ἰασάμενος ἐπέδειξεν. Τοὺς γὰρ αὐτοῦ ὀφθαλμοὺς μέχρι τεσσαρακονταετοῦς χρόνου διαστήματος, τῇ ἐπιμονῇ τοῦ σκότους τῆς τυφλώσεως [n] ἐπλήρωσε, μηδὲν αὐτῷ φωτὸς κἂν μικρᾶς ὁράσεως αὐγὴν καταλείψας. Οὐδεὶς δὲ τὴν μάστιγα ὑπενέγκαι δύναται, τῆς χάριτος αὐτὸν ἐγκαταλιμπανούσης, εἰ μὴ αὐτὸς ὁ ἐλεήμων πατὴρ ὁ τὴν βάσανον παρέχων ὑπομονὴν δωρήσηται. Διὰ γὰρ τῆς ἀνυπομονησίας ἁμαρτίαν ἡμῖν αὐτὴ ἡ παίδευσις προστίθησιν· ὅθεν λοιπὸν συμβαίνει, τρόπῳ ἐλεεινῷ γενέσθαι, ὅτι ὅθεν ὀφείλει τὸ πταῖσμα ἡμῶν συγχώρησιν λαβεῖν, ἐκεῖθεν προσθήκην ὀδύνης δέχεται. Τούτου ἕνεκεν τὰ ἡμέτερα ἀσθενήματα ὁ Θεὸς ἐπιβλέπων, ταῖς μάστιξιν αὐτοῦ καὶ ὑπομονὴν ἀναμίσγει, ὥστε καὶ παιδεύων τὰ ἐκλεκτὰ αὐτοῦ τέκνα ἐλεήμων καὶ δίκαιος φανῇ οἷς μετέπειτα μέλλει δικαίως σπλαγχνίζεσθαι. Ὅθεν καὶ τὸν εὐλαβέστατον γέροντα τοῦτον, εἰ καὶ τῷ ἔξωθεν σκότει ἠμαύρωσεν, ἀλλ' οὖν τῷ ἔνδοθεν φωτὶ οὐδέποτε ἐνεκατέλιπεν. Ὅστις ἐν ὅσῳ τῇ τοῦ σώματος ἐχειμάζετο μάστιγι, εἶχε

[a] In Martyrol. Rom. relatus est, quinto Kal. April.

[b] Primus Gemet., *serenitatem*. Tertius Carnot., *securitatem*.

[c] Primus Gemet., *mox impatientia peccatum*.

[d] German. secundus et tertius Carnot., Gemet. prior ac plur. Norm., *tempus exemtum*. Alter Gemet. et Val. Cl., *tempus exactum*.

[e] Ms., τοσούτῳ διαστήματι.

[f] Ms., αὐτοῦ ἐκ τοῦ σώματος.

[g] Ms., ἔτι μου ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπάρχοντος διηγήσατό μοι λέγων.

[h] Ms., ὑπάρχοντες ἐγκλείστου τινὸς δούλου τοῦ Θεοῦ τὴν ψυχὴν ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνερχομένην ἐθεάσαντο, etc.

[i] Editi, ἀληθὲς ὅπερ.

[j] Ita Ms. In Excusis legitur mendose, ἐπισκόπου.

[k] Ms., μου ἐν τῷ μοναστ. ὑπάρχοντος.

[l] Ms., πρὸς ἔνδον.

[m] Ms., ἐξείλετο.

[n] Ms., ἐπήρωσε.

διὰ τῆς τοῦ ἁγίου πνεύματος [a] σκέπης παράκλησιν καρδίας. Ἐπεὶ δὲ λοιπὸν τεσσαρακοστὸν **387** ἔτος ἐν τῇ τυφλώσει ὑπάρχων ἐπλήρωσεν, ὁ κύριος τὸ φῶς αὐτῷ ἀποδέδωκε, καὶ ἐγγίζειν τὸν θάνατον αὐτοῦ ἐμήνυσε. Τοῖς δὲ ὑπ' αὐτοῦ κτισθεῖσι μοναστηρίοις κύκλῳ κηρύξαι αὐτὸν τὸν τῆς ζωῆς λόγον ἐκέλευσε, καὶ ἵνα ὁ τοῦ σώματος ἀναλαβὼν τὸ φῶς, ἐπισκεψάμενος κύκλῳ τοὺς ἀδελφούς, τὸ τῆς καρδίας [b] αὐτῶν διανοίξῃ. Ὅστις παρευθὺ τῇ προστάξει τοῦ κελεύσαντος ὑπακούσας, τὰ τῶν ἀδελφῶν κοινόβια [c] ἐγύρευσε, καὶ τὰς τῆς ζωῆς ἐντολάς, ἃς πράττων μεμάθηκε, τούτοις παρέθετο. Μετὰ πεντεκαιδεκάτην δὲ ἡμέραν, πληρώσας τὸ κήρυγμα, ἐν τῷ μοναστηρίῳ αὐτοῦ ὑπέστρεψεν. Ἐν δὲ τῷ εὐκτηρίῳ τοὺς ἀδελφοὺς προσκαλεσάμενος, καὶ σταθεὶς ἐν μέσῳ αὐτῶν, τοῦ δεσποτικοῦ σώματος καὶ αἵματος μετέλαβε, καὶ σὺν αὐτοῖς τὰς μυστικὰς τῶν ψαλμῶν ὑμνῳδίας ἐπετέλεσεν. Ἔτι δὲ αὐτῶν ψαλλόντων, αὐτὸς τῇ εὐχῇ ἐπιμείνας τὴν ψυχὴν παρέδωκε. Πάντες δὲ οἱ παρόντες ἀδελφοὶ ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ περιστερὰν ἐξελθοῦσαν ἑώρακαν. Τοῦ δὲ κεράμου τοῦ εὐκτηρίου διανοιγέντος, τῶν ἀδελφῶν θεωρούντων, εὐθέως ἐν τῷ οὐρανῷ ἀνῆλθεν. Ὅθεν τὴν τούτου ψυχὴν ἐν τῷ τῆς περιστερᾶς σχήματι ὀφθῆναι πιστεύομεν, ἵνα καὶ ἐν τούτῳ ὁ παντοδυναμὸς Θεὸς, διὰ τοῦ τοιούτου σχήματος δείξῃ αὐτοῖς ἐν ποίᾳ ἀκεραιότητι καρδίας οὗτος ὁ ἀνὴρ ἐδούλευσεν αὐτῷ.

A ut monasteriis circumquaque constructis verbum vitæ prædicaret admonuit, quatenus corporis recepto lumine, visitatis in circuitu fratribus, cordis lumen aperiret. Qui statim jussis obtemperans, fratrum cœnobia circuivit, mandata vitæ quæ agendo didicerat prædicavit. Quinto decimo igitur die ad monasterium suum peracta prædicatione reversus est, ibique fratribus convocatis astans in medio, sacramentum dominici corporis et sanguinis sumpsit, moxque cum eis mysticos psalmorum cantus exorsus est. Qui illis psallentibus orationi intentus animam reddidit. Omnes vero fratres qui aderant ex ore ejus exisse columbam viderunt, quæ mox, aperto tecto oratorii egressa, aspicientibus fratribus, penetravit cœlum. Cujus idcirco animam in columbæ specie apparuisse credendum est, ut omnipotens Deus ex hac ipsa specie ostenderet quam simplici corde ei vir ille servisset.

B

## ΚΕΦΑΛ. ΙΒ'.

Περὶ ἐξόδου ψυχῆς τοῦ ἀπὸ Νουρσίας πρεσβυτέρου.

Οὐδὲ τοῦτο παρασιωπῆσαι δίκαιον ἡγοῦμαι, ὅπερ ὁ εὐλαβέστατος ἀνὴρ ἀββᾶς Στέφανος, ὅστις οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου ἐν ταύτῃ τῇ πόλει ἐτελειώθη, ὃν καὶ αὐτὸς καλῶς ἐπίστασαι, ἐν τῇ αὐτῇ τῆς Νουρσίας χώρᾳ συμβεβηκέναι διηγεῖτο. Ἔλεγε γὰρ, ὅτι πρεσβύτερός τις ἐκεῖσε τὴν ἐμπιστευθεῖσαν αὐτῷ ἐκκλησίαν μετὰ μεγίστου φόβου τοῦ κυρίου ἐποίμαινεν. Ὅστις ἀπὸ τοῦ καιροῦ τῆς χειροτονίας αὐτοῦ τὴν ἑαυτοῦ σύμβιον, ὡς μὲν ἀδελφὴν ἠγάπα, ὡς δὲ ἐχθρὸν φοβούμενος ταύτην πρὸς ἑαυτὸν προσεγγίσαι [d] οὐδέποτε παρέασεν ἐν οὐδεμιᾷ προφάσει. Παντελῶς δὲ τὴν ἐκ τῆς κοινωνίας γνησιότητα ἐξ αὐτῆς ἀπέτεμεν. Μετὰ πάντων γὰρ τῶν ἁγαθῶν καὶ τοῦτο τὸ ἰδίωμα ἔχουσιν οἱ ἅγιοι ἄνδρες, ὥστε οὐ μόνον ἐκ τῶν μὴ ἁρμοζόντων πάντοτε ἐκ μήκους εἶναι, ἀλλὰ καὶ τὰ ἁρμόζοντα πολλάκις ἀφ' ἑαυτῶν ἀποτέμνουσιν. Ὅθεν ὁ αὐτὸς ἀνὴρ, ἵνα μὴ ἐν οἱωδηποτοῦν πταίσματι δι' αὐτῆς περιέλθῃ, οὔτε εἰς τὸ ἐπάναγκες διακονηθῆναι παρ' αὐτῆς κατεδέχετο. Οὗτος τοίνυν ὁ εὐλαβέστατος πρεσβύτερος ἐν πολλοῖς ἔτεσι τὴν ζωὴν διανύσας, καὶ εἰς βαθὺ γῆρας ἐλθὼν, τῷ τεσσαρακοστῷ χρόνῳ τῆς χειροτονίας αὐτοῦ ἐκκαύσει βαρυτάτου πυρετοῦ συσχεθεὶς, ἐν τοῖς ἐσχάτοις ἀπηνέχθη. Θεασαμένη δὲ ἡ αὐτοῦ γενομένη σύμβιος, ὅτι ἅπαντα αὐτοῦ τὰ μέλη ἀπενεκρώθησαν, καὶ λοιπὸν τῷ θανάτῳ προσήγγισε, τὴν ἀκοὴν αὐ-

## CAPUT XI.

*De egressu animæ [e] Nursini presbyteri.*

Sed neque hoc sileam quod vir venerabilis abbas Stephanus, qui non longe ante hoc tempus in hac urbe defunctus est, quem ipse etiam bene nosti, in eadem provincia Nursiæ contigisse referebat. Aiebat enim quod illic presbyter quidam commissam sibi cum magno timore Domini regebat Ecclesiam (*Dist.* C 32, *can. Presbyter*). Qui ex tempore [f] ordinationis acceptæ [g] presbyteram suam ut sororem diligens, sed quasi hostem cavens, ad se propius accedere nunquam sinebat, eamque sibimet propinquare nulla occasione permittens, ab ea sibi communionem funditus familiaritatis absciderat. Habent quippe sancti viri hoc proprium; nam ut semper ab illicitis longe sint, a se plerumque etiam licita abscindunt. Unde idem vir, ne in aliquam per eam incurreret culpam, sibi etiam per illam ministrari recusabat necessaria. Hic ergo venerabilis presbyter cum longam vitæ implesset ætatem, anno quadragesimo ordinationis suæ inardescente graviter febre correptus, ad extrema deductus est. Sed cum eum presbytera sua conspiceret solutis jam membris, quasi in morte distentum, si quod adhuc ei vitale spiramen inesset, naribus ejus apposita curavit aure dignoscere. Quod ille sentiens, cui tenuissimus inerat flatus, quantulo adnisu

[a] Prius legebatur, ἐκείνης, pro σκέπης; hujus loci corruptionem agnoverat Gussanv., sed remedium non attulit; quod tamen non arduum, cum ms. Regis, in quo legitur, σκέπης, copiam haberet. Verum errata omnia Editionis Romanæ religiose retinuit, ut in præfatione probavimus.

[b] Ms., αὐτῶν φῶς διαν.

[c] Ms., περιῆλθε.

[d] Ms., οὐδέποτε εἴασεν.

[e] Ita Pratel. et primus Aud. In primo Carnot., *presbyteri cujusdam ex Nursia provincia.* Suffragatur huic lect. Græcus interpres. In Germ. tamen ac plerisque, ut in Editis, *Ursini.*

[f] Compend. et plur., *ordinis accepti.*

[g] Id est, *uxorem.* Sic dicebantur presbyterorum conjuges, mutuato a viris nomine, quas caste, abdicato conjugii usu, diligebant. [*Conversæ* uxores dicuntur in concilio Arelat. II, c. 5. Vide Baron., ad ann. 405, num. 60, Aurelian. IV, cap. 17; Turon. II, can. 20; Autissiod., cap. 21. Aliquando etiam apud Ecclesiastic. rerum scriptores reperitur nomen *presbyteræ*, pro viduis senioribus, Græcis πρεσβύτιδες, ut in concil. Laodic., cap. ultimo, et apud Athanasium, ad Virgines. Et fortasse de illis loquitur Gregorius, utpote quæ peculiari quodam habitu dignoscebantur. Gussanv.

valuit, ut loqui potuisset, infervescente spiritu collegit vocem atque erupit, dicens : Recede a me, mulier, adhuc igniculus vivit, paleam tolle. Illa igitur recedente, crescente virtute corporis, cum magna cœpit lætitia clamare, dicens : [a] Bene veniant domini mei ; **389** bene veniant domini mei; quid ad tantillum servulum vestrum estis dignati convenire? venio, venio, gratias ago, gratias ago. Cumque hoc iterata crebro voce repeteret, quibus hoc diceret noti sui, qui illum circumsteterant, requirebant. Quibus ille admirando respondit, dicens : Nunquid hic convenisse sanctos apostolos non videtis? beatum Petrum et Paulum primos apostolorum non aspicitis? Ad quos iterum conversus, dicebat : Ecce venio, ecce venio; atque inter hæc verba animam reddidit. Et quia veraciter sanctos apostolos viderit, eos etiam sequendo testatus est. Quod plerumque contingit justis, ut in morte sua sanctorum præcedentium [b] visiones aspiciant, ne ipsam mortis suæ pœnalem sententiam pertimescant, sed dum eorum menti internorum civium societas ostenditur, a carnis suæ copula sine doloris et formidinis fatigatione solvantur.

A τῆς ταῖς ῥισὶν αὐτοῦ [f] ἐπιθείσασα, ἔσπευδε διαγνῶναι, ἐὰν αὐτῷ τις ἔτι πνοὴ ζωτικὴ ὑπῆρχεν. Ὅπερ ἐκεῖνος ἐπιγνούς, [g] καί τι λίαν λεπτοτάτης αὐτῷ πνοῆς ὑπαρχούσης, τῇ ἐπινεύσει δὲ [h] μᾶλλον θερμανθέντος τοῦ πνεύματος, ὅσην ἠδυνήθη σωρεῦσαι πνοὴν τοῦ λαλῆσαι, τὴν φωνὴν διήνοιξε, λέγων· Ἀπόστα ἀπ' ἐμοῦ, γύναι. Τὸ γὰρ πῦρ ἔτι ζῇ, ἔπαρον τὸ ἄχυρον. Ἐκείνης δὲ ὑποχωρησάσης, καὶ τῆς τοῦ σώματος αὐτοῦ δυνάμεως αὐξησάσης, μετὰ μεγάλης εὐφροσύνης ἤρξατο κράζειν καὶ λέγειν· Καλῶς ἔρχονται οἱ κύριοί μου· **390** τί πρὸς τὸν ἀνάξιον ὑμῶν δοῦλον ἐλθεῖν κατηξιώσατε; Ἔρχομαι, ἔρχομαι, εὐχαριστῶ, εὐχαριστῶ. Ἐν δὲ τῷ συχνῇ τῇ φωνῇ τὸν αὐτὸν λόγον προσφέρειν αὐτὸν, οἱ γνωστοὶ αὐτοῦ, οἵτινες ἐκεῖσε παρίσταντο, τίσι τοῦτο ἔλεγεν ἠρώτων. Πρὸς οὓς ἐκεῖνος θαυμάζων ἀπεκρίθη, λέγων· Οὐ θεωρεῖτε B τοὺς ἁγίους ἀποστόλους συνελθόντας ἐνταῦθα ; Οὐ θεωρεῖτε τοὺς μακαρίους Πέτρον καὶ Παῦλον τοὺς πρώτους τῶν ἀποστόλων ; Πρὸς οὓς πάλιν ἐπιστραφείς, εἶπεν· Ἰδοὺ ἔρχομαι, ἰδοὺ ἔρχομαι. Ἐν τούτοις οὖν τοῖς ῥήμασι τὴν ψυχὴν ἀπέδωκεν. Ἐπ' ἀληθείας τοιγαροῦν τοὺς ἀποστόλους ἐθεάσατο, οἷς καὶ ἀκολουθεῖν ἐμαρτύρησεν. Ὅθεν λοιπὸν συμβαίνει ἐν τοῖς δικαίοις, ὥστε ἐν τῷ θανάτῳ αὐτῶν, ἁγίων προλαμβανόντων, ὀπτασίας αὐτοὺς θεάσασθαι, ἵνα μὴ ἐν τῇ ἀποφάσει τοῦ θανάτου βάσανον δειλιάσωσιν. Ἀλλ' ἐν τῷ ἐπιδείκνυσθαι αὐτοῖς τῷ ἔνδοθεν λογισμῷ μετὰ τίνων συμμέτοχοι ὑπάρχουσιν, ἐκ τοῦ δεσμοῦ τῆς σαρκὸς αὐτῶν ἄνευ πόνου καὶ φόβου ἀπολυθῶσιν.

## CAPUT XII.

*De anima [c] Probi Reatinæ civitatis episcopi.*

Qua de re neque hoc sileam, quod Probus omnipotentis Dei famulus, qui nunc in hac urbe monasterio præest, [d] quod appellatur Renati, de Probo patruo suo Reatinæ civitatis episcopo mihi narrare consuevit, dicens quia, appropinquante vitæ ejus termino, eum gravissima depressit ægritudo. Cujus pater nomine Maximus, pueris circumquaque transmissis colligere medicos studuit, si fortasse ejus molestiæ subvenire potuisset. Sed congregati ex vicinis locis undique medici, ad tactum venæ denuntiaverunt ejus exitum citius adfuturum. Sed cum jam tempus refectionis incumberet, atque diei hora tardior excrevisset, venerandus episcopus de illorum potius quam de sua salute sollicitus, eos qui aderant admonuit [e] cum suo patre in superioris episcopii sui partes ascendere, seque post laborem reficiendo reparare. Omnes igitur ascenderunt domum, unus ei tantummodo parvulus relictus est puer, quem nunc quoque prædictus Probus asserit superesse. Qui dum lecto jacentis assisteret, subito aspexit intrantes ad virum Dei quosdam viros stolis candidis amictos,

## ΚΕΦΑΛ. ΙΓ'.

Περὶ τῆς ψυχῆς Πρόβου ἐπισκόπου πόλεως Ῥεατῆς.

Καὶ τοῦτο φανερὸν καταστῆσαι εὔλογον ἡγοῦμαι, ὅπερ μοι Πρόβος ὁ τοῦ Θεοῦ οἰκέτης διηγήσατο, ὅστις νυνὶ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει [i] μοναστηρίῳ προΐσταται, Ῥενάτης C ἐπωνομαζομένῳ. Ἔλεγε γὰρ περὶ Πρόβου τοῦ πατρὸς αὐτοῦ, τοῦ γενομένου ἐπισκόπου τῆς πόλεως Ῥεατῆς, ὅτι τοῦ τέλους τῆς ζωῆς αὐτοῦ πλησιάσαντος, βαρυτάτη νόσος αὐτὸν κατέσχεν. Ὁ δὲ ἐκείνου πατὴρ Μάξιμος ὀνόματι, παῖδας ἐν τοῖς πέριξ τόποις ἀποστείλας συναγαγεῖν ἰατροὺς [j] ἠγωνίσατο, ὥστε τῇ ἐκείνου ἀσθενείᾳ εἴτι δύνανται συνδράμωσιν. Τῶν δὲ ἰατρῶν ἐκ τῶν γειτνιαζόντων τόπων [k] πορευθέντων, καὶ τούτου τὸν σφυγμὸν ψηλαφήσαντες ἐμήνυσαν σύντομον αὐτοῦ τὴν ἔξοδον μέλλειν ἔσεσθαι. Τῆς οὖν ὥρας προκοψάσης, καὶ τοῦ καιροῦ τοῦ ἀρίστου ἤδη λοιπὸν καταλαβόντος, ὁ εὐλαβέστατος ἐπίσκοπος περὶ τῆς ἐκείνων μᾶλλον [l] ἢπερ τῆς ἐκείνου σωτηρίας ἐφρόντισεν. Ὅθεν τοὺς παραγενομένους ἰατροὺς παρεκάλεσεν, ἵνα [m] ἅμα τοῦ πρεσβύτου αὐτοῦ πατρὸς ἐν τοῖς ἀνωγείοις τοῦ ἐπισκοπείου ἀνέλθωσι καὶ τροφῆς μεταλάβωσι. Πάντες οὖν ἐν τῷ ἀνωτέρῳ οἴκῳ ἀνῆλθον. Ἐν δὲ παιδίον [n] σεμνὸν παριστάμενον αὐτῷ καὶ μόνον κατελείφθη, ὅπερ καὶ μέχρι τοῦ νῦν περίεστι, καθὼς ὁ προ-

[a] Germ. et Norm., *bene veniunt;* quod significat Græca versio.

[b] Visiones passim admittunt leviores animi, deridٍent impii, expendunt sapientiores. Probavit sanctus Cyprianus, iisque usus est non semel, ut fidem daret. Vide epistolas ejusdem 10, 34, 40, 54, 56. GUSSANV.

[c] Ejus nomen legitur in Martyrol. die 15 Mart.

[d] Ita Germ., Gemet. et cæteri Norm., uno Beccensi excepto, tres Carnot. et duo Theod. In Compend. et Val. Cl. legitur *Reati*. In Ed. *Renatum*.

[e] Excusi, *cum sene patre*, renitentibus Mss.

[f] Fortasse, ἐπιθεῖσα.

[g] Forte, καίτοι.

[h] Ms., μᾶλλον τοῦ Θεοῦ θερμαν.

[i] Ms., μοναστηρίου προίσταται ῥεάτης ἐπονομαζομένου.

[j] Ms., ἠγωνίζετο.

[k] Ms., συναχθέντων καὶ.... ψιλαφησάντων ἐμήνυσαν σύντομα.

[l] Ms.. ἠπέρ περὶ τῆς ἰδίας σωτηρίας.

[m] Ms., μετὰ τοῦ πατρὸς αὐτοῦ ἐν τῷ ὑπερώῳ.

[n] Ms., μικρόν.

λεχθεὶς Πρόβος λέγει. Ὅστις ἐν ὅσῳ τῇ κλίνῃ τοῦ κειμένου παρίστατο, ἐθεάσατο αἴφνης ἄνδρας τινὰς πρὸς αὐτὸν προσερχομένους, στολὰς λευκὰς ἠμφιεσμένους, οἵτινες τῷ φωτὶ τοῦ προσώπου αὐτῶν τὴν λαμπρότητα τῶν ἱματίων ὑπερέβαλλον. Ἐκ τῆς ἀστραπῆς οὖν τῆς αὐτῶν λαμπρότητος πληγεὶς ὁ παῖς, φωνὴν προσενέγκας, κράζειν ἤρξατο, τίνες ἐκεῖνοι ὑπάρχουσι. Τῇ δὲ τούτου φωνῇ Πρόβος ὁ ἐπίσκοπος συνταραχθεὶς εἰσερχομένους αὐτοὺς ἑωρακὼς τούτους ἐπέγνω. Τὸν δὲ κράζοντα παῖδα παρακαλεῖν ἤρξατο, λέγων· Μὴ φοβοῦ, ὅτι πρός με ὁ ἅγιος Ἰουβενάλιος, καὶ ὁ ἅγιος Ἐλευθέριος οἱ μάρτυρες ἦλθον. Ἐκεῖνος δὲ τῆς τοιαύτης ὀπτασίας [a] τὸ νεούργημα μὴ φέρων, δρόμῳ ταχυτάτῳ ἔξω τῶν θυρῶν ἔφυγε. Περὶ δὲ ὧν ἐθεάσατο, τῷ πατρὶ καὶ τοῖς ἰατροῖς ἐμήνυσεν. Οἵτινες συντόμως κατελθόντες, τὸν ἄῤῥωστον, ὃν αὐτὸν μετ' ἑαυτῶν ἐπῆραν, ὧν τὴν θέαν ὑπενέγκαι οὐκ

A qui eumdem quoque candorem vestium, vultuum suorum luce vincebant. [f] Qua splendoris etiam claritate perculsus, quinam illi essent, emissa cœpit voce clamare. Qua voce etiam Probus episcopus commotus, intrantes eos aspexit et agnovit, atque eumdem stridentem vagientemque puerum consolari cœpit, dicens : Noli timere, fili, quia ad me sanctus Juvenaiis et sanctus Eleutherius martyres venerunt. Ille autem tantæ visionis novitatem non ferens, cursu concito extra fores fugit, atque eos quos viderat patri ac medicis nuntiavit. Qui concite descenderunt; sed ægrum quem reliquerant jam defunctum invenerunt, quia illi eum secum tulerant, quorum visionem puer ferre non potuit, qui hic remansit.

κατέλιπον, θανέντα λοιπὸν εὗρον. Ὅθεν δῆλον, ὅτι ἐκεῖνοι ἠδυνήθη ὁ ἐνθάδε ἀπομείνας παῖς.

## 391 ΚΕΦΑΛ. ΙΔ'.

### Περὶ τῆς τελειώσεως Γάλλης μοναστρίας θυγατρὸς Συμμάχου πατρικίου.

Ἐπὶ τούτοις οὐδὲ τοῦτο παρασιωπηθῆναι δίκαιον [b] κρίνω, ὅπερ μοι πρόσωπον μέγιστον καὶ πιστὸν τῇ διηγήσει ἐγνώρισεν. Ἔλεγε γὰρ, ὅτι ἐν τοῖς τῶν Γότθων καιροῖς, Γάλλα τις εὐγενεστάτη κόρη ταύτης τῆς πόλεως, θυγάτηρ ὑπάρχουσα Συμμάχου τοῦ ὑπάτου καὶ πατρικίου, ἐν τῷ τῆς νεότητος αὐτῆς χρόνῳ, ἀνδρὶ [c] παραδοθεῖσα, ἕνα καὶ μόνον ἐνιαυτὸν συζήσασα, τούτου τελευτήσαντος χήρα γέγονε. Ταύτην δὲ ἡ ἀκμὴ τῆς νεότητος, καὶ ἡ τοῦ κόσμου ἐπιθυμία, καὶ τοῦ πλούτου ἡ [d] ἀπάτη, πρὸς τὸ δευτέροις προσομιλῆσαι γάμοις ἐξεκαλεῖτο. Ἀλλὰ αὕτη μᾶλλον ἐξελέξατο πνευματικοῖς γάμοις τῷ Θεῷ συναφθῆναι, οἵτινες ἀπὸ πένθους ἄρχονται, καὶ εἰς χαρὰν αἰώνιον καταλήγουσιν, ἢπερ σαρκικοῖς γάμοις ὑποταγῆναι, οἵτινες ἀπὸ εὐφροσύνης ἄρχονται, ἐν δὲ τῷ τέλει μετὰ πένθους πορεύονται. Σφόδρα δὲ αὐτῆς θέρμης ὑπαρχούσης τῇ κατασκευῇ τοῦ σώματος, ἤρξαντο οἱ ἰατροὶ λέγειν, ὅτι εἰ μὴ εἰς συμπλοκὴν ἀνδρὸς ἐπιστρέψει, τῇ σφοδροτάτῃ θέρμῃ τῆς φύσεως γένεια μέλλει ἐκφέρειν. Ὅπερ μετέπειτα καὶ γέγονεν. Ἀλλ' ἡ ἁγία ἐκείνη γυνὴ οὐδὲν τῆς ἔξωθεν ἀσχημοσύνης ἐφρόντισεν, ἥτις ἔνδον νυμφίου τὸ κάλλος ἠγάπησεν. Οὐδὲ τὸ ἐν αὐτῇ ἀκαλλὲς ἠρυθρίασεν, ἀλλὰ μᾶλλον ἐκεῖνο ᾐδέσθη τὸ παρὰ τοῦ οὐρανίου νυμφίου μὴ ἀγαπώμενον. Παρευθὺ οὖν τοῦ τελευτῆσαι τὸν ταύτης σύζυγον, ἀποβαλοῦσα τὸ κοσμικὸν σχῆμα, εἰς τὴν τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ δουλείαν ἑαυτὴν ἐκδέδωκεν, ἐν τῷ μοναστηρίῳ τῷ ὄντι παρὰ τὴν τοῦ μακαρίου Πέτρου τοῦ ἀποστόλου ἐκκλησίαν. Ἐκεῖσε οὖν ἐπὶ πολλοὺς χρόνους ἐν ἀκακίᾳ καρδίας καὶ ἐπιμόνῳ προσευχῇ διήρκεσε πλουσίως τοῖς δεομένοις τὴν ἐλεημοσύνην παρέχουσα. Ὅτε δὲ λοιπὸν τὸν αἰώνιον μισθὸν ὁ παντοδύναμος Θεὸς τοῖς ταύτης καμάτοις παρασχέσθαι ὥρισε, [e] καρκίνου ἐπλήγη θηλῇ. Ἐν δὲ τῇ νυκτερινῇ ἡσυχίᾳ ἔμπροσθεν τῆς κλίνης αὐτῆς δύο λυχνίαι φαίνειν ἤρξαντο. Ἡ γὰρ τοῦ φωτὸς προσφιλὴς οὐ μόνον τὸ νοητὸν σκότος, ἀλλὰ καὶ τὸ

## 392 CAPUT XIII.

### *De transitu* [g] *Gallæ ancillæ Dei.*

Interea neque hoc silendum arbitror [h] quod mihi personarum gravium atque fidelium est relatione compertum. Gothorum namque temporibus Galla hujus urbis nobilissima puella Symmachi consulis ac patricii filia, intra adolescentiæ tempora marito tradita, in unius anni spatio ejus est morte viduata. Quam dum, fervente mundi copia, ad iterandum thalamum et opes et ætas vocarent, elegit magis spiritalibus nuptiis copulari Deo, in quibus a luctu incipitur, sed ad gaudia æterna pervenitur, quam carnalibus nuptiis subjici, quæ a lætitia semper incipiunt, et ad finem cum luctu tendunt. Huic autem cum valde ignea conspersio corporis inesset, cœperunt medici dicere, quia nisi ad amplexus virilcs rediret, calore nimio contra naturam barbas esset habitura, quod ita quoque post factum est. Sed sancta mulier nihil exterioris deformitatis timuit, quæ interioris sponsi speciem amavit, nec verita est si hoc in illa fœdaretur, quod a cœlesti sponso in ea non amaretur. Mox ergo ut ejus maritus defunctus est, abjecto sæculari habitu, ad omnipotentis Dei [i] servitium sese apud beati Petri apostoli ecclesiam monasterio tradidit, ibique multis annis simplicitati cordis atque orationi dedita, larga indigentibus eleemosynarum opera impendit. Cumque omnipotens Deus perennem jam mercedem reddere ejus laboribus decrevisset, cancri ulcere in mamilla percussa est. Nocturno autem tempore ante lectum ejus duo candelabra lucere consueverant, quia videlicet amica lucis, non solum spiritales, sed etiam corporales tenebras odio habebat. Quæ dum nocte quadam ex hac eadem jaceret infirmitate fatigata, vidit beatum Petrum apostolum inter utraque candelabra ante suum lectum consistentem; nec perterrita timuit, sed ex amore

[a] Ms., τὸ ὅραμα.
[b] Ms., ἡγοῦμαι.
[c] Ms., ἁρμοσθεῖσα.
[d] Ms., ἀγάπη.
[e] Ms., καρκίνου πληγῇ ἐν τῷ ταύτης μάσθῳ ἐκρούσθη. ἐν δὲ.
[f] Aliter, *Qui splendoris eorum clar.*
[g] Ejus encomium lege in Martyrolog. Rom., ad diem 5 Octobris. Eadem esse creditur ad quam sanctus Fulgentius scripsit, *De viduis.*
[h] Primus Carnot., *quod mihi personarum civium fidelium.*
[i] Becc., *obsequium in Ecclesia beati Petri apostoli se convertit; ibique multis annis simplici corde, orationi dedita.*

sumens audaciam exsultavit, eique dixit : Quid est, Domine mi, dimissa sunt mihi peccata mea? Cui ille benignissimi ut est vultus, inclinato capite annuit, dicens : Dimissa ; veni. Sed quia quamdam sanctimonialem feminam in eodem monasterio præ cæteris diligebat, illico Galla subjunxit : Rogo ut [a] soror Benedicta mecum veniat. Cui ille respondit : Non, sed illa talis veniat tecum ; hæc vero quam petis, die erit trigesimo secutura. His itaque expletis, visio apostoli assistentis et colloquentis ei ablata est. At illa protinus cunctæ congregationis accivit Matrem, eique quid viderit, quidve audierit, indicavit. Tertio autem die cum ea quæ jussa fuerat sorore defuncta est ; illa vero quam ipsa poposcerat die est trigesimo subsecuta. Quod factum nunc usque in eodem monasterio manet **393** memorabile, sicque hoc a præcedentibus [b] Matribus traditum narrare illic solent subtiliter juniores quæ nunc sunt sanctimoniales virgines, ac si illo in tempore huic tam grandi miraculo et ipsæ adfuissent.

ματι ἡ ψυχὴ τῇ λεπτότητι αὐτῆς ἐκεῖνα τὰ μέλλοντα γίνεσθαι διαγινώσκει, φανερὸν ἐκ τῶν γεγονότων καθίσταται. [a] Κουνκοδέους γὰρ ὁ ἀδβοκᾶτος, ὅστις ἐν ταύτῃ τῇ πόλει πρὸ δύο ἡμερῶν τῷ τοῦ πλευροῦ πόνῳ ἐτελεύτησε, πρὸ ὀλίγου τοῦ ἀποθανεῖν αὐτὸν ἐκάλεσε τὸν παῖδα αὐτοῦ, καὶ τούτῳ εὐτρεπίσαι τὰ ἱμάτια αὐτοῦ πρὸς τὸ προελθεῖν αὐτὸν ἐκέλευσεν. Ὁ δὲ αὐτὸς παῖς, ὥσπερ ἐξηχήσαντα αὐτὸν λογισάμενος, οὐδαμῶς τοῖς προστάγμασιν αὐτοῦ ὑπήκουσεν· αὐτὸς δὲ ἀναστὰς, ἑαυτὸν τοῖς ἱματίοις ἐνέδυσε, καὶ διὰ τῆς Ἀππίας ὁδοῦ ἐν τῇ τοῦ μακαρίου Σύξτου ἐκκλησίᾳ ἑαυτὸν προελθεῖν εἴρηκε. Μετ' ὀλίγον δὲ τῇ νόσῳ [b] βαρηθεὶς ἐτελεύτησεν. Ὡρισμένον δὲ ὑπῆρχεν, ὅπως εἰς τὸν μακάριον Ἰανουάριον τὸν μάρτυρα ἐν τῇ Πραινεστίνῃ [c] ὁδῷ ταφῇ. Διὰ δὲ τὸ ἐκ μήκους τὸν τόπον ὑπάρχειν, οἱ τὴν κηδείαν αὐτοῦ ποιούμενοι αἴφνης ἐβουλεύσαντο, ἵνα ἐξερχόμενοι μετὰ τῆς κηδείας διὰ τῆς ὁδοῦ τῆς Ἀππίας ἀπέλθωσιν, καὶ ἐν ἐκείνῃ τῇ ἐκκλησίᾳ αὐτὸν θάψωσιν, ἐν ᾗ αὐτὸς προεῖπε, καί τοι μὴ γινώσκοντες τί ἦν προειπών, ὅπερ καὶ γέγονε. Τοῦτον δὲ τὸν ἄνδρα γινώσκομεν κοσμικαῖς μερίμναις ἐμπεπλεγμένον, καὶ εἰς κέρδη ἐπίγεια κατεπειγόμενον. Πόθεν οὖν τοῦτο προειπεῖν ἠδυνήθη, ὅπερ ἤμελλεν ἐν τῷ σώματι αὐτοῦ γίνεσθαι, εἰ μὴ δηλονότι τῷ τῆς ψυχῆς θελήματι διὰ τῆς λεπτότητος αὐτῆς προεθεώρησεν; Τὸ δὲ δι' ἀποκαλύψεως πολλάκις γινώσκειν τοὺς τελευτῶντας τὰ μέλλοντα γίνεσθαι, ἐκ τούτων ἐπιδεῖξαι δυνάμεθα, ἐξ ὧν παρ' ἡμῖν ἐν τοῖς μοναστηρίοις [d] γεγόνασι διέγνωμεν. Ἐν γὰρ τῷ ἐμῷ μοναστηρίῳ ἀδελφός τις ὑπῆρχε Γερόντιος ὀνομαζόμενος, ὅστις πρὸ τῆς δεκαετίας ταύτης ἐν βαρείᾳ ἀῤῥωστίᾳ τοῦ σώματος κατατεθείς, ἐν τῇ καθ' ὕπνον ὁράσει ἄνδρας [e] εὐσχημονοῦντας, καὶ λαμπρῷ λίαν τῷ σχήματι ἐκ τῶν ἄνωθεν κατερχομένους, καὶ ἐν τῷ μοναστηρίῳ εἰσελθόντας ἐθεάσατο. Ἔμπροσθεν δὲ τῆς κλίνης αὐτοῦ σταθέντες, ὁ εἷς ἐξ αὐτῶν εἶπε· Ἐπὶ τοῦτο ἤλθομεν, ὅπως ἐκ τοῦ μοναστηρίου τοῦ Γρηγορίου τινὰς ἀδελφοὺς ἐν τῇ στρατιᾷ βάλωμεν. Ἑτέρῳ δὲ κελεύσας, προσέθετο, λέγων· Γράψον Μάρκελλον, Βαλεντιανὸν, **411** Ἀγνέλλον, καὶ ἄλλους τινὰς, οὕσπερ ἀρτίως οὐ μέμνημαι. Πληρωθέντων δὲ αὐτῶν, προσθεὶς εἶπε· Γράψον καὶ τοῦτον αὐτὸν τὸν θεωροῦντα ἡμᾶς. Ἐκ δὲ ταύτης τῆς ὁράσεως, ἀληθῆ εἶναι τὰ ῥηθέντα ὁ προλεχθεὶς ἀδελφὸς πιστεύσας, πρωΐας τοῖς ἀδελφοῖς ἐγνώρισε, τίνες εἰσὶν οἱ μέλλοντες ἐξ αὐτοῦ τοῦ μοναστηρίου τελευτᾷν. Καὶ περὶ ἑαυτοῦ διεμήνυσεν, ὅτι τούτοις μέλλει ἀκολουθεῖν. Ἐν δὲ ἑτέρᾳ ἡμέρᾳ οἱ προλεχθέντες ἀδελφοὶ ἀποθνήσκειν ἤρξαντο. Καὶ κατὰ τὸν ὅρδινον ὃν εἶπεν, ἀλλήλοις ἐν τῷ θανάτῳ ἐπηκολούθησαν, καθάπερ ἐν τῇ ἀναγραφῇ ἦσαν ὀνομασθέντες. Ἔσχατον δὲ καὶ αὐτὸς ἐτελεύτησεν ὁ προθεωρήσας τῶν αὐτῶν ἀδελφῶν τὸν θάνατον. Ἐν τῷ θανατικῷ δὲ τῷ πρὸ τριετίας ταύτην τὴν πόλιν σφοδροτάτῃ συμφορᾷ λυμηναμένῳ, ἐν τῷ μοναστηρίῳ τῆς πόλεως τοῦ Πόρτου, μοναχός τις Μελίτων λεγόμενος, νέαν μὲν ἄγων τὴν [f] ἡλικίαν, θαυμαστῆς δὲ ἀκα-

gnoscit patet ex eo [g] quod quidam advocatus qui in hac urbe [h] ante biduum lateris dolore defunctus est, paululum antequam moreretur, vocavit puerum suum, pararique sibi vestimenta ad procedendum jussit. Quem dum puer quasi insanire cerneret, ejusque præceptis minime obediret, surrexit, vestimento se induit, et per viam Appiam ad beati Xysti Ecclesiam se esse processurum dixit. Cumque post modicum, ingravescente molestia, esset defunctus, deliberatum fuerat ut apud beatum Januarium martyrem Prænestina via ejus corpus poni debuisset. Sed quia longum hoc his qui funus ejus [i] curaverant visum est, repente orto consilio exeuntes cum ejus funere per viam Appiam, nescientesque quid ille dixerat, in ipsa eum ecclesia quam prædixerat posuerunt. Et cum eumdem virum curis sæcularibus obligatum lucrisque terrenis inhiantem fuisse noverimus, unde hoc prædicere potuit, nisi quia id quod futurum erat ejus corpori ipsa vis animæ ac subtilitas prævidebat? Quod autem sæpe etiam revelationibus agitur ut a morituris futura præsciantur, ex his colligere possumus quæ apud nos gesta in monasteriis scimus. In monasterio etenim meo quidam frater ante decennium Gerontius dicebatur. Qui cum gravi molestia corporis fuisset depressus, in visione nocturna albatos viros, et clari omnimodo habitus in hoc ipsum monasterium descendere de superioribus aspexit. Qui dum coram lecto jacentis assisterent, unus eorum dixit : Ad hoc venimus, ut de monasterio Gregorii quosdam fratres in militiam mittamus ; atque alteri præcipiens adjunxit : Scribe Marcellum, Valentinianum, Agnellum, atque **412** alios quorum nunc minime recordor. Quibus expletis addidit, dicens : Scribe et hunc ipsum qui nos aspicit. Ex qua visione certus redditus prædictus frater, facto mane innotuit fratribus, qui et qui essent [j] in brevi ex eadem cella morituri, quos se etiam denuntiavit esse secuturum, cum die alio prædicti fratres mori cœperunt, atque sub eodem ordine se in morte secuti sunt quo fuerant in descriptione nominati. Ad extremum vero et ipse obiit, qui eosdem fratres morituros prævidit. In ea quoque mortalitate quæ ante triennium hanc urbem vehementissima clade vastavit (*Scilicet anno* 590), in Portuensis civitatis monasterio, Mellitus dictus est monachus, adhuc in annis juvenilibus constitutus, sed miræ simplicitatis atque humilitatis vir : qui, appropinquante vocationis die, eadem clade percussus ad extrema deductus est. Quod vir vitæ venerabilis Felix ejusdem civitatis episcopus audiens, cujus et hæc relatione cognovi, ad eum accedere studuit, et ne mortem timere debuisset, verbis hunc persuasoriis confortare, cui etiam adhuc de divina misericordia longiora vitæ

[a] Ms., Κόδεος.
[b] Ms., Βαρυνθείς.
[c] Ms., ὁδῷ τὸ σῶμα αὐτοῦ ταφῇ.
[d] Ms., γεγονῶσι.
[e] Ms., λευχειμονοῦντας καὶ λαμπρούς.
[f] Ms., ἡλικίαν ἀκακίας δὲ καὶ ταπεινοφροσύνης ἀνὴρ ὑπάρχων, ἐκ τῆς φθορᾶς.
[g] Sic German. et plerique Mss. ac potiores. Primus Aud., Lyr. et Gemet., *quod Cumquodeus advocatus.* Idem habet Græcus interpres ; pro quo legit Gussanv. *Godeus*, cui favet Ms. Regius versionis Zachariæ, habet enim Κόδεος. Cæterum per *Advocatum*, quæ vox multis significationibus patet, intellige hic causarum patronum.
[h] Primus Aud., cum Bec. et Lyr., ac secundus Theod., *ante biennium.*
[i] Compend. et Val. Cl., *portaverunt.*
[j] Omittitur in plur. Mss. *in brevi.*

spatia polliceri cœpit. Sed ad hæc ille respondit, cursus sui tempora esse completa, dicens apparuisse sibi juvenem, atque epistolas detulisse, dicentem : Aperi, et lege. Quibus apertis, asseruit quia se et omnes qui eodem tempore a prædicto episcopo in Paschali festivitate fuerant baptizati scriptos in eisdem epistolis litteris aureis invenisset. Primum quidem, ut dicebat, suum nomen reperit, ac inde omnium illo in tempore baptizatorum. Qua de re certum tenuit, et se et illos de hac vita esse sub celeritate migraturos. Factumque est ut die eadem ipse moreretur, atque post eum cuncti illi qui baptizati fuerant ita secuti sunt, ut intra paucos dies nullus eorum in hac vita remaneret. De quibus nimirum constat quod eos prædictus Dei famulus idcirco auro scriptos viderat, quia eorum nomina apud se fixa æterna claritas habebat. [a] Sicut itaque hi revelationibus potuerunt ventura cognoscere, ita nonnunquam egressuræ animæ possunt etiam mysteria cœlestia non per somnium, sed vigilando prælibare. Ammonium namque monasterii mei monachum bene nosti, qui dum esset in sæculari habitu constitutus, Valeriani hujus urbis advocati naturalem filiam in conjugio sortitus, ejus obsequiis sedule atque incesanter adhærebat, et quæque in ejusdem domo agebantur noverat. Qui mihi jam in monasterio positus narravit quod in ea mortalitate quæ [b] patricii Narsæ temporibus hanc urbem vehementer afflixit, in domo prædicti Valeriani [c] puer Armentarius fuit præcipuæ simplicitatis et humilitatis. Cum vero ejusdem advocati domus eadem clade vastaretur, idem puer percussus est, et [d] usque ad extremum deductus. Qui subito sublatus a præsentibus, postmodum rediit, sibique dominum suum vocari fecit. Cui ait : Ego **413** in cœlo fui, et qui de hac domo morituri sunt agnovi. Ille, ille, atque ille morituri sunt ; tu vero ne timeas, quia in hoc tempore moriturus non es. Ut vero scias quod me in cœlo fuisse verum fateor, ecce accepi illic ut linguis omnibus loquar. Nunquid tibi incognitum fuit Græcam me linguam omnino non nosse? et [e] tamen Græce loquere ut cognoscas an verum sit quod me omnes linguas accepisse testificor. Cui tunc Græce dominus suus locutus est, atque ita ille in eadem lingua respondit, ut cuncti qui aderant, mirarentur. In ea quoque domo prædicti Narsæ spatharius Bulgar manebat : qui festine ad ægrum deductus, ei Bulgarica lingua locutus est; sed ita puer ille in Italia natus et nutritus, in eadem barbara locutione respondit ac si ex eadem fuisset gente generatus. Mirati sunt omnes

κίας καὶ ταπεινοφροσύνης ἀνὴρ ὑπάρχων, ἐκ τῆς συμφορᾶς τοῦ αὐτοῦ θανατικοῦ κρουσθείς, πλησιαζούσης τῆς ἡμέρας τῆς κλήσεως αὐτοῦ, εἰς τὰ ἔσχατα [f] ἀπηνέχθη. Τοῦτο δὲ ὁ τῇ ζωῇ εὐλαβέστατος [g] φύλαξ ἀκούσας ὁ τῆς αὐτῆς πόλεως ἐπίσκοπος, ὅστις μοι καὶ διηγήσατο, πρὸς αὐτὸν ἀπελθεῖν ἔσπευσε, βουλόμενος αὐτὸν λόγοις παραινετικοῖς ἐνισχῦσαι, ὥστε μὴ φοβηθῆναι τὸν θάνατον. Ἀπελθὼν οὖν ἤρξατο περὶ τῆς τοῦ Θεοῦ εὐσπλαγχνίας [h] αὐτῷ διηγήσασθαι, καὶ ἐπιμηκέστερον τὸ τῆς ζωῆς διάστημα τούτῳ ἐπαγγέλλεσθαι. Ἐκεῖνος δὲ πρὸς αὐτὸν ἀπεκρίθη, λέγων, τὸν τῆς ζωῆς αὐτοῦ χρόνον πεπληρωμένον ὑπάρχειν. Ὀφθῆναι γὰρ αὐτῷ νεανίαν ἔφασκεν ἐπιστολὰς βαστάζοντα, καὶ πρὸς αὐτὸν λέγοντα· Ἄνοιξον καὶ ἀνάγνωθι. Ἀνοιχθεισῶν δὲ αὐτῶν, ἔλεγεν, ὅτι ἑαυτὸν καὶ πάντας τοὺς βαπτισθέντας παρὰ τοῦ προλεχθέντος ἐπισκόπου τῷ καιρῷ ἐκείνῳ ἐν τῇ ἑορτῇ τοῦ πάσχα γεγραμμένους ἐν ταῖς αὐταῖς ἐπιστολαῖς χρυσοῖς γράμμασιν εὗρε. Πρὸ δὲ πάντων, καθὼς ἔλεγε, τὸ ἴδιον ὄνομα εὗρε, καὶ τότε πάντων τῶν ἐν ἐκείνῳ τῷ καιρῷ βαπτισθέντων. Ἐξ οὗ πράγματος ἀσφαλῶς ἐπιστώθη, καὶ ἑαυτὸν κἀκείνους ἐκ ταύτης τῆς ζωῆς ἐν σπουδῇ μεταρσίους γενέσθαι, ὥστε ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ συνέβη αὐτὸν τελευτῆσαι, μετ' ἐκεῖνον δὲ, ἐντὸς ὀλίγων ἡμερῶν, καὶ πάντας τοὺς τότε βαπτισθέντας, ὥστε μηδένα ἐξ αὐτῶν ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ἀπομεῖναι. Περὶ τούτου οὖν ἀληθὲς καθέστηκεν, ὅτι ὁ προλεχθεὶς τοῦ Θεοῦ οἰκέτης διὰ τοῦτο ἐκ χρυσίου γεγραμμένους αὐτοὺς ἐθεάσατο, ὅτι τὰ ὀνόματα αὐτῶν παρ' ἑαυτὴν [i] πεπηγμένα εἶχεν ἡ αἰώνιος λαμπρότης. Καθὼς δὲ οὗτοι δι' ἀποκαλύψεων ἠδυνήθησαν τὰ μέλλοντα διαγνῶναι, οὕτω πολλάκις καὶ ἐξερχόμεναι αἱ ψυχαὶ δύνανται μυστήρια οὐράνια οὐχὶ δι' ἐνυπνίων, ἀλλὰ γρηγοροῦσαι θεάσασθαι. Ὅθεν καὶ περὶ τούτου δῆλον γενήσεται. Ἀμμώνιον τὸν τοῦ μοναστηρίου μου μοναχὸν καλῶς ἔγνως. Οὗτος ἔτι ἐν τῷ κοσμικῷ ὑπάρχων σχήματι, Βαλεριανοῦ τοῦ ἀδβοκάτου, τοῦ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει οἰκοῦντος, γνησίαν θυγατέρα πρὸς συζυγίαν ἡρμόσατο, ὅστις ἐν τῇ τούτου ὑπουργίᾳ ἀδιαλείπτως προσεκαρτέρει. Ὅθεν καὶ πάντα τὰ ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ γενόμενα καλῶς ἐγίνωσκεν. Ἐν δὲ τῷ μοναστηρίῳ λοιπὸν ἐλθὼν αὐτό μοι διηγήσατο, λέγων, ὅτι ἐν τοῖς χρόνοις τοῦ πατρικίου [j] Ναρσῆ σφοδρῶς τὸ θανατικὸν ταύτην τὴν πόλιν ἐλυμήνατο. Ἐν δὲ τῷ οἴκῳ τοῦ προλεχθέντος Βαλεριανοῦ παῖς ὑπῆρχε Βουκόλος, πολλῇ ἀκακίᾳ καὶ ταπεινοφροσύνῃ συζῶν. Ἡνίκα δὲ ἐκ τῆς αὐτῆς τοῦ θανατικοῦ συμφορᾶς καὶ ὁ τούτου οἶκος ἐλυμαίνετο, αὐτὸς ὁ παῖς ἐκρούσθη, καὶ μέχρι τῶν ἐσχάτων ἀπηνέχθη. Ἄῤῥωστος δὲ ἁρπαγεὶς ἐκ τῶν παρόντων, πάλιν εἰς ἑαυτὸν ὑπέστρεψε, τὸν δὲ κύριον αὐτοῦ πρὸς ἑαυτὸν κληθῆναι πεποίηκεν. Τούτου δὲ ἐλθόντος, ἔφη αὐτῷ, λέγων· Ἐγὼ **414** ἐν τῷ οὐρανῷ ἤμην, καὶ τίνες ἐκ τοῦ οἴκου τούτου τελευτῆσαι μέλλουσιν ἔγνων, ὁ

[a] In vetustiori Gemet. Codice hic incipit nova sectio, seu caput aliud. In altero Gemet. incipit ad hæc verba, *Ammonium namque*, etc.

[b] Plurimæ sunt Gregorii ad Narsem epistolæ. Verum de Alio Narse intelligenda videntur quæ hic narrat, nempe de illo strenuo duce qui Justiniani Augusti temporibus Gothos debellavit in Italia; quam tamen postea Langobardis accersitis prodidit. Vide quæ de eo scripsimus in Vita Cassiodori.

[c] Sic dictus videtur, quod armenta custodiret, Græce, Βουκόλος.

[d] Editi, *usque ad mortem.*

[e] Ita legendum ex versione Græc. et ex Mss., ubi Excusi habent, *tamen Græce loquar.* Provocat hic puer Dominum suum ut Græce loquatur, paratus ei eadem lingua respondere, periculumque facturus infusæ sibi linguarum omnium peritiæ.

[f] Ms., ἔφθασεν.

[g] Ms., φίληξ, forte φῆλιξ legendum.

[h] Ms., καὶ μακροθυμίας διαλέγεσθαι.

[i] Editi, corrupte, πεποιημένα.

[j] Ms., Ἀοσῆ.

δεῖνα, καὶ ὁ δεῖνα, καὶ ὁ δεῖνα· σὺ δὲ μὴ φοβοῦ, τῷ γὰρ χρόνῳ τούτῳ οὐκ ἀποθνήσκεις. Ἵνα δὲ πληροφορηθῇς, ὅτι [a] ἀληθῆ λέγω ἐν τῷ οὐρανῷ με γεγονέναι, ἰδοὺ ἐπιτροπὴν ἔλαβον, ἵνα πάσαις ταῖς γλώσσαις [b] λαλήσω. Καὶ ὡς οὖν ἐπίστασαι τὴν Ἑλληνίδα γλῶτταν παντελῶς οὐκ ἐγίνωσκον. Πλὴν ὅμως ἵνα γνῷς ὅτι ἀληθῆ λέγω, τῇ Ἑλληνίδι μοι γλώττῃ λάλησον, καὶ ἀποκρινοῦμαί σοι. Τούτῳ δὲ ὁ κύριος αὐτοῦ Ἑλληνιστὶ συντυχῶν, καὶ αὐτὸς ἐν τῇ αὐτῇ γλώσσῃ ἀπεκρίθη αὐτῷ, ὥστε πάντας τοὺς παρόντας θαυμάσαι. Ἐν δὲ τῷ αὐτῷ οἴκῳ σπαθάριος τοῦ προλεχθέντος πατρικίου Ναρσῆ ἦν ἀπληκευμένος, τῷ γένει Βούλγαρος· οὗτος πρὸς αὐτὸν ἀπενεχθείς, τῇ τῶν Βουλγάρων γλώσσῃ ἐλάλησεν αὐτῷ. Ὁ δὲ αὐτὸς παῖς ὁ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ γεννηθεὶς καὶ ἀνατραφείς, οὕτω τὴν αὐτὴν βάρβαρον γλῶσσαν ἀποκριθεὶς ἐλάλει, ὡς ὅτι ἐν αὐτῷ [c] τῷ γένει ὑπῆρχε γεννηθείς. Πάντες δὲ οἱ ἀκούσαντες τας δύο ταύτας γλώσσας αὐτὸν λαλήσαντα, ἄσπερ πρώην οὐκ ἤδει, καὶ περὶ τῶν λοιπῶν ἐπίστευσαν ἀληθῆ αὐτὸν λέγειν. Ἐν δυσὶ δὲ ἡμέραις ὁ θάνατος αὐτοῦ ἐδηλοποιήθη. Τῇ δὲ τρίτῃ ἡμέρᾳ, τῇ κρυπτῇ τοῦ Θεοῦ βουλῇ, [d] ὅπερ παρ' ἡμῖν οὐκ ἔγνωσται, τὰς χεῖρας αὐτοῦ καὶ τοὺς βραχίονας καὶ τοὺς ἀγκῶνας τοῖς ὀδοῦσι κατέφαγε. Καὶ οὕτως [e] τούτου δὲ θανέντος, καὶ πάντες ἐκεῖνοι οὓς προεῖπεν ἐκ τοῦ φωτὸς τούτου παραυτὰ ὑπεχώρησαν. Οὐδεὶς δὲ ἐν τῇ αὐτῇ τοῦ θανατικοῦ ἀνάγκῃ, ἐξ αὐτοῦ τοῦ οἴκου ἕτερος ἀπέθανεν εἰ μὴ οἱ τῇ φωνῇ ἐκείνου μηνυθέντες.

A [j] qui audiebant, atque ex duarum linguarum experimento quas eum antea nescisse noverant, crediderunt de omnibus quas probare minime valebant. Tunc per biduum mors ejus dilata est, sed die tertio, quo occulto judicio nescitur, manus ac brachia lacertosque suos dentibus laniavit, atque ita de corpore exivit. Quo mortuo, omnes illi quos prædixerat ex hac protinus luce subtracti sunt, nullusque in illa domo [k] eadem tempestate defunctus est qui voce illius denuntiatus non est.

ΠΕΤΡ. Φοβερὸν ἐστι σφόδρα, ὅτι [f] τοιοῦτον δῶρον ἀξιωθεὶς λαβεῖν, τοιαύτῃ κρίσει μετέπειτα καθυπεβλήθη.

B Petr. Valde terribile est, ut qui tale donum percipere meruit, tali etiam post hoc pœna plecteretur.

ΓΡΗΓΟΡ. Τίς τὰ κρυπτὰ τοῦ Θεοῦ γνώσεται κρίματα; Ἐκεῖνα δὲ τὰ τῇ θείᾳ κρίσει γινόμενα καταλαβέσθαι ἡμεῖς μὴ δυνάμενοι, φοβηθῆναι μᾶλλον ἤπερ ἐξετάσαι ὀφείλομεν.

Gregor. Quis occulta Dei judicia sciat? Ea quæ in divino examine comprehendere non possumus timere magis quam discutere debemus.

## ΚΕΦΑΛ. ΚΖ'.

Περὶ τῆς τελευτῆς Θεοφάνους κόμητος Κεντουμκέλλων.

Ἵνα οὖν ὅπερ ἠρξάμεθα ἀναπληρώσωμεν περὶ τῶν ἐξερχομένων ψυχῶν ὅτι πολλὰ προγινώσκουσιν, οὐδὲ τοῦτο σιγητέον, ὅπερ περὶ Θεοφάνους τοῦ κόμητος πολλῶν μαρτυρούντων ἔγνων, τοῦ ἐν Κεντουμκέλλῃ τῇ πόλει οἰκοῦντος. Οὗτος γὰρ ὁ ἀνὴρ ταῖς πράξεσιν ἐλεημοσύνης ἔφρόντιζε, πρὸ δὲ πάντων τῇ [g] ξενοδοχίᾳ προσεῖχεν, καί τοι ταῖς φροντίσι τῆς ἀρχῆς ἀσχολούμενος, καὶ ἔπραττε μὲν τοῦ δοκεῖν ἐπίγεια καὶ πρόσκαιρα, [h] τὸ δὲ πῶς ἐλαμπρύνθη ἐν τῇ τελευτῇ αὐτοῦ, φανερὸν γέγονεν. Ἐν γὰρ τῷ πλησιάσαι τὸν καιρὸν τοῦ θανάτου αὐτοῦ, βαρυτάτη ἀνάγκη, ὥστε μὴ δύνασθαι μήτε ἐπὶ τῷ ταφῆναι ἀπενεχθῆναι αὐτὸν. Ἡ δὲ τούτου γυνὴ μετὰ κλαυθμοῦ σφοδροτάτου πρὸς αὐτὸν ἔλεγε· Τί ποιήσω; Πῶς σε ἐπὶ τὴν ταφὴν δυνηθῶ ἀπενέγκαι, μήτε τὴν θύραν τοῦ οἴκου δυναμένη ἐξελθεῖν, διὰ τὴν πολλὴν τοῦ ἀέρος ἀνάγκην; Τότε ἐκεῖνος πρὸς αὐτὴν ἀπεκρίθη, λέγων· Μὴ θελήσῃς, γύναι, κλαίειν, εὐθέως γὰρ ἡνίκα ἐγὼ τελευτήσω, ἡ τοῦ ἀέρος εὐδία ἐπανέρχεται. **415** Ἐπὶ δὲ ταύτῃ τῇ φωνῇ τὸ τέλος ἐδέξατο, τῷ δὲ θανάτῳ καὶ ἡ εὐδία ἐπηκολούθησεν. Καὶ ἕτερα δὲ σημεῖα ἐν τῷ θανάτῳ αὐτοῦ γεγόνασιν. Αἱ γὰρ χεῖρες αὐτοῦ καὶ οἱ πόδες φυσηθέντες ἐκ τοῦ χυμοῦ τῆς [i] ποδάλγης, εἰς πωρώματα ἦσαν μετα-

## CAPUT XXVII.

*De morte Theophanii comitis.*

Ut autem de egredientibus animabus, quæ multa prænoscunt, ea quæ cœpimus exsequamur, neque hoc silendum est quod de Theophanio, [l] Centumcellensis urbis comite, in eadem urbe positus, multis attestantibus agnovi. Fuit namque vir misericordiæ actibus deditus, bonis operibus intentus, hospitalitati C præcipue studens. Exercendis quidem comitatus curis occupatus, agebat terrena et temporalia, sed, ut post in fine claruit, magis ex debito quam ex intentione. Nam dum appropinquante mortis ejus tempore gravissima aeris tempestas obsisteret, ne ad sepeliendum duci potuisset, eumque uxor sua cum fletu vehementissimo inquireret, dicens: Quid faciam? quomodo te ad sepeliendum ejicio, quæ ostium domus hujus egredi præ nimia tempestate non possum? tunc ille respondit: Noli, mulier, flere, quia mox ut ego defunctus fuero, [m] eadem hora aeris serenitas redibit. **416** Cujus protinus vocem mors, et mortem serenitas secuta est. Quod signum etiam alia signa sunt comitata. Nam manus ejus et pedes podagræ humore tumescentes versi in vulneribus fuerant, et D profluente sanie [n] patebant. Sed dum corpus ejus ex

[a] Ms., ἀληθῶς.
[b] Ms., λαλήσω καθὼς οὖν.
[c] Ms., τῷ ἔθνει.
[d] Ms., οἷα παρ' ἡμῶν.
[e] Ms., ἐκ τοῦ σώματος ἐξῆλθεν, τούτου θανέντος.
[f] Ms., τοιούτου χαρίσματος ἀξιωθεὶς τοιαύτῃ.
[g] Ms., φιλοξενίᾳ.
[h] Ms., πῶς δὲ ἐλαμπρ.
[i] Ms., τῆς ποδάλγας; forte ποδάγρας, aut ποδαλγίας.
[j] Primus Aud. Lyr. et nonnulli, *qui aderant*.
[k] Pratel., *eadem peste*.

[l] Corrupte in Gilot. et Vatic. legitur, *Centerelensis*. In omnibus Mss. Anglic., Norm., Germ., Compend., etc., necnon in Græca interpretatione habes *Centumcellensis*. Comes hic dicitur qui e comitatu, seu aula mittebatur ad præcipuas urbes gubernandas, jusque populis dicendum. De diversis comitum officiis, vide Cassiod. lib. VI Variar. De comitibus alibi erit commodior disserendi locus.
[m] Addidimus ex Mss., *eadem hora*.
[n] In Excusis, *putebant*. Sequimur versionem Gr., tres Carn., German., omnes Norm., etc.

more ad lavandum fuisset nudatum, ita manus pedesque ejus sani inventi sunt, [a] ac si nunquam vulneris aliquid habuissent. Ductus itaque ac sepultus est, ejusque conjugi visum est ut quarto die in sepulcro illius marmor quod superpositum fuerat mutari debuisset. Quod videlicet marmor corpori ejus superpositum dum fuisset ablatum, tanta ex corpore ipsius fragrantia odoris emanavit, ac si ex putrescente carne illius pro vermibus aromata ferbuissent. Quod factum dum, narrante me in homiliis (*Homil.* 36), infirmis quibusdam venisset in dubium, die quadam, sedente me in conventu nobilium, ipsi artifices qui in sepulcro illius marmor mutaverant adfuerunt, aliquid me de propria causa rogaturi. Quos ego de eodem miraculo coram clero, nobilibus ac plebe requisivi, qui et [b] eadem odoris fragrantia miro modo se repletos fuisse testati sunt, et quædam alia in augmento miraculi, quæ nunc narrare longum æstimo, de eodem sepulcro ejus addiderunt.

A βληθέντες, καὶ ὑποῤῥέοντος ὑγροῦ διηναίγοντο. Κατὰ δὲ τὸ ἔθος ἐπὶ τῷ λοῦσαι τὸ σῶμα αὐτοῦ γυμνώσαντες, αἱ χεῖρες αὐτοῦ καὶ οἱ πόδες ὑγιεῖς ηὑρέθησαν, ὥστε μήτε ἴχνος πωρώματος ἐν αὐτοῖς εὑρεθῆναι. Ἀπηνέχθη τοίνυν καὶ ἐταφη. Τῇ δὲ συζύγῳ αὐτοῦ ἔδοξε μετὰ τετάρτην ἡμέραν τοῦ ταφῆναι αὐτὸν, τὸ μαρμαρον τὸ ἐπάνω τοῦ μνήματος αὐτοῦ τεθὲν ἀλλάξαι. Τούτου δὲ ἐπαρθέντος ἐκ τοῦ σώματος αὐτοῦ ὄσφρησις εὐωδίας [d] ἀνεπέμφθη, ὡς ὅτι ἐκ τῆς σαπείσης σαρκὸς αὐτοῦ, ἀντὶ σκωλήκων ἀρώματα ἀνέβλυζον. Τοῦτο δὲ καὶ ἐν ταῖς ὁμιλίαις τοῦ εὐαγγελίου διηγουμένου μου γέγονέ τινας τῶν ἀσθενεστέρων εἰς ἀπιστίαν ἐλθεῖν. Ἐν δὲ ἡμέρᾳ τινὶ καθεζομένου μου ἐν συλλόγῳ μετὰ ἀνδρῶν [e] εὐγενῶν, αὐτοὶ οἱ τεχνῖται παρεγένοντο, οἵτινες τὸ μάρμαρον τοῦ μνήματος αὐτοῦ ἠλλαξαν παρακαλοῦντές με περὶ [f] πράγματος αὐτῶν τινος. Ἐγὼ δὲ τούτους ἐνώπιον τοῦ κλήρου καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ, περὶ τοῦ θαύματος τούτου [g] ἐρωτήσας, ἀπεκρίθησαν, λέγοντες· Θαυμασίῳ τρόπῳ τῆς ὀσφρήσεως τῆς εὐωδίας ἐκείνης ἐμπλησθῆναι αὐτούς. Καὶ ἕτερα δέ τινα εἰς προσθήκην τοῦ θαύματος περὶ τοῦ αὐτοῦ μνήματος ἔλεγον, ἅπερ διηγήσασθαι ἐπίμηκες εἶναι ἡγοῦμαι.

B

Petr. Inquisitioni meæ sufficienter jam video satisfactum, sed hoc est adhuc quod quæstione animum pulsat : quia cum superius dictum sit esse jam sanctorum animas in cœlo, restat procul dubio ut iniquorum quoque animæ esse non nisi in inferno credantur. Et quid hac de re veritas habeat ignoro. Nam humana æstimatio non habet peccatorum animas ante judicium posse cruciari.

ΠΕΤΡ. Τῇ παρ' ἐμοῦ ἐπιζητήσει λοιπὸν ἱκανῶς ὁρῶ ἑαυτὸν πληροφορηθεντα. Τοῦτο δὲ ἀκμὴν ἐρωτήσει τὴν ψυχὴν ὑπονύττει. Ὅτι καθὼς ἀνωτέρω ἐλέχθη, τὰς τῶν ἁγίων ψυχὰς ἐν οὐρανῷ εἶναι λοιπὸν, καὶ τὰς τῶν ἀδίκων ψυχὰς ἐν τῷ ᾅδῃ εἶναι πιστευτέον. Τί δὲ περὶ τούτου τοῦ πράγματος ἡ ἀλήθεια ἔχει ἀγνοῶ. Ἡ γὰρ ἀνθρωπίνη βουλὴ τὰς τῶν ἁμαρτωλῶν ψυχὰς οὐκ ἔχει πρὸ τῆς ἡμέρας τῆς κρίσεως δύνασθαι κριθῆναι.

## CAPUT XXVIII.

*Quod sicut perfectorum animæ in cœlo, ita post dissolutionem corporis iniquorum animæ in inferno esse credendæ sunt.*

## ΚΕΦΑΛ. ΚΘ.

Ὅτι ὥσπερ αἱ τῶν δικαίων ψυχαὶ ἐν τῷ οὐρανῷ, οὕτω τῶν ἁμαρτωλῶν ἐν τῷ ᾅδῃ ἀπέρχονται.

C

Gregorius. Si esse sanctorum animas in cœlo sacri eloquii satisfactione credidisti, oportet ut per omnia esse credas et iniquorum animas in inferno, quia ex retributione æternæ justitiæ, ex qua justi jam gloriantur, necesse est per omnia ut et injusti crucientur. Nam sicut electos beatitudo lætificat, ita credi necesse est quod a die exitus sui ignis reprobos exurat.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐὰν τὰς τῶν ἁγίων ψυχὰς ἐν τῷ οὐρανῷ εἶναι ἐπίστευσας τῇ τῆς ἱερᾶς συντυχίας πληροφορίᾳ, δέον ἐστὶν ἵνα καὶ τὰς τῶν ἀδίκων ψυχὰς ἐν τῷ ᾅδῃ εἶναι ἐκ παντὸς πιστεύσῃς. Ἐκ γὰρ τῆς ἀνταποδόσεως τῆς ἐνδοτάτης δικαιοσύνης ἐξ ἧς οἱ δίκαιοι δοξάζονται, ἀναγκαῖόν ἐστιν ἵνα καὶ οἱ [h] ἄδικοι πάντως κριθῶσι. Καθάπερ γὰρ τοὺς ἐκλεκτοὺς ἡ μακαριότης εὐφραίνει, οὕτω πιστεύειν χρή, ὅτι καὶ τοὺς ἀδίκους ἀπὸ τῆς ἡμέρας τῆς ἐξόδου αὐτῶν τὸ πῦρ καταφλέγει.

Petr. Et qua ratione credendum est quia rem incorpoream tenere ignis corporeus possit?

ΠΕΤΡ. Καὶ ποίῳ τρόπῳ πιστευτέον ἐστὶν, ὅτι σωματικὸν πῦρ εἶδος ἀσώματον κρατῆσαι δύναται.

## CAPUT XXIX.

*Qua [c] ratione credendum sit ut incorporeos spiritus tenere ignis corporeus possit.*

## ΚΕΦΑΛ. Λ'.

Ἐρώτησις πῶς πιστεύσωμεν, ὅτι τὰ ἀσώματα πνεύματα τῷ σωματικῷ πυρὶ δύνανται κρατεῖσθαι.

D

Gregorius. Si viventis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore, cur non post mortem, cum incorporeus sit spiritus, etiam corporeo igne teneatur?

Γρηγοριος. Ἐὰν ζῶντος τοῦ ἀνθρώπου τὸ ἀσώματον πνεῦμα κρατεῖται ἐν τῷ σώματι, διὰ τί οὐχὶ καὶ μετὰ θάνατον, εἰ καὶ ἀσώματον τὸ πνεῦμα ὑπάρχει, ἐν τῷ σωματικῷ πυρὶ κρατηθήσεται;

**417** Petr. In vivente quolibet idcirco incorporeus spiritus tenetur in corpore, quia vivificat corpus.

**418** ΠΕΤΡ. Τούτου ἕνεκεν ἐν τοῖς ζῶσι τὸ ἀσώματον πνεῦμα ἐν τῷ σώματι κρατεῖται, ἐπειδὴ τοῦτο ζωοποιεῖ τὸ σῶμα.

Gregor. Si incorporeus spiritus, Petre, in hoc te-

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐὰν τὸ ἀσώματον πνεῦμα, Πέτρε, κρατηθῆ-

[a] Val. Cl., *ac si vulneris nihil hab.*
[b] In secundo Carnot. et nonnullis Norm., *eadem, marmore mutato, odoris fr.*
[c] De hac quæst. consulendus Aug. l. xxi de Civit. Dei, c. 10.
[d] Ms., ἀπεπέμπετο ἐκ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ ἀντὶ.
[e] Ms., ευλαβῶν αὐτο.
[f] Ms., πράγματός τινος, ἐγὼ.
[g] Ms., ἠθώτησα. οἱ δὲ ἀποκριθέντες εἶπον θαυμαστῷ τρόπω.
[h] Ms., ἄδικοι πάντες.

νάι ἐν τῷ σώματι δύνατάι ὅπερ ζωοποιεῖ, διὰ τί οὐχὶ κἀκεῖ κρατηθήσεται βασανιστικῶς, ἔνθα θανατοῦται; διὰ δὲ τοῦ πυρὸς κρατηθῆναι τὸ πνεῦμα λέγομεν, ἐπειδὴ ἐν τῇ βασάνῳ τοῦ πυρὸς ἔσηται, θεωροῦν καὶ αἰσθανόμενον, τὸ δὲ πῦρ ἐκεῖνο ὅπερ ὑπομένει θεωροῦν ἐκτήκεται. Γίνεται δὲ τοῦτο, ὥστε τὸ σωματικὸν εἶδος, τὸ ἀσώματον κατακαῦσαι, καθάπερ ἐκ τοῦ πυρὸς τούτου τοῦ φαινομένου ἔκκαυσις καὶ πόνος ἀθεώρητος ἐν τῷ λογισμῷ διαβαίνει, ὅτι διὰ τοῦ σωματικοῦ πυρὸς ὁ ἀσώματος λογισμὸς φλεγόμενος τήκεται κατὰ τὸ ἡμῖν δυνατὸν, ἐκ τῶν εὐαγγελικῶν ῥημάτων ἀποδεῖξαι πειράσομαι. Οὐ μόνον γὰρ ἡ ψυχὴ θεωροῦσα ὑπομένει τὸν ἐμπυρισμὸν, ἀλλὰ καὶ διὰ πείρας τοῦτο πάσχει. Αὐτῆς οὖν τῆς ἀληθείας ἡ φωνὴ λέλεχεν περὶ τοῦ πλουσίου, ὅτι ἀπέθανε καὶ ἐτάφη. Ὅτι δὲ ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν τῷ πυρὶ κατεσχέθη, σημαίνει λέγουσα οὕτως· Ἐν τῷ ᾅδῃ ὑπάρχων, τὸν Ἀβραὰμ ἐδυσώπει, λέγων· Ἀπόστειλον Λάζαρον, ἵνα βάψας τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος δροσίσῃ μου τὴν γλῶτταν, ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ. Ἡνίκα οὖν ἁμαρτωλὸν πλούσιον ἐν τῷ πυρὶ [a] κατακεκριμένον ἡ ἀλήθεια λέγει, τίς σοφὸς, ὅστις τῶν ἀποδεδοκιμασμένων τὰς ψυχὰς ἐν τῷ πυρὶ κρατεῖσθαι ἀρνήσηται;

neri potest quod vivificat, quare non pœnaliter et ibi teneatur ubi mortificatur? Teneri autem spiritum per ignem dicimus, [e] ut in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Ignem namque eo ipso patitur, quo videt; et quia concremari se aspicit, concrematur. Sicque fit ut res corporea incorpoream exurat, dum ex igne visibili ardor ac dolor invisibilis trahitur, ut per ignem corporeum mens incorporea [h] etiam incorporea flamma crucietur. Quamvis colligere ex dictis evangelicis possumus quia incendium anima non solum videndo, sed etiam experiendo patiatur. Veritatis etenim voce dives mortuus in inferno dicitur sepultus. Cujus anima quia in igne teneatur insinuat vox ejusdem divitis qui Abraham deprecatur, dicens: *Mitte Lazarum ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma* (*Luc.* XVI, 24). Dum ergo peccatorem divitem damnatum Veritas in ignem perhibet, quisnam sapiens reproborum animas teneri ignibus neget?

ΠΕΤΡ. Ἰδοὺ τῇ ἀπολογίᾳ ταύτῃ καὶ τῇ μαρτυρίᾳ εἰς πίστωσιν κλίνεται ἡ ψυχὴ, [b] ἀλλὰ περαιουμένη πάλιν εἰς ψυχρότητα ἐπιστρέφει. Πῶς γὰρ ἀσώματον πρᾶγμα, παρὰ σωματικοῦ εἴδους κρατηθῆναι καὶ βληθῆναι δύναται, ἀγνοῶ.

Petr. Ecce ratione ac testimonio ad credulitatem flectitur animus, sed dimissus iterum ad rigorem redit. Quomodo enim res incorporea a re corporea teneri atque affligi possit ignoro.

ΓΡΗΓΟΡ. Εἰπέ, αἰτῶ σε, καὶ ἀποστατικὰ πνεύματα, τὰ ἐκ τῆς οὐρανίου δόξης ἐκριφέντα, σωματικὰ ὑπάρχειν, ἢ ἀσώματα ὑπολαμβάνεις;

Gregor. Dic, quæso te, apostatas spiritus a cœlesti gloria dejectos, esse corporeos, an incorporeos suspicaris?

ΠΕΤΡ. Τις ὑγιῆ [c] λογιζόμενος, σωματικὰ ὑπάρχειν τὰ πνεύματα λέξῃ;

Petr. Quis sanum sapiens esse spiritus corporeos dixerit?

ΓΡΗΓΟΡ. Τὸ δὲ γεέννης πῦο ἀσώματον ὑπάρχειν λέγεις, ἢ σωματικόν;

Gregor. Gehennæ ignem esse incorporeum, an corporeum fateris?

ΠΕΤΡ. Τὸ δὲ γεέννης πῦρ σωματικὸν ὑπάρχειν οὐκ ἀμφιβάλλω, ἐν ᾧ σώματα ἐν πάσῃ ἀληθείᾳ κριθήσονται.

Petr. Ignem gehennæ corporeum esse non ambigo, in quo certum est corpora cruciari.

ΓΡΗΓΟΡ. Τοῖς καταδίκοις ἡ ὄντως ἀλήθεια Χριστὸς ὁ Θεὸς ἡμῶν ἐν τῇ συντελείᾳ ἐρεῖ· Ὑπάγετε εἰς τὸ πῦρ τὸ αἰώνιον τὸ ἡτοιμασμένον τῷ διαβόλῳ καὶ τοῖς ἀγγέλοις αὐτοῦ. Ἐὰν οὖν ὁ διάβολος καὶ οἱ ἄγγελοι αὐτοῦ ἀσώματοι ὄντες, τῷ σωματικῷ πυρὶ κριθῆναι μέλλουσι, τί θαυμαστὸν ἐὰν καὶ αἱ ψυχαὶ πρὸ τοῦ ἀπολαβεῖν τὰ σώματα, σωματικῶν [d] κριτηρίων δύνανται αἰσθάνεσθαι;

Gregor. Cum igitur diabolus ejusque angeli, cum sint incorporei, corporeo sunt igne cruciandi, quid mirum si animæ et antequam recipiant corpora, possint corporea sentire tormenta?

ΠΕΤΡ. Φανερᾶς οὔσης τῆς ἀπολογίας, οὐκ ὀφείλει τοῦ λοιποῦ ἡ ψυχὴ περὶ ταύτης τῆς ἐκζητήσεως διστάσαι.

Petr. Patet ratio, nec debet animus de hac ulterius quæstione dubitare.

## ΚΕΦΑΛ. ΛΑ'.

## CAPUT XXX.

*De morte Theodorici regis Ariani.*

Ἐρώτησις, εἰ μετὰ θάνατον καθαρτικὸν πῦρ ὑπάρχει.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἡνίκα μετὰ καμάτου ἐπίστευσας [e] τῆς ἐργασίας τοῦ καμάτου προσθήκην πίστεως ποιοῦμαι, ἐκεῖνα διηγούμενος, ἅπερ [f] μοί εἰσι παρὰ πιστῶν ἀνθρώπων γνωρισθέντα. Ἰουλιανὸς ὁ δευτερεύων τῶν δεφενσώρων ταύτης τῆς τῶν Ῥωμαίων ἁγίας τοῦ Θεοῦ ἐκκλησίας, ᾗ χάριτι Χριστοῦ δουλεύω. Ὅστις πρὸ ἑπτὰ ἐτῶν ἀπέθανεν, ἔτι μου ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπάρχοντος, ἔθος

Gregorius. Postquam laboriose credidisti, operæ pretium credo, si ea quæ mihi a viris fidelibus sunt digesta narravero. [i] Julianus namque hujus Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservio, secundus defensor, qui ante septem ferme annos defunctus est, ad me adhuc in monasterio positum crebro veniebat, et mecum colloqui de animæ utilitate consueverat.

[a] Ms., κατακεκρυμενον.
[b] Ms., ἀλλὰ ἀφεθεῖσα.... ὑπεστρέφει.
[c] Ms., ὑγιής.
[d] Ms., βασάνων.
[e] Ms., τῇ ἐργασίᾳ.
[f] Ms., μοι παρὰ πιστῶν ἀνδρῶν ἐγνωρίσθη.
[g] In Vulgatis, *ut in tormento ignis vid. atque sent.* *punia tur.* In secundo Aud. legitur *vivendo*, pro *videndo*.
[h] Uterque Theod., Val. Cl. et secundus Aud., *etiam corporea fl.* In primo Gemet. manus recens delevit primam syllabam *in*, ut postea legeretur, *corporea fl.*
[i] Hic incipit cap. in Gemet.

Hic itaque mihi quadam die narravit, **420** dicens : [a] Theodorici regis temporibus pater soceri mei in Sicilia [b] exactionem canonis egerat, atque jam ad Italiam redibat. Cujus navis appulsa est ad insulam quæ Liparis appellatur. Et quia illic vir quidam solitarius magnæ virtutis habitabat, dum nautæ navis armamenta repararent, visum est prædicto patri soceri mei ad eumdem virum Dei pergere, seque ejus orationibus commendare. Quos vir Domini cum vidisset, eis inter alia colloquens, dixit : Scitis quia rex Theodoricus mortuus est? Cui illi protinus responderunt : Absit, nos eum viventem dimisimus, et nihil tale ad nos de eo nuncusque perlatum est. Quibus Dei famulus addidit, dicens : Etiam mortuus est : nam hesterno die hora nona [c] inter Joannem papam et Symmachum patricium discinctus atque discalceatus et vinctis manibus deductus, in hanc vicinam Vulcani [d] ollam jactatus est. Quod illi audientes, sollicite conscripserunt diem, atque in Italiam reversi, eo die Theodoricum regem invenerunt fuisse mortuum quo ejus exitus atque supplicium Dei famulo fuerat ostensum. Et quia Joannem papam affligendo in custodia occidit, Symmachum quoque patricium ferro trucidavit, ab illis juste in ignem missus apparuit, quos in hac vita injuste judicavit.

A εἶχε συχνοτέρως πρός με παραβάλλειν, καὶ περὶ ὠφελείας ψυχῆς συντυγχάνειν. Οὗτος τοίνυν ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν διηγήσατό μοι, λέγων, **419** ὅτι ἐν τοῖς χρόνοις Θεοδωρίχου τοῦ ῥηγὸς, ὁ πατὴρ τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ ἐν Σικελίᾳ τὴν [f] ἄνυσιν τοῦ κανόνος ἔπραττεν. Ὑποστρέφοντος δὲ αὐτοῦ ἐν τῇ Ἰταλίᾳ εἰς νῆσόν τινα τὸ πλοῖον προσώρμησεν καλουμένην Λίπαριν. Ἀνὴρ δέ τις τὸν μονήρη βίον ἐκεῖσε ἀσκῶν, ἐν δυνάμει ἔργων μεγίστων ὑπῆρχεν. Ἐν ὅσῳ δὲ οἱ ναῦται τὰ ἐξάρτια τοῦ πλοίου περιεποιοῦντο, ἔδοξε τῷ προλεχθέντι πατρὶ τοῦ πενθεροῦ αὐτοῦ πρὸς τὸν αὐτὸν τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπον ἀπελθεῖν, καὶ ταῖς ἐκείνου εὐχαῖς ἑαυτὸν παραθέσθαι. Τοῦτον δὲ ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος θεασάμενος, μετὰ τὸ συντυχεῖν αὐτοῖς περὶ ὠφελείας, προσθεὶς καὶ τοῦτο εἶπεν· Οἴδατε ὅτι Θεοδώριχος ὁ ῥὴξ ἀπέθανεν; Αὐτοὶ δὲ πρὸς αὐτὸν εἶπον· Μὴ γένοιτο, ἡμεῖς ζῶντα αὐτὸν παρεάσαμεν, καὶ οὐδὲν τοιοῦτον περὶ αὐτοῦ μέχρι τοῦ παρόντος ἠκούσαμεν. Πρὸς οὓς ὁ τοῦ Θεοῦ οἰκέτης πάλιν [g] ἔφη· Τῇ χθὲς γὰρ ἡμέρᾳ περὶ ὥραν ἐννάτην μεταξὺ Ἰωάννου τοῦ πάπα καὶ Συμμάχου τοῦ πατρικίου, λυσόζωνος, καὶ ἀνυπόδετος, καὶ τὰς χεῖρας δεδεμένος ἀπενεχθείς, ἐν τῇ γειτνιαζούσῃ νήσῳ τοῦ [h] βουλκάνου ἐν τῷ ὑποκαιομένῳ πυρὶ αὐτόθι ἐρρίφη. Τοῦτο δὲ ἐκεῖνοι ἀκούσαντες, νουνεχῶς τὴν ἡμέραν ἐσημειώσαντο. Ὑποστρέψαντες δὲ εἰς τὴν Ἰταλίαν, εὗρον ὅτι ἐν αὐτῇ τῇ ἡμέρᾳ Θεοδώριχος ὁ ῥὴξ ἐτελεύτησεν, ἐν ᾗ τὴν ἐκείνου ἔξοδον, καὶ τὴν τῆς κρίσεως βάσανον ὁ τοῦ Θεοῦ οἰκέτης. δι' ἀποκαλύψεως ἐγνώρισεν. Ἐπειδὴ δὲ Ἰωάννην τὸν πάπαν μεγάλως ἐκθλίβων, εἰς [i] φυλακὴν ἐφόνευσε, Σύμμαχον δὲ τὸν πατρίκιον ξίφει κατέσφαξε, δικαίως ὑπ' αὐτῶν ἐν τῷ πυρὶ βληθῆναι ἐφάνη, οὓς ἐν τῇ ζωῇ ταύτῃ ἀδίκως ἔκρινεν.

## CAPUT XXXI.

### *De morte Reparati.*

Eo quoque tempore quo primum remotæ vitæ desideriis anhelabam, quidam honestus senex, Deusdedit nomine, valde hujus urbis nobilibus amicus, mihi quoque in amicitiis sedule jungebatur, qui mihi narrabat, dicens : Gothorum tempore quidam [e] spectabilis vir, Reparatus nomine, venit ad mortem. Qui dum diu jam mutus ac rigidus jaceret, visum est quod ab eo funditus flatus vitalis exisset, atque exanime remansisset corpus. Cumque et multi qui convenerant, et eum jam mortuum familia lugeret, subito rediit, et cunctorum plangentium in stuporem versæ sunt lacrymæ. Qui reversus ait : Citius ad Ecclesiam beati Laurentii martyris, quæ ex nomine conditoris Damasi vocatur, puerum mittite, et quid de Tiburtio presbytero agatur videat et renuntiare festinet. Qui

ΚΕΦΑΛ. ΛΒ'.

Περὶ τοῦ θανάτου Ῥεπαράτου

Ἐν ἀρχῇ τῶν χρόνων ἐν οἷς τὴν [j] ἰδιάζουσαν ζωὴν ἐπιθυμίᾳ πολλῇ ὠρεγόμην, γέρων τις πάνυ εὐκατάστατος ὑπάρχων, Δεουσδέδιτ ὀνόματι, καθ' ἑκάστην μοι ἐν ταῖς [k] φιλίαις προσεκολλᾶτο. Καὶ πάντων δὲ τῶν εὐγενῶν τῆς πόλεως ταύτης φίλος ὑπῆρχεν, οὗτος μοι διηγεῖτο, λέγων, ὅτι ἐν τοῖς χρόνοις τῶν Γότθων, ἀνήρ τις Ῥεπαρᾶτος ὀνόματι, ἐν τῇ τοῦ θανάτου ὥρᾳ ἐλθών, ἐπὶ πολὺ [l] καταχθονισμένος ἔκειτο, ὥστε παρὰ πάντων νομίζεσθαι τὴν ζωτικὴν αὐτοῦ πνοὴν ἐκ τοῦ βάθους ἀνασπασθῆναι, καὶ ἄψυχον αὐτοῦ τὸ σῶμα ἀπομεῖναι. Πολλῶν δὲ πρὸς αὐτὸν συνελθόντων, ἅμα τῆς αὐτοῦ [m] φαμιλίας, ὡς ἤδη τελευτήσαντα αὐτὸν ἐπένθουν. Αἴφνης δὲ αὐτοῦ ἀνανήψαντος, πάντων τῶν κλαιόντων τὰ δάκρυα εἰς ἔκπληξιν μετεστράφησαν. Ὁ δὲ ἀσθενὴς εἶπε· Διὰ τάχους παῖδα ἀποστείλατε ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ τοῦ ἁγίου μάρτυρος Λαυ-

[a] Regis Gothorum in Italia de quo fusissime egimus in Vita Cassiodori, potissimum l. I, c. 3, usque ad 6 inclusive. Consule etiam Paul. Diac. Hist. Miscell. l. XV, et Greg. Turon. de Gloria Mart., c. 40. Olim notus erat quidam locus qui *Theodorici infernus* dicebatur. Vide Act. SS. Ord. S. Ben. sæcul. III, part. II, pag. 379.

[b] Qui hoc munere fungebantur dicebantur *canonicarii*, ut videre est apud Cassiod., max. l. VI Var., form. 8, et l. XII, c. 13. Non solum frumentum, sed etiam pecuniam exigebant ; hinc apud eumdem Cassiod. *canonici solidi*, l. II, Var., ep. 25. Lege etiam Sidon. Apoll. ep. 10 l. VI et notas doct. Savaronis

[c] Is fuit Joannes I, qui Hormisdæ successit an. 523.

[d] In nonnullis Mss. Norm., *insulam;* quæ lectio confirmatur ex Vers. Græca.

[e] Titulus erat honoris. Vide *formulam spectabilitatis*, qua scilicet hic titulus conferebatur, apud Cassiod., l. VII Var. c. 37. Qui eo fruebantur, inter comites primi ordinis recensebantur, ut colligere licet ex ejusdem Cassiod. l. II Var., ep. 28.

[f] Ms., εἴσπραξιν. Et paulo post, ὑποστραφέντος.

[g] Ms., ἔφη ἐν ἀληθείᾳ ἀπέθανεν· τῇ χθές.

[h] Ms., πυρχάνου.

[i] Ms., ἐν φυλαχῇ. Et post pauca, πυρὶ βληθείς.

[j] Ms., ἰδίαν ζωήν.

[k] Ms., συντυχίαις.... οὗτός μοι.

[l] Ms., ἡμιθανής.

[m] In Editis corrupte φαμιλίου. Legitur quidem aliquando φαμίλιος ; sed significat *famulum*, et est masc. generis. In Excusis autem legitur, τῆς φαμιλίου, ubi in Latino habes, *familia lugeret*.

ρεντιου, τῇ επονομαζομένῃ Δαμάσου, ἤ τις κατὰ τὴν ἐπωνυμίαν τοῦ ταύτην κτίσαντος οὕτω κέκληται, ἵνα θεωρήσῃ τί περὶ Τιβουρτίου τοῦ πρεσβυτέρου γίνεται, καὶ σπεύσῃ τοῦ μηνύσαι. Οὗτος δὲ Τιβούρτιος σωματικαῖς ἐπιθυμίαις τότε δουλεύειν ἐλέγετο. Τὴν γὰρ αὐτοῦ πολιτείαν καὶ τῆς διαγωγῆς τὰ ἤθη, καλῶς ἐπίσταται Φλωρέντιος, ὁ νυνὶ τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας ὑπάρχων πρεσβύτερος. Ἐν τῷ πορευθῆναι οὖν τὸν παῖδα, διηγήσατο ὁ αὐτὸς Ῥεπαράτος, ὁ εἰς ἑαυτὸν ἐπανελθὼν τί ἐθεάσατο ἐκεῖθεν ἔνθα ἀπηνέχθη. Ἔλεγε γὰρ ὅτι μεγίστη στοιβὴ ξύλων ἑτοίμη ὑπῆρχεν. Ἀπενεχθέντος δὲ Τιβουρτίου τοῦ πρεσβυτέρου, ἐν αὐτῇ ἐπετέθη, καὶ πυρὸς ὑποβληθέντος, κατεκάη. **422** Ἑτέρα δὲ στοιβὴ ξύλων ἡτοιμάζετο, ἧς τινος ἡ κορυφὴ ἀπὸ τῆς γῆς ἕως τοῦ οὐρανοῦ παρατείνεσθαι ἐθεωρεῖτο, φωνὴ δὲ ἐλθοῦσα, εἴρηκε τίνος ὑπῆρχεν. Τούτων τοίνυν ῥηθέντων, παραχρῆμα ὁ αὐτὸς Ῥεπαρᾶτος ἀπέθανεν. Ὁ δὲ παῖς ὁ πρὸς Τιβούρτιον ἀποσταλεὶς ἤδη λοιπὸν κἀκεῖνον ἀποθανόντα εὗρεν. Ὅθεν περὶ τούτου φανερὸν καθέστηκεν, ὅτι Ῥεπαρᾶτος εἰς τοὺς τόπους τῶν βασάνων διὰ τοῦτο ἀπηνέχθη, καὶ ἅπερ ἐθεάσατο ὑποστρέψας διηγήσατο, καὶ παραχρῆμα ἀπέθανεν, οὐχὶ δι' ἑαυτὸν, ἀλλὰ δι' ἡμᾶς τοὺς ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ἀκμὴν ὑπάρχοντας, ἵνα λοιπὸν ἐκ τῶν πονηρῶν ἔργων διορθωσώμεθα. Ξύλα δὲ εὐτρεπιζόμενα ὁ Ῥεπαρᾶτος εἶδεν, οὐχ ὅτι παρὰ τῷ ᾅδῃ ξύλα [a] καίονται, ἀλλὰ πρὸς τὸ ἐξηγηθῆναι τοῖς ζῶσιν, εἶδεν ἐκεῖνα τὰ περὶ τοῦ ἐμπυρισμοῦ τῶν σκωλήκων, ἐξ ὧν ἤθιστα τὸ πῦρ τρέφεσθαι παρὰ τοῖς [b] σωματικοῖς ζῶσιν, ἵνα διὰ τῶν γνωρίμων ἀκούοντες μάθωσι τί ὄφελον καὶ περὶ τῶν ἀγνοουμένων φοβηθῆναι.

videlicet tunc Tiburtius carnalibus desideriis subjacere ferebatur : cujus adhuc vitæ morumque bene quoque Florentius ejus nunc Ecclesiæ presbyter meminit. Cum vero puer pergeret, narravit idem Reparatus, qui ad se reversus fuerat, quid de illo ubi ductus fuerat agnovit, dicens : Paratus fuerat rogus ingens, deductus autem Tiburtius presbyter in eo est superpositus, atque supposito igne **421** concrematus. Alius autem parabatur rogus, cujus a terra in cœlum cacumen tendi videbatur. Cui emissa voce clamatum est cujus esset. His igitur dictis statim Reparatus defunctus est : puer vero qui transmissus fuerat ad Tiburtium, jam eum mortuum invenit. Qui videlicet Reparatus ductus ad loca pœnarum, dum vidit, rediit, narravit, et obiit, aperte monstratur quia nobis illa, non sibi viderit, quibus dum adhuc concessum est vivere, licet etiam a malis operibus emendare. Rogum vero construi Reparatus vidit, non quod apud infernum ligna ardeant ut ignis fiat; sed narraturus hæc viventibus, illa de incendio pravorum vidit, ex quibus nutriri apud viventes corporeus ignis solet, ut per hæc assueta audientes discerent quid de insuetis timere debuissent.

## ΚΕΦΑΛ. ΛΓ'.

Περὶ τοῦ θανάτου κουριαλίου, καὶ τοῦ ὅπως τὸ πνεῦμα αὐτοῦ ἐνεπυρίσθη.

Ἐν τῇ χώρᾳ τῆς Βαλερίας, πρᾶγμα πάνυ φοβερὸν συμβεβηκέναι ὁ [c] τῇ ζωῇ εὐλαβέστατος Μαξιμιανὸς διηγήσατό μοι, ὁ νυνὶ τῆς Συρακουσίων πόλεως ὑπάρχων ἐπίσκοπος, πρότερον δὲ ἐν ταύτῃ τῇ πόλει τοῦ ἐμοῦ μοναστηρίου γεγονὼς προεστώς. Ἔλεγε δὲ οὕτως ὅτι κουριάλιός τις ἐκεῖσε τῷ ἁγίῳ καὶ ἱερῷ τοῦ Πάσχα σαββάτῳ θυγατέρα τινὸς νεωτέραν ὑπάρχουσαν ἐν τῷ [d] βαπτίσματι ἐδέξατο. Ὅστις μετὰ τὴν νηστείαν ἐν τῷ οἴκῳ αὐτοῦ ὑποστρέψας, πολλῷ τε οἴνῳ μεθυσθείς, τὴν αὐτὴν αὐτοῦ θυγατέρα μεῖναι μεθ' ἑαυτοῦ ἠτήσατο. Ἐν αὐτῇ δὲ τῇ νυκτί, ὅπερ καὶ εἰπεῖν ἀθέμιτον ὑπάρχει, ταύτην διέφθειρε. Πρωΐας δὲ γενομένης, ἀνέστη ὁ ἄθλιος καὶ διαλογίζεσθαι ἤρξατο, ἵνα εἰς τὸ λουτρὸν ἀπέλθῃ, δοκῶν διὰ τοῦ ὕδατος τὸν τῆς ἁμαρτίας μολυσμὸν ἀποπλῦναι. Ἀπῆλθε τοίνυν καὶ ἐλούσατο. Φόβῳ δὲ καὶ δειλίᾳ συνείχετο εἰς τὴν ἐκκλησίαν ἀπελθεῖν, ἐννοῶν τὴν ἁμαρτίαν ἣν εἰργάσατο. Ἠσχύνετο δὲ πάλιν τοὺς ἀνθρώπους, ἐὰν ἐν ταιαύτῃ ἡμέρᾳ εἰς τὴν ἐκκλησίαν μὴ ἀπέλθῃ· καὶ πάλιν ἐὰν ἀπέλθῃ, τὴν κρίσιν τοῦ Θεοῦ ἐφοβεῖτο. Ἐνίκησε τοίνυν ἡ τῶν ἀνθρώπων αἰσχύνη, καὶ ἐπορεύθη ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ. Τρέμων δὲ καὶ δεδοικὼς ἵστατο, καθ' ἑκάστην τὴν ὥραν ὑφορώμενος, πότε πνεύματι ἀκαθάρτῳ παραδοθῇ, καὶ ἐνώπιον παντὸς τοῦ λαοῦ διαῤῥαγῇ. Μετὰ πολλοῦ δὲ

## CAPUT XXXII.

*De morte Curialis, cujus sepultura incensa est.*

Terribile etiam quiddam in Valeriæ provincia contigisse vir vitæ venerabilis [e] Maximianus, Syracusanus episcopus, qui diu in hac urbe meo monasterio præfuit, narrare consuevit, dicens : Quidam [f] Curialis illic sacratissimo paschali Sabbato juvenculam cujusdam filiam in baptismate suscepit. Qui post jejunium domum reversus, multoque vino inebriatus, eamdem filiam suam secum manere petiit, eamque nocte illa (quod dictu nefas est) perdidit. Cumque mane facto surrexisset, reus cogitare cœpit ut ad balneum pergeret, ac si aqua balnei lavaret maculam peccati. Perrexit igitur, lavit, cœpitque trepidare ecclesiam ingredi. Sed si tanto die non iret ad ecclesiam, erubescebat homines; si vero iret, pertimescebat judicium Dei. Vicit itaque humana verecundia, perrexit ad ecclesiam : sed tremebundus ac pavens stare cœpit, atque per singula momenta suspectus qua hora immundo spiritui traderetur, et coram omni populo vexaretur. Cumque vehementer timeret, ei in illa missarum celebritate quasi adversi nihil contigit. Qui lætus exiit, et die altero ecclesiam jam securus intravit. Factumque est ut per sex continuos dies lætus ac securus [g] procederet, æstimans

[a] In Ms. attexitur ἵνα τὸ πῦρ.
[b] Ms., σωματικῶς.
[c] Ms., τῷ βίῳ.
[d] Ms., ἁγίῳ βαπτ.
[e] De S. Maximiano vide l. III, c. 36, et plur. ad eum Gregorii epist.
[f] Apud Cassiod., l. IX Var. c. 2, exstat edictum Athalarici regis in gratiam curialium, in quo eos appellat *minorem senatum*.
[g] De hoc verbo ut proprie significat *ecclesiam adire*, jam dictum est in notis ad c. 10 libri primi. A Tertulliani temporibus ad id significandum jam consecratum videtur : *Si*, inquis, *procedendum erit, nunquam magis familiæ occupatio obveniat*, l. II ad Uxor., c. 4.

quod ejus scelus Dominus aut non vidisset, [a] aut misericorditer dimisisset. Die autem septimo subita morte defunctus est. Cumque sepulturæ traditus fuisset, per longum tempus cunctis videntibus de sepulcro illius flamma exiit, et tandiu ossa ejus concremavit, quousque omne sepulcrum consumeret, et terra quæ in tumulum collecta fuerat defossa videretur. Quod videlicet omnipotens Deus faciens ostendit quid ejus anima in occulto pertulit, cujus etiam corpus ante humanos oculos flamma consumpsit. Qua in re nobis quoque hæc audientibus exemplum formidinis dare dignatus est, quatenus ex hac consideratione colligamus, **424** quid anima vivens ac sentiens pro reatu suo patiatur, si tanto ignis supplicio etiam insensibilia ossa concremantur.

φόβου τὴν λειτουργίαν τελέσας, καὶ μηδὲν ἐναντίον παθεῖν ἑαυτὸν θεασάμενος, ἀγαλλιώμενος λοιπὸν ἐξῆλθεν. Ὅθεν καὶ ἄλλῃ ἡμέρᾳ ἀμερίμνως ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ ἀπῆλθε. Καὶ ἕως δὲ ἐπὶ ἓξ ἡμέρας ἐν ἀγαλλιάσει καὶ ἀμεριμνίᾳ προήρχετο, νομίζων ὅτι τὴν αἰτίαν αὐτοῦ οὐχ ἑώρακεν ὁ κύριος, ἢ θεωρήσας, εὔσπλαγχνος ὢν, συνεχώρησεν. Ἐν δὲ [e] τῇ ζ ἡμέρᾳ αἰφνιδίῳ θανάτῳ ἐτελεύτησε. Τοῦ δὲ σώματος αὐτοῦ τῇ ταφῇ παραδοθέντος, μετὰ χρόνον τινὰ πάντων θεωρούντων, ἐκ τοῦ μνήματος αὐτοῦ φλὸξ ἐξῆλθε, καὶ ἐπὶ τοσοῦτον τὰ ὀστᾶ αὐτοῦ κατέκαυσεν, ὥστε καὶ ὅλον τὸ μνῆμα καὶ τὴν γῆν τὴν ἐπάνω κειμένην καταφλέξαι. Τοῦτο δὲ ὁ παντοδύναμος Θεὸς γενέσθαι ἠὐδόκησεν, ὅπως ἐπιδείξῃ τί ἡ ψυχὴ αὐτοῦ ἐν τῷ κρυπτῷ ὑπέμεινεν, οὕτινος τὸ σῶμα ἡ φλὸξ κατέφαγε, καὶ ἵνα ἡμεῖς ταῦτα ἀκούοντες, τὸ ὑπόδειγμα φοβηθῶμεν, καὶ καταν**423**ήσωμεν τί μέλλει ἡ ψυχὴ ζῶσα καὶ νοοῦσα ὑπὲρ τῆς ἁμαρτίας αὐτῆς ὑπομένειν, ἐν ὅσῳ τοσούτου πυρὸς βασάνῳ καὶ τὰ ἀναίσθητα ὀστᾶ κατακαίονται.

Petr. Nosse velim si vel boni bonos in regno, vel mali malos in supplicio agnoscant.

ΠΕΤΡ. Γνῶναι ἤθελον ἐὰν οἱ ἀγαθοὶ τοὺς ἀγαθοὺς ἐν τῇ βασιλείᾳ ἐπιγινώσκουσιν. Ὁμοίως δὲ πάλιν ἐὰν καὶ οἱ πονηροὶ τοὺς πονηροὺς ἐν τῇ βασάνῳ γνωρίζουσιν.

## CAPUT XXXIII.

### *Si boni bonos in regno, et mali malos in supplicio agnoscunt.*

## ΚΕΦΑΛ. ΛΔ΄.

Ἐρώτησις ἐὰν οἱ δίκαιοι τοὺς δικαίους, καὶ οἱ ἁμαρτωλοὶ τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἐν τῷ μέλλοντι αἰῶνι ἐπιγινώσκουσιν.

Gregorius. Hujus rei sententia in verbis est dominicis, quæ jam superius protulimus, luce clarius demonstrata. In quibus cum dictum esset : *Homo quidam erat dives,* [b] *qui induebatur purpura et bysso, et epulabatur quotidie splendide ; et erat quidam mendicus nomine Lazarus, qui jacebat ad januam ejus ulceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa divitis, et nemo illi dabat ; sed et canes veniebant, et lingebant ulcera ejus* (Luc. XVI, 19). Subjunctum est quod *mortuus Lazarus portatus est ab angelis in sinum Abrahæ, et mortuus dives sepultus est in inferno. Qui elevans oculos suos cum esset in tormentis, vidit Abraham a longe, et Lazarum in sinu ejus,* [c] *et ipse clamavit, dicens : Pater Abraham, miserere mei, et mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Cui Abraham dixit : Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, et Lazarus similiter mala.* Dives autem jam spem salutis de seipso non habens, ad promerendam suorum salutem convertitur, dicens : *Rogo te, pater, ut mittas eum in domum patris mei ; habeo enim quinque fratres, ut testetur illis, ne et ipsi veniant in locum hunc tormentorum* (*Ibid.*). Quibus verbis aperte declaratur quia et boni bonos, et mali malos cognoscunt. Si enim Abraham Lazarum minime recognovisset, nequaquam ad divitem in tormentis positum de transacta ejus [d] contritione loqueretur, dicens quod mala receperit in vita sua. Et si mali malos non recognoscerent, nequaquam dives in tormentis positus fratrum suorum etiam absentium meminisset. Quomodo enim præsentes non posset agnoscere, qui etiam pro absentium memoria cu-

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Τῆς ἐρωτήσεως ταύτης ἡ ἀπόδειξις διὰ τῶν δεσποτικῶν ῥημάτων ὧν ἀνωτέρω προέφημεν, τοῦ φωτὸς λαμπρότερον ἀποδείκνυται. Ἐῤῥέθη γάρ, ὅτι ἦν τις ἄνθρωπος πλούσιος, ὅστις ἐνεδιδύσκετο πορφύραν καὶ βύσσον, εὐφραινόμενος καθ' ἑκάστην ἡμέραν λαμπρῶς. Πτωχὸς δέ τις ὀνόματι Λάζαρος ἐβέβλητο πρὸς τὸν πυλῶνα αὐτοῦ ἡλκωμένος πάντοθεν, ἐπιθυμῶν χορτασθῆναι ἀπὸ τῶν ψιχίων τῶν πιπτόντων ἀπὸ τῆς τραπέζης τοῦ πλουσίου· ἀλλὰ καὶ οἱ κύνες ἐρχόμενοι, ἀπέλειχον τὰ ἕλκη αὐτοῦ. Πρὸς δὲ τούτοις γέγραπται, ὅτι ἀποθανὼν Λάζαρος ἐβαστάχθη ὑπὸ τῶν ἀγγέλων, καὶ ἀπηνέχθη εἰς τὸν κόλπον τοῦ Ἀβραάμ. Ἀπέθανε δὲ καὶ ὁ πλούσιος, καὶ ἐτάφη. Καὶ ἐν τῷ ᾅδῃ ἐπάρας τοὺς ὀφθαλμοὺς αὐτοῦ, ὑπάρχων ἐν βασάνοις, ὁρᾷ Ἀβραὰμ ἀπὸ μακρόθεν, καὶ Λάζαρον ἐν τοῖς κόλποις αὐτοῦ, καὶ αὐτὸς φωνήσας, εἶπε· Πάτερ Ἀβραάμ, ἐλέησόν με, καὶ πέμψον Λάζαρον ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος, καὶ καταψύξῃ τὴν γλῶσσάν μου, ὅτι ὀδυνῶμαι ἐν τῇ φλογὶ ταύτῃ. Εἶπε δὲ Ἀβραάμ· Τέκνον, μνήσθητι ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, καὶ Λάζαρος ὁμοίως τὰ κακά. Ὁ πλούσιος δὲ λοιπὸν ἐλπίδα σωτηρίας μὴ ἔχων, ἐπὶ τὴν τῶν ἰδίων σωτηρίαν ὑποστρέφει, [f] οὕτω λέγων· Δυσωπῶ σε, πάτερ, ἵνα ἀποστείλῃς αὐτὸν εἰς τὸν οἶκον τοῦ πατρός μου, ἔχω γὰρ πέντε ἀδελφούς, ὅπως [g] διαμαρτύρηται αὐτοὺς, ἵνα μὴ καὶ αὐτοὶ ἔλθωσιν εἰς τὸν τόπον τῆς βασάνου ταύτης. Διὰ τούτων οὖν τῶν ῥημάτων, φανερῶς δείκνυται ὅτι καὶ οἱ ἀγαθοὶ τοὺς ἀγαθοὺς καὶ οἱ πονηροὶ τοὺς πονηροὺς γνωρίζουσιν. Ἐὰν γὰρ ὁ Ἀβραὰμ τὸν Λάζαρον οὐδαμῶς ἐγνώριζεν, οὐδ' ἂν πρὸς τὸν πλούσιον ἐν ταῖς βασάνοις ὑπάρχοντα περὶ τῆς παρελθούσης αὐτοῦ συντριβῆς διελέγετο, φάσκων, ὅτι ἀπέλαβε τὰ κακὰ ἐν τῇ ζωῇ αὐτοῦ. Καὶ πάλιν ἐὰν

[a] Vulgati, *aut visum misericorditer dimisisset.*
[b] Germ., Norm. et alii Mss., *et induebatur.*
[c] Iidem, *et ipse clamans dixit.*
[d] Beccens., *conversatione.*
[e] Ms., ἑβδόμῃ ἡμέρᾳ.
[f] Ms., αὐτῷ.
[g] Ms., διαμαρτυρῇ.

οἱ πονηροι τοὺς πονηροὺς οὐκ ἐγνώριζον, οὐκ ἂν ὁ πλούσιος ἐν βασάνοις ὑπάρχων τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ ἀπόντων ἐμέμνητο. Πῶς οὖν τοὺς παρόντας οὐ δύναται γνωρίσαι, ὁ καὶ περὶ τῶν ἀπόντων μνημονεύσας, καὶ ὑπὲρ αὐτῶν παρακαλέσαι φροντίσας; ἐν τούτῳ δὲ τῷ πράγματι κἀκεῖνο δείκνυται, ὅπερ αὐτὸς οὐδαμῶς ἐπεζήτησας, ὅτι καὶ οἱ ἀγαθοὶ τοὺς πονηροὺς, καὶ οἱ πονηροὶ τοὺς ἀγαθοὺς γνωρίζουσιν. Ἐπειδὴ γὰρ καὶ ὁ πλούσιος παρὰ τοῦ Ἀβραὰμ ἐγνωρίσθη, πρὸς ὃν ἔφη, ὅτι ἀπέλαβες τὰ ἀγαθά σου ἐν τῇ ζωῇ σου, ὁμοίως δὲ καὶ ὁ ἐκλεκτὸς Λάζαρος παρὰ τοῦ ἀποδεδοκιμασμένου πλουσίου ἐπεγνώσθη, ὃν ἀποσταλῆναι ἐδυσώπει, ἐξ ὀνόματος αὐτὸν καλῶν, καὶ λέγων· Ἀπόστειλον Λάζαρον, ἵνα βάψῃ τὸ ἄκρον τοῦ δακτύλου αὐτοῦ ὕδατος καὶ καταψύξῃ μου τὴν γλῶσσαν. Ἐν ταύτῃ τοίνυν τῇ ἐπιγνώσει τῶν ἀμφοτέρων μερῶν, τὸ τῆς ἀνταποδόσεως μέγεθος ἐπαυξάνει· ἵνα καὶ οἱ ἀγαθοὶ ἐπιπλεῖον χαρῶσιν, οἵτινες αὐτοὺς μετ' ἐκείνων ἀγαλλιωμένους θεωροῦσιν, [a] ὧνπερ ἠγάπησαν· ὡσαύτως δὲ καὶ οἱ πονηροὶ μετ' ἐκείνων στρεβλωθῶσιν, οὗσπερ ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ ὁ Θεὸς ἐβδελύσσετο, αὐτοὶ δὲ τούτους ἠγάπησαν. Ὅθεν οὐ μόνον αὐτοὺς ἡ ἰδία βάσανος, ἀλλὰ καὶ ἡ ἐκείνων θέα ἐπὶ πλεῖον καταφλέξῃ. Ἐν δὲ τοῖς ἐκλεκτοῖς, καὶ ἕτερόν τι θαυμασιώτερον συμβαίνει, ὅτι οὐχὶ μόνον ἐκείνους γνωρίζουσιν, οὓς ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ ἐγίνωσκον, ἀλλὰ καὶ οὓς οὐδέποτε εἶθεάσαντο, καθάπερ **426** συνήθεις καὶ γνωρίμους οὕτως ἐπιγινώσκουσι. Θεώμενοι γὰρ τοὺς ἀρχαίους πατέρας ἐν ἐκείνῃ τῇ αἰωνίᾳ [b] κληρονομίᾳ, οὐκ ἔσονται αὐτοῖς ἄγνωστοι διὰ τῆς θέας, οὓς ἐν τῇ τῶν ἔργων μιμήσει διαπαντὸς ἐγνώριζον. Ἡνίκα γὰρ ἐκεῖσε πάντες κοινῇ τῇ λαμπρότητι τὸν Θεὸν θεωροῦσιν, τί ἐστιν ὅπερ οὐ γινώσκουσιν, ἔνθα τὸν γινώσκοντα τὰ πάντα γινώσκουσιν;

ravit exorare? Qua in re illud quoque ostenditur, quod nequaquam ipse requisisti, quia et boni malos, et mali cognoscunt bonos. Nam et dives ab Abraham cognoscitur, cui dictum est : *Recepisti bona in vita tua;* et electus Lazarus a reprobo est divite cognitus, quem mitti precatur ex nomine, dicens : *Mitte Lazarum, ut intingat extremum digiti sui in aquam, et refrigeret linguam meam* (*Ibid.*). In qua videlicet cognitione utriusque partis cumulus retributionis excrescit : ut et boni amplius gaudeant, qui secum eos lætari conspiciunt quos amaverunt, et mali, dum cum eis torquentur quos in hoc mundo, despecto Deo, dilexerunt, eos non solum sua, sed etiam eorum pœna consumat. Fit autem in electis quiddam mirabilius, quia non solum eos agnoscunt quos in hoc mundo noverant, sed velut visos ac cognitos recognoscunt **425** bonos quos nunquam viderunt. Nam cum antiquos Patres in illa æterna hæreditate viderint, eis incogniti per visionem non erunt, quos in opere semper noverunt. Quia enim illic omnes communi claritate Deum conspiciunt, quid est quod ibi nesciant, ubi scientem omnia sciunt?

## ΚΕΦΑΛ. ΛΕ'.

Περὶ τοῦ θεασαμένου τοὺς προφήτας ἐν τῇ ἐξόδῳ αὐτοῦ.

Ἀνήρ τις τῶν ἡμετέρων πάνυ [c] ἐπαινετῆς πολιτείας πρὸ ταύτης τῆς τετραετίας μέλλων τελευτᾶν, καθώς τινες εὐλαβεῖς ἐκεῖσε τότε παρόντες μαρτυροῦσιν, ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς ἐξόδου αὐτοῦ ἐλθὼν, Ἰωνᾶν τὸν προφήτην, ἅμα Ἰεζεκιὴλ καὶ Δανιὴλ ἐθεάσατο, καὶ τούτους ἐξ ὀνόματος κυρίους ἑαυτοῦ καλεῖν ἤρξατο. Τούτοις δὲ τὴν τιμὴν ἀπονέμων, πρὸς τοὺς παρεστηκότας αὐτοῦ ἔλεγεν, Ὅτι οὗτοι πρός με ἐληλύθασι. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ λέγοντος, φωτὸς φανέντος, ἐκ τῆς σαρκὸς ἐξῆλθεν. Ὅθεν καὶ ἐν τούτῳ φανερῶς δείκνυται ὁποία ἔσται ἐπίγνωσις ἐν ἐκείνῃ τῇ ἀφθάρτῳ ζωῇ, [d] ἐν ᾗ ὁ ἀνὴρ οὗτος ἔτι ἐν τῇ φθαρτῇ ταύτῃ σαρκὶ ὑπάρχων, τοὺς ἁγίους προφήτας, οὓς οὐδέποτε εἶδεν, ἐγνώρισεν.

## CAPUT XXXIV.

*De quodam religioso, qui prophetas moriens vidit.*

Nam quidam noster religiosus, vir vitæ valde [f] laudabilis, cum ante hoc quadriennium moreretur, sicut religiosi alii qui præsentes fuerunt testati sunt, in hora exitus sui Jonam prophetam, Ezechielem quoque et Danielem cœpit aspicere, eosque dominos suos ex nomine clamare. Quos dum ad se venisse diceret, et depressis luminibus eis reverentiæ obsequium præberet, ex carne eductus est. Qua in re aperte datur intelligi quæ erit in illa incorruptibili vita notitia, si vir iste adhuc in carne corruptibili positus prophetas sanctos, quos nimirum nunquam viderat, agnovit.

## ΚΕΦΑΛ. Λς'.

Ὅτι ἄγνωστοί εἰσιν αἱ ψυχαὶ πρὸς ἀλλήλας, καὶ περὶ ἀνταποδόσεως ἀγαθῶν τε καὶ πονηρῶν, καὶ περὶ τοῦ θανάτου Ἰωάννου καὶ Οὔρσου καὶ Εὐμορφίου καὶ Στεφάνου.

Est etiam nunc apud nos Athanasius [a] Isauriæ presbyter, qui in diebus suis [b] Iconii rem terribilem narrat evenisse. Ibi namque, ut ait, quoddam [c] monasterium τῶν Γαλατῶν dicitur, in quo quidam monachus magnæ æstimationis habebatur. Bonis quippe cernebatur moribus, atque in omni sua actione compositus; sed sicut ex fine res patuit, longe aliter quam apparebat fuit. Nam cum jejunare se cum fratribus demonstraret, occulte manducare consueverat, quod ejus vitium fratres omnino nesciebant. Sed corporis superveniente molestia, ad vitæ extrema perductus est. Qui cum jam esset in fine, fratres ad se omnes qui monasterio aderant congregari fecit. At illi tali, ut putabant, viro moriente, magnum quid ac delectabile se ab eo audire crediderant. Quibus ipse afflictus et tremens compulsus est prodere cui hosti traditus cogebatur exire. Nam dixit: Quando me vobiscum credebatis jejunare, occulte comedebam, et ecce nunc ad devorandum draconi traditus sum, qui cauda sua mea genua pedesque colligavit, caput vero suum intra meum os mittens, spiritum meum ebibens extrahit. Quibus dictis statim defunctus est, atque ut pœnitendo [d] liberari potuisset, a dracone quem viderat exspectatus non est. Quod nimirum constat quia ad solam utilitatem audientium viderit, qui eum hostem cui traditus fuerat et innotuit et non evasit.

B Ἔστι δὲ καὶ νυνὶ παρ' ἡμῖν πρεσβύτερός τις, ὀνόματι Ἀθανάσιος ἐκ τῆς χώρας Λυκαονίας γενόμενος, πόλεως δὲ τοῦ Ἰκονίου, ὅστις πρᾶγμα φοβερὸν ἐκεῖσε ἐπὶ αὐτοῦ γεγονέναι [g] διηγεῖτο, οὕτω λέγων, ὅτι μοναστήριον αὐτόθι ὑπῆρχε, τῶν Γαλάτων λεγόμενον. Ἐν ᾧ τις μοναχὸς ἐν μεγίστῃ διαγωγῇ καὶ [h] σεμνότητος ἤθεσιν ὑπάρχειν ἐνομίζετο. Καθὼς δὲ τὸ πρᾶγμα ἐν τῷ τέλει [i] ἐδηλοποιήθη, μακρὰν ὑπῆρχεν οὗπερ ἐφαίνετο. Ἑαυτὸν γὰρ σὺν τοῖς ἀδελφοῖς νηστεύοντα ἐπεδείκνυεν, κρυφῇ δὲ τούτων ἐσθίειν εἴωθεν, ὅπερ παντάπασιν οἱ ἀδελφοὶ οὐκ ἐγίνωσκον. Σωματικῆς δὲ ἀῤῥωστίας αὐτῷ ἐπελθούσης, ἐν τοῖς ἐσχάτοις τῆς ζωῆς ἀπηνέχθη. Θεωρήσας δὲ ἑαυτὸν τῷ τέλει λοιπὸν προσεγγίζοντα, πάντας τοὺς ἐν τῷ μοναστηρίῳ ὑπάρχοντας ἀδελφοὺς συναθροισθῆναι πεποίηκεν. Ἐκεῖνοι δὲ παρὰ τοιούτου, ὡς ἐνόμιζον, ἀνδρὸς τελευτῶντος μέγα τι καὶ ἐπιθυμητὸν ἀκοῦσαι προσεδόκουν. Πρὸς οὓς ἐκεῖνος πενθῶν καὶ τρέμων, καὶ ἐκ τοῦ σώματος ἐξελθεῖν κατεπειγόμενος, ὁποίῳ ἐχθρῷ παρεδόθη, ἐξειπεῖν συνέχετο. Ἔλεγε δὲ οὕτως· Ὅτι μεθ' ὑμῶν νηστεύειν με ἐπιστεύετε, κρυφῇ δὲ ὑμῶν ἐγὼ ἤσθιον. Καὶ νυνὶ ἰδοὺ εἰς βρῶσιν τοῦ δράκοντος παρεδόθην. Ὅστις τοὺς πόδας μου καὶ τὰ γόνατα, τῇ κέρκῳ αὐτοῦ συνέδησε, τὴν δὲ κεφαλὴν αὐτοῦ ἔνδον τοῦ στόματός μου βαλὼν, τὸ πνεῦμά μου ἐκπιέζων ἀποσπᾷ. Τούτων δὲ ῥηθέντων, εὐθέως ἀπέθανε, μὴ παραχωρηθεὶς ἀπομεῖναι, ἵνα διὰ μετανοίας ἐκ τοῦ δράκοντος οὗπερ ἐθεάσατο, λυτρωθῆναι δυνήσηται. Ἐν τούτῳ δὲ φανερῶς δείκνυται, ὅτι εἰς ἡμετέραν καὶ μόνον τῶν ἀκουόντων ὠφέλειαν τοῦτο ἐθεάσατο. Ὅστις τὸν πολέμιον, ᾧ παρεδόθη δηλοποιήσας, τοῦτον διαφυγεῖν οὐκ ἠδυνήθη.

C

Petr. Doceri vellem si post mortem purgatorius ignis esse credendus est.

D

## CAPUT XXXIX.

*An post mortem purgatorius ignis sit.*

Gregorius. In Evangelio dicit Dominus: *Ambulate dum lucem habetis* (*Joan.* xii, 35). Per Prophetam quoque ait: *Tempore accepto exaudivi te, et in die sa-*

ΠΕΤΡ. Διδαχθῆναι αἰτῶ, ἐὰν μετὰ θάνατον καθαρτικὸν πῦρ εἶναι πιστευτέον ὑράρχει.

ΚΕΦΑΛ. ΜΑ'.

Ἐρώτησις εἰ μετὰ θάνατον καθαρτικὸν πῦρ ὑπάρχει.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ὁ Κύριος ἐν τῷ εὐαγγελίῳ λέγει· Πορεύεσθε ἕως οὗ τὸ φῶς ἔχετε. Διὰ δὲ τοῦ προφήτου λέγει· Καιρῷ δεκτῷ ἐπήκουσά σου, καὶ ἐν ἡμέρᾳ σωτηρίας ἐβοή-

[a] Bec., Big., primus Aud., Lyr. et secundus Carnot., cum interpr. Græc., *Lycaoniæ*. Is est Athanasius qui hæresis insimulatus cum sodalibus monachis, absolutus postea fuit. Vide lib. vi, al. v, ind. 14; epistolas olim 14, 15, 16, 17, 67; et lib. vii, al. vi, indic. 15; epist. 32, olim 29.

[b] Norm. supra indicati habent *Lyconiæ*. In Prat. nec *Iconii*, nec *Lyconiæ* legitur.

[c] Hoc est monasterium *Galatarum*.

[d] Excusi, reluctantibus Mss., *se liberare*, quod utrum recte dici possit, hic non inquirimus, sane solum Christum hominis liberatorem agnoscunt sacræ litteræ.

[e] Ita Ms. Corrupte in Edit. Rom. et Gussanv., δρόμου.

[f] Ms., λοιπὸν διὰ τὸ μὴ δύνασθαι ἑαυτὸν ἀφεθῆναι... διωρίαν αὐτῷ δοθῆναι ταῦτα.

[g] Ms., διηγεῖται.

[h] Ms., καὶ σεμνότητι παρὰ πᾶσιν ὑπάρχειν.

[i] Ms., ἐδηλοποιεῖτο.

θησά σοι. Ὅπερ Παῦλος ὁ ἀπόστολος ἑρμηνεύων, λέγει· Ἰδοὺ νῦν καιρὸς εὐπρόσδεκτος, ἰδοὺ νῦν ἡμέρα σωτηρίας. Ὁ δὲ Σολομὼν οὕτω λέγει· Εἴ τι δ' ἂν δύναται ἡ χείρ σου ποιῆσαι, ὅση δύναμίς σου ἐργάζου. Οὔτε γὰρ ἔργον, οὔτε εἴδησις, οὔτε σοφία ἐν τῷ ᾅδῃ ὑπάρχει, ἐν ᾧ σὺ πορεύῃ. Καὶ ὁ Δαυὶδ λέγει, Ὅτι εἰς τὸν αἰῶνα τὸ ἔλεος αὐτοῦ. Ἐκ πασῶν οὖν τῶν μαρτυριῶν τούτων φανερῶς δείκνυται, ὅτι οἷος ἐκ τῶν ἐνταῦθα ἐξέλθῃ ἕκαστος, τοιοῦτος καὶ ἐν τῇ κρίσει παραστήσεται. Πλὴν ὅμως περί τινων ἐλαφροτέρων πταισμάτων καθαρτικὸν εἶναι πῦρ πρὸ τῆς κρίσεως πιστευτέον. Αὕτη γὰρ ἡ ἀλήθεια εἴρηκεν, ὅτι ἐάν τις βλασφημήσῃ εἰς τὸ πνεῦμα τὸ ἅγιον, οὐκ ἀφεθήσεται αὐτῷ, οὔτε ἐν τῷ νῦν αἰῶνι, οὔτε ἐν τῷ μέλλοντι. Ἐκ ταύτης οὖν τῆς ψήφου νοῆσαι δίδοται, ὅτι τινὰ μὲν πταίσματα ἐν τούτῳ τῷ κόσμῳ, τινὰ ἐν τῷ μέλλοντι παραχωρηθῆναι δύνανται. Ὅπερ γὰρ περὶ ἑνὸς ἀρνητέον οὐκ ἔστιν, ἀκολούθως καὶ περὶ ἑτέρων **443** νοῆσαι [a] δύναται. Πλὴν ὅμως, καθὼς προεῖπον, τοῦτο περὶ ἐλαχίστων ἁμαρτημάτων γίνεσθαι δυνατὸν πιστευτέον ὑπάρχειν. Οἷον, λόγος ἀργὸς, γέλως ἄτακτος, ἢ ἀμέλεια τῆς φροντίδος τῆς φαμιλίας, καὶ τὸ μὴ ἐπιγινώσκειν τὰ τούτων πταίσματα, καὶ ὅπως αὐτὰ διακρίνειν [b] ὠφείλησαν. Ταῦτα γὰρ ἅπαντα διὰ πλάνην ἀγνοίας οὐ δοκοῦσι βαρέα τυγχάνειν, ἅπερ μετὰ θάνατον βαρέα εὑρίσκονται, ἐάν τις ἔτι ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ὑπάρχων παραχωρήσῃ αὐτά. Καὶ ὅπερ δὲ ὁ Παῦλος λέγει Χριστὸν εἶναι θεμέλιον, καὶ προσθεὶς, ἔφη· Ὅστις ἐποικοδομεῖ ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον χρυσὸν, ἄργυρον, λίθους τιμίους, ξύλα, καλάμην, χόρτον, ἑκάστου τὸ ἔργον [c] οἷόν ἐστι τὸ πῦρ αὐτὸ δοκιμάσει. Εἴ τινος τὸ ἔργον μένει, ὃ ἐποικοδόμησε, μισθὸν λήψεται. Εἴ τινος τὸ ἔργον κατακαήσεται, ζημιωθήσεται, αὐτὸς δὲ σωθήσεται, οὕτως δὲ ὡς διὰ πυρός. Τοῦτο καὶ [d] περὶ τοῦ τῆς θλίψεως τῆς ἐν ταύτῃ ἡμῶν τῇ ζωῇ προτεθὲν [e] νοηθείη ἄν· πλὴν ὅμως ἐάν τις αὐτὸ καὶ περὶ τοῦ πυρὸς τῆς μελλούσης [f] καθάρσεως λάβῃ, νηφόντως κατανοῆσαι δεῖ, ὅτι ἐκεῖνον εἶπε διὰ πυρὸς δύνασθαι σωθῆναι, οὐχὶ τὸν ἐπὶ τὸν θεμέλιον τοῦτον, σίδηρον, ἢ χαλκὸν, ἢ μόλιβδον οἰκοδομοῦντα, τουτέστιν ἁμαρτίας μεγάλας καὶ σκληρὰς καὶ μὴ διαλυομένας τότε, ἀλλὰ ξύλα, χόρτον, καλάμην, τουτέστιν ἐλαφρὰ καὶ ἐλάχιστα ἁμαρτήματα, ἅπερ εὐκόλως τὸ πῦρ κατεσθίει. Τοῦτο δὲ γνωστὸν ἔστω, ὅτι οὔτε περὶ ἐλαφρῶν καὶ ἐλαχίστων ἁμαρτιῶν ἐκεῖσέ τις εὐκόλως τοῦ καθαρισμοῦ τυγχάνει, εἰ μὴ διὰ πράξεων ἀγαθῶν ἔτι ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ ὑπάρχων ἑαυτὸν [g] ἐκκαθάιρει, ἵνα κἀκεῖσε ἐπιτυχεῖν τούτου ἀξιωθῇ.

ΚΕΦΑΛ. ΜΒ'.

Περὶ τῆς ψυχῆς Πασχασίου διακόνου.

Ἔτι [h] μοι νέαν τὴν ἡλικίαν ἄγοντι, καὶ ἐν τῷ τῶν λαϊκῶν ὑπάρχοντι σχήματι, παρά τινων μεγάλων ἀνδρῶν καὶ ἐν γνώσει ὄντων διηγουμένων ἀκήκοα, ὅτι Πασχάσιός τις ὀνόματι διάκονος τούτου τοῦ ἀποστολικοῦ θρόνου

[a] Ms., νοῆσαι δίδοται. πλὴν καθώς.
[b] Ms., ὀφείλωσιν.
[c] Ms., ὁποῖόν ἐστι τὸ πῦρ δοκιμ.
[d] Ms., περὶ τοῦ πυρὸς τῆς θλίψεως.
[e] Ms., νοηθῆναι δύναται πλὴν ἐάν τις.
[f] Ms., κρίσεως.
[g] Ms., ἐκκαθάρῃ.
[h] Ms., ἔτι μου... ἄγοντος... ὑπάρχοντος.

A *lutis adjuvi te* (*Isai.* XLIX, 8). Quod Paulus apostolus exponens, dicit : *Ecce nunc tempus* [i] *acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 2). Salomon quoque ait : *Quodcumque potest manus tua facere, instanter operare, quia nec opus, nec ratio, nec scientia, nec sapientia erit apud inferos, quo tu properas* (*Eccles.* IX, 10). David quoque ait : *Quoniam in sæculum misericordia ejus* (*Psal.* CXVII). Ex quibus nimirum sententiis constat quia qualis hinc quisque egreditur (*Dict.* 25, *cap. Qualis*), talis in judicio præsentatur. Sed tamen de quibusdam levibus culpis esse ante judicium purgatorius ignis credendus est, pro eo quod Veritas dicit, quia si quis in sancto Spiritu blasphemiam dixerit, neque in hoc sæculo remittetur ei, neque in futuro (*Matth.* XII, 31). In qua sententia datur intelligi B quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari. Quod enim de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam **444** conceditur. Sed tamen, ut prædixi, hoc de parvis minimisque peccatis fieri posse credendum est, sicut est assiduus otiosus sermo, immoderatus risus, vel peccatum [j] curæ rei familiaris, quæ vix sine culpa vel ab ipsis agitur, qui culpam qualiter declinare debeant sciunt; aut in non gravibus rebus error ignorantiæ, quæ cuncta etiam post mortem gravant, si adhuc in hac vita positis minime fuerint relaxata. Nam cum Paulus dicat Christum esse fundamentum, atque subjungat : *Si quis superædificaverit super hoc fundamentum, aurum, argentum, lapides pretiosos, ligna, fenum, stipulam; uniuscujusque opus quale sit,* C *ignis probabit; si cujus opus manserit quod superædificavit, mercedem accipiet; si cujus opus arserit, detrimentum patietur; ipse autem salvus erit, sic tamen quasi per ignem* (*I Cor.* III, 12 *seq.*). Quamvis hoc de igne tribulationis in hac nobis vita adhibito possit intelligi, tamen si quis hoc de igne futuræ purgationis accipiat, pensandum sollicite est quia illum per ignem dixit posse salvari, non qui super hoc fundamentum, ferrum, æs, vel plumbum ædificat, id est peccata majora, et idcirco duriora, atque tunc jam insolubilia; sed ligna, fenum, stipulam, id est peccata minima atque levissima, quæ ignis facile consumat. Hoc tamen sciendum est, quia illic saltem de minimis nihil quisque purgationis obtinebit, nisi bonis hoc actibus in hac adhuc vita positus, ut illic obtineat, D promereatur.

CAPUT XL.

*De anima Paschasii diaconi.*

Nam cum adhuc essem juvenculus, atque in laico habitu constitutus, narrari a majoribus atque scientibus audivi, quod [k] Paschasius hujus apostolicæ sedis diaconus, cujus apud nos rectissimi et luculenti de

[i] Big., *acceptum.*
[j] Abest *rei* a Gratiano, distinctione 25 assignata.
[k] De Paschasio vide Bollandum, tom. VII Maii, pag. 438. Ejus libri duo de Spiritu sancto contra Macedonium variis Patrum bibliothecis inseruntur. Eos Casimirus *Oudin* in supplem. Biblioth. Fausto Rhegiensi tribuit, quem refellit Guillelmus *Cave* Hist. litterariæ sæculo VI.

sancto Spiritu libri exstant, miræ sanctitatis vir fuerit, eleemosynarum maxime operibus vacans, cultor pauperum, et contemptor sui. Sed hic in ea contentione quæ inardescente zelo fidelium inter [a] Symmachum atque Laurentium facta est ad pontificatus ordinem Laurentium elegit; et omnium post unanimitate superatus, in sua tamen sententia usque ad diem sui exitus perstitit, illum amando atque præferendo, quem episcoporum judicio præesse sibi Ecclesia refutavit. Hic itaque cum temporibus Symmachi apostolicæ sedis Præsulis esset defunctus, ejus dalmaticam feretro superpositam dæmoniacus tetigit, [b] statimque salvatus est. Post multum vero temporis Germano Capuano episcopo, cujus superius memoriam feci (*Lib.* II, *c.* 35, *et lib.* IV, *c.* 7), medici pro corporis salute dictaverant, ut in [c] Angulanis thermis lavari debuisset. Qui ingressus easdem thermas, prædictum Paschasium diaconum stantem et obsequentem in calor.bus invenit. Quo viso vehementer extimuit, et quid illic tantus vir faceret inquisivit. Cui ille respondit: Pro nulla **445** alia causa in hoc pœnali loco deputatus sum, nisi quia in parte Laurentii contra Symmachum sensi. Sed quæso te, pro me Dominum deprecare, atque in hoc cognosces quod exauditus sis, si huc rediens me non inveneris. Qua de re vir Domini Germanus se in precibus constrinxit, et post paucos dies rediit, sed jam dictum Paschasium in loco eodem minime invenit. Quia enim non malitia, sed ignorantiæ errore peccaverat, purgari post mortem a peccato potuit. Quod tamen credendum est, quia ex illa eleemosynarum suarum largitate hoc obtinuit, ut tunc potuisset promereri veniam, cum jam nihil posset operari.

ὑπάρχων, οὗτινος καὶ βίβλοι παρ' ἡμῖν εἰσιν ὀρθόταται καὶ φωτειναὶ περὶ τοῦ ἁγίου πνεύματος, ἀνὴρ θαυμασίας ἁγιωσύνης ὑπῆρχεν, ἔργοις ἐλεημοσύνης σχολάζων, φροντιστὴς τῆς τῶν πτωχῶν. Οὗτος ἐν τῇ φιλονεικίᾳ τῇ γενομένῃ διὰ ζῆλον πίστεως ἐν τῷ λαῷ περὶ τῆς ἐπιλογῆς Συμμάχου καὶ [e] Λαυρεντίου, τὸ, τίς ἔχει πατριάρχης προβῆναι, Λαυρεντίου μᾶλλον ἐπελέξατο. Πάντων δὲ ὁμονοησάντων, καὶ Συμμάχου χειροτονηθέντος, αὐτὸς ἡττηθεὶς, ἕως ἡμέρας ἐξόδου αὐτοῦ ἐν τῇ ἰδίᾳ ψήφῳ ἐνίστατο, ἐκεῖνον ἀγαπῶν καὶ προφέρων, ὃν ἐπίσκοπον ἑαυτῆς προβιβασθῆναι ἡ ἐκκλησία ἀπεβάλετο. Συνέβη δὲ τὸν αὐτὸν Πασχάσιον ἐν τοῖς χρόνοις Συμμάχου τοῦ ἀποστολικοῦ προέδρου τελευτῆσαι· ἐν δὲ αὐτοῦ κηδείᾳ, τοῦ δαλματικίου αὐτοῦ τῇ κλίνῃ ἐπιτεθέντος, δαιμονιῶν τις ἁψάμενος αὐτοῦ, παραχρῆμα ἰάθη. Μετὰ πολὺν δὲ χρόνον, Γερμανῷ τῷ τῆς πόλεως Καπύης ἐπισκόπῳ, οὗτινος ἀνωτέρω μνείαν πεποίημαι, πρὸς ὑγείαν τοῦ σώματος οἱ ἰατροὶ ἐπέταξαν, ἵνα εἰς τὰ θερμὰ τὰ ἐπονομάζόμενα Ἀγλανῶν ἀπελθὼν λούσηται. Καταλαβόντος οὖν αὐτοῦ εἰς τὰ αὐτὰ θερμὰ, τὸν προλεχθέντα Πασχάσιον τὸν διάκονον ἐκεῖσε εὗρεν ἐν τῇ θέρμῃ παριστάμενον, καὶ καθυπουργοῦντα. Ὃν θεασάμενος, σφόδρα ἐφοβήθη. Τί δὲ ὁ τοιοῦτος ἀνὴρ ἐκεῖσε ἐποίει ἐπεζήτησεν. Αὐτὸς δὲ ἀποκριθεὶς, εἶπεν· Δι' οὐδὲν **446** ἕτερον ἐν τούτῳ τῷ τόπῳ τῆς κρίσεως ὡρίσθην, εἰ μὴ [f] δι' ὃν εἰς μέρος Λαυρεντίου συνήνεσα, καὶ κατὰ Συμμάχου ἐγενόμην. Ἀλλ' αἰτῶ, ὑπὲρ ἐμοῦ τὸν κύριον [g] δυσώπησον, καὶ ἐν τούτῳ γνώσῃ ὅτι εἰσηκούσθης, ἐὰν ὑποστρέψων ἐνθάδε μὴ εὕρῃς με. Ὁ δὲ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Γερμανὸς ἑαυτὸν εἰς δέησιν ὑπερ αὐτοῦ πρὸς κύριον ἐπέτεινε. Καὶ μετ' ὀλίγας ἡμέρας ἐκεῖσε ὑποστρέψας, τὸν προλεχθέντα Πασχάσιον ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ οὐδαμῶς εὗρεν. Διὰ δὲ τὸ μὴ ἐκ πονηρίας, ἀλλ' ἐκ πλάνης ἀγνοίας ἡμαρτηκέναι αὐτὸν, ἠδυνήθη ἀπὸ ἁμαρτίας καθαρισθῆναι. Μᾶλλον δὲ τοῦτο πιστευτέον ὑπάρχει, ὅτι διὰ τῆς ἐλεημοσύνης αὐτοῦ [h] τούτου ἀπέτυχε, καὶ τότε τῆς συγχωρήσεως ἠξιώθη, ὅτε λοιπὸν οὐδὲν ἐργάσασθαι ἠδύνατο.

Petr. Quid hoc est, quæso, quod in his extremis temporibus tam multa de animabus clarescunt, quæ ante latuerunt; ita ut apertis revelationibus atque ostensionibus venturum sæculum inferre se nobis atque aperire videatur?

ΠΕΤΡ. Τί τοῦτο θέλει εἶναι, αἰτῶ σε, ὅτι ἐν τοῖς ἐσχάτοις καιροῖς τούτοις τοσαῦτα περὶ ψυχῶν φανεροῦνται, ἅπερ πρότερον ἐλάνθανον, ἢ πάντως, ἵνα φαναραῖς ἀποκαλύψεσι τὸν μέλλοντα κόσμον ἐπιδεικνυόμενον ἡμῖν θεασώμεθα;

## CAPUT XLI.

*Cur in extremis temporibus, tam multa de animabus clarescunt, quæ antea latuerunt.*

## ΚΕΦΑΛ. ΜΓ'.

Ἐρώτησις τίνι λόγῳ πολλὰ ἐν τοῖς ἐσχάτοις καιροῖς περὶ ψυχῶν φανερούνται.

Gregorius. Ita est; nam quantum præsens sæculum propinquat ad finem, tantum futurum sæculum ipsa [d] jam quasi propinquitate tangitur, et signis manifestioribus aperitur. Quia enim in hoc sæculo cogitationes nostras vicissim minime videmus, in illo autem nostra in alterutrum corda conspicimus, quid hoc sæculum nisi noctem, et quid venturum nisi diem dixerim? Sed quemadmodum cum nox finiri et dies incipit oriri, ante solis ortum, simul aliquo modo tenebræ cum luce commistæ sunt, quousque disce-

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Οὕτως ἐστὶ καθὼς ὑπέλαβες· ὅσον γὰρ τοῦ παρόντος κόσμου τὸ τέλος πλησιάζει, τοσοῦτον τοῦ μέλλοντος ἡ παρουσία σημείοις φανεροῖς ἐπιγινώσκεται. Ἐπειδὴ δὲ ἐν τῷ παρόντι κόσμῳ τοὺς διαλογισμοὺς ἀλλήλων οὐδαμῶς θεωροῦμεν, ἐν δὲ τῷ μέλλοντι ἅπαντα τὰ ἡμέτερα ἐν ταῖς ἀλλήλων καρδίαις ὁρῶμεν. Τί τοῦτον τὸν κόσμον καλέσω, εἰ μὴ νύκτα; τί δὲ τὸν μέλλοντα, εἰ μὴ ἡμέραν; Καθάπερ γὰρ τῆς νυκτὸς τελειουμένης ἡ ἡμέρα ἄρχεται αὐγάζειν, πρὸ δὲ τῆς τοῦ ἡλίου ἀνατολῆς τρόπῳ τινὶ τὸ σκότος μετὰ τοῦ φωτὸς μεμιγμένον ὑπάρχει ἕως

[a] Electus est an. 498, non unanimi consensu; quippe plurimi Laurentii archidiaconi partibus favebant, et in his Paschasius. De hoc schismate legesis Baronium, ad annum assignatum.

[b] Ita Mss. In Editis, *statimque sanatus est.*

[c] Angolus, Angulos Plinio urbs est Vestinorum, nunc dicta, *Citta di S. Angelo* in Aprutio inter Adriam et Aternum.

[d] Prat. et Becc., *ipso jam appropinquante.* Primus Gemet., *ipsa jam quasi propinquante.*

[e] Ms.. Λαυρ. τίς ἄρα προβῆναι πατριάρχης Λαυρέντιον ἐπελέξατο.

[f] Ms., δι' ὧν εἰς.

[g] Editi, δυσώπιστον.

[h] Ms., τούτου ἐπέτυχε.

οὗ παρέλθῃ τὸ τῆς νυκτὸς ἐπίλοιπον, καὶ τὸ φῶς τῆς ἐπακολουθούσης ἡμέρας ὁλοκλήρως ἐπανέλθῃ, οὕτω τοῦ παρόντος κόσμου λοιπὸν τὸ τέλος, τῇ ἀνατολῇ τοῦ μέλλοντος συμμιγέν, ἐκ τῶν σκοτεινῶν αὐτοῦ πραγμάτων τινὰ τῇ τῶν πνευματικῶν συμμιξίᾳ διαλάμπουσιν. Ὅθεν λοιπὸν καὶ πολλὰ ἐκ τῶν τοῦ κόσμου ἐκείνου κατανοοῦμεν, οὐχὶ δὲ πάντα ὁλοκλήρως γινώσκομεν, ἀλλὰ καθάπερ ἔν τινι τοῦ νοὸς διαυγίᾳ ταῦτα ὥσπερ πρὸ τοῦ ἡλίου ὁρῶμεν.

A dentis noctis reliquiæ in lucem diei subsequentis perfecte vertantur, ita hujus mundi finis jam cum futuri sæculi exordio permiscetur, atque ipsæ reliquiarum ejus tenebræ quadam jam rerum spiritalium permistione translucent. Et quæ illius mundi sunt, multa jam cernimus, sed necdum perfecte cognoscimus, quia quasi in quodam mentis crepusculo hæc velut ante solem videmus.

ΠΕΤΡ. Ἀρέσκει ὃ λέγεις, ἀλλὰ περὶ τοῦ τοιούτου ἀνδρὸς Πασχασίου πρὸς ἐκζήτησιν τὴν ψυχὴν ἡ ἐρώτησις κινεῖ, ὅτι μετὰ θάνατον εἰς τόπον κρίσεως ἀπηνέχθη, οὕτινος τὸ ἔνδυμα ἐν τῇ κλίνῃ κείμενον, καὶ τούτου ἁψάμενος ὁ ὑπὸ τοῦ πονηροῦ πνεύματος κρατούμενος ἄνθρωπος παραχρῆμα ἰάθη.

Petr. Placet quod dicis. Sed de tanto viro Paschasio hoc animum ad quæstionem movet, quod post mortem ad pœnalem locum ductus est, cujus feretri vestis tanti potuit ut malignus spiritus ab obsesso homine fugaretur.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐν τούτῳ τῷ πράγματι μεγάλως ἡ τοῦ παντοδυνάμου Θεοῦ οἰκονομία ὁποία ἐστὶ διαγινώσκεται, οὗ τινος τῇ κρίσει γέγονεν, ἵνα ὁ αὐτὸς ἀνὴρ Πασχάσιος πρὸς ὀλίγον καιρὸν ἔνδοθεν ἀπολάβῃ, δι' ὧν ἥμαρτεν. Ἐν δὲ τοῖς τῶν ἀνθρώπων ὀφθαλμοῖς θαύματα διὰ τοῦ σώματος αὐτοῦ μετὰ θάνατον γενέσθαι ηὐδόκησεν, ὃν πρὸ θανάτου ἐγίνωσκεν εὐσεβείας ἔργα ποιήσαντα, ἵνα μήτε ἐκεῖνοι οἱ τὰ ἀγαθὰ αὐτοῦ θεωρήσαντες, περὶ τῶν ἐλεημοσυνῶν αὐτοῦ σκανδαλισθῶσι, [a] μήτε τὸ πταῖσμα αὐτοῦ ἄνευ ἐκδικήτεως ἀφεθῇ, ὅπερ οὔτε εἶναι πταῖσμα ἐπίστευεν, ὅθεν οὐδὲ τοῖς δάκρυσι τοῦτο ἔσβεσεν.

B Greg. Hac in re magna debet omnipotentis Dei dispensatio et quam sit multiplex agnosci. Cujus judicio actum est ut idem vir Paschasius et ipse intus ad aliquantum temporis reciperet quod peccasset, et tamen ante humanos oculos mira per corpus suum post mortem faceret, qui ante mortem eis quoque cognoscentibus pia opera fecisset; ut neque hi qui bona ejus viderant, de eleemosynarum illius æstimatione fallerentur, neque ipsi sine ultione laxaretur culpa, quam nec esse culpam credidit, et idcirco hanc fletibus non exstinxit.

ΠΕΤΡ. Κατανοῶ ὅπερ λέγεις, ὅθεν τῇ ἀπολογίᾳ **447** ταύτῃ συσταλείς, οὐ μόνον ἅπερ ἐπιγινώσκω ἐν ἐμοὶ ἁμαρτήματα, ἀλλὰ καὶ ἅπερ ἀγνοῶ [b] δειλιάσαι ἀναγκάζομαι. Ἐπειδὴ δὲ ὀλίγον ἀνωτέρω περὶ τόπων βασανιστικῶν τοῦ ᾅδου [c] λόγος ἐκινεῖτο, αἰτῶ ποῦ τὸν ᾅδην [d] ὑπάρχειν χρὴ πιστεύειν, ἐπάνω ταύτης τῆς γῆς, ἢ ὑποκάτω.

Petr. Perpendo quæ dicis, verumtamen **448** hac ratione constrictus, non solum quæ intelligo, sed etiam ipsa quæ non intelligo in me cogor jam peccata formidare. Sed quæso, quia paulo superius sermo de locis pœnalibus inferni versabatur, ubinam esse infernum putamus? super hanc terram, an sub terra esse credendus est.

C

## ΚΕΦΑΛ. ΜΔ'.

*Ἐρώτησις ποῦ τὸν ᾅδην εἶναι πιστευτέον.*

## CAPUT XLII.

*Ubi esse infernus credendus sit.*

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Περὶ τῆς ἐρωτήσεως ταύτης, οὐδὲν ἀσφαλῶς ἀποφήνασθαι τολμῶ. Πολλοὶ γὰρ ἐν μέρει τινὶ τῆς γῆς τὸν ᾅδην ὑπάρχειν ἐνόμισαν· ἕτεροι δὲ τοῦτον ὑποκάτω τῆς γῆς εἶναι ὑπέλαβον. Πλὴν ὅμως τοῦτο τὴν ψυχὴν νύττει, ὅτι ἐὰν τὸν ᾅδην διὰ τοῦτο [e] λέγομεν ὑποκάτω κεῖσθαι, ὅτι ἡ γῆ ἐν τῷ οὐρανῷ ἐστιν, ᾅδης εἰκὸς ἡ γῆ ὀφείλει νοηθῆναι, διὰ τὸ [f] καὶ ὑπὸ τοῦ ψαλμῳδοῦ λέγεσθαι· Ἐρρύσω τὴν ψυχήν μου ἐξ ᾅδου κατωτάτου. [g] Ὥστε ᾅδης ἀνώτερος ἡ γῆ, ᾅδης δὲ κατώτατος, ὑπὸ τὴν γῆν ὑπολῃπτέον. Καὶ Ἰωάννης δὲ ταύτῃ τῇ φωνῇ κατὰ τὸ εἰκὸς συνᾴδει, ὅστις βιβλίον ἐσφραγισμένον ἑπτὰ σφραγῖσι θεωρῆσαι ἑαυτὸν λέγει. Καὶ οὐδεὶς ἄξιος εὑρέθη, οὔτε ἐν τῷ οὐρανῷ, οὔτε ἐν τῇ γῇ, οὔτε [h] ὑποκάτω τῆς γῆς ἀνοῖξαι τὸ βιβλίον, καὶ λῦσαι τὰς σφραγίδας αὐτοῦ· κἀγὼ ἐθρήνουν πολύ. Ὅπερ βιβλίον μετέπειτα διὰ τοῦ λέοντος τοῦ ἐκ φυλῆς Ἰούδα λέγει ἀνεῳχθῆναι. Τί δὲ ἕτερον τὸ βιβλίον σημαίνεται, εἰ μὴ ἡ θεία γραφή, ἣν [i] μόνος ὁ λυτρωτὴς

D

Greg. Hac de re temere definire nil audeo. Nonnulli namque in quadam terrarum parte infernum esse putaverunt: alii vero hunc sub terra esse æstimant. Sed tamen hoc animum pulsat, quia si idcirco infernum dicimus quia inferius jacet, quod terra ad cœlum est, hoc esse infernus debet ad terram. Unde et fortasse per Psalmistam dicitur: *Liberasti animam meam ex inferno inferiori* (*Psal.* LXXXV, 13); ut infernus [k] superior in terra, infernus vero inferior sub terra esse [l] videatur. Et Joannis vox in æstimatione ista concordat, qui cum signatum septem sigillis librum vidisse se diceret, quia nemo inventus est dignus neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum, et solvere signacula ejus, adjunxit: *Et ego flebam multum* (*Apoc.* v, 4). Quem tamen librum postea per leonem de tribu Juda dicit aperiri. Quo videlicet in libro quid aliud quam sacra Scriptura situm ex textu Græc. Apoc., tum ex Ms. Reg.

[a] Ms., μήποτε τὸ πταῖσμα.
[b] Ms., δειλιᾶσαι.
[c] Ms., λόγος κεκίνηται.
[d] Ms., ὑπάρχειν ὑποληπτέον ἐπάνω.
[e] Ms., λέγωμεν ὑποκάτω.
[f] Ms., τὸ ὑπὸ καὶ τοῦ ψαλμωδοῦ λέγεσθαι ὅτι τὸ ἔλεός σου μέγα ἐπ' ἐμὲ καὶ ἐρρύσω τὴν ψυχήν.
[g] Ms., ὥστε ἀνώτερος ἡ γῆ ᾅδης δὲ κατώτατος ὁ ὑπὸ τὴν γῆν καὶ Ἰωάννης δὲ ταύτην τὴν φωνὴν κατὰ τό.
[h] Vitiose in Editis, ὑπερκάτω, quod emendamus tum ex textu Græc. Apoc., tum ex Ms. Reg.
[i] Ms., μόνος ὁ Θεὸς ἡμῶν.
[j] Duo Carnot., Val. Cl. et primus Theod., ita habent. In Carnotensibus tamen legitur, *ut malignos spiritus.... fugavit.* In German., secundo Theod. et Norm., quibus Editi consentiunt, *vestis tangi potuit, et mal. spiritus.... fugari.*
[k] Germ. et Norman., *superior terra.*
[l] Duo Carnot., *credatur.*

gnatur? Quam solus Redemptor noster aperuit, qui homo factus, moriendo, resurgendo, ascendendo, cuncta mysteria quæ [a] in eo fuerant clausa patefecit. Et nullus in cœlo, quia neque angelus; nullus in terra, quia neque homo vivens in corpore; nullus subtus terram dignus inventus est, quia neque animæ corpore exutæ aperire nobis præter Dominum sacri eloquii secreta potuerunt. Cum ergo ad solvendum librum nullus sub terra inventus dignus dicitur, quid obstet non video ut sub terra infernus esse credatur.

ἡμῶν διήνοιξε. Αὐτὸς γὰρ ἄνθρωπος γενόμενος, ἀποθανὼν καὶ ἀναστὰς καὶ ἀναληφθείς, πάντα τὰ μυστήρια τὰ ἐν αὐτῇ κεκρυμμένα διήνοιξεν. Ὅτι δὲ οὐδεὶς ἐν τῷ οὐρανῷ, τουτέστιν ἄγγελος, οὔτε ἐπὶ τῆς γῆς, τουτέστιν ἄνθρωπος ζῶν ἐν σώματι, οὔτε ὑποκάτω τῆς γῆς ἄξιος εὑρέθη, τουτέστιν αἱ ψυχαὶ αἱ ἐκ τοῦ σώματος ἐξελθοῦσαι ἀνοῖξαι ἡμῖν τῆς ἱερᾶς γραφῆς τὰ μυστήρια πάρεξ κυρίου. Ἐν τῷ [f] λέγεσθαι οὖν, Οὐδεὶς ὑπὸ τὴν γῆν εὑρέθη ἄξιος λῦσαι τὸ βιβλίον, οὐδὲν ἀνθιστάμενον θεωρῶ, τοῦ τὸν ᾅδην ὑπὸ τὴν γῆν ὑπάρχειν πιστεύειν.

Petr. Quæso te, unus esse gehennæ ignis credendus est; an quanta peccatorum diversitas fuerit, tanta quoque æstimanda sunt et ipsa incendia esse præparata?

ΚΕΦΑΛ. ΜΕ'.

Ἐρώτησις ἐὰν τὸ δώρημα (sic) τῆς γεέννης πῦρ ἐστιν, ἢ ἕτερον.

ΠΕΤΡΟΣ. Λίτῶ σε, τὸ τῆς γεέννης πῦρ, ἓν ὑπάρχειν χρὴ πιστεύειν, ἢ ὅσαι τῶν ἁμαρτιῶν αἱ διαφοραὶ, τοσαῦται καὶ τοῦ πυρὸς αἱ τιμωρίαι ἔσονται.

## CAPUT XLIII.

*Utrum unus gehennæ ignis sit, an diversi.*

Gregorius. Unus quidem est gehennæ ignis, sed non uno modo omnes cruciat peccatores. Uniuscujusque etenim quantum exigit culpa, [b] tanta illic sentitur pœna. Nam sicut in hoc mundo sub uno sole multi consistunt, nec tamen ejusdem solis ardorem æqualiter sentiunt, [c] quia alius plus æstuat, atque alius minus; **449** ita illic in uno igne non unus est modus incendii; quia quod hic diversitas corporum, hoc illic agit diversitas peccatorum, ut et ignem non dissimilem habeant, et tamen eosdem singulos dissimiliter exurat.

ΓΡΗΓΟΡ. Τὸ δὲ γεέννης πῦρ, ἓν ὑπάρχειν χρὴ πιστεύειν. Οὐχὶ δὲ πάντας τοὺς ἁμαρτωλοὺς ἑνὶ τρόπῳ κολάζει. Ἕκαστος γὰρ κατὰ τὸ ἑαυτοῦ πταῖσμα, οὕτω καὶ τοὺς πόνους αἰσθάνεται. Καθάπερ γὰρ ἐν τῷ κόσμῳ τούτῳ ὑπὸ τὸν ἕνα ἥλιον πολλοὶ συνίστανται, οὐκ ἐπ' ἴσης δὲ τῆς τοῦ ἡλίου θέρμης πάντες αἰσθάνονται, ἀλλ' ὁ μὲν πλεῖον [g] καυσοῦται, ὁ δὲ ἔλαττον, **450** οὕτω κἀκεῖσε ἐν ἑνὶ πυρὶ οὐκ ἔστιν εἷς ὁ τρόπος τῆς καύσεως. Ὥσπερ γὰρ ἐνθάδε ἡ διαφορὰ τῶν σωμάτων, οὕτως ἐκεῖ ἡ διαφορὰ τῶν ἁμαρτημάτων. Ὅθεν καὶ τὸ πῦρ οὐκ ἀνόμοιον ἔχουσιν, οὐκ ἴσως δὲ πάντας αὐτοὺς ἐκκαύσει.

Petr. Nunquidnam, quæso te, dicimus eos qui semel illic mersi fuerint, semper arsuros?

ΚΕΦΑΛ. Μς'.

Ἐρώτησις ἐὰν πάντοτε κατακαίονται οἱ ἐν τῇ γεέννῃ τοῦ πυρὸς ὁριζόμενοι.

ΠΕΤΡΟΣ. Τοῦτο αἰτῶ μαθεῖν, τ ὺς ἅπαξ ἐν ἐκείνῳ τῷ πυρὶ ῥιπτομένους διηνεκὲς καταφλέγεσθαι ὑπολητέον.

## CAPUT XLIV.

*Si semper ardeant qui gehennæ incendiis deputantur.*

Gregorius. Constat nimis, et incunctanter verum est quia sicut finis non est [d] gaudio bonorum, ita finis non erit tormento malorum. Nam cum Veritas dicat: [e] *Ibunt impii in supplicium æternum, justi autem in vitam æternam* (*Matth.* xxv, 46), quia verum est quod promisit, falsum procul dubio non erit quod minatus est Deus.

ΓΡΗΓΟΡ. Τοῦτο λίαν συνίσταται, καὶ παντάπασιν ἀληθὲς ὑπάρχει. Ὥσπερ γὰρ τέλος τῆς τῶν ἀγαθῶν χαρᾶς οὐκ ἔστιν, οὕτως οὐδὲ τῆς βασάνου τῶν πονηρῶν τέλος ἔσται. Αὐτὴ γὰρ ἡ ἀλήθεια εἴρηκεν· Ἀπελεύσονται οὗτοι εἰς κόλασιν αἰώνιον, οἱ δὲ δίκαιοι εἰς ζωὴν αἰώνιον. Εὔδηλον οὖν λοιπὸν, ὅτι ἀληθὲς ὑπάρχει, ὅπερ ὁ Θεὸς ὑπέσχετο, καὶ ψεῦδος οὐδαμῶς ἔσται περὶ ὧν ἠπείλησεν.

Petr. Quid si quis dicat: Idcirco peccantibus æternam pœnam minatus est, ut eos a peccatorum perpetratione compesceret?

ΠΕΤΡ. Τί δὲ ἔσται ἐάν τίς εἴπῃ, ὅτι διὰ τοῦτο ὁ Θεὸς ἁμαρτάνουσιν αἰώνιον κόλασιν ἠπείλησεν, ὥστε αὐτοὺς ἐκ τῆς ἐργασίας τῶν ἁμαρτιῶν ἀναστεῖλαι;

Greg. Si falsum est quod minatus est ut ab injustitia corrigeret, etiam falsum est pollicitus ut ad justitiam provocaret. Sed quis hoc dicere vel insanus præsumat? Et si minatus est quod non erat impleturus, dum asserere eum misericordem volumus, fallacem (quod dici nefas est) prædicare compellimur.

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐὰν ψευδὴς ὑπάρχει ὅπερ ἠπείλησεν ἵνα τοὺς ἁμαρτάνοντας διορθώσηται, ψευδὴς λοιπὸν ὑπάρχει καὶ ὅπερ [h] ὑπέσχετο, ἵνα εἰς δικαιοσύνην προσαγάγῃ. Τίς δὲ τοῦτο εἰπεῖν τολμήσει, εἰ καὶ τῶν κατὰ φύσιν ἐξέστη φρενῶν; Εἰ γὰρ ὅπερ ἠπείλησεν οὐκ ἔστιν ἐκπληρῶν, ἐν ὅσῳ θέλομεν αὐτὸν ἐλεήμονα λέγειν, ψεύστην αὐτὸν κηρύττειν συνωθούμεθα. Ὅπερ καὶ εἰπεῖν ἐπικίνδυνον ὑπάρχει.

[a] Gemet. cum cæteris Norm., *in ea*, scilicet Scriptura sacra.
[b] Primus Carnot., *tantum illic sentiet pœnam*. Alii duo Carnot., *tantum illic sentietur pœna*.
[c] Prior Carnot., *quia alios plus æstuat*, etc.
[d] Norm. et nonnulli, *gaudii .... tormenti*.
[e] Gemet., *ibunt ii in suppl.*
[f] Ms., λέγειν οὐδείς.
[g] Ms., καίεται.
[h] Ms., ὑπέσχετο τοῖς δικαίοις ἵνα.

ΠΕΤΡ. Γνῶναι θέλω πῶς δίκαιόν ἐστιν ἵνα τὸ πταῖσμα τὸ μετὰ τέλους γενόμενον, ἄνευ τέλους κολασθῇ;

ΓΡΗΓΟΡ. Ἐὰν ὁ ἐτάζων κριτὴς οὐχὶ τὰς καρδίας τῶν ἀνθρώπων, ἀλλὰ τὰ ἔργα ἐξήταζεν, τοῦτο ὀρθῶς ὑπελάμβανες. Ἀλλ' ἐπειδὴ γὰρ οἱ ἄδικοι μετὰ τέλους ἔζησαν, διὰ τοῦτο καὶ μετὰ τέλους ἥμαρτον· ἐπεὶ [a] ἤθελον εἶναι δυνατὸν ἄνευ τέλους ζῆσαι, ἵνα δυνηθῶσι καὶ ἄνευ τέλους ἁμαρτάνειν. Δεικνύουσι γὰρ ὅτι ἐν ἁμαρτίαις πάντοτε ζῆσαι ἐπιθυμοῦσιν, οἵτινες οὐδέποτε ἐν ὅσῳ ζῶσι τοῦ ἁμαρτάνειν ἀφίστανται. Μεγάλη οὖν ἡ δικαιοσύνη τοῦ κρίνοντος δείκνυται, ἐν τῷ μὴ διαλείπειν τοῦ πάντοτε βασανίζεσθαι τοὺς ἐν ταύτῃ τῇ ζωῇ μηδέποτε θελήσαντας τοῦ ἁμαρτάνειν διαλεῖψαι.

ΠΕΤΡ. Ἀλλ' οὐδεὶς δίκαιος τῇ ὠμότητι τρέφεται, καὶ δοῦλος δὲ ἁμαρτάνων παρὰ δικαίῳ δεσπότῃ, τούτου ἕνεκεν μαστιγωθῆναί κελεύεται, ὅπως ἐκ τῆς κακεξίας αὐτοῦ διορθώσηται. Οἱ ἄδικοι δὲ τῷ τῆς γεέννης πυρὶ παραδοθέντες, ἐὰν πρὸς διόρθωσιν οὐκ ἔρχωνται, ποίῳ τέλει δι' ἃ κολάζονται;

ΓΡΗΓΟΡ. Ὁ παντοδύναμος Θεὸς εὔσπλαγχνος ὑπάρχων, τῇ τῶν ἐλεεινῶν βασάνῳ [b] οὐ τρέφεται. Δίκαιος δὲ ὤν, ἐκ τῆς τῶν ἀδίκων ἐκδικήσεως εἰς τὸν αἰῶνα οὐκ ἀφίσταται. Οἱ δὲ ἄδικοι πάντες οἱ τῇ αἰωνίῳ βασάνῳ καταδικασθέντες, τῇ ἰδίᾳ ἀνομίᾳ ἐτάζονται. Τούτων δὲ φλεγομένων, οἱ δίκαιοι πάντες ἐν τῷ Θεῷ ὄντες, θεωροῦσι μὲν τὴν χαράν, ἥνπερ παρ' αὐτοῦ λαμβάνουσιν, ἐν ἐκείνοις δὲ τὴν βάσανον ἣν ἀπέφυγον. Ὥστε τοσοῦτον μᾶλλον τῇ θείᾳ χάριτι 451 χρεώστας εἶναι ἑαυτοὺς εἰς τὸν αἰῶνα ἐπιγνώσονται, ὅσον ἐκείνους κρινομένους ἐν τοῖς κακοῖς εἰς τὸν αἰῶνα θεωροῦσιν, ἅπερ αὐτοὶ διὰ τῆς τοῦ Θεοῦ βοηθείας ἐνίκησαν.

ΠΕΤΡ. Καὶ ποῦ θήσομεν τὸ ἁγίους αὐτοὺς ὑπάρχειν, ἐὰν ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν οὐκ εὔχωνται, οὓς τότε καιομένους θεωροῦσιν, οἷς ἐρρέθη· [c] Εὔχεσθε ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν ὑμῶν.

ΓΡΗΓΟΡ. Εὔχονται μὲν ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν αὐτῶν, ἐν ἐκείνῳ δὲ τῷ καιρῷ ἐν ᾧ δύνανται εἰς τὴν τῆς μετανοίας καρποφορίαν τὴν καρδίαν αὐτῶν ἐπιστρέψαι, καὶ διὰ ταύτης τῆς ἐπιστροφῆς σῶσαι. Τί γὰρ καί ἐστιν ἕτερον ὑπὲρ τῶν ἐχθρῶν προσεύξασθαι, εἰ μὴ τοῦτο, ὅπερ ὁ ἀπόστολος λέγει· Ἵνα δῷ αὐτοῖς ὁ Θεὸς μετάνοιαν εἰς ἐπίγνωσιν ἀληθείας, καὶ ἀνανήψωσιν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου παγίδος, ἐζωγρημένοι ὑπ' αὐτοῦ εἰς τὸ ἐκείνου θέλημα; πῶς δὲ ὑπὲρ αὐτῶν τότε προσεύξονται, ὅτε λοιπὸν οὐδαμῶς δύνανται ἐκ τῶν τῆς [d] ἀνομίας ἔργων πρὸς δικαιοσύνην αὐτοὺς ἐπιστρέψαι. Ὅμοιον δὲ τοῦτο ὑπάρχει τὸ ὑπὲρ ἀνθρώπων τῶν τῷ αἰωνίῳ πυρὶ κατακριθέντων τότε προσεύξασθαι, οἷον νῦν τὸ ὑπὲρ τοῦ διαβόλου καὶ τῶν ἀγγέλων αὐτοῦ προσεύχεσθαι τῶν τῇ αἰωνίῳ βασάνῳ ὡρισθέντων. Ὅθεν οὐδὲ ἐν τῷ νῦν αἰῶνι οἱ ἅγιοι ἄνδρες ὑπὲρ ἀνθρώπων ἀπίστων καὶ [e] ἀσεβῶν προσεύχονται, οὕσπερ τῇ αἰωνίῳ βασάνῳ ὁρισθῆναι ἔγνωσαν, ἀποφεύγοντες ἵνα μὴ τὸ τῆς εὐχῆς αὐτῶν ἀξίωμα ἐνώπιον [f] τοῦ Θεοῦ ἐξουδενωθῇ. Ἐὰν οὖν οἱ ζῶντες νῦν δίκαιοι τῶν τελευτησάντων

PETR. Scire velim quomodo justum sit ut culpa quæ cum fine perpetrata est sine fine puniatur.

GREGOR. Hoc recte diceretur, si districtus judex non corda hominum, sed facta pensaret. Iniqui enim ideo cum fine deliquerunt, quia cum fine vixerunt. Nam voluissent utique (*De pœnitentia Dist.* 1, *c.* 60), si potuissent, sine fine vivere, ut potuissent sine fine peccare. Ostendunt enim quia in peccato semper vivere cupiunt, qui nunquam desinunt peccare dum vivunt. Ad magnam ergo justitiam judicantis pertinet ut nunquam careant supplicio, qui in hac vita nunquam voluerunt carere peccato.

PETR. Sed nullus justus crudelitate pascitur, et delinquens servus a justo domino idcirco cædi præcipitur, ut a nequitia corrigatur; ad hoc ergo vapulat, ut emendari debeat. Iniqui autem gehennæ ignibus traditi, si ad correctionem non perveniunt, [g] quo fine semper ardebunt?

GREGOR. Omnipotens Deus, quia pius est, miserorum cruciatu non pascitur; quia vero justus est, ab iniquorum ultione in perpetuum non sedatur. Sed iniqui omnes æterno supplicio deputati, sua quidem iniquitate puniuntur, et tamen ad aliquid ardebunt, scilicet ut justi omnes et in Deo videant gaudia quæ percipiunt, et in illis respiciant supplicia quæ evaserunt, quatenus tanto magis in æternum gratiæ divinæ **452** debitores se esse cognoscant, quanto in æternum mala puniri conspiciunt quæ ejus adjutorio vicerunt.

PETR. Et ubi est quod sancti sint, si pro inimicis suis quos tunc ardere viderint non orabunt, quibus utique dictum est: *Pro inimicis vestris orate* (*Matth.* v, 44)?

GREGOR. Pro inimicis suis orant eo tempore quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda [h] convertere, atque ipsa conversione salvare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod Apostolus ait: *Ut det illis Deus pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, et resipiscant a diaboli laqueis, a quo* [i] *captivi tenentur ad ipsius voluntatem* (*II Tim.* II, 25)? Et quomodo pro illis tunc orabunt, qui jam nullatenus possunt ad justitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque causa est cur non oretur tunc pro hominibus igni æterno damnatis, quæ nunc etiam causa est ut non oretur pro diabolo angelisque ejus æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est ut non orent sancti homines pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, nisi quia [j] pro eis utique quos æterno deputatos supplicio jam noverunt, ante illum judicis justi conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viventes justi mortuis et damnatis injustis mi-

[a] Ms., ἤθελον εἰ ἦν δυνατόν.
[b] Ms., οὐ τέρπεται.
[c] Ms., εὔχεσθε.
[d] Ms., τῆς ἁμαρτίας.
[e] Ms., καὶ ἀσεβῶν τελευτησάντων.
[f] Ms., τοῦ δικαίου κριτοῦ.
[g] Primus And. et Laud., *quo sine fine semper ard.*
[h] Al., *converti . . . . salvari.*
[i] Germ., Genet. et alii Norm., *capti.*
[j] Carnot. secundus et tertius cum Norm., *de eis.* Prior Carnot., *nisi quia eos utique quos æterno suppl. deputatos jam noverunt . . . . causa refugiant.*

nime compatiuntur, quando adhuc aliquid judicabile de sua carne sese perpeti etiam ipsi noverunt; quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando, ab omni vitio corruptionis exuti, ipsi jam justitiæ vicinius atque arctius inhærebunt? Sic quippe eorum mentes per hoc quod justissimo judici inhærent vis districtionis absorbet, ut omnino eis non libeat quidquid ab illius æternæ regulæ subtilitate discordat.

PETR. Non est jam quod responderi debeat apertæ rationi. Sed hæc nunc quæstio mentem movet, quomodo anima immortalis dicitur, dum constet quod in perpetuo igne [a] moriatur.

## CAPUT XLV.

*Quomodo anima immortalis dicitur, si constat quod mortis damnatione puniatur.*

GREGORIUS. Quia duobus modis vita dicitur, duobus etiam modis mors debet intelligi. Aliud namque est quod in Deo vivimus, aliud vero quod in hoc quod conditi vel creati sumus; [b] id est, aliud beate vivere, atque aliud est essentialiter. Anima itaque et mortalis esse intelligitur, et immortalis. Mortalis quippe, quia beate vivere amittit; immortalis autem, quia essentialiter vivere nunquam desinit, et naturæ suæ vitam perdere non valet, nec cum in perpetua fuerit morte damnata. Illic enim posita [c] beata esse perdit, et esse non perdit. Qua ex re [d] cogitur semper, ut et mortem sine morte, et defectum, sine defectu, et finem sine fine patiatur; **453** quatenus ei mors immortalis sit, et defectus indeficiens, et finis infinitus.

PETR. Quis hanc tam inexplicabilem damnationis sententiam, cujuslibet sit operis, ad exitum veniens non pertimescat, quando etsi jam novit quod egit, adhuc tamen facta illius quam subtiliter judicentur ignorat?

## CAPUT XLVI.

*De quodam sancto viro qui ad mortem veniens expavit.*

GREGORIUS. Ut asseris ita est, Petre. Sed plerumque de culpis minimis ipse solus pavor egredientes justorum animas purgat, sicut narrari de quodam sancto viro mecum frequenter audisti. Qui ad mortem veniens vehementer timuit, sed post mortem discipulis in stola alba apparuit, et quam præclare sit susceptus indicavit.

## CAPUT XLVII.

*Quod quidam ne in morte timeant, revelatione roborantur; et de Antonio, et Merulo, et Joanne monachis.*

Nonnunquam vero omnipotens Deus trepidantium mentes quibusdam prius revelationibus roborat, ut in morte minime pertimescant. Nam quidam mecum in monasterio frater Antonius nomine, vivebat, qui multis quotidianisque lacrymis ad gaudia patriæ cœ-

A ἀδίκων οὐδαμῶς συμπαθοῦσι, καίτοι ἀκμὴν βάσανόν τινα ἐν τῇ σαρκὶ αὐτῶν ὑπομεῖναι αὐτοὺς μὴ γνώσαντες, πόσῳ μᾶλλον ὅταν τὴν βάσανον τῶν ἀνόμων θεωροῦσιν εἰς πέρας ἐλθοῦσαν, ὅταν καὶ αὐτοὶ ἐκ παντὸς πάθους φθορᾶς λοιπὸν ἐξελθόντες, τῇ δικαιοσύνῃ προσκολληθήσονται. Οὕτω τοίνυν τῷ θελήματι τῆς ἐξετάσεως τοῦ δικαίου κριτοῦ [e] διὰ τῶν λογισμῶν προσκολληθέντες, οὐδὲν παντάπασι τολμῶσι δυσωπῆσαι, ὅπερ τῇ ἔνδον αὐτοῦ ἀκριβεστάτῃ βουλῇ οὐ [f] συνᾴδει.

ΠΕΤΡ. Οὐκ ἔστι λοιπὸν ὅπερ ἀποκριθῆναι [g] δύναμαι, ἀνεῳγμένης σαφῶς τῆς ἀπολογίας. Ἀλλὰ νῦν αὕτη ἡ ξήτησις τὸν νοῦν κινεῖ, πῶς ἡ ψυχὴ ἀθάνατος λέγεται, ὥσπερ καί ἐστιν, ἐν δὲ τῷ αἰωνίῳ πυρὶ ἀποθνήσκει.

## ΚΕΦΑΛ. ΜΖ'.

Ἐρώτησις πῶς ἡ ψυχὴ ἀθάνατος λεγομένη ὡς γέγραπται, τῇ τοῦ θανάτου κρίσει ὑποβάλλεται.

B

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Ἐπειδὴ ἐν δυσὶ τρόποις ἡ ζωὴ λέγεται, ἐν δυσὶ τρόποις καὶ ὁ θάνατος ἐφείλει νοηθῆναι. Ἕτερον οὖν ἐστιν ὅπερ ἐν Θεῷ ζῶμεν, καὶ ἕτερον ἐν τούτῳ ὅπερ ἐκτίσθημεν καὶ γεγόναμεν· τουτέστιν, ἕτερόν ἐστι [h] μακαρίως ζῆσαι, καὶ ἕτερον οὐσιωδῶς. Ἡ ψυχὴ οὖν καὶ θνητὴ ὑπάρχειν νοεῖται, καὶ ἀθάνατος. Θνητὴ οὖν, ὅτι μακαρίως ζῆσαι ἀποβάλλεται, ἀθάνατος δὲ, ὅτι πνευματικῶς ζῶσα οὐδέποτε ἀφίσταται, τῆς δὲ φύσεως αὐτῆς τὴν ζωὴν ἀπολέσαι οὐ δύναται, οὐδὲ ὅταν ἐν κατακρίσει εἰς τὸν αἰώνιον γένηται θάνατον. Ἐκεῖ μὲν γὰρ ὑπάρχουσα, τὸ μακαρία εἶναι ἀπολεῖ, τὸ δὲ εἶναι αὐτήν, οὐκ ἀπολεῖ. Ἐξ οὗ πράγματος συνίσταται, ὅτι καὶ θάνατον ἄνευ θανάτου, καὶ ἔκλειψιν ἄνευ ἐκλείψεως, καὶ τέλος ἄνευ τέλους **454** ὑπομένει. Ἵνα καὶ ὁ θάνατος ἀθάνατος αὐτῇ γένηται, καὶ

C ἡ ἔκλειψις μὴ ἐκλείπουσα, καὶ τέλος ἀτελεύτητον.

ΠΕΤΡ. Τίς τὴν τοσαύτην ἀπλήρωτον τῆς κατακρίσεως ψῆφον, οἵου δι' ἂν ἔργου ὑπάρχει, πρὲς τὴν ἔξοδον ἐρχόμενος οὐ φοβηθήσεται, ὅτε λοιπὸν καὶ τὸ τί ἔπραξεν [i] ἐπιγνώσκεται, πῶς δὲ μέλλουσι τὰ ἔργα αὐτοῦ μετὰ ἀκριβείας κρίνεσθαι ἀγνοεῖ;

## ΚΕΦΑΛ. ΜΗ'.

Περί τινος ἁγίου φοβηθέντος τὸν θάνατον.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Οὕτως ἐστὶ καθὼς εἴρηκας, ὅμως, Πέτρε. Περὶ πταισμάτων ἐλαφροτέρων τὰς τῶν δικαίων ἐξερχομένας ψυχὰς αὐτὸς καὶ μόνος ὁ φόβος καθαίρει, καθὼς παρά [j] τινος ἀκήκοα. Ἔλεγε γὰρ ὅτι ἐν τῷ θανάτῳ ἐλθών, σφόδρα ἐφοβήθη. Μετὰ δὲ θάνατον τοῖς ἑαυτοῦ μαθηταῖς ἐν στολῇ λευκῇ φανείς, ἐν ποίᾳ λαμπρότητι ὑπῆρχεν ἐμήνυσε.

## ΚΕΦΑΛ. ΜΘ'.

D

Ἐρώτησις πῶς τινες μὴ φοβεῖσθαι τὸν θάνατον δι' ἀποκαλύψεως ἐπιστηρίζονται, καὶ περὶ Ἀντωνίου καὶ Μερούλλου τῶν μοναχῶν.

Πολλάκις δὲ καὶ πρὸ τῆς τελευτῆς ὁ παντοδύναμος Θεός τινων δειλιώντων τοὺς διαλογισμοὺς ἀποκαλύψεσί τισιν ἐπιστηρίζει, ἵνα ἐν τῷ θανάτῳ ἐρχόμενοι, μηδὲν φοβηθῶσιν. Ἀδελφός γάρ τις μετ' ἐμοῦ ἐν τῷ μοναστηρίῳ [k] ὑπάρχων, ὀνόματι Ἀντώνιος, ἐν καθημερινῷ πένθει καὶ

[a] Beccensis, *igne cruciatur*.
[b] Plerique Norm., *item aliud est*.
[c] Duo Theod., secundus Gemet. et alii Norm., *beate esse perdit*, Carnot., *beatæ esse perdit*. Prioribus Mss. favet Ms. Regius Gr. Vers.
[d] Becc., *colligitur*.
[e] Ms., διὰ τὸν λογισμόν.
[f] Ms., συνάδῃ.
[g] Ms., δύναται.
[h] Ms., μακαρίως εἶναι.
[i] Ms., ἐπιγνώσεται.
[j] Ms., τινος ἁγίου ἀνδρός.
[k] Ms., διάγων.

δάκρυσιν ἀδιαλείπτοις ἠγωνίζετο περὶ τοῦ ἐπιτυχεῖν αὐτὸν τῆς χαρᾶς τῆς ἐν τῇ ἐπουρανίῳ πατρίδι [a] ἐπικειμένης, μετὰ πολλοῦ πόθου καὶ ἐπιμονῆς τὰ ἱερὰ μελετῶν λόγια, οὐχὶ γνώσεως ῥήματα ἐν αὐτοῖς ἐπιζητῶν, ἀλλὰ [b] κλαυθμοῦ καὶ κατανύξεως, ὅπως διὰ τούτων ὁ λογισμὸς αὐτοῦ ἀνάκηψας, τὰ ἐπίγεια καταλιπὼν, ἐν [c] τῇ ἐπουρανίῳ πατρίδι διὰ θεωρίας μετάρσιος γένηται. Τούτῳ οὖν διὰ νυκτερινῆς ὀπτασίας ἐῤῥέθη· Ἕτοιμος γενοῦ. Ὁ γὰρ κύριος ἐκέλευσεν ἵνα μετάρῃς. Ἐκείνου δὲ εἰρηκότος μὴ ἔχειν ἐν ἑτοίμῳ τὰ δέοντα πρὸς τὸ μετάραι αὐτὸν, παρευθὺ ἀπολογίας ἤκουσε πρὸς αὐτὸν λεγούσης· Ἐὰν περὶ τῶν ἁμαρτιῶν σου ἐστὶν ὅπερ λέγεις, συνεχωρήθησάν σοι. Τοῦτο δὲ ἅπαξ ἀκούσας, ἐν μεγάλῳ φόβῳ καὶ [d] δειλίᾳ ἔτι ὑπῆρχεν. Ἐν δὲ ἑτέρᾳ νυκτὶ πάλιν τοῖς αὐτοῖς λόγοις ἐχρηματίσθη. Μετὰ δὲ πέντε ἡμέρας πυρετῷ συσχεθεὶς, πάντων τῶν ἀδελφῶν κλαιόντων καὶ εὐχομένων πρὸς κύριον ἐξεδήμησεν. **B**

Ἕτερος δὲ ἀδελφὸς ἐν τῷ αὐτῷ μοναστηρίῳ Μέρουλλος λεγόμενος, σφοδροτάτοις δάκρυσι καὶ τῇ ἐλεημοσύνῃ προσεκαρτέρει. Ἡ δὲ ψαλμῳδία ἐκ τοῦ στόματος αὐτοῦ ἐν οὐδενὶ καιρῷ [e] διελίμπανε, πάρεξ τῆς ὥρας τοῦ μεταλαβεῖν αὐτὸν τροφῆς, καὶ διαναπαῦσαι ἐν τῷ ὕπνῳ τὸ σῶμα. Τούτῳ διὰ νυκτερινῆς ὀπτασίας ἐφάνη, ὅτι ἐκ λευκῶν ἀνθέων στέφανος ἀπ' οὐρανοῦ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ κατήρχετο. Ὅστις εὐθέως τῇ τοῦ σώματος [f] ἀῤῥωστίᾳ κατασχεθεὶς, μετὰ πολλῆς ἀμεριμνίας, καὶ ψυχῆς ἱλαρότητος ἐτελεύτησε. Μετὰ δὲ χρόνους δεκατέσσαρας, πλησίον τοῦ μνήματος ἐν ᾧ ἐτάφη, Πέτρος ὁ νυνὶ τῆς αὐτῆς μονῆς **455** προεστὼς, μνῆμα ἑαυτῷ [g] ποιῆσαι ἐθέλησε. Κάμνοντος δὲ αὐτοῦ ἐκεῖσε, καθὼς λέγει, τοσαύτη ὄσφρησις εὐωδίας ἐκ τοῦ μνήματος ἀνῆλθεν, ὡς ὅτι παντοίων ἀνθῶν ἐκεῖσε συνηγμένων ἡ ὄσφρησις ἀπεπέμφθη. **C** Ἐξ οὗ πράγματος φανερὸν καθίσταται, ὅτι ἀληθὲς ὑπῆρχεν ὅπερ διὰ τῆς ὀπτασίας τῆς νυκτερινῆς ἐθεάσατο.

Ἕτερος δὲ ἐν αὐτῷ τῷ μοναστηρίῳ Ἰωάννης λεγόμενος, νέαν ἄγων τὴν ἡλικίαν ἐν πολλῇ γνώσει καὶ γλυκύτητι ταπεινώσεως [h] καὶ μεγαλοπόνου ἀσκήσεως ὑπῆρχεν, ὥστε ὑπερβαίνειν τοὺς ἀγῶνας [i] τὴν κῆραν αὐτοῦ. Τούτου ἀσθενήσαντος, καὶ ἐν τοῖς ἐσχάτοις ἐλθόντος, διὰ νυκτερινῆς ὀπτασίας, γέρων τίς ὤφθη ῥάβδον κατέχων, καὶ τοῦτον τῇ ῥάβδῳ ἔνυξε, λέγων· Ἀνάστα, ἐκ ταύτης γὰρ τῆς ἀσθενείας ἀρτίως οὐχ ἀποθνήσκεις, ἕτοιμος δὲ γενοῦ, ἰ ἐπεὶ χρόνον ἐπίμηκον ἐνθάδε ποιῆσαι οὐκ ἔχεις. Ἐν ᾧ δὲ λοιπὸν παρὰ τῶν ἰατρῶν ἀπελπισθεὶς ὑπῆρχε, παρα-

A lestis anhelabat. Cumque studiosissime, et cum maguo fervore desiderii sacra eloquia meditaretur, non in eis verba scientiæ, sed fletum compunctionis inquirebat, quatenus per hæc excitata mens ejus inardesceret, et ima deserens, ad regionem cœlestis patriæ per contemplationem volaret. Huic [k] per visionem nocturnam dictum est : Paratus esto, [l] et quia Dominus jussit, migra. Cumque ille non habere se sumptus ad migrandum diceret, responsum protinus audivit, dicens : Si de peccatis tuis agitur, dimissa sunt. Quod cum semel audisset, et magno adhuc metu trepidaret, nocte quoque alia eisdem verbis est admonitus. Tunc post quinque dies febre correptus, cunctis fratribus orantibus flentibusque, defunctus est.

Alius etiam frater in eodem monasterio Merulus dicebatur, vehementer lacrymis atque [m] orationibus intentus : psalmodia vero ex ore illius pene nullo tempore cessare consueverat, excepto cum aut alimentum corpori, aut membra dedisset sopori. Huic nocturna visione apparuit quod ex albis floribus corona de cœlo in caput illius descendebat. Qui mox molestia corporis occupatus, cum magna securitate animi atque hilaritate defunctus est. Ad cujus sepulcrum dum Petrus, [n] qui nunc monasterio **456** præest, sibi sepulturam facere post annos quatuordecim voluisset, tanta, ut asserit, de eodem sepulcro illius fragrantia suavitatis emanavit, ac si illic florum omnium fuissent odoramenta congregata. Qua ex re manifeste patuit quam verum fuit quod per nocturnam visionem vidit.

In eodem quoque monasterio alius quidam [o] Joannes dictus est, magnæ indolis adolescens, [p] qui ætatem suam intellectu et humilitate, dulcedine et gravitate transibat. Huic ægrotanti atque ad extremum deducto, per nocturnam visionem quidam senex apparuit, et hunc virga tetigit, eique dixit : Surge, ex hac enim molestia modo minime morieris, sed paratus esto, quia longum tempus hic facturus non eris. Qui dum jam esset a medicis desperatus, repente sanatus est, atque convaluit. Rem quam

[a] Ms., ἀποκειμένης.
[b] Ms., κλαυθμὸν κατανύξεως.
[c] Ms., τῇ ἐπουρανίου πατρίδος θεωρίᾳ.
[d] Ms., δειλίᾳ γέγονεν.
[e] Ms., ἐξέλειπε.
[f] Ms., ἀσθενείᾳ.
[g] Ms., ποιῆσαι θελήσας κάμνοντος.
[h] Ms., καὶ πόνῳ ἀσκήσεως.
[i] Ms., τὴν κείραν. Utrumque dici et pro ætate usurpari probat Cangius in Gloss. Græc.
[j] Ms., ἐπειδὴ χρόνον.
[k] De oniromantia plurimi scripserunt, vani vana. J. Launoius, theologus Paris., in lib. quem de viso Simonis Stochii inscripsit, cap. 7, ubi visum ejusmodi dilapidat, octo refert de somniis judicia haud spernenda. Legesis illud quod Theologiæ Facultas Paris. tulit ann. 1534, Januarii 24, quod ex illis octo unum est: hoc cum fenore percurres. Gussanv.
[l] Ita Germ., Theod., Val. Cl., Norm., etc. In Editis, omissa particula *et*, legitur: *quia Dominus jussit migrare te.*
[m] In vulgatis, contra Mss. nostrorum fidem, *atque eleemosynis.* Certe monachum nihil possidentem magis decent orationes quam eleemosynæ.
[n] Bigot., *qui huic monast*, scilicet sancti Andreæ.
[o] De eo et de duobus aliis sanctis monachis agit Martyrol. Rom., ad 17 d. Januarii.
[p] Ita primus Germanensis, cui consentiunt Mss. Theod., Val. Cl., Norm. In secundo German. legitur, *qui ultra ætatem .... transibat.* In tertio, *qui ætat..... superabat.* In Regio, *qui ætat.... transiebat.* Joan. Diac., lib. I, cap. 20 Vitæ sancti Gregorii hæc eadem referens habet, *qui ætatem .... transcendebat.* Simile aliquid legitur initio lib. II Dialog. in Prologo, *ætatem moribus transiens.* Et hom. 14 in Evang., n. 5 : *ibi pueri qui hic annos suos moribus transcenderunt.* Ad hæc non attenderunt Editores, cum pro *transibat*, usurparunt, *transigebat*, inconsultis manuscriptis.

viderat narravit ; seque per biennium in Dei servitio, sicut prædixi, ultra ætatis suæ annos exhibuit. Ante hoc autem triennium, cum quidam frater fuisset mortuus, atque in ejusdem monasterii cœmeterio a nobis sepultus, cunctis nobis ab eodem cœmeterio exeuntibus, idem Joannes, sicut postmodum pallens et tremens indicavit, illic nobis discedentibus inventus, ab eodem fratre qui mortuus fuerat de sepulcro vocatus est. Quod mox etiam subsequens finis edocuit. Nam post dies decem, invasus febribus carne solutus est.

PETR. Doceri velim si hoc quod per nocturnas visiones ostenditur debeat observari.

## CAPUT XLVIII.

### *An observanda sint somnia, et quot sint modi somniorum.*

GREGORIUS. In hoc, Petre, sciendum est quia sex modis tangunt animum imagines somniorum. Aliquando namque somnia ventris plenitudine vel inanitate, aliquando vero illusione, aliquando cogitatione simul et illusione, aliquando revelatione, aliquando autem cogitatione simul et revelatione generantur. Sed duo [a] quæ prima diximus, omnes experimento cognoscimus ; subjuncta autem quatuor, in sacræ Scripturæ paginis invenimus. Somnia etenim, nisi plerumque ab occulto hoste per illusionem fierent, nequaquam hoc vir sapiens indicaret, dicens : *Multos enim errare fecerunt somnia, et excidérunt sperantes in illis* (*Eccle.* XXXIV, 7). Vel certe, *Non augurabimini, nec observabitis somnia* (*Levit.* XIX, 26 ). Quibus profecto verbis cujus sint detestationis ostenditur, quæ auguriis conjunguntur. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul et illusione procederent, [b] vir sapiens minime dixisset : *Multas curas sequuntur somnia* (*Eccle.* III, 15). Et nisi aliquando somni ex mysterio revelationis orirentur (*Genes.* XXXVII), nec Joseph præferendum se fratribus somnio videret (*Matth.* II); nec sponsum Mariæ, ut ablato **457** puero in Ægyptum fugeret, per somnium Angelus admoneret. Rursum nisi aliquando ex cogitatione simul et revelatione procederent, nequaquam Daniel propheta, Nabuchodonosor visionem disserens, a radice cogitationis inchoasset, dicens : *Tu rex cœpisti cogitare in stratu tuo quid esset futurum post hæc, et qui revelat mysteria ostendit tibi quæ ventura sunt* (*Dan.* II, 29). Et paulo post : *Videbas, et ecce quasi statua una grandis, statua illa magna, et statura sublimis stabat contra te* (*Ibid.*, 31), etc. Daniel itaque dum somnium et implendum [c] reverenter insinuat, et ex qua ortum sit cogitatione manifestat, patenter ostenditur, quia hoc plerumque ex cogitatione simul et revelatione generetur.

[a] Editi, *quæ primo*, renuentibus Mss.
[b] Taius, lib. IV, cap. 7, *Salomon.*
[c] Lyr. et primus Aud., *revelantur.*

Χρῆμα ὑγίανεν, καὶ τὴν ὀπτασίαν ἣν ἐθεάσατο, διηγήσατο. Ἑαυτὸν δὲ εἰς τὴν τοῦ Θεοῦ δουλείαν, καθὼς προεῖπον, ὑπὲρ τὴν κῆραν αὐτοῦ ἀγωνιζόμενος μέχρι δύο ἐτῶν συνέσφιγξεν. Πρὸ δὲ τῆς τριετίας ταύτης, ἑτέρου τινὸς ἀδελφοῦ τελευτήσαντος, καὶ ἐν τῷ κοιμητηρίῳ τοῦ αὐτοῦ μοναστηρίου παρ' ἡμῶν ταφέντος, πάντων ἡμῶν ἐκεῖθεν ἐξελθόντων, ὁ αὐτὸς Ἰωάννης, καθὼς ἐν ὑστέρῳ ἀλλοχροῶν καὶ τρέμων διηγήσατο, παρὰ τοῦ ἀποθανόντος ἀδελφοῦ ἐκ τοῦ μνήματος ἐκλήθη. Ὅνπερ λοιπὸν εὐθέως ἐπακολουθήσαντα τὸ τέλος ἔδειξε. Μεθ' ἡμέρας γὰρ δέκα, πυρετῷ κατασχεθείς, τῶν δεσμῶν τοῦ σώματος ἀπελύθη.

ΠΕΤΡ. Διδαχθῆναι θέλω, ἐὰν τοῦτο, ὅπερ διὰ τῆς νυκτερινῆς ὁράσεως δείκνυται, παραφυλάττεσθαι [d] ὀφείλει.

ΚΕΦΑΛ. Ν'.

Ἐρώτησις ἐὰν χρὴ παραφυλάττεσθαι τὰ ὀνείρατα, καὶ ἐκ ποίων τρόπων γίνονται.

ΓΡΗΓΟΡΙΟΣ. Γνωστὸν, Πέτρε, ὑπάρχει, ὅτι κατὰ ἓξ τρόπους ἅπτονται τῇ ψυχῇ αἱ τῶν ἐνυπνίων εἰκόνες. Ποτὲ μὲν γὰρ τῆς κοιλίας πληρουμένης καὶ ἀδυνατούσης τὰ ἐνύπνια [e] γένωνται, ποτὲ δὲ δι' ἐμπαιγμοῦ, ποτὲ δὲ πάλιν διὰ τῶν λογισμῶν ὁμοῦ καὶ ἀποκαλύψεως. Καὶ τὰ μὲν δύο, ἅπερ πρότερον εἴπομεν, πάντες διὰ πείρας γινώσκομεν ὑπεζεῦχθαι ἡμῖν. Τὰ δὲ τέσσαρα, ἐν ταῖς δέλτοις τῆς θείας γραφῆς [f] εὑρίσκομεν. Τὰ γὰρ ἐνύπνια εἰ μὴ ἐν ἀσφαλείᾳ παρὰ τοῦ κρυπτοῦ ἐχθροῦ ἐγίνοντο, [g] οὐδαμῶς ἀνὴρ σοφὸς τοῦτο ἐσήμαινε, λέγων· Ὅτι πολλοὺς τὰ ἐνύπνια πλανηθῆναι [h] πεποίηκαν, καὶ ἀπώλοντο, ἐλπίζοντες ἐπ' αὐτοῖς. Ὡσαύτως· Μηδὲ μαντεύεσθαι, μηδὲ παραφυλάττειν ἐνύπνια. Οἷς λόγοις πρόδηλον τίνος εἰσί [i] διὰ μαρτυρίας δείκνυται, ἃ ταῖς μαντείαις συζευγνύονται. Καὶ πάλιν εἰ μή ποτε διὰ τῶν διαλογισμῶν ὁμοῦ καὶ ἐμπαιγμοῦ προήρχοντο, οὐδαμῶς ὁ αὐτὸς σοφὸς ἀνὴρ ἔλεγε· Πολλαὶ μέριμναι ἀκολουθῶσι τοῖς ἐνυπνίοις. Καὶ πάλιν, εἰ μή ποτε τὰ ἐνύπνια δι' ἀποκαλύψεως ἐγίνοντο, οὐχ ἂν ὁ Ἰωσὴφ προβιβασθέντα ἑαυτὸν τῶν ἀδελφῶν αὐτοῦ δι' ἐνυπνίου ἐθεάσατο, οὐδὲ τὸν τῆς παρθένου Μαρίας μνήστορα δι' ἐνυπνίων **458** ὁ ἄγγελος [j] ἐχρημάτισεν ἐπᾶραι τὸ παιδίον καὶ φεύγειν εἰς Αἴγυπτον. Ὁμοίως δὲ πάλιν, εἰ μὴ διὰ τῶν λογισμῶν ὁμοῦ καὶ δι' ἀποκαλύψεως τὰ ἐνύπνια προήρχοντο, οὐκ ἂν Δανιὴλ ὁ προφήτης τὴν τοῦ Ναβουχοδονόσωρ ὅρασιν ἑρμηνεύων, ἀπὸ τῆς ῥίζης διὰ τοῦ λογισμοῦ ἤρξατο, λέγων· Σὺ, βασιλεῦ, ἐπὶ τῆς κοίτης σου διαλογίσασθαι ἤρξου τί μέλλει ἔσεσθαι. Μετὰ δὲ τοῦτο, καὶ ὁ ἀποκαλύπτων μυστήρια ἐφανέρωσέ σοι τὰ μέλλοντα. Καὶ μετ' ὀλίγον· Ἰδοὺ ἐθεώρεις ὅτι εἰκὼν ἵστατο ἐναντίον σου, καὶ ἡ εἰκὼν ἐκείνη μεγάλη καὶ ὑψηλή, καὶ τὰ λοιπὰ δὲ πάντα τοῦ ὀνείρου. καὶ τὸ τέλος ἀσφαλῶς ὁ Δανιὴλ ἀναγγέλλει, καὶ τὸ ἐκ ποίου διαλογισμοῦ καὶ ἀποκαλύψεως γεννᾶται. Ὅθεν λοιπὸν ἐν ὅσῳ τοσούτοις εἴδεσι πραγμάτων τὰ ὀνείρατα ἀμφιβάλλονται, [k] οὐκ ὀφείλουσιν αὐτοῖς πιστεύειν ἐν τῷ μὴ διαγινώσκειν εὐκόλως ἐκ ποίας ὑποβολῆς ἀνέρχονται. Οἱ δὲ ἅγιοι ἄνδρες μεταξὺ τῶν ἐμπαιγμῶν καὶ ἀποκα-

quo nomine designari auctorem libri Eccles. a nostro Greg. jam observavimus. Vide lib. XXVII Moral., n. 53.

[d] Ms., ὀφείλῃ.
[e] Ms., γένωντο. Ποτὲ δὲ δι' ἀποκαλύψεως, ποτὲ δὲ πάλιν διὰ τῶν λογισμῶν ὁμοῦ καὶ ἀποκαλ. καὶ τὰ μέν.
[f] Ms., εὑρίσκονται.
[g] Ms., οὐκ ἄν τις ἀνὴρ σοφὸς, *quidam vir sapiens ;*
[h] Ms., πεποιήκασι.
[i] Fortasse, διαμαρτυρίας, una voce.
[j] Ms., ἐχρημάτισε λέγων, παράλαβε τὸ παιδίον καὶ φεῦγε εἰς Αἴγυπτον.
[k] Ms., οὐκ ὀφείλει.

λύψεων αὐτὰς τὰς τῶν ὁράσεων εἰκόνας ἐνδοτάτῳ τινὶ διακρίσει δικάζουσιν, ὥστε αὐτοὺς ἐπιγνῶναι τί παρὰ τοῦ [a] ἀγαθοῦ πνεύματος λαμβάνουσι, τί δὲ παρὰ τοῦ [b] ἐμπαίζοντος ὑπομένουσιν. Ἐὰν γὰρ ὁ νοῦς περὶ τῶν τοιούτων ἐν ἀσφαλείᾳ οὐ διαγινώσκει, [c] ἐν πολλαῖς αὐτῶν ἀπάταις τὸ παραδειγματίζον πνεῦμα καταποντίζει. Πολλάκις γὰρ αὐτῷ ἀληθινὰ πλεῖστα προλέγει, ἵνα εἰς τὰ ἔσχατα δυνηθῇ ἐκ μιᾶς οἱασοῦν πλάνης τὴν ψυχὴν παγιδεῦσαι.

Τοῦτο δὲ γνωστὸν ἔστω, ὅτι ἐκεῖνος [b] τῶν αὐτοῦ πταισμάτων συγχώρησιν ὀρθῶς αἰτεῖται, ὅστις πρότερον τὰ εἰς αὐτὸν πλημμεληθέντα συγχωρεῖ. Τὸ δῶρον γὰρ [c] οὐ λαμβάνεται, εἰ μὴ πρῶτον τὴν ἔχθραν ἐκ ψυχῆς ἐξωθοῦται, τῆς ἀληθείας λεγούσης· Ἐὰν προσφέρῃς τὸ δῶρόν σου ἐπὶ τὸ θυσιαστήριον, καὶ ἐκεῖ μνησθῇς ὅτι ὁ ἀδελφός σου ἔχει τι κατά σου, [d] ἄφες ἐκεῖ τὸ δῶρον ἔμπροσθεν τοῦ θυσιαστηρίου, καὶ ὕπαγε, πρῶτον διαλλάγηθι τῷ ἀδελφῷ σου, καὶ τότε ἐλθὼν πρόσφερε τὸ Ν δῶρόν σου. Ἐξ οὗ πράγματος νοητέον ἐν τῷ πᾶν τὸ πταῖσμα λύεσθαι ὡς βαρύ ἐστι τὸ πταῖσμα τῆς ἔχθρας δι' οὗ τὸ δῶρον οὐ λαμβάνεται, τοιοῦτον δῶρον ὁ Θεὸς οὐ προσδέχεται. Ὀφείλομεν οὖν τοῖς πλησίον εἰ καὶ ἐκ μήκους ἡμῶν ὑπάρχουσι, νοερῶς συναφθῆναι, καὶ αὐτοῖς μετὰ ταπεινώσεως τὴν ψυχὴν [e] ὑποτάξασθαι, καὶ διὰ καλοθελίαν αὐτοῖς εὐαρεστῆσαι. Ἡνίκα γὰρ ὁ κτίστης ἡμῶν τοιοῦτον τὸν λογισμὸν ἡμῶν ἐν Ξ ἀληθείᾳ τὸ εὐάρεστον ἡμῶν τῆς διανοίας θεωρήσῃ, ἐκ τοῦ ἁμαρτήματος ἡμᾶς λύει, ὅτι δῶρον ὑπὲρ τοῦ πταίσματος λαμβάνει. Φωνῇ δὲ τῆς ἀληθείας μαρτυρούσης ἐμάθομεν, ὅτι ὁ δοῦλος ἐκεῖνος, ὅστις τάλαντα δέκα ὤφειλεν, ὡς μετάνοιαν καθαρὰν ἐποίησε, διάλυσιν παρὰ κυρίου εἴληφεν· ἀλλ' ὅτι τῷ συνδούλῳ αὐτοῦ, τῷ ἑκατὸν δηνάρια ὀφείλοντι αὐτῷ τὸ ὀφειλόμενον οὐκ ἀφέθη, καὶ τοῦτό ἐστι προσταχθὲν ἀπαιτεῖσθαι, ὅπερ

## CAPUT LX.

*De relaxandis culpis alienis, ut nostræ nobis relaxentur.*

Sed inter hæc sciendum est quia ille recte sui delicti veniam postulat, qui prius hoc quod in ipso de- C linquitur relaxat. Munus enim non accipitur, nisi ante discordia ab animo repellatur, dicente Veritate: *Si offers munus tuum* [g] *ante altare, et ibi recordatus fueris quia frater tuus habet aliquid adversum te,* [h] *relinque munus tuum ante altare, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* v, 23). Qua in re pensandum est, cum omnis culpa munere solvatur, quam gravis est culpa discordiæ, pro qua nec munus accipitur. Debemus itaque ad proximum quamvis longe positum, longeque disjunctum, mente ire, eique animum subdere, humilitate illum ac benevolentia placare, ut scilicet Conditor noster dum tale placitum nostræ mentis aspexerit, a peccato nos solvat, qui munus pro cul- D pa sumit (*Matth.* XVIII, 27). Veritatis autem voce attestante, didicimus quia servus qui decem millia talenta debebat, cum pœnitentiam ageret, absolutionem debiti a Domino accepit; sed quia conservo suo centum sibi denarios debenti debitum non dimisit, et hoc est jussus exigi quod ei fuerat jam dimissum. Ex quibus videlicet dictis constat (*De pœnis, dist.* 4, *c. Constat*), quia si hoc quod in nos delinquitur, ex

[a] Ms., συνέπεσεν ἔτι, μὴ ἐπιλαθωμένη γὰρ ὅπερ ᾔτυξατο.
[b] Ms., τῶν ἑαυτοῦ πταισ.
[c] Ms., οὐ λήψεταί τις εἰ μὴ πρότερον ἡ κακία ἐκ τῆς ψυχῆς ἀποδιωχθῇ, αὐτὴ γὰρ ἡ ἀλήθεια εἴρηκεν· ἐὰν.
[d] Ms., ἄφες τὸ δῶρον σου κείμενον ἔμπροσθεν.
[e] Ms., ὑποτάξαι.
[f] Vat. Cl. et Beec., *accepta Deo.*
[g] Duo Gemet. aliique Norm., excepto Beec., habent cum Vat. Cl., *ad altare.*
[h] Idem Gemet., *relinque ibi munus*, etc.

corde non dimittimus, et [a] illud rursus a nobis exigitur quod nobis jam per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Igitur dum per indulti temporis spatium licet, dum judex sustinet, dum conversionem nostram is qui culpas examinat exspectat, conflemus in lacrymis duritiam mentis, formemus in proximis gratiam benignitatis. Et fidenter dico quia salutari hostia post mortem non indigebimus, si ante mortem Deo ipsi hostia fuerimus.

A αὐτῷ ὑπῆρχεν ἤδη ἀφιέμενον. Ἐξ ὧν δηλονότι ῥηθέντων καθίσταται, ἐὰν μὴ ἐκ καρδίας συγχωρήσωμεν τὰ εἰς ἡμᾶς πλημμεληθέντα, κἀκεῖνα πάλιν εἰσπραχθησόμεθα, ἅπερ διὰ μετανοίας συγχωρηθέντα ἐν χαρᾷ ὑπήρχομεν. Ἐν ὅσῳ οὖν καιρὸν ἀνέσεως παρὰ τοῦ κριτοῦ εἰλήφαμεν τοῦ τὰ πταίσματα ἡμῶν ἐτάζοντος, τὴν γὰρ ἐπιστροφὴν ἡμῶν ἐκδέχεται, δάκρυσι τὴν ὠμότητα τοῦ νοὸς κατατήξωμεν, καὶ πρὸς Ο τοὺς πλησίους τυπῶμεν χάριν ἀγαθότητος· καὶ πεποιθῶς λέγω, ὅτι σωτηρίου θυσίας οὐ χρήζομεν, ἐὰν πρὸ τοῦ θανάτου Θεῷ θυσία αὐτοὶ ὑπάρχωμεν.

[a] Primus Theod. et primus Gemet., Bigot. et Lyr., *et illud rursus exigimur.*

# VARIÆ LECTIONES PROLIXIORES,

## *Quæ brevibus notis comprehendi non potuerunt, litteris* A, B, Γ, Δ, *etc., designatæ.*

A Θυσία προσκομισθήσεται παρευθὺς οὖν ἀπελθὼν οὕτω πεποίηκεν ἡμῶν δὲ περὶ πραγμάτων ἑτέρων ἀσχολουμένων καὶ τὰς παρερχομένας ἡμέρας μὴ ἀριθμούντων, αὐτὸς ὁ τελευτήσας ἀδελφὸς ἐν μιᾷ νυκτὶ κοπιόσῳ τῷ γνησίῳ αὐτοῦ ἀδελφῷ καθ' ὕπνους ἐφάνη. Αὐτὸς δὲ τοῦτον θεασάμενος ἠρώτησεν αὐτὸν λέγων, ἀδελφὲ ἐν ποίοις ἐκεῖσε ὑπάρχεις. Πρὸς ὃν αὐτὸς ἀπεκρίθη, ἕως μὲν τοῦ νῦν πάνυ κακῶς ὑπῆρχον. Ἀρτίως δὲ καλῶς ὑπάρχω· σήμερον γὰρ τὴν ἁγίαν κοινωνίαν ἀπέλαβον. Τοῦτο δὲ αὐτὸς κοπιόσος παρευθὺ ἐν τῷ μοναστηρίῳ, etc.

B Περὶ αὐτοῦ κοπιόσος ἑώρακεν ἐν τῷ συνάδειν τὴν ὀπτασίαν τῇ συμπληρώσει τῆς θυσίας. Φανερῶς οὖν δείκνυται ὅτι διὰ τῆς σωτηριώδους θυσίας ὁ τεθνηκὼς ἀδελφὸς, etc.

Γ Γρηγόριος. Ὀλίγοι τῶν τελευτησάντων ἐπιστηρίζουσι τῶν ζώντων **475** τὰ ἔργα. Ἵνα μὴ εἰς δειλίαν καταπέσωμεν. Κάσιος γὰρ ὁ τῆς πόλεως Ναρνίας ἐπίσκοπος, ἀνὴρ πάνυ τῷ βίῳ εὐλαβέστατος καθ' ἡμέραν τῷ Θεῷ.

Δ Ἀποστόλων ἔρχῃ πρός με καὶ ἀποδίδωμί σοι τὸν μισθόν σου. Ὅστις μετὰ χρόνους ἑπτὰ ἐν τῇ αὐτῇ ἡμέρᾳ τῆς τῶν ἀποστόλων ἑορτῆς ἐν τῷ ἐπιτελέσαι αὐτὸν τῆς ἁγίας λειτουργίας τὰ μυστήρια, μεταλαβὼν τῆς θείας κοινωνίας, τῶν δεσμῶν ἀπελύθη τοῦ σώματος.

Ε Καὶ τοῦτο δὲ ἀκοῇ παρείληφα περί τινος ἐν αἰχμαλωσίᾳ παρὰ τῶν πολεμίων ὑπάρχοντος καὶ ἁλύσεσι δεδεμένου, ὅτι ἡ τούτου σύμβιος ἐν ἡμέραις ὡρισμέναις θυσίαν ὑπὲρ αὐτοῦ προσφέρειν εἴωθεν· ὅστις μετὰ χρόνους ἐκ τῆς αἰχμαλωσίας πρὸς τὴν ἑαυτοῦ ὑπέστρεψε σύμβιον, ἐν ποίαις ἡμέραις αἱ ἁλύσεις, etc.

Ζ Διηγήσαντο. Ὁ γὰρ ἐν μακαρίᾳ τῇ μνήμῃ προηγησάμενός με (forte μου) πατριάρχης Ἀγάθων, αὐτὸν τῆς πόλεως Πανόρμου ἐπίσκοπον ἐν τῇ Ῥώμῃ ἐλθεῖν ἐκέλευσεν, ἐν δὲ τῇ θαλάσσῃ ἐρχόμενος ἀνάγκην σφοδροτάτην ὑπέμεινεν, ὥστε λοιπὸν ἀπελπίσα αὐτὸν ἐκ τοῦ κινδύνου τῶν τοσούτων κυμάτων διασώζεσθαι. Ναύτης δέ τις ἐκ τῶν σὺν αὐτῷ πλεόντων Βαρακὰς τῷ ὀνόματι ὅστις νυνὶ τῆς αὐτῆς ἐκκλησίας κληρικὸς ὑπάρχει ὄπισθεν τοῦ πλοίου ἐν τῷ καράβῳ συρόμενος τοῦτον ἐκυβέρνα. Τοῦ δὲ σχοινίου, etc.

Η Θλιβόμενος νεκρὸν τοῦτον εἶναι ὑπελάμβανε. Διὰ δὲ τῆς ἀγάπης διακονίαν ἓν ὑπὲρ τῶν νεκρῶν χρεωστῆ πεποίηεν ὑπὲρ γὰρ ἀναπαύσεως τῆς ψυχῆς αὐτοῦ τῷ παντοδυνάμῳ Θεῷ θυσίαν προσενεχθῆναι ἐκέλευσεν. Τούτου δὲ υγονότος ἀναναινίσαντες τὸ πλοῖον ἐν τῇ Ἰταλίᾳ κατέλαβον. Ἐν τῇ πόλει δὲ πόρτου καταντήσαντες ἐκεῖσε τὸν ααύτην εὗρον ὅνπερ τελευτῆσαι ἐνόμιζον· ἐπὶ δὲ τῷ ἀπρνοσδοκήτῳ τούτῳ θαύμαι ἀγαλλιασθεὶς ὁ ἐπίσκοπος ἤρατο αὐτὸν ἐπερωτᾶν πῶςτ τοσαύτας ἡμέρας, etc.

Θ Ὕπνῳ κατενεχθεὶς μήτε πάλιν παντελῶς γρηγορῆσαι δυνάμενος μέσον δὲ τῆς θαλάσσης ὑπάρχοντος αὐτοῦ ἐφάνη τις αὐτῷ ἄρτον εἰς πλησμονὴν κομίσας. Φαγὼν δὲ καὶ ἐμπλησθεὶς δύναμιν ἀνελάβετο. Οὐ μετὰ πολὺν δὲ χρόνον ἐπερχόμενον πλοῖον ἐκ τοῦ κινδύνου καὶ τῆς τῶν κυμάτων, etc.

B Ι ἢ μετὰ δεσμοὺς ἐλευτερίαν ζητεῖν· Ὀφείλομεν οὖν τὸν παρόντα κόσμον ὅλῳ τῷ λογισμῷ παροικτρώσασθαι θεωροῦντες αὐτὸν ἤδη λοιπὸν τὰ λείποντα· καὶ μετὰ δακρύων τῷ Θεῷ καθημερινὰς θύειν θυσίας διὰ τῆς σαρκὸς αὐτοῦ καὶ τοῦ αἵματος. Αὕτη γὰρ καὶ μόνη ἡ θυσία ἐκ τοῦ αἰωνίου θανάτου τὴν ψυχὴν ῥύεται. Καὶ διὰ τοῦ μυστηρίου τούτου εἰς ἀνάμνησιν ἐρχόμεθα τοῦ θανάτου τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ. Ὅστις ἐκ νεκρῶν ἀναστὰς **476** οὐκέτι λοιπὸν ἀποθνήσκει. Ἀθανατος δὲ καὶ ἄφθαρτος, etc.

Κ ἀλλ' εἰς τὰ τῶν πιστῶν στόματα ἐκχέεται. Ἐν τούτῳ οὖν κατανοήσωμεν ὁποῖα ὑπάρχει αὐτὴ ἡ θυσία, ὅτι διὰ τὴν ἡμετέραν ἀπολύτρωσιν τὸ πάθος τοῦ μονογενοῦς υἱοῦ τοῦ Θεοῦ πάντοτε μιμεῖται. Τίς δὲ τῶν πιστῶν διστάσαι δύναται ὅτι ἐν τῇ ὥρᾳ τῆς ἱερᾶς θυσίας ἐπὶ τῇ τοῦ ἱερέως φωνῇ οἱ οὐρανοὶ ἀνοίγονται ἐν ἐκείνῳ τῷ μυστηρίῳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ. Καὶ οἱ τῶν ἀγγέλων χοροὶ ἐκεῖσε παραγίνονται τὰ ὑψηλὰ μετὰ τῶν ταπεινῶν συμμιγνύμενα, τὰ ἐπουράνια μετὰ τῶν ἐπιγείων, ἕν τι ἐξ ὁρατῶν καὶ ἀορατῶν γινόμενα. Ἀνάγκαιον, etc.

C Λ ὑπὲρ ἡμᾶς τῇ (forte ἡ) θυσία προσφέρεται, ὅταν ἡμᾶς ἑαυτοὺς μιμητὰς ποιήσωμεν. Τοῦτο δὲ ἀναγκαίως ἡμᾶς παραφυλάττεσθαι χρή, ἵνα καὶ μετὰ τὸν τῆς εὐχῆς, etc.

M ἡμῶν ἐν τῷ αὐτῷ φόβῳ φυλάξωμεν μὴ ἐῶντες ὑπὸ λογισμοῦ χαυνώσεως τοῦτον διαλυθῆναι μηδὲ ματαίᾳ τοῦ νοὸς εὐφροσύνῃ τοῦτον διαλυθῆναι μηδὲ ματαίᾳ τοῦ νοὸς ὑπαρπάσῃ καὶ τὸ κέρδος τῆς κατανύξεως διὰ τὸ ἀνασφαλὲς τοῦ χαύνου λογισμοῦ ἡ ψυχὴ ἀπολέσῃ. Τοῦ γὰρ καὶ Ἄννα, ὅπερ ἠτήσατο καρπώσασθαι ἠξιώθη. Ὅτι καὶ μετὰ τὴν ἐν ὀάκρισι δέησιν ἐν τῷ αὐτῷ φρονήματι τοῦ λογισμοῦ ἑαυτὴν διεφύλαξε, etc.

N δῶρόν σου. Ἐν τούτῳ οὖν τῷ πράγματι κατανοῆσαι (forte κατανόησον) ὅτι ἐν ὅσῳ πάντα τὰ πταίσματα δι' ἀποδωρᾶς (forte ἀποδόσεως) τοῦ δώρου λύονται, ποῖον βαρὺ ἁμάρτημα τὸ τῆς μνησικακίας ὑπάρχει, ὅτι διὰ τοῦτο οὐδὲ τὸ δῶρον προσδέχεται. Ὀφείλομεν, etc.

Ξ ἐν ἀληθείᾳ θεάσηται παρευθὺ καὶ ἡμᾶς ἐκ τῆς ἁμαρτίας λύει, τοῦτο τὸ δῶρον ὑπὲρ τῶν πταισμάτων λαμβάνων. Οὕτω γὰρ καὶ τῆς φωνῆς τῆς ἀληθείας μαρτυρούσης ἀκηκόαμεν περὶ τοῦ δούλου τοῦ τὰ μύρια τάλαντα ὀφείλοντος. Ὅτι ἡνίκα εἰς μετάνοιαν ἦλθε, συγχώρησιν τοῦ χρέους παρὰ τοῦ κυρίου αὐτοῦ ἔλαβε. Διὰ δὲ τὸ μὴ συγχωρῆσαι καὶ αὐτὸν τῷ συνδούλῳ αὐτοῦ τὰ ἑκατὸν δηνάρια ἅπερ αὐτῷ ὠφείλει ἐκελεύθη ἀπαιτηθῆναι πάντα ἅπερ ἦσαν αὐτῷ συγχωρηθέντα, διὰ τοῦτο οὖν φανερὸν καθίσταται ὅτι ἐὰν μὴ ἐκ καρδίας συγχωρήσωμεν, etc.

O πρὸς τοὺς πλησίον ἀγαθότητος χάριτι (forte χάριν) στερεώσωμεν καθοροῦντες ὅτι σωτηριώδους θυσίας μετὰ θάνατον οὐ δεηθησόμεθα ἐὰν πρὸ θανάτου ἡμεῖς αὐτοὶ θυσία γενώμεθα. Χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

## *Elenchus vocum Græcobarbararum quæ in Dialogorum versione reperiuntur* (1).

'Αδβοκᾶτος, Advocatus, 410.
'Ακουμβίζειν, accumbere, 279.
"Αρκα, arca, 171.
"Αρκλα, arcula, 187.
Δηνάριον, denarium, 430.
Δηφένσωρ, *vel* δεφένσωρ, defensor, 170, 247.
Δεούσδεδιτ, Deusdedit, 419.
'Ιλλούστριος, illustris, 318.
Καβούλιον, cubiculum, 282.
Καλίγιον, caliga, 158.
Κάμπος, campus, 287.
Κανδῆλαι, candelæ, 174.
Κάραβος, carabus, 470.
Κάστρον, castrum, 367.
Κέλλη, *et* κελλίον, cella, 166, *et sæpe alias.*
Κοδίμεντα, condimenta, 279.
Κόμης, comes, 158.
Κωμονιτόριον, commonitorium, 295.
Κουνκόδεος, Cumquodeus, 410.
Κουριάλιος, curialis, 422.
Λάκκος, lacus, 222.
Μανσιωνάριος, mansionarius, 334.
Μανούβριον, manubrium, 223.
Ματρώνη, matrona, 194.

A

Μηλώτη, melote, 226.
Μίλια, millia, *seu* milliaria, 230.
Νοτάριος, notarius, 295.
Νούμερος, numerus, 427.
'Οπτίων, Optio, 427.
"Ορδινος, ordo, 363.
Ουγκία, uncia, 327.
'Οψίκιον, obsequium, 399, 250.
Πατρίκιος, Patricius, 411.
Πιγμεντάριος, pigmentarius, 431.
Πόρτα, porta, 462.
Πραιδεύειν, prædari, 366.
Ρεγεών, regio, 323.
Ρήξ, rex, 323, *et passim.*
Σάβανον, sabanum, 319.
Σάβουρος, vacuus, a saburra, 158.
Σάγιον, sagum, 234.
Σίνδων, sindon, 194.
Σκάμνιον, scamnum, 162.
Σκρίνιον, scrinium, 182.
Τρίβουνος, tribunus, 323.
Φαμίλια, familia, 230, 419.
Φλαγέλλιον, flagellum, 282.
Φλάσκιον, flasco, 246.

B

*Alia fortasse studioso inter legendum occurrent.*

(1) In hoc elencho revocatur lector ad numeros in textu crassiori charactere expressos. Edit.

# PRÆFATIO

## IN EPISTOLAS SANCTI GREGORII PAPÆ I.

**477** Novam omni ex parte Gregorianarum epistolarum Editionem tibi jam oblaturi, pie ac studiose lector, de ea præfari cogimur, ut consilii nostri rationem tibi æquissimo judici approbandam subjiciamus.

I. De operis præstantia et dignitate satis notis non est quod præloqui satagamus. Enimvero sanctorum Patrum epistolas reliquis eorum scriptis anteponendas norunt Eruditi omnes, quod in ipsis auctoris ingenium, animi dotes, et mores magis eluceant. Id vero maxime de sancti Gregorii epistolis liquet, in quibus singularis ejus prudentia, sollicitudo pastoralis, effusa in pauperes liberalitas, animi simul robur et demissio, cæteræque virtutes adumbrantur unde perfecta ejusdem sanctissimi papæ exprimatur effigies. In commendandis hac ex parte Gregorianis epistolis, multus est Petrus Gussanvillæus, cujus præfationis sectionem ad id spectantem attexendam infra judicavimus.

II. In alia ejusdem eruditi viri præfatiuncula quam epistolis a se publicatis præmisit, quid in sua Editione præstiterit, his verbis exponit :

« Cum videremus præ cæteris tanti viri operibus hunc maxime fetum, theologorum approbatione celebrem, canonistarum usu tritum, stabiliendis fidei dogmatibus idoneum, illustrandæ retinendæque ecclesiasticæ disciplinæ percommodum, prælatorum, privatorumque componendis moribus apprime utilem, nobis præcipuo quodam studio laborandum esse duximus, ut quam emendatissime ederetur, eaque forma quæ doctis placere, rudiores juvare posset. Itaque, primo, textum, qui in omnibus superioribus Editionibus, nescio quo fato, misere depravatus fuerat, restituimus, collatis triginta quinque, ut minimum, exemplaribus manuscriptis, quorum alia nos ipsi propriis oculis usurpavimus, propriis manibus excussimus, alia doctorum virorum fide in excerptis quæ ad nos ab ipsis officiose transmissa pervenerunt exploravimus. His adjuti subsidiis, corruptelas submovimus, variasque lectiones, quæ alicujus visæ sunt momenti, aut ad marginem* transtulimus, aut gratia uberioris explicationis, notis inseruimus. »

III. Sane nonnullos priorum Editionum nævos a Gussanvillæo sublatos ultro concedimus, at (quod inviti dicimus) paucos, ut nostras notas legenti statim constabit. Hinc novo labore ac studio accersendi undecunque fuerunt, et accurate perlegendi manu exarati Codices, iidem fere quos Gussanvillæus commemorat, in quibus tamen sæpe legimus secus ac ipse. Exemplo sit quod modo nobis occurrit in epist. 6 libri v, olim libri iv quarti, ubi Editi habent : *Post lapsum cellæ ipsius pene generalem.* Ad hunc locum monet vir doctus, in Tellerianis, Lyrensi, et Pratellensi deesse vocem *cellæ.* De Tellerianis hic silemus, quos olim quidem consuluimus, at nunc revolvere minime licet. De duobus aliis vero quos ob oculos nunc positos sedulo inspicimus, constanter asseveramus *cellæ* vocem in illis nequaquam desiderari. Itaque alienis oculis non omnino credentes, novam epistolarum sancti Gregorii collationem ad varios mss. Codices infra commemorandos aggressi sumus, ut accuratissima prodiret Editio quam meditabamur, et jam dudum moliebamur. Quo vero fructu id laboris a nobis susceptum sit, nostras notas consulenti statim obvium erit. Nulla enim fere est epistola in qua vel corruptum locum non restituerimus, vel novam aliquam lectionem minime spernendam saltem non assignaverimus. In locorum a nobis sanatorum et restitutorum specimen paucula hæc seligere sufficiat ex libro priori tantum, reliquos enim percurrere immensi pene laboris foret.

IV. In hujusce libri epist. 6 prius legebatur : *Quasi destitutæ viduæ vocibus cum propheta dico*, pro, *quasi destructæ Judææ vocibus.* Paulo post in Editis : *Tu ergo qui easdem bestias necdum mactaveras, cur jam manducare*

* Quæ in margine erant, eas nos in textum inter uncinos revocavimus. Edit.

*per obedientiam nolebas?* Legendum esse *volebas* docuerunt Mss. omnes; hancque lectionem postulabat sensus integritas. Adducto videlicet Scripturæ sacræ testimonio, *macta et manduca*, monet sanctus Gregorius prius mactandum quam manducare liceat. Unde ita urget amicum : *Tu ergo*, inquit, *qui easdem bestias necdum mactaveras, cur jam manducare per obedientiam volebas?* Scribendo vero, *nolebas*, sensus penitus evertitur.

Ibidem legitur in prius Vulgatis : *Aut nescis quia easdem quas scripsisti bestias oris tui* **478** *gladius occidere recusavit?* At inconsultis quidem Mss., in quibus una eademque est hæc lectio : *Aut nescis quia ea de qua scripsisti bestia oris tui gladio occidi recusavit?*

In Epistola 20, olim decima, lectum antea : *Sin vero ita discordia inter vos partes suas armaverit, ut in timore scandali voluntas vestra partes armaverit.* Ubi Mss. exhibent : *ut in tumore scandali;* nec aliter legi potest citra sensus detrimentum et grave incommodum; agitur enim hic de tumore superbiæ, unde scandala in Ecclesia Salonitana contentionesque generabantur.

In epistola 25, olim 24, sanctus Gregorius juxta superiora edita, scribit : *Et tamen in illa invisibilium contemplatione suspensus* (Paulus) *ad cubile carnalium mentis aciem revocat;* cum in veteribus libris manu exaratis constantissime legatur : *Et tamen illa invisibilium contemplatione suspensa* (Paulus) *ad cubile*, etc.

In ejusdem epistolæ serie aliæ Editiones legendum exhibent : *In his velut in quadrato lapide sanctæ fidei structura consurgit, et cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis eorum*, etc. Sane non ad mentem sancti Doctoris, qui hoc loco quatuor concilia œcumenica tanquam certam fidei regulam proponit; de vita vero moribus et actibus nihil attingit. In hac tamen lectione ab Editoribus gratis conflata eadem concilia dicuntur, *cujuslibet vitæ atque actionis norma.* Sed lege ut in Mss.: *Quia in his..... sanctæ fidei structura consurgit; ac cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiamsi lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet.*

Epist. 34, alias 33, in excusis exemplaribus hæc occurrunt : *Si autem fortasse in causa Dei minus credor.* At si serio attenteque libros mss. consuluissent Editores, legissent : *Si autem esse fortasse in causa Dei nimius credor, et pro zeli mei ardore suspectus sum.* Quæ ultima verba Mss. lectionem mire confirmant.

Negleximus observare in inscriptione primæ epistolæ legendum esse ex unanimi Mss. consensu: *Gregorius servus servorum Dei*, quod tamen omissum in Vulgatis.

Hæc modo sufficiant, ut studiosus lector intelligat non inanem fuisse laborem quem in recensendis denuo sancti Gregorii epistolis per annos plures assidue impendimus.

Ubi religio fuit quominus a recepta lectione recederemus, quod plerorumque Mss. auctoritate niteretur, satis nobis visum est diversas lectiones occurrentes annotare, etiamsi pro optimis ac genuinis haberi potuissent. Sic in epist. 72, olim 70, cum obscurum sit quod legitur : *Quia tantum hic parva nativitas fuit, ut nisi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames vehementer immineat*, et longe præstantiorem censeremus eam lectionem quam suppeditat Codex ms. Vitæ sancti Gregorii, auctore Joanne Diacono, in Bibliotheca Bigotiana Rothomagi asservatus, scilicet lib. II, cap. 59 : *Quia tantum hic parva sativitas*, et ubi superscriptum legitur, vel *satio;* retinuimus tamen *parva nativitas*, in qua lectione conveniunt tam editi quam manuscripti Codices, et singularem exemplaris Bigotiani lectionem notis inseruimus.

V. Sanato ac restituto epistolarum textu, de ordine tum librorum, tum ipsarum epistolarum jam cogitandum fuit. Ad libros quod attinet, eorum ordo ac numerus ab indictionibus seu annis pontificatus sancti Gregorii repeti debent. In Registro enim nullæ continentur epistolæ, nisi quæ a Gregorio jam ad regendam Ecclesiam assumpto scriptæ sunt. Itaque cum per tredecim annos et sex menses, paucis diebus additis, vir sanctissimus pontificis officio defunctus sit, singuli, pro singulis annis, epistolarum libri fuerunt assignandi. Hac etiam ratione eosdem numeravit Joan. Diaconus, lib. IV Vitæ, cap. 71. Postquam enim cap. 68 dixit Gregorium *sedem catholicæ et apostolicæ sanctæ Romanæ Ecclesiæ annis tredecim, mensibus sex, et diebus decem* obtinuisse ac illustrasse, subdit, cap. 71, *quarum* (videlicet epistolarum) *tot libros in scrinio reliquit, quot annos vixit* (in pontificatu.) *Unde quartum decimum epistolarum librum septimæ indictionis imperfectum reliquit.*

Non dissimulandum tamen in editis, imo in plerisque mss. Codd. legi : *unde tertium decimum*, etc. At error gravis est, qui ex narrationis contextu facile emendatur. Si enim tot sunt libri epist. Gregorii quot anni ejus in pontificatu juxta Joan. Diac., cum ex eodem scriptore et aliunde constet indubitatis testimoniis Gregorium tredecim annis cum dimidio in pontificatu vixisse, ultimus epistolarum liber imperfectus non potest esse decimus tertius, sed decimus quartus. Deinde liber imperfectus epistolarum septimæ indictioni respondet ex Joanne, at huic indictioni minime convenire potest liber XIII, ut liquet.

Præterea veram lectionem in Codice Uticensi seu monasterii sancti Ebrulfi optimæ notæ ac DC annorum tandem deteximus. Ne quis vero putet hæc Joanni alia cogitanti et parum attendenti, **479** excidisse, accedat ejusdem testimonium in præfatione ad Joannem papam : *Si cui tamen*, inquit, *ut assolet, visum fuerit aliter, ad plenitudinem scrinii vestri recurrens, tot charticios libros epistolarum ejusdem Patris, quot annos probatur vixisse, revolvat.*

Ita legerat haud dubie apud Joannem Diaconum Sigebertus Gemblacensis monachus, qui undecimo sæculo florebat; hæc enim in libro de Scriptoribus ecclesiasticis ait : *Epistolarum tot libros posteris reliquit* sanctus Gregorius, *quot annos in pontificatu vixit, id est tredecim et semis.*

Opponi potest Ildefonsi Toletani episcopi testimonium, lib. de Viris illustribus, cap. 1, ubi de Gregorianis epistolis : *Has*, inquit, *uno volumine arctans, in libris duodecim distinxit, Registrum nominandum esse decrevit.* Hinc fortasse data Editoribus occasio laudatas epistolas in duodecim libros saltem specie tenus distribuendi, cum tamen reipsa libros quatuordecim exhibeant omnes excusi Codices. Nam liber secundus bis numeratur, scilicet indictione 10, et indict. 11. Liber item septimus bis computatur, scilicet in indictionibus prima et secunda.

Ad testimonium vero sancti Ildefonsi, respondemus ipsum in lectione operum sancti Gregorii prorsus fuisse peregrinum; unde post commemoratas epistolas addit : *Fertur et alia opuscula edidisse egregia, sed ad nanus nostras nondum pervenerunt.* Nequidem epistolas ad ejus notitiam pervenisse pene certum nobis videtur. Hinc Joanni Diacono, Sigeberto, et omnibus fere Mss. qui Gregorianas epistolas quatuordecim libris comprehendunt fides magis adhibenda. Etsi enim nonnulli sint mss. Codices, in quibus absque ulla librorum distinctione laudatæ repræsentantur epistolæ, nulli tamen occurrerunt nobis qui eas in libros dividendo, in pariores quam quatuordecim partiantur.

Pro duodenario librorum epistolarum numero pugnare videtur hæc nostri J. Mabillonii nota ad præfatio-

nem Joannis Diaconi : *Selectiores epistolas in decretalium libros* XII *redegisse dicitur Adrianus papa primus, infra, lib.* IV, *cap*, 71. Sed lapsus est calami, præter doctissimi scriptoris mentem aberrantis, aut in typographos mendum hoc regerendum ; nam in loco Gregorianæ Vitæ assignato, laudatus Joan. Diac. non duodecim, sed duos tantum decretalium libros, ab Adriano papa collectos commemorat. Præterea non hic de selectis Gregorii epistolis decretalibus quæritur, sed de integra quarumlibet epistolarum ipsius complexione et collectione ; neque curamus quot in libros Adrianus papa prædictas epistolas partitus sit, sed de divisione ab ipsomet Gregorio instituta solum est controversia.

VI. In restituendo epistolarum ordine magis laborandum fuit. Ex earum quippe toties iterata lectione facile compertum nobis fuit multas loco suo motas fuisse, et alio transpositas. Vetus esse malum probant plurimi antiqui Codices, a DCC circiter annis scripti, in quorum calce, maxime Normannorum multæ colliguntur epistolæ, cum hac inscriptione : *Epistolæ quæ de superioribus indictionibus prætermissæ sunt.* In plerisque Mss. exstant XXXI. Plures exhibet Pauli Diaconi collectio ad sanctum Adalardum abbatem Corbeiensem missa, quam existimamus esse Registri Gregoriani supplementum ; nam ex LIV epistolis in illa contentis plurimas plerisque in Mss. desiderari observavimus. Neque sane potest ulla ratio excogitari cur paucas illas epistolas, quæ ut plurimum nihil scitu dignum nos docent, præ cæteris describi curasset vir doctissimus et sapientissimus. Cum itaque multas epistolas extra Registri ordinem vagantes et sparsas invenissent amanuenses, et qui ipsis successerunt typographi, eas intra varios libros cogere, sed vix ullo prius adhibito criterio, cœperunt. Inde mali labes, et epistolarum præpostera dispositio, quæ ex rerum in epistolis commemoratarum serie et historiæ illius temporis vel mediocri notitia facile deprehendetur.

Hoc vitium non latuit Petrum Gussanvillæum, cujus hæc verba sunt, in præfat. ad epistolas : « Porro ordinem cujusque epistolæ absit ut statuam aut propugnem. Imo plurimas alieno loco positas sponte agnosco. Docebunt passim notæ. Nec tamen receptam seriem interturbare placuit, ne, quod in aliis quibusdam libris temere factum est, tenebras lectoribus offunderemus ; quibus citationes epistolarum sancti Gregorii per omne librorum genus sparsæ forent inutiles, aut certe laboriosæ. »

Optima sane ratio, qua tantum laborem a se deprecari conabatur vir alias diligentissimus. Ergo cognito malo nunquam mederi licebit? Absit autem ut ex restituto legitimo epistolarum ordine tenebras offundi suspicemur. Imo tenebræ potius ubi nullus est ordo sunt metuendæ. At ex ordinata rerum dispositione lux affulget maxima. Ut ad rem ipsam veniamus, quanta dubitatione æstuare necesse est lectorem, cum, intellecta ex prioribus epistolarum libris cujusdam noti episcopi morte, et alterius in demortui locum ordinatione, postea in librorum posteriorum serie legit epistolam ad ipsummet episcopum, quem jam e vivis sublatum novit, quasi redivivum **480** scriptam? Non dissimilis confusionis exempla plurima in medium adducere arduum non foret ; quod præstituri sumus quando restitutum a nobis epistolarum ordinem certis argumentis demonstrabimus.

Incommodo autem quod causatur Gussanvillæus ob citationes epistolarum, juxta ordinem antiquum, tot libris et scriptis inspersas occurremus, duplicem epist. indicem exhibendo : primum juxta ordinem restitutum cum prius recepto comparatum ; secundum juxta ordinem et morem antiquum, vice versa cum priori collatum, non secus ac in edendis Augustinianis epistolis, doctorum virorum nemine improbante, observatum est. Sic nullo labore citatæ reperientur epistolæ ; nam consulendo indicem juxta antiquam epistolarum seriem, statim docebit quotæ nunc sint et quo loco habeantur. Duobus præfatis indicibus tertium adjiciemus ordine alphabetico, qui ex nominibus eorum ad quos sanctus Doctor scribit contexetur ; et quartum geographicum.

VII. Ex epistolarum censu plurima expunximus prius perperam inserta, qualia sunt quæ leguntur initio libri II, indictione 10, de Laurentii archidiaconi depositione, et de litania majore in basilica sanctæ Mariæ ; libro XI, indict. 6, historia de Phocæ coronatione, et Mauricii filiorumque ejus interfectione, quæ omnibus hujus indictionis epistolis præmittitur, cum sermone beati Gregorii tempore mortalitatis : *Oportet, fratres charissimi*, etc. ; nonnullarum synodorum Romæ habitarum acta ; denique varia privilegia a sancto Gregorio concessa ; quæ omnia ad calcem ableganda judicavimus, cum Symbolo cujus meminit Joan. Diac., lib. II, cap. 2, quodque in capite omnium fere Mss. epistolarum legitur.

E contrario ad Registrum epistolarum revocandæ nobis visæ sunt quædam epistolæ, sive a Gregorio, sive ad Gregorium scriptæ, quæ vel in alienis operibus exsulabant, vel non ita pridem ex tenebris sunt erutæ. Quorum vero diligentiæ debeantur, suo loco commemorare nobis curæ erit.

VIII. Sublatis, Mss. ope, textus seu litteræ corruptelis, et restituta mille in locis vera lectione, deinde disposito tum librorum, tum etiam epistolarum ordine, de ipsarum argumentis et summariis cogitandum fuit. In his quidquid singulæ complectuntur epistolæ summatim delineari debet, ac compendiose repræsentari. Quæ vero huc usque præmissa sunt epistolis argumenta, pleraque saltem (ut sedulo exploranti patebit) propositum Gregorii scribentis scopum minima ex parte attingunt. Sic ante primam prioris libri epistolam tantum legitur : *Ut semel in anno in unum conveniant* (episcopi Siciliæ) *ad provinciale concilium*. At mutilum hoc argumentum quis nesciat, in quo scilicet nihil de Petro subdiacono cui sanctus Gregorius vices suas intra Siciliam, ob perspectam virtutem et experientiam, eadem epistola commendat ; nihil de modo celebrandarum synodorum dicitur. Sequentis epistolæ, secundæ videlicet, summarium adhuc minus probandum ; siquidem de frumentis non ex integro transmissis totum est, quæ tamen epistolæ pars est minima. In ea enim maxime incumbit sanctissimus papa ut Justinum Siciliæ prætorem, prius amicis et honorificis verbis delinitum, ad concordiam cum *viris ecclesiasticis* a quibus dissidebat compellet, atque ad judicis munus summa æquitate obeundum. Similia de reliquis sunt intelligenda, quæ ulterius prosequi superfluum et ingratum foret. Itaque novis cudendis argumentis danda fuit opera, quæ epistolis præfixa ad earum intelligentiam lectori veluti facem præferant.

Nec minori diligentia notis difficilia loca, quæ plurima sane sunt, explanare et illustrare curavimus. Quod ut certius præstaremus, in statuenda eruendaque ex Mss. vera, quantum licuit, lectione, potissimum desudavimus. Quippe dum de vocibus ambigitur, variis conjecturis liberius indulgetur, et sæpe inani conatu digladiantur et aerem verberant viri docti. Cæterum uberrimam notarum et observationum in Gregorii epistolas segetem nobis obtulerunt præsertim eruditissimi viri Antonius Dadinus Alteserra, Tolosanus antecessor, et Petrus Gussanvillæus. Ille in studiosorum juris canonici gratiam, notationes in plerasque sancti Gregorii, quæ reconditam juris utriusque peritiam in auctore arguunt, scripsit, et Clementi IX pontifici max nuncupavit. Ex quibus paucas mutuati sumus, et, adjecto ad calcem nomine, honoris et gratitudinis erga a nostris distinximus. De notis quas P. Gussanvillæus suæ inseruit Editioni, operæ pretium est ipsum audi ita præfantem :

IX. « De notis adjectis, aut, si mavis, intertextis, nonnihil annotandum est, quo morosorum offensio-bus

occurramus. In hoc opere multa reperire est vocabula obscuriora, abstrusiora, minus obvia, phrases non usitatas, urbium regionumque nomina, pleraque alia antiqui moris, legum civilium scita, ecclesiasticæ politiæ canones, fidei morumque axiomata. Non omnibus autem datum est esse grammaticis, philologis, antiquariis, geographis, historicis, jurisperitis, canonistis, theologis, μηδ', ἡρακλῆς πρὸς δύο, ut ait Græcum adagium. Eapropter Jolai Patrocli advocandi **481** hinc inde fuere, qui in difficilioribus opem, in obscurioribus lucem, in intricatis industriam conferentes, lectorum studia adjuvarent, promoverent. Scilicet ex variis antiquorum recentiorumque auctorum cellis multa hausimus : plurima quoque communicarunt nobiscum aliquot eruditi, qui reipublicæ litterariæ bonisque moribus consultum volunt. »

Ex his verbis constat notas quas Gussanvillæus Gregorianis epistolis attexuit ab ipso tantum adoptatas fuisse, at alios parentes habuisse. Hinc in earum approbatione doctores testantur *legisse notas in dialogos sancti Gregorii collectas a M. P. Gussanvillæo presbytero.* Quosnam vero patroclos et adjutores accersivit vir prudens? si publicæ famæ fides, præcipuæ in concinnandis et elucubrandis his notis partes debentur clarissimo viro N. *Julien*, cujus symbolum, scilicet lilium cum hac epigraphe, *en lilium*, aiunt post epistolam dedicatoriam videri.

Verum sunt qui easdem notas et observationes potissimum ascribant clarissimo viro D. *Auget* doctori et socio sorbonico, in quorum sententiam pedibus ire cogimur. Beneficio enim clarissimi viri D. *Auget* regi a consiliis, et Franciæ apud Parisios quæstoris ejusdem fratris, consecuti sumus supplementum notarum in sancti Gregorii epistolas, auctore eodem doctore ipsiusque manu descriptum, in quo sane eumdem ac cæterarum notarum stylum deprehendimus, idem dicendi et res explicandi genus. Unde nobis persuasum, quod etiam nobis prius asseruerat laudatus ejus frater, vir spectatæ integritatis, sapientissimo huic doctori cæteras, maxima saltem ex parte, vindicandas.

De his notis judicium ferre nostrum non est. Certe quascunque retinere licuit, hac in Editione recudi curavimus, ascripto *Gussanvill.* nomine. Alias a quibus abstinere coegerunt severioris criticæ leges, aut aliæ rationes, certe graves, legere poterunt in Gussanvill. Editione qui varia et multiplici eruditione delectantur. In his enim omnia scientiarum genera, artes omnes delibantur, coacervatis, tum ex sacris, tum ex profanis, ex Græcis et Latinis scriptoribus, innumeris fere testimoniis; utrum ad rem an præter rem? judicent alii. Notæ vero quas ex Augetiano supplemento desumpsimus etsi paucissimas, ejus nomine in fine addito designabuntur.

X. Quod spectat ad notas quas elucubravimus, in his brevitati maxime studendum censuimus ; memores celeberrimi illius dicti : *Cito lutum contrahit amnis exundans.* Certe nihil magis cavimus quam locos omnes communes sive theologicos, sive ethicos, etc., percurrere et exhaurire, etsi nihil omiserimus eorum quæ ad locorum difficilium enodationem et obscuriorum illustrationem conferre potuerunt. Ubi tamen occurrent quæ accuratiori explicatione indigere videantur, Vita sancti Gregorii a nobis elucubrata consulatur, adhibita indicum face; et sibi factum satis diligens lector fatebitur.

XI. De epistolarum inscriptionibus, unum duntaxat observandum occurrit, *sanctus Gregorius primus omnium, se in principio epistolarum suarum servum servorum Dei scribi satis humiliter definivit;* inquit Joan. Diac., lib. II Vitæ, cap. 1, subditque documentum hoc humilitatis cunctis successoribus ab ipso relictum, hæreditario jure in Ecclesia Rom. conservatum fuisse. Quod Joannis testimonium multis quæstionibus occasionem præbet, quas solvere nunc e re videtur. 1. Cur titulus hic Gregorio ita gratus, in tam paucis epistolis compareat? nam si tres excipias, quæ totidem in libris priores sunt, scilicet lib. VIII, IX et XII (veterem ordinem sequimur) cæteræ hoc titulo carent. 2. Quo pacto sanctissimus papa ob assumptum hunc humilitatis titulum cæteris pontificibus incognitum laudari possit, cum ipso usus sit sanctus Damasus papa in epist. 4 ad Stephanum et aliios Africæ episcopos; quam epistolam hanc in rem adducit et Petrus Gussanvillæus (*In notis ad epist.* 1 *lib.* VIII). 3. Qui potuit ignorare Joan. Diaconus Augustinum et plurimos alios hac eadem inscriptione suas muniisse epistolas? Legatur sanctus August., epist. ad Vitalem 217 : *Augustinus episcopus servus Christi, et per ipsum servus servorum ipsius.* Fulgentius quoque epistolam 5 ita inscribit : *Domno sancto fratri et compresbytero Eugippio Fulgentius servorum Christi famulus.* Missa facio nonnulla alia a Gussanvillæo prolata testimonia, vel quod ex suspectis auctoribus desumpta sint, ut quæ ex Eusebio Emisseno sunt excerpta ; vel quod ad rem non faciant, quia episcoporum ætate Gregorio longe inferiorum exempla continent.

Ad object. 1 respond. epistolas omnes a sancto Gregorio missas hunc titulum, *servus servorum Dei*, prætulisse ; at brevitatis causa omissum fuisse, tum ab antiquariis, tum a typographis. Præmitti tamen debuit primæ saltem (et quidem in Mss. et in nova hac Edit. legitur) ut ex illa inscriptione cæterarum forma modusque haberetur.

Ad object. 2 respond. epistolam sub Damasi nomine laudatam, pro dubia, ne dicam spuria et suppositia, a viris eruditis nunc haberi, Isidoroque Mercatori cum aliis multis interpolatis mercibus tribui. Præter alias rationes a doctis qui de ulla tulerunt sententiam, maturo et eliquato judicio prolatas, falsitatis argumentum præfert in temporis quo scripta dicitur nota, scilicet **482** an. 405, ut ex consulibus inscriptis liquet, cum jam a XX annis obiisset Damasus.

Ad 3 resp. Augustinum quidem, et ejus exemplo sanctum Fulgentium sanctissimi doctoris discipulum (de aliis sileo) servos servorum Dei in epistolarum suarum exordio et inscriptione aliquando se dixisse, idque Joannis Diaconi testimonium non evertere. Quando enim asseruit sanctum Gregorium primum omnium se in principio epistolarum hoc humilitatis titulo exornasse, subintelligendum est primum omnium Romanorum pontificum, ut satis ex verborum serie constat, ubi ait, cunctis Gregorii successoribus relictum hoc hæreditario jure humilitatis documentum. Hac etiam quasi pia arte Joannis Constantinopolitani, qui se œcumenicum jactitabat, Thrasonicum fastum voluit reprimere et coercere sapientissimus Pater. Ejus exemplum secuti sunt plerique Romanorum pontificum, non tamen omnes; nam alii *præsulis*, alii *papæ* titulos assumpserunt. Quidam nudo suo nomine contenti, ut Zacharias, a dignitatis suæ mentione nonnunquam abstinuerunt. Modo in bullis summus pontifex hunc titulum, *Servus servorum Dei*, semper; in brevibus, *papæ* nomen adhibet. Non alios episcopos modo, sed et reges ac principes, non semel eadem hac appellatione *Servus*, etc., usos observat eruditissimus Cangius in Glossario. Consentiebant illi omnes Augustino, lib. XIX de Civit. Dei, cap. 15 : *Hominibus*, inquit, *in illo pacis ordine quo alii aliis subjecti sunt, sicut prodest humilitas servientibus, ita nocet superbia dominantibus.*

Antequam ab hoc argumento recedamus, vapulare debent Centuriatores Magdeburgenses, qui, centuria 6, cap. 7, § de consociatione, Joannis Diac. testimonium sic adulteraverunt : *Joannes Diac., lib.* II *Vitæ, cap.* 1, *ait : Gregorius, rejecto superstitioso pontificis vocabulo, se, primus omnium, servum servorum in epistolis suis scripsit.* Ubinam vero venit in mentem huic Vitæ sancti Gregorii scriptori *pontificis* nomen superstitiosum

appellare? quod passim usurpat, ut videre est in ejus præfat. et lib. I, capp. 1 et 25. Pudeat nunc heterodoxos nobis veterum scriptorum corruptelam exprobrare, cum ipsius criminis cujus nos insimulare nunquam desinunt, rei clare arguantur. Verum de hac criminatione qua nos infamare conantur, alias.

XII. Nunc commemorandi sunt veteres Codices mss. ad quos Gregorii Registrum recensuimus et contulimus.

Corbeiensis, qui nunc est bibliothecæ sancti Germani a Pratis, Codex venerandæ antiquitatis, ut fere sunt omnes celeberrimi hujus monasterii.

Rhemensis, nimirum archimonasterii sancti Remigii, æqualis circiter ætatis.

Quinque Mss. e locupletissima et splendida bibliotheca Colbertina utendos accepimus, beneficio illustrissimi ac reverendissimi D. Jacobi Nicolai *Colbert* archiepiscopi Rothomagensis, Normanniæ primatis; cui quantum litteræ litterarumque cultores omnes debeant, nemo nescit. Ex his Mss. duo tantum sunt integri. Unus antiquior, quem veterem appellaturi sumus, epistolas in XIV libros distinctas continet, ac in plurimis diem quo scriptæ sunt notatum exhibet. Alter epistolas quidem omnes complectitur, et eodem ordine quo superior, sed minime in libros divisas.

Duos Codices manu exaratos e bibliotheca regia nobis suppeditavit vir cl. D. *Clément*, annuente illustrissimo ac abbate *de Louvois* ejusdem præfecto, qui bonarum artium et litterarum maxime sacrarum studiosis omnibus patronum se Mœcenatemque præbet.

Ad laudatos bibliothecæ vere regiæ Codices nuper accesserunt duo Telleriani, dono illustrissimi ac reverendissimi viri Caroli Mauricii *le Tellier*, Rhemensis archiepiscopi, quorum prius copiam ipse archipræsul excellentissimus nobis concesserat, pro sua erga omnes qui in stadio litterario, et maxime in sacræ antiquitatis studiis desudant, summa humanitate et benevolentia. In his veteribus exemplaribus, quæ prorsus similia nobis visa sunt, sæpe annotatur quo die, saltem quo mense, quave indictione datæ sint Gregorianæ epistolæ.

Unum DCC fere annorum Codicem impetravimus ex biblioth. ecclesiæ metropolitanæ sancti Gatiani apud Turonos, ex quo multas etiam temporis scriptarum epistolarum notas eruimus: hunc nomine *Turon. S. Gat.* designaturi sumus, ut ab alio Turonico, scilicet majoris monasterii prope Turonos secernatur, quem accurate quoque recensuimus.

Sancti Albini nobile monasterium apud Andegavos insignem præterea Codicem nobis præbuit, in quo nonnullæ epistolæ notam temporis quo scriptæ sunt præferunt; sed longe pauciores quam in Colbertinis, Tellerianis, ac Turon. supra laudatis Codicibus.

At vero nullum nobis præsentius auxilium adfuit, quam a mss. Codd. nostrorum monasteriorum in Normannia, ubi novissima hæc Editio fuit adornata. Septem omnino exemplaria inde nobis subministrata, et quidem optimæ notæ, spectandæque integritatis, ætatis autem alia DCC annorum, alia minimum DC, quorum nomina hic accipe: Gemeticense, seu monasterii sancti Petri Gemeticensis; **483** Audoenum, hoc est regalis monasterii sancti Audoeni apud Rothomagum; Michaelinum, scilicet monasterii sancti Michaelis in periculo maris; Beccense, percelebris monasterii beatæ Mariæ de Becco Herluini; Sagiense, seu monasterii sancti Martini apud Sagium; Lyrense, id est beatæ Mariæ de Lyra, in diœcesi Ebroicensi; denique Pratellense, scilicet monasterii de Pratellis, diœcesis Lexoviensis. Verum cum maximus fere semper sit consensus inter illos Codices, *Normannorum* nomine illos designare solemus.

De Audoeno illud observandum, in primo folio post compactum volumen vacuo relicto, descriptam recentiori manu legi confessionem Berengarii, cui præmittitur: *Anno ab incarnatione sempiterni principii* 1078, *mense Febr.*, *indict.* 2, *pontificatus vero domni Gregorii universalis pontificis septimi anno sexto*, etc., ut legitur in concilio Rom. VI, tom. X Concil. Labb., ad an. 1079, paucis verbis immutatis. Exempli gratia, in Ms. legitur *sempiterni principii;* et in Edit. Labb. *sempiterni principis.* Confessionem hanc Berengarianam, statim ac emissa est ac publicata, hoc in folio fuisse scriptam non dubitamus, uti sane tunc mos erat, quidquid recens elucubratum erat, in quovis obvio Codice exarare, modo ad id capiendum satis chartæ puræ superesset. Et ex his conjicimus Audoenum Codicem mediante undecimo sæculo saltem scriptum esse.

Omnibus enumeratis Codicibus, si ratio antiquitatis habeatur, præponi debuerat Codex Corbeiensis, nunc bibliothecæ sancti Germani a Pratis, missus a Paulo Diacono ad sanctum Adalardum abbatem Corbeiensem, ut patet ex ejusdem Pauli epistola præmissa collectis hoc in libro sancti Gregorii epistolis, quam noster D. J. Mabillonius Act. sanct. ord. sancti Benedicti, tomo I, pag. 397, inserendam curavit. Quinquaginta quatuor tantum epistolas continet hic Codex (quæ ratio fuit ut eum omnium postremum enumeraremus) quarum XXXIV ipsius Pauli manu correctæ sunt et emendatæ. Verum de hac collectione jam supra; de Paulo autem legenda præfatiuncula Vitæ sancti Gregorii ab illo compendiose scriptæ præfixa.

Hos omnes Codices propriis oculis inspeximus, accurateque varias eorum lectiones excerpsimus. Nunc agendum de Vaticanis et Anglicanis, quos nobis videre non licuit.

Quatuor Vaticanorum Codicum discrepantes lectiones nobis communicavit vir cl. Steph. Baluzius, cui multa alia debemus; nam ut cætera taceam, Colbertinos Codices ipse nobis indicavit et subministravit. Qui ad laudatos Vaticanæ bibliothecæ Codices Gregorianas epistolas recensuit et contulit (vir certe acris judicii, summæ diligentiæ, ac indefessi laboris), ita præmonet initio Codicis chartacei: « Eodem die cœpi conferre epistolas libri primi, cum tribus mss. exemplaribus Vaticanis, quorum unum coopertum corio fulvo, et notatum numero 2534, et littera A, non habet primam epistolam, nec dimidiam partem secundæ. Alterum autem coopertum corio rubro, et notatum num. 2538, et littera B, habet principium (epistolarum) cum hac inscriptione: *Incipiunt epistolæ ex Registro beati Gregorii papæ, mense Septembri, indictione nona, scilicet anno suæ ordinationis primo.* Tertium est coopertum corio rubro, sine numero, quod fuit cujusdam Carthusiani, pag. 1, et notatur littera C. Quartum exemplar manuscriptum epistolarum sancti Gregorii Magni, Domini custodes mihi dederunt 18 Febr. 1600, signatum numero 190, et a me littera D, continens epistolas septingentas et quindecim, nullo ordine nullaque librorum distinctione digestas, sed omnes mistas, cujus sequuntur diversæ ab impresso lectiones. In fine legitur: Hujus totius Registri castigationes absolvi quinto die Decembris 1600. »

Si ad quatuor laudatos Codices alii postea accesserint ab eodem viro docto consulti et recensiti, suo loco admonere curabimus.

Magna fide collectas et expressas diversas illorum Codicum lectiones nobis omnino persuadet, tum quod ubique fere cum nostris conveniant, tum quod easdem observaverit in præfatis Codicibus noster D. Claudius *Estiennot*. Quippe antequam nobis nota fuisset hæc variarum lectionum a centum annis et ultra facta collectio, laudatus vir religiosissimus et eruditissimus qui tunc Romæ agebat, a nobis rogatus, eosdem Vati-

canos Codices diligentissime excusserat, et in quibus ab Editis discreparent sedulo notaverat, in novæ Editionis subsidium. Quæ ad nos missa ubi contulimus, cum variis lectionibus, longe antea excerptis, prorsus consentire probavimus.

Sex Angliæ Codicum discrepantes lectiones nobis obtulerunt *Vindiciæ Gregorianæ* Thomæ Jamezii. Hoc opus plurimi fecerunt heterodoxi; at quale est, Deus immortalis, si cum Vaticana collectione comparetur! Nam plurimas lectiones diversas summi momenti, et ex quibus etiam locis corruptis mederi licuisset, dissimulavit Jamezius.

Editiones quibus potissimum usi sumus præter Gussanvillæanam, sunt Parisiensis an. 1518, apud Magistrum Bertholdum *Rembolt*. Item Parisiensis 1571, quæ accurante Joanne Gilotio viro doctissimo **484** prodiit, et Vaticana. Per recentiores, quas nonnunquam commemoramus, Vaticanam hanc, et Gussanvillæanam præsertim intelligimus.

Nunc attexenda ea præfationis Gussanvillæanæ pars quæ ad epistolas spectat. De illa autem præfatione, ac de notis ejusdem auctoris in nostra recusis Editione, hoc præmonendum censemus, sicut ea non reprobamus, utpote a tribus doctoribus Sorbonicis approbata et regio diplomate munita, sic pro ipsis spondere minime audemus.

*Ex præfatione generali Petri Gussanvillæi.*

« Epistolæ dialogos excipiunt. Registrum sive Regestum vulgo vocant, id est rerum a sancto Gregorio gestarum indices monimenta. Siquidem eruditis solemne est sanctorum Patrum quam maxime versare epistolas, unde eruant cujusque auctoris ingenii dotes, morum imagines, prudentiæ nervos, disciplinam Ecclesiæ, historiam temporum, nodosarum quæstionum solutionem, officia intercurrentia eorum quibuscum consuetudinem habebant. Id omne vero cumulate dant sancti Gregorii epistolæ. Vim dexteritatemque ingenii quis non deprehendat in istis expressas tabulis, solertiam, robur animi, demissionem Christianam, zelum, cæterasque virtutes? Quantum laborat pro retinenda asserendaque disciplina, quasi nefas fuerit dispensare, canonibusque solvere? Non ostentat potestatem, non laxat habenas voluntati, ut quidquid libet liceat. Infractum animum sola inclinabat utilitas evidens Ecclesiæ, aut urgens cogebat necessitas. Noverat qua data occasione rigor ille foret remittendus paterna concessione, non proculcando regulas, sed reducendo inflectendoque paulisper, prudentis oculatæque charitatis arbitrio. Ut jus summum summa quandoque est injuria, ita relaxationes imprudentes disciplinam evertunt, subruunt, pessumdant. Utrumque aliquot exemplis illustremus. Adversus vocem œcumenici episcopi suo sensu intellectam, canones et usum Ecclesiæ non cessat opponere. Episcopos neophytos iisdem tormentis arietat, nec ulli facit gratiam; eadem adversus illos argumenta proferens, quæ sanctus Gregorius Nazianz. in Monodia præformaverat, quasi ex eo totidem verbis desumpserit. Digamum fortiier repulit, rogante licet Brunechilde regina, nec aliam causam obtendit præter canones.... » *Cætera omitto utpote prolixiora.*

# SANCTI GREGORII MAGNI

# [a] REGISTRI EPISTOLARUM

## *LIBER PRIMUS.*

**Mense Septembri, [b] indict. IX, quæ fuit ordinationis ejus prima.**

### **485** EPISTOLA PRIMA.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS SICILIÆ.

*Suas intra Siciliam vices Petro subdiacono commissas declarat. Ut provincia illius episcopi semel per annum conveniant statuit. Ipsos quid in concilio cavendum, quid agendum sit monet.*

Gregorius servus servorum Dei, universis episcopis per Siciliam constitutis.

Valde necessarium esse perspeximus (*Grat. dist.* A 94, *cap.* 1) ut sicut decessorum nostrorum fuit judicium, ita uni eidemque personæ omnia committamus; et, ubi nos præsentes esse non possumus, nostra per eum cui præcipimus repræsentetur auctoritas. Quamobrem Petro subdiacono sedis nostræ, **486** [c] intra provinciam Siciliam vices nostras, Deo auxiliante, commisimus. Nec enim de ejus actibus dubitare possumus, cui, Deo auxiliante, totum nostræ Ecclesiæ noscimur [d] patrimonium commisisse.

Epist. I. — [a] Ita Editi omnes ac plerique Codd. mss. In duobus tamen, scilicet Regio et Andeg., legitur *Regesti* et *Regestum* (quod purius dici non diffitemur) a verbo *regero*, id est, in Codicem aut in tabulas refero. Vocabulum hoc *Registrum* usu firmatum est, et quidem antiquo. Vide Cangii Glossarium, hac tamen cautione adhibita, ut scriptoribus Gregorio Magno antiquioribus, apud quos *Registrum* legi ob- B servatur, Gregorium Turonensem non adjungas; ubique enim usurpat *Regestum*, ut lib. x Hist., cap. 19: *Hæc episcopus negare non potuit; scripta enim ista in Regesto Chilperici regis, in uno scriniorum pariter sunt reperta.* Et lib. IX, cap. 34 : *Et ingressa in Regestum, reseravit arcam monilibus ornamentisque pretiosis refertam.* Ubi per *Regestum* intelligendum videtur *conclave.*

[b] Seu potius anno indictionis nono. Indictio cyclus est seu numerus quindecim annorum, qua revolutione peracta, a num. 15 reditur ad unitatem. Hanc a Constantino Magno institutam nonnulli volunt. Variæ fuerunt indictiones : Constantinopolitana, secundum quam numerantur anni pontificatus sancti Gregorii, incipiebat ineunte mense Septembri. De hac indictione Ambrosius in epist. ad episcopos Æmiliæ, quæ est 23 primæ clas., n. 16. *Indictio*, inquit, *mense Septembri incipit.* Eumdem consule lib. de Noe et Arca, cap. 17. Ante Ambrosium indictionis meminit sanctus Athanasius, lib. seu epist. de Synodis, num. 15, ubi Antiochenum concilium Marcellino et Probino coss., indict. 14, habitum fuisse testatur. Hanc quidem esse Athanasii dubitavit Petavius, de Doctrina temp., lib. II, cap. 4, pag. 363, sed scrupulos ea de

• Illud quoque fieri debere perspeximus, ut semel per annum ad [f] Syracusanam, sive [g] Catanensium civitatem, universaliter honore quo dignum est, sicut eidem jussimus, fraternitas vestra conveniat, quatenus quæ ad utilitatem ipsius provinciæ Ecclesiarum pertinent, sive ad necessitatem pauperum oppressorumque sublevandam, sive ad admonitionem omnium atque correctionem eorum quorum excessus contigerit demonstrari, congrua cum eodem Petro subdiacono sedis nostræ debeatis moderatione disponere. A quo concilio procul absint odia, facinorum nutrimenta, atque invidia interna tabescat, et nimis exsecrabilis animorum discordia. Sacerdotes suos **487** concordia Deo placita, et charitas recognoscat. Hæc igitur omnia cum ea maturitate ac tranquillitate gerite, ut dignissime episcopale possit concilium nuncupari.

## EPISTOLA II.

### AD JUSTINUM PRÆTOREM SICILIÆ.

*Justinum amice ac serio hortatur, ut paci cum sacerdotibus, æquitati erga omnes studeat; utque integram frumenti annonam curet transmitti.*

**Gregorius** Justino prætori Siciliæ.

A Quod lingua loquitur, attestatur conscientia, quia dudum vos et nullius dignitatis occupationibus implicatos, multum dilexi, multumque veneratus sum. Ipsa namque incessus vestri modestia quibusdam conatibus exigebat ut diligi etiam a nolente debuisset. Et cum vos venisse ad administrandam præturam Siciliæ audivi, valde gavisus sum. Et quia quamdam inter vos atque ecclesiasticos [a] simultationem subrepere comperi, vehementissime constristatus sum. Nunc vero quia et vos administrationis cura, et me studium hujus regiminis occupat, [b] in tantum nos recte diligere specialiter possumus, in quantum generalitati minime nocemus. Unde per omnipotentem Dominum rogo, in cujus tremendo judicio nostrorum actuum posituri rationes sumus, ut ejus respectum semper gloria vestra ante oculos habeat, B et nunquam quodlibet ex quo inter vos vel parva dissensio proveniat admittat. Nulla vos lucra ad injustitiam pertrahant, nullius vel minæ, vel amicitiæ, ab itinere rectitudinis deflectant. Quam sit vita brevis aspicite; ad quem quandoque ituri estis judicem, qui judiciariam potestatem geritis, cogitate.

re omnes tollunt, qui nuper ex nostris Athanasii opera edidere. Consule Tillemontium, Historiæ Augustorum tom. IV, in Constantino Magno, pag. 144. Constantii imperatoris Constitutionibus aliquot ascriptæ leguntur indictiones in Codice Theodos. Indictionis nota conciliis apposita non videtur ante Chalcedon., an. 451, neque a summis pontificibus legitur adhibita ante Gregorium M. Indictionis usum in diplomatibus Francicis ante initium sæculi noni fere nullum, in rebus historicis rarum admodum fuisse cum Cointio sentit Mabillonius; at locum habuisse nonnunquam, sexto etiam sæculo, in actis conciliorum aliisque monumentis propugnat.

Indictio ab indictis per singulos annos tributis et vectigalibus nomen videtur accepisse. Hinc tributa ipsa indictiones aliquando dicuntur. De Hunnerico rege Victor Uticensis, Hist. Vandalicæ persecutionis lib. II, cap. 1. *Provincias regni sui variis calumniis et indictionibus onerabat.* Præter indictionem Constantinopolitanam, quam Gregorius suis in Epistolis adhibuit, fortasse quod ipsa incipiente pontificatum inierit, scilicet die tertia Septembris, duæ aliæ sunt notissimæ, nimirum Cæsarea, quæ a VIII Kalend. Octob., et pontificia sive Romana, quæ a Kalend. Januarii sequentibus progreditur. De indictionibus plura apud Baron., ad annum Christi 312, num. 109, et seqq.; Petav., de Doctrina temporum, lib. II, cap. 40; Cangium, in Glossario; Mabillonium de Re diplomatica, lib. II, cap. 24.

[c] Nullum tunc in Sicilia fuisse metropolitam suadet primo lib. I epist. 18, et lib. II epist. 24, qua ordinandos pro Sicilia episcopos Romam transmitti jubet Gregorius. Secundo, lib. II, epist. septima ad Maximianum Syracusanum episcopum, cui sedis apostolicæ vices committens, ipsi de minimis in Sicilia causis judicare concedit. Tertio epist. quintæ lib. octavi inscriptio. Quarto quod ad Romanum concilium aut annis singulis, aut triennio quoque, aut tandem quinquennio episcopi Siculi convenire cogebantur. Nonnullis scrupulum injicit epistola Constantini ad Chrestum Syracusanum, qua mandat ut duos secum secundæ sedis, secundi throni viros asciscat comites. At presbyteros hic intelligi, scilicet secundi ordinis sacerdotes, fere consentiunt eruditi. Vide Sirmondi notas ad Sidonii, epist. 11 et 25, lib. IV. Porro antiqui moris fuit ut Romanus pontifex in remotis extra Italiam provinciis vicarios institueret sibi metropolitas ipsos, et quandoque episcopos. At in Sicilia, quæ non alium a Romano episcopo metropolitam habuit, etiam subdiacono suas committit vices. Quanquam postea Maximianum Syracusanum episcopum, suum et sedis apostolicæ vicarium in Sicilia Gregorius instituerit, ut infra videbimus. De vicariis apostolicæ sedis per varias orbis Christiani provincias constitutis lege notas et observationes Ant. Dadini Alteserræ in epistolas sancti Gregorii. Cæterum ante Anastasium Thessalonicensem episcopum cui Leonem Magnum vices suas per Orientem commisisse docet, commemorandi sunt Acholius et Anysius ejusdem sedis episcopi, quos vicarios suos per Illyricum C Orientale, hoc est Macedoniam, Achaiam, Thessaliam, utramque Epirum, Cretam, utramque Daciam, etc., Damasus et Syricius instituerunt. Lege doctiss., Tillemontium, in Damaso, tom. VIII Commentariorum in Hist. Eccles. Ad Petrum subdiac. pures exstant Gregorii epistolæ, ut ex indice patebit.

[d] In nonnullis Edit., *pat ocinium*, reluctantibus Mss. Vaticanis, Gallic., etc., necnon veteribus Excusis. Legendum esse *patrimonium*, probant etiam duæ quæ sequuntur epistolæ. Porro diversis in provinciis erant ecclesiæ Rom. patrimonia, in Africa, Dalmatia, Galliis, etc., ut intelligimus ex variis Gregorii epistolis, lib. I, 75, lib. III, 22 et 35, etc. De patrimoniis in Italia, Sicilia, Sardinia, Corsica magis notis tacemus.

[e] Quam necessaria sint concilia, tum ad configendam doctrinæ novitatem, tum ad corrigendos Christianorum mores, et ad dijudicandas episcoporum lites, ex pluribus aliis Gregorii epistolis manifeste D liquet, necnon ex superiorum pontificum epistolis, scilicet Cornelii, Julii I ad Orientales episcopos in causa Athanasii, Liberii ad Constantium imperat., Damasi, Innocentii I, Leonis, etc. GUSSANVIL.

[f] Syracusæ, vulgo, *Saragossa* Hispanis; Italis *Siragosa*, urbs Siciliæ notissima, episcopalis, sub archiepiscopo montis Regalis.

[g] Catana Plinio, et Melæ, Catina, vulgo *Catania*, Siciliæ urbs celebris. In multis Mss. legitur *Catinensium*.

EPIST. II. — [a] In Editis, *simulationem*. Lectioni nostræ patrocinantur Mss. Vaticani, et pene omnes. De hac voce quæ idem sonat ac *simultatem*, jam dictum est, ad lib. XIV Moral., n. 75.

[b] Sic legendum ex Mss. non *in tantum vos*, ut habent Vulgati. Infra quoque non legendum *inter vos*, cum Excusis.

Solerter ergo intuendum est quod cuncta lucra hic relinquimus, et solas 488 dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad judicium deportamus. Illa ergo sunt nobis commoda quærenda, quæ nequaquam mors adimat, sed mansura in perpetuum præsentis vitæ finis ostendat.

De frumentis autem quæ scribitis, longe aliter [c] vir magnificus Citonatus asserit, quia solummodo tanta transmissa sunt quæ pro transactæ indictionis debito [d] ad-replendum sitonicum redderentur. De qua re curam gerite, quia si quid minus huc transmittitur [e] non unus quilibet homo, sed cunctus simul populus trucidatur.

Ad regendum vero Siciliæ patrimonium, talem, ut æstimo, [f] virum, Deo auctore, transmisi, cum quo vobis, si, ut ego expertus sum, recta diligitis, omnino conveniat. Quod autem me ut vestri memor esse debeam admonetis, verum fateor, si ex antiqui hostis insidiis injustitia nulla subrepat, tantam gloriæ tuæ modestiam didici, ut esse non tuus erubescam.

## EPISTOLA III.

### AD PAULUM SCHOLASTICUM.

*Paulum, quod de pontificatu sibi gratuletur, arguit. Maurentium illi et Petrum subdiaconum commendat.*

Gregorius Paulo [a] Scholastico.

Quidquid mihi ex honore sacerdotalis officii extranei arridٍent non valde penso, de vobis autem mihi hac ex re arridentibus non minime doleo, qui desiderium meum plenissime scitis, et tamen profecisse me creditis. Summus enim mihi profectus fuerat, si potuisset impleri quod volui; si voluntatem meam, quam dudum cognitam habetis, perficere optatæ quietis perceptione valuissem. At quia nunc in civitate teneor Romana, honoris hujus vinculis religatus, habeo aliquid quod etiam vestræ gloriæ exsultem. 489 Et quia viro [b] eminentissimo domno Leone [c] exconsule veniente, vos in Sicilia remanere non suspicor; et cum ipse quoque tuo honore religatus, Romæ retineri cœperis, quid mœroris, quid amaritudinis ego patiar agnosces. Veniente autem viro magnifico [d] domno Maurentio [e] chartulario, ei, quæso,

[c] Priores Editiones habebant *Ciridanus*, et ad marginem citabantur tres epistolæ ad Ciridanum scriptæ, nempe epist. 21, lib. VII, indict. 2, 38 et 39, lib. X, ad confirmandum errorem.

Verum evincunt plurimi mss. Codices Vatic., Moiss., Clun., Catalaun., Vallisluc., Bigot., Anglic., et probatiores quique, quibus et favent Editiones Veneta 1504, Paris. 1508 et 1571, et aliæ; quo etiam modo legit Sigonius de regno Italiæ, ubi referens hanc epistolam, legit *Citonatus*. Est autem nomen Citonatus satis usurpatum antiquis. Nam Citonatus episcopus subscripsit conc. Romano II, sub Silvestro, an. 324. Citonatus episcopus Caralitanus interfuit conc. Constantinop. III, sub Agathone, an. 680. Legitur et *Citonatus* abbas in Vita sancti Æmiliani, a Braulione episcopo Cæsaraugustano conscripta. Ex adverso reperitur nomen *Seronatus* apud Sidonium Apollinarem, lib. II, epist. 1. *Citonatum* vocavere veteres, quem cito ac facile, ac pene sine doloribus sua enixa erat mater; *Seronatum* contra, quem tarde et laboriose, nec nisi post multos et diuturnos nixus genitrix pepererat. GUSSANVIL.

[d] *Sitonicum*, ἀπὸ τοῦ σίτου, quod *frumentum* sonat: aliquando certam frumenti mensuram, quæ singulis annis procuratur, significat; aliquando vero publicum horreum, ut hoc loco. Romanis arabant Africa, Sardinia, et maxime Sicilia: *Neminem vestrum præterit, judices*, inquit Tullius actione 5 in Verrem, *omnem utilitatem opportunitatemque provinciæ Siciliæ.... consistere in re frumentaria, maxime..... hac alimur ac sustinemur*. Canon frumentarius, in quo quidquid frumenti pendebant provinciæ continebatur, conditus est Augusti tempore.

[e] Quippe Ecclesiæ horrea subverterat anno superiore Tiberis exundans, perierantque nonnulla tritici modiorum millia. *Vide Greg. Turon., lib.* X, *cap.* 1.

[f] Scilicet Petrum subdiaconum, de quo epist. prima.

EPIST. III. — [a] Scholasticus appellatus est quivis eloquens, disertus, oratoriæ facultatis et politioris litteraturæ studiis eruditus. Sic Eulogius apud Palladium, et apud sanctum Hieron. in Catalogo Scriptor. Eccles. *Serapion ob elegantiam ingenii cognomen Scholastici meruit*. Tributum est etiam id nominis advocato, judici, vel judicis assessori, infra, epist. 44, epist. 36, lib. V, lib. IX, epist. 58. In conc. Africano, can. 64, petitur ab imp. *ut dent facultatem constituendi defensores scholasticos, qui*, etc. In conc. Milevit., cap. 16, idem statuitur. Vide Cod., lib. XII, tit. 62, et Synesium, epist. 105, 155, 156, ad Domitianum Scholasticum.

[b] Sequimur Mss. Romanos, Gallic. etc., non vero vulgatos Codices, ubi legitur, *excellentissimo*.

[c] Num consulatum gesserat, ut diceretur exconsul? At consulatus a Justiniano abolitus fuerat an. 541. Quam dignitatem Justinus ejus successor irrito conatu restituere tentavit. Sed quemadmodum fiebant *consules* et *consulares* per codicillos, ut patet ex Cassiodoro, lib VI Variar., cap. 10 et 20, ita etiam haud dubie creabantur exconsules; non secus ac apud nos videmus fieri quosdam sacri consistorii comites, per codicillos, Gallice *par brevet*. Id confirmatur ex epist. 53 lib. 2; *Chartas exconsulatus expetiit*, etc.

[d] Pro domino; sic domna, caldus, frigdus, mna, et in pluribus aliis. Et hoc frequens est in antiquis Codicibus. Videndus Ausonius Popma, de Usu antiquæ lectionis, cap. 5 lib. I. Gregorius Turonensis, *Domna Brunechildis*, lib. IX Hist., cap. 20. Græci etiam utuntur hac voce δόμνα. Oppianus, Cynegeticon lib. I. Usurpat et hoc verbum Brissonius, in Parergis, ex lib. XXXVIII, § *Lucius*, de legat. 2. In Digest. plura. Menardus in notis ad Concord. Regular., cap. 70. GUSSANVIL. Vide fusiores notas Mabil. in Epist. 72 sancti Bern.

[e] Chartularii vulgo dicuntur qui chartis inserviunt. Varii erant: alii in ecclesia, alii in palatio, alii in exercitu. De chartulariis eccles. erit alius dicendi locus. Præsertim chartularii dicuntur qui tabulas vel chartas fiscalium debitorum tractant, agunt, administrant. Auctor Historiæ Miscellæ, lib. XXII: *Cum chartularius esset, et publica tributa facta ratione conferret*. Qui his præerat magnus chartularius dicitur *Ducæ*, *cap.* 30. Imperatoriis etiam equis præfectus erat chartularius, ut docemur ex Zonara, in Leone Isauro, pag. 83, et Niceta, in Isaacio Angelo, lib. III, num. 2. Magnum chartularium eo nomine post protostratorem in aula meruisse scribit Codinus, de Officiis aulæ CP., cap. 3, n. 6. Illiusque potissimum munus tradit, ut equum peregre aut quovis e palatio profecturo imperatori ad palatii ipsius portam adduceret. Hinc illa dignitate donati præcipui aulæ proceres. Paulo Diac., l. II de Gestis Langob., cap. 1 et 3: *Narses Italiæ præfectus chartularius imperialis dicitur*, et hac ipsa epistola Maurentius chartularius vir magnificus appellatur.

in Romanæ urbis necessitate concurrite, quia hostilibus gladiis foris sine cessatione confodimur. Sed seditione militum, interno periculo gravius urgemur. Petrum vero subdiaconum nostrum, quem pro regendo Ecclesiæ patrimonio, Deo auctore, transmisimus, vestræ gloriæ per omnia commendamus [f].

## EPISTOLA IV.

### AD JOANNEM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM.

*Quod electionem suam ab imperatore confirmari procurasset conqueritur. Ejus orationibus se commendat. Synodicam spondet epistolam.*

Gregorius [a] Joanni episcopo constantinopolitano.

Si charitatis virtus in proximi dilectione consistit, si sic diligere proximos sicut nos jubemur, quid est quod beatitudo vestra me non ita sicut se diligit? Quo enim ardore, quo studio, [b] episcopatus pondera fugere voluerit scio; et tamen hæc eadem episcopatus pondera ne mihi deberent imponi, non restitit. Constat ergo quia **490** non me sicut vos diligitis, qui illa me voluistis onera suscipere, quæ vobis imponi noluistis. Sed quia vetustam navim vehementerque confractam indignus ego infirmusque suscepi (undique enim fluctus intrant, et quotidiana ac valida tempestate quassatæ putridæ naufragium tabulæ sonant), per omnipotentem Deum rogo, ut in hoc mihi periculo orationis tuæ manum porrigas, quia et tanto enixius potestis exorare, quanto et a confusione tribulationum, quas in hac terra patimur, longius statis. [c] Synodicam vero epistolam subsequenti festinatione transmitto, quia latorem præsentium [d] Bacaudam fratrem et coepiscopum nostrum in ipso meæ ordinationis initio, multis et gravibus pressus occupationibus [e] relaxavi. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 46.)

[f] In Ms. Turon. S. Gatiani scripta legitur hæc epist. mense Octobri, indict. 9.

Epist. IV. — [a] Hic est Joannes Jejunator appellatus, Græcis νηστευτής, ita dictus διὰ τὸ καταφιλωσοφῆσαι λίαν τῶν ἡδονῶν, τυραννῆσαί τε τῶν παθῶν, αὐτοκράτορά τε τῆς κοιλίας γενέσθαι, inquit Theophylactus Simocatta, lib. VII Histor. Mauric., cap. 6. In locum Eutychii Constantinopolitani episcopi suffectus est, licet invitus ex præsenti epistola, imperante Tiberio, ann. 586, cum esset magnæ Ecclesiæ diaconus, inquit Theophanes in Chronographia, et Cedrenus in compendio historiarum. Vir magnarum virtutum; unde Sophronius, Hierosolymitanus patriarcha, apud Photium, in Bibliotheca, cod. 231, vocat eum ἄνδρα ἀρετῆς οἰκητήριον.

Sed et quanti fecerit Joannis sanctitatem Gregorius Magnus, indicant epistolæ plures, in quibus eum *sanctissimum* nominat; imo et post ipsius mortem, quando vere laudari possunt homines, *sanctissimum* appellat lib. VI, epist. 66, in cujus fine *sanctum Joannem* eum nuncupat. Sed et Isidorus Hispalensis, Gregorio fere suppar, de eo sic loquitur libri de Scriptoribus ecclesiasticis cap. 26: *Joannes sanctæ memoriæ Constantinopolitanus episcopus, natione Cappadox, vir æstimabilis abstinentia, et eleemosynis largissimus,* etc. Idipsum repetit in libro de viris illustribus.

Non solum autem virtutum gloria claruit, sed et doctrina celebris fuit. Testis est liber de Baptismo, quem Leandro Hispalensi episcopo inscripsit ex Isidoro supra. Testes alii, de quibus videndus Morinus in fine libri de pœnitentia, pag. 77. Guss. De Joanne tamen postea graviter expostulavit Gregorius ob usurpatum *œcumenici* seu *universalis* nomen; qua de re dicetur infra. Huic epistolæ in Cod. Colb. præfigitur: *mense Decembri. ind.* 9.

[b] Quantum sit pondus episcopatus, sed quanti sit illud periculi, satis aperte demonstrarunt sancti Patres. Unus pro omnibus sufficiet Chrysostomus, homilia 3 in cap. I Act. Apost., dum paucis illis sed ἐνεργητικοῖς verbis ita loquitur: Οὐκ οἶμαι εἶναι πολλοὺς ἐν τοῖς ἱερεῦσι τοὺς σωζομένους, ἀλλὰ πολλῷ πλείους τοὺς ἀπολλυμένους. Id est: *Non arbitror inter sacerdotes multos esse qui salvi fiant, sed multo plures qui pereant.* Gussanv. At de oneribus et periculis episcopatus, nullus melius scripsit, quam sanctus Doctor, in Dialogis, ipso in limine, plurimis in epistolis, sed maxime lib. Regulæ pastoralis.

[c] Invaluerat consuetudo ut patriarchæ singuli statim a consecratione suæ fidei summam ad alios mitterent patriarchas, ut esset veluti quædam contesseratio ejusdem fidei et communionis. Hujus moris apud sanctum Cyprianum aliquot prostant initia, ut epist. 42, ad Cornelium, Gelasius, epist. 2, ad Laurentium: *Quia mos est sanctæ Romanæ Ecclesiæ sacerdoti noviter constituto formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prærogare,* etc. Jam. epist. 1, ad Euphemium Constantinopolitanum, dixerat: *Apostolicam sedem institutum sibi noviter sacerdotem præeuntibus oportuisse litteris indicare, fuit quondam ecclesiastica vetus hæc regula apud patres nostros,* etc. Et ante ipsum Hilarius, epist. 5 et 6. Regibus etiam confessionem suæ fidei a Romanis fuisse pontificibus missam, cuique obvium est. Exempli causa profero epistolam 16 Pelagii I, ad Childebertum regem, cujus fragmentum refert Gratianus, caus. 25, quæst. 1, cap. 10, *Satagendum.* Gussanv.

[d] De Bacauda vide infra, epist. 8.

[e] Id est *dimisi.* Vide lib. III, indict. 11, epist. 48; lib. VII, epist. 15; lib. IX, epist. 125; lib. XIII, epist. 13.

## EPISTOLA V.

### AD THEOCTISTAM SOROREM IMPERATORIS.

*E contemplationis quiete ad negotiorum tumultus se raptum gemit. Contemplativam vitam Racheli et Mariæ, activam Liæ et Marthæ comparat.*

Gregorius [a] Theoctistæ sorori imperatoris.

Mens mea vestræ venerationi quanta devotione substernitur, explere verbis nequeo, nec tamen me prodere laboro, quia et me tacente in vestro corde legitis quid de mea devotione sentiatis. Miror autem quod in me collatas dudum [b] continentias vestras ex hac moderna **491** pastoralis officii continentia distraxistis, in qua, sub colore episcopatus, ad sæculum sum reductus; in qua tantis terræ curis inservio, quantis me in vita laica nequaquam deservisse reminiscor. Alta enim quietis meæ gaudia perdidi, et intus corruens, ascendisse exterius videor. Unde me a conditoris mei facie longe expulsum deploro. Conabar namque quotidie extra mundum, extra carnem fieri, cuncta phantasmata corporis ab oculis mentis abigere, et superna gaudia incorporaliter videre; et non solum vocibus, sed medullis cordis ad Dei faciem anhelans, dicebam: *Tibi dixit cor*

Epist. V. — [a] De Theoctista lege infra epistolas 26 libri septimi, et 45 libri undecimi.

[b] Non unum habet sensum *continentia* in hujus epist. initio. Priore quidem loco pro benevolentia et affectu sumitur; at posteriore, pro conditione pontificis. Apud Spelmannum, in Glossario, *continentia* seu contenementum, Gallice *contenance*, est æstimatio et conditionis forma, qua quis in republica subsistit. Vide de hac voce amplissimam Alteserræ notam.

*meum : Quæsivi vultum tuum; Vultum tuum, Domine, requiram* (*Psalm.* XXVI, 8). Nil autem in hoc mundo appetens, nil pertimescens, videbar mihi in quodam rerum vertice stare, ita ut in me pene crederem impletum, quod pollicente Domino ex propheta didicissem : *Sustollam te super altitudines terræ* (*Isai.* LVIII, 14). Super enim altitudines terræ sustollitur, qui et ipsa quæ alta et gloriosa præsentis videntur sæculi per mentis despectum calcat. Sed repente a rerum vertice tentationis hujus turbine impulsus, ad timores pavoresque corrui, quia etsi mihi nil timeo, eis tamen qui mihi commissi sunt, valde formido. Undique causarum fluctibus quatior, ac tempestatibus deprimor, ita ut recte dicam : *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII, 3). Redire post causas ad cor desidero, sed, vanis ab eo cogitationum tumultibus exclusus, redire non possum. Ex hoc ergo mihi longe factum est quod intra me est, ita ut obedire nequeam propheticæ voci, qua dicitur : *Redite, prævaricatores, ad cor* (*Isai.* XLVI, 8). Sed stultis pressus cogitationibus, solummodo exclamare compellor : *Cor meum dereliquit me* (*Psal.* XXXIX, 13). Contemplativæ vitæ pulchritudinem velut Rachelem dilexi sterilem, sed videntem ac pulchram (*Genes.* XXIX); quæ etsi per quietem suam minus generat, lucem tamen subtilius videt. Sed quo judicio, nescio, Lia mihi in nocte conjuncta est, activa videlicet vita; [c] fecunda, sed lippa; minus videns, quamvis amplius pariens. Sedere ad pedes Domini cum Maria festinavi, verba oris ejus percipere; et ecce cum Martha compellor in exterioribus ministrare, erga multa satagere (*Luc.* X, 39 *seq.*). Expulsa a me, ut credidi, legione dæmonum, volui oblivisci quos novi, et ad Salvatoris pedes quiescere; et ecce mihi nolenti atque compulso dicitur : *Revertere in domum tuam, et annuntia quanta fecerit tibi Dominus* (*Marc.* V, 19). Sed quis inter tot terrenas curas valeat Dei miracula prædicare, cum jam **492** mihi difficile sit saltem recolere? [d] Pressum namque in hoc honore tumultu sæcularium negotiorum, ex eis me esse video de quibus scriptum est : *Dejecisti eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII, 18). Neque enim dixit : Dejecisti eos postquam allevati sunt, sed dum allevarentur; A quia pravi quique dum temporali, honore suffulti, foris videntur surgere, intus cadunt. Allevatio ergo ipsa ruina est, quia dum gloria falsa subnixi sunt, a gloria vera evacuantur. Hinc iterum dicit : *Deficientes ut fumus deficient* (*Psal.* XXXVI, 20). Fumus quippe ascendendo deficit, et sese dilatando evanescit. Sic videlicet fit cum peccatoris vitam præsens felicitas comitatur, quia unde ostenditur ut altus sit, inde agitur ut non sit. Hinc rursum scriptum est : *Deus meus, pone illos ut rotam* (*Psal.* LXXXII, 14). Rota quippe ex posteriori parte attollitur, et in anterioribus cadit. Posteriora autem nobis sunt bona præsentis mundi, quæ relinquimus; anteriora vero sunt æterna et permanentia, ad quæ vocamur, Paulo attestante, qui ait : *Quæ retro oblitus, in ea quæ sunt* B *priora me extendens* (*Phil.* III, 13). Peccator ergo cum in præsenti vita profecerit, ut rota ponitur; quia in anterioribus corruens, ex posterioribus elevatur. Nam cum in hac vita gloriam percipit quam relinquit, ab illa cadit quæ post hanc venit. Et quidem multi sunt qui sic exteriores provectus regere sciunt, ut per eos nequaquam interius corruant. Unde scriptum est : *Deus potentes non abjicit, cum et ipse sit potens* (*Job.* XXXVI, 5). Et per Salomonem dicitur : *Et intelligens gubernacula possidebit* (*Prov.* I, 5). Sed mihi hæc difficilia sunt, quia et valde onerosa; et quod mens voluntarie non recepit, congrue non disponit. Ecce serenissimus Dominus imperator [e] fieri simiam leonem jussit. Et quidem [f] pro jussione illius vocari leo potest, fieri autem leo non potest. C Unde necesse est ut omnes culpas ac negligentias meas non mihi, sed suæ pietati deputet, qui virtutis ministerium infirmo commisit. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 47.)

## EPISTOLA VI.

### AD NARSEM PATRICIUM.

*E contemplationis delectatione se dejectum dolet.*

Gregorius [a] Narsæ [b] patricio.

[c] Dum contemplationis dulcedinem alte describitis, ruinæ meæ mihi gemitum renovastis, quia audivi quid intus perdidi, dum foris **493** ad culmen regiminis immeritus ascendi. Tanto autem me percussum mœrore agnoscite, ut vix loqui sufficiam, oculos enim

[c] Hierarchicas ipsas functiones non deprimit, ut fingit hic Gussanv. in notis, Gregorio Ambrosium, Theodoritum, et Hieronymum incassum opponens, sed illis se imparem clamat; terrenisve curis et sæcularibus causis se dolet implicitum, quibus menti suæ caliginem offundi, rectumque ac perspicacem divinæ contemplationis intuitum frangi experiebatur. *Sub colore episcopatus*, inquit in hac ipsa epistola, *ad sæculum sum reductus..... terræ curis inservio..... undique causarum fluctibus quatior ac tempestatibus deprimor..... Pressum in hoc honore tumultu sæcularium negotiorum*, etc. In eumdem sensum scribit epist. 25 hujus libri : *Quisquis pastor dicitur, curis exterioribus graviter occupatur, ita ut sæpe incertum fiat utrum pastoris officium an terreni proceris agat.* Quippe Christianorum causæ olim non apud laicos judices, sed apud episcopum ipsum agebantur. Maximis præterea curis Gregorius angebatur, ob mala quæ a Langobardis patiebatur Italia, ipsaque Roma metuebat, ut ipse asserit hom. 7 in Evang. D

[d] In Cod. ms. Biblioth. Vatic., not. 1031, *Pressum ... hoc onere tumultus*. In tribus aliis Vatic. quorum varias lectiones penes nos habemus, hæc minime leguntur. Nostri quoque Mss. lectionem hanc non admittunt.

[e] Alludit fortasse ad illud adagium : *Induitis me leonis exuvias*, quod ex illo Luciani desumptum est : *Tanto tempore non animadverti, eum sub leonis pelle ridiculam quamdam simiam occultare.* GUSSANV.

[f] In eumdem sensum sanctus Chrysost., hom. 52 in Acta : *Princeps est*, inquit, *non cui vocatus est, sed qui vere est. Sicut enim rex neque medicum, neque rhetorem faciet, ita neque principem. Non enim litteræ vel nomen principem faciunt.* In nonnullis Editis legitur, *provisione*, non *pro jussione*, sed huic lectioni Mss. minime favent; eam tamen sequitur Alteserra.

EPIST. VI. — [a] Male hunc confundit Baronius, ad annum 568, cum altero Narsete, qui sub Justiniano imperatore patricius et præfectus Italiæ, summusque belli dux fuit. Hic vero ad quem scribit sanctus Gre-

mentis meæ doloris tenebræ obsident. Triste est quidquid aspicitur, quidquid delectabile creditur, cordi meo lamentabile apparet. Penso enim, ab alto quietis meæ culmine corruens, [d] ad quam dejectum exterioris provectus culmen ascendi. Et pro culpis meis in occupationis exsilium a facie dominantis missus, [e] quasi destructæ Judææ vocibus cum propheta dico : *Qui consolabatur me, longe recessit a me* (*Thren.* I, 16). Quod vero causæ et nominis similitudinem faciendo, per scripta vestra clausulas declamationesque formatis, certe, frater charissime, simiam leonem vocas. Quod eo modo vos agere conspicimus, quo scabiosos sæpe catulos, pardos vel tigrides vocamus. Ego enim, bone vir, quasi filios perdidi, quia per terrenas curas recta opera amisi. *Nolite ergo me vocare Noemi, id est,* [f] *pulchram ; sed vocate me Mara, quia amaritudine plena sum* (*Ruth.* I, 20). Quod autem me dicitis scribere non debuisse, ut in agro Dominico [g] cum bubalis ararem (*Amos.* VI, 13), quia in ostenso beato Petro linteo, [h] et bubali et omnes feræ oblatæ sunt, scis ipse quia subjunctum est : *Macta et manduca* (*Act.* X, 13). Tu ergo qui easdem bestias necdum mactaveras, cur jam manducare per obedientiam volebas [i] ? Aut nescis quia ea de qua scripsisti bestia oris tui gladio occidi recusavit ? Quas ergo per compunctionem occidere potueris, de illis necesse est ut in tui desiderii fame satieris.

[k] De causa autem fratrum nostrorum, ut scripsisti, ita futurum si Deus adjuvet æstimo, de qua modo serenissimis rerum dominis scribere omnino non debui, quia in ipso initio non est a quæstibus inchoandum. Sed dilectissimo filio meo Honorato diacono scripsi, ut opportuno tempore eis congrue suggerat, et mihi responsum sub celeritate indicet. [l] Domnum Alexandrum, domnum Theodorum, filium meum Marinum, domnam Esiciam, domnam Eudochiam, et domnam Dominicam, **494** mea peto vice salutari. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 48.)

## [a] EPISTOLA VII.

### AD ANASTASIUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

*Ægre fert se multis occupationibus deprimi, et ab eo laudari.*

Gregorius [b] Anastasio episcopo [c] Antiocheno.

Epistolas beatitudinis vestræ, ut fessus requiem,

---

gorius fuit primum stipator, ὑπερασπιστὴς, Comentioli ducis exercitus sub Mauricio, XXX circiter annis post obitum prioris Narsetis. Fuit tamen alteri bellica laude non inferior, ut videre est apud auctores συγχρόνους. Præcipue autem enituit virtus ipsius adversus Persas, quibus tanto terrori erat, ut Persarum infantes audito solo Narsetis nomine tremerent, ex Historiæ Miscellæ lib. XVII. De ipsius egregiis facinoribus fuse Simocatta in Historia Mauriciana. Tandem spe et blanditiis delinitus, et ad Curiam evocatus a Phoca, igne crematus est. De quo sic Constantinus Manasses in compendio :

Φωκὰς Ναρσὴν, τὸν στρατηγὸν, τὸ τῶν Ῥωμαίων θαῦμα,
Πυρὸς τροφὴν πεποίηκε.....

GUSSANV.

[b] Patricius primo fuit nomen nobilitatis, postea dignitatis et potestatis. Justinianus, lib. I Instit., tit. 12, patriciatum vocat summam dignitatem, et quæ sola morte solvatur ; sic et Cassiodorus, lib. VI, form. 2. Constantinus Magnus patricios instituit, atque ita appellavit, quod suos et futurorum imperatorum patres, consessores, et consiliarios eos esse vellet, a consulibus proximos atque perpetuos. Sicut Romulus centum ex senioribus electos et ex auctoritate patres ob ætatem senatores vocatos, instar habuit consilii publici : quæ origo veterum patriciorum fuit. Divus Hieronymus, epist. 10, ad Furiam, ejusdem patris meminit tanquam consularis et *patricii*. Cassiodorus, in lib. VIII, epist. 9, chlamydem calceosque Romanos inter insignia patriciatus numerat. Rectores quoque provinciarum *patricios* non raro dictos reperio : credo quod ex corpore patriciorum plerumque eligerentur. Certe Fasagnates *Armeniorum patricius* vocatur in Historiæ Miscellæ lib. XIX, qui sub Constante Heraclii Augusti nepote regebat Armeniam ; et Sabbatius *patricius Armeniæ*, qui sub Justiniano Rhinotmeto ei provinciæ præfuit. Quin et historici nostri, Fredegarius, aliique, rectores pagi Transjurensis et Scutingorum in Burgundia, nunc *duces*, sæpius *patricios* nuncupavere. Sanctus Audoenus, in Vita sancti Eligii, vocat *Burgundiæ patricios*. Et qui provinciam Arelatensem et Massiliensem ad tempus sub regibus Francorum regebant, *patricii Galliarum*, vel *de Galliis* appellantur a Gregorio Magno. Unde epist. 33, lib. II, nunc III, scribit *Dynamio patricio Galliarum*, qui fuit rector provinciæ Massiliensis. Hoc nomine apud nos supradictarum provinciarum rectores appellabantur. Gregorius Turonensis, libro IV Histor., cap. 24 : *Guntchrannus rex, amoto Agricola patricio, Celsum patriciatus honore donavit, virum juris lectione peritum*. Et cap. 42 : *Ennius cognomento Mummolus a rege Guntchramno patriciatum promeruit. Patricii* sæpe et *consules* dicti. GUSSANV. In nonnullis Mss. Vatic. legitur, *Narsæ patriciæ*. In aliis et in nostris scribitur simpliciter, *Narsæ*.

[c] Vaticani A, B, C : *Ium contemplationis alta describitis*. Ita etiam Cod. Reg.

[d] Excusi, *ad quantum dejectus exterioris provectus*, etc. Sequimur Codd. Vatic. Regios, Noren.

[e] Hic Excusi, gravi errore habent, *quasi destitutæ viduæ*. Arguuntur ab omnibus Mss.

[f] Editores maluerunt *pulchrum... plenus sum*, quod Gregorio non convenire putarent *pulchra*, etc. Verum contradicunt Mss., aliasque profertur Script. sacræ locus, ubi legitur, *pulchra*.

[g] Vulgati, reluctantibus Mss., *cum bubalis non ararem*.

[h] Obscuritatem hujus loci minuit correctio mendorum quæ in Mss. nonnullis atque in Editis omnibus pullularant. Plenam lucem afferrent prior Gregorii ad Narsem, et Narsis ad Gregorium epist., nisi utraque excidisset. Vide sanctum Hieronymum, in cap. VI Amos.

[i] In superioribus Ed. deficit sensus, mutato *volebas*, quod in omnibus Mss. legitur, in *nolebas*. Sequitur gravior corruptela in his verbis : *Aut nescis quia easdem quas scripsisti bestias, oris tui gladius occidere recusavit*. Locum hunc restituimus ex omnibus Vatic., Colbert., Reg., etc.

[k] Causa illa non lateret, si epistolam hanc ad Honoratum haberemus.

[l] Pro *dominum*. Et infra *domnam* pro *dominam*. Græci quoque hujusmodi diminutivis utuntur, dicuntque κυρὸς pro κύριος, et κυρὰ pro κυρία. Lege Gloss. Græcum Cangii, et consule Mabill., in not. ad epist. 72 sancti Bernardi

EPIST. VII. — [a] Supplicem ad imperatores pro Anastasio libellum disposuerat Gregorius, hancque simul epistolam. At neutrum mittere, nisi interrogato prius Anastasii animo, consultius visum est. Lege, infra, epist. 28, ad Sebastianum Rhiziniensem episcopum.

[b] Huic loco amplissimam observationem attexuit GUSSANV. de Anastasio, quem putat esse Anastasium Sinaitam, doctrina celeberrimum. Sed Anastasium in monte Sina monachum ab Antiocheno pa-

salutem æger, fontem sitiens, umbram æstuans accepi. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa, sed sic spiritalem amorem suum quem gestabat aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit quod secutum est, quia amor vester terrena me portare onera præcepit; et quem prius spiritaliter diligebatis, postea, ut existimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis, ita ut mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: *Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* CXVIII, 107). [d] Multis enim causarum fluctibus quatior, et tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII, 3). Periclitanti igitur mihi orationis vestræ manum tendite, vos qui in virtutum littore statis, Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod multis prodesse perhibetis, hoc quoque mihi ad iniquitatum mearum cumulum accidit, ut, cum vindicari in me iniquitas debuit, laudes pro vindicta recipiam. Quibus autem hoc in loco terrenarum rerum tumultibus premor, explere verbis nequeo; quod tamen colligere ex brevitate epistolæ potestis, in qua ei minus loquor, quem plus omnibus diligo. Præterea indico quia a serenissimis dominis quantis **495** valui precibus postulavi, [e] ut vos honore restituto, ad sancti Petri apostolorum principis limina venire; et, quousque ita Deo placuerit, hic mecum vivere concedant; quatenus dum vos videre meruero, peregrinationis nostræ tædium de æterna patria invicem loquendo relevemus. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 25; *l.* IV, *c.* 25.)

## EPISTOLA VIII.

AD BACAUDAM FORMIENSEM EPISCOPUM.

[a] *Minturnensem Ecclesiam desolatam Formiensi unit.*

Gregorius [b] Bacaudæ episcopo [c] Formiensi.

Et temporis necessitas nos perurget, et imminutio personarum exigit, ut destitutis Ecclesiis salubri ac provida debeamus dispositione succurrere. Et ideo quoniam Ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quam plebis destitutam desolatione cognovimus, tuamque pro ea petitionem, quatenus Formianæ Ecclesiæ in qua corpus beati Erasmi martyris requiescit, cui fraternitas tua præsidet, [d] adjungi debeat, piam esse

triarcha alium esse ostendit Leo Allatius, Diatriba de Simeonum scriptis. Idem astruunt Bollandiani ad diem Aprilis 21. Anastasii exsilium ac restitutionem narrat Evagrius lib. IV, cap. 25 et seqq., maxime 39, aliique omnes post illum historici. At non modo Sinaitam cum patriarcha, sed et Anastasium juniorem cum seniore confundit Nicephorus Callisti, Hist. lib. XVII. Anastasio seniori successit junior, ad quem scribit Gregorius epist. lib. noni 49. Anastasium de quo hic e sua sede ejectum a Justiniano, quod adversus ejus deliria de corporis Christi incorruptibilitate doctrinam orthodoxam strenue propugnaret, omnes consentiunt. De Gregorio in ejus locum subrogato, infra.

[c] In Corb. Norm. et plerisque Mss. deest *Antiocheno*.

[d] In recent., post *usquequaque* additur: *Tanta quippe me occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur*. Hoc additamentum respuunt Mss. Vaticani, Reg., Corb., Norm. Duas alias ex eadem epistola, sed breviores lacinias infra intextas rejecimus.

[e] Non ut suam ei sedem restitueret, cum eum apud se Romæ retinere vellet. Vide concilium Chalcedonense, cap. 12, ubi distinctio est inter jus et honorem; Nicænum, cap. 8; Ephesinum, in synodica ad synodum Pamphyliæ de Eustathio. In concilii Nicæni epistola de Meletio hæc habentur: *Concilium clementius aliquando in Meletium animatum decernit, ut in propria ac sua civitate remaneat, nullamque habeat potestatem vel cuiquam manus imponendi, vel administrandi, vel quemquam ad aliquod munus ecclesiasticum deligendi, vel in aliena regione aut civitate ejus rei gratia comparendi, sed ut solum dignitatis nomen retineat. Illi vero qui ab eo in sacrum ordinem lecti sunt, simul atque sanctiore ordinatione confirmati fuerint, ad communionem post hæc admittantur, et permittatur illis honoribus frui, et sacris muneribus fungi*, etc. Hæc ex Gelasii Cyziceni Historia concilii Nicæni lib. I, cap. 33, et apud Theodoretum, lib. I Histor., cap. 9. Observa tamen Anastasium jus habuisse, sed impeditum, quandoquidem censetur injuste depositus. Gregorius Turonensis, Historiæ lib. VIII, cap. 20, meminit Ursicini Cadurcensis episcopi, cui jus servatum est, sed mutilum et restrictum. In concilio Chalcedonensi, act. 11, episcopi depositi

habent dignitatem episcopatus et necessaria salaria, *ἀξίαν τῆς ἐπισκοπῆς, καὶ παραμυθίας τῆς προσηκούσης*. Gussanv. Quid pro Anastasio postulaverit Gregorius liquet ex epist. 28 sequenti. Per serenissimos autem dominos intelligit Mauricium imperatorem, et filium ejus Theodosium jam coronatum, ut ex Theophane aliisque Græcis scriptoribus constat.

Epist. VIII. — [a] Minturnæ urbs olim Latii novi, episcopalis in Campaniæ confinio, paulo supra Liris fluvii ostia, cujus rudera vix apparent hodie. Locus tamen dicitur *la Scaffa*, seu *la Barca del garigliano*, quia Liris ibi scapha trajicitur. Unita est Ecclesiæ Formiensi, ex hac epistola, sed utraque in propinquum locum, nempe Cajetam, una cum corpore sancti Erasmi translata est. Videndus Baronius in Martyrologio, ad diem 2 Junii, ubi de sancto Erasmo. Guss.

[b] De quo epist. IV jam meminit.

[c] Formiæ urbs fuit episcopalis in Latio, maritima ad sinum Formianum, et vulgo dictum *Golfo di Gaeta*, ubi nunc pagus elegans et amœnus, vulgo *Mola*. De urbe hac ejusque situ canit Horat., Carm. l. III, ode 17:

> Auctore ab illo ducis originem,
> Qui Formiarum mœnia dicitur,
> Princeps, et innantem Maricæ,
> Littoribus tenuisse Lyrin.

Idem celebrat colles Formianos ob exquisitum vinum, cujus feraces sunt, nobilissimos, lib. I Carm., ode 20, In Cod. Reg. et pler. Norm., pro *Formiensi*, legitur *Firmiensi*, aut *Firmianæ*.

[d] Istiusmodi unionis causa est utilitas, vel necessitas ecclesiæ, Verbi gratia, 1. si multitudo populi non mediocriter decreverit; 2. si ecclesiæ sint dirutæ, nec in pristinum statum facile reparari queant; 3. si cum duo episcopi ex reditibus commode non possint ali, unus pro tempore sufficiat. Vide ex sancto Gregorio caput *Et temporis*; caput *Postquam*, 16, q. 1, de religiosis domibus; cap. 2, de ætate et qualitate, etc., cap. *Ea de te*. Sic Justinianus imperator magistratus plures conjunxit. Novell. 8, 24, 25, 26, 27, 28, 29.

Porro tribus modis uniuntur ecclesiæ: 1. Quando in unum corpus confundantur et coalescunt, ita ut una sit ecclesia, unum beneficium, ἕνωσιν vocat Justinianus; et beneficium non modo συνήμενον

ac justissimam providentes, necessarium duximus, A consulentes tam desolationi loci illius, quam Ecclesiæ tuæ paupertati, reditus supradictæ Ecclesiæ Minturnensis, vel quidquid ei antiquo modernoque jure vel privilegio potuit potestve qualibet ratione competere, ad tuæ Ecclesiæ jus **496** potestatemque hac præcepti nostri auctoritate transmigrare, ut a præsenti tempore, sicut de propria Ecclesia, debeas cogitare, eique tua competentia disponere; quatenus deinceps, quod perire nunc usque potuit, pauperum Ecclesiæ tuæ utilitatibus [e] clerique proficiat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 14.)

## EPISTOLA IX.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut disceptatio de agrorum finibus quadraginta annorum possessione componatur.*

Gregorius Petro subdiacono.

Gregorius servus Dei, presbyter et abbas monasterii sancti Theodori in Sicilia provincia, territorio Panormitano constituti, insinuavit nobis homines fundi [a] Fulloniaci, juris sanctæ Ecclesiæ Romanæ, fines fundi Gerdimiæ, collimitantis eidem præfato fundo Ecclesiæ sanctæ Romanæ, quos quieto jure per innumeros annos possederunt, velle pervadere. Et ideo (*Caus.* 16, *q.* 4, *cap.* 2) volumus accedentem te ad Panormitanam civitatem, quæstionem ipsam tali ratione discutere, dominio rei apud possessorem, sicuti hactenus possessum est, videlicet permanente, ut si monasterium præfatum sancti Theodori fines, de quibus [b] causatio mota est, inconcussis [c] quadraginta annis possedisse repereris, nullam deinceps, etiam si quid **497** sanctæ Romanæ Ecclesiæ competere potuit, patiaris sustinere [d] calumniam, sed quietem eorum inconcussam modis omnibus procurare. Sin vero [e] actores sanctæ Ecclesiæ non eos possedisse quadraginta annos inconcusso jure monstraverint, sed aliquam intra hæc tempora motam fuisse aliquando quæstionem eorumdem finium, electis arbitris, tranquille et legaliter sopiatur. Nos enim non solum nunquam mota suscitari volumus, verum etiam quæ prava foris admoventur, sopire modis omnibus festinamus. Ita ergo experientia tua cuncta faciat effectibus mancipari, ne qua post hac hujus rei ad nos quæstio revertatur. Testamentum autem Bacandæ quondam xenodochi in ea qua conditum est volumus firmitate persistere. B

[f] Mense Novembri, indictione nona.

---

dicitur, sed et ἡνωμένον; 2. quando junguntur, ita ut una sit inferior, altera superior, quo casu vicario opus est, cap. *Exstirpandæ*, § *Qui vero*, de Præbendis; 3. quando ambabus suum titulum gradumque retinentibus idem minister præficitur. Extra *Ne sede vacante*, cap. 1 et 16, q. 1, et cap. *Et temporis*. Episcopatuum unio soli Romano pontifici tandem reservata. Vide extra lib. I, tit. 7, de translatione episcopi, cap. 1, 2 et 4, et cap. *Quod translatione*, eod. lib., tit. 30. Aliorum beneficiorum unio permittitur episcopis, lib. V, tit. 3, cap. *Sicut unire*. GUSSANV. Plures similes uniones infra videbimus; scilicet ad id cogebant depopulatæ urbes, ob assidua Gothorum et Langobardorum bella, de quibus gemit sanctus Doctor, maxime hom. 17 in Evang., n. 16. C

[e] Excusi, *plerisque*. Veram lectionem suppeditarunt Codd. Vatic., Reg., Norm., etc.

EPIST. IX. — [a] Excusi, Mss. Codicibus repugnantibus, *Saloniaci*.

[b] Al., *certatio*.

[c] Ut etiamnum in sæcularibus rebus sufficit possessio XXX annorum, ita et alias valebat in ecclesiasticis, 16, quæst. 3, cap. 2, 4, 8, 9, et in Decretal., lib. II, tit. 26. cap. 3 et aliis. Videtur autem primum Gregorius eam extendisse ad XL annos, nam Gelasius, epistola 10, de tricennali loquitur. De possessione XL annorum agitur tit. de exceptionibus, et tit. de præscriptionibus. Nam præscriptio una est exceptionum quæ ex lapsu temporis sumitur, sive de re mobili agatur, sive de immobili. Notandum vero centenariam præscriptionem concedi ecclesiis et quibuscunque locis piis, Cod. de sacrosanctis ecclesiis, leg. *Ut inter*. Huic subnexa est authentica: *Quas actiones alias decennalis, alias vicennalis, alias tricennalis præscriptio excludit; hæ si loco religioso competant, quadraginta annis excluduntur, usucapione triennii, vel quadriennii præscriptione in suo robore durantibus, sola Romana Ecclesia gaudente centum annorum spatio vel privilegio.* Quæ certe authentica ut jacet, præscriptionem centenariam soli Romanæ Ecclesiæ reservat. At si novellam 131, cap. 3, perlegas, unde authenticam illam fuisse desumptam clamitant, centenariam illam Ecclesiæ Romanæ præscriptionem non invenies, aut mendacibus utor Codicibus. Sic enim habet: *Pro temporalibus* X *et* XX, *et* XXX *annorum præscriptionibus sacrosanctis ecclesiis, et aliis universis venerabilibus locis, solam* XL *annorum præscriptionem opponi præcipimus, hoc ipso servando et in executione legatorum et hæreditatum, quæ ad pias causas relicta sunt.* Et hanc ob rem fortasse sanctus Gregorius XL annorum præscriptionem admittit hoc loco. GUSSANV. Contendit Alteserra Ecclesiam Romanam (et quidem solam), gaudere præscriptione centum annorum, ex novella 131, cap. 6. At Gregorium, minus indulgentem suis commodis, hoc loco admittere præscriptionem XL annorum. Negat hoc Gussanv. Inter dissidentes litem componere non audemus. Liceat tamen observare Gussanvillæum hic secum pugnare; nam autumat Gregorium primum esse qui præscriptionem ad XL annos extenderit, et postea tamen laudat novellam ipso antiquiorem, qua id cautum est. Voluit forsitan innuere primum Romanorum pontificum fuisse, qui de hac præscript. quadrag. aliquid decreverit. De præscriptione ex possessione triginta ann. lege Apollin. Sidonium, lib. VIII, epist. 6. *Per ipsum fere tempus*, inquit..... *lex de præscriptione tricennii fuerat proquiritata; cujus peremptoriis abolita rubricis, lis omnis in sextum tracta quinquennium terminabatur.* Ad quæ verba Sirmondus: *Ea est*, inquit, *novella Valentiniani de* XXX *annorum præscriptione omnibus causis opponenda.* D

[d] Calumnia hic non significat malitiosam et mendacem infamationem, sed potius injustam vexationem, et bonorum spoliationem, quo sensu Joannes Bapt. militibus eum consulentibus dicebat, Luc. III, 14: *Neminem concutiatis, neque calumniam faciatis.* Vide, supra, notam *b* ad epistolam 1, ubi calumnia hoc sensu usurpatur in Victoris Vit. testimonio.

[e] In Corb. *auctores*, ut etiam legitur in vet. Ed. Remb. et apud Gilot., sed vitiose; hic enim loquitur sanctus Doctor de rerum Ecclesiæ curatoribus.

[f] Hæc desunt in plur. Mss., leguntur tamen in Colb. vet., in duobus Teller.; Andegav. et Turon. S. Gatiani.

## [a] EPISTOLA X.

AD BACAUDAM ET AGNELLUM EPISCOPOS.

*De synagoga Judæorum transferenda, si ecclesiæ officia impediat.*

Gregorius Bacaudæ et Agnello episcopis [b].

Supplicaverunt nobis Hebræi Tarracinæ degentes, ut locum [c] quem synagogæ hactenus habuerunt, eum illis nostra quoque auctoritate [d] esset habendi licentia. Sed quia pervenit ad nos quod locus ipse sic vicinus esset ecclesiæ, ut etiam ad eam vox psallentium perveniret, scripsimus fratri et coepiscopo nostro Petro, ut si ita esset ut vox de eodem loco in ecclesia resonaret, [e] Judæorum celebrationibus privaretur. Itaque fraternitas vestra cum suprascripto fratre et coepiscopo nostro locum ipsum diligenter inspiciat; et si ita est ut aliquid vobis ecclesiæ visum fuerit obfuisse, alium locum intra ipsum castellum prævidete, ubi præfati Hebræi conveniant, quo possint suas sine impedimento ceremonias celebrare. Talem vero fraternitas vestra locum prævideat, si hoc fuerint loco privati, ut nulla exinde in futuro querela nascatur. Prædictos vero Hebræos gravari, vel affligi **498** contra ordinem rationis prohibemus; sed sicut Romanis vivere legibus permittuntur, annuente justitia, actus suos, ut norunt, nullo impediente disponant, eis tamen Christiana mancipia habere non liceat.

## EPISTOLA XI.

AD CLEMENTINAM PATRICIAM.

*Eam de morte Eutherii consolatur.*

[a] Gregorius Clementinæ patriciæ.

Epistolam gloriæ vestræ suscipientes, quæ de transitu [b] Eutherii quondam magnificæ memoriæ loquebatur, indicamus non minus animos nostros quam vestros esse tali mœrore confusos, eo quod opinionis probatæ viros huic paulatim subtrahi mundo conspicimus, cujus ruina in ipsis jam causarum effectibus comprobatur. Sed huic nos solerti decet conversionis cautela subducere, ne sua nos secum pariter ruina circumplicet. Et quidem amicorum nos amissio tanto debet tolerabilius contristare, quanto amissuros nos illos conditio mortalitatis exposcit. Sed tamen amissum carnalis vitæ subsidium potens est ille consolari, qui ut adimeretur permittendo concessit, et ipse ad locum qui destitutus erat consolator accedere. [c] Diaconum vero Anatholium (*Grat. dist.* 39, *cap.* 3), quem ad vos dirigi poposcistis, hoc nos facere non posse, causæ magis modus, quam rigoris austeritas facit. [d] Vicedominum enim eum constituimus, cujus arbitrio episcopium commisimus disponendum.

## EPISTOLA XII.

AD JOANNEM EPISCOPUM DE URBE VETERI.

*Ne Monasterium vexare pergat admonet.*

Gregorius Joanni episcopo [a] de urbe veteri.

Agapitus, abbas monasterii sancti Georgii, insinuavit nobis plurima se a vestra sanctitate [b] gravamina sustinere, et non solum in his quæ necessitatis **499** tempore aliquod monasterio possint ferre subsidium; verum etiam quod in eodem monasterio missas prohibeatis celebrari, sepeliri etiam ibidem mortuos interdicatis. Quod si ita est, a tali vos hortamur inhumanitate suspendi; et sepeliri ibidem mortuos, vel celebrari missas, nulla ulterius habita contradi-

Epist. X (*Al.* 18 *lib.* xii). — [a] Hanc epistolam in lib. ultimum, sine ratione rejectam suo loco restituimus. Quæ autem erat 10 nunc est 20.

[b] In uno Vatic. et in plerisque Mss., maxime Norm., additur, *de Hebræis.*

[c] In Cod. Vatic. D, *sub synagogæ nomine.*

[d] Idem Codex, *illis nostra quoque auctoritate, habendi licentiam daremus.*

[e] Ita Mss., ubi Editi habent, *Judæi privarentur.* Plurima alia juxta mss. Codices infra restituimus hac in epistola.

Epist. XI. — [a] Præmittitur in Colbert. *mense Novemb., indict.* 9. Consentiunt duo Teller. Clementinam degisse Neapoli conjicimus ex lib. iii, epist. 1.

[b] Male suspicati sunt Eutherium illum fuisse episcopum. Quippe hunc titulum honoris *magnificæ memoriæ* nunquam episcopis tribuit Gregorius. Unde nescio quomodo irrepserit in argumentum hujus epistolæ, nisi quia in fine ejusdem epistolæ sermo est de episcopio administrando, quod forte vacabat morte Eutherii. Verum non agitur de Eutherii episcopio, sed de Romano, pro quo regendo diaconum illum retinuerat Gregorius. Gussanv.

[c] Idem forsan est qui postea fuit apocrisiarius Constantinopoli, cujus mentio lib. x, epist. 39, et lib. xii, epist. 24.

[d] Varia erant munia vicedomini, de quibus infra in pluribus epistolis sancti Gregorii. Hoc loco agitur de eo, cujus est episcopium disponere. Interdum dicitur œconomus ecclesiæ, ut lib. v, epist. 55. Et apud Frodoardum, lib. ii Histor. Rhemens., cap. 13; vicedominos Romanæ ecclesiæ habes non semel apud Anastasium, in Vitis pontificum. Erat olim prima ista dignitas in palatio summi pontificis. Ad vicedominum spectabat totius cura familiæ. In processionibus primus post pontificem equitat, ex ordine Romano. Hodie major domus appellatur. De vicedominis vide in Decret., dist. 89, cap. *Diaconum*, et cap. *Quia.* In Decretal., lib. v, tit. 3, *de Simonia*, cap. *Consulere.* Nam qui pro ejusmodi officiis pecunias dabant, simoniæ rei censebantur. Vide et Capitular., lib. iii, cap. 26, et lib. v, cap. 120. Aliquando distinguebantur ab œconomis; hi enim ad clerum, illi ad episcopum pertinebant. Gussanv. Consule Glossarium Cangii. Vicedomini apud Gothos meminit Cassiodorus, lib. v Variar., epist. 14.

Epist. XII. — [a] *Orvieto,* urbs Etruriæ permunita, etiamnum episcopalis.

[b] Præcipua exemptionum causa fuit oppressio subditorum, quam sæpe his in epistolis sanctus Gregorius memorat. Vetus est Ecclesiæ querela, de qua sanctus Bernardus, serm. 23, super Cantica: *Prælati sibi commissis volunt sæpe esse formidini, utilitati raro... Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari quam metui*, etc. Monachis exemptiones sanctus Gregorius fere concessit primus, non passim omnibus, nec ubique, sed paucis et restrictas. Indiligens Gratianus, caus. 25, quæst. 2, cap. 2, abutitur epistola sancti Leonis, ut privilegiorum fingat antiquitatem, repugnante canone Chalcedonensi, et ipsamet sancti Leonis epistola. Gussanv. Hanc Gussanvillæi observationem, licet ultra metas longius feratur, rescindere noluimus, ne de ejus omissione, quod contra nos militaret, conquerendi daretur occasio. Cæterum longe antiquiores Gregorio monasteriorum exemptiones probare facillimum est. Certe monasterium cui præerat quidam Petrus abbas, circa an. 525, liberum erat ab auctoritate episcopi Byzacenæ provinciæ in cujus diœcesi situm erat, et a solo primate Carthaginensi pendebat, ut

ctione permittas, ne denuo querelam de iis quæ dicta sunt prædictus vir venerabilis Agapitus deponere compellatur.

## EPISTOLA XIII.

AD DOMINICUM EPISCOPUM CENTUMCELLENSEM.

*Commendat Luminosam viduam Zemarchi ut ei comitiva servetur.*

Gregorius Dominico episcopo [a] Centumcellensi.

Officii quidem sacerdotalis est ut viduis ac maritali regimine desolatis impertiri solatia debeatis, ut unde in hoc mundo humana conditione privantur, sacerdotali tuitione possint remedia reperire. Quoniam ergo Luminosa, [b] herilis femina relicta clarissimi Zemarchi [c] tribuni, nostræ se post Deum tuitioni commisit, huic vos solatiari in quo sibi necesse fuerit admonemus, nullusque sit ei de quolibet molestus articulo. Sed quia [d] comitivam illam, quam vir ejus agendam susceperat, nunc Theodoro [e] palatino concedente, ipsi est mulieri, ut peragere debeat, attributum, vel quem ipsi placuerit, donec præsentis indictionis celebretur impletio, nullum eamdem quousque expleat inquietare permittas. Ita ergo facite, ut et Deum vobis faciatis pro rebus talibus debitorem, et noster hujuscemodi de impensis a vobis solatiis propensius animus gratuletur.

## 500 EPISTOLA XIV.

AD DEMETRIUM EPISCOPUM NEAPOLITANUM.

*Ut quosdam prius in fide dubios, jam vero catholicam communionem repetentes excipiat.*

Gregorius [a] Demetrio episcopo Neapolitano.

Stephanus præsentium portitor, cum de quibusdam fidei capitulis ejus a via veritatis nutaret intentio, pro hujus rei dubietate a catholicæ se ecclesiæ communione suspenderat, donec eum Deus, veritatis judex, ad viam rectitudinis revocaret, quem recepta satisfactione in fide catholica communicasse cognoscas. Sed quia eum quosdam dubietatis suæ socios ibidem in Neapolitana civitate habere comperimus, hoc nobis de his quoque præfatus Stephanus pollicitus esse dignoscitur; ut si eorum ambiguitatem animæ nostræ interpositionis periculo sanaremus, ipsos etiam ad communionem catholicam sine mora posse [b] vel replicatione converti. Pro qua re præsentibus epistolis admonemus, [c] nostra fide, nostroque sicut ipsi videntur, poposcisse periculo, eos in fidem catholicam communionemque suscipite, quibus potestis modis ad lucem de tenebris revocate. Ne postquam ad nos hujusmodi causa perlata est, si silentio præterimus, de animabus eorum, negligentiæ possimus subire jacturam.

## EPISTOLA XV.

AD BALBINUM EPISCOPUM ROSELLANUM.

*Ut Populonensem Ecclesiam visitet, ac presbyteros diaconosque ordinet, præcipit.*

Gregorius Balbino episcopo [a] Rosellano.

Pervenit ad nos quod [b] Populonensis Ecclesia ita sit sacerdotis officio destituta, [c] ut **501** nec pœnitentia decedentibus ibidem, nec baptisma possit præstari infantibus. Hujus igitur tam piæ rei tamque necessariæ mole permoti, jubemus dilectioni tuæ, ut, hujus præceptionis auctoritate commonitus, memo-

---

patet ex libello supplici ejusdem Petri, dato in concilio Carthaginensi sub Bonifacio civitatis hujus episcopo. Exstat tom. IV Concil. Labb., pag. 1628 et seq. In altero libello supplici, pag. 1646, proferuntur exempla plurima similium exemptionum in Ecclesia Africana. Quæ vero Petrus cum tota sua congregatione de suis privilegiis protulit, videntur approbari a Bonifacio Carthaginensi episcopo.

EPIST. XIII. — [a] Vulgo *Civita Vecchia*, urbs olim episcopalis Etruriæ, a Saracenis quondam excisa, nunc oppidum diœcesis Viterbiensis.

[b] Ita Mss. Vatic., Corb., Norm., etc. cum in Excusis legatur *honesta femina*.

[c] Varii erant tribunorum ordines : tribuni celerum, tribuni ærarii, tribuni plebis, tribuni militum. Leguntur et tribuni voluptatum apud Cassiodorum in libris Variar.; tribuni scholarum, Cod. lib. XII, tit. 11; tribuni Vigilum, ibid., tit. 55. De eorum officio legendi scriptores. GUSSANV.

[d] Comitiva, vulgo, *comitis dignitas*. Hic sumitur pro administratione quadam quæstuosa, quæ aliis committi a palatino potuerit. Talem fuisse crediderim comitivam commerciorum, comitivam metallorum, comitivam horreorum, comitivam auri, comitivam formarum, comitivam riparum et alvei, de quibus Cassiodorus Variarum Epistolarum l. II. Multi sunt hac de re tituli Cod. lib. I, VI, et XII. Porro comitivarum aliæ erant primi ordinis, aliæ secundi, aliæ tertii. In Cod. plurimis locis referuntur variæ comitum species. Comes rerum privatarum, de quo Theodoret. lib. III Hist. Eccles., cap. 11. Comes sacrarum largitionum, sacri palatii, sacri patrimonii, sacri consistorii, militum, domorum, scholarum, patrimonii Italiæ, commerciorum, siliquatariorum, sacræ vestis, sacri stabuli, domesticorum, archiatrorum, fœderatorum, ærarii, excubitorum, metallorum, auri, formarum, riparum, dispositionum, matronarum, morum, horreorum, thesaurorum, palatinus. Comitum originem refert Spartianus ad Adrianum imper., qui cum senatum in aulam suam transtulisset, receptis senatorum optimatibus in amicorum cohortem, ita domesticum quemdam senatum habere cœpit, qui *comitatus* Cæsaris appellatus est, et senatores ipsi, *comites*. Eorum autem consiliis atque ope in bello et pace Augusti utebantur : inde frequens ille *comitum* numerus, de quibus supra, inter quos etiam idem Spartianus in Adriano numerat comitem spathariorum, quem Græci πρωτοσπαθάριον nuncupant, custodum corporis regii præfectum. GUSSANV.

[e] Palatinos hic intelligimus inferioris ordinis comites, qui a comitibus primi ordinis in provincias dirigi solebant. De utrisque titulus est in utroque Codice. De illis scholiastes Juliani Antecessoris, cap. 82. *Palatini dicuntur qui pertinent ad comitem rerum privatarum, vel ad comitem sacrarum largitionum.* Horum etiam Palatinorum meminit Gregorius M., lib. 10, ep. 9, 26, 52, et lib. XI, epist. 25. Sidonius, lib. IV, epist. 24.

EPIST. XIV. — [a] Hic postea ob gravia crimina depositus est, ex Ep. 6. lib. II.

[b] In excusis, *reluctatione*.

[c] Quanta lenitate cum iis sit agendum, qui ad Ecclesiæ redeunt unitatem, docet hoc exemplo S. Gregorius. Vide Conc. Africanum can. 53. et 55. GUSSANV.

EPIST. XV. — [a] Rosellæ vel Rusellæ, urbs olim Etruriæ episcopalis, eversa pridem, cujus rudera hodie *Roselle* vulgo dicta, duobus circiter milliaribus a Rosetto civitate episcopali distans, Senas versus. GUSSANV.

[b] Populonium et Populonia, urbs olim episcopalis Etruriæ, ubi hodie *Populonia destructa*, in ora maris

ratæ Ecclesiæ [d] visitator accedas, ut unum [c] cardinalem illic presbyterum, et duos debeas diacones ordinare. In parochiis vero præfatæ Ecclesiæ tres similiter presbyteros, quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ et morum gravitate prævideris, et quibus in nullo obvient constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ cum digna cautela provideatur Ecclesiæ.

## EPISTOLA XVI.

AD SEVERUM EPISCOPUM AQUILEIENSEM.

*Præcipit ut Romam veniat cum sequacibus suis in synodo judicandus.*

Gregorius [a] Severo episcopo [b] Aquileiensi.

Sicut gradientem per avia, carpentem denuo rectum tramitem tota Dominus aviditate complectitur, ita demum de deserente cognitam veritatis viam majore mœrore quam gaudio quondam de convertente lætatus fuerat contristatur, quia minoris excessus est veritatem non cognoscere, quam in eadem cognita non manere. Aliudque est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur. Et nos si quidem quantum incorporatum te jampridem fuisse in unitate Ecclesiæ gavisi fueramus, abundantius nunc dissociatum a catholica societate confundimur. Pro qua re imminente latore præsentium, [c] juxta christianissimi et serenissimi rerum domini jussionem, ad beati Petri apostoli limina, cum tuis sequacibus venire te volumus, ut auctore Deo aggregata synodo, de ea quæ inter vos vertitur dubietate [d] judicetur. (*Cf. Paul. Diac. l.* III, *c.* 12; *Joan. Diac. l.* IV, *c.* 38.)

## 502 EPISTOLA XVII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS ITALIÆ.

*Ut filii Langobardorum in hæresi Ariana baptizati, ad fidem catholicam concilientur.*

Gregorius universis episcopis Italiæ.

Quoniam nefandissimus [a] Autharit in hac, quæ nuper expleta est paschali solemnitate Langobardorum filios in fide catholica baptizari prohibuit, pro qua culpa eum divina Majestas exstinxit, ut solemnitatem [b] Paschæ alterius non videret, vestram frater-

Tyrrheni contra Ilvam insulam. GUSSANV. De Populonia, vide lib. III Dial., cap. 11, nota *g*.

[c] Dubitant cur episcopo absente diu, nec pœnitentia decedentibus dari nec baptisma præstari possit infantibus, scilicet his qui vetustos mores ex nostris æstimant, obscuriores videntur qui dissonant. Quam pauci tunc essent sacerdotes, non tam ex defectu quem sanctus Gregorius culpat colligo (potuerant enim intra paucos dies multi decessisse), sed ex ipsamet quam in tanta penuria præscribit ordinatione confirmo. Quatuor tantummodo præcipit ordinari, atque ita sanctæ cum digna cautela providetur Ecclesiæ omni fere sacerdotis officio destitutæ. Ex Justiniani novell. 3 constat in tota Constantinop. Ecclesia, quæ ex pluribus coaluerat Ecclesiis, et in qua erant 525 clerici, non plures fuisse quam 60 presbyteros. De re eadem plura dicemus infra. Unum addo: tunc temporis ex can. 6 Conc. Chalced. nulli ordinabantur absolute nulli qui non alicui ecclesiæ, aut martyrio, aut monasterio specialiter, εἰδικῶς, addicerentur et incardinarentur; nulli, *qui non per aliquot annos in eadem Ecclesia militassent*; nullus qui non ante prædicaretur, *εἰ μὴ ἐπιχηρύττοιτο*, id est, publice coram clero et populo proponeretur et probaretur; non, ut fit, coloniæ presbyterorum vacantium e diœcesi in diœcesim transmigrabant, vicariam operam locaturi, aut ex tremendo mysterio victitaturi. Quid mirum si tot adhibitis cautionibus presbyterorum numerus decrescebat? Accedit quod nulli tunc essent episcopi vacantes, qui in aliena diœcesi ordines conferrent; litterarum dimissoriarum, *Ut a quocunque*, etc., nullus usus. GUSSANV.

[d] Episcopo mortuo, aut in crimen vel in amentiam lapso, alius episcopus visitationis onus suscipiebat, ut videre est in causa Contumeliosi, tempore Joannis II papæ, et Agapeti, necnon in pluribus sancti Gregorii epistolis. Post restitutas electiones Hincmarus aliquot in epistolis visitatorum meminit, quos ipse tanquam metropolita, rege annuente, nominabat et delegabat. Vide Sirmondum, ad finem tomi II Conciliorum Galliæ, ubi et formulæ designationis prostant. Cave ne hos visitatores cum aliis confundas, quos Laodicenum conc., can. 57, vocat *περιοδευτάς*, qui quidem non erant episcopi. At de episcopis loquitur sanctus Gregorius ut et Joannes papa II, epist. 3 et 4, in causa Contumeliosi. GUSSANV.

[e] Non est quod hic quisquam de cardinalibus nostræ ætatis somniet, qui nonnisi longo post tempore nati sunt, aut dicendum erit cuique episcopo jus fuisse presbyteros et diaconos constituendi cardinales, quod his in epistolis obvium. Itaque nomen vetus, nova est dignitas, purpura recentior. Per sacerdotem cardinalem intelligo episcopum proprium, et, ut vocant, titularem; cardo et titulus idem. Sic presbyter cardinalis, diaconus cardinalis, qui erant in cardine, id est qui primi erant sui ordinis huic titulo affixi. In jure reperio præfectos cardinales, quos Alciatus ait esse præfectos prætorio in Asia et Africa. GUSSANV. Cardinalis idem est ac præcipuus. Consule Cangium, de vocis hujus sensu, et Alteserram in notis ad hanc epist. Apud Cassiodorum lib. VII Var., epist. 31, occurrit *princeps cardinalis*.

EPIST. XVI. — [a] De Severi schismate ob damnationem trium capitulorum, vide Paulum diaconum, Histor. Langobard. lib. III, cap. 27; Baronium, ad an. 590, num. 43; Bollandum, ad 5 Februarii, pag. 670 et seqq. De tribus istis capitulis dicimus ad epist. 2 lib. olim II, nunc quarti, necnon in Vita sancti Gregorii fusissime.

[b] Aquileia urbs olim Carnorum clarissima, Venetiæ et Istriæ metropolis; cujus episcopi, maxime in schismate ob tria capitula, patriarcharum nomen sibi vindicaverunt, quod, jam exstincto schismate, cum in gratiam sedis apostolicæ rediissent, studio pacis ipsis concessum relictumque est. Hæc autem varias a Gothis et a Langobardis passa calamitates, nunc tandem jacet paucis habitata, ob aeris inclementiam; ejusque sedes patriarchalis Utinum, *Udine*, in provincia Forojuliensi vulgo *Friouli*, translata est. Hic Severus ad quem scribit sanctus Gregorius, epist. olim 40 lib. II, nunc 35 lib. XIII, Gradensis episcopus dicitur, quia tunc episcopi Aquileienses in insula Gradensi sedem habebant. GUSSANV.

[c] Per *rerum Dominum* designat imperatorem, qui scilicet Romanis præerat, de quibus Maro canit: *Romanos rerum dominos*, Æneid. lib. I.

[d] In Excusis, *quod justum fuerit judicetur*. Glossema est quod in nullis Mss. reperimus; evolvimus tamen quatuor Vatic., Reg., Corb., Rhemens., Turon., Norm.

EPIST. XVII. — [a] Aliis *Antharith*, Paulo Diacono *Flavius Authari*, Gregorio Turonensi, lib. X Hist., cap. 3, *Aptacharius*, Langobardorum rex Arianus; de cujus morte ita Paulus Diac., lib. III, cap. 36: *Rex Authari..... veneno, ut tradunt, accepto moritur, postquam sex regnaverat annos*, scilicet anno 590. De Flavii nomine, quod, ut Romanis gratissimum, sumpsit, diximus in Vita sancti Gregorii, lib. II, ubi quoque cætera quæ ad hunc principem pertinent prosecuti sumus.

[b] Sic legendum ex Mss. Excusi autem habent *ut solemnitatem paschalem ulterius*.

nitatem decet cunctos per loca vestra Langobardos admonere, ut quia ubique gravis mortalitas imminet, eosdem filios suos in Ariana hæresi baptizatos ad catholicam fidem concilient, quatenus super eos iram Domini omnipotentis placent. Quos ergo potestis admonete, quanta virtute valetis eos ad fidem rectam suadendo rapite, æternam eis vitam sine cessatione prædicate; ut cum ad districti veneritis conspectum judicis, possitis ex vestra sollicitudine lucrum in vobis ostentare pastoris. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 50.)

## EPISTOLA XVIII.

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut Marcello ad victum et vestitum necessaria provideat, pastores in lapsorum locum et vicem curet substitui.*

Gregorius Petro subdiacono.

Insinuatum nobis est Marcellum [a] Barunitanæ Ecclesiæ, ibidem in Panormitana civitate, in monasterio sancti Adriani in pœnitentiam deputatum, non solum victus necessitatem pati, sed et nuditatis nimiam sustinere molestiam. Pro qua re necesse habemus strenuitati tuæ præsenti jussione præcipere, ut ipsi pro victu et vestimento stratoque [b] ad continentiam, pueroque ejus **503** annonam, quantum prospexeris satis esse, constituas; ut inopia nuditasque ejus tali providentia possint habere consultum, ut ea quæ eidem viro deputaveris, tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac, ut et nostram jussionem impleas, et tu quoque hoc ipsum bene disponendo, hac ipsa possis participari mercede. Præterea hoc tibi indagandum mandare curavimus, veteri quæ jam inoleverat consuetudine postposita, ut si quæ civitates in provincia Siciliæ pro peccatis per sacerdotum lapsus a pastorali regimine vacare noscuntur, de clero Ecclesiarum ipsarum, vel ex monasteriis, si qui digni ad sacerdotalem locum possunt inveniri, perspicias, et ad nos inquisita primitus morum gravitate transmittas, ut grex uniuscujusque loci per pastoris lapsum inveniri non debeat longo tempore destitutus. Si vero vacantia quidem loca repereris, et nullus tali dignitate ex eadem Ecclesia congruus inveniatur, ad nos similiter inquisitione solerti renuntia, ut Deus quem dignum talibus ordinationibus judicaverit, valeat [c] provideri. Non enim oportet ut unius excessu grex dominicus [d] per prærupta possit sine pastore diffluere. Ita enim et locorum ordinatio proveniet, et revertendi [e] lapsis ad gradum priorem, quo melius pœniteant, suspicio non manebit.

## EPISTOLA XIX.

### AD NATALEM EPISCOPUM SALONITANUM.

*Honoratum archidiaconum suo gradui restituat; deinde, si manet controversia, Romæ causam dicant.* (*Vide l.* II, *ep.* 18.)

Gregorius Natali episcopo Salonitano.

Gesta (*Grat. dist.* 74, *cap.* 2) quæ nobis in concilii vestri confecta [a] secretario direxistis, in quibus ardulgentiam in persona incestuosi Corinthii exhibet Theodoretus, hæretic. Fabul. lib. v, cap. 28, de pœnitentia : *De eo autem qui Corinthi fornicatus est, quid dicent, qui non solum divinis sacramentis dignus est habitus, sed docendi quoque gratiam assecutus est? Quare cum tanquam de vero, docto et sapiente se jactarent, qui sub eo erant, divinus Apostolus illos reprehendit, dicens : « Et vos inflati estis, et non potius luctum habuistis, ut tollatur de medio vestrum qui hoc fecit. » Sed tamen cum eum qui doctor erat, et maximum flagitium patrare ausus fuerat, Satanæ tradidisset, rursus illum ex ejus manibus eripuit, et corpori Ecclesiæ tradidit,* etc. Tum concludit : *Hujusmodi habebant commiserationem Ecclesiæ magistri. Erant enim medici spirituales, sanorum quidem valetudinem conservantes, male autem affectorum morbos profligantes.* Gussanv. De irrevocabili lapsorum clericorum depositione, infra, ad epist. 52, lib. IX.

---

Epist. XVIII. — [a] Ita scribitur in plerisque Mss. In uno tamen e Vaticanis legitur, *Barrolitanæ*, in alio *Barulitanæ*. In Excusis, *Barbicanæ*, vel *Barubicanæ*.

[b] Id est, ad ipsum in vita continendum, ne egestate pressus deficiat. Gall., *pour sa subsistance, son entretien.* Hanc vocem eodem sensu usurpat, infra, epist. 44; lib. III, epist. 28; lib. V, epist. 30; Pastoral. III part., cap. 20, adm. 21.

[c] Vulgati, *ut Deus..... valeat providere.* Certe contra Mss. fidem. Sensus est : *ut valeat provideri is quem Deus dignum judicaverit.* Verum non raro Gregorius præpostero ordine voces disponit et contexit.

[d] In Norm., Corb., Turon., *per præsumpta.*

[e] Istius vocis non unus est in ecclesiasticis monumentis significatus. Siquidem alii idololatria, alii hæresi, alii schismate, alii corpore labebantur. His quasi lapsu graviore aut certe fœdiore ruissent, si clerici essent, nulla spes erat revertendi ad gradum priorem, secundum disciplinam illorum temporum, quam pluribus in epistolis vir sanctus repræsentat. Concinit cum Epaonensi, cap. 22, Agathensi, cap. 50 : *Si episcopus, presbyter, aut diaconus capitale crimen commiserit, aut chartas falsaverit, aut testimonium falsum dixerit, ab officii honore depositus, in monasterio retrudatur, et ibi quandiu vixerit, laicam tantummodo communionem accipiat.* Innocentius I, epist. 2, ad Exuperium, rigidus adversus sacerdotes incontinentes. Neocæsariense, cap. 9 et 10, obscurius loquitur, et alias difficultates movet. Quamobrem cur cum libellaticis et sacrificatis, cum hæreticis et schismaticis facilius aliquando dispensatum sit, non liquet. Fortassis extranei alliciendi erant quoquomodo, filii severius castigandi. Monet sanctus Augustinus lib. II contra Cresconium, cap. 16, aliter paganos, aliter hæreticos recipi. Sic Donatistis nihil non concedit, ut ad Ecclesiæ redeant unitatem. De iis qui carne lapsi sunt, legat studiosus sanctum Augustinum, epist. 64, ad Aurelium, ubi locum explicat Rom. XIII, quæritque cur hoc vitii genus acerrime præ cæteris ab Ecclesia vindicetur. Ejus tamen in-

---

Epist. XIX. — [a] Vox apud jurisconsultos obvia, pro loco in quo judices causas audiunt. In conciliis et scriptoribus ecclesiasticis usurpatur pro parte templi ab aliis secreta, in quam episcopus, sacerdotes et ministri sese recipiebant ante et post sacrum. Sic apud Severum Sulpicium, dialogo 2, de Vita sancti Martini, cap. 1. Conc. Laodicenum, can. 21, appellat secretarium sive diaconicum. Sidonius Apollin., lib. V, epist. 17, vocat receptorium. Sanctus Gregorius, epist. 56, lib. V, salutatorium. Erat autem secretarium majus, et secretarium minus. Majus proprie salutatorium dicebatur, quod in eo episcopi sacra facturi, antequam ad altare procederent, fidelium salutationes exciperent, seu illorum se orationibus commendarent. In illo filii Ecclesiæ admittebantur, viduæ profitebantur, et cogebantur quandoque concilia. Carthagin. concil. tertium, quartum, sextum, septimum, Milevitanum atque Africanum plenarium habita sunt *in secretario basilicæ*, ut habet singulorum inscriptio. Cæsaraugustanum quoque et Arelat. secundum. Locum in quo habita est synodus Chalcedon. secretarium vocat Liberatus Diac., in Breviario, cap. 13. Vide lib. III, epist. 56. Ipsum in inferiori

chidiaconus Honoratus [b] addicitur, plena esse cognevimus **504** semine jurgiorum, cum uno eodemque tempore una persona nolens ad sacerdotii honorem provehitur, quæ tanquam immerita [c] a diaconatus officio removetur. Et sicut justum est ut nemo crescere compellatur invitus, ita censendum puto, ne quisquam insons ab ordinis sui ministerio dejiciatur injuste. Verumtamen quia inimica Deo discordia [d] tuas partes excusat, locum et administrationem suam Honorato archidiacono restituas commonemus, atque concordes divinis ministeriis competentia exhibere servitia. Audientiæ et quæstioni nostræ, si adhuc inter vos causa nutritur scandali, prædictus archidiaconus occurrat admonitus, atque dilectio tua pro partibus suis dirigat personam instructam, quibus præsentibus solatiante nobis Domino, deposito studio personarum, quæ competunt favori justitiæ decernere valeamus.

## [a] EPISTOLA XX.

AD HONORATUM DIACONUM SALONITANUM.

*De contentione ipsius contra episcopum suum, et de custodia rerum Ecclesiæ.*

Gregorius Honorato [b] diacono [c] Salonitano.

Ea quæ nobis contra vos tu et episcopus tuus contraria direxistis scripta agnoscentes, doluimus, eo quod inter vos nihil charitas recognoscit. Verumtamen te in officio ordinis tui administrare præcipimus; et si illic potest, superante gratia, causa vestri scandali definiri, multum credimus vestræ animæ acquisivisse. Sin vero ita discordia inter vos partes suas armavit, [g] ut in tumore **505** scandali voluntas vestra debeat remanere, tu ad nostram audientiam [d] indifferenter occurre, et episcopus tuus pro se dirigat quam elegerit personam instructam; ut omnia subtili ratione perpensa constituere, quæ visa fuerint partibus, debeamus. Scire vero te volumus (*Extra de officio Arch. c.* 3), quod a te omnia districte quæsituri sumus; [e] quia vel propriæ ecclesiæ, vel quæ de diversis ecclesiis [f] cimelia sunt collecta, sub omni nunc sollicitudine et fide servantur. Quod si quid ex eis vel negligentia, vel cujusquam fraude deperierit, tu in hoc reatu constringeris, qui per archidiaconatus ordinem custodiæ ejusdem ecclesiæ arctius implicaris.

## EPISTOLA XXI.

AD NATALEM EPISCOPUM SALONITANUM.

*De pontificatu gratulanti animum aperit, atque orationis deposcit subsidium.*

Gregorius Natali episcopo Salonitano.

Scripta (*Grat. dist.* 74, *cap.* Gesta) reverentiæ tuæ, quæ [a] processioni nostræ gratias referebant, offerente Stephano diacono, quem direxistis, accepimus; et nimirum valde credenda sunt gratia et studio charitatis impensa, dum [b] pontificatus vestri congaudere ordinem ratio commonebat. Idcirco nos salutationis tuæ causa redditi lætiores, conscientiam nostram indicamus, ipsius honoris onera me ægro animo suscepisse. Sed quia [c] divinis judiciis non poteram [d] resultare, necessario mentem meam parti lætiori revocavi. Pro qua re reverentiam vestram epistolario sermone deposcimus, ut tam nos quam Christianus grex curæ nostræ commissus orationis vestræ solatiis perfruamur, quatenus ea valeamus præsidii firmitate procellas temporum superare. [c] Mense Februario, indictione nona.

parte navis ad Austrum collocabant. Vide Mabillon., Comment. in Ord. Rom., § 3. In istis porro salutatoriis erant quandoque mansiones, ut videre est apud Gregorium Turon., lib. II Histor., cap. 21, et lib. VII, cap. 22. Secretarium minus, in quo sacerdotes sacra facturi sacras vestes induebant, aut alia quæ ad sacram liturgiam spectant, exsequebantur. Hæc innuere videtur Sev. Sulpicius, loco supra citato. *Partim ex* GUSSANV.

[b] In multis Vaticanis, *accusatur*.

[c] Archidiaconatum intellige, qui non presbytero, ut fit, sed solis diaconis competebat, ut ex hac epistola liquet. Qui multa de diaconis vulgo incognita scire avet, legat Codinum, de offic. aulæ Constant., et Joannem episcopum Citri, in Respons. ad Cabasilam. GUSSANV. Cur Natalis Honoratum ad presbyteratum promovendo ab archidiaconatu vellet dejicere, infra patebit. Sic olim Anatolius CP. patriarcha Ætium archidiaconum sibi invisum, ut ab archidiaconatu amoveret, presbyterum fecit; *Qui*, inquit sanctus Leo, epist. 84, ad Marcianum, *non inveniens quod argueret in fide, quod improbaret in moribus, dejectionem innocentis per speciem honoris implevit.*

[d] Editi, *accusat*, cum legatur *excusat* in omnibus fere Mss. Vatic., Reg., Corb., Norm., etc.

EPIST. XX (*Al.* 10).— [a] Præmittitur in Colb. *mense Novemb. indict.* 9. Consentiente Turon. S. Gat. In Alb. seu Andeg., ut in Editis, legitur, *mense Decembri*, etc.

[b] In excusis, *archidiacono*; at non ex Codd. Mss.

[c] Salona erat olim Dalmatiæ metropolis, in ora littorali ad fluvium Salonem, hodie excisa. Ex ejus ruinis crevit Spalatum urbs, ad quam translatus est archiepiscopatus, vulgo *Spalatro*.

[d] Corrupte in Vulgatis, *ut in timore*.

[e] Ita Mss. Vaticani et cæteri. Significat, *absque dilatione*.

[f] Hanc lectionem in Vatic., Reg., Norm. et al. Mss. repertam prætulimus vulgatæ : *si non ea quæ vel propriæ*, etc., *serventur*.

[g] Cimelia hic sunt vasa, ornamenta, resque Ecclesiæ, quarum cura penes archidiaconum erat. In epist. 50. lib. III, meminit Greg. *cimeliarchii* Ecclesiæ. Consule si vacat amplissimam Gussanv. observationem ad hunc locum. Porro quam pretiosis ornamentis olim Ecclesiæ ditarentur, vel ex hoc intelligitur quod Optatus, lib. I de Schism. Donat., cap. 18, scribit de Carthag. Ecclesiæ opibus, sæviente licet persecutione : *Erant enim Ecclesiæ ex auro et argento quamplurima ornamenta, quæ nec defodere, nec secum portare poterat* Mensurius, episcopus Carthag. *quæ quasi fidelibus, senioribus commendavit, commemoratorio facto.*

[a] EPIST. XXI (*Al.* 20). — Hoc est, *provectioni* seu *promotioni*, ut etiam legitur in duobus Vat.

[b] Editores mutarunt *vestri* in *nostri*, inconsultis mss. Codicibus, nam in omnibus Norm., in 4 Vatic., etc., legitur *vestri*.

[c] Denotare videtur columnam illam fulgidam, quæ supra Gregorium latitantem apparuit, de qua Joan. Diac., lib. I, cap. 44. GUSSANV.

[d] Id est, *resilire*, *resistere*. Vide lib. VII. Moral. *Resultatio* etiam legitur in eodem sensu, lib. VIII Moral., num. 59, et lib. IX, num. 22. Sic Histor. Tripart. lib. V, cap. 11 : *De resultatione Judæorum.... tentabant resultare Romanis.*

[e] In Colb. hæc ad epistolam sequentem videntur pertinere. Leguntur in Turon. S. G.

## EPISTOLA XXII.

AD NONNOSUM.

*Maurentium de possessione quam petiit dicit se exauditurum.*

Gregorius Nonnoso.

Omnipotens Deus cordi vestro indicet quanta devotione ac dilectione vobis conjungor. **506** Et si hanc per epistolas implere nequeo, si quando tamen opportunitatem inveniam, rebus ostendere curabo. Salutationis præterea alloquium solvens, indico quia veniente humili vestro domno Maurentio de possessione quam gloria vestra petiit, per omnia parebimus.

## EPISTOLA XXIII.

AD GREGORIUM PRÆPOSITUM ITALIÆ.

*Mutuam testatur dilectionem.*

Gregorius Gregorio [a] præposito Italiæ.

Bonitatem [b] excellentiæ vestræ, quam semper cognitam habui, nunc experimento superaddito recognovi. Unde omnipotentem Deum deprecor, ut sua vos protectione custodiat, vobisque et apud se gratiam, et apud serenissimos principes largiatur. Si autem nullæ hominum qui intersunt pravitates [c] nos dividant, esse me vestrum proprium valde certum tenete. [d] Quod in omnipotente Domino confido, quia hoc vobis etiam per documentum meæ attestationis ostendo. Salutationis igitur alloquium solvens, peto ut quoties usus exegerit, vestris me affatibus relevare curetis.

## EPISTOLA XXIV.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Ut quibusdam ancillis Dei Paulino presbytero, et duobus monachis certam solidorum summam eroget.*

Gregorius [a] Anthemio subdiacono.

Insinuatum nobis est ancillas Dei quasdam [b] Nolanæ civitatis, in [c] Aboritana domo commorantes, A nimiam victus vestitusque penuriam sustinere. Quibus ex præcepto Dei subvenire nos convenit, et inopiam earum, in quantum possumus, donante Domino, sublevare. Propterea experientiæ tuæ præsenti jussione mandamus, ut de hac præsenti nona indictione, quadraginta in auro eis solidos dare debeas, et deinceps succedentibus indictionibus annuos viginti solidos ministrare, qui tuis possint rationibus imputari. Præterea Paulino presbytero monasterii sancti Erasmi, quod in latere [d] montis Soractis situm est, sed et duobus monachis in oratorio sancti Archangeli servientibus, quod in [e] Lucullano castro **507** juxta sancti Petri basilicam esse dignoscitur, binos te in præsenti tantummodo solidos dare præcipimus, qui et ipsi tuis rationibus imputentur. Ita ergo fac, ut B impensæ mercedis tu quoque participium sortiaris.

## EPISTOLA XXV.

AD JOANNEM EPISCOPUM CONSTANTINOPOLITANUM, ET CÆTEROS PATRIARCHAS.

*Pastoris onus, dotes, officia late prosequitur, ac demum fidem ad conciliorum normam profitetur.*

[a] Gregorius Joanni Constantinopolitano, [b] Eulogio Alexandrino, [c] Gregorio Antiocheno, Joanni Jerosolymitano, et [d] Anastasio expatriarchæ Antiocheno, [e] a paribus.

Consideranti mihi quod impar meritis, at toto animo renitens, pastoralis curæ pondera portare compulsus sum, caligo mœroris occurrit, et triste cor nihil aliud nisi eas quæ videri nil sinunt tenebras videt. Nam quid antistes a Domino, nisi pro delictis C populi intercessor eligitur? Qua itaque fiducia ad eum pro peccatis alienis intercessor venio, apud quem de propriis securus non sum? Si fortasse quispiam apud potentem virum, qui et sibi iratus, et mihi esset incognitus, intercessorem suum me fieri

EPIST. XXII (*Al.* 21).

EPIST. XXIII (*Al.* 22). — [a] Hujus Gregorii dignitatem nosse difficillimum est ex hujus epist. inscriptione. Nam in duobus Vatic. legitur, *episcopo* Italiæ, ut etiam exstat in Colb. vet. In uno Vatic., *præfecto Italiæ*. In Rhemensi, *Italiæ præposito*, consentiente altero Colb., Pratell., Michael. et aliis. Plurimi tamen ex Normannis habent simpliciter, *præposito*. Episcopum non fuisse Gregorium vel ex titulo excellentiæ liquet.

[b] Titulus honoris quo Gregorius utitur erga reges, reginas, exarchos, et alios summæ dignitatis et auctoritatis viros, ut infra sæpe videbimus.

[c] Vulgati, *vos dividant*, contra Mss. fidem.

[d] Additur in Excusis, *et vobis dilectione conjun-* D *ctum*, quæ cum absint a quatuor Vatic., a Reg., Corb., Norm., etc., in nullo enim Codice veteri reperta sunt, resecanda duximus.

EPIST. XXIV (*Al.* 23). — [a] Ex plurimis ad eum scriptis Epistolis, ut index docebit, notissimus est Anthemius.

[b] Nola urbs etiamnum episcopalis Campaniæ, sub archiepiscopo Neapolitano, sede sancti Paulini notissima. GUSSANV.

[c] Varie legitur hæc vox in Mss. : *Horridana*, *Aboritana*, *Aboridana* in pluribus.

[d] Mons est in Etruria hodie *monte di San Oreste*, ab oppido ei adjacente. GUSS. De hoc monte jam dictum in Dialogis, lib. I, cap. 7.

[e] Parva est Campaniæ insula ante Neapolim cui ponte jungitur. Nunc dicitur : *Castello dell Ovo*, a forma illius insulæ.

EPIST. XXV (*Al.* 24). — [a] Ita restituimus hunc titulum viginti saltem mss. Codicum beneficio, quibus concordant Editiones antiquæ, Veneta 1504, Paris. 1508, 1571, et aliæ. Eodem modo legitur apud Joannem Diaconum, lib. II, cap. 3, et apud Ivonem, part. IV, c. 117. De hoc Joanne, dicto Jejunatore, vide quæ supra diximus, epist. 4. GUSSANV. In Ed. Vatic. exciderat *Gregorio Antioch.* In aliis Excusis legitur, *Anast. Patriarchæ;* scribere *expatriarchæ* coacti sumus auctoritate quatuor Mss. Vatican., Norm., Anglic. et fere omnium.

[b] De Eulogio, vide, infra, epist. 52.

[c] Hic e monte Sina monachus in locum Anastasii Magni, a Justino imperatore pulsi ann. 572, subrogatur. Vir sane magnarum virtutum, nisi viventis episcopi et tanti viri sedem occupasset. De eo mira dicit Evagrius libro quinto, capite 6, et Nicephorus, lib. XVII, cap. 36. Cum autem per annos XXIII sedem Antiochenam pacifice rexisset, decessori eamdem reliquit moriens ann. 594. GUSSANV.

[d] De eo, supra, epist. 7.

[e] Id est, eodem exemplo, scilicet, quia plures epistolæ ad singulos exemplis paribus mittebantur. Eodem modo habetur epist. 89 hujus libri, et epist. olim 39 et 111 lib. VII, indictione 2, nunc 69, et 106 lib. IX. Videtur nonnullis idem esse quod litteræ *pariculæ* vel *pariclæ*, estque conjectura clarissimi viri Hieronymi Bignonii, in notis ad Marculfum. Alia est opinio Claudii Salmasii, ex libro de modo usurarum,

quæreret, protinus responderem : Ad intercedendum venire nequeo, quia ejus notitiam ex sedula familiaritate non habeo. Si igitur recte homo apud hominem, de quo minime præsumpsissem, fieri intercessor erubescerem, quantæ hoc audaciæ est, quod apud Deum pro populo locum intercessoris obtineo, cui familiarem me esse per vitæ meritum non agnosco? Qua in re est mihi adhuc aliud gravius formidandum, quia sicut cuncti liquido novimus, cum is qui displicet, ad intercedendum mittitur, irati ad deteriora animus provocatur. Et valde pertimesco ne commissa mihi plebs fidelium reatus mei additamento depereat, cujus nunc usque delicta Dominus æquanimiter tolerabat. Cum vero utcunque hunc timorem supprimo, et consolatam mentem ad pontificalis operis studia accingo, considerata ipsa rei immensitate deterreor. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 3.)

**508** Perpendo quippe quod omni cura vigilandum est ut rector cogitatione sit mundus, operatione præcipuus, discretus in silentio, utilis in verbo, singulis compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, bene agentibus per humilitatem socius, contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus. Quæ videlicet cuncta dum subtili studeo inquisitione perscrutari, ipsa me in singulis latitudo considerationis angustat. Nam sicut prædixi, curandum summopere est ut rector cogitatione sit mundus, quatenus nulla hunc immunditia polluat, qui hoc suscepit officii, ut in alienis quoque cordibus pollutionis maculas tergat. Quia necesse est (*Caus.* I *Q.*, *cap. Necesse est*) ut esse munda studeat manus, quæ diluere sordes curat, ne tacta quæque deterius inquinet, si sordida ipsa insequens lutum tenet. Scriptum namque est : *Mundamini, qui fertis vasa Domini* (*Isai.* LII, 11). Domini etenim vasa ferunt, qui proximorum animas ad interna sacraria perducendas in conversationis suæ exemplo suscipiunt. Apud semetipsum ergo quantum debeat mundari conspiciat, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ conversationis portat. Hinc divina voce præcipitur (*Exod.* XXVIII, 22, *seq.*), ut in Aaron pectore [f] rationale judicii vittis ligantibus imprimatur, quatenus sacerdotale cor nequaquam cogitationes fluxæ possideant, sed ratio sola constringat. Nec indiscretum quid vel inutile cogitet, qui ad exemplum vitæ aliis constitutus ex gravitate semper debet ostendere quantam in pectore rationem portet.

In quo etiam rationali vigilanter adjungitur, ut duodecim patriarcharum nomina describantur. Ascriptos enim Patres in pectore ferre, est antiquorum vitam sine intermissione cogitare. Nam tunc sacerdos irreprehensibiliter graditur, cum exempla Patrum præcedentium indesinenter intuetur, cum sanctorum vestigia sine cessatione considerat, et cogitationes illicitas deprimit, ne extra ordinis sui limitem pedem operis tendat. Rursum cum me ad consideranda debita pastoris opera confero, perpendo quanta intentione curandum est ut sit operatione præcipuus, quatenus vitæ viam subditis vivendo denuntiet, et grex, qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur. Qui enim loci sui necessitate cogitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum **509** cor penetrat, quam dicentis vita commendat; quia quod loquendo præcipit, ostendendo adjuvat ut fiat. Hinc enim per prophetam dicitur : *Super montem excelsum ascende tu qui evangelizas Sion* (*Isai.* XL, 9). Ut videlicet qui cœlesti prædicatione utitur, ima jam terrenorum operum deserens, in rerum culmine stare videatur, tantoque subditos facilius ad meliora pertrahat, quanto per vitæ meritum de supernis clamat. Hinc divina lege armum sacerdos in sacrificium et dextrum accipit et separatum (*Levit.* VII, 33, *seq.*), ut non solum sit ejus operatio utilis, sed etiam singularis; nec inter malos tantummodo quæ recta sunt faciat, sed bene quoque operantes subditos, sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat. Cui in esu quoque pectusculum cum armo tribuitur, ut quod de sacrificio præcipitur sumere, hoc de semetipso discat Conditori suo immolare. Et non solum pectore quæ recta sunt cogitet, sed spectatores suos ad sublimia armo operis invitet. Nulla præsentis vitæ appetat, nulla pertimescat, blandimenta mundi, respecto intimo terrore, despi-

ubi ait : *paricalam chartam*, Græcis τὸ ἴσον, esse exemplum quod ex authentico exemplari descriptum est; unde *exemplare*, *describere ex authentico*, ita ut par sit τῷ πρωτοτύπῳ. Et sic *paricalæ* chartæ diversæ sunt ab authenticis et originalibus, ut Græcis τὸ ἴσον, et τὸ ἰσότυπον diversum est ab ἀρχετύπῳ et πρωτοτύπῳ. GUSSANVIL. Consule, si placet, Mabillon., *De re diplomat.*, *lib.* I, *cap.* 2, *num.* 7. Idem loquendi modus infra, epist. 80, et lib. IX, epist. 60 et 106. Lege Cod. Theod., tit. de sententiis et pariculo recitatis.

Alio modo quid significet *a paribus* explicatur in Ms. Pratell., in nota ad epist. 28, lib. IX. Antonio subd. *charta quæ in distractione et emptione possessionis fieri solet*, a paribus *proprie dicitur; pro eo quod exemplar illud tam apud emptorem quam apud distractorem retinetur atque servatur. Proinde beatus Gregorius interdum hujusmodi ritu usus est, dirigens epistolas suas ad diversas personas; retinebat enim exemplar apud se, ne forte cassaretur vel corrumperetur epistola sua in itinere.* Hæc nota ejusdem est antiquitatis ac ipse Codex, qui nec an. ætatem præfert. Juxta conjecturam hanc omnes Gregorii epistolæ *a paribus* dici potuissent. De ordine patriarcharum, ut hoc loco servatur, diximus in Vita sancti Gregorii, lib. II, cap. 1, et de inscriptione *a paribus* disseruimus.

[f] De eo Exod. XXVIII. Hebr. חשן, *chosen*, Græcis, λόγιον, aliis λογεῖον. De qua voce Budæus, in comment. linguæ Græcæ. *Apud antiquos* (ait) *dicebatur λόγιος, qui unaquaque natione patria instituta interpretari et eloqui poterat..... postea omnes diserti sic appellati; item vates seu fatidici.* Λόγιον autem est oraculum seu responsum divinum oratione soluta, ut χρησμὸς, versibus, secundum quosdam grammaticos. Vide Philonem, de Vita Mosis, lib. III, sed præcipue sanctum Hieronymum, ad Fabiolam, de veste sacerdotali, qui legit קשן. Porro de *rationali* eadem verba reperies in secunda parte Pastoral., cap. 2. GUSSANV.

ciat, terrores autem considerato internæ dulcedinis blandimento contemnat. Unde supernæ quoque vocis imperio, in utroque humero sacerdos velamine superhumeralis astringitur, ut contra adversa et prospera virtutum semper ornamento muniatur, quatenus juxta Pauli vocem (*II Cor.* VI, 7), *Per arma justitiæ a dextris sinistrisque* gradiens, cum ad sola quæ anteriora sunt nititur, in nullo delectationis infimæ latere flectatur. Non hunc prospera elevent, non adversa perturbent, non blanda usque ad voluptatem demulceant, non aspera ad desperationem premant; ut dum nullis passionibus intentionem humiliat, quanta in utroque humero superhumeralis pulchritudine tegatur, ostendat.

Quod recte etiam superhumerale ex auro, hyacintho, purpura, bis tincto cocco et torta fieri bysso præcipitur, ut quanta sacerdos clarescere virtutum diversitate debeat demonstretur. In sacerdotis quippe habitu ante omnia aurum fulget, ut in eo intellectus sapientiæ principaliter emicet. Cui hyacinthus qui aereo colore resplendet adjungitur ut per omne quod intelligendo penetrat, non ad favores infimos, sed ad amorem cœlestium surgat, ne dum suis incautus laudibus capitur, ipso etiam veritatis intellectu vacuetur. Auro quoque ac hyacintho purpura permiscetur, ut videlicet sacerdotale cor, cum summa quæque prædicat, etiam in semetipso suggestiones vitiorum reprimat, eisque velut ex regia potestate contradicat, quatenus nobilitatem semper intimæ regenerationis aspiciat, et cœlestis regni habitum moribus defendat. De hac etiam nobilitate spiritus per Petrum dicitur : *Vos autem genus electum, regale sacerdotium* (*I Petr.* II, 9). De hac etiam potestate, qua vitia subigimus, Joannis voce roboramur, qui ait : *Quotquot autem receperunt eum, dedit eis potestatem filios Dei fieri* (*Joan.* I, 12). Auro autem, ac hyacintho, et purpuræ bis tinctus coccus adjungitur, ut ante interni judicis oculos omnia virtutum opera ex charitate decorentur, et cuncta quæ coram hominibus rutilant, hæc in conspectu occulti arbitri flamma intimi amoris accendat. Quæ scilicet charitas, quia Deum simul et proximum **510** diligit, quasi coccus ex duplici tinctura fulgescit. Qui igitur sic ad auctoris speciem anhelat, ut proximorum curam negligat, vel sic proximorum curam exsequitur, ut a divino [g] amore torpescat, quia unum horum quodlibet negligit, in superhumeralis ornamento habere coccum bis tinctum nescit. Sed cum mens ad præcepta charitatis tenditur, restat procul dubio ut per abstinentiam caro maceretur. Unde et bis tincto cocco torta byssus adjungitur, de terra enim byssus nitenti specie oritur. Et quid per byssum, nisi [h] candens decore munditiæ corporalis castitas designatur? Quæ videlicet torta pulchritudini superhumeralis innectitur, quia tunc castimonia ad perfectum munditiæ candorem ducitur, cum per abstinentiam caro fatigatur. Cumque inter virtutes cæteras etiam afflictæ carnis meritum proficit, quasi in diversa superhumeralis specie byssus torta candescit.

Rursum cum me ad considerandum debitum Pastoris verbum ac silentium confero, paventi cura perpendo, quod valde necesse est ut et discretus sit in silentio, et utilis in verbo, ne aut tacenda proferat, aut proferenda reticescat. Nam sicut incauta locutio in errorem pertrahit, ita indiscretum silentium hos qui erudiri poterant in errore derelinquit. Sæpe namque rectores improvidi humanam amittere gratiam formidantes, loqui recta libere pertimescunt; et, juxta Veritatis vocem (*Joan.* X, 12, 13), nequaquam jam gregis custodiæ pastorum studio, sed mercenariorum vice deserviunt, quia veniente lupo fugiunt, dum se sub silentio abscondunt. Hinc namque eos Dominus per prophetam increpat, dicens : [i] *Canes muti non valentes latrare* (*Isai.* LVI, 10). Hinc rursum queritur, dicens : *Non ascendistis ex adverso, neque opposuistis murum pro domo Israel, ut staretis in prælio in die Domini* (*Ezech.* XIII, 5). Ex adverso quippe ascendere, est pro defensione commissi gregis voce libera hujus mundi potestatibus contraire. Et in die Domini in prælio stare, est pravis decertantibus ex justitiæ amore resistere. Pastori etenim recta timuisse dicere, quid est aliud quam terga tacendo præbuisse? Qui nimirum si pro grege se objicit, murum pro domo Israel hostibus opponit. Hinc rursus delinquenti populo dicitur : *Prophetæ tui viderunt tibi falsa et stulta, nec aperiebant nunc iniquitatem tuam, ut te ad pœnitentiam provocarent* (*Thren.* II, 14). Prophetæ quippe nonnunquam in sacro eloquio doctores vocantur, qui dum fugitiva esse præsentia indicant, quæ sunt ventura manifestant. Quos divinus sermo falsa videre redarguit, quia dum corripere culpas metuunt, incassum delinquentibus promissa securitate blandiuntur. Qui iniquitatem peccantium nequaquam aperiunt, quia ab increpationis voce conticescunt. Clavis quippe apertionis sermo est correptionis, quia increpando culpam detegit, quam sæpe nescit ipse etiam qui perpetravit. Hinc Paulus ait : *Ut potens sit exhortari in doctrina sana, et eos qui contradicunt redarguere* (*Tit.* I, 9). Hinc per Malachiam dicitur : *Labia sacerdotis custodiunt scientiam, et legem requirunt ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Hinc per Isaiam Dominus admonet, dicens : *Clama, ne cesses, sicut tuba exalta vocem tuam* (*Isai.* LVIII, 1). Præconis quippe officium suscipit, quisquis [j] ad sacerdotium **511** accedit, ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur. Sacerdos vero si prædicationis est nescius, quam clamoris vocem daturus est præco mutus? Hinc est enim quod super pastores primos in linguarum specie Spiritus sanctus insedit (*Act.* II, 4), quia

[g] Vulgati, *tepescat.*

[h] Ita Mss. et vet. Ed. At Vatic. et Gussanv., *candens nitore.*

[i] In tribus Vatic., in Norm. et plerisque : *dicens, Non ascendistis*, omisso Isaiæ testimonio. Sic legitur in vet. Ed. Paris. et in Gilot.

[j] In Vulgatis, *ad sacerdotem ascendit.*

nimirum quos repleverit, de se protinus loquentes facit. Hinc Moysi præcipitur ut tabernaculum sacerdos ingrediens tintinnabulis ambiatur, ut videlicet voces prædicationis habeat, ne superni speculatoris judicium ex silentio offendat. Scriptum quippe est : *Audiatur sonitus quando ingreditur vel egreditur sanctuarium in conspectu Domini, et non moriatur (Exod.* XXVIII, 35). Sacerdos namque ingrediens vel egrediens moritur, si de eo sonitus non audiatur, quia iram contra se occulti judicis exigit, si sine sonitu prædicationis incedit. Apte autem tintinnabula vestimentis ejus describuntur inserta? Vestimenta etenim sacerdotis quid aliud quam recta opera debemus accipere, propheta attestante, qui ait : *Sacerdotes tui induantur justitiam* (*Psal.* CXXXI, 16)? Vestimentis itaque illius tintinnabula inhærent, ut vitæ viam cum linguæ sonitu ipsa quoque opera sacerdotis clament.

Sed considerandum quoque est ut rector cum se ad loquendum præparat, sub quantæ cautelæ studio loquatur attendat; ne si inordinate ad loquendum rapitur, erroris vulnere audientium corda feriantur, et cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat. Hinc namque Veritas dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Per sal quippe verbi sapientia designatur. Qui igitur loqui sapienter nititur, magnopere metuat ne ejus eloquio audientium unitas confundatur. Hinc Paulus ait : *Non plus sapere quam oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem* (*Rom.* XII, 3). Hinc in sacerdotis veste juxta divinam vocem, tintinnabulis mala punica conjunguntur (*Exod.* XXVIII, 33). Quid enim per mala punica, nisi fidei unitas designatur? Nam sicut in malo punico [k] una exterius cortice multa interius grana muniuntur, sic innumeros sanctæ Ecclesiæ populos unitas fidei contegit, quos intus diversitas meritorum tenet. Tunc ergo tintinnabulis mala punica jungimus, cum per omne quod dicimus unitatem fidei custodimus.

Rursum, cum me ad considerandum confero qualis rector in compassione, qualisque esse debeat in contemplatione, perpendo ut et singulis compassione sit proximus, et præ cunctis contemplatione suspensus; quatenus et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat, ne aut alta petens proximorum [l] infima despiciat, aut infimis proximorum congruens appetere alta desistat. Hinc est namque quod Paulus in paradisum ducitur, cœlique tertii secreta rimatur (*II Cor.* XII, 2, *seq.*); [m] et tamen illa invisibilium contemplatione suspensa, ad cubile carnalium mentis aciem revocat; et cum sanctum conjugium creandorum sit causa liberorum, aliquid etiam eis et de voluptate largitur, dicens : *Propter fornicationem autem unusquisque suam uxorem habeat, et unaquæque suum virum habeat. Uxori vir debitum reddat, similiter autem et uxor viro* (*I Cor.* VII, 2). **512** Ecce jam cœlestibus secretis inseritur, et tamen per condescensionis viscera carnalium cubile perscrutatur; et quem sublevatus ad invisibilia erigit, hunc mentis oculum ad secreta conjugum inflectit. Cœlum contemplatione transcendit, nec tamen stratum carnalium sollicitudine deserit, quia compage charitatis summis simul et infimis junctus, et in semetipso virtute spiritus ad alta valenter rapitur, et pietate in aliis æquanimiter ad ima revocatur. Pro hac suæ compassione charitatis, iterum dicit : *Quis infirmatur, et ego non infirmor? quis scandalizatur, et ego non uror* (*II Cor.* XI, 29)? Hinc rursus ait : *Factus sum Judæis tanquam Judæus* (*I Cor.* IX, 20). Quod videlicet exhibebat non amittendo fidem, sed extendendo pietatem, et in se personam infidelium transfigurans; ut ex semetipso disceret qualiter aliis misereri debuisset, quatenus hoc illis impenderet, quod sibi ipse, si ita esset, impendi recte voluisset. Hinc iterum dicit : *Sive mente excedimus, Deo; sive sobrii sumus, vobis* (*II Cor.* V, 13); quia et semetipsum noverat contemplando transcendere, et eumdem se auditoribus condescendendo attemperare. Hinc Jacob Domino [n] desuper innitente, et uncto deorsum lapide, ascendentes et descendentes angelos vidit, quia scilicet prædicatores recti non solum sursum sanctum caput Ecclesiæ, videlicet Dominum, contemplando appetunt, sed deorsum quoque ad membra illius miserando descendunt. Hinc Moyses crebro tabernaculum intrat et exit, et qui intus in contemplatione rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur. Intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat. Qui de rebus quoque dubiis semper ad tabernaculum recurrit, coram testamenti arca Dominum consulit; exemplum procul dubio rectoribus præbens, ut cum foris ambigunt quid disponant, ad mentem semper quasi ad tabernaculum redeant, et velut coram testamenti arca Dominum consulant, si de his in quibus dubitant apud semetipsos intus sacri eloquii paginas requirant. Hinc ipsa Veritas per susceptionem nobis nostræ humanitatis ostensa, in monte orationi inhæret, miracula in urbibus exercet; imitationis videlicet viam bonis rectoribus sternens, ut etsi jam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo misceantur, quia tunc ad alta charitas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit; et quo benigne descendit ad infima, eo valenter recurrit ad summa.

In qua videlicet compassione necesse est ut talem se qui præest exhibeat, cui subjecti quique occulta quoque sua prodere non erubescant; ut cum tentationum suarum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem, quasi ad matris sinum, recurrant, et hoc, nulla ratione sic mutarunt, *in illa invisibilium contemplatione suspensus.*

[k] Semper legimus in Mss. *corticem* fem. generis. Vide lib. XXIII Moral., num. 31, et lib. XXV, num. 20.

[l] In Vatic. et aliis, *infirma*; et infra, *infirmis.*

[m] Ita ex communi Mss. consensu; quod Editores

[n] Editi, *Domino scalæ desuper*, etc. Abest *scalæ* in omnibus Mss. Vatic. et aliis melioris notæ. Sic quoque legitur in lib. Reg. Past., I part., cap. 5.

quod se inquinari pulsantis culpæ sordibus prævident, exhortationis ejus solatio lacrymis orationis lavent. Unde et ante fores templi ad abluendas ingredientium manus mare æneum, id est luterem, duodecim boves portant (*III Reg.* VII, 24, 25), qui quidem facie exterius eminent, sed ex posterioribus latent. Quid namque duodecim bobus, nisi universus pastorum ordo signatur? De quibus lex, Paulo disserente, dicit : *Non obturabis* **513** *os bovi trituranti* (*I Cor.* IX, 9). Quorum quidem nos aperta opera cernimus; sed apud districtum judicem, quæ illos posterius maneant in occulta retributione, nescimus. Qui tamen cum condescensionis suæ patientiam abluendis proximorum confessionibus præparant, velut ante fores templi luterem portant; ut quisquis intrare æternitatis januam nititur, tentationes suas menti pastoris indicet, et quasi in boum lutere cogitationis vel operis manus lavet. Et fit plerumque ut dum rectoris animus aliena tentamenta condescendendo recognoscit, auditis tentationibus et ipse pulsetur, quia et hæc eadem per quam populi multitudo diluitur, aqua procul dubio luteris inquinatur. Nam dum sordes diluentium suscipit, quasi suæ munditiæ serenitatem perdit. Sed hæc nequaquam pastori timenda sunt, quia, Deo subtiliter cuncta pensante, tanto facilius a sua eripitur, quanto misericordius ex aliena tentatione fatigatur.

Rursus cum me ad considerandum confero qualis in humilitate, qualisque esse rector debeat in districtione, perpendo, quoniam necesse est ut et bene agentibus sit per humilitatem socius, et contra delinquentium vitia per zelum justitiæ erectus, quatenus et [o] bonis in nullo se præferat, et cum pravorum culpa exigit, prioratus sui potestatem agnoscat; ut et honore suppresso, æqualem se subditis bene viventibus deputet, et contra perversorum culpas ex zelo justitiæ excrescat. Hinc est namque quod Petrus, auctore Deo, sanctæ Ecclesiæ principatum tenens, a bene agente Cornelio, et sese ei humiliter prosternente, immoderatius venerari recusavit, seque illi similem recognovit, dicens : *Surge, ne feceris, et ego homo sum* (*Act.* x, 26). Sed cum Ananiæ et Sapphiræ culpam reperit, mox quanta potentia super cæteros excrevisset, ostendit (*Act.* v, 3, *seq.*). Verbo namque eorum vitam perculit, quam spiritu perscrutante deprehendit; et summum se intra Ecclesiam contra peccata recoluit, quod, honore sibi vehementer impenso, coram bene agentibus fratribus non agnovit. Hic communionem æqualitatis meruit sanctitas actionis, illic zelus ultionis [p] jus aperuit potestatis. Hinc est quod Paulus bene agentibus fratribus prælatum se esse nesciebat, cum diceret : *Non quia dominamur fidei vestræ, sed adjutores sumus gaudii vestri* (*II Cor.* I, 23). Ad quæ ideo adjunxit : *Fide enim statis.* Ac si id quod protulerat aperiret, dicens : Ideo non dominamur fidei vestræ, quia fide statis. Æquales enim vobis sumus, in quo vos stare cognoscimus. Quasi prælatum se esse fratribus nesciebat, cum diceret : *Facti sumus parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7). Et rursus : *Nos autem servos vestros per Christum* (*II Cor.* IV, 5). Sed cum culpam, quæ corrigi debuisset, invenit, illico se magistrum esse recoluit, dicens : *Quid vultis, in virga veniam ad vos* (*I Cor.* IV, 21)? Summus itaque locus tunc bene regitur, cum is qui præest vitiis potius quam fratribus dominatur. Bene acceptam potestatem regit, qui et tenere illam novit et impugnare. Bene hanc regit, qui scit per illam super culpas erigi, scit cum illa cæteris in æqualitate componi.

**514** Sic autem servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis; ne dum prælatus quisque plus se quam decet dejicit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit; et sic servanda est disciplinæ severitas, ne dum plus quam necesse est zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur. Sæpe namque (*Grat. dist.* 41, *cap.* 6) vitia virtutes se esse mentiuntur, ut tenacia parcimonia, effusio largitas, crudelitas zelus justitiæ, remissio pietas velit videri. Disciplina ergo vel misericordia multum destituitur, si una sine altera teneatur. Sed magna discretionis arte servanda est, et juste consulens misericordia, et pie feriens disciplina. Hinc namque est quod docente Veritate per Samaritani studium semivivus in stabulum ducitur, et vinum atque oleum vulneribus ejus adhibetur (*Luc.* x, 33, *seq.*); ut per vinum scilicet mordeantur vulnera, et per oleum foveantur. Necesse quippe est ut is qui sanandis vulneribus præest, in vino morsum doloris adhibeat, in oleo mollitiem pietatis, quatenus [q] per vinum mundentur putrida, per oleum sananda foveantur. Sit ergo amor, sed non emolliens; sit vigor, sed non exasperans: Quod bene illa tabernaculi arca significat, in qua cum tabulis virga simul et manna est; quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore, si est virga districtionis, sit et manna dulcedinis.

Suscepto itaque pastoralis curæ onere, cum cuncta hæc atque alia hujusmodi multa considero, videor quod esse non possum, maxime quia hoc in loco quisquis Pastor dicitur, curis exterioribus graviter occupatur; ita ut sæpe incertum fiat utrum pastoris

[o] Multis hanc sententiam explanat quasi gravissimam, ne prælatio sit ambitionis argumentum et dominationis fomentum. Legant sanctum Bernardum, in Cantica, serm. 23 : *Discite subditorum matres vos esse debere, non dominos; studete magis amari quam metui; et si interdum severitate opus est, paterna sit, non tyrannica..... Quid jugum vestrum aggravatis super eos quorum potius onera portare debetis?* Præivit sanctus Paulus ad Rom. XIII disserens de principibus sæculi, *qui non sunt timori boni operis, sed mali.* Merentur laudem qui bonum faciunt, nec est quod a potestate timeant. GUSSANV.

[p] In Excusis, *vim aperuit.* Sequimur Codd. Anglic., Norm., Corb., etc.

[q] Ita quatuor Vatic., Norm., etc., ubi Excusi habent, *per vinum mordeantur.* Infra iidem exhibent, *rigor* pro *vigor.*

officium [r] an terreni proceris agat. Et quidem quisquis regendis fratribus præest, vacare funditus a curis exterioribus non potest, sed tamen curandum magnopere est ne ab his immoderate deprimatur. Unde recte ad Ezechielem dicitur : *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam nutriant; sed tondentes attondeant capita sua* (*Ezech.* XLIV, 20). Quid enim signant capilli in capite, nisi exteriores cogitationes in mente? Qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis exprimunt; quæ ex negligenti ac torpenti sensu, quia importune prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia ergo cuncti qui præsunt habere quidem sollicitudines exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere, sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnis de vita subditorum nec a se funditus amputent, nec rursum ad crescendum nimis relaxent. Unde bene dicitur : *Tondentes attondeant capita sua,* ut videlicet curæ temporalis sollicitudinis, et ad quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant. Dum igitur et per administratam exteriorem providentiam corporalis subditorum vita protegitur, et rursus [s] per moderatam alta cordis intentio non impeditur, quasi capilli in capite sacerdotis servantur, ut cutem cooperiant; et resecantur, ne oculos claudant. Sed **515** hoc in loco hujus discretionis moderamina video servari non posse, quia tanti quotidie casus imminent, ut mentem simul obruant, cum vitam corporalem necant. Unde, [t] frater sanctissime, per venturum judicem rogo, per multorum millium angelorum frequentiam, per Ecclesiam primitivorum qui conscripti sunt in cœlis, sub hoc pastoralis curæ onere lassescentem orationis tuæ intercessione adjuva, ne susceptа me pondera ultra vires premant. Memor vero quod scriptum est : *Orate pro invicem ut salvemini* (*Jac.* v, 16), etiam impendo quod peto. Sed recipiam quod impendo. Dum enim nos vobis per orationis opem conjungimur, quasi ambulantes per lubricum vicissim nobis manum tenemus, fitque ex magna provisione charitatis ut eo singulorum [u] robustius charitas perfigatur, quo in alterum alter innititur.

[v] Præterea, quia corde creditur ad justitiam, ore autem confessio fit ad salutem, [x] sicut sancti Evangelii quatuor libros, sic [y] quatuor concilia suscipere et venerari me fateor. Nicænum scilicet, in quo perversum Arii dogma destruitur; Constantinopolitanum quoque, in quo Eunomii et Macedonii error convincitur; Ephesinum etiam primum, in quo Nestorii impietas judicatur; Chalcedonense vero, in quo Eutychis, Dioscorique pravitas reprobatur; tota devotione complector, integerrima approbatione custodio : quia in his velut in quadrato lapide, sanctæ fidei structura consurgit, et [z] cujuslibet vitæ atque actionis existat, quisquis eorum soliditatem non tenet, etiam si lapis esse cernitur, tamen extra ædificium jacet. Quintum quoque concilium pariter veneror, in quo et [aa] epistola, quæ Ibæ dicitur, erroris plena, reprobatur. Theodorus personam Mediatoris Dei et hominum in [bb] duabus subsistentiis separans, ad impietatis perfidiam cecidisse convincitur. Scripta quoque Theodoriti, per quæ beati Cyrilli fides reprehenditur, ausu dementiæ prolata refutantur. Cunctas vero quas præfata veneranda concilia personas respuunt, respuo; quas venerantur, ampleetor, quia [cc] dum universali sunt consensu constituta, se et non illa destruit, quisquis præsumit aut solvere quos religant, aut ligare quos solvunt. Quisquis ergo aliud sapit, anathema sit. Quisquis vero prædictarum synodorum fidem tenet, pax ei sit a Deo Patre

[r] In Codd. Vatic. 1031 et 160. legitur *terreni procuratoris.*

[s] In excusa exemplaria, non tamen vetustissima, irrepsit *per immoderatam.* Reluctatur sensus; contradicunt mss. Codd. Vatic., Gallic., Angl.

[t] Editores maluerunt, *fratres sanctissimi*, licet in omnibus Vaticanis, Norm., Corb., etc., legatur in singulari, *frater*, etc. Nimirum in singulis exemplaribus hujus epist. ad patriarchas missis, non omnium patr., sed illius tantum cui mittebatur nomen inscriptum erat; quod maxime confirmat Baronii conjecturam, de qua in Vita sancti Gregorii, lib. II, cap. 1.

[u] Recent. Ed., *robustius pes figatur.*

[v] Hæc est epistolæ secunda pars, et quidem præcipua, ratione cujus vocatur a Joan. Diacono, lib. II, cap. 3, *synodica*; et quidem ad mentem sancti doctoris, ut patet ex epist. sequenti : *sicuti patriarchis aliis.... synodicam vobis epistolam direxi.* In ea Gregorius, post datum initio pontificatus fidei symbolum, quod ad calcem epistolarum legi potest, singularem fidei confessionem de synodis œcumenicis, singulos ad patriarchas misit pro more antiquitus recepto, cujus etiam meminit epist. 52, lib. IX : *Hinc est*, inquit, *ut quoties in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum aliis generalibus synodis custodire fateantur.*

[x] Scilicet verbum Dei aliud scriptum, aliud traditum, utrumque fidelibus venerandum. *Concilium Tridentinum, sess.* 4. Ideoque Christus de Spiritu sancto prædixerat : *Docebit vos omnem veritatem*, quod in sacris conciliis fieri docet, Act. cap. XV : *Visum est Spiritui sancto, et nobis*, etc. GUSSANV.

[y] Justinianus imperator adversus Eutychianos edicto cavit ut sanctorum quatuor conciliorum fides ubique terrarum suscriberetur ab episcopis. Vide Cod. de summa Trinitate, Epiphanio et Joanni. Hinc forte mos inolevit ut patriarchæ singuli initio ordinationis formam suæ fidei aliis patriarchis mitterent, qua de re vide quæ dicta sunt ad epist. 4. GUSSANV.

[z] Ita restituimus ad duos Colbertinos (tertius enim hic est mutilus) ad Vatic., Norm., etc., cum prius legeretur : *cujuslibet vitæ atque actionis norma consistit. Quisquis.*

[aa] Lecta fuerat ista epistola in concilio Chalcedonensi, Act. 10, ac de ea sic censent legati summi pontificis : *Relectis chartis, agnovimus ex sententia reverendissimorum episcoporum, Ibam reverendissimum, innoxium approbari; relecta enim ejus epistola, agnovimus eum esse orthodoxum, et ob hoc decernimus*, etc. GUSSANV.

[bb] Incaute Ed., *in duabus substantiis.*

[cc] Refertur hic locus, tantillum immutatus, dist. 15, cap. *Sicut.* Hinc concludunt theologi robur actorum synodalium fluere a sanctorum communione et a catholico consensu, quem sanctus Leo, epist. 61, vocat *unanimitatem.* GUSSANV.

per **516** Jesum Christum Filium ejus, qui cum eo vivit et regnat consubstantialiter Deus in unitate Spiritus sancti, per omnia sæcula sæculorum. Amen.

## EPISTOLA XXVI.

AD ANASTASIUM PATRIARCHAM ANTIOCHENUM.

*Conqueritur de onere pastorali.*

Gregorius Anastasio patriarchæ Antiocheno.

[a] Scripta vestræ beatitudinis, uti fessus requiem, salutem æger, fontem sitiens, umbram æstuans inveni. Neque enim illa verba per linguam carnis videbantur expressa, quia sic spiritalem amorem suum quem gestabat aperuit, ac si mens per semetipsam loqueretur. Sed durum valde fuit quod secutum est, quia amor vester terrena me portare onera præcepit, et quem prius spiritaliter diligebatis, postea, ut æstimo, temporaliter amantes, usque ad terram me superposito onere depressistis; ita ut omnem mentis rectitudinem funditus perdens, contemplationisque aciem amittens, non per prophetiæ spiritum, sed per experimentum dicam: *Incurvatus sum, et humiliatus sum usquequaque* (*Psal.* CXVIII, 107). Tanta me quippe occupationum onera deprimunt, ut ad superna animus nullatenus erigatur. Multis causarum fluctibus quatior, et post illa quietis otia, tumultuosæ vitæ tempestatibus affligor, ita ut recte dicam: *Veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII, 3). Periclitanti igitur mihi manum orationis vestræ tendite, vos qui in virtutum littore statis. Quod vero me os Domini, quod lucernam dicitis, quod loquendo multis prodesse, multisque posse lucere perhibetis, æstimationem mihi meam, fateor, in dubietatem maximam perduxistis. Considero namque qui sum, et nihil in me ex hujus boni signo deprehendo. Considero autem qui estis, et vos mentiri posse non arbitror. Cum ergo credere volo quod dicitis, contradicit mihi infirmitas mea. Cum disputare volo quod in laude mea dicitur, contradicit mihi sanctitas vestra. Sed quæso, vir sancte, nobis aliquid de hoc certamine nostro conveniat, ut etsi non quod dicitis ita est, sit ita quia dicitis. Præterea sicuti [b] patriarchis **517** aliis patribus vestris, synodicam vobis epistolam direxi; quia apud me semper hoc estis, quod ex omnipotentis Dei munere accepistis esse, non quod [c] ex voluntate hominum putamini non esse. Latori vero præsentium Bonifacio [d] defensori aliqua injunxi, quæ sanctitati vestræ debeat secretius intimare. Amatoris autem vestri beati Petri apostoli vobis claves transmisi, quæ super ægros positæ multis solent miraculis coruscare. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 23; *l.* IV, *c.* 25.)

## EPISTOLA XXVII.

AD ANASTASIUM ARCHIEPISCOPUM CORINTHI.

*Ordinationem suam gemens indicat, et Bonifacium defensorem commendat.*

Gregorius Anastasio archiepiscopo [a] Corinthi.

Judicia Dei quanto sunt investigabilia, tanto debent humanis sensibus esse metuenda; ut quia ea ratio mortalis comprehendere non valet, his se necesse est humilis cordis cervice substernat, quatenus quo eam regentis voluntas duxerit, illuc obedientibus mentis gressibus prosequatur. Ego autem considerans infirmitatem meam ad [b] apostolicæ sedis culmen non posse pertingere, onus hoc malui declinare, ne in pastorali regimine imparis administrationis actione succumberem. Sed quia contraire non est Domini disponentis arbitrio, obedienter secutus sum quod misericors de me regentis manus voluit operari. Nam fraternitati vestræ, etsi præsens non eveniret occasio, necessario fuerat indicandum quod licet indignum me apostolicæ sedi Dominus præesse dignatus est. Cum ego fieri hoc et causa posceret, et directi a nobis præsentium latoris, id est [c] Bonifacii defensoris, evenisset occasio, curavimus, non solum scriptis fraternitati vestræ, **518** charitatis vota persolvere, sed etiam de ordinatione nostra, quod desiderabile vobis fuisse credimus, indicare. Propterea charitas vestra reciprocis litteris nos de unitate Ecclesiæ, et desiderabili nuntio salutis vestræ lætificet, quatenus absentia corporalis, quam nos locorum facit sustinere disjunctio, scriptorum sibi vicissitudine præsentetur. Adhortamur etiam ut quia memoratum superius præsentium portitorem pro necessariis quibusdam causis ad clementissimi principis vestigia destinavi-

EPIST. XXVI (*Al.* 25). — [a] Iisdem fere verbis concepta est septima hujusce libri epistola, quam ad Anastasium non fuisse missam ibi annotavimus. In hac multa emendavimus, ex Mss. maxime Vaticanis et Gallicanis, inter quos mirus ubique fere consensus.

[b] Ita restituimus ex mss. omnibus Vatic. et aliis, cum prius legeretur: *Siculi Patriarchis aliis fratribus a paribus synodicam.*

[c] Subtiliter distinguit inter episcopos qui ex Deo sunt et eos qui ex hominibus, et tamen hos et illos quasi legitimos habet. Quod non satis advertere videntur qui, ad summos juris apices de re qualibet decernentes, schismatibus et contentionibus viam parant zelo præcipiti, nec satis cauto. GUSSANVIL.

[d] Alias procurator, syndicus, ἔκδικος dicitur. Istius vocis non eadem semper notio. Defensor ecclesiæ apud Justinianum, novella 56, ἐκκλησιέκδικος. Legitur δεφένσωρ apud Codinum, Suidam, Balsamonem. Alii causas criminales, alii civiles, alii pauperum adversus potentiores defendebant. Alii erant judices. Vide Conc. Afric., can. 42, de defensoribus ecclesiarum ab imperatoribus petendis. Sic enim legitur in Codice antiquo Ecclesiæ Romanæ. GUSSANV. Defensorum Romanæ Ecclesiæ munus erat potissimum pauperum atque ecclesiarum defensioni et commodis invigilare, ipsiusque Romanæ Ecclesiæ patrimonia in diversis provinciis posita curare. Defensores septem regionarios instituit Gregorius Mag., lib. VIII, epist. 14. Vide Cangianum Glossarium.

EPIST. XXVII (*Al.* 26). — [a] Corinthus, urbs ex Pauli apostoli epistolis maxime notissima. Dicitur *bimaris* ab Horatio, lib. I, ode 7, et Græce διθάλασσος, quod in isthmo sita sit, duo maria ab ortu et occasu arctis faucibus dirimente.

[b] Etsi multæ sint Ecclesiæ apostolicæ, quia ab apostolis fundatæ, Romana tamen per antonomasiam dicitur apostolica sedes. Hinc Romanus antistes dictus simpliciter apostolicus, etiam a Græcis, ut in notis ad Vitam sancti Gregorii auctore Paulo Diacono probavimus.

[c] De quo in superiori epistola.

mus, et mutabilitas temporis multa solet impedimenta itineris generare, quidquid ei sive in terreni itineris provisione, sive etiam in procuratione navigii necessarium fuerit, vestra sacerdotalis impendat affectio, ut destinatum iter celerius, Domino miserante, valeat explicare. (*Cf. Joan. Diac., l.* I, *c.* 64.)

## EPISTOLA XXVIII.

### AD SEBASTIANUM EPISCOPUM RHISINIENSEM.

*Ut Anastasii patriarchæ a sede sua pulsi, quem secum in honore suo vivere cupiebat, animum exploret.*

Gregorius Sebastiano episcopo [a] Rhisiniensi.

Quamvis nulla merui beatitudinis vestræ scripta suscipere, tamen ego etiam obliviscentem me non obliviscor, negligentem pulso, torpentem amoris stimulis inquieto, ut qui ex semetipso non vult impendere, vel pulsatus sciat reddere quod debet. Præterea indico suggestionem me apud piissimos dominos summis precibus plenam fecisse, ut virum beatissimum domnum Anastasium patriarcham, [b] concesso usu pallii, ad beati Petri apostolorum principis limina mecum celebraturum solemnia missarum transmittere debuissent; quatenus si ei ad sedem suam minime reverti liceret, saltem mecum in honore suo viveret. **519** Sed quæ causa contigerit, ut eadem scripta retinerem, præsentium lator vobis innotescet. Ejusdem tamen domni Anastasii animum cognoscite, et quidquid ei de hac re placuerit, vestris mihi epistolis indicate.

## EPISTOLA XXIX.

### AD ARISTOBOLUM EXPRÆFECTUM ET ANTIGRAPHUM.

*Illum consolatur, et rogat ut in epistolis suis e Latino in Græcum convertendis, non verba, sed sensum reddat.*

Gregorius [a] Aristobolo, expræfecto et [b] antigrapho.

Ad explendum affectum meum, fateor, lingua non sufficit; sed quidquid de vobis sentio, vester vobis melius affectus dicit. Quibusdam vero vos adversitatibus laborare audivi. Sed non hac de re valde contristor, quia plerumque navis, quæ pervenire ad alta pelagi per prosperitatem poterat, in ipso navigationis initio vento adversante repellitur, sed ad portum repulsa revocatur. Præterea si [c] prolixam epistolam

Epist. XXVIII (*Al.* 27). — [a] Rhisinum, vulgo *Risine*, urbs olim episcopalis Dalmatiæ provinciæ, Illyrici Occidentalis, ad mare Adriaticum, ex Holstenio, in annotat. ad Geographiam sacram : quam alii sitam esse volunt in intimo recessu sinus Rhisonici, qui hodie dicitur *Golfo di Cataro;* alii vero in ora maritima, non ita longe ab antiqua Epidauro, inter ipsum ad Boream, et Arsecinium ad Austrum eam a Rezana distinguentes. Successu temporis sedes episcopalis Castrum novum translata est, subestque archiepiscopo Epidaurio sive Ragusino sub dominio Turcarum. Guss. Operosum est nomen hujus urbis, et epistolæ titulum ex Mss. statuere. In Vatic. D, legitur *episcopo Poresmiensi*, quod etiam habent Rhemens. et Gemet. In Vatic. C, *præposito Resmiensi.* In Vatic. B, *episcopo Resmiensi*, quod in plerisque Codd. legitur, scilicet in Colb., Corb., Norm.; nullibi autem leges *Rhisin*. Sed in uno aut altero Vaticano occurrit *Risimiensi*. In Regiis legitur, *Serminensi*.

[b] An usus pallii a pallio distingui debeat, an concessio utriusque ab imperatore sit impetranda, rimetur lector. Varia fuit pallii fortuna, quam piget post tot auctores classicos iterare. Illius formam, originem, usum, privilegium, necessitatem qui bene noverit, satis noverit. Titulus Decretalium de auctoritate et usu pallii paucula docet, plura nostræ permittit inquisitioni, multos injicit scrupulos; quemadmodum et epistola Paschalis II, ad Panormitanum episcopum, de electione et electi potestate, cap. 4. Pallium fuisse pretio datum affirmat in synodo sanctus Gregorius, negat Zacharias. Non metropolitis tantum sed episcopis concessum, Occidentalibus raro, Orientalibus passim, nullus negaverit qui concil. CP. VIII, can. 27 Latinis, 14 Græcis, legerit; et Lateranensis IV, sub Innoc. IV, can. 5. Sæculo Gregorii I, honor pallii nondum erat omnium metropolitarum. Gregorii VII ætate, nullus archiepiscopus sine pallio sua sinebatur obire munia, quod tamen sine præstito fidelitatis juramento, non poterat emereri. De usu et modis usus multoties certatum est, tanquam pro aris et focis. Itaque potestatis per hoc insigne datæ plenitudo non sibi semper et ubique constitit. An ab imperatoribus sumpserit initium, fluctuant docti. Certe apud Liberatum, in Breviario, cap. 21, imperatori ab episcopo redditur. Vigilius Auxanio, et sanctus Gregorius Syagrio, nonnisi accedente imperatoris voluntate, concedunt. Nodum istum facile dissolverit, qui primum pallii retexerit auctorem. Forma Latinis et Græcis an eadem? In CP. VIII, can. 14, ὠμοφόριον. Latini interpretantur *pallium*. De omophorio vide Codinum, in Offic. aulæ CP.; Maloxum, in Vita patriarcharum; Balsamonem, ad Mar. patr. Alex., resp. 26. Referebat figuram agni, εἰς τύπον τοῦ ἀγνοῦ. Germanus, in Historia Eccles. distinguit inter omophorium patriarchale et episcopale. Huic cruces intertextæ : ἔχει δὲ καὶ σταυρούς. Hinc forte πολυσταύριον dictum, in quo erant τριγώνια, sive γαμμάδια. Accurrunt et aliæ voces ornamenti haud absimilis, ῥάβδος, σάκκος, etc. Videat lector Luitprandum, legatione ad Nicephorum Phocam; Procopium, lib. XIV, cap. 12, et in Decreto, dist. 10. Adderem sanctum Petrum Damiani, lib. VII, epist. 4, ad Agnetem imperatricem, si veritatem melius expendisset, et præjudiciorum fuisset vacuus. Gussanv. Plurima dubia proponit hic Gussanv., pauca solvit. De hoc argumento dicitur iterum ad epist. 11, lib. IX. Interim consule notam 782 Menardi ad lib. Sacramentorum.

Epist. XXIX (*Al.* 28). — [a] Forte is est Aristobulus de quo Simocatta, lib. III Histor. Mauric., cap. 3, qui cum esset domus regiæ procurator (præfectum palatii vel curopalatem vocant, τῆς βασιλικῆς οἰκίας προεστῶτα) ab imperatore Mauricio ad exercitum missus, ad sedandam seditionem inter milites exortam, qua verbis, qua muneribus duros et implacabiles animos aliquantulum emollivit. Gussanv.

[b] *Antigraphus* cancellarium aut notarium significat. Græcis ἀντιγραφεύς, dictator, rescriptor. Budæus, Annotation. in Pandectas ex titulo de officio quæstoris, ait contrarotulatores, Gall., *contrôleurs*, ἀντιγραφεῖς, a Græcis dictos, eorum autem scripta, ἀντίγραφα, quasi contra scripta. Ἀντιγραφεῖς etiam dicti sunt Magistri scriniorum. Gussanv. Ἀντιγράφειν *recensere* est ac *rescribere*; dicebatur autem rescribere opus suum, qui emendandi animo illud recognoscebat. Antigraphorum ingenio formabantur principis sanctiones, epistolæ, responsa et rescripta; mentem enim tantum, non manum commodabant; postquam vero dictassent, relegentibus librariis et scriniariis, dictata recognoscebant ac corrigebant. Plura videsis apud Hofmannum in Lexico. Functum quoque fuisse interpretis officio, declarant hæc verba : *Si prolixam epist. ad interpretandum accipere fortasse contigerit*, etc.

[c] Superiorem ad quatuor patriarchas epistolam 25 forte intelligit.

meam ad interpretandum accipere fortasse contigerit, rogo, non verbum ex verbo, sed sensum ex sensu transferte, quia plerumque dum proprietas verborum attenditur, sensuum virtus amittitur.

## EPISTOLA XXX.

AD ANDREAM ILLUSTREM.

*De sua ad episcopatum assumptione dolet; clavem a corpore sancti Petri transmittit.*

Gregorius Andreæ [a] illustri.

Omnipotens Deus dulcissimo cordi vestro indicet quia et absens corpore, a charitate vestra animo non recessi. Bona enim vestra, etiam si volo, oblivisci non valeo. Hoc autem quod me ad episcopatus ordinem cognoscitis pervenisse, si me diligitis, plangite, quia hic hujus mundi tantæ occupationes sunt, ut per episcopatus ordinem pene ab amore Dei me videam esse separatum. Quod incessanter defleo, atque ut pro me Dominum exoretis rogo. Præterea sacratissimam clavem a sancti Petri apostoli corpore vobis **520** transmisi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare; nam etiam de ejus catenis interius habetur. [b] Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 50.)

## EPISTOLA XXXI.

AD JOANNEM EXCONSULEM, ATQUE PATRICIUM ET QUÆSTOREM.

*Clavem sancti Petri, et de catenis ejus transmittit.*

Gregorius Joanni [a] exconsuli, atque [b] patricio, et quæstori.

[c] Bonitatem excellentiæ vestræ expertus, tanto erga vos amore constringor, ut vestra memoria de meo pectore aboleri nullatenus possit. Sed contra amorem non modice contristor, quia quietem me quærere cognovistis, et ad inquietudinem perduxistis. Vobis quidem omnipotens Deus, quia hoc bono animo fecistis, bona æterna retribuat; sed me a tanto loci hujus periculo qualiter voluerit absolvat, quia sicut peccata mea merebantur, non Romanorum, sed Langobardorum episcopus factus sum, [d] quorum synthiciæ spathæ sunt, et gratia pœna. Ecce ubi me patrocinia vestra perduxerunt. Gemo quotidie occupationibus pressus, et respirare non valeo. Sed vos, qui adhuc valetis, [e] mundi hujus occupationes fugite, quia quantum in eo quisque profecerit, tanto, ut video, ab amore Dei amplius decrescit. Præterea sacratissimam clavem a beati Petri apostolorum principis corpore vobis transmisi, quæ super ægros multis solet miraculis coruscare, nam etiam de ejus catenis interius habet. Eædem igitur catenæ, quæ illa sancta colla tenuerunt, suspensæ colla vestra sanctificent. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 51.)

## EPISTOLA XXXII.

AD PHILIPPUM COMITEM EXCUBITORUM.

*Episcopatui cur tandem consenserit exponit; Italiæ causas commendat.*

Gregorius Philippo, [a] comiti excubitorum.

In quantum homo discutere et investigare judicia superna non sufficit, in tantum sub eis **521** debet cervicem cordis inflectere; ut quia id quod sibi tribuitur quo judicio disponatur ignorat, nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet inveniri. Unde indignus ego ad suscipienda episcopatus onera, jussioni omnipotentis Dei vestræque voluntati me subdidi, cui me præsse largitate magis gratiæ quam judicii æstimatione voluistis. Potens est enim Deus, propter quem me indignum diligitis, hanc vobis in perpetuum recompensare mercedem, ut gratiam quam indignis famulis ejus impenditis, apud eum invenire multiplicius valeatis. Causas vero Italiæ vestra, quæso, excellentia habeat commendatas, ut dum vos petentibus libenter impenditis, omne quod a Deo petitis quantocius impetretis. (*Cf. Joan. Diac. l.* I, *c.* 54.)

## EPISTOLA XXXIII.

AD ROMANUM PATRICIUM ET EXARCHUM ITALIÆ.

*Blandum episcopum, aut in synodo judicari, aut in Ecclesiam suam reverti concedat.*

Gregorius [a] Romano, patricio et [b] exarcho Italiæ.

Scribendi ad excellentiam vestram si causa omnino

---

Epist. XXX (*Al.* 29). — [a] Titulus hic præfectis prætorio, magistris militum, aliisve dignitatibus præcipuis attribuebatur; imo Francorum reges, donec *Christianissimi* a Romanis pontificibus dicti sunt, hocce gloriabantur titulo, *Vir illuster*, ut ex ipsorum diplomatibus constat. Formulam qua *illustratus* seu *illustris* titulus conferebatur habes apud Cassiod., lib. VI Variar., form. 11. In Excusis legitur, *Andreæ ill. de Debiria*, quæ ultima verba absunt ab omnibus Mss. quos consuluimus. In Andeg. pro *illustri* legitur *Illyrico*.

[b] *Idem epist. sequenti; lib.* III, *epist.* 33; *lib.* VI, *epist.* 6; *lib.* XI, *epist.* 14; *lib.* XII, *epist.* 7. Pari religione, præsidii et custodiæ causa, moris fuit Evangelia collo suspensa gestare. Joan. Chrysost., hom. 19, ad Antioch. Alteserra.

Epist. XXXI (*Al.* 30). — [a] De hoc titulo vide notam *c* ad epist. 3 hujus libri.

[b] De patriciatus dignitate, Cassiodorus, lib. VI Variarum, form. 2. Vide Cassiodori Vitam a nobis gallice scriptam, lib. I, cap. 5, num. 6.

[c] Ita in Norm., duobus Teller. et plerisque Mss. In Editis, *Bona excell.*

[d] *Synthiciæ* sunt pacta, conventiones, a Græco συνθήκη. *Spatha*, gladius; unde *spatharius*; de qua voce vide cap. 14 lib. II Dial. Sensus igitur est: Langobardorum pacta, contractus, id est, jura omnia quæ apud Romanos constant ex pactis et contractibus, versantur in vi et ferro.

[e] Id laico dictum animadvertant clerici. Gussanv.

Epist. XXXII (*Al.* 31). — [a] Erat hic præfectus militum seu stipatorum, qui nocte excubabant in palatio principis. Vide Simocat., lib. III, cap. 11. Gussanv.

Epist. XXXIII (*Al.* 32). — [a] Tertius fuit Italiæ exarchus, in locum Smaragdi a Mauricio imper. suffectus. Moritur an. 598 Ravennæ, ubi tunc temporis erat sedes exarchorum Italiæ. De eo Paulus Diaconus, in Historia Langob., et Rubeus in Historia Ravennat. Gussanv.

[b] Exarchus idem omnino est ac præfectus, ἔξαρχος, quasi ἐκ τοῦ ἄρχοντος, a principe, quod ab eo ad regendam Italiam mitteretur. Erat autem summus magistratus, scilicet qui imperatoris vices gerebat, summamque in provincia auctoritatem habebat, cujusmodi leginus exarchum Italiæ, exarchum Africæ, etc. Appellatus est autem exarchus Ravennæ, quia nempe exarchus sive præfectus Italiæ sedem habebat in civitate Ravenna. Primus autem exarchi nomen habuit Longinus, qui a Justino imperatore ad tuendam contra

nulla suppeteret, nos tamen esse oportet charitate paterna de vestræ salutis incolumitate sollicitos, ut quod de vobis audire cupimus, internuntiorum frequentia cognoscamus. Præterea pervenit ad nos, Blandum episcopum Hortensis [c] civitatis longo jam tempore in civitate **522** Ravennate a vestra excellentia detineri. Et fit ut Ecclesia sine rectore, et populus, quasi sine pastore grex, defluat, et ibidem [d] infantes pro peccatis absque baptismate moriantur. Et rursus quia non credimus quod eum excellentia vestra, nisi pro aliqua probabilis excessus causa tenuerit, oportet ut habita synodo palam fiat, si quod in eum crimen intenditur. Et si talis in eo culpa reperitur, quæ usque ad degradationem sacerdotii perducatur, aliam necesse est ordinationem inquiramus, ne Ecclesia Dei in his sine quibus eam Christiana non patitur esse religio, inculta ac destituta remaneat. Sin autem excellentia vestra aliter se habere quam de eo quod dicitur esse perspexerit, eum ad Ecclesiam suam reverti concedat, ut officium suum in commissis sibi animabus adimpleat. [e] Mense Martio, indictione nona.

## EPISTOLA XXXIV.

AD VENANTIUM EXMONACHUM PATRICIUM SYRACUSANUM.

*Venantium, quod monasticum habitum dimiserit, increpat; ut quantocius resipiscat, hortatur; quorumnam consilia ipsi audienda sint, docet.*

Gregorius [a] Venantio exmonacho patricio Syracusano.

Multi hominum stulti putaverunt quod si ad ordinationes Langobardos Italiam missus est. Vide Paulum Diaconum, in Histor. Langob. et Hieronymum Rubeum, in Historia Ravennatensi. GUSSANV. Hoc loco Gussanvillæus videtur ex Italiæ præfecto et exarcho unum eumdemque summum constituere magistratum; sed perperam, cum Italia suos simul haberet exarchos et præfectos, ut ex Gregorii epistolis planum fit. Supra, epistola 25, inscribitur *Gregorio Italiæ præposito*, seu præfecto. Infra, in epist. 37 et 38, Georgius Italiæ præfectus legitur, dum Romanus exarchus est. Lib. v, epist. 1, ad Joannem Ravennatem episcopum : *Sed per excellentissimum Romanum Patricium et per eminentissimum præfectum, atque per alios civitatis suæ nobiles viros*, etc. Lib. v, epist. 40, legimus Gregorium præfectum labores vigiliarium et custodiæ civitatis in Romana obsidione pertulisse, scilicet præfectus erat urbis. De præfecto urbis, Cassiod., Var. lib. VI, formula 4 : *Ditioni tuæ non solum Roma commissa est, verum etiam intra centesimum potestatem te protendere antiqua jura voluerunt... Tu etiam ex designatis provinciis ab appellatione cognoscis.* A præfecto annonæ rationes exigebat urbanus præfectus. Inf., epist. 37 : *Sed quo et gloriosus vir Maurilio expræfecto rationes suas absque suspicione oppressionis exponat, et prædictus excellentissimus vir Domnus Georgius præfectus rationes sine laceratione suæ opinionis exsequatur.* Vide epist. 21 lib. x. Multa addit Gussanvillæus de exarchis ecclesiasticis quæ non sunt hujus loci.

[c] Hortanum, Orta Paulo Diacono, vulgo *Orta*, urbs olim Etruriæ ad fluvium Tiberim, nunc oppidum Patrimonii sancti Petri, cujus sedes episcopalis translata est ad civitatem Castellanam, *Citta di Castello*. GUSSANV. In tribus Vatic. legitur *Hortonensis*.

[d] Quare, absente episcopo, infantes sine baptismo moriebantur? Quia baptismi ordinarius minister est episcopus, et in illa solum civitatis ecclesia qua episcopus sedebat olim erat baptisterium; hodieque Florentiæ, Pisis, Parmæ, Patavii, Bononiæ, etc., in solis ecclesiæ cathedralis baptisteriis infantes sacris aquis intingui solent. Utrumque probat Josephus Vicecomes, de antiquis bapt. rit. ac cærem., lib. I, cap. 8; quod etiam observavit Mabillon., Itin. Ital. num. 25. Infantium vero baptismum celebrabat episcopus ipse, ut videre est in Sacram. Gregorii, cap. de *Sabbato sancto. Cujus consuetudinis*, inquit laudatus Vicecomes, lib. I, cap. 28, *vestigium adhuc* (Mediolani) *durat, ubi infantes hebdomada Pascha vel Pentecostes proxime antecedente in lucem editi, ad præcipuam urbis ecclesiam deferri jubentur, ut iis solemni ritu hujus ecclesiæ archiepiscopus baptismum ministret, a qua solemnitate quemcunque presbyterum, tam urbis quam diœcesis abstinere cautum est* (*Conc. prov.* IV). Presbyteros tamen prioribus sæculis extra civitates baptizasse, notum est ex Hieron., dialogo adversus Luciferianos; imo in ipsa episcopali urbe aliquando baptizabant; *non tamen sine episcopi auctoritate*, inquit Tertull., de Bapt., cap. 17. Sane olim baptisma nonnisi ex mandato episcopi celebratum, testis est Ignatius in epist. ad Smyrnenses : *non licet*, inquit, *absque episcopo baptizare*. Hic inquirit Gussanv. quam ob rem dicuntur infantes absque baptismo mori, cum quilibet utriusque sexus viator, ipso teste Tertulliano, potuerit eos tinguere? Arguta in speciem quæstio, sed reipsa vana, cum satis superque constet non ea semper fieri quæ fieri possent, quod exemplis planum fiet. Sine judice potest quivis jus suum cuique tribuere, sine duce milites generosi armis instructi possent hostes fugare; quivis Christianus a quovis erudito potest necessaria discere, etiamsi pastor absit aut dormitet. Fingamus tamen nullum esse judicem, statim impune grassabuntur injusti; nullum esse ducem, fugabitur exercitus; nullum esse pastorem, error, ignorantia, impietas invalescent. Simili ratione quisque fidelis sine episcopi cura potest pœnitere, potest bene vivere, potest baptizare in necessitate. At pauci pœnitent, pauci bene vivunt, pauci baptizant, nisi pastor immineat. Dilatio baptismi per canones imperabatur; in tanta mora periculum, adde negligentiam ut propriæ sic et alienæ salutis. De Tertulliani mente non disputo, quam fortasse lector non assequetur, lib. de Bapt., cap. 17 et 18. Neocæsariensis concilii et Laodiceni canones non obtrudo. Unum dico : Laici jus habebant baptizandi in necessitate; usum non habebant, aut spe sanitatis decepti, aut timore deterriti, ne in canones ausu temerario peccasse viderentur. Vide conc. Paris. VI, cap. 29, ubi de absentia sacerdotis, ac de hominibus sine confessione, et de infantibus sine baptismo plerumque mortuis. GUSSANV. Sed potissimum lege epist. 228 Augustin. ad Honoratum, præsertim num. 8.

[e] In Colb. hæc ad epistolam sequentem *Venantio*, etc. pertinent.

EPIST. XXXIV (*Al.* 33). — [a] Sic legitur titulus epistolæ in omnibus Vatic., Regiis, Corb., Anglic., Norm., nisi quod in uno aut altero e Vaticanis deest *Syracusano*. Cæterum de cancellarii dignitate quam ei gratis conferunt Editores, in omnibus Mss. tam epistolarum quam Joan. Diac. in Vita sancti Gregorii altum est silentium; unde resecandam duximus Gussanvillæi notam ad vocem *Cancellario*. Idem Gussanv. in priori nota observat in Codicibus Gemeticensi et Audoeno legi *Venantio et Exarcho Italiæ*. Certe Codices hos ob oculos habemus, ubi nullum hujus tituli vestigium animadvertimus; imo ubique legitur, quemadmodum in titulo expressimus; nec Pratellensis et Lyranus cum Gemet. et Audoeno pugnant, ut fingit vir doctus. Venantius, abjecto monachali habitu, italicam duxerat uxorem, ad quam epist. lib. IX 123, ac duas ex illa filias Barbaram et Antoninam susceperat, ad quas epist. lib. XI 54. Ex epist. 42, infra, intelligimus nonnullos Siciliæ monachos, *ad tantum nefas prosiliisse, ut uxores publice sortirentur*. Joannem Syracusanum episcopum, epist. lib. XI 55, obtestatur Gregorius, ut hortationibus, precibus, minis, Venan-

nem episcopatus eveherer,[b] te alloqui et per epistolas frequentare recusarem. Sed **523** non ita est, quia ipsa jam loci mei necessitate compellor, ut tacere non debeam. Scriptum quippe est : *Clama, ne cesses, quasi tuba exalta vocem tuam (Isai.* LVIII, 1). Et rursus scriptum est : *Speculatorem dedi te domui Israel, audies de ore meo verbum, et annuntiabis eis ex me* (*Ezech.* III, 17). Ex qua videlicet annuntiatione vel retenta vel exhibita, quid speculatorem vel auditorem sequatur, protinus intimatur : *Si dicente me ad impium, Morte morieris, non annuntiaveris ei, neque locutus fueris ei, ut avertatur a via sua impia, et vivat, ipse impius in iniquitate sua morietur ; sanguinem autem ejus de manu tua requiram. Si autem tu annuntiaveris impio, et ille non fuerit conversus ab iniquitate sua, et a via sua impia, ipse quidem in iniquitate sua morietur ; tu autem animam tuam liberasti.* Hinc etiam Ephesiis Paulus dicit : *Mundæ sunt hodie manus meæ a sanguine omnium vestrum. Non enim subterfugi, quominus annuntiarem omne consilium Dei vobis* (*Act.* XX, 26, 27). Mundus ergo a sanguine omnium non esset, si eis Dei consilium annuntiare noluisset, quia cum increpare delinquentes noluerit, eos procul dubio tacendo pastor occidit. Hac igitur consideratione compulsus, velis, nolis, locuturus sum, quia omni virtute aut te cupio salvari, aut de tua morte me eripi. In quo enim habitu fueris recolis, et supernæ districtionis animadversione postposita, ad quid sis delapsus agnoscis. Culpam ergo tuam pensa, dum vacat ; districtionem futuri judicis, dum vales, exhorresce ; ne tunc illam amaram sentias, cum eam jam nullis fletibus evadas. Pensa quod scriptum est : *Orate ne fiat fuga vestra hieme vel Sabbato* (*Matth.* XXIV, 20). Ad ambulandum quippe in hieme torpor frigoris obsistit, et juxta præceptum legis, ambulare in Sabbato non licet. Hieme ergo vel Sabbato fugere conatur, qui iram districti judicis tunc appetit fugere, quando ei jam non licet ambulare. Dum vacat ergo, dum licet, animadversionem tanti terroris fuge ; pensa quod scriptum est : *Omne quod potest manus tua facere, instanter operare ; quia nec opus, nec ratio, nec sapientia, sunt apud inferos, quo tu properas* (*Eccle.* IX, 10). Teste Evangelio, scis quia divina severitas de otioso sermone nos arguit, et de verbo inutili rationes subtiliter exquirit (*Matth.* XII, 36). Pensa ergo quid futura est de perverso opere, si quosdam in judicio suo reprobat de sermone ? Ananias pecunias Deo voverat (*Act.* V, 2, *seq.*), quas post, diabolica victus persuasione, subtraxit (*Caus.* 17, *q.* 1, *can.* 3). Sed qua morte multatus est, scis. Si ergo ille mortis periculo dignus fuit, qui eos quos dederat nummos Deo abstulit, considera quanto periculo in divino judicio dignus eris, qui non nummos, sed temetipsum Deo omnipotenti, cui te sub monachico habitu devoveras, subtraxisti.[c] (Considera judicium Dei, quod mereatur qui semetipsum Deo vovit, continuoque, mundi desideriis irretitus, mentitus est quod vovit.) Quapropter si correptionis meæ **524** verba[d] secuturus audieris, quam sint blanda et dulcia in fine cognosces. Ecce, fateor, mœrens loquor, et facti tui tristitia addictus, edere verba vix valeo, et tamen animus tuus actionis suæ conscius vix sufficit ferre quod audit, erubescit, confunditur, adversatur. Si ergo non valet verba ferre pulveris, quid facturus est ad judicium Conditoris ? Fateor tamen quia supernæ gratiæ esse misericordiam maximam credo, quod te effugere vitam conspicit, et tamen ad vitam adhuc reservat ; quod superbientem te videt, et tolerat ; quod per indignos famulos suos verba tibi increpationis et admonitionis administrat. Tantum est ut pensare sollicite debeas quod Paulus ait : *Exhortamur vos, fratres, ne in vacuum gratiam Dei recipiatis ; ait enim, Tempore accepto exaudivi te, et in die salutis adjuvi te. Ecce nunc tempus acceptabile, ecce nunc dies salutis* (*II Cor.* VI, 1, 2, *seq.*).

Sed scio quia cum epistola mea suscipitur, protinus amici conveniunt, litterati clientes vocantur, et de causa vitæ consilium a fautoribus mortis quæritur : qui dum non te, sed res tuas diligunt, nulla tibi, nisi quæ ad tempus placeant, loquuntur. Tales enim fuerunt, sicut ipse reminisceris, dudum consiliarii, qui ad tanti facinus te perduxerunt delicti. Ut tibi aliquid[e] sæcularis auctoris loquar, cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis. Si vero in causa tua hominem consiliarium quæris, consiliarium, rogo, me suscipe. Nullus tibi fidelior esse ad consilium potest, quam qui non tua, sed te diligit. Omnipotens Deus cordi tuo indicet, cor meum quanto te amore, quantaque charitate complectitur, in quantum tamen divina gratia non offendatur. Nam sic culpam tuam insequor, ut personam diligam ; sic personam diligo, ut culpæ vitium non amplectar. Si igitur a me amari te credis, apostolorum liminibus præsentare, meque consiliario utere.[f] Si autem esse fortasse in causa

tium morti proximum *ad habitum suum redire, vel in extremis procuret.* Monachos qui uxores duxissent excommunicat conc. Chalced., can. 16. Eosdem in monasterium revocari jubet Gregorius infra, epist. 42. Fuit tamen erga Venantium hunc indulgentior. Inde sancto Bernardo (cujus ævo disputatum fuit an validum esset monachi matrimonium) Gregorium Mag. et Augustini librum de Bono viduit. objecere nonnulli, quibus ob summam erga sanctos Patres reverentiam vix respondet lib. de Præcep. et dispensat., cap. 17. Vide Horstii not. in epist. ejusdem Bernardi 76, et consule nostros de Vita sancti Gregorii commentarios. Certe Gregorium desperasse de salute Venantii, nisi a conjugio recederet, ac monachum rursus indueret, vel ex hac epistola manifestum est.

[b] In Excusis, *vos alloqui per epistolas frequenter recusarem ;* cui lectioni ex Mss. nostris nulli favent. In Rhem. sic legitur hoc exord. : *Multi hom. studii mei putaverunt, quod,* etc.

[c] Hæc a Mss. absunt et pro glossemate, quod e margine in textum irrepsit, sunt habenda.

[d] Vitiose in Vulgatis, *securus audieris.* Infra habent, *astrictus* pro, *addictus ;* et *aversatur,* pro *adversatur ;* quæ restituimus ex Mss. Vatic. et aliis mire inter se consentientibus.

[e] Hæc sunt Senecæ, epist. 3 : *Tu omnia cum amico delibera, sed de ipso prius. Post amicitiam credendum est ; ante amicitiam, judicandum.*

[f] Hunc locum corruperunt Editores omnes, qui le-

Dei nimius credor, et pro zeli mei ardore suspectus A sum, cunctam simul Ecclesiam in consilio hujus disceptationis adhibeo, et quidquid omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico, sed quod in commune decernitur, lætus impleo, et subscribo. Implentem quæ monui gratia te divina custodiat. (*Cf. Joan. Diac. lib.* III, *c. 44 et* 48.)

## EPISTOLA XXXV.

AD PETRUM EPISCOPUM TERRACINENSEM.

*Concessum prius Judæis locum restituat. A Christiana religione discordes benigne alliciendi.*

Gregorius Petro episcopo [a] Terracinensi.

Joseph (*Ivo part.* I, *cap.* 285), præsentium lator, Judæus nobis insinuavit quod de loco quodam, in quo ad celebrandas festivitates suas [b] Judæi in Terracinensi **525** castro consistentes convenire consueverant, tua eos fraternitas expulerit, et in alium locum pro colendis similiter festivitatibus suis, te quoque noscente et consentiente migraverint, et nunc de eodem loco expulsos se denuo conqueruntur. Sed si ita est, volumus tua fraternitas ab hujusmodi se querela suspendat, et ad locum quem, sicut prædiximus, cum tua conscientia, quo congregentur adepti sunt, eos, sicut mos fuit, ibidem liceat convenire. Eos enim qui a religione Christiana discordant, mansuetudine, benignitate, admonendo, suadendo, ad unitatem fidei necesse est congregare, ne quos dulcedo prædicationis et præventus futuri judicis terror ad credendum invitare poterat, minis et terroribus repellantur, Oportet ergo ut ad audiendum de vobis verbum Dei benigne conveniant, quam austeritatem quæ supra modum extenditur expavescant.

## [a] EPISTOLA XXXVI.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Commonitorium sibi datum assidue relegat. Quædam addit monita summam spirantia æquitatem ac prudentiam.*

Gregorius episcopus [b] servus servorum Dei Petro subdiacono.

Pergenti tibi ad Siciliam capitulare quod dedi assidue relegendum est, ut cura maxima esse de episcopis debeat, ne in causis sæcularibus misceantur, nisi in quantum necessitas defendendorum pauperum cogit. De monachis vero vel clericis quæ in eodem capitulari sunt inserta, nequaquam existimo modo esse movenda. Sed experientia tua tanta hæc observatione custodiat, quanta meum desiderium ex hac re valeat adimplere. [c] Præterea pervenit ad me ab Antonini defensoris temporibus nunc usque in hoc decennio multos a Romana Ecclesia quasdam violentias pertulisse, ita ut quidam publice conquerantur fines suos violenter invasos, mancipia abstracta, res B etiam mobiles manu, non judicio aliquo ablatas. In quibus omnibus volo ut experientia tua vehementer invigilet, et quidquid per hoc decennium invenerit violenter ablatum, vel sub nomine Ecclesiæ injuste detineri, hoc ei cujus esse cognoverit ex præsentis præcepti mei auctoritate restituat; ne cogatur qui vim pertulit ad me venire, et tanti itineris laborem assumere cum utrum **526** vera dicat hic apud me non possit edoceri. Considerata ergo venturi judicis majestate, omnia cum peccato ablata restitue, sciens quod magnum mihi lucrum reportas, si mercedem potius quam divitias congregas. Plerosque vero cognovimus de amissis mancipiis conqueri : dicentes quia si servus cujuspiam fortasse Dominum suum fugiens, juris ecclesiastici se esse professus est, re- C ctores Ecclesiæ protinus hunc ut servum ecclesiastici juris habuerunt, nullo agentes judicio, sed servi vocem manibus defendentes. Quod mihi tantum displicet, quantum a veritatis judicio abhorret. Unde volo ut experientia tua quæcunque ita facta cognoverit, postposita tarditate corrigat, et talia quoque

gerunt : *si autem fortasse in causa Dei minus credor.* Certe lectionem nostram præferunt exemplaria omnia Vaticana, Colbert., Norm., etc. Confirmant quæ sequuntur : *et pro zeli mei ardore suspectus sum.*

EPIST. XXXV (*Al.* 34). — [a] Tarracina, quæ et Anxur, hodie *Terracina*, urbs adhuc episcopalis in Campania Romana, fere media Romam inter et Capuam.

[b] De Judæis, infra, epist. 45; lib. III, epist. 26; lib. IV, epist. 6. In Decretal., lib. V, tit. 6, can. 9. Clemens papa III : *Fides suadenda est, non extorquenda.* Sanctus Augustinus, lib. II contra epistolas Petiliani, cap. 83. *Ad fidem nullus est cogendus invitus*; loquitur de Donatistis. Idem, epist. 84 : *Non eos persequimur odio nocendi, sed dilectione sanandi.* Ibidem : *Paulus ad veritatem magna Christi cogentis violentia compulsus est.* Jubente sancto Gregorio, lib. III, epist. 26, Pagani, qui, teste Nicephoro, lib. XIV Histor., cap. 12, facilius convertuntur, multo gravantur onere, si converti nolunt. Hæc vis indirecta. Judæis, lib. IV, epist. 6, diminuitur onus pensionis, ut velint converti; eorumque perfidiam, qua frequenter ad vomitum redeunt, agnoscens, post Agathense concil., c. 34, Gregorius subjungit : *Et si ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint, jam fidelius baptizantur.* Et lib. I, epist. 45, istam perfidiam inde oriri existimat, quod vi magis ad fontem baptismi quam prædicatione deducantur. Adderem ego vel spe commodi. Imo si historias consulimus, quamplurimi eam ob rem pluries baptismum repetierunt. Quid enim refert an quæstus amore, an pœnæ terrore veniant, qui prava veniunt voluntate? Præclare admodum Gregorius Nazianz., orat. 8 : *Non tamen conducibilius est nec tutius, quam ut volentes volentibus præsint : quandoquidem neminem vi duci vult lex nostra, coacteque ac non sponte gubernari. Hoc enim modo ne alia quidem imperia contineri ac conservari possunt (quod ita natura comparatum sit, ut quidquid vi tenetur, arrepta occasione statim se in libertatem asserat), nedum nostrum non dicam imperium, sed magisterium, quod nulla re æque ac voluntatis libertate conservatur.* Verum D ἐμφατικώτερα sunt quæ sequuntur : *βουλομένων γὰρ, οὐ τυραννουμένων τὸ τῆς εὐσεβείας μυστήριον.* GUSSANV. Hac in observatione Gussanvillæus Gregorium, quasi pugnantia scripserit, ipsimet Gregorio videtur opponere, sed immerito. Aliud est enim Judæos mansuetudine, benignitate, præmiis ad fidem allicere; et renuentibus gravia onera, modo non indebita, imponere; aliud vi illata ad baptismum invitos cogere.

EPIST. XXXVI. — [a] Hanc epistolam ex Cod. Colbert. erutam vir clariss. Steph. Baluzius edidit tomo V Miscellaneorum, p. 469.

[b] De hac epistolas inscribendi formula, qua primum usum esse Gregorium asserit Joan. Diac., lib. II, cap. 1, diximus in præfatione.

[c] Quæ sequuntur usque ad finem epistolæ melius intelligentur ex epistola 44 hujusce libri.

mancipia, si quæ nunc in jure ecclesiastico habentur, A sicut sine judicio ablata sunt, restitui ante judicium decet; ut si quid in eis sanctæ Ecclesiæ legitime competit, tunc eorum possessores debeant ordinata actione pulsari. Cuncta hæc irretractabiliter corrige, quia tunc vere beati Petri apostoli miles eris, si in causis ejus veritatis custodiam etiam sine ejus acceptione tenueris. Si quid vero juste conspicis juri ecclesiastico posse competere, cave ne unquam hoc manu studeas defensare; maxime quia et decretum sub anathematis interpositione constitui ne unquam a nostra ecclesia urbano vel rustico prædio tituli debeantur imponi; sed quidquid ratione pauperibus competit, ratione etiam debet defendi, ne dum bona res non bene agitur, apud omnipotentem Deum quod juste a nobis quæritur, de injustitia redarguatur. Laici autem nobiles vel vir gloriosus precor pro humilitate te diligant, non pro superbia perhorrescant. Et tamen cum eos fortasse contra quoslibet inopes injustitiam aliquam agere cognoscis, humilitatem protinus in erectionem verte, ut eis semper, et bene agentibus subditus, et male agentibus adversarius existas. Sed ita fac ut nec humilitas tua remissa sit, nec auctoritas rigida, quatenus et humilitatem rectitudo condiat, et ipsam tuam rectitudinem humilitas blandam reddat. Præterea sicut moris fuit ut ad natalem pontificis episcopi convenirent, ad ordinationis meæ diem venire eos prohibe, quia stulta et vana superfluitas non delectat. Sed si eos convenire necesse est, in beati Petri apostolorum principis natalem conveniant, [d] ut ei ex cujus largitate pastores sunt gratiarum actiones solvant. Bene valeas. Datum sub die XVII Kalendarum Aprilium, imperatoris Mauricii anno nono.

## 527 EPISTOLA XXXVII.

AD JOANNEM EPISCOPUM RAVENNATEM.

*Maurilioni expræfecto opem ferat.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennati.

Si professionem ordinis nostri et locum cujus ministerium gerimus attendamus, oportet nos afflictis, in quantum possumus, comitante justitia subvenire. Quoniam ergo gloriosum virum Maurilionem [a] expræfecto [b] in septis ecclesiasticis insontem residere cognovimus, vestra ei fraternitas, in quantum possibilitas subest, opem ferre festinet. Non quia, quod absit, de viri excellentissimi domni Georgii præfecti justitia dubitamus, aut in aliquo putamus eum rationis tramitem declinare, virum quem in hujus tantæ dignitatis administratione, [c] in bonis omnibus habemus expertum; sed quo et gloriosus vir Maurilio expræfecto rationes suas absque suspicione oppressionis exponat, et prædictus excellentissimus vir dominus Georgius præfectus rationes sine laceratione suæ opinionis exsequatur.

## EPISTOLA XXXVIII.

AD MALCHUM EPISCOPUM DALMATIÆ.

*Stephanum episcopum ad judicium compellat, et quod judicatum fuerit exsequatur.*

Gregorius [a] Malcho episcopo [b] Dalmatiæ.

Joannes vir eloquentissimus, consiliarius viri excellentissimi domni Georgii præfecti per Italiam, insinuavit nobis contra Stephanum episcopum [c] Scodrensis civitatis, quoramdam se negotiorum habere controversias, et petiit inter eum et se judicium debere consistere. Propterea fraternitatem tuam præsenti præceptione curavimus admonendam, ut prædictum episcopum ad eligendum compellas venire judicium. Et quidquid inter prædictum Joannem vi-

[d] Idem profitentur antistites, dum se suis in epistolis et commonitoriis præfantur apostolicæ sedis gratia esse episcopos. Sedem enim apost. pro sancto Petro usurpari et vice versa, norunt eruditi omnes. Qua ratione multi prædicatores in reipub. Christianæ exordio leguntur a sancto Petro varias in provincias missi, hoc est ab apostolica sede. Eodem sensu Nicolaus papa I, epist. 24: *Beatissimo Petro apostolorum principi contradicere nullus præsumat.* Consule Quesnellium, tom. II, in notis et observ. ad sanctum Leonem, p. 857.

EPIST. XXXVII (*Al.* 35). — [a] Qui præfectura abiit; sic exconsule, exprætore, et apud Tullium proquæstore: Græcis ἀπὸ ὑπάτων, ἀπὸ κουαιστόρων, exconsule, exquæstore. Alii scribunt exconsul, exquæstor. Vide epist. 69, infra: *Viri magnifici exprætore*, et supra epist. 53. GUSSANV.

[b] Erant asylum unde neminem nisi de prælati consensu extrahi fas erat. Vide lib. I Cod., tit. 12, cap. 3, ubi imperatores Theodosius et Valentinianus plurima de septis ecclesiasticis statuunt. Caus. 17, quæst. 4, referuntur multæ auctoritates Nicolai, Gelasii, concilii Tribur., Joannis VIII, Tolet. XII, c. 10. Adde Aurelian. I, IV, V, Matiscon. II, sanctum Gregorium, lib. VIII, epist. 38, nunc 4ib. X. Vocantur etiam *claustra dominica*, et continent atria et porticus ecclesiæ, domum episcopi, XXX vel XL passus in circuitu, et domos quæ in eis fuerint. Tandem cessavit ista immunitas ob abusus. Male confunduntur ista septa cum decanicis, de quibus Novell. 79, cap. 3, Gall., *le chapitre*. Quæ quidem decanica erant appendices templi, in quibus tanquam in libera custodia clerici quandoque detinebantur. Nec enim eos ante Bonifacium VIII in ergastulis et custodiariis macerabant; sed monasterium erat eis pro carcere, infra, epist. 59, nunc 61. GUSSANV. Hæc verba *in septis eccles.* absunt ab omnibus quos videre licuit Mss., quæ tamen, ut notæ Gussanv. parceremus, censuimus relinquenda.

[c] Vulgati recent. addunt, *sicut nostis*, quæ in vet exemplaribus non leguntur.

EPIST. XXXVIII (*Al.* 36). — [a] Patrimonium sedis apostolicæ in Dalmatia tunc procurabat Malchus, ut liquet ex epist. 22 lib. III. Eum a Gregorio indigne habitum, et in custodia occisum, cum solvendo non esset, calumniatus fuerat Maximus qui Salonitanam ecclesiam invaserat, quam criminationem diluit Gregorius, lib. IV, epist. 47.

[b] Dalmatia olim Illyrici proprie dicti pars, ubi Dalmatæ populi, quæ post primum bellum Dalmaticum in provinciam redacta est; processu vero temporis, adhibita Liburnia, crevit, et a sinu Liburnico seu Flanatico ad Drilonem usque protensa est. Quis fuerit Malchus ille Dalmatiensis ignoratur, nisi nomen habuerit ab ipsa Dalmatiæ provincia, quod probabile est, in qua erat episcopus, sed cujus sedis nescio. GUSSANV.

[c] Nunc Italis *Scutari*, urbs alias Dalmatiæ episcopalis, postea Prævalitanæ provinciæ metropolis, donec Justinianeus imp. patriam suam Acrida, quam Justinianam nominavit, ad eam dignitatem evexit. Concilio Ephesino subscripsit Senecio episcopus πόλεως σκοδρίνης. GUSSANV. In uno Vatic. et omnibus Norm. legitur *Scodensis*.

rum magnificum, et sæpe fatum episcopum electorum fuerit sententia definitum, ad effectum perducere non omittas, **528** ut et actor de consecuta justitia gratias referat, et pulsatus cum ad cognitionem deducitur, nihil contra se de illata injustitia conqueratur.

## EPISTOLA XXXIX.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*De neglectis pauperibus eum arguit. Domnis Pateriæ, Palatinæ et Vivianæ largum et liberale subsidium offerri jubet.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Discedenti tibi mandavimus, et postmodum [a] præceptis discurrentibus injunxisse me memini, ut curam pauperum gereres. Et si quos illic egere cognosceres, scriptis recurrentibus indicares, et vix de paucis hæc facere curasti. Volo autem ut domnæ [b] Pateriæ thiæ meæ, mox ut præsentem jussionem susceperis, [c] offeras ad calciarium puerorum solidos quadraginta, et tritici modios quadringentos. Domnæ Palatinæ relictæ Urbici, solidos viginti, et tritici modios trecentos. Domnæ Vivianæ relictæ Felicis, solidos viginti, et tritici modios trecentos. Qui omnes simul octoginta solidi in tuis rationibus imputentur. Summam vero pensionis sub festinatione adducito, et ad paschalem diem, Domino auxiliante, occurrito. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## EPISTOLA XL.

AD FELICEM EPISCOPUM MESSANENSEM.

*Ut Paulinus peregrinus episcopus sancti Theodori monasterium regat.*

Gregorius Felici episcopo Messanensi.

Et tibi gratum confidimus, si fratris tui viri venerabilis episcopi Paulini peregrinationis onera relevantur, ut ejus regimine communi mercede beati Theodori monasterium in civitate tua fundatum studiosius omnipotenti Deo deserviat. Quod etiam te voluisse facere, jam ejus relatione didicimus. Ideoque rectori patrimonii nostri præcepimus, ut monachos monasterii memorati **529** episcopi perquisitos ad unum congreget, et in eodem monasterio cum iis qui nunc ibi sunt collocare non differat, quatenus eo rectore dignius animarum suarum curam exerceant. Quam rem venerationi tuæ innotescendam prævidimus, [a] ne te omisso aliquid in tua contristeris diœcesi ordinari.

## EPISTOLA XLI.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Dispersos per Siciliam monachos in Messanensi sancti Theodori monasterio congreget.*

Gregorius [a] Petro subdiacono.

[b] Venerabilis Paulinus episcopus [c] Tauri civitatis, provinciæ [d] Brutiorum, nobis asseruit monachos suos occasione dispersos barbarica, eosque nunc per totam vagari Siciliam, et eos quippe sine rectore, nec animarum curam gerere, nec [e] disciplinæ sui habitus indulgere. Qua de re præcipimus eosdem monachos te omni cura et sollicitudine perquisitos ad unum reducere, et cum memorato episcopo rectoreque suo in monasterio sancti Theodori in Messanensi civitate posito collocare, ut et hi qui nunc ibi sunt, quos egere rectore comperimus, et illi quos de congregatione ejus inventos reduxeris, in unum possint eo duce omnipotenti Domino deservire. Quam rem [f] venerabili Felici ejusdem civitatis episcopo

Epist. XXXIX (*Al.* 37). — [a] Hoc est, epistola quam amissam putamus.

[b] Corrupte antea legebatur, *Paterichiæ meæ*. Sic autem restituimus ex probatioribus Mss. Sorb., Victor., Reg., Cister., Vatic., num. 618, 2534, 2538, et alio sine numero 620, Rhem., Catal., Seguieriano, nempe illustriss. Franciæ cancellarii DCCC annorum et optimæ notæ, in quo supra vocem illam *thiæ* legitur *amitæ* recentiore manu, quasi quis voluerit addere interpretationem vocis *thiæ*, Gr. θείας, quæ Latinis amitam significat. Addo et Carnotensem sancti Petri Ms. Codicem sic habere, *Pateriæ amitæ meæ*. Gussanvil. Hæc non legerat vir doctus, cum in Vita sancti Gregorii auctore Joan. Diacono ipse retinuit vitiosam illam lectionem, *Paterichiæ meæ*. Attamen in Joannis Diaconi Mss., si consuluisset, legisset *Pateriæ thiæ meæ*.

[c] Hoc intelligendum videtur non de certa ad calceos solum emendos, sed et in victus ac vestitus subsidium pensione. Sic Leo III, epist. 9 : *Qui vobis eum collaudant, hoc per munera et calciaria faciunt.* Sane ad puerorum calceos cur tot solidi? et quid quadringenti tritici modii?

Epist. XL (*Al.* 38). — [a] Idem epistola sequenti. Sic suum cuique jus asseritur, nec in aliorum possessiones ullus involat. In synodo Gangrensi, can. 6, 7, 8 : Κατὰ γνώμην τοῦ ἐπισκόπου, παρὰ γνώμην, παρεκτὸς τοῦ ἐπισκόπου. Antiochen., c. 9 : Ἐξουσίαν ἔχειν τῆς ἑαυτοῦ παροικίας. Concil. CP. I, can. II : Μηδὲ συγχέειν τὰς ἐκκλησίας. Loquitur de metropolitis qui amant dilatare limbrias suas. In Ephesino, c. 8, ne sanctorum Patrum canones prætereantur, neque sub specie administrationis rerum sacrarum potentiæ sæcularis typhus irrepat, sensimque imprudentes libertatem eam amittamus, quam nobis proprio sanguine, etc. Notet lector. Porro hunc canonem innuunt et explicant Africani Patres epistolis synodicis ad Bonifacium et Cœlestinum. Accurrit Chalced. synodus, c. 4, ad quod respexisse videtur hac in epist. sanctus Gregorius, siquidem mira ejus erat erga sanctissimos canones reverentia, et veteris disciplinæ tenax sollicitudo. Gussanv.

Epist. XLI (*Al.* 39). — [a] Vitiose irrepserat in Ed. *Petro Diacono.*

[b] Hic non consentiunt exemplaria vet. In Vatic. D, Corb. Turon., Michaelino, Gemet. ac cæt. Norm., legitur, *Vir magnificus Paulinus episcopus*. In Rhem. deest hæc epistola.

[c] Varie quoque scribitur hujus civitatis nomen in Mss. Nam in Vatic. legitur, *Tarrinæ*, al., *Tauranæ*, al., *Taurinæ*. Urbs fuit olim episcopalis Brutiorum, eversa a Sarracenis inter Regium et Hipponium.

[d] In nonnullis Vatic. et in Norm., *Brittiorum*. Paulo post in uno Vaticano, legitur *occisione*, pro *occasione*.

[e] De monachorum disciplina variis in epistolis agit sanctus Gregorius. Hic vagos, acephalos, abnormes improbat et coercet. Vagos interpretor qui in claustris stabiles non degunt, sed statione deserta commisti inter gentes, discunt opera eorum, iisdemque serviunt sculptilibus. Acephalos dico, qui licentiæ amantes, rectoris jugum non ferunt. Abnormes intelligo, qui sui monasterii ordinis, status, regulæ observantias, quas regulas vocant, vix æstimant teruncii, nec ad eas ulla se religione teneri putant. Non enim video quid aliud per *disciplinam sui habitus* sanctus Gregorius designet. Gussanv.

[f] In illis Codd. ubi Paulinus *vir magnificus* dicitur,

nos significasse cognosce, ne præter suam notitiam in diœcesi [g] sibi commissa ordinatum quippiam contristetur. (*Sup., ep.* 40.)

## 530 [a] EPISTOLA XLII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Monachos vagos, peculiaritati studentes et uxoratos coerceat; e clericatu vero ad monachismum conversos Ecclesiam in qua militarunt repetere non sinat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

[b] Joannes frater et coepiscopus noster directo per Justum clericum suum [c] capitulari inter alia plura hoc nobis noscitur intimasse, aliquos monachos monasteriorum in [d] Surrentina diœcesi positorum de monasterio in monasterium, prout eis libuerit, transmigrare, et a proprii abbatis regula desiderio rei sæcularis abscedere : sed, et quod non licere notum est, [e] peculiaritati eorum singulos studere. Propterea experientiæ tuæ præsenti jussione mandamus, ut neque monacho ulterius de monasterio in monasterium liceat migrare, neque eorum aliquem peculiare quidquam habere permittas. Sed si quilibet hoc præsumpserit, in monasterio in quo ab initio conversatus est, et sui abbatis sub regula de qua fugerat, cum competenti coercitione reddatur, ne si tantam iniquitatem fluxam inemendatamque dimittimus, pereuntium animæ a præpositorum anima requirantur. [f] Si quos autem ([g] qualibet occasione) a clericatu in monachicam conversionem venire contigerit, [h] non liceat eis ad eamdem vel aliam Ecclesiam, quarum pridem milites fuerant, sua voluntate denuo remeare, nisi talis vitæ monachus fuerit, ut episcopus cui ante militaverat sacerdotio dignum præviderit, ut ab eo debeat eligi, et in loco quo judicaverit ordinari. Et quia [i] aliquos monachorum **531** usque ad tantum nefas prosiliisse cognovimus, ut uxores publice sortiantur, sub omni eos vigilantia requiras, et inventos digna coercitione in monasteriis quorum monachi fuerunt retransmittas (*Grat.* 16, *q.* 1, *can.* 52; *et* 27, *q.* 1, *can.* 39). Sed et de clericis ad monachatum venientibus, sicut supra diximus, perage- B re non omittas. Ita enim Dei placabis oculos, et impletæ mercedis particeps invenieris.

## [a] EPISTOLA XLIII.

AD LEANDRUM EPISCOPUM HISPALENSEM.

*De onere episcopali gemit. Lætatur de Recharedi regis conversione Inductum ab Hispanis ex Arianorum occasione unicæ in baptismo mersionis ritum probat. Nonnullos mittit Codices.*

Gregorius [b] Leandro episcopo [c] Hispalensi.

Respondere epistolis vestris tota intentione vo-

legitur hic : *Quam rem et viro magnifico.*

[g] Vitiose in Vulgatis, *sibi concessa.*

Epist. XLII (*Al.* 40). — [a] Huic epistolæ præmittitur in Colb. mense Aprili. In plerisque Mss. perturbato et præpostero ordine legitur hæc epistola, optimo vero in Vatic. D.

[b] Hic fuit quintus episcopus Surrentinus, electus anno 580, qui synodo Romanæ a sancto Gregorio habitæ subscripsit an. 595, et obiit an. 598, cui C successit Amandus, de quo epist. 18 et 19 lib. x. Gussanv.

[c] Est scriptum capitulis distinctum, κεφάλειον γράφιον. Gussanv.

[d] Surrentum, vulgo *Sorrento*, urbs olim episcopalis in Campania, nunc archiepiscopalis. Gussanv.

[e] De peculiaritate monachorum vide lib. xii, epist. xxiv, Joanni subdiacono et reg. sancti Benedicti, cap. 35, ubi sanctus Pater *nequissimum hoc vitium* graphice depingit. Cap. 55 ejusdem regulæ dicit frequenter scrutanda monachorum lecta, *propter opus peculiare, ne forte inveniatur*. Qua pœna monachum proprietarium, ut modo dicimus, mu tavei it sanctus Gregorius, repete ex Joan. Diac., lib. i, cap. 15.

[f] Clericis et sacerdotibus sua patere monasteria concessit sanctus Benedictus, reg., cap. 60, unde probat Lupus abbas Ferrar., epist. 29, non *solos criminosos* in monasteriis ad pœnitentiam et conversionem esse recipiendos.

[g] Duo verba hæc pene in nullis Mss. leguntur, de D quorum additione graviter stomachatur Thomas Jamesius in Vindiciis Greg. : *Verba hæc*, qualibet occasione, *ad amplificandum monachorum ordinem spectant*, inquit ; *adjecta sunt atque assuta textui ab aliquo tenebrione ; in membranis non comparent.* Quis effusam pro tantilla re hominis heterodoxi bilem non rideat? Ibidem monet legi in Mss. Anglic. *conversationem*, pro *conversionem*. Certe in Mss. Norm., in Vatic. et in plerisque legimus *conversionem*.

[h] A monastica vita ad clericorum vivendi genus transire quam periculosum sit his expressit coloribus Severus Sulpicius, dial. 1, cap. 14 : *Si quis clericus fuerit effectus, dilatat continuo fimbrias suas, gaudet salutationibus, inflatur occursionibus : ipse etiam ubique discurrit; et qui ante pedibus aut asello ire consueverat, spumante equo superbus invehitur. Parva prius ac vili cellula contentus habitare, erigit celsa laquearia, construit multa conclavia, sculpit ostia, pingit armaria ; vestem respuit grossiorem, indumentum molle desiderat. Atque hæc charis viduis ac familiaribus mandat tributa virginibus, illa ut birrum rigentem, hæc ut fluentem texat lacernam.* Tantæ depravationis argumentum deprehenderat Severus Sulpicius in Bricio monacho et postea clerico, qui tamen postmodum mores emendavit.

[i] Ex his monachis Siculis uxoratis erat Venantius Syracusanus Patricius, ad quem supra, epist. 34. Nec dubitare licet tantæ auctoritatis virum sui similibus patrocinium impendisse.

Epist. XLIII (*Al.* 41). — [a] Hujus epistolæ meminit sanctus Isidorus Hispal., lib. de Scriptor. Eccles. *Scripsit*, inquit, *etiam et quasdam epistolas ad prædictum Leandrum, e quibus unam in eisdem libris Job titulo præfationis adnectit. Altera loquitur de mersione baptismatis*, etc. De eadem loquitur concil. Toletanum iv, cui præfuit sanctus Isidorus, can. 4. Unde patet Alcuinum immerito de hac epistola dubitasse, epist. 10 dicens : *Epistolam vero quam a beato Gregorio de simpla mersione dicunt esse conscriptam, in epistolari suo libro qui de Roma nobis allatus est non invenimus ... Ideo dubii sumus an illius sit, an ab aliquo hujus sectæ auctore sub illius nomine conscripta sit.* Hanc etiam epistolam laudat sanctus Licinianus episcopus ad sanctum Gregorium scribens. Vide ind. 10 epist. ultimam.

[b] De sancto Leandro lege epistolam præviam ad libros Moral., et nostras quibus eamdem illustravimus breves notas.

[c] Hispalis, hodie *Sevilla*, Hispaniæ urbs amplissima, et emporium celebre ad fluvium Bœtim, vulgo *Guadalquivir*, olim Bœticæ, nunc autem Vandaliæ seu Andalusiæ metropolis, archiepiscopali titulo insignita. Gussanv. Non legitur *Hispal.* in Vatic., Reg., Corb., Norm. et plerisque Mss. In nonnullis tantum scriptum, *episcopo de Hispaniis*. In Colb., *episcopo de Spaniis*. In Cod. Rev. PP. Capucin. Rothom. : *Ad Leandrum Spalensem ep.*

luissem, nisi pastoralis curæ ita me labor attereret, ut mihi magis flere libeat, quam aliquid dicere. Quod vestra quoque reverentia in ipso litterarum mearum textu vigilanter intelligit, quando ei negligenter loquor, quem vehementer diligo. Tantis quippe in hoc loco hujus mundi fluctibus quatior, ut vetustam ac putrescentem navem, quam regendam occulta Dei dispensatione suscepi, ad portum dirigere nullatenus possim. Nunc ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas insequitur. Interque hæc omnia turbatus cogor modo in ipsam clavum adversitatem dirigere; modo, curvato navis latere, minas fluctuum ex obliquo declinare. Ingemisco, quia sentio quod negligente me crescit sentina vitiorum, et tempestate fortiter obviante, jamjamque putridæ naufragium tabulæ sonant. Flens reminiscor quod perdidi meæ placidum littus quietis, et suspirando terram conspicio, quam tamen rerum ventis adversantibus tenere non possum. Si ergo me, frater charissime, diligis, tuæ mihi orationis in his fluctibus manum tende; ut quo laborantem me adjuvas, ex ipsa vice mercedis in tuis quoque laboribus valentior existas.

Explere autem loquendo nullatenus valeo gaudium meum, quod communem filium [d] Recharedum gloriosissimum regem ad catholicam fidem integerrima agnovi devotione conversum. **532** Hujus dum mihi per scripta vestra mores exprimitis, amare me etiam quem nescio fecistis. Sed quia antiqui hostis insidias scitis, quos iam bellum durius contra victores proponit, nunc erga eumdem solertius [e] sanctitas vestra evigilet, ut bene cœpta perficiat, nec se de perfectis bonis operibus extollat, ut fidem cognitam vitæ quoque meritis teneat, et quia æterni regni civis sit operibus ostendat, quatenus post multa annorum curricula de regno ad regnum transeat.

[f] De trina vero mersione baptismatis (*Grat. de Consecr. dist.* 4, *can.* 89), nil responderi verius potest quam ipsi sensistis, quia in una fide nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa. Nos autem quod tertio mergimus, triduanæ sepulturæ sacramenta signamus, ut dum tertio infans ab aquis educitur, resurrectio triduani temporis exprimatur. Quod si quis forte etiam pro summæ Trinitatis veneratione æstimet fieri, neque ad hoc aliquid obsistit, baptizandum semel in aquis mergere, quia dum in tribus subsistentiis una substantia est, [g] reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismate vel ter vel semel mergere, quando et in tribus mersionibus personarum trinitas, et in una potest divinitatis singularitas designari. Sed quia nunc usque ab hæreticis infans in baptismate tertio mergebatur, fiendum apud vos esse non censeo; ne dum mersiones numerant, divinitatem dividant, dumque quod faciebant faciunt, [h] se morem nostrum vicisse glorientur.

Dulcissimæ autem mihi fraternitati vestræ Codices direxi, quorum notitiam subter inserui. Ea autem quæ in beati Job expositione dicta fuerant, et vobis dirigenda scribitis, quia hæc verbis, [i] sensibusque tepentibus per homilias dixeram, utcunque studui in librorum ductum permutare, quæ nunc adhuc a librariis conscribuntur. Et nisi portitoris præsentium me festinatio coangustasset, cuncta vobis transmittere sine aliqua imminutione voluissem, maxime quia et hoc ipsum opus ad vestram reverentiam scripsi, ut ei quem præ cæteris diligo, in meo videar labore desudasse. Præterea si vobis indulgeri tempora ab ecclesiastica occupatione cognoscitis, quid sit jam scitis; quamvis etiam absentem corpore, præsentem mihi te semper intueor, quia vultus tui imaginem intra cordis viscera impressam porto. Data [k] mense Maii. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 32.)

## **533** EPISTOLA XLIV.

### AD PETRUM SUBDIACONUM SICILIÆ.

*Plurima contra jus facta emendari jubet. De subdiaconorum cælibatu decernit.*

Gregorius Petro subdiacono Siciliæ.

Quod [a] responsalem tuum tarde dimisimus, Paschalis festivitatis occupationibus implicati, eum relaxare

[d] De ejus et Visigothorum conversione, vide sanctum Gregorium, lib. III Dialog., cap. 31, et fusius scriptores Hispaniæ, et maxime Rodericum Toletanum, lib. II, cap. 15. GUSSANV.

[e] Nunc hoc titulo soli summi pontifices ornantur. Olim communis erat non solum episcopis, sed etiam presbyteris et diaconis. Lege Ennodium, lib. V, epist. 13, ubi alloquens Hormisdam diaconum ait, *et quia novit optime sanctitas vestra.* Imo in serm. 9 appendicis operum sancti Ambrosii, ipse, vel Maximus plebem Christianam hoc modo compellat, Apostolum æmulatus qui Romanos et alios Christo adhærentes per fidem sanctos vocat. Non aliis tamen quam episcopis Gregorius dicere solet, *sanctitas vestra.*

[f] Idem confirmatur a conc. Tolet. IV, can. 5, quod et utitur auctoritate Gregorii; additque utramque immersionem irreprehensibilem haberi: *Propter vitandum autem schismatis scandalum, vel hæretici dogmatis usum, simplam teneamus mersionem, ne videantur apud nos qui tertio mergunt, hæreticorum approbare assertionem, dum sequuntur et morem.* Nempe quia Ariani trinam immersionem adhibebant, ad significandum tres esse in tribus personis naturas. Notandum vero ante sanctum Gregorium concilia et Patres locutos esse de trina immersione, quasi necessaria et ex Dei institutione; quod quidem explicatur a sancto Thoma, III part., quæst. 66, art. 8. De trina mersione agitur de cons., dist. 4, cap. 78 et seqq.; Dionysius, Eccl. Hier. cap. 2; canon 50 Apost.; Tertullianus, adversus Praxeam, cap. 27, lib. de Bapt. et lib. de Corona, cap. 3; Basilius, de Spiritu sancto, cap. 27; Augustinus, serm. 201, de tempore; Ambrosius, lib. II de Sacram., cap. 7; Hieronymus, contra Lucif. Ceterum pro unica mersione non videtur sanctus Thomas testimonium ullum afferre ante conc. Tolet. IV, quod Gregorio Magno posterius fuit. GUSSANV.

[g] Hæc ipsa verba sanctus Isidorus Hispalensis refert loco superius laudato, quod omnem fraudem et interpolationis factæ suspicionem amovere debet.

[h] In uno Vatic., Norm. et nonnullis aliis, *se morem vestrum.* Idem est sensus.

[i] In nonnullis Ed., *sensibusque potentibus.* Nostræ lectioni suffragantur Vatic., Gallic., etc.

[k] Ita in solo Turon. S. Gat.

EPIST. XLIV (*Al.* 42). — [a] Non intelligit legatum qui apud principem Ecclesiæ negotia procuraret, sed

citius minime valuimus. Causas vero, de quibus indicandum curasti, omnes subtiliter perquirentes, qualiter disposuerimus, inferius cognosces.

Cognovimus [b] rusticos Ecclesiæ vehementer in frumentorum pretiis gravari, ita ut instituta summa eis in comparatione abundantiæ tempore non servetur. Et volumus ut juxta pretia publica omni tempore, sive minus sive amplius frumenta nascantur, in eis comparationis mensura teneatur. [c] Frumenta autem quæ naufragio pereunt, per omnia volumus reputari; ita tamen ut a te negligentia ad transmittendum minime fiat, ne dum transmittendi tempus negligitur, damnum ex vitio vestro generetur. Valde autem iniquum et injustum esse prospeximus, ut a rusticis Ecclesiæ de [d] sextariaticis aliquid accipiatur, et ad majorem modium dare compellantur, quam in horrea Ecclesiæ infertur. Unde [e] præsenti admonitione præcipimus, ut plus quam decem et octo sextariorum modios nunquam a rusticis Ecclesiæ frumenta debeant accipi. Nisi forte si quid est quod nautæ juxta consuetudinem superaccipiunt, quod minui ipsi in navibus attestantur.

Cognovimus etiam [f] in aliquibus massis Ecclesiæ **534** exactionem injustissimam fieri, ita ut [g] a septuaginta terni semis, quod dici nefas est, conductores exigantur; et adhuc neque hoc sufficit, sed insuper aliquid ex usu jam multorum annorum exigi dicuntur. Quam rem omnino detestamur, et amputari de patrimonio funditus volumus. Sed tua experientia sive in hoc quod per libram amplius, sive in aliis minutis oneribus, et quod ultra rationis æqualitatem a rusticis accipitur, penset; et omnia in summam pensionis redigat, et prout vires rusticorum portant, pensionem integram et pensantem ad septuagena bina persolvant; et neque [h] siliquas extra libras, neque libram majorem, neque onera supra libram

nuntium seu cursorem qui, datis quas ferebat epistolis, et responso accepto, quamprimum reverteretur. Aut forte loquitur de aliquo negotia Ecclesiastica jussu Petri subd. procurante. Sic intellecta vox *responsalis* in notis ad lib. Moral., col. 1, satis explicatur.

[b] Illi erant agricolæ in Siculo Romanæ Ecclesiæ patrimonio. Certum modiorum frumenti numerum singulis annis ex censoria locatione sic reddere tenebantur, ut tamen nummos pro frumento nonnunquam darent. Ex quo Romani populi imperio adjuncta fuit Sicilia, aratores Siciliæ decimam frumenti quod colligebant Romanis pensitarunt..... *Cum vero*, inquit Tullius, act. 3 in Verrem, *arator aut frumentum vendidisset, aut servare vellet, aut in eum locum quo imperabatur portare nollet, petivit beneficii loco et gratiæ ut sibi pro frumento quanti frumentum esset dare liceret. Ex hujusmodi principio atque accommodatione magistratuum consuetudo æstimationis introducta est.... Non igitur ex æstimatione crimen, sed ex conjunctione annonæ atque æstimationis.* Gravabantur enim coloni, si in annonæ copia, dum viliori pretio vænibat frumentum, pecuniam multam ultra publicum pretium solvere cogerentur. Id egerat Verres Siciliæ per triennium prætor. Unde ipsum accusat Tullius, quod cum in Sicilia sestertiis duobus aut ad summum ternis tritici modius esset, iste pro tritici modiis singulis ternos ab aratoribus denarios seu duodenos sestertios exegisset. Ne quid simile in Siciliæ patrimonio erga aratores ab Ecclesiæ actoribus fieret, cavet sanctissimus pontifex, imo quia factum fuerat, reprehendit.

[c] Quorum erat collatio annonæ, eorumdem erat transvectio. L. *Mediterraneæ*, Cod. de annon. et tribut.; Tullius, Verr. 5. Atque eadem lege tenebantur Siculi coloni Ecclesiæ Romanæ, qua olim Siculi omnes. Igitur colonorum Ecclesiæ erat ut frugum periculum (si forte naufragio perirent) pertineret ad damnum coloni seu possessoris, nisi forte casu contigisset, aut culpa et negligentia defensoris, quod intempestive frumentum transmissum esset, aut tempestatis vi certis testimoniis probata. Vide Cod. Theod. tom. V, pag. 57.

[d] Sexdecim in modio sextarii. Fannius :

Amphora ter capit modium, sextarius ipsum
Sexdecies haurit.

Plebiscitum, quod duo Silii Publius et Marcus tribuni plebis rogarunt anno Urb. cond. 510 : *Sexdecim sextarii in modio sient.... Sextarius æquus libræ cum besse siet.* Habebat igitur modius libras XXIV Romanas seu unciarum XII. De sextariaticis accipiebatur, cum ultra debitam modii mensuram sextarium unum aut plures adjicere ex consuetudine iniqua cogebantur coloni; inde *onus adjectionis* vocatur inferius. Doleus remque ipsam exsecrans queritur Gregorius epist. 34 lib. XIII, quod *modium cum quo coloni Ecclesiæ frumenta dare compellebantur*, XXV *sextariorum invenerit* Pantaleo notarius in Syracusana Siciliæ parte.

[e] In Lyr. et Aud., *præsenti jussione.*

[f] Quod Gregorius sæpe, Cassiodorus, et plures alii *massam* vocant, idem est quod communius dicitur *mansus* vel *mansum*. Est autem ager certi modi et mensuræ; quod quidem non male convenit cum ea possessione quam alii appellant domum cultam, coloniam vestitam, Gall., *une ferme, une métairie, une cense*, ubi servi, pecora, et supellex necessaria, hujusmodi massæ vel mansi partem constituebant. Nec videtur vocem hanc confundendam esse cum casa aut casula, quæ tenuissima erat possessio, nam erat differentia inter casatos et mansuarios. Ad confirmationem hujus rei videndus Gregorius, lib. XII, epist. 9 : *Massam cum omnibus fundis suis*, etc. Gussanv. Massa quid sit, ex ipso Gregorio notum est. Nam epist. 31 libri V, quæ olim erat I. libri XII duodecima, et inscribitur, *conductoribus massarum*, legitur in duobus Teller. *conductoribus massarum seu fundorum per Gall.* Ita etiam est in tribus Colbert. et in collectione Pauli Diaconi. Eodem sensu usurpatur massa apud Senatorem, lib. VIII, epist. 23, *massa subter annexas*, etc.

[g] In Vulgatis legitur, *a septuagenis ternis semis.* Ex Colbert. duo habent, *a septuaginta ternis*, vel *terni semis.* Alter, *a septuagenii terni semis;* sed in Vatic., Corb., Norm. et plerisque ac potioribus legitur : *a septuaginta terni semis..... exigantur;* unus scilicet modius ex viginti. Et infra leg. *ad septuagena bina persolvant;* unum ad 35 Joan. Diac., lib. II, cap. 60. Ex Tullio, act. 5 in Verrem, *ab Siculis aratoribus, præter decumam, ternæ quinquagesimæ*, solidi tres ex 50 exigebantur. Observandum tamen hunc locum varie in Mss. legi. In Vaticano D, habes : *septuagenii vina persolvant.* Ita Normann., Andeg. et duo Teller. In aliis Vatic. legitur, *ad septuagena vina persolvant.* Consentit Corb., mutata vocula *ad* in *et.* In aliis etiam Vat., *ad septuaginta vina*, al., *ad septuaginta vini lagenas.* Fortasse *vina* idem est ac *bina*, usurpato *v* pro *b*, quod frequenter fit. Quamvis perspicue definire quid hæ voces nostris moribus parum accommodatæ olim significarent expeditum non sit, constat tamen agi de quibusdam censûs persolvendi modis. Vide Cassiodorum, lib. I Var., epist. 14; lib. II, epist. 17; lib. VII, epist. 20 et 21; sed præsertim consule Glossar. Cangii, ad vocem *Tertia*, ubi ex Cassiodoro profert locum de exactione binorum et ternorum.

[h] De siliquatico Theodoricus rex apud Cassiodo-

majora exigere debeant; sed per æstimationem tuam, prout virtus sufficit, in summam pensionis cresceat, et sic turpis exactio nequaquam fiat. Ne vero post obitum meum hæc ipsa onera quæ super pensum illata subtraximus, et in capite pensionis fecimus crescere, iterum in quolibet addantur, et inveniatur summa pensionis augeri, et onera adjectionis insuper rustici solvere compellantur, volumus ut securitatis libellos ita de pensionibus facias, quatenus imprimas, dicens tantam pensionem unumquemque debere persolvere, inibi abjectis siliquis, [i] oneribus, vel granaticis. Quod autem ex his minutiis in usum rectoris accedebat, volumus ut hoc ex præsenti jussione nostra ex summa pensionis in usum tuum veniat.

Ante omnia hoc te volumus sollicite attendere ne injusta pondera in exigendis pensionibus ponantur. Sed si qua talia inveneris, frange, et nova et recta constitue; quia et filius meus servus Dei Diaconus jam talia invenit quæ ipsi displicerent, sed licentiam hæc immutare non habuit. Super justa ergo pondera [k] præter excepta **535** et vilia cibaria, nihil aliud volumus a colonis Ecclesiæ exigi.

Præterea cognovimus quod prima illatio [l] burdationis rusticos nostros vehementer angustat, ita ut priusquam labores suos venundare valeant, compellantur tributa persolvere: qui dum de suo unde dare debeant non habent [m] ab auctionariis publicis mutuo accipiunt, et gravia commoda pro eodem beneficio persolvunt, ex qua re fit ut dispendiis gravibus coangustentur. Unde præsenti admonitione præcipimus ut omne quod mutuum pro eadem causa ab extraneis accipere poterant, a tua experienta [n] publico detur, et a rusticis Ecclesiæ paulatim ut habuerint accipiatur; ne dum in tempore coangustantur, quod eis postmodum sufficere in inferendum poterat, prius compulsi, vilius vendant, et hoc eis minime sufficiat.

Pervenit etiam ad nos quod de nuptiis rusticorum immoderata commoda percipiantur: de quibus præcipimus ut [o] omnia commoda nuptiarum unius solidi summam nullatenus excedant. Si qui sunt pauperes, etiam minus dare debent; si qui autem divites, præfati solidi summam nullatenus transgrediantur; quod nuptiale commodum nullatenus volumus in nostram rationem redigi, sed utilitati conductorum proficere.

Cognovimus etiam quod nonnullis conductoribus morientibus parentes sui non permittuntur succedere, sed res eorum ad usus Ecclesiæ pertrahuntur; de qua re definimus ut parentes morientium qui in possessione Ecclesiæ degunt hæredes eis succedere debeant, nec aliquid eis de substantia morientium subtrahatur. Si vero filios parvulos aliquis reliquerit, quousque ad ætatem talem perveniant ut substantiam suam regere valeant, personæ eligantur cautæ quibus parentum eorum res tradi debeant ad custodiendum.

Cognovimus etiam (*Grat.* 16, *q.* 6, *can.* 5) quod si quis ex familia culpam fecerit, non in ipso, sed in ejus substantia vindicatur; de qua re præcipimus ut quisquis culpam fecerit, in ipso quidem ut dignum est vindicetur. [p] A commodo autem ejus omnino abstineatur, nisi forte parum aliquid quod in usum executoris qui ad eum transmissus fuerit proficere possit. Cognovimus etiam (*Grat.* 16, *q.* 10) quia quoties conducter **536** aliquid colono suo injuste abstulerit, hoc quidem a conductore exigitur, sed ei non redditur a quo ablatum est: de qua re præcipimus ut quidquid violenter cuilibet ex familia ablatum fuerit, ipsi restituatur cui ablatum est, et utilitati nostræ non proficiat, ne nos ipsi auctores violentiæ esse videamur. Præterea volumus ut si quando eos qui in obsequio sunt experientiæ tuæ in aliquibus causis quæ fiunt extra patrimonium transmittas, parva quidem commoda ex eis accipiant, sed tamen ita ut in eorum utilitatem proficiant, quia nos [q] sacculum Ecclesiæ ex lucris turpibus nolumus inquinari. Jubemus etiam ut hoc experientia tua summopere custodiat, ut per commodum conductores in massis Ecclesiæ nunquam fiant; ne dum commodum quæritur, conductores frequenter mutentur, ex qua mutatione quid aliud agitur, nisi ut ecclesiastica prædia nunquam colantur?

rum, Var. lib. II, epist. 30; lib. III, epist. 25; lib. IV, epist. 19. Onus erat rusticis impositum, ut de rebus omnibus nundinandis, frumento, vino, et oleo certam præstarent portionem, quo liceret vendere. Cavet Gregorius ne a rusticis ultra justi ponderis libram siliqua exigatur.

[i] In duobus Mss. Vatic., *oleribus*.

[k] In Norm., duobus Teller., Corb., Turon., et in plerisque Miss. Vitæ sancti Gregorii a Joan. Diac. conscriptæ legitur, *et vili cibo*. In Andeg., *et viliciba*.

[l] *Burdatio*, inquit Alte-erra in hunc locum, *est pensio quæ a rusticis præstatur prædii nomine, quod Burdam vocant, nostri Borde*. Infra: *cognovimus etiam rusticos burdationem..... iterum dedisse*. Gussanvillæus vero vult burdationem esse onus, tributum, pensionem, ita dictam a *burdis* aut *burdonibus*, seu mulis, qui ferendis hujusmodi oneribus inserviebant.

[m] In Vatic. A et C, et in duobus aliis legitur *actionariis*, ut etiam in Turon. S. Gat., Corb., Norm. et in nonnullis Codd. Joan. Diac. In Vaticano D tamen et in duobus Teller. habes, *auctionariis* vel *autionariis*. Auctionarii fortasse intelliguntur qui auctionantur, hoc est publice sub hasta vendunt.

[n] **Excusi**, *ex publico;* sequimur Mss. consensum.

[o] Munus quod coloni aliquatenus servi dominis solvebant ut liceret nubere.

[p] Male, *a communione*, et contra seriem contextus, etsi reperiatur in Froben. Ed. et apud Gratianum, causa 16, quæstione 6, can. *Cognov.* GUSSANV.

[q] Saccus vox est omnium linguarum. Hinc sacculus, saccellus, sacellarius, saccellarius, saccularius, sacco, saccarius apud jurisconsultos passim usurpatur pro loculis, ærario, thesauro, repositorio nummorum. Græcis σακέλη, σακέλιον, aut σακκέλλη, σακκέλλιον. Male itaque Binius, ad epist. 54 lib. IV, sacellarium a saccellario significatu distinguit. Promiscue enim pro eodem usurpari sacculum et sacellum, sacellarium et saccellarium legimus. Nisi forte quando sacellum a sacro deducitur, ut apud Augustinum, lib. VI de Civit. Dei, cap. 3; ex Varrone, verbo *Capellæ*, quarum aliæ cum tecto, aliæ apud paganos sine tecto. Porro sacculorum alii pro custodia et carcere, ut apud Balsamonem, de chartophylace et proedro, ἡ τοὺς κακούργους φυλάττουσα, πατριαρχικὴ σακέλλη; alii eleemosynarum vel Ecclesiæ, vel imperatoris, vel monachorum. Sacellarii alii majores, alii minores. Lege Balsamonem, Codinum, et Joannem episcopum Citri, in respons. GUSSANV.

Sed et ipsa etiam [r] libellatica, prout summa pensionis fuerit, moderentur. Per [s] cellas et cellaria non plus de massis Ecclesiæ te accipere volumus, nisi quantum consuetudo est, tua autem quæ comparari jussimus, ab extraneis comparentur.

Pervenit autem ad nos tres libras auri Petro conductori de Subpatriana injuste ablatas : de qua causa Fantinum defensorem subtiliter require ; et si manifeste, injuste, et incompetenter ablatæ sunt sine aliqua tarditate restitue. Cognovimus etiam rusticos burdationem quam jam ab eis exactam Theodosius minime persolverat iterum dedisse, ita ut in duplo exacti sint. Quod ideo factum est, quia ejus substantia ad debitum Ecclesiæ non sufficiebat. Sed quoniam per filium nostrum servum Dei Diaconum edocti sumus quod ex rebus substantiæ ejus possit hoc ipsum damnum sufficienter resarciri, volumus quingentos septem solidos eisdem rusticis sine aliqua imminutione restitui, ne in duplo videantur exacti. Si autem supra damnum rusticorum etiam quadraginta solidi de rebus Theodosii remanent, quos et apud te diceris habere, volumus ut filiæ ejus reddantur, ut res suas, quas in pignore dederat, recipere debeat. Cui etiam [t] batiolam patris sui restitui volumus.

Campanianus gloriosus magister militum duodecim **537** solidos annuos Joanni notario suo reliquerat ex massa Varroniana : quos dare te annis singulis sine aliqua dubitatione præcipimus nepti Eupli conductoris, quamvis omne mobile ejusdem Eupli perceperit, exceptis duntaxat solidis; dare etiam de solidis illius te volumus solidos viginti quinque. [u] Suppostorium aliquod argenteum, pro uno solido dicitur esse appositum, et calix pro sex solidis dicitur esse appositus. Interrogato Dominico secretario, vel aliis qui scire possunt, debitum recipe, et vascula præfata restitue.

Agimus autem gratias sollicitudini tuæ, quia de causa fratris mei præcepi tibi ut argentum illius retransmittere debuisses, et sic oblivioni mandasti ac si tibi aliquid ab extremo mancipio tuo diceretur; quod jam vel modo non experientia, sed negligentia tua studeat implere, vel quidquid ejus apud Antoninum fuisse cognoveris, sub omni velocitate retransmitte.

De causa Salpingi Judæi, epistola aliqua est inventa quam tibi fecimus transmitti, ut eam relegens, et subtiliter causam ejus, vel viduæ cujusdam quæ in eodem negotio dicitur implicata, cognoscens, de quinquaginta uno solidis qui reddi [x] debere noscuntur, sicut justum tibi fuerit visum, responsum facias, ita ut res alienæ injuste nullo modo a [y] creditoriis defraudentur.

Antonino medietas legati sui data est, medietas redimetur : quam medietatem ex communi substantia ei volumus adimpleri, et non solum ei, sed etiam defensoribus et peregrinis, quibus legati titulo aliquid relictum est.

[r] Libellatica, a libellis quibus agrorum locationes scribebantur sic dicta, proprie significant locationes ipsas, Gallice, *les baux à ferme*. Vide lib. II, epist. 1. Apud Cassiodorum, lib. V Var., epist. 7 : *tua suggestione comperimus..... patrimonii nostri prædia in Apulia..... Thomari libellario titulo commisisse.* Hoc est contractu vel libello, *un bail*. Aliquando in fraudem fiebant hujusmodi locationes, et sub specie libellarii seu emphyteutici juris, Ecclesiæ suis bonis spoliabantur. Hinc in capitul. Caroli Calvi, tit. 47, cap. 10 : *ut res ecclesiasticæ tam mobiles quam et immobiles nemo invadere..... præsumat, et quæ a rectoribus Ecclesiæ hactenus ob timorem vel favorem, alicui libellario vel emphyteuticario jure, dolose et cum damni detrimento Ecclesiæ, amissæ videntur, ad pristinum jus revertantur.*

[s] Aliquando pro mansionibus, hic pro reconditorio, ἀποθήκη ; huic præest Cellarius. Cellaria autem ea sunt quæ in reconditoriis reponuntur. Sic Severus Sulpicius, de concilio Ariminensi loquens : *Quibus* (episcopis) *annonas et cellaria dari imperator præcepit.* Aliquando tamen *cellaria* pro *cellis*. Nota apud Tertullianum, lib. de Resurr. carnis, *cellas promas* pro sepulcris. Et apud monachos pro mansione monachi. C. *Privilegium*, de verborum signif., in sexto. Gregorius Turon., lib. IX Historiæ, cap. 6, cameram suam vel cubiculum vocat *cellulam*. Cap. 15, meminit *cellulæ* Athaloci *episcopi*, id est cubiculi. Vide infra, lib. IV, epist. 4. Gussanv. Utrum hæc explicatio ad rem pertineat, judicet prudens lector. Interim aliam subjiciemus. Tullius, act. 5 in Verrem, frumenti meminit ultra decimam ab aratoribus Siculis prætori ejusve ministris gratis in cellam dati, *pour la dépense de la maison. Magistratibus*, inquit, *tantumdem detur in cellam quantum semper datum est.* Cavet sanctus Gregorius ne patrimonii Siculi rectores in cellas et cellaria, tum sua, tum defensorum atque actorum Ecclesiæ, *plus* de massis accipiant, nisi quantum consuetudo est.

[t] Vasculum a *batus* vel *bata*. Glossæ veteres Batiola, ποτήριον. Plautus, in Colace : *Batiolam auream octo pondo habebat.* Nonius Marcellus, qui et citat Varronem, de Re rustica, lib. I. Reperitur apud Græcos βατιάκη et βατιάκιον, proculi genus. Gussanv. In Turon. S. Gat. habes *baciola*. Sed in tribus Colb., 2 Teller., Norm. et pl. legitur *baciolam*. Varie autem scribitur, *baciola, batiola, batiolica*. Vide Spelman., Glossar. arch., p. 77. Apud Plautum, in Stich., vers. 4 :

> Quibus divitiæ domi sunt scaphio et Cantharis
> Batiolis bibunt.

Arnobius, lib. II, adv. Gentes, *polubrum, siliquastrum ... batiolæ, scopæ, scyphus*, etc.

[u] Glossæ Græco latinæ ὑπόθεμα, suppositorium. Item alibi ὑποπόδιον, scabellum, subsellium, suppositorium. Videtur esse quod vulgo Latinis dicitur repositorium ; cujus erant duo genera : alia ampliora, quæ mensis subjiciebatur, τραπεζοφόρα. Cicero, lib. VII, ep. famil. : *Quod tibi destinaveras trapezophorum, si desideras, habebis.* Alia minora sustinendis orbibus et discis, quæ Galli appellant *chapelets, colliers, porte-assiettes.* Athenæus, lib. IV, θύβην, in qua scilicet lanx cum opsonio reponitur. Vide Lazarum Baysium, de vasculis. Gussanv. In omnibus Mss. Vatic., Anglic., Teller., Colb., etc., legitur *suppostorium*, non ut Editi habent, *suppositorium*, licet eadem sit utriusque vocis significatio. Hic accipi potest pro vase, Gallice *soucoupe;* idque suadere videtur mentio *calicis* appositi (sic enim habent mss. Codices) hoc est oppignerati. Consule Cangianum Glossarium.

[x] In Vatic. A et D, *qui reddi deberi*. In C et in duobus aliis, *qui redhiberi noscuntur*. De hoc verbo, quo sæpe utuntur Apollinaris Sidon. maxime lib. IX, epist. 11 et 14, nec non Ennodius, lib. III, epist. 10, observat Sirmondus *hoc plerumque esse redhibere, reddere quod debeas.*

[y] Ita in duobus Vatic., in omnibus Norm., Corb., etc., pro *creditoribus*, ut in Edit. In Vatic. A et B, legitur : *ita ut res alienas injuste nulli crediturus sis.*

quid dereliquit; et familiæ legatum persolvi volumus, quod tamen ad nos pertinet. Collecta ergo ratione pro nostra parte, id est pro novem [z] unciis persolve.

De solidis Ecclesiæ Canusinæ volumus ut aliquid clericis ejusdem Ecclesiæ largiaris, quatenus et ii qui nunc inopiam patiuntur, sustentationem aliquam habeant; et si illic Deus voluerit ordinari episcopum, habeat unde subsistat.

De [aa] lapsis sacerdotibus vel quolibet ex clero, observare te volumus ut in rebus eorum nulla contaminatione miscearis; sed pauperrima regularia monasteria require, quæ secundum Deum **538** vivere sciunt, et in eisdem monasteriis ad pœnitentiam lapsos trade; et res lapsorum in eodem loco proficiant, in quo agere pœnitentiam traduntur, quatenus ipsi ex rebus illorum subsidium habeant, qui de correptione eorum sollicitudinem gerunt. Si vero parentes habent, res eorum legitimis parentibus dentur, ita tamen ut eorum stipendium, qui in pœnitentiam dati fuerint, sufficienter debeat procurari. Si qui vero ex familia ecclesiastica sacerdotes, vel levitæ, vel monachi, vel clerici, vel quilibet alii lapsi fuerint, dari eos in pœnitentiam volumus, sed res eorum ecclesiastico juri non subtrahi. Ad usum tamen suum accipiant, unde ad pœnitendum subsistant, ne si nudentur, locis, in quibus dati fuerint, onerosi sint. Si qui parentes in possessione habent, ipsis res eorum tradendæ sunt, ut in ipsis juri Ecclesiæ conserventur.

Ante triennium (*Grat. dist.* 31, *can.* Ante triennium) [bb] subdiaconi omnium Ecclesiarum Siciliæ prohibiti fuerant [cc] ut more Romanæ Ecclesiæ nullatenus suis uxoribus miscerentur. Quod mihi [dd] durum atque incompetens videtur, ut qui usum ejusdem continentiæ non invenit, neque castitatem ante promisit, compellatur a sua uxore separari, atque per hoc, quod absit, deterius cadat. Unde videtur mihi ut a præsenti die episcopis omnibus dicatur ut nullum subdiaconum facere præsumant (*Grat. dist.* 28, *can.* Nullum), nisi qui se victurum caste promiserit, quatenus et [ee] præterita quæ per propositum mentis appetita non sunt, violenter non exigantur, et futura caute caveantur. Qui vero post eamdem prohibitionem, quæ ante triennium facta est, continenter cum suis uxoribus vixerunt, laudandi atque remunerandi sunt, et ut in bono suo permaneant exhortandi. Eos autem qui post prohibitionem factam se a suis uxoribus continere noluerint, nolumus pervenire ad sacrum ordinem, quia nullus debet ad ministerium altaris accedere, nisi cujus castitas ante susceptum ministerium fuerit approbata.

Liberato negotiatori qui se Ecclesiæ commendavit, qui habitat in massa Cinciana, [ff] annuam continentiam a te volumus fieri. Cujus continentiæ summam ipse æstima, qualis esse debeat, ut **539** renuntiata nobis in tuis possit rationibus imputari. De præsenti vero indictione, jam a filio nostro servo Dei Diacono percepi.

Fantinum defensorem [gg] Joannes Monachus quidam moriens in sex uncias hæredem dimisit, cui hoc quidem quod dimissum est trade, sed contestare eum ut hoc facere ulterius non præsumat. Sed pro labore suo statue quid accipiat, ut ei vacuus labor suus esse

[z] Gallis *pour les trois quarts*. Sic infra, hæres in sex uncias, *pour la moitié*. Gussanv.

[aa] Hoc decretum referunt Gratianus et Ivo, referunt et sequens : *Si qui vero ex familia ecclesiastica*, etc. Canonistæ sudant ut utrumque legitimum esse sancti Gregorii fetum defendant; ego vero crederem alterutrum superfluum esse ac subditicium, cum utriusque sit idem fere sensus, verbis paul sper immutatis. Studiosus expendat ac judicet. Fateor tamen posse aliquam distinctionem interponi inter eos clericos qui servi fuerant Ecclesiæ antequam promoverentur, et ingenuos qui res habebant proprias. Illorum bona ad Ecclesiam videntur omnino pertinuisse; horum res propriis cedebant parentibus, decerptis prius necessariis ad lapsorum victum vestitumque subsidiis. De monachis autem, cum nihil habere possint proprium, eadem lex quæ de servis observabatur. Consule canonistas, in can. *De lapsis*, caus. 16, quæst. 6, et quod infra subdit hac in epist. sanctus Gregorius, de ancilla Dei lapsa. Jam de lapsis multa diximus ad epist. 18. Gussanv. Prius legebatur, *de lapsis sacerd., vel levitis*, quæ ultima rejecimus, quippe quæ id nullis Mss. melioris notæ reperiantur.

[bb] Sic sensim subdiaconis lex fuit imposita cælibatus, quo factum est ut ad sacros ordines propius accederent, ita ut illis tandem licuerit in sacrarium ingredi, et sacra vasa contingere, refixis canonibus antiquioribus conc. Laodic., cap. 11, Agath., can. 66. Gussanv. Varias de subdiaconorum cælibatu constitutiones vide apud Thomass., part. I, lib. II, cap. 61, 62, 65. Multa de hoc argumento diximus in Vita sancti Gregorii, lib. II.

[cc] Hic pro particulari sumitur, ut sequenti epistola. Gussanv.

[dd] Glossa, in can. 1, dist. 31, hanc Pelagii constitutionem vocat iniquam. Ego censuram istam adversus summi pontificis statutum dico esse durissimam, et novis canonistarum placitis contrariam. Vide can. *In memoriam*, dist. 19, de jugo vix ferendo, ferendo tamen, et pia devotione tolerando; et caus. 1, quæst. 3, multos canones pro prælatis, et adversus impotentes prælatos. Gussanv.

[ee] In Excusis, *præterita mala;* quæ cum frustra quæsierimus in Vatic. et aliis Mss., ubi solum legimus *præterita*, vocem *mala* superadditam rejecimus.

[ff] Hoc est annuam pensionem in vitæ subsidium. Vide supra, epist. 18, nota *b*, et hom. 20 in Evang., col. 1521. Epist. 45 sequenti legitur *contineri*, eodem sensu.

[gg] Olim de rebus suis testari poterant monachi. Vide Cod. Theodos., lib. V, tit. 3, et not. Gothofred. Postea illis adempta testandi facultas. Justinian., Nov. 5 et 123, cap. 38. Non facile hoc Joannis Monachi factum cum alio Siricæ abbatissæ conciliari potest, cujus testamentum rescinditur epist. 7 lib. IX, maxime cum xenodochio pars legati a Sirica tradita fuisset; hic a Joanne, Fantino defensori. Sed hanc fortasse dispensationem idcirco a Gregorio admissam conjicit Mabillonius, quod Fantinus defensor hanc meruisset prærogativam propter auxilium monasterio impensum. Vide lib. I de Re diplomat., cap. 2, num. 10. Ex facultate testandi concessa Probo abbati, singulari privilegio, gravibusque de causis, liquet tunc monachis testari interdictum. Vide Gregorii rescriptum Probo abbati in appendice; olim epist. 22 lib. IX, in. 4, et quæ de hoc argumento diximus in Vita sancti Gregorii. Certe nihil a sancti Doctoris mente magis alienum, quam monachis aliquid proprii relinquere, ut maxime elucet in epist. 42 superiori.

non debeat; et hoc meminerit, ut qui Ecclesiæ stipendiis subsistit, ad lucra propria non anhelet. Si quid vero sine peccato, sine appetitu concupiscentiæ, per eos qui causas Ecclesiæ agunt ad Ecclesiam venerit, dignum est ut ex labore suo ipsi vacui esse non debeant, sed nostro servetur judicio qualiter debeant remunerari.

De argento Rusticiani causam subtiliter require, et quod tibi justum videtur exsequere. Alexandrum virum magnificum admone, ut causam suam cum sancta Ecclesia decidere debeat. Quod si facere forte neglexerit, eamdem causam cum timore Dei, honestate servata, ut potes, exsequere. In qua re etiam largiri te volumus aliquid; et si potest fieri, quod aliis dandum est, ipsi relaxetur, dummodo causam quam nobiscum habet [hh] perexeat.

Donationem ancillæ Dei, quæ lapsa est, et in monasterio data, omni postposita tarditate restitue, quatenus ipse locus, ut superius dixi, rerum ejus stipendia habeat, qui ejus sollicitudinis labores portat. Sed et quidquid ab aliis ex ejus substantia tenetur, recollige, et monasterio præfato trade.

Pensiones Xenodochii de via nova, quantas mihi indicasti, quia apud te habes, nobis dirige. Actionario autem, quem in eodem patrimonio deputasti, prout tibi videtur, ei aliquid largire.

De ancilla Dei quæ cum Theodosio fuit, Extranea nomine, videtur mihi ut ei continentiam facias, si utile conspicis, aut certe donationem, quam fecit reddas. Domum monasterii, quam Antoninus datis triginta solidis a monasterio tulerat, receptis solidis omni postposita tarditate restitue. [ii] Amulas onychinas, requisita subtiliter veritate, restitue, quas per portitorem præsentium retransmisi.

Saturninum, si vacat, et occupatus apud te non est, ad nos dirige. Felix conductor Domnæ Campanæ, quem liberum reliquerat, atque esse indiscussum jusserat, dixit sibi a Maximo subdiacono septuaginta duos solidos ablatos, pro quibus dandis asseruit quia omnes res suas quas in Sicilia habuit, vel venundedit, vel apposuit. Sed scholastici dixerunt quod de fraudibus indiscussus esse non potest. Dum tamen ad nos de Campania reverteretur, facta tempestate mortuus est : cujus te volumus uxorem et filios requirere, et quidquid apposuerat, vel venditerat, apposita **540** absolve, de venditis pretium restitue, et insuper eis aliquod alimentum præbe, quia Maximus eum in Siciliam miserat, et ibi ei quæ asserebat abstulerat. Cognosce ergo quæ ablata sunt, et uxori filiisque ejus sine aliqua mora restitue. Hæc omnia sollicite relege, omnemque illam familiarem tuam negligentiam postpone. Scripta mea ad rusticos quæ direxi, per omnes massas fac relegi, ut sciant quid sibi contra violentias debeant defendere ex auctoritate nostra, eisque vel authentica vel exemplaria eorum dentur. Vide ut omnia absque imminutione custodias, quia de his quæ tibi pro servanda justitia scribo, ego absolvor, et tu si negligis, obligaris. Terribilem judicem considera venientem; et de adventu illius nunc tua conscientia contremiscat, ne tunc sine causa jam timeat, cum coram illo cœlum et terra tremuerit. Audisti quod volo, vide quid agas. (*Cf. Joan., Diac., l.* II, *c.* 59.)

## EPISTOLA XLV.

### AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER ILLYRICUM.

*Ut episcopos ab hostibus expulsos suscipiant, eisque necessaria subministrent.*

Gregorius universis episcopis per Illyricum.

Jobinus excellentissimus vir, filius noster, præpositus per Illyricum, scriptis suis nobis indicasse dignoscitur, ad se sacris apicibus destinatis, jussum fuisse episcopos quos e propriis locis hostilitatis furor expulerat ad eos episcopos qui nunc usque in locis propriis degunt pro sustentatione et stipendiis præsentis vitæ esse jungendos. Et licet ad hoc fraternitatem vestram jussio principalis admoneat, habemus tamen majus his præceptum æterni principis, quo ad hæc terribilius peragenda compellimur, ut non dico fratres et coepiscopos nostros, sed ipsos etiam, quos nobis contrarios patimur, cum opportunitas postulat, in conferendis subsidiis necessitatum carnalium, diligamus. Oportet ergo vos ad hanc rem et cœlesti primitus principi obedientes existere, et imperialibus etiam jussionibus consentire, quatenus fratres coepiscoposque nostros, quos captivitatis diversarumque necessitatum angustiæ comprimunt, debeatis consolandos convivendosque vobiscum in ecclesiasticis sustentationibus libenter suscipere. Non quidem ut per communionem episcopalis throni dignitas dividatur, sed ut ab Ecclesia [a] juxta possibilitatem sufficientia debeant alimenta percipere. Sic enim et proximum in Deo, et Deum in proximo diligere comprobamur. Nullam quippe eis nos in vestris Ecclesiis auctoritatem tribuimus, sed tamen eos vestris solatiis contineri summopere hortamur. Mense [b] Junii, indictione nona. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 16.)

## **541** EPISTOLA XLVI.

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut Godiscalchi filio inopi et cæco ad victum necessaria suppeditet, præcipit.*

Gregorius Petro subdiacono.

Divina præcepta nos admonent diligere proximos sicut nosmetipsos; et cum hac eos præcipiamur charitate diligere, quanto magis debemus his in subsidiis necessitatum carnalium subvenire, ut eorum angustias, si non ex omnibus, saltem aliquibus su-

[hh] Prius legebatur, *exerceat.*

[ii] Amula vas vinarium inquit Papias. Ordo Romanus usurpat pro urceolis, quibus continetur vinum et aqua ad sacrificium altaris. Apud quosdam auctores appellatur *Ama.* Gussanv. Lege notas Alteserræ ad hunc locum.

Epist. XLV (*Al.* 43). — [a] In Vulgatis, *juxta possibilitatem sufficientiæ.*

[b] In nullis Codd. mss. hæc occurrerunt, si Turon. S. Gat. et Colbert. vel. excipias, in quo tamen dubium, utrum ad præsentem epistolam, an ad sequentem 46 ista pertineant.

stentaculis sublevemus. Quoniam ergo [a] Godiscalchi viri dignissimi filium non solum amissione visus, sed etiam inopia victus egestatem pati conspeximus, necessarium duximus, in quantum possibilitas suppetit, ei præbere consultum. Propterea experientiæ tuæ præsenti jussione præcipimus ut annis singulis viginti quatuor modios tritici, fabæ quoque modios duodecim, et vini [b] decimatas viginti pro sustentatione vitæ debeat ministrare, quod tuis postmodum possit rationibus imputari. Ita ergo fac ut præsentium lator nullas de percipiendis Domini donis moras sustineat, et tu bene dispensatæ mercedis possis particeps inveniri. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## EPISTOLA XLVII.

AD VIRGILIUM ARELATENSEM, ET THEODORUM MASSILIENSEM EPISCOPUM.

*Judæos non esse ad baptismum cogendos, sed ad fidem amplectendam suaviter excitandos.*

Gregorius [a] Virgilio [b] Arelatensi, et Theodoro [c] episcopo Massiliæ Galliarum.

Scribendi ad fraternitatem vestram reddendique A debitæ salutationis alloquium, licet nulla [d] congrui temporis vel personarum esset occasio, actum est ut uno in tempore et quæ decebant de dilectione proximitatis fraternæ persolverem, **542** et quorumdam querimoniam, quæ ad nos perlata est, quomodo errantium animæ salvandæ sint, non tacerem. Plurimi si quidem Judaicæ religionis viri in hac provincia commanentes, ac subinde in Massiliæ partes pro diversis negotiis ambulantes, ad nostram perduxere notitiam, multos consistentium in illis partibus Judæorum, vi magis ad fontem baptismatis quam prædicatione perductos. Nam intentionem quidem hujuscemodi et laude dignam censeo, et de Domini nostri dilectione descendere profiteor. Sed hanc eamdem intentionem, nisi competens Scripturæ sacræ B comitetur effectus, timeo ne aut mercedis opus exinde non proveniat, aut juxta aliquid, animarum quas eripi volumus, quod absit, dispendia subsequantur. Dum enim quispiam ad baptismatis fontem non prædicationis suavitate, sed [e] necessitate pervenerit, ad pristinam superstitionem remeans, inde de-

Epist. XLVI (*Al.* 44). — [a] ita tres Vatic., consentientibus aliis melioris notæ. In Vaticano tamen qui notatur B legitur, *filium Fliimuth*. In A et C, filium *Ovadiscalchi*. Hinc fortasse occasio scribendi *Odiscalchi*, ut habemus in Corb. et omnibus Norm.

[b] Videntur esse dolia, mensura vini, ut infra epist. 30 lib. x, nunc 27 lib. xii. Anastasius in Adriano : *Decimatas duas pensantes per unamquamque decimatam libras* lx. Gussanv. In Vatic. B, *et vini decimas ter viginti*. In altero C, *et vini decimationem viginti*. In regiis, *et vini decima ter viginti debeat ministrari*.

Epist. XLVII (*Al.* 45). — [a] Dissentiunt Mss. C in hujus Ep. inscriptione. In Vatic. B et C legitur *Virg. et Theod. episcopis Gall.* In D, *Virg. et Theodoro episcopo Massiliæ*. Ita etiam Corb., Rhem., Norm., Anleg. Virgilium inter et Licerium, qui anno 588 obiit, Saxius in pontif. Arelat. Paschasium locat, quem, quia brevi temporis intervallo sedit, a Gregorio Turon. prætermissum censet; et quidem in veteribus diptychis Arelat. Ecclesiæ a Mabillonio editis, tom. III Analectorum, Paschasius eodem ordine recensetur. Sancti Virgilii mortem anno circa 615 accidisse putat Mabillonius. Certe beatæ Rusticulæ funus, quam anno 632 obiisse probat Carolus *le Cointe*, in Annal. Eccles., ad an. 553, num. 17, et ad an. 632, num. 15, curavit Theodosius Arelat. Vide Mabillonii notas in Vitam beatæ Rusticulæ, num. 31, et in Vitam sancti Virgilii, num. 7. Porro Lerinensem chronologum immerito erroris arguit Gussanvillæus, quod dixerit Virgilium fuisse abbatem Lirin. post sanctum Honoratum. In Virgilii quidem Vita, quam ex perantiquo membraneo Codice Vincentius Barralis edidit, Honoratus dicitur Virgilii *præcessor*, at non proximus, ex ipso Codice. Quippe Hilarium Honorato in episcopatu successisse circa annum 430 scribit chronologiæ parte I, pag. 81. Deinde, pag. 94, observat ex Arnoldo Wion, et ex Virgilii ipsius Vita sub sæculi VIII initium scripta, creatum fuisse Virgilium episcopum Arelat. an. 591. An vero cum ad episcopatum assumptus est fuerit Lerinen. abbas, ut habet illius Vita; an Augustodunensis, ut apud Greg. Turon., lib. IX Histor., cap. 23, legitur, non inquirit. Plura de Virgilio apud Francicæ historiæ parentem frustra quæreres. De illo Bollandiani, 5 Martii.

[b] Arelate, gallice *Arles*, urbs Provinciæ (*Provence*) ad Rhodanum fluvium, archiepiscopalis. Arelatensem Ecclesiam Viennensi nunquam fuisse subjectam, ut contendit Gussanvill., probat Quesnellius dissertatione 5 apologetica pro sancto Hilario Arelatensi, capp. 4 et seqq., quem videsis.

[c] Fuit hic sanctitate conspicuus, qui ab ann. 580 ad 590 variis procellis agitatus, Massiliensem rexit Ecclesiam, multa a rectoribus Massiliæ perpessus, quia Childeberti regis partibus adhærebat, cum rectores illi Guntchrammo regi Childeberti patruo faverent. Rem totam fuse narrat testis oculatus Gregorius Turonensis, lib. VI, cap. 1[illegible]; lib. VIII, cap. 12; et lib. IX, cap. 22. Gussanv.

[d] A recens ordinatis episcopis mitti solebant paulo post ordinationem litteræ communicatoriæ, neque id a Romanis etiam præsulibus prætermittebatur. *Fuit quondam ecclesiastica vetus hæc regula apud patres nostros*, inquit Gelasius I, epist. 1, ad Euphemium, *apostolicam sedem institutum sibi noviter sacerdotem præeuntibus litteris indicare*. Vide secundam ejusdem epist. ad Laurentium, et 12, ad Æonium Arelat. Id dudum præstiterat Hilarus papa, epist. 5 et 6, Leontio Arelat. et per ipsum universis Galliæ episcopis. Id præstitit Gregorius ipse, nec patriarchis modo, sed et præcipuarum sedium antistitibus. Vide, sup., epist. 25 et 27. Pelagius I recens in pontificem electus, epist. 8, ad Sapaudum Arelat., scripsit in hunc modum : *Quæ nobiscum omnipotentis Dei gratia fuerit operata, ad charitatem tuam credimus fuisse perlatum : pro qua re ad nos destinari convenerat ut visitatione communi magno invicem gaudio frueremur. Nos tamen fraternæ memores charitatis præsentium portitorum occasione reperta, officium fraternæ salutationis impendimus*. Huic Pelagii monito obsequentes Virgilius et Theodorus, ad Gregorium, audita illius consecratione, scripserant. Ad illos rescribit ipse, tum quod adsit congrui temporis occasio, tum ut debitæ salutationis alloquium reddat.

[e] A Chilperico Neustriæ rege multos e Judæis ad baptismum adactos scribit Greg. Turon., ad an. Christi 582, lib. VI Hist., cap. 17. Idem in Childeberti regno factum colligitur ex hac ad episcopos Arelat. et Massil. epistola qua morem illum Gregorius Mag. improbat. In Hispan. quoque circa an. 615 Judæos ad baptismum suscipiendum cogebat Sisebutus rex, lege data ut *Judæus baptismum recusans, centum flagella decalvatus suscipiat, et debita multetur exsilii pœna*. Concil. Tolet. IV, post annos circiter 20 habitum, can. 57, de Judæis præcipit, nemini deinceps ad credendum vim inferre. Si Fredegario credimus, Chron., cap. 65 : *Heraclius im-*

terius moritur, unde renatus esse videbatur. Fraternitas ergo vestra hujusmodi homines frequenti prædicatione provocet, quatenus mutare veterem vitam magis de doctoris suavitate desiderent. Sic enim et intentio nostra recte perficitur, et conversi animus ad priorem denuo vomitum non mutatur. Adhibendus ergo est illis sermo, qui et errorum in ipsis spinas urere debeat, et prædicando quod in his tenebrescit illuminet, ut pro his admonitione frequenti mercedem fraternitas vestra capiat, et eos quantum Deus donaverit, ad novæ regenerationem vitæ perducat. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 43.)

## EPISTOLA XLVIII.

AD THEODORUM DUCEM SARDINIÆ.

*Ut officialem suum cum Juliana abbatissa judicium subire præcipiat, Pompeianam vero in pia causa salvo jure protegat.*

Gregorius Theodoro [a] duci [b] Sardiniæ.

Justitiam, quam mente geritis, oportet coram hominibus luce operum demonstretis. Juliana siquidem abbatissa monasterii [c] sancti Viti, quod **543** Vitula [d] quondam recordandæ memoriæ construxerat, insinuavit nobis a Donato officiali vestro possessionem juris prædicti monasterii detentari. Qui dum excellentiæ vestræ patrociniis [e] se cingi conspicit, ad examinandum judicium venire contemnit. Sed nunc [f] gloria vestra præcipiat eumdem officialem cum prædicta ancilla Dei arbitrale subire judicium, quatenus quidquid eorum de tali controversia arbitrorum judicio fuerit diffinitum, effectui mancipetur; ut id quod se amittere sive retinere perspexerit, non hoc virtutis opere fieri, sed legis justitiæ debeat reputari.

Præterea et Pompeiana religiosa, quæ monasterium in domo propria construxisse dignoscitur, questa est matrem quondam generi sui defuncti testamentum ejus velle cassare, quatenus ultimum filii ejus arbitrium ad irritum deducatur. Pro qua re charitate paterna gloriam vestram necessarium duximus adhortandam, ut piis se causis salva justitia libenter accommodet, et quidquid his juris ratio tribuit, benigne jubeat custodiri. Dominum autem petimus ut viam vitæ vestræ propitius dirigat, dignitatemque susceptam administrationis prosperitate disponat.

## EPISTOLA XLIX.

AD HONORATUM DIACONUM.

*Quid imperatoribus pro Sardiniæ incolis suggerendum sit.*

Gregorius [a] Honorato diacono.

Quia regiminis locum licet immeriti suscepimus, oportet ut fratrum nostrorum necessitatibus, in quantum facultas suppetit, concurramus. [b] Januarius ergo metropoleos [c] Caralis frater et coepiscopus noster, veniens huc in Romanam civitatem, edocuit nos Theodorum gloriosum magistrum militum, qui ducatum Sardiniæ insulæ suscepisse dignoscitur, multa illic contra piissimorum dominorum jussa peragere, quibus plurima gravamina possessorum, vel civium imperii sui, competenti clementia vel mansuetudine submoverunt. Pro qua re volumus ut apto tempore piissimis dominis, juxta id quod provinciales **544** prædictæ insulæ juste et competenter postulant, suggeras; dum et antea ad Edancium gloriosum magistrum militum, jam per indictionem septimam tunc ducem Sardiniæ, [d] sacra imperialia concurrerunt, quibus omnia præceperunt gravia nunc capitula submoveri, quatenus eorum jussa de pietatis largitate procedentia a ducibus quos in tempore præesse contigerit inconcussa serventur, mercesque eorum ab administrantibus non debeat dissipari; ut quietam sub imperio clementi dominorum vitam transigant, et consultum quod subjectis suis tranquilla mente tribuunt, in adventu æterni judicis multiplicata compensatione recipiant.

*perator.... ad Dagobertum regem Francorum dirigens, petiit ut omnes Judæos regni sui ad fidem catholicam baptizandos præciperet, quod protinus Dagobertus implevit. Ipseque Heraclius per omnes provincias imperii idem facere decrevit.* Id quidem a Dagoberto præstitum testatur Baudemundus scriptor coævus in Vita sancti Amandi Trajectensis episcopi. At Fredegarium aliosve ex ipso idem de Heraclio scribentes consulat Adrianus Valesius, rerum Francic. lib. XIX. De veteri more baptizandi Judæos atque infideles, plura in utramque partem Launoius et Nicolai.

EPIST. XLVIII (*Al.* 46). — [a] Præfecto. Δούκατον, Græcis recentioribus præfectura. Ὁ δούξ, *dux*, apud Constantinum, de Admin. imper., apud Codinum δούκας, etc. GUSSANV. Theodori mores epist. seq. describuntur.

[b] Sardinia, vulgo *Sardegna*, Italiæ ingens insula, inter mare Balearicum et Tyrrhenum, sub dominio Hispanorum, cujus caput est Caralis, de qua epistola sequenti. Ad diœcesim Africanam tunc pertinebat Sardinia, eratque ejus septima et ultima provincia.

[c] In Vatic. C, *sancti Justi*.

[d] Ita tres Vaticani et plerique. In Editis, *vitulana*.

[e] In Editis, *erigi*.

[f] Honorifice alloquendi modus, quo etiam sanctus Leo utitur epist. 54, ad Pulcheriam Augustam : *debetur hoc vestræ specialiter gloriæ.*

EPIST. XLIX. (*Al.* 47). — [a] Videtur illum esse Honoratum, qui in al. Editis, initio lib. II, legitur factus archidiac. Eccles. Rom. in locum Laurentii. Hæc ad appendicem relegavimus. Conjecturæ nostræ favet unus Vatic. Codex, ubi legitur, *Honorato archidiacono*. Tunc in aula versabatur, fortasse Apocrisiarii munere defungens. Non dissimulandum tamen in Vatic., not. D, legi *Honorato diacono Salonitano*, sed vitiose. Vide epist. 53, lib. II.

[b] Ex tot ad illum aut de illo scriptis epistolis satis notus.

[c] Recentioribus *Calaris*, vulgo *Cagliari*, urbs adhuc primaria Sardiniæ insulæ. Olim quoque metropolis fuit tum civilis, tum Ecclesiastica, uti ex hac ipsa epistola patet. Sita est ad mare in ora australi insulæ. Caralitano autem metropolitæ Sardiniæ subjectos fuisse sex episcopos conjicit Holstenius ex epistola 8 lib. VII, nunc lib. IX, indictione 2, sancti Gregorii. Vide alia quæ in hunc rem affert in annotationibus ad Geographiam sacram, pag. 3. GUSSANV.

[d] Sacra imperialia, vel sacra simpliciter, sunt rescripta seu jussa imperat. Sanctus Augustinus, lib. contra Donat. post collationem, cap. 31 : *Illi* (Donatistæ) *portant multorum imperatorum sacra, nos sola portamus Evangelia.* Supra epist. 45, *sacri apices.* In actis Chalcedon. concilii legimus *divinas litteras, aivinam sanctionem, litteras divinitatis.*

## EPISTOLA L.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Ne cum monachis habitent mulieres. Ne in quarumdam insularum monasteriis pueri ante 18 ætatis annum suscipiantur.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Sicut regiminis locum Deo, ut ipsi placuit, disponente suscepimus, ita nos oportet de commissis nobis animabus esse sollicitos. Comperimus autem [a] in insula Eumorphiana, in qua situm beati Petri apostolorum principis oratorium esse dignoscitur, multos virorum cum mulieribus suis diversorum patrimoniorum illuc pro necessitate feritatis barbaricæ refugisse: [b] quod importunum judicavimus, ut dum alia refugiorum loca vicina sint, cur ibidem cum monachis debeant mulieres habitare? Propterea præsenti jussione præcipimus experientiæ tuæ ut a præsenti tempore nullam illic ulterius mulierem, sive ecclesiastici juris sit, sive cujuslibet alterius, habitare commanereve permittat, sed refugium sibi, cum sicut prædictum est, tot loca vicina sint, ubi maluerint, ipsi provideant, ut omnis exinde mulierum conversatio submoveatur; ne si, quæ in nobis est, curam gerere desistamus, atque inimici laqueis obviare, nos exinde, quod absit, si quid diversi contigerit, culpabiles existamus. Præsentium itaque latori Felici abbati mille quingentas **545** plumbi libras, de quo in eadem insula egere dignoscitur, dare non differas, quod tuis postmodum, cum totius quantitatis ratio noscetur rationibus imputetur (*Grat.* 20, *q.* 1, *can.* 5). Ita ergo fac ut te ipse provideas, si in ejusdem insulæ fabrica expendi utiliter valent. [c] Quia autem dura est in insulis congregatio monachorum, etiam pueros in eisdem monasteriis ante decem et octo annorum tempora suscipi prohibemus. Vel si qui nunc sunt, tua eos experientia auferat, et in Romanam urbem transmittat. Hoc et in [d] Palmaria aliisque insulis te per omnia volumus custodire.

## EPISTOLA LI.

AD UNIVERSOS MONACHOS IN CHRISTI MONTE INSULA CONSTITUTOS.

*Abnormes illos monachos Horosio abbati obedire jubet.*

Gregorius universis monachis [a] in Christi monte insula constitutis.

A Pervenit ad nos nulla vos monachicæ regulæ præcepta custodire: pro qua re compulsi sumus præsentis præcepti portitorem Horosium abbatem ad vos dirigere, ut omnia acta vestra subtiliter exquirens, quæque ei recta fuerint visa disponat, et nobis quæ ab eo ordinata fuerint renuntiet. Proinde admonemus ut omnem ei obedientiam præbeatis; et quidquid disposuerit, velut a me dispositum, cum debita reverentia custodite.

## EPISTOLA LII.

AD SYMMACHUM DEFENSOREM.

*De construendo in Corsica monasterio; de corrigendis monachis in Gorgonia; de sacerdotum cum mulieribus conversatione.*

Gregorius Symmacho defensori.

Filius meus Bonifacius diaconus dixit mihi quod B experientia tua scripsisset monasterium quondam ab [a] Labina religiosa femina constructum paratum existere, ut in eo debeant monachi ordinari. Et quidem laudavi sollicitudinem tuam; sed volo ut excepto eo loco qui jam **546** in eamdem rem dimissus est, locus alter debeat provideri; ita tamen, ut pro incertitudine temporis locus super mare requiri debeat, qui aut loci dispositione munitus existat, aut certe non magno labore muniri valeat, ut illuc monachos transmittamus, quatenus insula ipsa, quæ monasterium nunc usque non habuit, etiam in hujus conversationis via meliorari debeat. Ad quam rem implendam atque providendam Horosium abbatem, præsentis præcepti portitorem, direximus, cum quo tua experientia littora Corsicæ circumeat; et si C cujuslibet personæ privatæ locus talis inveniri dignus potuerit, dignum parati sumus pretium dare, ut possimus aliquid firme constituere. Cui præfato Horosio injunximus ut in [b] Gorgoniam insulam [c] pergat, cum quo tua experientia pariter eat; et mala omnia quæ illic cognovimus admissa ita vindicate, ut per ultionem vestram præfata insula etiam in posterum maneat correcta. Hujus insulæ monasteria sæpe fatus abbas Horosius instituat, atque ita ad nos remeare festinet. Ita igitur experientia tua faciat, ut ex utraque re, id est vel providendo in Corsica monasterio, vel corrigendis monachis in Gorgonia, non nostræ, sed voluntati omnipotentis Dei parere festines. D insulas a monachis cultas, ut in majori secessu viverent, etiam tempore sancti Ambrosii, docet ipse lib. v in Hexam., cap. 5.

EPIST. L (*Al.* 48). — [a] Sic legitur in omnibus Vatic., Norm., etc. In vet. Ed. ex *Eumorphiana* conflatum est *Orphiana*. Tandem in recentioribus legitur *Orphiaria*, quam insulam esse parvam Tyrrheni maris, non longe a Palmaria et Pontia, Gussanvillæus ait. Ex Eumorphianæ situ conjicimus illam ipsam esse insulam, quæ nunc *sanctæ Mariæ* insula dicitur. De monachis eam incolentibus ad Anthemium Campaniæ rectorem scribitur, quod, uti et Palmaria, Campaniæ littori objaceret.

[b] Hoc est *inopportunum*, unde in duobus Vatic. legitur, *quod inopportune judicavimus*.

[c] Hæc lex quæ cavet ne pueri ante decem et octo annos in monasteriis recipiantur, de illarum insularum monasteriis tantum intelligitur, ut legenti statim patebit. Hinc regulæ sancti Benedicti puerorum infra hos annos admissionem permittenti frustra opponitur hæc prohibitio.

[d] Insula etiam parva maris Tyrrheni contra Terracinam, ab ea circiter XXXVII mill. distans. Has

EPIST. LI (*Al.* 49). — [a] Nomen hodieque retinet, vulgo *Monte-Christo*. Mons excelsus seu scopulus in mari Tyrrheno est, totam fere insulam cognominem complectens. Observandum tamen mss. Codices in hujus epistolæ inscriptione discrepare. In Vaticano 4 legitur, *universis... in insula Gorgona constitutis*. Codex B habet *universis monachis in Christi monte constitutis*. Omittitur etiam *insula* in Colb.

EPIST. LII (*Al.* 50). — [a] Ita tres Mss. Vatic., Norm., Corb., vel *Labinia*. In vulgatis, *Albinæ*.

[b] Vulgo dicitur *la Gorgona*. Insula Tyrrheni maris, media fere inter oram Tusciæ et Corsicam insulam. GUSSANV.

[c] In Vatic. C et D, Norm. et Corb., *perexeat*. Retinemus tamen *pergat*, quod est aliorum Vatican. et Excusorum.

Præterea volumus ut sacerdotes qui in Corsica commorantur prohiberi debeant ne cum mulieribus conversentur, excepta duntaxat matre, sorore, [d] vel uxore, quæ caste regenda est. Tribus vero, de quibus prædicto filio meo Bonifacio diacono tua experientia scripsit, quia vehementer egent, quidquid eis sufficere æstimas, impende; quod nos in tuis postmodum rationibus imputabimus. [e] Data mense Julio.

## EPISTOLA LIII.

AD FELICEM EPISCOPUM SIPONTINUM.

*Canusinam ecclesiam visitare, atque in ea duos parochiales presbyteros ordinare præcipit.*

Gregorius Felici episcopo [a] Sipontino.

Pervenit ad nos quod [b] Canusina ecclesia ita sit sacerdotii officio destituta, ut nec pœnitentia ibidem decedentibus, nec baptisma præstari possit infantibus. Hujus igitur tam piæ rei **547** tamque necessariæ mole permoti, jubemus dilectioni tuæ ut, hujus præceptionis auctoritate commonitus, memoratæ ecclesiæ visitator accedas, et vel duos parochiales presbyteros debeas ordinare; quos tamen dignos ad tale officium veneratione vitæ et morum gravitate perviderís, et quibus in nullo obvient constituta canonicæ disciplinæ, ut sanctæ condigna cautela provideatur ecclesiæ.

## EPISTOLA LIV.

AD JOANNEM EPISCOPUM SURRENTINUM.

*Ut in sancti Stephani monasterio sanctæ Agathæ reliquias solemniter collocet.*

Gregorius Joanni episcopo Surrentino.

Religiosis desideriis facile est præbere consensum, ut fidelis devotio celerem sortiatur effectum. Et quoniam Savinus abbas monasterii sancti Stephani [a] insulæ Capris suggessit nobis se [b] sanctæ Agathæ Martyris reliquias jam olim apud se habere concessas, et in monasterio suo vult ipsa sanctuaria collocari, ideo ad prædictum monasterium te jubemus accedere, et, [c] si ibidem nullum corpus constat humatum, [d] prædicta sanctuaria solemniter collocabis, ut devotionis suæ potiatur effectu.

## EPISTOLA LV.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Ut neque pauperes opprimi, neque liberæ mulieris filium ad servitutem cogi patiatur.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Non solum frequentibus præceptionibus, sed etiam præsentem te sæpius monuisse me memini, ut illic vice nostra, non tantum pro utilitatibus ecclesiasticis, quantum pro sublevandis pauperum necessitatibus fungereris, et eos magis a cujuslibet oppressionibus vindicares. Præsentium ergo lator Gaudiosus insinuavit nobis ab actoribus sanctæ Romanæ, cui Deo auctore præsidemus, Ecclesiæ sibi violentiam irrogari, asserens quod filios suos viri prædictæ Ecclesiæ velint vindicare. Oblatis etenim ab eo documentis, agnovimus Siricam uxorem præsentium portitoris, ab Ecia quondam gloriosæ memoriæ, Morenæ cuidam feminæ titulo donationis fuisse lar-

[d] Dubito an non vox illa irrepserit, siquidem ista conversatio res est plena periculi et suspiciosissima. Vide concilium Nicænum, can. 3; Gregorium Magnum, Dialog. lib. IV, cap. 20, de presbytero Ursino. Ideoque quod ait lib. VII, epist. 59, *uxores non relinquant*, interpretor, curam earum non deserant, victum eis administrent. In Agath., can. 16: *Non ordinentur conjugati, nisi sequestrato mansionis cubiculo*. Turonense II, can. 12, de episcopo conjugem habente, ait: *Propter Deum zelotem tam longe absint mansionis propinquitate divisi, ut*, etc. Et can. 20 ejusdem concilii cavetur ne presbyteri cum suis conjugibus maneant; sed segregatim solitarii in cella jaceant, orent, dormiant. Quia nulli clericorum, juxta sententiam canonum, cum conjuge sua manere permittitur, etc. Negotium tamen fecit concilium Carthaginense III, can. 17, quem critici subtiliores expendent. Interea indico Gregorii Turonensis Historiæ lib. I, cap. 38, et ejusdem de Gloria confess., cap. 76 et 78. Gussanv. Sacerdotes, diaconos et subd. post conjugium ordinatos cum uxoribus suis conversari vetant quidem Galliæ concilia hoc ipso sexto sæculo congregata. Agath., can. 16: Turon. II, can. 12, 19; Aurelian. IV, can. 17; Lugdun. III, cap. 1. Vide Greg. Turon., lib. I Hist., cap. 39. Et de Gloria confess., cap. 78. Nondum tamen in Italia id prohibitum fuisse, modo turpis abesset suspicio, innuit sanctus Gregorius, tum hic, tum epist. 59 lib. IX, et lib. IV dialog., cap. 2. Huic consuetudini patrocinabatur can. Apostol. 5: *Episcopus, vel presbyter, vel diaconus uxorem suam non ejiciat religionis prætextu.*

[e] Id in nullo alio Cod. legimus quam in Turon. S. Gat.

Epist. LIII (*Al.* 51). — [a] Sipontum, vulgo *Siponto*, urbs olim Apuliæ, episcopalis, in ora maritima ad radices montis Gargani, sed excisa; cui successit, Manfredonia, quæ Sipontum novum dici potest. Gussanv.

[b] Canusium, vulgo *Canosa*, urbs Apuliæ. Olim erat episcopalis; circa annum 844, vel 845, ejus sedes unita est archiepiscopatui Barensi. Gussanv.

Epist. LIV (*Al.* 52). — [a] Capreæ sive Caprea, vulgo *Capri*, insula Campaniæ adjacens. Guss. In uno Vatic., Norm., Corb. et pler., legitur, *Cabris*. In Turon., *Calabris*.

[b] Antiquissimum esse sanctæ Agathæ cultum probatur, tum quod ejus nomen in canone missæ legatur, tum quod inscriptum sit vet. Kalendario Eccl. Carthaginensis, quod ad calcem Actorum Mart. a nostro Th. Ruinart est editum.

[c] *Ibidem*, hoc est in ipsomet loco ubi reliquiæ collocari debent; non autem exigitur ut in hoc monasterio nulla hominum cadavera condita essent. Qui enim fieri potuisset ut nulla hic jacerent corpora, cum alium ad sepeliendos fratres suos locum monachi non haberent. Imo ipsis in ecclesiis seu oratoriis, quæ sine reliquiarum sacris pignoribus non consecrabantur, nihil vetabat quominus fidelium mortuorum corpora humarentur, ut constat ex lib. IV Dial., cap. 50, 51, 52 et 53. Cur vero cautionem hanc sanctissimus pontifex adhibuerit, quærit Gussanv. Duplex occurrit ratio. Primo humata corpora loco moveri non sinebant leges: *Pergit audacia ad busta defunctorum, et aggeres consecratos*, inquit Julian. August., lib. V Cod. Theod. Et Justinian., de Sep. Violat. *Cum et lapidem hinc movere, et terram sollicitare, et cespitem vellere, proximum sacrilegio majores semper habuerint.* Vide Spond., de cœmeteriis sacris, lib. I, parte I, cap. 9. Secundo neque etiam cum profanis ossibus atque impiorum reliquiis miscenda erant Martyrum sanctuaria, sine quibus sub altari ipso conditis ecclesia vel oratorium non consecrabatur.

[d] Sanctuaria sunt reliquiæ, ut intelligitur tum ex hoc loco, tum ex multis aliis epist. Vide lib. II, epist. 12, et alibi passim.

gitam, et ab eadem Morena per epistolam [a] manumissam; et ideo indecens esse credimus ut **543** progeniti ex libera muliere filii ad servitium retrahantur. Propterea experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus ut his ipsis documentis, sicut et nos didicimus, exuto a curis animo, diligenter intendat, quatenus si documenta nulla sunt ab Ecclesiæ parte quæ documentis hujus hominis debeant obviare, ab ejus se molestia sine aliqua retractatione suspendat. Durum enim est ut si alii pro mercede sua libertates tribuunt, ab Ecclesia quam tueri has oportuerat revocentur. Iterum ergo atque iterum experientiam tuam necessario submonemus, ut illic si quæ inter pauperes et Romanam Ecclesiam sanctam quæstiones vertuntur, omni mentis integritate discutiat, sicque patrimoniales utilitates peragat, [b] ut a benignitate justitiæ non recedat.

## EPISTOLA LVI.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Quid ad celebrandam dedicationem dare debeat ad erogandum pauperibus.*

Gregorius Petro subdiacono.

Festivitatibus sanctorum desiderabiliter insistentes, præsentis præceptionis nostræ paginam ad experientiam tuam necesse duximus dirigendam, indicantes ei oratorium beatæ Mariæ, quod nuper in cella fratrum ædificatum est, ubi Marinianus abbas præesse dignoscitur, Augusto mense disposuisse nos, adjuvante Domino, summopere dedicari, quatenus cœpta nostra, operante Domino, debeant consummari. Sed quia cellæ ipsius tenuitas exigit, debere nos in ipsa diei festivitate concurrere; propterea volumus ut ad celebrandam dedicationem dare debeas ad erogandum pauperibus, in auro solidos decem, vini amphoras triginta, [a] agnos ducentos, olei [b] orcas duas, berbices duodecim, gallinas centum, quæ tuis possint rationibus postmodum imputari. Statim ergo fieri hæc nulla moræ interjectione constitue, ut vota nostra, Deo auctore, celerem sortiantur effectum.

## EPISTOLA LVII.

AD SEVERUM EPISCOPUM.

*De eligendo Ariminensi episcopo.*

Gregorius Severo [a] episcopo.

Fraternitatis tuæ edocti sumus epistola, in persona Ocleatini de electione episcopatus **549** aliquos consensisse, quem quoniam nos non concedimus, in ejus non debent immorari persona. Sed habitatoribus ejusdem civitatis edicito, ut si in eadem Ecclesia dignum ad hoc opus invenerint, in ipsius cuncti electionem declinent. Alioquin præsentium tibi portitor personam, de qua ei diximus, indicabit, in cujus debeat fieri electione decretum. Vos etenim in ejusdem visitationem Ecclesiæ estote solertes atque solliciti, ut et res ejus illibatæ serventur, et utilitates vobis disponentibus more solito peragantur.

## EPISTOLA LVIII.

AD ARSICINUM DUCEM, CLERUM, ORDINEM, ET PLEBEM ARIMINENSIS CIVITATIS.

*Ne Ocleatinum in episcopum eligant.*

Gregorius [a] Arsicino duci, clero, ordini et plebi [b] Ariminensis civitatis.

Dilectionis vestræ quam sit in exspectatione pontificis prona devotio, directæ relationis textus insinuat. Sed quia ordinatorem vehementer in his oportet esse sollicitum, nostræ in hoc utique cura deliberationis invigilat. Ideoque charitatem vestram scriptis præsentibus admonemus, ut nullus se debeat pro Ocleatini ad nos fatigare persona; sed si in eadem civitate qui ad hoc sit utilis invenitur, ita ut a nobis reprehendi non possit, vestra concurrat electio. Si vero ad hoc dignus inventus non fuerit, nos in quo pariter debeatis præbere consensum, præsentium diximus portitori. Vos autem unanimes orate fideliter, ut quicunque fuerit ordinandus, et vobis utilis possit existere, et dignum Deo nostro sacerdotale exhibere servitium.

## EPISTOLA LIX.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Palatinæ annuos triginta solidos pro sustentatione tribuat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Si proximorum necessitatibus habita compassione benigna mente concurrimus, nostris procul dubio

Epist. LV (*Al.* 53). — [a] De servorum manumissione vide doctissimam Altaserræ observationem ad hunc locum.

[b] Ita restituimus ex Mss. Vatic. et nostris. In Vulgatis autem legitur, *ut a beniqnitate justitia non recedat.*

Epist. LVI (*Al.* 54). — [a] Hic dissident Mss. Sequimur Vatic. D, omnes Norm., Anglic., Corb., Rhem. In Vatic. B legitur, *annonæ trecenta sextaria.... gallinas trecentas.* In Vulgatis, *annonæ modios ducentos, olei*, etc..... *verveces.*

[b] Vox Hispanica est ex Varrone, *de Re rustica, lib.* I, *cap.* 13; Isidoro, lib. XX, cap. 6, amphoræ species. Greg. Turon. lib. IV Hist., cap. 44 : *Septuaginta vasa, quæ vulgo orcas vocant, olei liquaminisque furati sunt.* Sexaginta orcæ olei apud Senatorem, lib. III, epist. 7. Sed et in orcis conditos cineres apud Romanos discimus ex Salmasio ad Solinum, pag. 1204. De epulis in dedicatione Ecclesiarum vide Altaserram in hanc epistolam.

Epist. LVII (*Al.* 55). — [a] Ficolino eximiæ probitatis et capacitatis viro, atque Ariminensis Ecclesiæ vicino, ejusdem cura ac visitatio injungitur. Demortuo quatuor post annis Joanne episcopo Raven., Ravennatis Ecclesiæ visitationem eidem Severo delegatam legimus lib. IV, ep. 25. Ariminensis Ecclesiæ, dum Castorius episcopus Romæ infirmus detinebatur, commissa fuerat cura Leontio Urbinati, ind. 11, epist. 24; deinde Sebastiano, ut discimus ex epist. 21, ind. 15.

Epist. LVIII (*Al.* 56). — [a] In Excusis, *Ursicino*; et infra, *Odeatini*, pro *Ocleatini.*

[b] Ariminum, vulgo *Rimini*, urbs hodieque episcopalis in provincia, quæ olim Æmilia, quæ vulgo *la Romagna* dicitur. Sita est inter Ravennam et Anconem, ad mare Adriaticum : subditur nunc archiepiscopo Ravennati, ceu metropolitano suo, summo Pontifici, ut domino ac principi suo. GUSSANV.

[a] necessitatibus clementem Dominum reperimus. Palatina siquidem femina illustris, continua hostilitate insinuavit se plurimis necessitatibus subjacere. Propterea experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, uti pro sustentatione ejus **550** annuos triginta solidos dare non differat, qui tuis postmodum possint rationibus imputari. Ita ergo fac ut et tu bene ministrando mercedis commmodum percipias, et nostra ad effectum præcepta perducas [b].

## EPISTOLA LX.

AD CLERUM ORDINEM, ET PLEBEM CONSISTENTEM PERUSIÆ.

*Ne episcopi electionem diutius differant.*

Gregorius clero, ordini, et plebi consistenti [a] Perusiæ.

Miramur, carissimi fratres in Christo, quare Ecclesiam Dei tanto tempore absque Rectore conspicitis, ac de vestro totiusque plebis regimine minime cogitatis. Notum est enim, quod grex, si pastoris cura defuerit, per avia gradiatur, et ob hoc [b] facilius inimici laqueos insidiantis incurrat. Unde necesse est de his qui Ecclesiæ militant unum, habito timore Domini, perquirere, qui Pastoris ministerium possit digne suscipere, atque illic, protegente Domino, sacramentorum divinorum dispensator insistere, quatenus et pro filiis Ecclesiæ vestræ puræ quotidie mentis holocaustum offerat, et viam gregi, quomodo ad supernam patriam gradiatur, ostendat.

## EPISTOLA LXI.

AD GENNADIUM PATRICIUM ET EXARCHUM AFRICÆ.

*Ut Theodorum magistrum militum a pauperum et Ecclesiæ vexatione abstinere jubeat.*

Gregorius Gennadio patricio et [a] exarcho Africæ.

Dei præ oculis vos indesinenter habere timorem, ac sectari justitiam submissa hostium colla testantur; sed ut gloriam vestram in eadem prosperitate gratia Christi custodiat, quæcunque perperam committi cognoscitis, celeri, sicut consuevistis, prohibitione compescite, ut armis justitiæ præmuniti, hostiles impetus fidei virtute, [b] quod est totius culmen virtutis, superetis. Marinianus siquidem [c] Turritanæ civitatis frater et coepiscopus noster nobis lacrymabiliter indicavit civitatis suæ pauperes omnino vexari, et **551** [d] commodalibus affligi dispendiis. Insuper et [e] religiosos ecclesiæ suæ homines gravem ab hominibus Theodori [f] magistri militum sustinere molestiam, ac pati corporales injurias; et quod ad hoc usque prorumpitur, ut [g] in carcerem, quod dici nefas est, retrudantur, se quidem etiam in causis ad Ecclesiam suam pertinentibus a præfato glorioso viro graviter impediri. [h] Quæ quam sint, si tamen vera sint, reipublicæ disciplinæ contraria, vos scitis. Et quia hæc omnia vestram excellentiam convenit emendare, salutans eminentiam vestram exposco, ut ea ulterius fieri non sinatis, sed ex opere [i] illi jubete diligere, ut ab Ecclesiæ se læsione removeat et nullus eorum in angariis seu commodis ultra quam sinit ratio prægravetur, aut si quæ causæ fuerint, non potentatus metu, sed legali ordine finiantur, Ita igitur quæso, aspirante vobis Domino, hæc omnia [k] præceptionis vestræ interminatione corrigite, ut si non rectitudinis contemplatione, saltem formidine vestræ jussionis a talibus se gloriosus Theodorus, vel homines ejus abstineant, quatenus quod ad laudem vestram proficiat et mercedem in partibus vobis commissis possit florere cum libertate justitia.

## [a] EPISTOLA LXII.

AD JANUARIUM ARCHIEPISCOPUM CARALIS SARDINIÆ.

*Ut a quorumdam molestiis Catellam, salva justitia, tueatur.*

Gregorius Januario [b] archiepiscopo Caralis Sardiniæ.

Si ipse Dominus noster viduarum se maritum, orphanorumque patrem Scripturæ sacræ profitetur testimonio, nos quoque membra corporis ejus ad imitandum caput summo debemus mentis affectu intendere, et, salva justitia, orphanis et viduis præsto, si necesse sit, esse. Et quia insinuatum est nobis Catellam religiosam feminam habentem filium suum hic in sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore præ-

---

Epist. LIX (*Al.* 57) — [a] In Norm. et nonnullis, etiam Vatic., *Petitionibus*.

[b] In uno Teller. subscribitur, *Mense Augusto, ind.* 9.

Epist. LX (*Al.* 58). — [a] Vulgo *Perugia*, urbs ampla Italiæ in Etruriæ Umbriæque confinio, nunc etiam-num episcopalis, Gussanv.

[b] In Excusis et in nonnullis mss., *ob hoc familiarius*. Lectionem nostram suppeditarunt præsertim Vatic.

Epist. LXI. (*Al.* 59). — [a] Seu præfecto prætorio, quem Carthagine commorari voluit Justinianus, et aliis provinciarum præfectis præposuit. Cumque Sardinia una ex septem Africæ provinciis esset, ea ratione ad hunc exarchum querelas de Theodoro Sardiniæ præfecto seu duce cujus supra mentio, in epist. 48 et 49, delerre curat.

[b] Sic restituimus, ex mss. præsertim Vatic. et Norm., cum prius legeretur, *quod est totius*, etc.

[c] Urbs est in Sardinia, quæ apud Plinium, lib. III, cap. 7, *Turris Lybissonis* dicitur. Apud Ptolemæum, lib. III, cap. 3, *Turris Byssonis*. Denique *Turribus*, in tabulis Peutingerianis, et apud anonymum Ravennatem.

[d] Hoc est, dispendiis commodorum, seu bonorum temporalium.

[e] Vox *religiosi* tam longe abducta est a primæva significatione, ut necesse fuerit hic notam adjungere, ne de monachis dictum existiment quod clericorum fuit, et aliorum fidelium. Vide Lugdun. II, cap. 2, ubi de testamentis statuitur. Sidonius Apollinaris, lib. IV, epist. 28. Vettium illustrem delineans, ait eum esse occulte delicateque religiosum, non sub palliolo, sed sub paludamento. Vide lib. III, epist. 22. Gussanv.

[f] In Vat. B, *magnifici viri*.

[g] Nota ea dici reipublicæ disciplinæ contraria, ut patebit infra, lib. XI, epist. 56, nunc epist. 45 lib. XIII. ubi clericorum immunitas prolatis imperatorum legibus asseritur. Gussanv.

[h] Prius legebatur, *quæcunque sint, si tamen*, etc.

[i] Ita tres Vatic. In alio notato D, et in Corb. Norm. et plur. tantum legitur, *jubete, ut*, etc. In Excusis, *opere illi jubete diligenti, ut*.

[k] Irrepsit in Excusos, *nostræ*, pro *vestræ*; quod emendavimus ex Mss. Vatic., Gall., Anglic. Ita etiam legere cogit sensus et epistolæ scopus.

Epist. LXII (*Al.* 60). — [a] Hæc et 64 una videntur epistola, paucis in limine mutatis.

[b] Ita legitur in Vatic. et aliis Mss. In Editis, *archiepiscopo Caralitano*.

sidemus, militantem, quorumdam immissionibus vel inquietudinibus molestari, de ea re fraternitatem vestram scriptis præsentibus necesse duximus adhortandam ut eidem prædictæ feminæ tuitionem ferre, salva justitia, non declinet, sciens quod de hujuscemodi rebus et Dominum sibi debitorem faciat, et nostram circa se charitatem magis astringat. Causas enim prædictæ feminæ, sive sint, sive fuerint, vestro [c] volumus judicio terminari, ut foralis illi inquietudo submoveri debeat, et tamen a judicii justitia nullatenus excusetur. Oro autem Dominum, **552** qui viam vestram cursu ad se prospero dirigat, et ad regnum venturæ gloriæ propitiatus ipse perducat.

## EPISTOLA LXIII.

AD JANUARIUM EPISCOPUM CARALIS SARDINIÆ.

*Pompeianam, ne contra æquitatem gravetur, commendat.*

Gregorius Januario episcopo Caralis Sardiniæ.

Licet fraternitas vestra zelo justitiæ se in diversorum tuitionem congruenter impendat, proniorem tamen eam credimus prorsus existere in eorum solamina quos ei nostra commendat epistola. Pompeiana igitur religiosa femina per hominem suum suggessit multa se quorumdam hominum sustinere assidue irrationabiliter gravamina, et ob hoc nobis supplicasse dignoscitur ut nostris eam vobis commendaremus apicibus. Propterea salutantes fraternitatem tuam, debito charitatis affectu prædictam vobis feminam necessario duximus commendandam, ut, comitante justitia, [a] in nullo eam fraternitas tua contra æquitatem gravari permittat, nec aliqua inconsulte pati dispendia. Sed si quas eam habere causas contigerit, in electorum judicio, [b] altercando ventiletur contentio, et quæcunque fuerint definita, ita tranquille ad effectum vobis solatiantibus perducantur, ut et vobis pro tali opere merces inhæreat, et nostris apicibus commendata gaudeat se invenisse justitiam.

## EPISTOLA LXIV.

AD JANUARIUM ARCHIEPISCOPUM CARALITANUM.

*Catellam religiosam feminam commendat.*

Gregorius Januario archiepiscopo Caralis Sardiniæ.

Pastoralis regiminis necessitate compellimur ut orphanorum viduarumque causis solertius quam curis cæteris insistamus. [a] Insinuatum vero nobis est Catellam religiosam feminam, habentem filium hic in sancta Romana Ecclesia, cui Deo auctore præsidemus, militantem, quorumdam immissionibus vel inquietudinibus molestari. De ea re fraternitatem vestram scriptis præsentibus necesse duximus adhortandam, ut eidem prædictæ feminæ tuitionem ferre salva justitia non declinet, sciens quod de hujusmodi rebus et sibi Dominum faciat debitorem, et nostram circa se charitatem magis astringat. Causas enim **553** prædictæ feminæ sive sint, sive fuerint, vestro volumus judicio terminari, ut foralis illi inquietudo submoveri debeat, et tamen a judicii justitia nullatenus excusetur. Oro autem Dominum qui viam vestram cursu ad se prospero dirigat, et ad regnum venturæ gloriæ propitiatus ipse perducat.

## EPISTOLA LXV.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Injuste titulatam Petronii domum, Theodoræ illius viduæ restituendam*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Sicut res ad jus Ecclesiæ pertinentes amittere non debemus, ita alienas appetere incivile esse nihilominus judicamus. Et quoniam edocti sumus domum Petronii [a] notarii sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore præsidemus, a Constantio tunc defensore irrationabiliter [b] titulatam, experientiæ tuæ præsentis præcepti pagina demandamus ut, omni excusatione vel dilatione omissa, deposito titulo eamdem domum præsentium latrici Theodoræ relictæ antedicti Petronii sine mora restituas, ne, quod absit, viduis inde præjudicium oriatur, unde consolationis debent invenire solatium.

## EPISTOLA LXVI.

AD FELICEM EPISCOPUM MESSANENSEM.

*Quæ servandæ sint consuetudines, quæ abrogandæ. Ne munera sibi mittat, aut Romam veniat, amice monet.*

Gregorius Felici episcopo Messanensi.

[a] Consuetudines quæ Ecclesiis gravamen noscuntur inducere nostra nos decet consideratione remittere, ne illuc aliqua cogantur inferre, unde sibi inferenda debent potius exspectare. Clericorum siquidem

[c] Sic legendum ex mss. Vatic. et omnibus al. In Vulgatis, *nostro*.

Epist. LXIII (*Al.* 61). — [a] Vatic. B, *nullum eam fraternitas tua..... gravare permittat*. Excusi, *in nulla... causa gravari*, etc. Sequimur duos Vatic. et alios potioris notæ.

[b] Hanc lectionem amplecti nos cogit vet. Mss. et Edit. consensus. In recent. legitur, *altercantium*.

Epist. LXIV (*Al.* 62).— [a] In Editis, *Et quia insinuatum nobis est*.

Epist. LXV (*Al.* 63). — [a] Scribæ a notis ita dicti : scribebant ipsi vel in Palatio, vel in militia, vel in ecclesia, atque adeo diversi erant eorum ordines, diversa munia, quæ persequi non est animus. Gussanv.

[b] Valentin., lib. III Cod. de bonis vacantibus : *Tituli quorum adjectione prædia nostris sunt conservanda substantiis, non nisi publica testificatione proponuntur.* Dicunt tabulas fuisse ligneas, σανίδας, ex novell. 30, de Protect. Cappadociæ, cap. 8; Gall., *écriteaux, pannonceaux, affiches*. Ad hunc morem alludit sanctus Augustinus, expos. in epist. sancti Joan., tract. 7 : *Recedite prædones, recedite invasores possessionis Christi. In possessionibus vestris ubi dominari vultis, titulos omnipotentis ausi estis infringere : cognoscit ille titulos suos; vindicat sibi possessionem suam; non delet titulos, sed intrat et possidet. Sic ad catholicam venienti non deletur baptismus, ne titulus imperatoris deleatur*, etc. Contra titulorum effractores statuitur in novella prædicta. Gussanv. Lege epist. 41 libri v et Gesta synodi ad calcem epistolarum, quæ olim erant epist. 44 libri IV : *Consuetudo nova in Ecclesia hac valde reprehensibilis erupit, ut cum rectores ejus patrimonii, urbana vel rusticana prædia juri illius competere posse suspicantur, fiscali more titulos imprimant*, etc. De titulis in possessionis signum apponi solitis vide Cassiod., lib. IV Var., epist. 14 : *Casas ejus, appositis titulis, fisci nostri juribus vendicabis*. Lege etiam epist. 7 lib. V.

Epist. LXVI (*Al.* 64). — [a] Est debitum jure aut injuria lapsu temporis introductum. Sic multa in Ecclesiam invecta sunt, quæ sancti Gregorii exemplo sublata esse pridem oportuit, quæque nunc exigi vetat justitia, vetat prudentia, vetant canones Vide Conc. Cabilon. II, can. 16 et 17. Gussanv.

vel aliorum consuetudinem te oportet illibatam servare, eisque annis singulis quæ sunt consueta transmittere. Nobis autem de cætero, ne quid transmittere debeas, inhibemus. Et quoniam non delectamur xeniis, [b] Palmatianas, quas tua direxit fraternitas, cum gratiarum actione suscepimus; sed eas, ne quod **554** exinde potuisses sentire dispendium, digno fecimus pretio venundari, et id fraternitati tuæ transmisimus singillatim. Sed quia charitatem tuam ad nos venire velle cognovimus, scriptis præsentibus admonemus ut ad veniendum non debeas laborem assumere; sed ora pro nobis, ut quanto nos itineris intervalla dissociant, tanto animis nostris adinvicem Christo adjuvante simus in charitate conjuncti, quatenus nos alterna obsecratione juvantes, susceptum officium venturo integrum judici resignemus. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 24.)

## EPISTOLA LXVII

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut Pastori oculis infirmo annuum præstet alimentum.*

Gregorius [a] Petro subdiacono.

Si proximorum necessitatibus habita compassione benigna mente concurrimus, nostris procul dubio petitionibus Dominum clementem reperimus. [b] Pastorem siquidem, qui nimia visus imbecillitate laborat, habentem conjugem, duoque mancipia, qui et cum Jonatha quondam gloriosa fuerat, plurimis cognovimus necessitatibus subjacere. Propterea experientiam tuam per præsentis præcepti paginam admonemus, uti pro sustentatione ejus annuos tritici [c] modios trecentos, necnon et fabæ modios totidem dare non differas, quæ postmodum possint tuis rationibus imputari. Ita ergo fac ut et tu bene ministrans mercedis commodum percipias, et nostra ad effectum præcepta perducas. [d] Mense Augusto. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## EPISTOLA LXVIII

### AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Sacram supellectilem Venafranæ Ecclesiæ, quam clerici Judæo vendiderant, restitui curet, ac reos ad pœnitentiam compellat.*

Gregorius Anthemio subdiacono

Fuscus archiater, ardore fidei provocatus, preces effudit, dicens Opilionem diaconum [a] servum Dei, et Crescentium, clericos, [b] Venafranæ **555** Ecclesiæ, oblitos timorem futuri judicii, [c] ministeria antefatæ Ecclesiæ Hebræo cuidam, quod dici nefas est, vendidisse: id est, in argento calices duos, [d] coronas cum delphinis duas, et de aliis coronis [e] lilios, [f] pallia majora sex, et minora septem. Et ideo mox ut præsentem jussionem experientia tua susceperit, memoratos ecclesiasticos ad se faciat indifferenter occurrere; et requisita veritate, si ita, ut suggestum est, constiterit, memoratum Hebræum, qui, oblitus vigorem legum, præsumpsit [g] sacra cimelia comparare, per judicem provinciæ faciat conveniri, et sine aliqua mora antefata ministeria reddere compellatur, ut ex eis sæpe fatæ Ecclesiæ nihil possit imminui. Supradictos autem diaconum vel clericos, qui tantum nefas commiserunt, in pœnitentia [h] religare non differas, ut tale tantumque delictum suis lacrymis possint diluere.

Contra clericorum illorum scelus placet hæc verba Optati intorquere: *Hoc tamen immane facinus a vobis geminatum est, dum fregistis calices Christi sanguinis portatores..... avari, dum venditis; sacrilegi, dum inconsiderate vendidistis..... Emerunt forsitan in usus suos sordidæ mulieres; emerunt pagani, facturi vasa in quibus incenderent idolis suis.* Optat., lib. VI de Schis. Donat., cap. 2. Vide etiam cap. 5.

[b] Vestes palmatas intelligo, quasi palmis intertextis, opere, ut vocant, Phrygio sive plumario concinnatas. Palmatam vestem olim in pretio habitam apud Romanos notissimum est. Erat autem imperatorum et virorum insignium. GUSSANV. Eadem fere est nostri Mabillonii sententia de Palmatianis, in Vitam sancti Gregorii quam tomo I Actorum sanctorum ord. sancti Benedicti inseruit. Doctorum virorum sententiæ libenter subscribimus, nec placet card. Baronii conjectura, *uvas Palmatianas seu vinum Palmatianum* intelligentis. Præcipua dona quibus amicos reges senatus Romanus excolebat, togæ pictæ et tunicæ palmatæ fuerunt, teste Livio, lib. X et XXX. De tunica palmata plura apud Ferrarium, de Re vestiaria, lib. II, cap. 8. In missa ab Illyrico edita fit mentio vestis sacræ, quæ Palmatica appellatur, ut observat Hugo Menardus ad lib. Sacram., nota 940.

[c] Ita restituimus ex uno Vatic., Corb., Norm. In aliis legitur, *centum modios.*

[d] In solo Turon. S. Gatiani hoc legitur et in Colbertino, in quo tamen ad epist. seq. pertinere videtur.

[e] Anastasius, in Leone III: *Hic sacer antistes super ipsas columnas lilios poni fecit.* In Vatic. C legitur *lilia.*

[f] Hic variant Codices, etiam Vaticani: A habet, *pallium majus unum, minora sex;* B, *pallia majora et minora septem;* C, *pallia majora et minora sex;* D, *pallia majora minora sex.* Consentiunt Norm. et Corb. In sacra supellectili sæpe pallia commemorantur. Greg. Turon., lib. VII Hist. Franc., cap. 22: *Cumque jam altarium cum oblationibus pallio serico coopertum esset.* Et lib. I de Mirac. sancti Mart., cap. 13: *Et aut ex velo januæ, aut palliolis quæ pendent de parietibus.* Per pallia possunt etiam intelligi vestes sacerdotales et sacræ, quæ etiam in monasteriis erant pretiosæ. Theodorus Studita, in suo testamento, art. 19: *Non uteris vestimento elaborato et pretioso, præterquam sacerdotali.*

[g] Corrupte in Excus., *sacra civiliter.* De cimeliis jam dictum in epist. 20.

[h] Sic Mss. fere omnes, ubi Ed. habent *relegare.*

---

EPIST. LXVII (*Al.* 61). — [a] In Norm., Colbert., Corb., Germ. et pl., legitur simpliciter *Petro.* At in 4 Vatic. additur *subd.* Consentit Codex And. Prius legebatur in Excusis *Anthemio subd.*

[b] Nomen viri proprium, quale apud Ausonium. GUSSANV.

[c] Ita restituimus ex uno Vatic., Corb., Norm. In aliis legitur, *centum modios.*

[d] In solo Turon. S. Gatiani hoc legitur et in Colbertino, in quo tamen ad epist. seq. pertinere videtur.

EPIST. LXVIII (*Al.* 66). — [a] Sic restituimus ex Mss. Vatic., Norm., etc., cum prius legeretur, *Diaconum; sed et servum Dei Crescentium.*

[b] Venafrum vulgo *Venafri*, urbs Campaniæ non procul a Vulturno fluvio, nunc adhuc episcopalis sub archiep. Capuano. In Mss. varie scribitur. In Vatic. B, *Venafanæ.* In C, *Benafanæ.* In D, *Benafranæ.* Norm., Corb. et vet. Ed. sequuntur Vaticanum C.

[c] Hic vasa, ornamenta, supellex sacra. GUSSANV.

## EPISTOLA LXIX

AD PETRUM SUBDIACONUM SICILIÆ.

*Monasterii lites ac negotia omnia perito e laicis viro committenda.*

Gregorius Petro subdiacono Siciliæ.

Sicut studii nostri esse condecet [a] a litigiis foralibus monachos submovere, ut divinis ministeriis pie ac solerter invigilent, ita necesse est nostram provisionem, quemadmodum negotia eorum disponi debeant ordinare, ne distenta mens per varias causarum curas defluat, et ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat. Præsentium itaque lator abbas Joannes plurima se [b] monasterii sui asserit habere negotia. Pro qua re experientiam tuam per præsentis scripti paginam admonemus, quatenus cum Fausto, [c] qui Romani viri magnifici ex prætore [d] cancellarius fuerat, loqui debeat. Cujus si pronam ad hanc rem compereris voluntatem, ei monasterii ipsius generaliter debeas constituto salario commendare negotia. Expedit enim parvo incommodo a strepitu causarum servos Dei quietos existere, ut et utilitates cellæ per negligentiam non pereant, et servorum Dei mentes ad opus dominicum liberiores existant.

## 556 EPISTOLA LXX.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER SICILIAM.

*A fictorum defensorum angariis quomodo sibi caveant.*

Gregorius Universis episcopis per Siciliam.

Fraternitatis vestræ diu jam probata devotio tanto nos compellit pro vobis caute providere, quanto vos astruit, audito nostræ Ecclesiæ damno, studiose concurrere. Cognovimus quosdam in Sicilia insula, simulantes se sedis apostolicæ defensores, [a] de frumento vos in angariis aliisque rebus affligere, necessarioque duximus eorum fallaciæ scriptis præsentibus obviare. Ideoque fraternitatem vestram charitate debita salutantes, magnopere commonemus, ut nullo modo talibus deinceps apud vos locus subripiendi remaneat; sed quisquis ille est, si revera sedis nostræ fuerit notarius vel defensor, nisi nostra ad vos specialiter vel rectoris nostri patrimonii scripta detulerit, nullis per nomen Ecclesiæ nostræ potiatur angariis; nec aliqua vobis ab eo gravamina imponi permittatis, sed suis utilitatibus iter suum propriis, A ut novit, disponat expensis. Nec quemquam ab eo in locis istis patiamini molestari. Hæc etenim quæ nostris apicibus pro vestra vestrorumque quiete inhibuisse cognoscimur, sic constantius conservate, ut hoc exuti gravamine, divinis obsequiis devoti ac paratiores inveniri valeatis.

## EPISTOLA LXXI

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut Cyriacum et Joannam conjugem ejus ex Judæa Christianam tueatur.*

Gregorius Petro subdiacono.

Egentibus nostræ commendationis auxilio, oportet nos, in quantum ratio patitur, benigna mente præbere subsidium. Proinde experientiæ tuæ Cyriacum et Joannam conjugem ejus, præsentium portitores, B nostra præceptione duximus commendandos, quatenus a nullo eos contra justitiam opprimi vel gravari permittas. Sed ubi necesse fuerit, tuis, annuente justitia, solatiis perfruantur, ut, salva æquitate, nostram sibi in **557** omnibus commendationem te concurrente prodesse lætentur. Quia vero præfata femina, pro eo quod post acceptas sponsalitias arrhas, ex Judæa ad Christianam religionem conversa est, dicitur sustinere molestiam, et eamdem causam jam dictam asseruit et finitam, experientia tua diligenter exquirat; et si causam judicatam cognoverit, nullam exinde querelam adversus suprascriptam feminam ulterius quolibet modo reserpere permittat. Sed quæ judicata sunt, modis omnibus conserventur, ne ob id quod meliorem partem elegisse dignoscitur, C malorum hominum controversiis quatiatur.

## EPISTOLA LXXII.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ne ante hiemem Siculi episcopi omnes Romam veniant. Frumenti copiam ultra solitum comparet Petrus, ac congruo tempore in urbem transmittat.*

Gregorius Petro subdiacono.

Quia fratres et coepiscopos nostros in Sicilia insula commorantes ad beati Petri Apostoli natalitium diem convenisse voluimus, scriptis [a] præcedentibus agnovisti. Sed quia ea causa [b] quæ cum viro magnifico Justino expratore [c] dicitur eorum iter interim præpedivit, et quia jam tempus veniendi et redeundi non sinit, eos nolumus ante hiemem fatigari. Gregorium vero [d] Agrigentinum, et Leonem Catanensem, et

Epist. LXIX (*Al.* 67). — [a] Sic olim episcopos prohibuere concilia ne ad comitatum pergerent, electis ad id opus diaconis; sic eosdem a rerum temporalium administratione submoverunt, quando curam illam œconomis et vicedominis demandarunt. Utinam et cæteris clericis simili quopiam remedio provideretur ope syndicorum et defensorum, ut ab omnibus terrenis negotiis liberi, soli Deo vacarent, omnesque clerici et monachi tam essent forensium actionum rudes, quam coguntur esse gnari. Justinianus, novell. 79, vetat monachos ad laicos judices pertrahi.

[b] Scilicet sanctæ Luciæ Syrac., ut liquet ex epist. 30 lib. VII.

[c] In Vatic. A, *qui Romani, viri memorandi, ex tempore cancellarius fuerat*; B, *qui Romanæ urbis ex prætore cancellarius fuerat*. In Corb., *ex prætore cancellii*, consentientibus Lyr. et Aud. In Turon. corrupta est lectio. In Becc., *qui ex prætoris cancellis*.

[d] Idem erat ac scriba seu notarius. Ita dictus est quod intra cancellos staret, ut tutiora essent ejus scrinia. Cancellarii officium militiam cancellorum vocat Cassiodor., lib. XI Var., 6. Vide Agathiam, lib. I de ministris Narsetis.

Epist. LXX (*Al.* 68). — [a] In multis deest, *de frumento*.

Epist. LXXI. *Al.* 69.

Epist. LXXII (*Al.* 70). — [a] Sup. epist. 36, quam primus edidit Baluzius.

[b] De Justini cum Siciliæ episcopis dissidio, sup., epist. 2.

[c] Videtur legendum, *Prætore*, etsi aliter habeant Mss. Nam Justinus in Sicilia præturam gerebat adhuc ind. 10. Vide epist. 35 hujus ind. Ipsi successit Libertinus ind. 11. Vide epist. 38

[d] Agrigentum, vulgo *Gergenti*, urbs Siciliæ maritima, adhuc episcopalis sub archiepiscopo Panormitano. Gussanv.

Victorem [e] Panormitanum per omnia [f] nos volumus ad nos ante hiemem proficisci. Quinquaginta vero auri libris nova frumenta ab extraneis compara, et in Sicilia in locis in quibus non pereant repone, ut mense Februario illuc naves quantas possumus dirigamus, et eadem ad nos frumenta deferantur. Sed etsi nos transmittere cessamus, ipse naves provide, et ad nos, auxiliante Domino, Februario mense transmitte hæc eadem frumenta, exceptis duntaxat frumentis, quæ nunc mense Septembri, vel Octobri, juxta consuetudinem transmitti præstolamur. Ita ergo experientia tua faciat, ut sine alicujus vexatione coloni ecclesiastici frumenta congregentur, quia tantum hic [g] parva nativitas fuit, ut, nisi auxiliante Deo frumenta de Sicilia congregentur, fames vehementer immineat. Naves vero, quæ commendatæ Ecclesiæ sanctæ semper fuerunt, in omnibus tuere, ad quod tibi etiam directæ gloriosi viri Leonis [h] exconsulis epistolæ concurrunt. Multi vero huc veniunt, qui terras aliquas, vel insulas in jure Ecclesiæ nostræ, in emphyteosim sibi postulant dari, et aliquibus quidem negamus, **558** aliquibus vero jam concessimus. Sed tua experientia sanctæ Ecclesiæ utilitatem conspiciat, memor quod ante sacratissimum beati Petri apostoli corpus potestatem patrimonii ejus acceperit. Et licet hinc scripta decurrant, quod utilitatem patrimonii impedit, fieri nullo modo permittat, quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur, vel dare disponimus. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 60.)

## EPISTOLA LXXIII.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*De restituendis Taurominitanæ Ecclesiæ possessionibus atque pecuniis.*

Gregorius Petro subdiacono.

Quanto apostolicæ sedi ab Ecclesiis reverentia cæteris exhibetur, tanto eam in earum decet esse tuitione sollicitam. Et quia domus vel fines atque possessiones [a] Taurominitanæ juri Ecclesiæ pertinentes ab actionariis dicuntur nostræ Ecclesiæ contra rationis ordinem occupatæ, experientiæ tuæ præsentis hujus præcepti pagina deputamus, quatenus, cognita veritate, si ita est, cuncta quæ occupata dideris in ante fatæ Ecclesiæ pristina jura restituas. Quia vero pervenit ad nos, vivente adhuc Victorino episcopo, ejusdem Ecclesiæ perisse pecunias, ad earum requisitionem te Secundino fratri et coepiscopo nostro volumus præbere [b] solatia, et utilitatibus ejusdem Ecclesiæ in quo necessarium fuerit salva æquitate concurrere. Ita etenim cuncta quæ in hujus præcepti pagina continentur effectui mancipare festina, ut de æquitate servata præfati episcopi relationibus ipse lauderis.

## EPISTOLA LXXIV.

AD GENNADIUM PATRICIUM ET EXARCHUM AFRICÆ.

*Illum ad comprimendos hæreticorum adversus Ecclesiam conatus incitat. Ne primas ex ordine loci eligatur. Ne extra civitatem resideat. Ne qui Romam venire voluerint Numidæ episcopi impediantur.*

Gregorius Gennadio patricio, [a] et exarcho Africæ.

Sicut excellentiam vestram (*Grat.* 23, *q.* 4, *can.* 48) hostilibus bellis in hac vita Dominus victoriarum fecit luce fulgere, ita oportet eam inimicis Ecclesiæ ejus omni vivacitate mentis et corporis obviare, quatenus ejus ex utroque triumpho magis ac magis enitescat opinio, cum et forensibus bellis adversariis **559** catholicæ Ecclesiæ pro Christiano populo vehementer obsistitis, et ecclesiastica prælia sicut bellatores Domini fortiter dimicatis. Notum est enim hæreticæ religionis viros, si eis, quod absit, suppetit nocendi licentia, contra catholicam fidem vehementer insurgere, quatenus hæreseos suæ venena ad tabefacienda, si valuerint, Christiani corporis membra transfundant. Cognovimus enim eos contra Ecclesiam catholicam, Domino eis adversante, colla subrigere, et fidem velle Christiani nominis inclinare. Sed eminentia vestra conatus eorum comprimat, et superbas eorum cervices jugo rectitudinis premat. Concilium vero catholicorum episcoporum admoneri præcipite, ut [b] primatem non ex or-

[e] Panormus, vulgo *Palermo*, urbs maritima, hodie archiepiscopalis, et Siciliæ caput. GUSSANV.

[f] In Vulgatis et in plurimis Mss. *ad te*, sed legendum *ad nos* probant epp. 53 lib. II et XII libri undecimi, ex quibus patet illos episcopos, saltem Gregorium et Victorem, Romam ut se purgarent, venire jussos.

[g] Dicerent alii, paucæ segetes, Gall., *petite récolte*. GUSSANV. Observandum in Ms. Bigotiano, Vitæ sancti Gregorii auct. Joanne Diacono, pro *nativitas* legi *sativitas* vel *satio*, lib. II, cap. 60, ubi hæc epist. refertur.

[h] Scilicet per codicillos et litteras, ut jam supra monuimus.

EPIST. LXXIII (*Al.* 71). — [a] Taurominium, vulgo *Taormina*, urbs olim episcopalis Siciliæ maritima in ora Orientali vallis Demonæ, inter Messanam ad Boream, et Catanam ad Austrum. GUSSANV.

[b] Hoc est, auxilium, adjutorium. Reg. sancti Benedicti, cap. 31, de cellerario, *solatia ei dentur*. Supra, epist. 63, *vobis solatiantibus*, hoc est juvantibus. Infra, sæpe vox ista eodem sensu usurpatur.

EPIST. LXXIV (*Al.* 72). — [a] De exarchis jam dictum est supra, ad epist. 33. Inter episcopos, nonnulli olim dicti sunt exarchi, qui tanquam primates pluribus provinciis præerant, ut observavit Gussanv. ad epist. 33. Monachi etiam suos exarchos habuerunt, ut nos docet Theodoretus, in epist. ad sanctum Leonem, inter ejus epistolas, Edit. Quesnell. p. 551, cap. 7 : *Et Alypium monachorum, qui apud nos sunt, exarchum.*

[b] Primatis seu metropolitani dignitas et jura in omnibus Africæ provinciis, non civili metropoli (si Carthaginem excipias, Africæ in ecclesiasticis et in civilibus rebus caput), sed episcopatus antiquitati annexa fuere. Vide *Du Pin*, dissert. histor. 1, § 9, sive Geographiam sacram Africæ, pag. 53 et 54, quam postremæ Optati operum Editioni præmisit. Vide et Tillemontium, Vitæ sancti Augustini art. 70, 136, 146. Inde ad minus idoneos metropolitæ dignitas nonnunquam perveniebat. Propterea hunc morem, alias singularem, abolere tentavit sapientissimus pontifex; sed obstitit episcoporum Africæ pars numerosior, quos a primatu excludebat Gregorii consilium. Antiquam opposuere consuetudinem, quam infra, epist. 77, immotam permanere concedit : *De primatibus constituendis..... exceptis*, inquit, *his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo clericorum eos ad locum eumdem deferat*,

dine loci, postpositis vitæ meritis, faciat, quoniam apud Deum non gradus elegantior, sed vitæ melioris actio comprobatur. Ipse vero primas non passim, sicut moris est, per villas, sed in una juxta eorum electionem civitate resideat, quatenus adeptæ dignitatis meliori genio resistendi Donatistis possibilitas disponatur. Ex concilio vero [c] Numidiæ, si qui desiderarint ad apostolicam sedem venire, permittite; et quilibet eorum vitæ contradicere voluerit, obviate. [d] Magno profectu excellentiæ vestræ apud Creatorem gloria proficit, si per eam dispersarum Ecclesiarum potuerit societas restaurari. Cum enim largita munera ad nominis sui gloriam conspicit revocari, tanto largiora tribuit, quanto per ea religionis suæ dignitatem viderit ampliari. Persolventes præterea paternæ charitatis affectum, Dominum petimus, [e] qui brachium vestrum ad comprimendos hostes forte efficiat, et mentem vestram, zelo fidei velut mucronem gladii vibrantis exacuat.

## EPISTOLA LXXV.

AD GENNADIUM, PATRICIUM, ET EXARCHUM PER AFRICAM.

*Gennadium impense laudat, quod non terreno consilio, sed ut Christiana religio propagetur, Gentes expugnet. De datis Romanæ Ecclesiæ patrimonio incolis gratias agit. Hilarium ejusdem patrimonii rectorem commendat.*

Gregorius Gennadio patricio et exarcho per Africam.

Si non ex fidei merito (*Grat.* 23, *q.* 4), et Christianæ religionis gratia tanta excellentiæ vestræ bellicorum actuum prosperitas eveniret, non summopere [e] miranda fuerant, cum sciamus etiam hæc antiquis bellorum ducibus fuisse concessa. Sed cum futuras, **560** Deo largiente, victorias, non carnali providentia, sed magis orationibus prævenitis, fit ut hoc in stuporem veniat, quod gloria vestra non terreno consilio, sed Deo desuper largiente, descendat. Ubi enim meritorum vestrorum loquax non discurrit opinio? Quæ et bella vos frequenter appetere, non desiderio fundendi sanguinis, sed dilatandæ causa reipublicæ, in qua Deum coli conspicimus, loquitur, quatenus Christi nomen per subditas gentes fidei prædicatione circumquaque discurrat. Sicut enim exteriora vos virtutum opera eminentes in hac vita constituunt, ita et interna morum ornamenta ex corde mundo *modis omnibus prohibemus.* An vero in Africa præter metropolitanos seu primates, episcopus aliquis appellaretur *senex?* negat card. Noris, de Hæres. Pelag., lib. II, cap. 8. Asserit vero Tillemontius in Vita sancti Augustini, art. 136, quos videsis. De hac quæstione et de Donatistis fuse dictum in Vita sancti Gregorii.

[c] Numidia olim erat una ex Africæ provinciis, inter Africam propriam ad Ortum, Mauritaniam Sitifensem ad Occasum, et mare Mediterraneum ad Boream. GUSSANV.

[d] Sic legitur in Vatic. D, in Corb., Norm., Rhem., ubi Excusi habent : *Magna profecto excellentiæ vestræ..... gloria proficit.*

[e] Excusi, *quo brachium.*

EPIST. LXXV (*Al.* 73). — [a] In excusis, *miranda fuerat*, scilicet prosperitas. Sed in omnibus Vatic. et Gall. legitur *fuerant*, quod revocandum ad sequentia : *hæc antiquis bellorum ducibus fuisse concessa.*

procedentia [b] in futura cœlestium gaudiorum participatione glorificant. Plurima enim pro pascendis ovibus beati Petri apostolorum principis utilitatibus excellentiam vestram præstitisse didicimus, ita ut non parva loca patrimonii ejus, propriis nudata cultoribus, largitis [c] Datitiorum habitatoribus, restaurasset. Quæcunque igitur illi Christiana mente confertis, horum retributionem per spem in futuro judicio sustinetis. Quamobrem præsentium quoque latorem Hilarum eminentiæ judicavimus commendandum vestræ, ut in his quæ sibi necessaria, justitia tamen præeunte, suggesserit, solitum ei impendatis affectum. Persolventes autem paternæ charitatis alloquium, petimus Dominum Salvatoremque nostrum, qui eminentiam vestram pro solatio sanctæ reipublicæ misericorditer protegat, et ad dilatandum per finitimas gentes nomen ejus magis magisque brachii sui firmitate confortet.

## EPISTOLA LXXVI.

AD GAUDIOSUM MAGISTRUM MILITUM AFRICÆ.

*Post officiosa verba, commendat Hilarium*

Gregorius Gaudioso [a] magistro militum Africæ.

Sicut lucernæ lumen per collimitantia quæque quo lucet loca diffunditur, ita cujuslibet personæ [b] bonorum actuum probitas non solum quo degit, sed per diversas provincias, fama loquente, cognoscitur, ut quoniam præsentiæ nulla potest esse notitia, hoc discursus opinionis efficiat, quod rei veritas per præsentiam poterat exhibere. Didicimus enim diversos judices, qui ad ministrandam Africanam Provinciam diriguntur, summa gloriam vestram familiaritate diligere. Quod non procederet, nisi apud eosdem judices mentis ejus sinceritas appareret, ut adeptam administrationem **561** consilii vestri participatione disponerent. Et quidem maximas Deo gratias referimus, cum tales habere proprios provincias habitatores agnoscimus qui ingenita nobilitate polleant, et potentibus viris adhæreant, provincialibusque suis ad remedium, adepta temporum opportunitate, consistant. Persolventes itaque paternæ charitatis affectum [c] præsentium latorem, quem illuc ad ordinandas res pauperum direximus, vestræ gloriæ commendamus, quatenus ei in quo necesse fuerit, salva justitia, tribuatis. Oro autem Dominum, qui vitam

[b] Vulgati, *in futuram vitam cœlestium gaudiorum participatione.* Sequimur Vatic., Reg., Norm., etc.

[c] Becc., *Datitiis habitatoribus.* Apud Gratianum, loco assignato, *Dacorum.* Legendum forte *Daratitiis*, scilicet populis proximæ regionis *Daræ*, quæ, ut observat Cluverius, tenuibus atque egenis incolis habitatur.

EPIST. LXXVI (*Al.* 74). — [a] In duobus Vatic., *Gaudioso manenti Africæ.* In aliis et in nostris, *magistro militum Africæ.*

[b] In recent. Ed., *bonorum affectuum*, contradicentibus Mss. Vatic. Rhem., Corb., etc.

[c] Scilicet Hilarium vel Hilarum, de quo epist. super. Ex Joanne Diacono, Vit. sancti Gregorii lib. II, cap. 35 : *Viros industrios rectores patrimoniorum ascivit..... Hilarium Notarium Germaniciani.* Non longe ab Hippone sitam fuisse Germaniciam docet Augustinus Hipponensis episcopus : *Ipsi*, inquit epist. 251, *Germanicienses pertinent ad curam humilitatis nostræ*

vestram in omni bono custodiat, actusque vestros misericordiæ suæ dono disponat.

## EPISTOLA LXXVII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS NUMIDIÆ.

*Quod prius nolebat, jam ex antiqui moris reverentia concedit, seniorem episcopum eo ipso in primatem eligi. Donatistam excipit. Numidas antistites hortatur ad pacem, ad Ecclesiæ defensionem, ad sollicitudinem de proximorum animabus.*

Gregorius universis episcopis Numidiæ.

Si quando, charissimi in Christo fratres[1], inter virentes segetes zizaniorum quædam se infert importuna commistio, hanc radicitus necesse est cultoris manus adimat, ne futurus fecundæ segetis fructus possit intercipi. Et nos ergo, qui, licet indigni, dominici agri culturam suscepimus, ab omni zizaniorum scandalo ingenuam reddere segetem festinemus, quatenus ager Domini reditu abundantiori fructificet. Petiistis etenim per Hilarum [a] chartularium nostrum a beatæ memoriæ decessore nostro, ut omnes vobis retro temporum [b] consuetudines servarentur, quas a beati Petri apostolorum principis ordinationum initiis hactenus vetustas longa servavit (*Grat. dist.* 12, *can.* 8). Et nos quidem juxta seriem relationis vestræ, consuetudinem, quæ tamen contra fidem catholicam nihil usurpare dignoscitur, immotam permanere concedimus, sive de primatibus constituendis, cæterisque capitulis; exceptis his qui ex Donatistis ad episcopatum perveniunt, quos provehi ad primatus dignitatem, etiam cum ordo [c] clericorum eos ad locum eumdem deferat, modis omnibus prohibemus. Sufficiat autem illis commissæ sibi plebis tantummodo curam gerere, non autem etiam illos antistites quos catholica fides in Ecclesiæ sinu **562** et edocuit et genuit ad obtinendi culmen primatus anteire. Vos ergo, fratres charissimi, admonitiones nostras zelo charitatis dominicæ prævenite, scientes quod districtus judex ad examinandum deducturus est cuncta quæ gerimus, et unumquemque nostrum non ex prærogativa sublimioris gradus, sed ex operum meritis approbabit. Quæso ergo, vosmetipsos invicem alterna pace diligite in Christo, et hæreticis vel inimicis Ecclesiæ uno cordis intuitu obviate. De proximorum animabus estote solliciti: ad fidem quos valetis prædicatione charitatis, prætenso etiam terrore futuri judicii, suadete, quoniam pastores constituti estis, et Dominus gregum ab iis quibus commisit pastoribus fructum multiplicati gregis exspectat. Qui si proprii gregis augmentum, adhibito studio diligentiori, prospexerit, multiplicibus profecto vos cœlestis regni muneribus decorabit. Persolvens præterea fraternæ dilectionis alloquium, oro Dominum, qui vos animarum pastores, quos elegit, ante se dignos efficiat, et hic actus nostros quos in futura vita digne suscipiat, ipse disponat.

## EPISTOLA LXXVIII.

AD LEONEM EPISCOPUM IN CORSICA.

*Visitationem injungit Saonensis Ecclesiæ.*

Gregorius Leoni episcopo in [a] Corsica.

Pastoralis nos cura constringit Ecclesiæ sacerdotis moderamine destitutæ sollicita consideratione [b] concurrere. Et quoniam [c] Ecclesiam Saonensem ante annos plurimos, obeunte ejus pontifice, omnino destitutam agnovimus, fraternitati tuæ visitationis ejus operam duximus injungendam, quatenus tuis dispositionibus ejus possit utilitas [d] profligari. In qua etiam Ecclesia vel ejus parochiis diaconos atque presbyteros tibi concedimus ordinandi licentiam. De quibus tamen tui sit studii diligentius perscrutari, ut eorum personæ a sacris nullo modo canonibus respuantur. Sed quos fraternitas tua tanto dignos ministerio perspexerit, eorumque mores et actus huic ordinationi concordare cognoverit, eos auctoritatis nostræ permissione ad prædictum promoveat licenter officium. Cunctis igitur rebus superscriptæ Ecclesiæ ut proprium te volumus uti pontificem, usque ad secundam nostram epistolam. **563** Ita ergo in

---

EPIST. LXXVII (*Al.* 75). — [a] Sanctus Gregorius *Hilarium* hic atque in aliis epist. septem, *Chartularium*; in aliis vero decem, alternis quasi vicibus, *notarium* appellat. Idem fuit in Romana Ecclesia Chartularii et Notarii officium.

[b] Romani pontifices omnium Ecclesiarum privilegia illibata servare profitentur. Sic Leo M., epist. 54, ad Marcianum: *Privilegia Ecclesiarum, sanctorum Patrum Canonibus instituta et venerabilis Synodi fixa decretis, nulla possunt improbitate convelli.... In quo opere, auxiliante Christo, fideliter exsequendo necesse est me perseverantem habere famulatum.*

[c] Abest *clericorum* a mss. Norm., Corb. et plerisque Vatic. Ad hoc verbum correctores Rom. in Decreto Gratiani: *auctor Glossæ*, inquiunt, *non videtur habuisse verbum* clericorum, *quemadmodum neque Ivo, neque pleraque Gratiani mss. exemplaria.*

EPIST. LXXVIII (*Al.* 76). — [a] Insula maris Tyrrheni notissima, Græce *Cyrnus* dicta, inter Liguriam ad Aquilonem et Sardiniam ad Austrum, a qua freto vicio, passuum disjungitur. Subest nunc dominio reipublicæ Genuensis. GUSSANV.

[b] Ita consueverat Romanus episcopus in provinciis sibi ut metropolitano subditis, ex quibus Corsica. Sed et nonnunquam exterarum nationum Ecclesiis delegabat visitatorem. Joannes II Ecclesiæ Regensi in Gallia visitatorem dari præcepit, epist. 4, 5, 6. Ut defuncto episcopo Ecclesiæ illius curam gerat vicinus episcopus, statuunt conc. Regense an. 439, et Aurelian. II, an. 555, can. 6. In capitul. Caroli Calvi, tit. 52, cap. 8. *Si aliquis episcopus interim obierit, archiepiscopus ipsi sedi visitatorem secundum sacros canones deputet, qui una cum comite ipsam Ecclesiam ne prædetur custodiat, usque dum ipsius episcopi obitus ad vestram* (principi respondent Patres Carisiaci) *notitiam perveniat.* Dixerant prius: *Si archiepiscopus defunctus fuerit, vicinus episcopus ipsius diœceseos ipsam sedem provideat, usque dum*, etc. Restitutis post Carolum M. electionibus, visitatores a rege fuisse designatos, qui electionibus interessent, patet ex epistolis Hincmari Rhemensis. Vide supra notam ad epist. 15.

[c] Ita Mss. Anglic., Norm., Regii, Colbert., Corb., Andeg. et duo Vaticani. In Vatic. tamen A, B, C, D, legitur *Harmensem*. In Turon., *Sajonensem*. In vet. Ed., *Sagonensem*. Fuit Saona vel Sagona medio ævo nota civitas Corsicæ, inter Calviam ad Boream, et Adjacium ad Meridiem; hodie destructa.

[d] Hanc lectionem amplecti cogit Mss. omnium Vatic., Reg., Norm., Corb., etc., consensus. Editores mutarunt *profligari* in *propagari*, quod idem est ac disponi, ut constat ex verbis sequentibus: *ut tua dispositione utilitates Ecclesiasticæ.... valeant.... disponi.* Eamdem vocem usurpat eodem fere sensu concil. Tolet. V, can. 6, et Tolet. VI, can. 16.

omnibus his diligens esto ac sollicitus, ut tua dispositione utilitates ecclesiasticæ salubriter modis omnibus Deo valeant auctore disponi.

## EPISTOLA LXXIX.

AD MARTINUM EPISCOPUM IN CORSICA.

*A Tainatensi Ecclesia ad Saonensem transire concedit.*

Gregorius Martino episcopo in Corsica.

Justa poscentibus aurem nos oportet benevolam commodare quatenus et petentes remedia sperata reperiant, et Ecclesiæ non desit sollicitudo pastoris. Et quoniam Ecclesia [a] Tanatem, in qua dudum fuerat honore sacerdotali tua fraternitas decorata, ita est delictis facientibus hostili feritate occupata atque diruta, ut illuc ulterius spes remeandi nulla remanserit, in Ecclesia Saonensi, quæ jam diu pontificis auxilio destituta est, [b] cardinalem te, secundum petitionis tuæ modum, hac auctoritate constituimus sine dubio [c] sacerdotem. Ita ergo studio vigilanti cum Dei amore secundum canonum præcepta, cuncta dispone vel ordina, ut et fraternitas tua suis desideriis se gaudeat fuisse potitam, et Ecclesia Dei alterno gaudio repleatur cardinalem te suscepisse pontificem.(*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 15.

## EPISTOLA LXXX.

AD CLERUM ET NOBILES CORSICÆ.

*Quod episcopi electionem nimium distulissent, instituit ipse Martinum. Interea dum hic adveniet, Leoni curam visitationis injungit.*

Gregorius clero et nobilibus Corsicæ [a] a paribus.

Etsi vos multo jam tempore sine pontifice esse Dei Ecclesiam non doletis, nos tamen de ejus regimine **564** cogitare, et suscepti cura compellit officii, et vestræ quamplurimum charitas dilectionis astringit, scientes quod in ejus gubernationibus animarum vestrarum simul consistat utilitas. Nam [b] si gregi pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris incurrit. Ea de re quoniam Ecclesia Saonensis sacerdotis diu est auxilio destituta, necessarium duximus [c] Martinum fratrem et coepiscopum nostrum ibidem cardinalem constituere sacerdotem, Leoni vero fratri et coepiscopo nostro operam ejus visitationis injungere. Cui etiam in ea parochiisque ipsius presbyteros atque diacones concessimus ordinandi licentiam, eumque rebus ejus, quousque illic fuerit, ut proprium pontificem uti permisimus. Ideoque scriptis præsentibus admonemus, uti præfatum visitatorem charitas vestra cum omni devotione suscipiat, eique obedientiam in iis quæ rationi conveniunt, sicut Ecclesiæ decet filios, exhibete, quatenus omnia quæ ad utilitatem suprascriptæ pertinere cognoscuntur Ecclesiæ, vestra valeat suffultus devotione implere.

## EPISTOLA LXXXI.

AD CLERUM, ORDINEM ET PLEBEM MEVANIENSEM.

*Ut tandem in episcopi electione consentiant hortatur. Interea Ecclesiæ curam Honorato presbytero committit.*

Gregorius clero, ordini et plebi consistentibus [a] Mevaniensi Ecclesiæ.

Quoties res aliqua pluribus agenda committitur, dum quisquis dissentit ab altero, dispendiis potius

Epist. LXXIX. (*Al.* 77). — [a] Ita Mss. Corb., Norm. et pl. In Vatic. scribitur vel *Taitanis*, vel *Tainates*, vel *Tainatissam*, nullibi autem occurrit *Tamitana*.

[b] De hoc cardinalis titulo dictum est supra, ad epist. 15. Censet Alteserra hic id genus cardinalium sacerdotum non fuisse in perpetuum, sed ad tempus. Erant enim episcopi suis sedibus pulsi ob barbaricam feritatem, qui vacantibus Ecclesiis a Rom. pontifice solatii et alimoniæ causa dabantur. Si ergo civitas eorum postliminio reciperetur ab hostibus, ad eam redibant. Hæc fere Alteserra; verum doctissimi antecessoris sententia minime nobis arridet. Cardinalis ergo sacerdos est sacerdos incardinatus, et titulo annexus; nec olli tunc vacantibus Ecclesiis, ex episcopis sede sua pulsis dabantur, nisi cum spes omnis abesset pristinas sedes recipiendi. Quod si contra spem aliquæ ex barbarorum manibus eriperentur, et meliorem in statum restituerentur, aut illarum Ecclesiarum episcopi in aliis incardinati ad priores sponsas redibant, aut novi restitutis Ecclesiis pastores ordinabantur.

[c] Sacerdotes alios fuisse primi ordinis et gradus, alios secundi ordinis, notius est quam ut nota egeat. Sanctus Gregorius, homil. 22 in Ezech., eos dicit *majoris ordinis vel minoris*; ita etiam Gregorius Turonensis, lib. v Histor., cap. 49. Origenes, homil. 6 in Levit., tractat. de differentia minorum sacerdotiorum ad majora. Optatus Afer Milevitanus, lib. I: *Quid diaconos in tertio, quid presbyteros in secundo sacerdotio constitutos?* Id quidem minus notum. Accurrit Sidonius Apoll., lib. IV, epist. 25, qui Joannem archidiaconum nondum presbyterii dignitate auctum vocat *secundi ordinis sacerdotem*. Imo ejusdem lib. IV epist. 11, lego *antistitem secundi ordinis*. Et lib. VII, epist. 6, summis sacerdotibus civitatum subjungit *episcopos*, presbyteros interpretor seu chorepiscopos, per quos minorum ordinum ministeria subrogabantur. Vide lib. XII, Epist. 30. Gussanvillæus fallitur in Joan. archidiacono, quem cum secundi ordinis sacerdotem vocat Sidonius, presbyterum supponit.

Epist. LXXX (*Al.* 79). — [a] De inscriptione *a paribus*, jam diximus supra, ad epist. 25.

[b] Non minus vere quam eleganter Sidonius, lib. VII, epist. 6. *Si benedictione succidua non accipiat* (Ecclesia viduata) *dignitatis hæredem, in illa sacerdotium moritur, non sacerdos; atque ita quid spei restare pronunties, ubi facit terminus hominis finem religionis.* Alibi vocat talis Ecclesiæ statum titubantem, nutantem, fluctuantemque regulam. In Cabilonensi II, an. 813, can. 51: *Gubernatio adhibenda, ne in quotidianis vitæ commeatibus prælatorum adminiculo destituti homines fatiscant.* Quæ verba an ex Burchardo emendari debeant, lector dijudicet. De necessitate episcopi, supra, epist. 32. Legant etiam controversiam de residentia pastorum Tridenti explicatam per fratrem Barth. Carranzam de Miranda an. 1547. Gussanv.

[c] Cum Martinus episcopus cardinalis Ecclesiæ Aleriensi constituatur, simulque Leoni cura visitationis ejusdem Ecclesiæ injungatur, etiam licentia ordinandi presbyteros et diaconos, quasi esset proprius pontifex, eruunt nonnulli aut mendum hic irrepsisse, aut aliam Ecclesiam Leoni commissam. Gussanv. Frustra hic torquetur Gussanvillæi animus. Nam Leoni jus ordinandi, etc., conceditur tantum usque ad Martini adventum, et præcipitur ut Ecclesiæ utilitates, temporales maxime, viduitate diutina neglectas plurimum atque imminutas, reparet ac disponat. Neque enim advenienti proprio pontifici congruebat odiosum illud negotium, quo episcopatum a litibus auspicari cogeretur. Hinc ne defuncti episcopi res successori servandæ diripiantur, canonibus antiquis sancitum Chalcedon., can. 21; Aurelian. II, can. 6; Wormat. II. Alioquin quantum abhorreret a sancti Gregorii mente auctoritatem episcopalem in duos partiri satis ostendit epist. 45, supra.

Epist. LXXXI (*Al.* 78). — [a] In Vulgatis, mendose,

quam utilitatibus aditus reseratur. Quod nos providentes, ne hoc vestræ contingere possit Ecclesiæ, ejus curam utilitatesque Honorato presbytero ad præsens committendas elegimus, quatenus res utilitatesque Ecclesiæ per eum et procurari valeant, et modis omnibus custodiri. **565** Ideoque dilectionem vestram scriptis præsentibus adhortamur, quatenus, ut vobis possit ordinari sacerdos, invicem vestræ voluntatis in unius digna electione concordet assensus, nec amplius Dei Ecclesiam officio patiamini vacare pontificis. Quousque vero Ecclesiæ ipsi sacerdos fuerit ordinandus [c] omnem supradicto presbytero, sicut diximus, sollicitudinis ejus curam commisimus. Ita ergo se vestra dilectio in his omnibus exhibere festinet, ut amorem vos Ecclesiæ habere, pronæ devotio mentis ostendat. (*Vide l.* III, *ep.* 64.)

## EPISTOLA LXXXII.

AD LAURENTIUM EPISCOPUM MEDIOLANENSEM.

*Ut aliquem cum quo de postulata pecunia lis orta dirimatur instituat.*

Gregorius Laurentio episcopo [a] Mediolanensi.

Scripta fraternitatis vestræ suscipiens, gratias omnipotenti Deo retuli, qui desiderabili me sospitatis ejus nuntio relevavit. Quod autem perhibetis ab exactione patrimonii Siciliæ provinciæ juri sanctæ cui Deo auctore præsidetis Ecclesiæ certam redhiberi pecuniæ quantitatem, pro eo quod ab actoribus sanctæ Romanæ Ecclesiæ illo in tempore patrimonii Ecclesiæ vestræ celebrabatur exactio, necessarium fuit, juxta tenorem scriptorum a vobis directorum, acceptarum illatarumque pecuniarum summam inspicere, et totius ratiocinii meritum subtiliter indagare; quibus perspectis, nihil a sancta Romana Ecclesia Ecclesiæ vestræ allegatum est [b] redhiberi. Sed quia dum Constantius diaconus vester ad ea quæ objecta a nostris fuerant aliud allegavit, examen negotii venit in dubium, quod subtilius poterat ventilari si qua persona existeret cum qua definiri aliquid stabiliter potuisset. Proinde necesse est ut sanctitas vestra hac de re personam instituat, cum qua Romana Ecclesia aliquid debeat solide definire, ut sive nihil debet, ex judicio pateat; seu aliquid debuit et restituit, persona quam instituitis securitatem solemniter emittat

## 566 EPISTOLA LXXXIII.

AD JANUARIUM ARCHIEPISCOPUM CARALITANUM.

*Comprimendum Liberati diaconi ambitum, neque illum absque solemni episcopi sui cessione ullatenus incardinandum.*

Gregorius Januario archiepiscopo Caralis Sardiniæ.

Scriptis tuis cor nostrum lætificasse dignosceris, quod te mandatorum nostrorum memorem fuisse testatus es. Et quia memoriter retinemus ea quæ nos fraternitati tuæ mandasse commemoras, quemadmodum disponendum sit ubi voluntatis nostræ exspectatur auctoritas, scriptis præsentibus breviter respondemus. Liberatus igitur, de quo nobis tua fraternitas indicavit, qui diaconii fungi perhibetur officio, si a decessore tuo non factus est cardinalis, [a] ordinatis a te diaconibus nulla debet ratione præponi; ne eos quos consecrando probasse cognoscaris, reprobare supponendo quodam modo videaris. Prædictum itaque Liberatum, quem reprimendus ambitionis inflat spiritus, omni instantia ab intentus sui pravitate compesce, et ultimum inter diaconos stare constitue, ne dum se illicite præferri contendit,

*Vivaniensis Ecclesiæ*, vel *Vianensis*. Verum urbis hujus nomen reperimus in Mss. Vatic., Norm., etc. Gussanvillæus qui veterem errorem retinuit, fatetur nullam apud geographos Vivaniensis urbis esse mentionem. Mevania autem, vulgo Bevagna, urbs erat olim episcopalis Umbriæ, ad fluvium Clitumnum. In Colb. habetur, *Eutinæsi Ecclesia.*

[b] Antonius Augustinus, videns Haloandrum et Portium ludere in vocibus *decies* et *deciens*, *centies* et *centiens*, quasi significatu differrent, non eorum modo opinionem refellere, sed et in causam talis scriptionis inquirere voluit. Et ut erat naris emunctæ, odoratus est litteram *n* istis insertam vocibus solius pronuntiationis, et quidem mollioris, ergo. Lipsius addidit male insertam a librariis, siquidem, ait ipse, veteres aliter vocales longas pingere soliti, aliter contractas. Nam has solitarias ponebant ad exemplum hodiernum, illas geminabant. Secuta ætas ut compendi faceret, apicem usurpavit pro geminatione : apicem appello lineam transversam, quam superjicere vocalibus longis soliti *â ê ô û*. In quam sententiam citat Quintilianum, Isidorum et alios. Tum addit in priscis etiam libris hunc apicem occasionem erroneæ isti scripturæ posuisse *quotiens*, *totiens*, *vicensimus*, *aquonsus*, *formonsus*, cum scilicet invenissent *quoties*, *vicesimus*, *formosus*, etc. Vide Ant. Augustinum, lib. II de Emend., cap. 6, et Lipsium, in libello de recta Latinæ linguæ pronuntiatione, cap. 5. GUSSANV.

[c] Imago magnorum, ut vocant, vicariorum, qui, vacante sede aut episcopo aliud agente, episcopatus onera sustentant. Hos epistola præcedente diximus vocatos fuisse sacerdotes et episcopos secundi ordinis, ex Sidonio Apoll. Talis fere erat Claudianus, de quo Sidonius, in carm., ep. 11, et Justus Arvernensis, de quo ibid. Savaro. GUSSANV.

EPIST. LXXXII (*Al.* 80). — [a] Exstat Childeberti regis ad eum epistola in appendice operum sancti Gregorii Turon., col. 13, 47, ubi appellatur patriarcha.

[b] De hoc verbo ejusque significatione jam dictum est in nota *x* ad epist. 44. Quamvis autem proprie *redhibere* idem sit ac reddere quod debeas, ut observavimus ex doctiss. Sirmundo; interdum tamen absolute sumitur pro reddere, ut etiam admonuit Sirmondus ad epist. 10 l. III Ennodii.

EPIST. LXXXIII (*Al.* 81). — [a] De hac re ita Joan. Diaconus, lib. III, cap. 21 : *Antiquissimum ecclesiasticæ consuetudinis ordinem Gregorius ab apostolis traditum, et ad sua usque tempora solemniter conservatum adeo studiosissime retinebat, ut nullum quantalibet sanctitate, supientia, nobilitateve polleret, anterioribus clericis in conventu, consessu, statione, sive subscriptione præponeret.* In hanc mentem concil. Agath., can. 5: *Episcopus posteriorem* (clericum) *priori nullum præponat.* Idem de episcopis in concil. Africano, can. 53. Vide Leonem papam, epist. 5, Doro Benevent. episcopo. S. Paulinum, natal. 5 sancti Felicis :

> Prior ille gradum socii meruisset honoris
> Presbyter, hæc septem distabat summa diebus.

Inter acta conc. Chalcedon. vide libellum querulosum Ibæ : *Neque minores majoribus præferret..... omnibus conservaret justitiam in honoribus et consuetudinibus et gravibus.* Gelasium epist. 9 : *Nec cujuslibet utilitatis causa seu presbyterum seu diaconum his præferret, qui ante ipsos fuerint ordinati.* GUSSANV.

immeritus loco in quo nunc situs est judicetur. Cujus tamen si obedientia fueris invitatus, et eum post hæc cardinalem facere volueris, nisi pontificis sui [b] cessionem solemni more meruerit, abstinendum ab omni incardinatione memineris, quoniam æquitati convenire non ambigis ut aliis servare non differas quod ipse quoque tibi servari desideras.

## EPISTOLA LXXXIV.

### AD HILARUM MONACHUM AFRICÆ.

*Ut, coacto quamprimum concilio, in Argentium Lamigensem episcopum inquiratur.*

Gregorius [a] Hilaro monacho Africæ.

Felicissimus atque Vincentius diacones Ecclesiæ [b] Lamigensis, oblata petitione, quæ **567** tenetur in subditis, suggesserunt, ab Argentio ejusdem civitatis episcopo gravem se injustitiam pertulisse, et accepto præmio Donatistas in Ecclesiis fuisse præpositos, eumque inter alia non leve aliud facinus, quod dici nefas est, commisisse commemorant. Propterea experientiæ tuæ præsentis præcepti pagina duximus injungendum, quatenus præfatum episcopum idoneæ satisfactioni committere non omittas, tuaque instantia in locis illis [c] fiat ex more concilium, et omnia secundum oblatæ petitionis textum canonice coram positis partibus subtili indagatione perquirantur. Et quæcunque eorum judicio fuerint terminata, te exsequente modis omnibus compleantur. Ita ergo cum omni te vivacitate huic causæ volumus præbere instantiam, ut ad examinanda quæ jussimus nulla possit subnecti dilatio, sciturus non in levem te offensam incurrere, si nostra quacunque excusatione lentata fuerit præceptio.

[b] Prius legebatur *concessionem*. Per *cessionem* intelligit litteras dimissorias, Græcis ἀπολυτικὰς γραφάς. Quænam eæ sint describit Balsamo ad conc. IV, can. 11, et ad conc. VI, can. 17, ubi etiam notat privilegium Constantinopolitani episcopi et Carthaginensis, qui quoslibet clericos alieni juris admittebant (in Afric., can. 22, idem de Carthaginensi episcopo privilegium asseritur) sine dimissoriis, παρὰ γνώμην τῶν χειροτονησάντων αὐτούς. Observare libet ex usu hodierno requiri dimissorias episcopi soli natalis; at ex veterum canonum, ut videtur, præscripto, licebat quoslibet de laicis in clerum ascribere, solis clericis vetitum versuram facere mutatione prælati, et episcopo clericos alienos adoptare. Vide Sard. conc., can, 18 et 19; African., can. 21. Decretum Innocentii papæ, tit. 14, in Decret. Leon. papæ, n. 39; Gelasium, Decret. c. 23, post Nic. concil., can. 15. Illustre est exemplum sancti Paulini qui a Delphino baptizatus Burdegalæ, a Lampio Barcilonæ sacratus fuit, ut docet ejus epistola ad Augustinum 35. Innumera prostant eorum exempla, qui sine dimissoriis episcopi soli natalis tonsurati sunt a non suis, imo a non episcopis. Vide in 6, de tempore ordinat., c. 1, 3, 4, et conc. Trid., sess. 23, can. 9 et 10, de reform. In quibus locis advertet lector episcopum soli natalis, vel episcopum domicilii, vel episcopum beneficii, vel quosdam alios potuisse aut majores ordines aliquando, aut minores conferre, nedum tonsuram. GUSSANV.

EPIST. LXXXIV (*Al.* 82). — [a] Suspectus mihi valde est iste titulus, licet in omnibus mss. Codd. ita legatur, sicut et in Editis. Videtur legendum *chartulario*, pro *monacho*, quia idem ipse est Hilarius de quo loquitur sanctus Gregorius epist. 73 et 75 præcedentibus, et 33 libri sequentis. GUSSANV. Quid obstat eum simul monachum fuisse et chartularium? Certe nullis in Mss. variat hic titulus. Verum invidit monachis Gussanvillæus honorem legationis sedis apostolicæ Hilaro monacho collatum, ut censet Alteserra. Virum doctissimum audiamus, ad hanc epist.: *Hilario monacho vices suas mandat, ut eo instante concilium celebretur..... multis post sæculis frater Petrus de Castro novo et Radulphus monachi, Cisterciensis ordinis, legationem suscepere adversus Albigenses hæreticos*, etc. Quot similia exempla proferre in medium liceret, si vacaret!

[b] Quænam urbs in Africa fuerit haud scio, nisi sit

## 568 EPISTOLA LXXXV.

### AD GENNADIUM PATRICIUM AFRICÆ.

*Droculfum de hostibus reversum commendat.*

Gregorius Gennadio patricio Africæ.

Droculfus præsentium portitor [a] de hostibus ad rempublicam veniens, opinionis vestræ, quæ longe lateque diffusa est, bono succensus, ad excellentiæ vestræ obsequia summo desiderio festinavit occurrere. Et quoniam nostra se apud vos poscit epistola commendari, paterna dulcedine salutantes, petimus ut eum, sicut Deus vobis in cor miserit ac utile fuerit, excellentia vestra ordinare dignetur, quatenus bona quæ de vobis etiam positus adhuc inter hostes audivit, in se valeat experiri, et excellentiæ vestræ ejus quoque ante omnipotentis Dei oculos inter cæteras merces accreseat.

Lamigia Numidiæ civitas ex Holstenio, de patriarchatu Romano, pag. 68. GUSSANV. In notitia Numidiæ quam edidit Sirmondus, tom. I, num. 436, edit. novæ, duo recensentur episcopatus hujus fere nominis, scilicet Lammiggizensis, et Lamiggigensis. Consule notam 101 nostri Theod. Ruinart. in Histor. Vandal. persecut.

[c] Episcopi in synodo judicandi. Vide Sardic., can. 3. Carthag., can. 12; Antioch., can. 12, 14, 15 et ult. Eadem fuit praxis sancti Gregorii, ut in sequentibus patebit, lib. II, ind. 11, ep. 8. Atque adeo miror quorumdam Theologorum supinam inscientiam, aut stupendam adulandi pruriginem, qui veritatem tam illustrem aut non vident, aut obscurare contendunt. Vide praxim Ecclesiæ Gallicanæ, apud Gregorium Turon., Histor, lib. V, cap. 18, 20, 27, 49; lib. VII, cap. 16; lib. VIII, cap. 20; lib. X, cap. 18, etc. De praxi Romana audiendus ipse Gelasius, epist. 4, seu commonitorio ad Faustum, et epist. 13, ad Dardanos. GUSSANV.

EPIST. LXXXV (*Al. 44 lib.* X). — [a] Quid hic per *hostes* intelligendum sit, inquirunt Alteserra et Gussanvillæus. *Hostis*, inquit Alteserra, *idem sonat quod exercitus*. Neque censet Droculfum in Romanorum exercitu militasse, et ab exercitu reversum, Gennadium patricium adiisse. Non assentitur Gussanv. in his maxime verbis hærens: *de hostibus ad rempub. venis*; et in istis: *positus adhuc inter hostes*. Certe *hostis* exercitum sæpe significat, ut ex prolatis ab utroque testimoniis liquet. At *hostes* idem sonare, non ita nobis constat. Quod ad hunc locum spectat, ultro in Gussanvillæi sententiam imus. *Droculfus*, vel *Droctulfus*, quod habetur in Vatic. A, Langobardus erat, non Romanus, ut ex nomine satis intelligitur. At a Langobardis deficiens ad Romanorum partes, a sancto Gregorio litteras commendatitias ad Gennadium petierat. Gregorio *ad rempublicam venire*, idem est ac reipublicæ partes sectari, ut lib. V, epist. 40, ad Mauricium Aug.: *Quia toto corde venire ad rempublicam paratus fuit*. Si in Romanorum exercitu militasset Droculfus, quid magnum foret ipsum multa de Gennadio bona inaudiisse? At vero Gennadii famam vel inter hostes percrebuisse maximum erat. Hoc significat sanctus Gregorius, cum ait; *bona quæ de vobis etiam positus adhuc inter hostes* et exteros *audivit*. Hæc epistola desideratur in Mss. anglic., Norm. et plerisque. Est in Vatic. A et in Rhem.

# LIBER SECUNDUS.

Mense Septembri, indictione x.

## 569 [a] EPISTOLA PRIMA.

AD PETRUM NOTARIUM.

*Tropæanis monachis, si religiose vivant, modis omnibus subveniendum.*

Gregorius Petro notario.

Monasterium sancti Archangeli, quod [b] Tropæis est constitutum, indicante præsentium portitore, victus habere necessitatem didicimus. Ideoque experientia tua diligenter invigilet; et si ejusdem loci monachos bene se tractare noveris, in quibus eos necessitatem habere manifesta veritate patuerit, eis subvenire hac auctoritate suffultus, modis omnibus festinabis, sciturus tuis esse rationibus quidquid nostra præceptione præbueris imputandum. Sed et terrulam Ecclesiæ nostræ vicinam sibi, quam [c] solidum unum et [d] tremisses duos pensitare asserunt, si ita est, [e] libellario nomine ad summam tremissis unius habere concede. Studii ergo tui sit hæc omnia ita complere, si, sicut diximus, ejus loci monachi in Dei servitio, sicut decet, solerter perstiterint. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## EPISTOLA II.

AD PRÆJECTUM EPISCOPUM NARNIENSEM.

*Ex mortiferæ luis occasione, cives ad pœnitentiam et fidem hortandos.*

Gregorius [a] Præjecto episcopo [b] Narniensi.

Pervenit ad nos, peccatis imminentibus, in civitate vestra Narniensi mortalitatem omnino grassari, **570** quæ res nos nimis [c] addixit. Quamobrem salutantes fraternitatem tuam modis omnibus, suademus ut a Langobardorum sive Romanorum, qui in eodem loco degunt, admonitione sive exhortatione [d] nulla ratione cessetis, et maxime a gentilium et hæreticorum, ut ad veram rectamque fidem catholicam convertantur. Sic enim aut divina misericordia pro sua eis forsitan A conversione, et in hac vita subveniet; aut si eos migrare contigerit, a suis, quod et magis optandum est, transient facinoribus absoluti. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 50.)

## EPISTOLA III.

AD VELOCEM MAGISTRUM MILITUM.

*Ut Ariulphum Langobardorum ducem, si ad Romanas vel ad Ravennates partes excurrat, a tergo insequatur.*

Gregorius Veloci magistro militum.

Et pridem expressimus gloriæ vestræ quia milites illuc erant parati venire; sed quoniam inimicos congregatos et huc discurrere epistola vestra significaverat, hæc eos hic causa retinuit. Nunc vero utile est visum ut aliquanti illuc milites transmittantur, quos gloria tua admonere et hortari, ut parati sint ad laborem, studeat. Et occasione inventa, cum gloriosis filiis nostris Maurilio et Vitaliano loquere, et quæcunque vobis Deo adjutore pro utilitate reipublicæ statuerint, facite. Et si huc vel ad Ravennates partes, nec dicendum Ariulphum cognoveritis excurrere, vos a dorso ejus ita sicut viros decet fortes, laborate, quatenus opinio vestra ex laboris vestri qualitate amplius in republica, Deo auxiliante, proficiat. Illud tamen præ omnibus admonemus, **571** ut familiam Maloin, et Adobin, Vigildi, atque Grussingi, qui cum glorioso Maurilio magistro militum esse noscuntur, sine aliqua mora vel excusatione relaxes, quatenus venientes illuc homines prædicti viri cum eis sine aliquo impedimento debeant ambulare [a].

## EPISTOLA IV.

AD SABINUM SUBDIACONUM.

*Hortum Feliciani monasterio ancillarum Dei tradendum.*

Gregorius Sabino subdiacono.

Officio pietatis impellimur monasteriis provida con-

Epist. I. — [a] Ante hanc epist. præmittitur in Ed. et in plur. Mss., scilicet Vatic., Colb., Reg., *temporibus papæ Gregorii*, etc. Acta sunt depositionis Laurentii archidiaconi Romani, et subrogationis Honorati in ejus locum. Subjungitur, *charta de Liviania maj.* Hæc cum minime pertineant ad epistolas, ad calcem amandavimus; aliunde quoque hæc desiderantur in Angl., Norm., Corb.

[b] Tropæa vulgo *Tropea*, urbs Brutiorum maritima ad Vaticanum promontorium, ubi sinus Hipponiates terminatur; nunc Calabriæ ulterioris adhuc episcopalis sub arch. Regiensi, XII mill. ab Hipponio, vulgo *Monteleone*, in occasum. Act. 4 concil. Constantinopolitani sexti subscripsit Theodorus episcopus τῆς ἁγίας ἐκκλησίας Κροπείας. Legitur et in septima synodo, act. 1. Gussanv.

[c] Quid sit solidus, disce ex Cangiano Glossario. De solido aureo cujus hic mentionem fieri putamus, olim diximus in Vita Cassiodori, lib. II, c. 4, n. 6. Qualis autem fuerit aut cujus pretii, non ex legibus Salicis, Alemannicis, etc., quas laudat infra Gussanv. repeti debet. Sed de his alibi adhuc uberius, maxime l. III, ind. XI, epist. 35, ad Dynamium.

[d] Tremissis est tertia pars solidi. Libra conflatur ex 72 solidis. Solidum 40 denarios continuisse ex legibus Salicis, Alemannicis, Bajoariis, Ripuariisque colligitur. Gussanv.

[e] Id explicatum supra in notis ad Ep. 44, olim 42.

Epist. II. — [a] In Italia sacra, tom. III, dicitur Projectitius episcopus Narniensis et Interamnæ excisæ creatus ann. 595. Obiit autem 595. Dicitur Interamna desolata, quia eam Totila, occiso episcopo Proculo, exscindi jusserat circa ann. 547. Unde curam ejus gesserunt episcopi Narnienses usque ad ann. 606, quo restaurata Interamna, Anastasius acclamatus est episcopus Interamnensis. Gussanv. In Mss. nomen hujus episcopi varie scribitur, *Præjectio, Projectio;* sed maxime *Præjecto*, ut habent Vatic. plurimi, Norm., Corb., Regii, Andeg. In Excusis, consentiente Colbert., *Præjectitio.*

[b] Narnia, vulgo *Narni*, urbs Umbriæ, adhuc episcopalis ad Narem fluvium posita, inter Ocriculos et Interamnam.

[c] Vulgati, *afflixit*, reluctantibus 4 Vaticanis, Norm., etc. De verbi *addico* significatione jam dictum lib. II Moral., num. 15. Vide etiam lib. IX, num. 32, lib. XXII, num. 22 : *Si enim de prosperitate addicitur, et de calamitate se odientis lætatur.* Paulo antea : *Cum nec de profectu addicimur.*

[d] De zelo episcopi, supra, epist. 17, lib. I, et infra, lib. V, epist. 41.

sideratione ferre consultum, ne hi qui in servitio Dei deputati esse noscuntur, necessitatem aliquam, quod avertat Dominus, possint sustinere. Ideoque experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, ut hortum quondam Feliciani presbyteri positum in regione prima, ante gradus sanctæ Sabinæ, excusatione postposita, monasterio Euprepiæ, in quo ancillarum Dei congregatio esse dignoscitur, jure proprietario possidendum tradere sine ambiguitate festinet, quatenus nostræ beneficio largitatis in Dei servitio, ipso quoque suffragante, securis mentibus perseverent [a].

## EPISTOLA V.

AD FELICEM EPISCOPUM MESSANENSEM.

*Basilicam, percepta prius legitima et secura dote, consecrandam.*

Gregorius Felici episcopo Messanensi.

Januarius subdiaconus Ecclesiæ Messanensis petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in civitate Messanensi basilicam se pro sua devotione fundasse, quam in honorem sancti Stephani et Pancratii, atque Eupli desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ diœcesis civitatis jure consistit, et [a] nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est a præsentis anni tributis liberos fiscalibus solidos decem, et reliqua de substantia sua sibi tantummodo usumfructum retineat. Quæ omnia diligenter inquire; et si eorum quæ offeruntur redituum quantitas, vel quæ tempore mortis reliquerint, sartis **572** tectis, et luminaribus, necnon alimoniis servientium annua possunt præstatione sufficere, reipsa munificentia sit gestis municipalibus alligata. Quod si hæc quæ diximus per sollicitudinem tuam impleta non fuerint, de propria substantia quanti interfuerit utilitati Ecclesiæ te vel hæredes tuos satisfacturum esse non dubites. Ilis igitur procuratis, benedictio optata proveniat. Nec ante dedicationis munus impertias, quam superius comprehensus fuerit ordo donationis impletus, enuntiaturus ex more nihil illic conditoris juri ulterius jam deberi, nisi processionis gratia, quæ Christianis omnibus in commune debetur. Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis. [b]

## EPISTOLA VI.

AD NEAPOLITANOS.

*In Demetrii ob nefanda crimina depositi locum, absque mora et discordia, episcopum eligant.*

Gregorius [a] clero, nobilibus, ordini et plebi consistentibus Neapoli.

Quamvis spiritualium sincera devotio filiorum [b] pro matre Ecclesia nullius adhortationis indigeat, verumtamen ne se neglectam existimet, epistolari debet alloquio provocari. Propter quod dilectionem vestram commonitione paternæ charitatis aggredior, ut profusis lacrymis Redemptori nostro unanimiter [c] gratias referamus, qui sub tam perverso doctore vos [d] per avia gradi non pertulit, sed indigni pastoris crimina publicavit. Demetrius siquidem, qui nec ante episcopus dici meruerat, tantis ac talibus [e] negotiis inventus est involutus, ut si secundum suorum qualitatem facinorum judicium sine misericordia recepisset, divinis mundanisque legibus durissima procul dubio fuerit morte plectendus. Sed quia pœnitentiæ reservatus, sacerdotii honore privatus est, Ecclesiam Dei sine [f] doctore diu vacare non patimur, quia et canonicis regulis est constitutum ut defuncto vel sublato pastore, diu sacerdotio privari Ecclesia non debeat. Ideoque charitatem vestram scriptis præsentibus duxi necessario commonendam, ut ad eligendum pontificem nec mora, nec discordia, quæ consuevit scandala generare, proveniat. Sed talem vobis cum omni sollicitudine personam exquirite, in qua **573** et [g] omnium adunata possit gaudere concordia, et sacris

Epist. III (*Al.* 21 *lib.* xii, *indict.* 7). — [a] In Colbert. et in collectione Pauli Diaconi legitur, *Die* v *Kalend. Octob. Indict.* 10.

Epist. IV (*Al.* 19 *lib.* xii, *indict.* 7). — [a] Vide infra, epist. 12. In Colbert. sic clauditur epistola: *Die tertia Nonas Octob., ind.* 10.

Epist. V (*Al.* 10, *lib.* xii, *indict.* 7). — [a] De hac conditione jam dictum est, supra, lib. i, epist. 54. Scilicet periculum erat ne cultus sanctis martyribus debitus corporibus jam pridem hoc in loco sepultis reddi putaretur.

[b] In collect. Pauli Diac. additur: *Data die Non. Octob., indict.* 10.

Epist. VI (*Al.* 5). — [a] Plurimæ sancti Gregorii epistolæ sic inscribuntur: *Clero, ordini, et plebi.* Ita fere Leonis I epist. 45 et 46, al. 22 et 23, *Clero, honoratis, et plebi consistenti Constantinopoli.* Hic vero per ordinem a nobilibus distinctum, honoratiores cives aut magistratus intelige, quod in deferendis magistratibus ordinem servarent Romani ab inferiore ad ampliorem progrediendo. Eodem sensu ordo apud Augustinum, in Brevic., collat. 3, capp. 13, 15, 17: Observandum tamen in Norman., Corb. et plur. Mss., omitti *ordini*.

[b] Dicitur etiam matrix, senior, cathedralis, cujus filiæ sunt baptismales in linea, ut ita dicam, recta; aliæ basilicæ et oratoria sunt in transversa; atque ideo in illis nec missæ publicæ permittebantur, nec processiones. In capitulis hinemari lego *matrices ecclesias*, pro *baptismalibus* sive *parochialibus*. Reperiuntur alibi ecclesiæ adjutrices, Gall., *des secours, églises succursales*. Gussanv. Parcimus huic Gussanvillæi notæ in gratiam ecclesiarum parochialium. Neque tamen omnino probamus quod ait eas fuisse baptismales. Cum enim baptismi solemnis minister esset solus episcopus, ut optime probat noster edm. Martene de antiquis eccl. Ritibus, lib. i, cap. 1, art. 3, in solis ecclesiis cathedral. aut finitimis locis erant baptisteria, quod jam supra ostensum. Præterea nullas in basilicis olim publicas missas aut processiones factas, perperam dicitur, ut luculenter invictissimis exemplis probavimus in præf. ad hom. in Evang.

[c] Excusi, *referatis*, contra Mss. fidem.

[d] Sic restituimus ex unanimi Mss. Vatic., Reg., Norm., Corb., etc., consensu. Prius legebatur: *per avia gradientes, ad iter rectum perduxit, et tam indigni Past.*

[e] Ita Mss. Vatic., Norm., Corb., Rhem., Turon. et vet. Ed. Pro *negotiis* recentiores legere maluerant *nequitiis*.

[f] Sic legendum, et non *ductore*, quod prætulerunt recentiores, persuadent Mss. Vatic., Norm., Turon., Rhem., etc., consentiuntque priora Ed.

[g] Non esse invitis præficiendum pastorem canones passim edicunt, suadet ratio. Cœlestinus, ad episcopos Galliæ: *Nullus invitis detur episcopus; cleri, plebis et ordinis consensus ad desiderium requiratur.* Leo I, epist. 84, num. 5: *Nullus invitis et non petentibus ordinetur, ne civitas episcopum non optatum*

nullo modo [h] canonibus respuatur; quatenus officium quod nefandissimus hominum male gerendo polluerat, quisquis ille cum Christi gratia fuerit ordinatus, ipso quoque suffragante, digna valeat administratione complere [i]. ( *Vide infra ep.* 9 *et* 10, *et lib.* x, *ep.* 62. )

## EPISTOLA VII.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Vices suas in Sicilia gerat, reservatis tamen maioribus causis.*

Gregorius [a] Maximiano episcopo Syracusano.

Mandata cœlestia efficacius gerimus, si nostra cum fratribus onera partiamur. Proinde super cunctas Siciliæ Ecclesias [b] reverendissimum te virum Maximianum fratrem et coepiscopum nostrum vice sedis apostolicæ ministrare decernimus, ut quisquis illic religionis habitu censetur, fraternitati tuæ ex nostra auctoritate subjaceat, quatenus eis non sit necessarium post hæc pro parvulis ad nos causis tanta maris spatia transmeando pervenire. Sed si qua fortasse difficilia existunt, quæ fraternitatis tuæ judicio nequaquam dirimi possint, hæc solummodo

*aut contemnat aut oderit, et fiat minus religiosa quam convenit, cui non licuerit habere quem voluit*, etc. Addi potest quod scribit sanctus Cyprianus epist. 68 : *Ordinationes sacerdotales non nisi sub populi assistentis conscientia fieri oportere, ut plebe præsente vel detegantur malorum crimina, vel bonorum merita prædicentur ; et sit ordinatio legitima et justa, quæ omnium suffragio et judicio fuerit examinata.* Quod confirmat ex Actis apostol. Vide epist. 29 lib. olim II, nunc III, ind. 11, circa medium, ubi quid sit in electionibus pastorum subtiliter pensandum veraci ac Christiano zelo describit. GUSSANV.

[h] In Norm., Corb. et nonnullis, *repellatur.* Qui ex canonibus respuendi sic a Gussanv. enumerantur : Respuuntur laici ante anni conversionem, respuuntur XXX annos nondum adepti, respuuntur curiales, et qui sæcularem gesserunt potestatem, respuuntur criminosi, neophyti, inviti, digami, qui corpore vitiati, qui imperiti, ignorantes canones, psalmos, et ex Turonensi III, et Cabillon. II, librum pastoralem sancti Gregorii ; illegitimi, schismatici, etc. Vide in Pontificali inhibitionem, ubi de ordine sacros ordines conferendi.

[i] In Turon. S. Gat. annotatur *Mense Octobri*, *indict.* 10.

EPIST. VII ( *Al.* 4 ). — [a] Joan. Diac., Vitæ sancti Gregorii, lib. II, cap. 11 et 12 : *Gregorius Magnus in pontificem electus . . . . . monachorum sanctissimos sibi familiares elegit : inter quos Maximianum monasterii sui abbatem, quem postea Syracusis episcopum fecit* (anno 591, ut ad diem Junii nonam probant Bollandiani ) *eique per Siciliam vices suas commisit.* De illo sanctus Gregorius, lib. III dialog., cap. 36, et hom. 34 in Evang. Ipsum anno 594 obiisse liquet ex epist. lib. V, cap. 17 et 22.

[b] Hic et alibi semper in mss. Codd. legitur, *reverentissimus* ; sic in prioribus Editionibus. Invaluit tamen nunc ut scribatur *reverendissimus*, sed non rectius secundum regulas grammaticorum ; nam *reverens* idem est ac qui honorem præstat ; *reverendus*, cui honor redditur. GUSSANV. Ratio quam profert vir doctus probat contra ipsius mentem legendum reverendissimus, non reverentissimus. At cum in Mss. passim legitur reverentissimus, non derivatur a *reverens*, *revcrentior*, quasi qui honorem plus cæteris præstet ; sed idem sonat ac reverendissimus, hoc est cui major debetur honor, usurpato *t* pro *d* ; quod sæpe fieri apud veteres non ignorant grammatici.

A nostrum judicium flagitent, ut sublevati de minimis, [c] in causis majoribus efficacius occupemur. Quas videlicet vices [d] non loco, sed personæ tribuimus, quia ex transacta in te vita didicimus quid etiam de subsequenti tua conversatione præsumamus. [e] Mense Decembri, indictione decima. ( *Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 25).

## EPISTOLA VIII.

### AD CANDIDUM EPISCOPUM.

*Ne ægrotanti Clerico consueta negentur stipendia.*

Gregorius Candido episcopo de urbe veteri.

Cum percussio corporalis (*Grat. q.* 1, *c.* 2), [a] utrum pro purgatione, an pro vindicta contingat, Dei in hoc **574** judicium ignoratur, non debet a nobis addi flagellatis afflictio, ne nos culpæ, quod absit, offensa respiciat. Et quia præsentium lator Calumniosus pro hac percussione quam sustinet consueta sibi commoda ab Ecclesia vestra asserit negari, idcirco fraternitatem tuam præsentibus hortamur epistolis quatenus nil eum ad percipienda quæ consueta sunt, hæc ægritudo [b] debeat impedire, quia diversis in Ecclesia militantibus, varia, sicut nosti, sæpe con-

[c] De causis istis non omnes concordant. Vulgo vocant *majores*, quæ ad universalis Ecclesiæ statum pertinent, ut sunt quæstiones de fide, canonisatio sanctorum, etc. Innocentius III, extra., lib. I, *De translatione episcopi*, cap. 1, reponit translationem illam inter causas majores, quæ secundum instituta canonica ad summum pontificem sunt perferendæ. Hic sanctus Gregorius per causas majores eas intelligit quæ, licet privatæ, alicujus tamen sunt momenti, nec satis Maximiano perviæ. Videat lector historiam sexti Carthaginensis concilii, et litteras synodicas ad Bonifacium et Cœlestinum. De causis majoribus apud Judæos, Josephus, lib. IV Antiq. Judaic., cap. 8 : Ἂν δ' οἱ δικασταὶ μὴ νοῶσι περὶ τῶν ἐπ' αὐτοῖς παρατεταγμένων ἀποφήνασθαι, συμβαίνει δὲ πολλὰ τοιαῦτα τοῖς ἀνθρώποις ἀκέραιον, ἀναπεμπέτωσαν τὴν δίκην εἰς τὴν ἱερὰν πόλιν, καὶ συνελθόντες ὅ τε ἀρχιερεὺς καὶ ὁ προφήτης καὶ ἡ γερουσία, καὶ τὸ δοκοῦν ἀποφαινέσθωσαν. Id est : Quod si judices nesciant de negotio ad se delato pronuntiare, sicut interdum accidit, in sanctam urbem causam integram relegent ; tum vero pontifex et propheta una cum senatu quod visum fuerit decernant. GUSSANV.

[d] Gregorius Petro subdiacono vices suas in Sicilia prius commiserat, lib. I, epist. 1. Easdem hic Maximiano demandat. Et quia dum Petrus hoc munere fungeretur, hoc personæ, non ulli loco alligatum erat ; eadem etiam conditione Maximianum vicarium suum instituit, ne ejus in sede Syracusana successores hunc honorem cathedræ datum præsumerent, eamdemque sibi auctoritatem vindicarent.

[e] Sic legitur in Colb. et Turon. S. Gat. In Vatic., *Mense Octobri.*

EPIST. VIII ( *Al.* 5 ). — [a] Recentiores Edit. addiderunt, *imminet* ; et paulo post, *et ideo.*

[b] Legitur hic textus extra., lib. III, *De Clerico ægrotante*, cap. 1, aliquot verbis immutatis. In digestis, *de statu liberis*, lib. XL : *Servire nobis intelliguntur etiam hi quos curamus ægros, qui cupientes servire, propter adversam valetudinem impediuntur.* Est quod lector notet ista verba, *cupientes servire*, et in nostra epistola, *in Ecclesia militantibus.* Siquidem Ecclesiæ commoda non nisi militantibus debentur, aut certe ita cupientibus, ut per eos non stet. Unde Justinianus, lib. I Cod., tit. 3, § 10 : *Sancimus ut omnes clerici per singulas Ecclesias constituti, per seipsos psallant nocturna, et matutina, et vespertina, ne ex sola ecclesiasticarum rerum cunsumptione clerici*

tingit infirmitas. Et si hoc fuerint exemplo deterriti, nullus de cætero qui Ecclesiæ militet poterit inveniri, sed secundum loci ejus ordinem quæque ei, si sanus esset, poterant ministrari, de ipsa exiguitate, quæ Ecclesiæ potest accedere, fraternitas tua divini contemplatione judicii ægrotanti præbere non desinat, quatenus in hujus rei administratione ad eleemosynam potius videaris quæ sunt consueta exsolvendo convertere. (*Vide sup. l.* I, *ep.* 12; *Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 33.)

## EPISTOLA IX.

### AD NEAPOLITANOS.

*Paulum experiantur diutius; humili charitate ipsi jungantur; quem tandem, si fructum animarum fecerit, atque ita Deus inspiret, episcopum obtinebunt.*

Gregorius ordini et plebi consistenti Neapoli.

Quale [a] de Paulo fratre et coepiscopo nostro habeat charitas vestra judicium, directa a vobis relatio patefecit. Quem quoniam ita estis in paucis diebus experti, ut eum cardinalem habere desideretis episcopum, gratulamur. Sed quia summis in rebus cium non oportet esse consilium, et nos quid fiendum sit matura subinde, Christo adjuvante, deliberatione disponimus, et vobis melius tractu temporis qualem se exhibeat innotescit. Ideoque, filii dilectissimi, prædicto viro, si eum vere diligitis, obedite, devotisque ad eum mentibus occursione pacifica convenite, quatenus ita **575** vos ad alterutrum dilectio *appareant, nomen quidem habentes clericorum*, etc. Gussanv. Quæ fuerit sancti Gregorii mens de presbyteris infirmis adhuc aperit infra, maxime lib. IV, epist. 13. Clementio, ubi de Adeodato infirmitate laborante agitur.

Epist. IX (*Al.* 6). — [a] Paulus hic videtur fuisse episcopus Nepesinus, ex epist. 26 hujus lib. In epist. 15: *Festinat ad suam Ecclesiam reverti.* Indict. XI, epist. 1, gravem injuriam passus est Neapoli. Epist. 2, eum consolatur sanctus Gregorius. Epist. 35, conceditur illi ut ad propriam remigret Ecclesiam, scilicet post Demetrii depositionem, de quo epistola 6 libri hujus. Paulus illuc missus fuerat, qui visitatoris seu interventoris munus exerceret: hunc Neapolitani desiderabant habere cardinalem; abnuit sanctus Gregorius, et quidem secundum canones, caus. 7, quæst. 1, cap. *Constitutum*, ex Carthag., in hæc verba: *Nulli intercessori sive interventori sit licitum cathedram, cui intercessor datus est, quibuslibet populorum studiis et seditionibus retinere, sed dare operam ut intra annum eisdem provideat episcopum; quod si neglexerit*, etc. Glossa addit: *Prohibetur eligi, ne possit alienari.* Sic tutor prohibetur ducere pupillam. Gussanv. Non satis advertit Gussanv. Gregorium minime abnuere, sed tantum moram postulare, ut longiori et maturiori experientia exploret utrum e re Neapolitanorum sit Paulum ipsis episcopum ordinari.

Epist. X (*Al.* 7). — [a] Ita legitur in omnibus exemplaribus tam mss. quam editis. Paulus tamen iste erat tantum visitator Ecclesiæ Neapolitanæ, ut infra legere est, epist. 15 et 26. Ex hoc autem exemplo facile refellitur Alteserræ sententia de cardinalibus episcopis, quos censet ad tempus tantum datos, et visitationis gratia solum concessos; nam eumdem Paulum Nepesinum episcopum sanctus Gregorius et visitatorem Ecclesiæ Neapolitanæ concedit, et tamen statim fieri episcopum cardinalem abnuit.

[b] Dura verba quibusdam pastoribus, qui suas diœceses et parœcias quasi Scythicas solitudines exosi, assiduitatem instar exsilii ac deportationis mutuæ charitatis astringat, ut inimicus sæviendo circumvolans in nullo vestrum viam nanciscatur ad dissociandam unanimitatem qua subrepat. Præfatum quoque episcopum dum fructum animarum, quem desideramus, Deo nostro, ipso quoque suffragante, facere senserimus, quidquid post hæc de ejus persona vestroque desiderio cordi nostro inspiratio divina ministraverit, faciemus.

## EPISTOLA X.

### AD PAULUM EPISCOPUM NEAPOLIT.

*Sic interea fungatur episcopalibus muniis, ut Neapolitanorum testimonia et vota firmentur.*

Gregorius Paulo episcopo [a] Neapolitano.

Si sacerdotale, quod suscepimus, secure ministramus officium, et divinum adjutorium, et dilectio nobis spiritalium aderit sine dubio filiorum. Propterea ita se fraternitas tua in cunctis studeat exhibere, quatenus testimonium quod de ea Neapolitanæ civitatis clerus, nobilitas, simul habet et populus, bonitatis tuæ roboretur augmento. Sic ergo te in præfati populi adhortatione [b] assidua debes occupatione constringere, ut verbi tui fructum, quem ex eis fueris operatus, in suis horreis divinus condat agricola. Quousque vero de iis quæ a nobis prædicti filii nostri fienda depostulant, revelante Domino, deliberare possimus, [c] clericos ex laicis ordinari, necnon et [d] manumissiones apud te in eadem Ecclesia solemniter celebrari concedimus. Consuetudinem habent, Sittii imitatores qui in patria sua manere jussus se credebat exsulem, ut refert ex Appiano Espensæus. Sardic. concil., can. 14: *Si quis laicus, in qua commoratur civitate tres Dominicos dies, id est per tres septimanas non celebrasset conventum, communione privetur.* Si hæc circa laicos constituta sunt, multo magis pastori nec licet nec decet, etc. Addit sanctus Gregorius populi adhortationem, id est ministerium verbi cum assiduitate dispensandum, dicente Paulo: *Væ mihi, si non evangelizavero; necessitas enim incumbit.* Gussanv.

[c] Ad hæc verba Gussanvillæus de tonsura clericali fusissime disserit; sed cum parerga esse quæ congessit et colligit, ipsemet non diffiteatur, ea resecanda duximus, quorum vice legenda nota 660 nostri Hugonis Menardi in librum Sacramentorum. Porro tonsura clericalis distingui debet a ritu tondendæ solemniter capillaturæ, de quo in libro Sacramentorum, col. 234, ubi legitur *oratio ad capillaturam*, scilicet tondendam, ad quem consule notam 901 et seq. Noster Mabillonius, in præfat. ad tertium sæculum Benedictinum, § 19, non assentitur Morino, qui, exercitat. 15, *de sacris ordinationibus*, cap. 3, existimat tonsuram clericalem, nonnisi cum ordine lectoratus aut ostiariatus conferri solitam, nec seorsim dari cœptam esse ante sæculum septimum, quam sententiam amplecti videtur Gussanv.

[d] Manumissiones ut in Ecclesia fierent indulsit Constantinus Magn. Cod. lib. 1, tit. 13: *Jamdudum placuit ut in Ecclesia catholica libertatem domini suis famulis præstare possint, si sub aspectu plebis, assistentibus Christianorum antistitibus, id faciant, ut propter facti memoriam vice actorum interponatur qualiscunque scriptura, in qua ipsi vice testium signent.* Sanctus Augustinus, serm. 21: *Servum tuum manumittendum manuducis in Ecclesiam. Fit silentium, recitatur libellus, aut fit desiderii tui prosecutio. Dicis te servum tuum manumittere, quod tibi in omnibus servaverit fidem.* Exstat inter Ennodii opuscula petitorium, quo Gerontius servus a domino suo apud episcopum absolvitur.

dines autêm clerici suprascriptæ Ecclesiæ et presbyterorum te volumus sine cunctatione persolvere. In cujus etiam instructione ita diligenter invigila, quatenus ab incongruis vel illicitis omnibus abstinentes, in Dei nostri servitio digno obsecundationis ministerio, te quoque hortante, consistant. [c] Mense Januario, indictione decima. (*V. infra, ep.* 15.)

## 576 EPISTOLA XI.

AD NEPESINOS.

*De Leontio illuc transmisso, ut ei obediant.*

Gregorius clero, ordini, et plebi consistenti [a] Nepæ.

Leontio viro clarissimo præsentium portitori curam sollicitudinemque civitatis injunximus, ut in cunctis invigilans, quæ ad utilitatem vestram, vel Reipublicæ pertinere dignoscet, ipse disponat. Ideoque dilectionem vestram scriptis præsentibus admonemus, quatenus ei exhibere obedientiam in omnibus debeatis, nec quisquam vestrum eum pro vestra utilitate tractantem existimet contemnendum : quia [b] quisquis incongrue ordinationi ejus restiterit, nostræ resultare dispositioni cognoscetur. Quicunque vero eum in iis, quæ supra retulimus, audierit, nos audiet. Si quis autem, quod non credimus, eum post hanc admonitionem nostram contemnendum putaverit, ad suum procul dubio sciat pertinere periculum.

## EPISTOLA XII.

AD CASTORIUM EPISCOPUM ARIMINENSEM.

*De oratorio sanctæ crucis consecrando.*

Gregorius Castorio episcopo de Arimino.

Timothea illustris femina petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, intra civitatem Ariminensem in loco juris sui oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem sanctæ crucis desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ civitatis jure memorata constructio consistit, [a] et nullum corpus **577** ibidem constat humatum esse, percepta primitus donatione legitima, id est totius facultatis ejus, excepta familia, [b] mobilium vel immobilium seque moventium [c] unciis octo, retento sibi usufructuario diebus vitæ suæ, [d] gestisque municipalibus alligata, prædictum [e] oratorium [f] absque missis publicis solemniter consecrabis, ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Et si missas forte maluerit [g] fieri ibi, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum,

[c] Ita Colbert. vet. et Turon. S. Gat.

Epist. XI (*Al.* 8). — [a] Nepa, melius Nepet, vulgo *Nepi*, urbs Etruriæ olim episcopalis, Romam inter et Viterbium sita. Ejus sedes episcopalis Sutrio juncta est.

[b] Excusi, *quisquis congruæ ordinationi*. De verbo *resultare*, quod sequitur, lege notam *d* ad epist. 21 libro I.

Epist. XII. — [a] Ubi Gregorius Magn. de oratoriis dedicandis agit, conditiones quinque postulare solet; nempe, ut nullum corpus in eo loco sit humatum, ut dos sufficiens assignetur, ut nullum ibi constituatur baptisterium, nullus etiam presbyter cardinalis, ac proinde nullæ ibidem missæ publicæ celebrentur, quas celebrare solis licebat presbyteris cardinalibus, id est titulo perseveranter affixis.

[b] Supra, de cimeliis, epist. 20 lib. I. Gussanv.

[c] Duæ tertiæ, *les deux tiers*. Hæc epistola fere tota legitur cap. 15 epist. 7 Zachariæ papæ ad Pippinum et episcopos Galliæ. Gussanv.

[d] Actis judicii, *un acte en bonne forme*. Aliqui distinguunt inter *gesta* et *facta*, ut Accursius; negat Alciatus, in comment de verbor. signific., leg. 19. Consentit Bartolus, ex communi loquendi usu nihil hæc differre. Singulis porro municipiis oppidisve olim suus erat tabellio, vel notarius publicus, qui donationes et testamenta privatorum, ac cæteras municipum dispositiones scribebat, excipiebatve, et in acta referebat, quæ ob eam causam gesta municipalia vocabantur. Gussanv. Eadem cautione usus est Gregorius infra, lib. IX, epist. 70 et 85, et lib. XII, epist. 11. In uno Vatic., et in Norm., Corb., Regis, etc., pro *municipalibus*, legitur *mancipalibus*.

[e] De oratoriis eorumque consecratione lege de consec. dist. primam. Cuique fas domi oratorium habere; missas ibi celebrare non licet, ne aliorum impediatur justitia, cap. *Patentibus*, extra de privilegiis. Possunt episcopo permittente missæ in oratoriis quandoque celebrari, non tamen in præcipuis festivitatibus, Agath., can. 21; Arvernense, can. 15. Hic prohibet sanctus Gregorius ne presbyter in oratorio constituatur cardinalis. Intelligo parochum qui parœciam, sive, ut loquitur Aurelianense IV, can. 33, diœcesim habeat regendam. Ideoque et vetitum construi baptisterium. Gussanv. Vide lib. IX, epist. 70 et 84.

[f] Non excludit privatas, quas hæretici tanto impugnant molimine. Quam autem ob causam missas in oratorio publicas prohibeat celebrari, paucis dixero. Una est Ecclesia catholica, quæ ex singulis particularibus coalescit, eodem vivens spiritu, iisdemque sub eodem pastore communicans sacramentis; quæque Ecclesia particularis una est, quæ suo modo generalem illum sanctorum fidelium communionem repræsentat, pastorem habens proprium, a quo regi debeant membra singula, foveri, ac nutriri. Ita Christus edixit, apostoli docuere, sanxerunt concilia, suadet ratio, mos inolevit. Hinc totius populi Christiani in eumdem locum frequentes et solemnes statis diebus conventus, preces communes, liturgia eadem, eadem concio, et sacramenta eodem ritu, eadem manu dispensata. Verebatur itaque sanctus Gregorius ne per alias missas extra matrem Ecclesiam celebratas, distractis populis, unitas tam sancta solveretur. Eadem Sardicensis concilii can. 15 mens fuerat, quo cavetur ut episcopus, si quando *necesse est eum ruri morari*, accedat ad proximum locum in quo presbyter est, ne sine Ecclesia videatur facere diem Dominicum. Theodulfus consentit in capitulis, cap. 45 et 46 : *Ne populus a publicis missarum solemnibus abstrahatur .... sed sive sacerdotes..... sive populus, in unum ad sanctam matrem Ecclesiam ad publicam missarum celebrationem conveniant*. Vide quid distet inter conventus et conventicula apud auctores melioris notæ; quid de alterius parochiano ad missam non admittendo statuerit Nannetense concilium, c. 1; quid Agathense, c. 21, intelligat per ordinarium legitimumque conventum. Fere exciderat vox *processiones*, de qua dist. 24, c. *Presbyteri*, et de cons., dist. 1, c. *Certum*, et cætera præcepta. Ex quibus liquet concursum populi non passim ad quæque loca permittendum. Concursus autem ille populi per processionem exprimitur, et per populorum frequentiam seu conventum, quod utinam advertissent qui de processionum antiquitate disputant. Cæterum missas publicas intellige ad quas cum Pastore suo plebs debuit convenire. Gussanv. Alias prorsus rationes profert sanctus Gregorius, dum missas publicas in monasteriis fieri vetat. Vide lib. IV, epist. 43.

[g] In Vulgatis, *fieri sibi*; et infra, *nihil alias*, pro *nihil aliud*. Sequimur Cod. Vatic., Norm., Corb., etc.

quatenus nihil aliud a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur. [b] Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis

## EPISTOLA XIII.

AD IMPORTUNUM EPISCOPUM ATTELLANUM

*Suffraganeum episcopum monet de presbytero a se, ut in quadam diœcesis illius ecclesia præsit, deputato.*

Gregorius [a] Importuno episcopo Attellano.

Ea quæ provide disponuntur, fraternitatem tuam credimus libenter amplecti. Et quia ecclesiam sanctæ Mariæ [b] Campisonis in tua [c] parochia positam, presbytero vacare cognovimus, præsentium portitorem Dominicum presbyterum **578** in eadem ecclesia ut præesse debeat, [d] nos certum est deputasse. Ideoque fraternitas tua ei emolumenta ejusdem ecclesiæ faciat sine cunctatione præstari, et [e] decimæ fructus indictionis, qui jam percepti sunt, prædicto viro fac sine mora restitui, quatenus ejusdem ecclesiæ utilitates, cujus emolumenta consequitur, Deo adjutore, sollicite valeat procurare.

## EPISTOLA XIV.

AD JOANNEM EPISCOPUM VELITRANUM.

*Episcopi sedes in tutiorem locum transfertur.*

Gregorius Joanni episcopo [a] Velitrano.

Temporis qualitas (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 44) admonet

[b] Hic reliquias intelligo et sacra lipsana, sine quibus tunc temporis vix ullum consecrabatur altare, ut de consec., dist. 1, videre est. Eadem est clausula epistolæ 5, supra.

EPIST. XIII (*Al.* 10). — [a] Is esse videtur Importunus Attellanæ civitatis episcopus, de quo epist. 77 lib. IX, indict. 2.

[b] Irrepserat in excusos *quondam* ante *Campisonis*, quod, cogentibus Mss., expunximus.

[c] Ita legitur in Mss. et Editis omnibus, melius tamen *paræcia*, quam pro diœcesi, et vicissim diœcesim pro paræcia passim usurpari sciunt quotquot veterum monumenta legerunt. Multis id testimoniis probat Joan. Filesacus initio libri de paræciarum Origine, ubi meminit canonis 21 ex Tolet. III: *Multorum querela hanc constitutionem exegit, quia agnovimus episcopos per parochias suas non sacerdotaliter, sed crudeliter desævire.* Lego apud Gregorium Turon., Hist. lib. V, cap. 5, quemdam episcopum habuisse sub se XV diœceses. Et Adhelmus, de Laudibus virginitatis vocat Ecclesiam catholicam Ecclesiæ parochiam. Itaque non pugnandum de nomine. GUSSANV. Jam vero unde paræciæ nomen habuerit diœcesis episcopi, aut curionis districtus, disserit Cangius in Glossario.

[d] Prius lectum, *nos scito deputasse*. Ex eo loco concludit Binius, ad marginem epistolæ, papam in aliena diœcesi conferre beneficia: quæ beneficia, quo diplomate, quo jure, an invito episcopo, quibus in locis, non explicat. Et vero constat jure canonico antiquo clericos cujusque diœcesis a suo episcopo cum cleri et plebis assensu ordinatos esse, atque adeo illis beneficia quædia tunc erant decreta, sive jus stipendiorum ecclesiasticorum concessum. Laudo conc. Antioch., c. 9 et 22, et Carthag. IV, can. 22. Ordinationes a metropolitanis in episcoporum subditorum diœcesibus aliquoties tentatas et factas legimus, sed ista seu tentamenta seu facta secundum canones expendimus, ut non sint in destructionem, sed in ædificationem. Crediderim sanctiss. pontificem, juris ut erat communis vindex acerrimus, justa quadam et peculiari ratione motum, ut ecclesiæ, fortasse diutius quam par erat vacanti et neglectæ, presbyterum destinasse, deputasse, et quidem ut ait, *provide*, cum certus esset episcopum non repugnaturum, populum non reclamaturum, clericos non iri offensum. GUSSANV. Videsis Thomassinum, parte II, lib. I, c. 41, et Alteserram in hunc locum, ubi censet ea ætate a pontifice extra ordinem collata minora beneficia; utiturque testimonio Joannis Sarisber., epist. 230, qui tamen multis sæculis Gregorio nostro junior fuit. Addit: *Collationi beneficiorum injecta est manus a Rom. Pontif., ex quo pronuntiatus est ordinarius ordinariorum in concil. gener. Lateran., cap.* 5.

[e] Idem est ac si diceret, fructus anni labentis jam percepti. ALTES.

EPIST. XIV (*Al.* 11). — [a] Velitræ, vulgo *Veletri*, urbs Campaniæ in via Appia, Roma distans viginti millibus, nunc adhuc episcopalis, cujus sedes juncta est Ostiensi.

[b] Translatio episcopalium sedium non potest fieri sine auctoritate summi pontif., quia est de majoribus causis. Sic Cenetensis Ecclesia, quia posita erat loco intuto et infesto incursionibus Tervisinorum, in tutiorem locum translata, auctoritate Innocentii III. Testis ipse Innocentius, lib. II, epist. 8. Translatio etiam sedium episcop. non fit sine consensu principis..... Sic Ecclesia Magalonensis e Magalonæ insula Montempessulanum translata est, an. 1536, consensu summi pont. et Francisci I regis. ALTESERRA.

[c] Sic in omnibus Mss. et Editis sancti Gregorii epistolis. Apud Ivonem: *consuetudinem festorum solemnium disponas.* Sic etiam apud Burchardum. Joannes Diaconus ita, *consuetudine solemnium festa disponas.* (In decreto Grat., *consuetudinem solemnium festive disponas*) Ut ut scribatur, sententia est eadem, quam sic exprimo: In festis præcipuis et solemnioribus ad ecclesiam matricem ex tota diœcesi confluebant clerici et laici, quod pluribus conciliorum canonibus cautum est. Profero Agath., can. 21; Arvern., can. 15; Aurel. I, can. 23; Aurel. IV, can. 3, etc. Itaque mutato sedis loco non jam in priori civitate festa disponebantur, sed ad sanctum Andream in Ilatenata publicus omnium fidelium conventus indici debuit, ut festivitates præcipuas cum suo celebrarent episcopo. GUSSANV.

[d] Sic legitur in Turon. S. Gat.

A [b] episcoporum sedes antiquitus certis civitatibus constitutas, ad alia, quæ securiora putamus, ejusdem diœceseos loca transponere, quo et habitatores nunc degere, et barbaricum possint periculum facilius declinare. Propterea te Joannem fratrem coepiscopum que nostrum Velitrensis civitatis, sedemque tuam in locum qui Harenata dicitur ad sanctum Andream apostolum præcipimus exinde transmigrare, quatenus et ab hostilitatis incursu liberior existere valeas, et illic [c] consuetudinem solemnium festa disponas. [d] Mense Februario, indict. 10. (*Cf. Joan. Diac., l.* III, *c.* 17.)

## **579** EPISTOLA XV

AD PAULUM EPISCOPUM.

B *Paulum, cui Neapolitanam Ecclesiam commiserat, de reditu citius cogitantem, ut ibi perseveret hortatur De Petro diacono respondet, nihil illi timendum nullumque apud se fore locum subreptioni.*

Gregorius Paulo episcopo.

Ad hoc fraternitatem tuam Neapolitanæ Ecclesiæ ad præsens præesse constitui, ut quosque potuisses, suasoria ad Deum prædicatione converteres. Et dum tota te oporteat hoc intentione peragere, priusquam hunc Domino fructum opereris, reverti festinas petisque a me ut celeriter eamdem debeam Ecclesiam

C Sarisber., epist. 230, qui tamen multis sæculis Gregorio nostro junior fuit. Addit: *Collationi beneficiorum injecta est manus a Rom. Pontif., ex quo pronuntiatus est ordinarius ordinariorum in concil. gener. Lateran., cap.* 5.

[c] Idem est ac si diceret, fructus anni labentis jam percepti. ALTES.

EPIST. XIV (*Al.* 11). — [a] Velitræ, vulgo *Veletri*, urbs Campaniæ in via Appia, Roma distans viginti millibus, nunc adhuc episcopalis, cujus sedes juncta est Ostiensi.

[b] Translatio episcopalium sedium non potest fieri sine auctoritate summi pontif., quia est de majoribus causis. Sic Cenetensis Ecclesia, quia posita erat loco intuto et infesto incursionibus Tervisinorum, in tutiorem locum translata, auctoritate Innocentii III. Testis ipse Innocentius, lib. II, epist. 8. Translatio etiam sedium episcop. non fit sine consensu principis..... Sic Ecclesia Magalonensis e Magalonæ insula Montempessulanum translata est, an. 1536, consensu summi pont. et Francisci I regis. ALTESERRA.

D [c] Sic in omnibus Mss. et Editis sancti Gregorii epistolis. Apud Ivonem: *consuetudinem festorum solemnium disponas.* Sic etiam apud Burchardum. Joannes Diaconus ita, *consuetudine solemnium festa disponas.* (In decreto Grat., *consuetudinem solemnium festive disponas*) Ut ut scribatur, sententia est eadem, quam sic exprimo: In festis præcipuis et solemnioribus ad ecclesiam matricem ex tota diœcesi confluebant clerici et laici, quod pluribus conciliorum canonibus cautum est. Profero Agath., can. 21; Arvern., can. 15; Aurel. I, can. 23; Aurel. IV, can. 3, etc. Itaque mutato sedis loco non jam in priori civitate festa disponebantur, sed ad sanctum Andream in Ilatenata publicus omnium fidelium conventus indici debuit, ut festivitates præcipuas cum suo celebrarent episcopo. GUSSANV.

[d] Sic legitur in Turon. S. Gat.

ordinare, dum meus non sit animus in hac re otio- A sus. Sed quia utilitates ejus summa cupio firmitate vallare, diuturna de hoc necesse habeo deliberatione tractare, ut eam digni possam ordinatione, Christo revelante, disponere. Interea ergo fraternitas tua ita invigilare animarum lucris studeat, ut judicium quod de te habeo, operationis tuæ roboretur effectu. De persona vero Petri diaconi quæ scripsisti, omnia mihi Theodorus vir consularis nunc indicavit. Et ideo postquam tibi adhærere et ecclesiasticis eum utilitatibus tua testificatione studere cognovi, nullius debet adversitatem vel inimicitias formidare; sed quanto sibi alios invidere perpendit, tanto vigilantius, ut ei nihil nocere valeant, in utilitatibus Ecclesiæ, et Dei servitio perseveret. Fraternitas autem tua pro ejus persona post hoc non debet esse su- B specta, quia apud me [a] nulla subreptio locum inveniet.

## EPISTOLA XVI

AD MAXIMIANUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Paulinum Taurianensem episcopum Ecclesiæ Liparitanæ præficit.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Locis [a] munitis Ecclesia constituta pastoris vacare non debet officio. Quia igitur Ecclesia **580** Liparitana sacerdote privata dignoscitur, ideo Paulinum Taurianensis Ecclesiæ episcopum in prædicta Ecclesia Liparitana fraternitas tua sine mora præesse constituat, ut officii sui administrationem in eadem Ecclesia vigilanter exhibeat, et quæque ejus utilitatibus convenire didicerit, ordinare non desinat. Cunctumque clerum ut in omnibus canonice ei obedire C debeat admoneas, quatenus præfatæ Ecclesiæ in cunctis utilitas, prædicto fratre et coepiscopo nostro disponente, Christo adjuvante procurari valeat [b].

## EPISTOLA XVII.

AD PAULINUM EPISCOPUM.

*In Liparitana Ecclesia resideat, Taurianensem vero opportuno tempore visitet.*

Gregorius [a] Paulino episcopo

Scire te volumus quia Maximiano fratri et coepiscopo nostro scripsimus ut fraternitatem tuam Ecclesiæ [b] Liparitanæ ex nostra auctoritate præesse constituat. Cui te modis omnibus obedire necesse est, ejusque te Ecclesiæ [c] utilitatibus præcipimus decenter insistere, et quæque ejus commoditatibus agnoveris oportere, te volumus sine cunctatione peragere. Ecclesiam vero Taurianensem, quoties opportunum tempus credideris, visitabis. Ita ergo fraternitas tua hæc omnia implere festinet, ut et sui præsentia Liparitanam salubriter disponat Ecclesiam, B et visitationis studio Taurianensem [d] Ecclesiam congregare et fovere non desinat. [e] Data mense Martio, indictione decima.

## EPISTOLA XVIII.

AD NATALEM EPISCOPUM SALONITANUM.

*Increpato de assiduis conviviis Natali, ut Honoratum archidiaconum suo loco restituat jubet.*

Gregorius Natali episcopo Salonitano.

Multis ab urbe tua venientibus, frater charissime, didici, pastorali cura derelicta, solis te [a] conviviis occupatum (*Grat. dist. 44, c.* 5). Quæ audita non crederem, **581** nisi hæc actionum tuarum experimentis approbarem. Nam quia nequaquam lectioni studeas, nequaquam exhortationi invigiles, sed ipsum quoque usum ecclesiastici ordinis ignores, hoc est in testimonium quod eis sub quibus es positus reverentiam servare nescis. Cum enim sanctæ memoriæ decessoris mei fueris scriptis prohibitus ne contra Honoratum archidiaconum tuum dolorem tam longæ

Epist. XV (*Al.* 12). — [a] De hac sanctus Bernardus, lib. II de Consid., cap. 14 : *Est vitium, cujus si te immunem sentis, inter omnes quos novi ex his qui cathedras ascenderunt, sedebis me judice solitarius..... facilitas credulitatis hæc est, cujus callidissimæ vulpeculæ magnorum neminem comperissatis cavisse versutias. Inde eis ipsis pro nihilo iræ multæ, inde innocentium frequens addictio, inde præjudicia in absentes.* Ita sanctus Bernardus. Attendant potentes, animadvertant præsules, caveant singuli. Per *subreptionem* autem et *obreptionem* quid sit intelligendum, videat D lector jurisperitos et canonistas : est per mendacem narrationem aliquid extorquere et quasi furari. Rescripta ab illis impetrata funditus non valent. Vide in epist. 6 lib. II, indict. 9 : *Indiscussis petitionibus non credentes.* Vide eumdem Gregorium, lib. I Dial., cap. 4, ubi declarat sibi ipsi posse surrepi, et pontificibus, *quia fallimur qui homines sumus, qui prophetæ non sumus; et quid mirum si ore mentientium aliquando in aliud ducimur?* Gussanv.

Epist. XVI (*Al.* 26). — [a] Excusi, *locis inimicis.* Sed legendum ut in Mss. *locis munitis.* Aliis autem in locis, quæ scilicet hostium incursibus aperta erant, dispersis ovibus, ipsi ad fugam cogebantur pastores. Vide epist. libri hujus 17 et 50. In nonnullis tamen Mss. maxime in Vatic. legitur *locis minutis.*

[b] In Tur. S. Gal. : *Data pridie Kalend. Martiis, indict.* 10.

Epist. XVII (*Al.* 13). [a] Paulinus appellatur episcopus Tauri lib. I, epist. 41, ubi Taurianenses monachos *occasione dispersos barbarica* legimus. Epist. vero 40, Paulinum ipsum episcopum in Sicilia peregrinum, quod forte Tauriani, cujus Ecclesiam dispersam supponit Gregorius, commorari non liceret. Inde Taurianensem Ecclesiam *congregare et fovere visitationis studio* Paulinus jubetur; Liparitanam vero, in qua *securius resideret, sui præsentia disponere.*

[b] Lipara hodie etiam sic dicta, insula Æoliarum præcipua, cum urbe episcopali cognomine sub archiepiscopo Messanensi, XXX mill. pass. ab ora Siciliæ D in Boream. Gussanv.

[c] Legerat in sancti Benedicti reg., cap. 24 : *De abbate* (quod etiam de aliis prælatis est intelligendum) *sciat sibi oportere prodesse magis quam præesse.*

[d] Pastoris est oves congregare; lupi, dispergere.

[e] Ita duo Teller. et Colbert.

Epist. XVIII (*Al.* 14).— [a] Vide Espensæum, lib. II Digressionum in I Tim., cap. 14, ubi de episcopo vinolento disputat; et conc. Trid., sess. 25, de reform., cap. 1; et Mediol. I, de mensa episcopi. Gussanv. De Natali, vide epist. 19 et 20 lib. I, et duas quæ hanc sequuntur. De epulis se excusavit Natalis, cui respondit sanctus Gregorius epist. 52, olim 37. Sanctus Martinus, teste Sulpicio, dial. 1, n. 17, nunquam consensit Vincentium præfectum omni virtutum genere præstantissimum convivio excipere; e contrario sanctus Ambrosius consules et præfectos pascere ferebatur, ut ex eodem Sulpicii testimonio liquet.

ingratitudinis in corde retineres, [b] cumque et a me hæc tibi summopere fuerint interdicta, et mandata Dei negligens, et scripta nostra contemnens, præfatum Honoratum archidiaconum tuum, quasi [c] ad fortiorem honorem provehens, conatus es callida arte degradare. Unde actum est ut eo archidiaconatus loco summoto alium accerseres, qui tuis moribus obtemperare potuisset, cum præfatus vir pro nulla tibi re, ut arbitror, displicuit, nisi quod [d] vasa sacra et velamina tuis te parentibus dare prohibebat. Quam causam subtili voluimus et nunc ego, et tunc sanctæ memoriæ decessor meus, indagatione discutere; sed tu, tuorum tibi actuum conscius, personam ad judicium instructam transmittere distulisti. Proinde fraternitas tua, vel post frequentatam toties admonitionem a culpæ suæ errore resipiscat, et præfatum Honoratum in suum, mox ut mea scripta susceperit, locum suscipiat. Quod si forte facere distuleris, usum tibi pallii, qui ab hac sede concessus est, noveris esse sublatum. Si vero, etiam amisso pallio, in eadem pertinacia adhuc persistis, dominici corporis ac sanguinis te scias participatione esse privatum. Post quæ jam necesse est ut causas tuas subtilius indagantes, an in episcopatu ipso persistere debeas, summa cura atque inquisitione debeamus tractare. Eum vero (*Grat.* 7, 41, *c.* 40) qui contra justitiæ regulam, [e] ad locum alterius se provehi consensit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponimus. Qui si ulterius in loco eodem ministrare præsumpserit, se [f] participatione communionis sacræ noverit esse privatum. Tu igitur, frater charissime, nequaquam nos amplius provoces, ne duros valde in asperitate sentias, quos erga te positos in charitate contemnis. Restituto igitur loco suo Honorato archidiacono, instructam personam sub festinatione transmitte, qui mihi hoc debere ex ratione fieri suis possit allegationibus demonstrare. Eumdem namque archidiaconum ad nos venire decrevimus, ut quidquid justum, quidquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali **582** amore defendimus, sed auctore Deo, normam justitiæ, postposita cujuslibet personæ acceptione, custodimus. (*Cf. Joan. Diac., lib.* III, *c.* 34.)

## EPISTOLA XIX.

### AD UNIVERSOS DALMATIÆ EPISCOPOS.

*Quid in causa Natalis et Honorati actum sit explicat.*

Gregorius universis episcopis per Dalmatiam constitutis.

Fraternitatem vestram licet desideremus scriptis discurrentibus frequenter visitare, tamen præterea cum res exigit, utraque cupimus negotia [a] unius occasione persolvere, ut et fraternos de visitatione relevemus animos, et quæ superveniunt, ne mentem possint ignorata confundere, subtilius [b] explicare. Frater itaque noster [c] Natalis Salonitanæ civitatis episcopus, cum Honoratum archidiaconum sedis suæ ad ordinem presbyteratus vellet provehere, ac deinceps ille [d] ad sublimiorem gradum crescere declinaret, a sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione poposcerat ne ad hunc ordinem invitus accederet. Hoc enim fieri sibi non provehendi gratia, sed causa [e] ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc jam sanctæ memoriæ decessor noster scripta Natali frater coepiscopoque nostro direxerat, interdicens ne prædictum Honoratum archidiaconum invitum proveheret, neve dolorem conceptæ ingratitudinis in corde retineret. Cumque et a [f] nobis, et hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solum mandata Dei negligens, sed et scripta nostra contemnens, præfatum archidiaconum, ut dicitur, contra morem, quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus est callide degradare. Unde actum est ut eo de archidiaconatus loco submoto, [g] alium arcesseret, qui in loco depositi Archidiaconi ministraret. Quem scilicet Honoratum arbitramur antistiti suo propterea displicere potuisse, [h] quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibebat. Quam causam, et tunc sanctæ memoriæ

[b] Ita legitur in Mss. Vatic., Norm., etc., etsi Excusi habeant : *cumque a me sæpe correptus fueris, et hæc tibi summopere*, etc.

[c] Archidiaconatus munia implere tunc non licebat presbytero. Hinc promotus ad presbyterium Honoratus archidiaconi gradu excidisset, amplissimaque fuisset spoliatus potestate. Ea ratione Sidonius de Joanne Cabillonensi episcopo scribit, epist. 25 lib. IV : *Post, laborum temporumque processu, archidiaconus, in quo seu gradu seu ministerio multum retentus propter industriam, diu dignitate* (Presbyterali) *non potuit augeri, ne potestate* (archidiaconi) *posset absolvi.*

[d] Supra monuimus diaconorum et maxime archidiaconi curæ mandatam fuisse rerum sacrarum custodiam et ecclesiasticorum bonorum administrationem, quod tamen in Orientalibus Ecclesiis non viguisse sancti Joannis Chrysostomi temporibus probatur ex hom. 14 ejusdem sancti Doctoris in Acta apostolorum, ubi clare docet hoc munus fuisse presbyterorum.

[e] In Excusis, *in archidiaconatum alterius.*

[f] Ut hic et apud sanctum Cyprianum, non omnibus abstentis, *os, orare, vale, communio, mensa, negabatur.* Hinc concludunt plebanis seu parochis competere facultatem aliquam excommunicandi : quam quæstionem pluribus tractat Filesacus, de sacra episcoporum auctoritate, cap. 3. Sanctum Benedictum usum fuisse aliqua potestate excommunicandi, refert sanctus Gregorius, lib. II Dialog., cap. 23. Certe si presbyteris jus est pœnitentes arcere a communione, de verbis lis est. Legatur Theophili Alexandrini ad Menam responsio. GUSSANV.

EPIST. XIX (*Al.* 15). — [a] Sic Mss., ubi Editi habent, *negotii unius.*

[b] In recentioribus, *explicemus.* Sequimur Mss. Vatic., Norm., etc., necnon vet. Ed.

[c] In multis Codd. deest *Natalis.*

[d] Archidiaconus, juxta illorum temporum disciplinam, presbytero quovis minor erat ordine, gradu, dignitate, licet ministerii privilegiis et lucris, in rerum externarum administratione presbytero præpolleret. Hinc fortasse fuga presbyteratus; quo semel accepto, ab administratione feriandum erat

[e] Hoc est, quod gratus non foret.

[f] Editi, invitis Mss., *a nobis sæpe correptus fuerit, et hæc eidem*, etc.

[g] In Vulgatis, *asciscerat.*

[h] Aperit causam cur minime gratus esset, curve callide eum *degradare* voluerit episcopus; hoc est,

decessor meus, et nunc ego subtili voluimus indagatione discutere; sed is ipse sibi conscius, personam ad judicium postposuit destinare, ne actuum ejus discussa potuisset veritas apparere. Nos itaque tot jam scriptis admonitum, et hactenus pertinaciter obstinatum, scriptis iterum directis per præsentium latorem curavimus admonendum, quatenus Honoratum archidiaconum, **583** [i] conjungente statim præsentium latore, in pribre loco susciperet. Qui jam obdurato adhuc corde contumaciter ad eumdem revocare gradum si forte postponeret, usu eum pallii, qui ab hac sede concessus est, pro contumacia tot vicibus admissa privari præcipimus. Si vero etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseveraverit, a dominici quoque corporis ac sanguinis participatione submoveri. Æquum enim est ut asperos de justitia sentiat, quos erga se positos in charitate contemnit. Nos itaque nec nunc quidem a justitiæ, quam præfatus antistes despexit, semita deviamus; sed restituto in locum suum eo, cujus nobis culpa minime patuit, præcipimus Natalem episcopum instructam ad nos debere dirigere personam, quæ rectam ejus esse intentionem suis possit nobis allegationibus demonstrare. Nam et eumdem archidiaconum venire fecimus, ut quidquid justum, quidquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nullum namque pro personali amore defendimus, sed, auctore Deo, normam justitiæ, postposita cujuslibet acceptione personæ, custodimus.

## EPISTOLA XX.

### AD ANTONINUM SUBDIACONUM.

*Exposita iterum eadem causa, Antonino præcipit ut ad Honoratum loco suo restituendum Natalem hortetur : hunc, ni pareat, primum usu pallii, deinde communione privet. Restituto tandem Honorato, personam mittat episcopus; ipse vero archidiaconus Romam veniat, uterque causam dicturi. Advocatur etiam pro Malcho episcopo fidejussor.*

GREGORIUS ANTONINO SUBDIACONO.

Honoratus (*Grat. dist.* 74, *can.* 8), archidiaconus Ecclesiæ Salonitanæ, a sanctæ memoriæ decessore meo missa supplicatione poposcerat ut ab antistite suo invitus provehi ad fortioris gradus ordinem contra morem nullatenus cogeretur. Hoc enim fieri sibi non provehendi gratia, sed causa ingratitudinis perhibebat. Pro qua re tunc jam sanctæ memoriæ decessor noster scriptis suis Natali fratri coepiscopoque nostro interdixerat ne prædictum Honoratum archidiaconum invitum proveheret, neve dolorem conceptæ ingratitudinis diutius in corde retineret. Cumque et a me hæc eidem summopere fuerint interdicta, non solum mandata Dei negligens, sed scripta nostra contemnens, præfatum archidiaconum quasi ad fortiorem honorem provehens, conatus est arte callida degradare. Unde actum est ut eo de archidiaconatus loco summoto, alium arcesseret qui ejus obtemperare moribus potuisset. Quem Honoratum archidiaconum arbitramur antistiti suo aliunde displicere non potuisse, nisi quod eum vasa sacra suis dare parentibus prohibeat. Quam causam subtili voluimus, et tunc sanctæ memoriæ decessor meus, et nunc ego, indagatione discutere; sed is ipse suorum **584** sibi actuum conscius personam ad judicium postposuit destinare. Proinde experientiam tuam præsentis præcepti auctoritate duximus fulciendam, quatenus conveniens in Salonam, Natalem fratrem coepiscopumque nostrum saltem tot scriptis admonitum studeat adhortari, ut supra memoratum archidiaconum in suo statim loco suscipiat. Quod si facere hoc contumaciter, ut consuevit, forte distulerit, usum ei pallii, qui ab hac sede concessus est, ex auctoritate sedis apostolicæ contradicito. Quem si etiam amisso pallio adhuc in eadem pertinacia perseverare perspexeris, Dominici quoque corporis ac sanguinis eumdem antistitem participatione privabis. Eum vero (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 40) qui contra justitiæ regulam, ad locum alterius se provehi consensit, ab ejusdem archidiaconatus honore deponi præcipimus. Quem, si ulterius in loco eodem ministrare præsumpserit, communionis sacræ participatione privamus. Æquum enim est ut asperos de justitia sentiat, quos erga se positos in charitate contemnit. Restituto ergo loco suo Honorato archidiacono, instructam personam supradictus antistes, te compellente, dirigat, quæ intentionem ejus esse vel fuisse justam, suis mihi allegationibus possit demonstrare. Sed et eumdem archidiaconum ad nos venire præcipimus, ut quidquid justum, quidquid omnipotenti Deo placitum fuerit, cognitis assertionibus partium decernamus. Nos enim nullum pro personali amore defendimus, sed auctore Deo normam justitiæ, postposita cujuslibet acceptione personæ, servamus. [a] Malchum vero fratrem coepiscopumque nostrum curabis fidejussori committere, ut ad nos quantocius veniat, quatenus omni mora ac dilatione postposita, actionum suarum expositis ratiociniis, ad propria cum securitate valeat remeare. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 9.)

creando presbyterum, archidiaconi potestate, quæ presbyterali præpollebat, spoliare. Hic *parentes* late sumuntur pro cognatis, non simpliciter pro his qui genuerunt. In hac lata significatione sæpe usurpatur ista vox ab hujus ævi scriptoribus, ut a Gregorio Turon., lib. II Hist., cap. 4, et lib. IX, cap. 19 et 33. Porro hanc bonorum ecclesiasticorum dilapidationem, in consanguineorum gratiam, præviderat Antioch. synodus an. 341, cavitque, can. 25, quo tanti sceleris reus episcopus synodo provinciæ pœnas persolvere jubetur.

[i] Hoc est, *accedente*. Act. VIII, 29, *accede, et adjunge te ad currum*.

EPIST. XX (*Al.* 16). — [a] Rexerat patrimonium aliquod Ecclesiæ Romanæ, ut apparet ex epistola 46 hujus induct., et 22 indict. 11. Eumdem Romæ subito mortuum, qua die causam dixerat et addictus fuerat, docet epist. 47 lib. IV, indict. 13.

## EPISTOLA XXI.

AD JOBINUM ILLYRICI PRÆFECTUM.

*Vastatam a barbaris provinciam ejus regimine recreari gaudet. Patrimonii rectorem commendat. Natali episcopo ne opem contra justitiam ferat hortatur.*

Gregorius [a] Jobino præfecto Illyrici.

Lic et ad reddenda paternæ charitatis officia, hostilitate itineribus occupatis, raritas portitorum impediat, quoties tamen occasio inciderit, excellentiam vestram non desistimus scriptis discurrentibus visitare, quatenus quorum aspectum præsentium videre non possumus, eos aliquatenus scriptis valeamus alternantibus intueri. Gaudemus itaque quod eminentiæ vestræ regimine afflictæ Dominus voluit provinciæ consulere, ut quam ex una parte flagello barbaricæ vastationis ulcerat, hanc ex alia per eminentiam vestram, quasi per superductam salutem curet. Largitam ergo vobis dignitatem ex solo munere donantis attendite, et ex ipsa concessi regiminis administratione Conditorem vestrum erga vos placabiliorem facite; **585** quatenus cum ipse quod largitus est meritis bonorum operum, ad suam viderit gloriam revocari, et in hac vos vita clariores efficiat, et præmia vobis regni cœlestis concedat. Præsentium igitur latorem, quem illuc pro ipsa exigui patrimonioli administratione direximus, vestræ excellentiæ commendamus. Nos enim charitatis vestræ connexi vinculo Dominum petimus, quo sic actus vestros in hac vita dirigat, ut ipsorum merito ad æterna vos regna perducat. Natali autem fratri et coepiscopo nostro in nullo Gloria vestra opem contra justitiam ferat, [b] quia tanto necesse est ut canonicæ ultionis vindictam sentiat, quanto et ipsam regulam canonicam ignorat.

## EPISTOLA XXII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS ILLYRICI.

*Joannis episcopi ordinationem confirmat.*

Gregorius universis episcopis per Illyricum.

Et nobis confert de sollicitudine vestra lætitiam, et fraternitatem vestram de sua reddit ordinatione securam, si antiquæ consuetudinis ordo servatur. Quia ergo ex epistolis quas ad nos per Maximianum presbyterum et Andream diaconum direxistis, in persona Joannis fratris et coepiscopi nostri consensum omnium vestrum et serenissimi principis convenisse cognovimus voluntatem, magna nos exsultatio habuit talem, Deo auctore, ad sacerdotii officium fuisse provectum, qui dignus cunctorum est electionis judicio comprobatus. Proinde juxta postulationis vestræ desiderium, prædictum fratrem et coepiscopum nostrum, in eo in quo est sacerdotii ordine constitutus, nostri assensus auctoritate firmamus, ratamque nos ejus consecrationem habere, dirigentes pallium, indicamus. Cui quoniam juxta morem nostras vices commisimus peragendas, ideo fraternitatem vestram necessario prævidimus adhortandam, quatenus ei in his quæ ad ordinem ecclesiasticum rectitudinemque pertinent disciplinæ, sive in aliis quibus canonum decreta non obstant, parere nullo modo differatis, ut charitatem vestram sincero cum judicio elegisse exhibita valeat obedientia declarare. (*Vide sup. lib.* I, *ep.* 45, *indict.* 9; *et inf. ep.* 23.)

## EPISTOLA XXIII.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Gratulatur quod unanimi omnium consensu electus sit. Ipsum ex more pallio donat, et vicariatu apostolicæ sedis. Ad pastorale munus summa prudentia et charitate implendum hortatur.*

Gregorius Joanni episcopo [a] primæ Justinianæ Illyrici.

Manifestum bonitatis esse liquet indicium, in unius electione cunctorum convenire **586** consensum. Quia igitur (*Grat. dist.* 63, *c.* 9) suscepta fratrum et coepiscoporum nostrorum relatio ad locum vos sacerdotii totius concilii unito consensu et serenissimi principis voluntate declarat accersiri, gratias omnipotenti Deo creatori nostro magna cum exsultatione retulimus, qui vitam actusque vestros ita de præteritis fecit esse probabiles, ut omnium vos, quod est valde laudabile, faceret placere judicio. Quibus nos quoque in personam fraternitatis tuæ per omnia consentimus. Atque omnipotentem Dominum deprecamur, ut charitatem vestram sicut sua gratia elegit, ita in omnibus sua protectione custodiat. [b] Pallium

Epist. XXI (*Al.* 17). — [a] In omnibus fere Editionibus et in quibusdam mss. Codicibus legebatur *Jobino episcopo Illyrici.* Sed ope quorumdam mss. emendavimus hanc lectionem, quam vitiosam esse demonstrat contextus epistolæ, qui præcipuam quamdam dignitatem laicam præ se fert; necnon epist. 43, nunc 45, libri I, quæ sic incipit : *Jobinus, excellentissimus vir, filius noster, præpositus per Illyricum.* Gussanv. In Vatic. legitur *præposito, expræfecto Illyr.* In duobus Teller. et Rhemens., *episcopo Illyr.* In Norm., Anglic., Corb., etc., quos sequimur, *præfecto Illyr.*

[b] Ergo ignorantia ista, secundum Gregorium, magis auget peccatum, quam elevet; accusat, non excusat.

Epist. XXII. *Al.* 7, *indict.* 15.

Epist. XXIII (*Al.* 8, *indict.* 15). — [a] Justiniana prima, alias Achridus, nunc vero Locrida in Albania, urbs olim Macedoniæ ad Lichnidum lacum, nunc adhuc ampla, in excelso colle, ubi natus Justinianus imperator, qui eam non modo instauravit, verum etiam multis ornavit privilegiis, et jure præsertim metropolitico Prævalitanæ provinciæ, imo et primatiali dignitate et vicaria Romanæ sedis, quod obtinuit a Vigilio papa, prout habetur novella 131. Primæ autem dicta est ad differentiam Ulpiani Mœsiæ superioris, quæ Justiniana secunda dicta est, et aliarum urbium ejusdem nominis ab eodem imperatore instauratarum. Jacet inter Dyrrachium et Thessalonicam sub dominio Turcarum. Gussanv.

[b] Ex hac et 57 epist. lib. v, apparet quibusdam episcopis Græcis datum fuisse a sancto Gregorio pallium, non tamen omnibus; non ipsis patriarchis, ut docet epist. 15 lib. v. Ergo patriarchæ non aliunde pallium petebant, imo videntur illud suis subditis concessisse, non repugnante Roma. Consonant Constantinopolitanum VIII conc., in fragmentis, c. 17 et 27; Joan. VIII, epist. 190 et 199. An eadem fuerit materia, forma eadem Occidentalis quæ Orientalis pallii, nova rixa illius similis quam vocant *de lana caprina.* Magna si fuisset aut gravis differentia, exprobra-sent eam alii aliis; nec Latini nono sæculo, ut somniavit quispiam lino deposito, lanam Græcorum facile indussent, de qua Isidorus Pelusiota multis ante sæculis. Aug.

vero (*Dist.* 100, *c.* 10) ex more transmisimus, et vices vos apostolicæ sedis agere iterata innovatione decernimus, admonentes ut ita vos circa subjectos debeatis exhibere placabiles, ut rectitudinem vestram [c] diligere provocentur potius quam timere. Quorum si culpa forte poposcerit, ita excessus emendare curabitis, ut paternum affectum de animo nullo modo relinquatis. Estote in custodia commissi gregis vigilantes atque solliciti, et disciplinæ zelo districti, ut lupus insidians, nec ovile turbare dominicum, nec nocere ovibus aliqua fraudis occasione prævaleat. Animarum lucrum Deo nostro tota mentis intentione facere festinate, nomen nos pastoris [d] non ad quietem, sed ad laborem suscepisse cognoscite. Exhibeamus ergo in opere quod signamur in nomine. Sacerdotii prærogativam si recta consideratione pensemus, sollicitis et bene gerentibus in honore, negligentibus autem profecto erit in onere. Sicut igitur laborantes et circa animarum salutem sollicitos hoc nomen ante Deum æternam ducit ad gloriam, ita desides ac torpentes [e] vergit ad pœnam. In lingua nostra vitam esse aliam plebs commissa agnoscat. Sit illis fraternitatis vestræ doctrina, gratus coercitionis stimulus, et vita imitationis exemplum. Quid enim diligere et quid timere debeant, charitatis vestræ sermo prædicationis aperiat, fructum efficacia vestræ æternæ hujusmodi retributionis acquirat.

Inter hæc vero et ista vos principaliter deliberationis cura constringat, ne unquam ordinationes facere tentetis illicitas; sed si quos ad clericatus ordinem vel potiorem forte gradum promoveri contigerit, non præmiis aut precibus, sed meritis ordinentur. In nulla ordinatione fraternitati vestræ commoda quolibet modo surripiant, ne laqueis [f] simoniacæ, quod absit, hæreseos illigetur. *Quid enim prodest homini*, sicut Veritas docet, *si totum mundum acquirat, et suæ faciat animæ detrimentum* (*Matth.* VIII, 36)? Unde necesse est ut Deum in omni quod gerimus attendamus, peritura et temporalia contemnamus, atque ad æternitatis bona cordis desiderium dirigamus. [g] Xenia autem vestræ sanctitatis suscipere omnino nolueram, quia valde esset incongruum ut a prædatis atque afflictis fratribus munera percepisse videremur. Sed responsales vestri alio me argumento vicerunt, [h] ad eum illa deferentes, a quo non possent oblationes vestræ fraternitatis **587** repelli. *Illud* enim vobis præ omnibus studendum est, ut venturo judici animarum, sicut prædiximus, non peritura munera procuretis, quatenus et vos de vestra mercedis operatione, et nos pariter de nostra adhortatione respiciat. (*Vide sup. ep.* 22.)

## EPISTOLA XXIV.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Ut laudatum a Felice presbyterum diligenter examinet, eumque Romam, si episcopatu dignum perspexerit, mittat.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Felix vir consularis, præsentium lator, edocuit nos, esse quemdam in illis partibus presbyterum, qui ad episcopatus ordinem provehi vitæ merito dignus appareat. Hunc ergo fraternitas tua coram se deduci faciat, eumque, sicut certus sum, propter animæ periculum diligenter examinet. Quem si ad hunc gradum provehi dignum esse perspexerit, ad nos studeat destinare, ut eum, disponente Deo, loco cui prævidemus, possimus [a] ordinare pastorem. Præsentium vero latorem Felicem [b] virum consularem chartularium, salva fraternitati tuæ justitia, commendamus, quatenus in iis quæ juste poposcerit, fraternum invenire possit affectum. (*Cf. Joan. Diac. lib.* I, *c.* 13.)

[c] Infra, lib. III, indict. 11, epist. 53. Sanctus Hieronymus, epist. 62, ad Theophilum : *Ut pontifices Christi... non dominorum metu, sed patrum honore veneremur... Sed contenti sint honore suo, patres se sciant esse, non dominos.* GUSSANV. Legerat hoc in reg. sancti Benedicti Gregorius ejus alumnus. Scilicet, cap. 64, præcipit sanctus Pater ut abbas *studeat magis amari quam timeri.*

[d] Male ambiunt onus angelicis humeris formidandum, qui in vicarios rejecto dei et æstus pondere, honorem, potestatem, reditus sibi reservant. De his dicebat olim in concione publica Jodocus Clicthovæus doctor Sorbonicus, referente Espensæo, lib. III Digress., cap. 22 : *Adibunt hujusmodi per vicarios paradisum, in persona inferos; sic aliqui dum in minoribus erant, concionibus illustres; illustrissimi dum fiunt, obmutescunt.* Diceres apud quosdam pedum pastorale rudem esse qua donati veterani a militia discedebant, cum contra reparandi belli major imponatur per episcopatum necessitas. Plura sunt apud sanctum Chrysostomum, homil. 3 in Acta apostolorum. Vide epist. 11 lib. V, alias 12 lib. IV. GUSSANV.

[e] Ita Mss., quod verbum editores mutarunt in *urget.*

[f] Praxim simoniacam auctores ecclesiastici vulgo hæresim appellant quo magis ostendant exsecrabilem. Idem de jure investiturarum aliquot post sæculis factitatum est. GUSSANV.

[g] In Mss. pler., *exenia.* Rationem subdit quare non suscipiat, ne in totum hanc munerum susceptionem damnare videatur. In Digest., lib. I, titulo 16, *de Offic. procons.*, § 3 : *Non in totum xeniis abstinere debebit proconsul, sed modum adjicere. Neque morose abstineat, neque avare modum xeniorum excedat.* Et paulo post : *Audi quid sentimus; vetus proverbium est,* οὔτε πάντα, οὔτε πάντῃ, οὔτε παρὰ πάντων; *neque omnia, neque omni tempore, neque ab omnibus. Nam valde inhumanum est a nemine accipere; sed passim, vilissimum est; et omnia, avarissimum.* Tandem concludit : *Sed nec xenia producenda sunt ad munerum qualitatem;* scilicet munera plus sunt quam xenia. Alciatus, in lege 194, *de verborum signif.*, omnes fere munerum species explicat, et de xenio dicit proprie esse munus quod hospitibus datur; sed in jure pro munusculis accipi, quæ judicibus solent ad eorum gratiam aucupandam mitti. GUSSANV.

[h] Procul dubio ad sanctum Petrum.

EPIST. XXIV (*Al.* 18). — [a] Ea ætate episcopi Italiæ, Siciliæ et aliarum viciniorum provinciarum, non consecrabantur nisi a Rom. pont. tanquam Patriarcha Occidentis, vel de ejus licentia, etc. ALTESERRA.

[b] In Vatic. B et C : *Felicem vestræ charitati.* In A : *Felicem vicaria charitate.* Sequimur Norm., Corb., Vatic. D, etc. De chartularii dignitate vide Alteserram hoc loco.

## EPISTOLA XXV.

### AD BENENATUM EPISCOPUM.

*Cumànæ Ecclesiæ visitationem delegat, ut tum Ecclesiam illam tueatur, tum ex ipsius clero idoneum sacerdotem eligi procuret.*

Gregorius [a] Benenato episcopo.

Quoniam [b] Cumanæ Ecclesiæ Liberius quondam antistes de hac luce migrasse cognoscitur : **588** propterea visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus, quam ita te convenit exhibere, ut nihil [c] de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est, a quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo charitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere te volumus, ut, remoto [d] studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandus occurrat. Commonemus etiam fraternitatem tuam ut [e] nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis impendis officium nullus ad episcopatum dignus (quod evenire non credimus) potuerit inveniri. Provisurus ante omnia [f] ne ad hoc cujuslibet conversationis vel meriti [g] laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui (quod absit) incurras.

## EPISTOLA XXVI.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Ecclesiæ Nepesinæ visitationem injungit.*

Gregorius [a] Joanni episcopo.

Quoniam Paulo fratri et coepiscopo nostro Neapolitanæ Ecclesiæ visitationis operam injunximus, idcirco fraternitas tua visitationem Ecclesiæ Nepesinæ non desistat assumere, quatenus, exigente Paschali festivitate, quidquid sacrorum solemnitas poscit, te operante, modis omnibus impleatur. Donec igitur quid de persona prædicti fratris et coepiscopi nostri agendum sit, **589** deliberare possimus, ita in cunctis te fraternitas tua solertem vigilantemque studeat exhibere, ut prædictus vir absens nullo modo sentiatur. [b] Mense aprili, indictione decima.

## EPISTOLA XXVII.

### AD RUSTICIANAM PATRICIAM.

*Bonum quod dono Conditoris in corde concipitur, celeri ac firma devotione complendum. Si quis contra nos calumnias molitur, ad Deum tota spes mentis inflectenda.*

Gregorius [a] Rusticianæ patriciæ.

Epistolam excellentiæ vestræ suscipiens, [b] votivo sum incolumitatis ejus nuntio relevatus, optans ut vitam actusque vestros sua Dominus misericordia protegat et disponat. Valde autem miratus sum cur deliberatæ viæ eundi ad loca sancta intentionem et votum boni operis deflexistis, dum si quando bonum aliquod dono Conditoris in corde concipitur, celeri necesse est devotione compleri, ne dum callidus insidiator animum irretire nititur, subinde impedimenta suggerat, quibus ad effectum minime desideria sua

---

Epist. XXV (*Al.* 19). — [a] Erat hic episcopus Misenas, ut liquet ex epist. 45, ubi Cumanam Ecclesiam, cujus eum visitatorem in hac epistola fecerat, Misenati suæ adjungit. De eo etiam fit mentio epist. 54 lib. v, et 4 ac 50 lib. noni. Prius legebatur, *episcopo visitatori Cumanæ Eccl.* quæ absunt a Corb., Norm., Rhem. et tribus Vaticanis.

[b] Cumæ, vulgo *Cuma*, urbs olim Campaniæ, episcopalis, in ora littorali juxta Misenum promontorium, nunc prorsus excisa, cujus sedes episcopalis Aversam translata est. Aversam fuisse a Teutonibus an. 1207, legimus apud Bolland., ad 16. Febr. In Mss. sæpe legitur, *Cumensis Eccl.* pro *Comensis*. Vide Mabill., Musei Ital. p. 219, ubi exhibet chartam Lotarii imp. datam rogante Amalrico Cumensi, id est Comensi episc. in Liguria.

[c] Promotiones intellige, quibus vetitum erat visitatori se immiscere, nisi speciali mandato delegaretur, ut supra epist. 10, Paulo Neapolit. Ecclesiam administranti delegatum legimus. Vide lib. I, epist. 18 ac 81, et, infra, epist. 45. Provectiones cler. intelligit Alteserra eorum stipendia, quæ minui vetat sanctissimus pontifex.

[d] In Vulgatis, *studio diversarum partium*, quæ duo verba omittere suaserunt Codd. Vatic., Norm., Corb., etc.

[e] Utinam hæc regula, a conciliis et sanctis Patribus sancita, repetita, inculcata, nostris non jaceret temporibus otiosa ! In decretis Cœlestini papæ, cap. 18, sic habetur : *Tunc alter de altera eligatur Ecclesia, si de civitatis ipsius clericis cui est episcopus ordinandus nullus dignus potuerit inveniri. Primum enim illi reprobandi sunt, ut aliqui de alienis clericis merito præferantur. Habebat unusquisque suæ fructum militiæ in Ecclesia in qua suam per omnia officia transegit ætatem; in aliena stipendia minime alter obrepat, nec alii deb tam alter sibi audeat vindicare mercedem. Sit facultas clericis renitendi, si se viderint prægravari; et quos sibi ingeri ex transverso cognoverint, non timeant refutare*, etc. Videat lector epistolam Nicolai papæ ad Carolum Calvum circa an. 865, ubi contrarium usum in Gallia familiarius grassantem vocat *violationem canonum temerariam*, pro qua amputanda necesse est specialius impendere diligentiam et eam decreti ligone (ut ipse loquitur) radicitus exstirpare. Cæterum quod de episcopis aiunt, cæteris quoque dignitatibus, officiis, sacerdotiis, pari ratione prudens quisque accommodabit. Vide Cod. lib. I, tit. 6, de episcopis et clericis, leg. 11 : *In Ecclesiis quæ in possessionibus, ut fieri solet, diversorum vicis etiam vel quibuslibet locis sunt constitutæ; clerici non ex alia possessione, vel vico, sed ex eo ubi Ecclesiam esse constiterit, ordinentur*, etc. Gussanv.

[f] In Vatic. A et B *ne ad episcopatum cujuslibet conversationis vel meriti personæ*. In vulgatis, *ne ad cujuslibet conversationis meritum*. Sequimur Vatic. D, Rhem., Norm., Regios, etc.

[g] De laicis ad sacros ordines non statim promovendis, plurimis canonibus cautum est, quos videsis apud Thomassinum, lib. I, parte secunda, cap. 85.

Epist. XXVI (*Al.* 20). — [a] In vulgatis, *episc. visitatori Nepesinæ Ecclesiæ*. In Vaticanis *episcopo Nepesino*. Sequimur Norm., Corb., Rhem., etc.

[b] Ita Colbert. vet. et Turon. S. Gat.

Epist. XXVII (*Al.* 21). — [a] Ex urbe Roma migraverat Constantinopolim, ut colligitur ex epist. 22, indict. 1, et 22, indict. 6.

[b] Id est *expetito*, *optabili*. Sic apud Apuleium *votivus conspectus*. Sæpius pro eo quod voto fit aut promittitur : *ludi votivi, tabella votiva, thus votivum*.

mens occupationibus debilitata perducat. Unde necesse est excellentiam vestram omnibus impedimentis piis causis obviantibus anteire, et ad fructum boni operis totis cordis nisibus inhiare; ut et in præsenti sæculo tranquille vivere, et in futuro cœleste regnum valeat possidere. Illud autem quod scripsistis, Passivum contra vos aliquas molitum fuisse calumnias, piissimos vero imperatores non solum libenter non audisse, sed etiam aspere suscepisse, cujus hoc fuerit donum, perpendite; et ad eum qui hominibus in hoc sæculo ne quantum appetunt nocere valeant, potenter obviat, totam spem mentis inflectite, quatenus pravas hominum voluntates brachii sui oppositione reverberet, conatusque eorum, ut consuevit, misericorditer ipse confringat. Gloriosum domnum Appionem et domnam Eusebiam, domnum Eudoxium et domnam Gregoriam, mea per vos deprecor vice salutari.

## EPISTOLA XXVIII.

AD STEPHANUM CHARTULARIUM.

*Monachos duos sui status desertores jubeat retrudi; monasterio consuetudines novas imponi non sinat.*

Gregorius Stephano [a] chartulario.

Scientes magnitudinem charitatis vestræ toto Dominum corde diligere, ob hoc ea quæ in massis **590** [b] de jure quondam patricie recordationis Julii contra præcepta dominica contraque canonum regulam commissa esse didicimus, ad ejus necesse duximus referre notitiam, quatenus et quæ perpetrata sunt corrigi debeant, et alii deinceps tentare non præsumant. Insinuatum igitur nobis est, in massa quæ nuncupatur [c] Marato, abbate monasterii sancti Georgii quod in eadem situm est, duos monachos refugisse; et unum quidem ex eis jam conjugem accepisse, alium autem laicum effectum sæculariter vivere; cum nec ex familia massæ homines ipsi esse liberi asserantur, et vel si secundum conditionem debuissent agere, contra Deum erat ut post adeptum divini officii cultum, ad sæcularem vitam atque habitum remearent. Unde hortor ut, habita judicis æterni consideratione, monachos ipsos retrudi sine dilatione faciatis, ne eorum exemplo, cum vestro, quod absit, peccato, cæterorum monasteriorum districtio dissipetur, sed magis ut magnitudinis vestræ solatio aliis monachis spes gerendi talia submoveatur. Asserit autem prædictus abbas presbyterum prædictæ massæ novas monasterio ipsi velle imponere consuetudines, quæ ex tempore conditi monasterii per triennale tempus hactenus non fuerunt, siquidem si quid Deo illic munificentiæ gratia a fidelibus viris oblatum fuerit, portionem se asserat debere percipere. Quod magnitudo vestra studeat diligenter agnoscere; et si hoc ab initio non fuit, etiam labentibus temporibus aliud noviter imponi non concedat, maxime cum exiguæ substantiæ et monasterium pauperum esse didicimus, et abbatem ipsum hospitalem omnino esse multorum attestatione didicimus [d].

## EPISTOLA XXIX.

AD MAURILIUM ET VITALIANUM.

*Ariulphum, si Romam pergat, a tergo insequantur.*

Gregorius Maurilio et Vitaliano [a] magistris militum.

Gloriæ vestræ suscipientes epistolas Deo gratias egimus, quia de salute vestra cognovimus et de sollicitudine vestra multum gavisi sumus, et mox ea quæ scripsistis parata fuerunt. Sed Aldio [b] vir magnificus post adventum hominum vestrorum nobis scripsit quia in proximo jam Ariulphus esset, et timuimus ne milites qui ad vos diriguntur in manus ejus inciderent. Tamen et hic, in quantum Deus adjuverit, contra eum filius noster gloriosus magister militum **591** se paravit. Sed et gloria vestra, si huc [c] perexierit ipse hostis, quomodo consuevistis, cum auxilio Dei a dorso ejus quod potestis perficite. Speramus enim in omnipotentis Dei virtute, et in ipsius beati Petri apostolorum principis, in cujus ille natali sanguinem effundere desiderat, quia ipsum sibi contrarium sine mora inveniet

## EPISTOLA XXX.

AD MAURILIUM ET VITALIANUM.

*De dubia Suanensium fide, ac de parato Ariulphi exercitu monet.*

Gregorius Maurilio et Vitaliano magistris militum.

Suppliciter gloriæ vestræ per filium nostrum Vitalianum cum quo ut tractaretis et verbo et scripto mandavimus. Undecimo autem die mensis [a] Januarii Ariulphus hanc epistolam quam vobis direximus transmisit. Et ideo relegentes eam, videte si in fide sua [b] Suanenses quam reipublicæ promisere persteterunt. Obsidesque dignos de quibus possitis confidere ab eis percipite; et insuper eos denuo Sacramentis obstringite, reddentes eis quod loco pignoris sustulistis, et sermonibus vestris eos sanantes. Si autem manifestissime cognoveritis eos cum Ariulpho de sua subditione locutos fuisse, vel certe obsides ei dedisse, sicut nos Ariulphi epistola quam vobis direximus dubios reddidit, salubri consilio pertra-

Epist. XXXVIII (*Al.* 20, *indict.* 7). — [a] In collectione Pauli Diac., epist. 45, consentientibus duobus Tell. et Mss. Norm., necnon Vatic. D, legitur, *chartulario*, vel *chartario Siciliæ*. Additur in Vatic. et Teller., *de monachis restituendis*. De hoc Stephano lege epist. 3, indict. 11, ad Joannem sanctæ Luciæ Syracus. abbatem.

[b] Sic restituimus ex Mss. cum Vulgati habeant, *de jure quondam patricii viri piæ recordationis*. In duobus Teller. pro *in massis* legitur *in marsis*.

[c] Norm., *Marathodis;* duo Teller., *Mirathodis*, vel *Marathodis*. Corb. duo et antiq. Colb., *Maratodis*. In Vulgatis legitur *de abbate...* refugisse.

[d] In Collect. Pauli additur: *data die* XIV *Kalend. Junii, indict.* 10.

Epist. XXXIX (*Al.* 22, *indict.* 7). — [a] Prius legebatur, *Mauricio*.

[b] In Excusis, *vir memorandus*.

[c] Sic legitur in Mss. pro *perexerit*, quod habent Excusi. Supra, epist. 52 libri I, occurrit *perexeat*, eodem sensu.

Epist. XXX (*Al.* 23, *indict.* 7). — [a] In collect. Pauli Diac., *Junii*. Abest autem hæc epist. a plerisque Mss.

[b] Suana, vulgo *Soana*, urbs Etruriæ, adhuc episcopalis sub archiep. Senensi.

ctantes ne in aliquo anima vestra vel nostra de sacramentis gravetur, quidquid utile reipublicæ judicaveritis peragite. Sed ita faciat gloria vestra, ut neque sit aliquid unde possimus ab adversariis reprehendi, neque in quo utilitas reipublicæ exigit, quod avertat Dominus, negligatur. Præterea, gloriosi filii, estote solliciti, quia, quantum comperi, [c] nostem collectum habet, et [d] Narina dicitur residere; et si huc cursum Deo sibi irato mittere voluerit, vos loca ipsius, quantum vos Dominus juverit, [e] deprædamini, aut certe [f] sculcas quos mittitis, sollicite requirant, ne dolens factum ad nos discurrat [g]

[a] EPISTOLA XXXI.

AD CUNCTOS MILITES NEAPOLITANOS.

*De obedientia Constantio tribuno exhibenda.*

Gregorius universis militibus Neapolitanis.

Summa militiæ laus inter alia bona merita hæc est, obedientiam sanctæ reipublicæ [b] utilitatibus exhibere, quodque sibi utiliter imperatum **592** fuerit, obtemperare; sicut et nunc devotionem vestram fecisse didicimus, quæ epistolis nostris, quibus magnificum virum Constantium tribunum custodiæ civitatis deputavimus præesse, paruit, et congruam militaris devotionis obedientiam demonstravit. Unde scriptis vos præsentibus curavimus admonendos, uti prædicto viro magnifico tribuno, sicut et fecistis, omnem debeatis pro serenissimorum dominorum utilitate vel conservanda civitate obedientiam exhibere, quatenus quidquid a vobis hactenus bene gestum agnoscitur, per præsentis temporis vigilantiam ac sollicitudinem augmentetis.

EPISTOLA XXXII.

AD PETRUM SUBDIACONUM SICILIÆ.

*De patrimonii regimine plurima præcipit, in quibus elucent justitia, religio, prudentia, et liberalis erga egenos animus; familiaris quoque in Petrum dilectio facile advertitur.*

Gregorius Petro subdiacono Siciliæ.

Indicante mihi Romano defensore, cognovi quia monasterium ancillarum Dei quod est in fundo [b] Monotheo, ab Ecclesia nostra de Villa nova, de fundo juris sui violentiam pertulit, qui eidem monasterio dicitur dimissus. Quod si ita est, experientia tua eis et fundum restituat, et ejusdem fundi de duabus [c] quas exegisti indictionibus pensiones restituat. Quia autem [d] multi Judæorum in missis Ecclesiæ commanent, volo ut si qui ex eis Christiani voluerint fieri, aliquantum eis pensi relaxetur, quatenus isto beneficio provocati, tali desiderio et [e] alii assurgant.

Vaccæ autem quæ jam sunt ætate steriles, vel boves masculi qui omnino inutiles esse videntur, vendi debent, ut saltem eorum pretium ad aliquam utilitatem crescat. Greges vero equarum quas valde inutiliter habemus, omnes volo distrahi, et tantummodo quadringentas juniores servari ad fetum, ex quibus quadringentis singulis conductoribus singulæ [f] condonari debent, quatenus ex ipsis annis singulis aliquid reddant, quia durum est valde ut sexaginta solidos pastoribus expendamus, et sexaginta denarios ex eisdem gregibus non habeamus. Ita ergo experientia tua faciat, ut alia per conductores omnes, sicut diximus, partiantur, alia distrahe, et in nummum redige. Pastores vero ipsos per possessiones ordina, ut ex cultura terræ ferre aliquid utilitatis possint. Æramenta vero omnia quæ vel in Syracusis, vel in Panormo, juris ecclesiastici esse possunt, distrahenda sunt priusquam ipsa vetustate funditus pereant.

**593** Veniente autem fratre Cyriaco servo Dei Romam, de illo subtiliter requisivi si cum tua conscientia fuerit de accipiendo præmio in causa mulieris cujusdam locutus. Quod idem frater ita se dicit, te referente, cognovisse, quia ex te immissus est, ut quis esset ad conferendum præmium immissor probaret. Quod ego credidi, moxque eum in gratiam familiariter recepi, coram populo et clero eum perduxi, [g] presbyterium ei auxi, in loco superiori inter

[c] Id est, exercitum collectum habet. *Hostis*, tum eo loci, tum passim apud scriptores mediæ ac postremæ ætatis, id omnino significat quod exercitus. Vide Cangii Glossarium, ubi locus hic Gregorianus, multis aliunde quæsitis testimoniis, illustratur.

[d] Paul. Diac., *Nardias*.

[e] Idem, *deprædate*.

[f] Sic Mss. Vall., Corb., qui sic legunt, *sculcas quas mitteris*. Similiter apud Simocattam, qui lib. VI, cap. 9, ait Romanos post victoriam ad delicias et compotationem conversos oblitos esse custodiæ, ἡν σκοῦλκαν σύνηδες τῇ πατρίᾳ φωνῇ ῥωμαίοις ἀποκαλεῖν. Eadem vox σκοῦλκαι habetur apud Leonem, constit. 17, σκουλκάτωρες σκουλκεύειν, et apud Constantinum, de administ. imp. ἐξκουλκάτωρες, excubitores, et ἐξκουλκεύειν, explorare. Vide Glossar. Meursii, Rigaltii, et Lindeburgii ad leges antiquas, Gussanv. In lege Langobard., lib. I, tit. 14, § 6: *Si quis in exercitu ambulare contempserit aut in sculcam.* Ibi *exercitiis et sculca* pro militari servitio ad quod tenebantur vassalli. *Scultas* tamen legunt nonnulli quos confutat Cangius in utroque Glossar

[g] In Colbert. vet. additur, *Die 14 Kalend. Junii, indict.* 10.

omittitur in plerisque Mss., præcipue Norm. et Anglic., ut observat Thom. Jamezius. Est in collect. Pauli Diac. et laudatur causa 23, q. 1, can. 7.

[b] Hanc vocem infra quoque usurpat, et alibi frequentissime, eodem sensu quo in regula sancti Benedicti sumitur etiam sæpe, ut cap. 35: *Si qui majoribus utilitatibus occup.* Cap. 65: *ordinetur, ut antea disposuimus, omnis utilitas monasterii.*

Epist. XXXII (*Al.* 30, *indict.* 7). — [a] In plur. Mss. desideratur. In collect. Pauli Diac., est 51.

[b] Paulus Diac., *Monostheo*. Vatic. D, *Monastheo*. Vatic. A, *Monasterio*, vel *Monotheo*.

[c] Idem, *quas egisti*. Consentiunt Vatic. D et Regii.

[d] De Judæis, quibus, si fiant Christiani, aliquid relaxandum, vide infra, lib. V, epist. 8.

[e] Ita Mss., at Excusi, *urgeantur*.

[f] Vatic. D, *commendari* Pauli lectio est corrupta.

[g] Id est, novum munus clericale contuli, novam rerum Ecclesiæ administrationem credidi. Πρεσβυτέριον sæpe pro clericorum cœtu, quem Ecclesiæ senatum vocant ἱερατεῖον, in Antioch., c. 5, usurpatur; aliquando pro dignitate presbyteri. Utramque notionem exhibet Ancyrani concil. c. 18. Sanctus Ignatius nunc vocant σύστημα ἱερὸν, nunc ἅγιον Πρεσβυτέριον. Cornelius, apud Cyprianum, epist. 46, dicit contrahi presbyterium, quando synodus cogitur. Tertiam no-

defensores posui, collaudans coram omnibus fidem ejus, quia ita se in obsequio tuo fideliter gesserit, quem idcirco ad te celeriter retransmisi. Quia vero multum festinas, et ego quamvis ægrotus videre te desidero, quem ipse in omnibus probatum habes, loco tuo [h] in Syracusana parte derelinque, et ipse ad me venire festina, ut, si omnipotenti Deo placuerit, communi consilio pertractemus utrum ipse illuc reverti, an alter in loco tuo illic debeat ordinari. Benenatum vero notarium pariter transmisi, ut in Panormitana parte locum tuum in patrimonio, quoadusque omnipotens Deus ordinet quod ei placuerit, ipse conservet.

Romanum de levitate sua vehementer increpavi, quia sicut nunc reperi, in xenodochio quod tenuit magis suis utilitatibus quam mercedibus occupatus fuit. Et ideo si fortasse tibi visum fuerit, loco tuo ipsum relinque. Vide quemadmodum eum terendo et admonendo præmunias, ut sciat se circa rusticos pie et sollicite agere, et circa extraneos et urbanos se in omnibus mutatum et strenuum exhibere. Ego tamen hæc loquens, nullam personam eligo, sed tuo hoc judicio derelinquo. In Panormitana autem parte loci [i] servatorem tui me sufficit elegisse. Et videre volo quod ipse in Syracusana parte provideris. Veniens autem, pecunias et ornamenta de Antonini parte vel substantia tecum defer. Pensiones quoque nonæ et decimæ indictionis, quas exegisti, et rationes omnes pariter deporta. Stude, si Deo placuerit, ut in hanc urbem [k] ante natalem beati Cypriani transeas, ne ex signo quod 594 diebus istis mari semper imminet, quod absit, aliquod periculum possit evenire.

Præterea cognoscas quia pro eo quod Pretiosum Dei servum non pro gravi culpa graviter adversatus sum, eumque a me tristem amaricatumque repuli, [l] non leviter in mea cogitatione mordear. Et scripsi domno episcopo ut eum transmittere debuisset, si vellet, sed omnino noluit. Quem contristare ego nec debeo nec possum, quia in causis Dei occupatus, consolatione fulciri debet, non amaritudine deprimi. Idem vero Pretiosus, sicut audio, omnino contristatur quod ad me non revertitur. Ego vero domnum episcopum, ut dixi, contristare non possum, qui eum non vult dimittere, et inter utrosque anceps maneo. Tu ergo, si quidem in parvo corpusculo majorem sapientiam habes, eamdem causam ita dispone, ut et mea voluntas fiat, et domnus episcopus non contristetur. Quem tamen si leviter contristari videris, *omnino* exinde nihil loquaris. Ægre tamen tuli quod domnum Eusebium excommunicavit, virum tantæ ætatis, et tantæ ægritudinis. Unde necesse est ut eidem domno episcopo secrete dicas, quatenus in proferendis sententiis præceps non sit, quia causæ quæ per sententiam decidendæ sunt, necesse est ut prius studiosa et frequentissima consideratione mensurentur. (*Vide ep.* 34.)

enientibus [m] scribonibus, qui sicut audio jam illic

tionem secundæ affinem profert sanctus Gregorius, presbyterium non de cœtu, non de presbyteratu stricte intelligens, sed de parte quadam regiminis, de honore, de officio, de cursa seu de gubernatione Ecclesiæ, ut loquitur sanctus Paulus I Cor. XII, 28. Canon 2 Chalcedon. concedit defensoribus χειροτονίαν καὶ ἀξίαν, atque adeo dignitatem in presbyterio. Lege Sidonii Apoll. epist. ultimam lib. 4, ubi de diacono secundi ordinis sacerdote, quem auxerant dignitate. Istius autem regiminis ratio nostris temporibus subobscurior est, novo jure introducto. Esset notior, si canonem 8 Ephes. retinuissemus, et unaquæque provincia servasset jus vetus purum, et nullam vim passum secundum consuetudinem veterem, etc. Vide epist. 77 lib. I. GUSSANV. Per *presbyterium*, infra, lib. V, epist. 33, consuetum clericorum stipendium presbyterii nomine designat. Vide tom. II Musei Italici Ordinem Rom. 12, cujus secunda pars tota fere est de presbyteriis per annum erogari solitis. Significabant quoque presbyterii nomine *donativum;* scilicet pontifex recens consecratus singulis e senatu et clero pecuniam erogabat, idque jam Gregorii Mag. ævo. Vide Anastasium, in Deusdedit, Bonifacio V et Severino. Erogationem illam pecuniæ, quæ certis etiam per annum solemnitatibus fiebat, *presbyterium* vulgari nomine appellabant. Vide ubi supra, Ord. Rom. 11, § 22, 23, 56. Observandum legi in Regiis Mss. et Paulo Diac., *coram populo et clero polypticum deduxi, presbyt.*, etc. Polyptichum est commentarius in quem acta referuntur. Vide lib. II Vitæ, cap. 24, et epist. 40 libri IX.

[h] Duæ erant stationes patrimonii Eccl. Rom. in Sicilia, una Panormi, altera Syracusis, lib. X, epist. 49. ALTESERRA.

[i] Sic dicti olim vicarii seu locum tenentes, Gallicè *Lieutenants*. De hac voce jam in Dialogis egimus, lib. IV, cap. 52. Apud Græcos dicitur eodem sensu τοποτηρητής. Exstat epistola Theodori Studitæ Νικήτᾳ τοποτηρητῇ, estque 120 lib. II.

[k] Tunc solemni more festum sancti Cypriani peragebatur. *Cypriana* vocitant historici, eodemque vocabulo nautæ signabant tempestatem horridam, quæ fere per hæc tempora usu veniebat, quamque hodierni naucleri nominant *ouragan*, Euro fortassis agente excitatam. Evagrius, lib. IV Hist. Eccl., c. 16, hæc recitat ex Procopio : *Cyprianum virum sanctum universi Carthaginenses colunt, illique templum quoddam dignum, de quo multa memorentur, ante urbem circa littus maris constituerunt, et reliqua religiose perficientes annuum illius festum quod* Cyprianica *vocant peragunt. Nautæ etiam, cujus rei antea memini, hiemem ei festo cognominem appellare ac promulgare solent, quod illa circa id temporis imminere consuevit quo festum hoc Libyes in perpetuum celebrari debere statuerunt.* Ita vertit Musculus. Græca paulo aliter se habent, ut observabunt curiosi. Per hiemem intellige procellam maris sævam, χειμῶνα. GUSSANV.

[l] Summus pontifex pro culpa non gravi graviter adversatus fuerat, servumque Dei a se repulerat tristem; hinc conscientiæ morsus gravis, qui fuit hac epistola consignandus. Grave utique documentum prælatis, si qui sunt, qui cum austeritate imperant et cum potentia, suosque subditos quasi pilas habent. Illis forte loquitur sanctus Ambrosius in apologia David cap. 9 : *Audiant ergo vulnusque sentiant peccati, nam immedicabilis ægritudinis est vulneris acerbitatem non sentire.* Sanctum Gregorium virum prudentia, scientia, veritate spectatissimum hoc in negotio fuisse superstitiosum, sive, ut vulgo vocant, scrupulosum, vel, ut Latini, pro nimia religione anxium, timidum, hæsitabundum, vix cordatus ullus in animum suum induxerit. Certe credibilius minus fore religiosos ejus qui exemplum sequi defugerint. GUSSANV.

[m] Scribonum munus erat in provinciis tirones legere et probare. Tironum collatio erat onus provinciarum propter possessiones et prædia, lib. VII Cod. Theod.

tirones colligunt, loci tui servatori deputa, ut parum aliquid xenii offerat, quatenus sibi eos placabiles reddat. Sed et officio prætoris, prius quam venias, aliquid secundum antiquam consuetudinem tribue, per manus tamen illius quem dimittis, ut ei gratiam eorum concilies. Ne et nos omnino eis inhumani esse videamur, ea quæ danda per præceptum singulis quibusque personis vel monasteriis tuæ experientiæ injunxi, loci servatoribus tuis præcipe, ut per omnia impleant. [n] Hæc vero auxiliante Domino cum veneris, qualiter disponenda sunt, pertractabimus. Trecentos vero solidos quos per te pauperibus direxi, eorum arbitrio non arbitror committendos. **595** Illa ergo de singulis locis et personis impleant.

Ante vero hoc tempus jam scripsisse memini, ut legata quæ [o] ex tenore Antonini defensoris [p] a nobis debentur, monasteriis vel aliis, prout statutum fuit, solverentur. Et quare nescio tua experientia hoc implere tardaverit. Proinde volumus ut pro portione nostra ex pecuniis Ecclesiæ eadem legata impleas, ut cum ad me veneris, illic contra te gemitum pauperum non relinquas; [q] cautiones vero quæ in ejusdem Antonini substantia sunt inventæ, pariter defer.

Cognovi autem, Romano referente, quia moriens uxor Redempti unam concham argenteam nudis verbis dixerit venundari et libertis suis dari, scutellam quoque argenteam [r] monasterio cuidam reliquerit; in quibus utrisque voluntatem ejus per omnia volumus impleri, ne ex rebus minimis peccata majora capiamus.

Fratre autem Mariniano abbate indicante, cognovi quia fabrica [s] in prætoriano monasterio nec ad medietatem quidem adhuc perducta est. Ex qua re quid aliud [t] quam fervorem tuæ experientiæ collaudemus? Sed vel nunc admonitus excitare, et, quantum potes, in ejusdem monasterii constructione te exhibe. Ego nihil dari eis in expensis dixi, non autem monasterium de eis fabricare prohibui. Sed ita fac ut ei quem loco tuo Panormi dimiseris modis omnibus injungas quatenus expensis et annona ecclesiastica hoc idem monasterium construat, et ad me privati abbatis querela non redeat.

Præterea cognovi quod quasdam res vel plures fundorum alieni juris esse cognoscis, sed, pro quorumdam obtestatione vel metu, hominibus suis restituere formides. Qui si veraciter Christianus esses, plus Dei judicium quam voces hominum formidares. Attende quia ego te quoque hac de re indesinenter admoneo. Quod si implere neglexeris, etiam meas voces contra te in testimonium habebis

Si vero [u] de laicis Deum timentibus inveneris ut tonsurari debeant, et actionarii sub rectore fieri, omnino libenter fero. Quibus necesse est ut etiam epistolæ transmittantur.

De [x] causa vero filii Commissi scholastici consuluisti, et non sunt legibus justa quæ repetit : utilitatem pauperum gravare nolumus, sed pro eo **596** quod se hic fatigavit, quinquaginta solidos ei dare te volumus, quos tuis certum est rationibus imputari. In causa vero [y] Prochisi quas expensas de rebus Ecclesiæ fecisti, aut illic de pensione redituum ejus tibi satisfacito, aut si certe ipsi reditus minime ad recompensandum sufficiant, hic necesse

In Vatic. et apud Paulum periodorum ordo invertitur; sicque legitur : *impleant trecentos..... committendos. Illa ergo.... impleant; hæc vero, auxiliante Domino..... pertractemus. Ante hoc vero tempus.*

[o] Seu regesto, in quo singillatim descripserat Antoninus quæcunque ex Gregorii mandato, monasteriis et pauperibus distribuere tenebatur. *Tenorem* hic Alteserra explicat de *tenamento*, seu *possessione* certis oneribus obnoxia; Gussanv., de *testamento*. Utram malueris sententiam elige. In Vatic. D legitur, *ex morte Antonini*. Certe eum mortuum probat epistolæ series.

[p] In Vatic. D, *nobis debentur*.

[q] Scilicet obligatoriæ debitorum, chirographa seu instrumenta debiti. Lucæ XVI, 6, *accipe cautionem tuam*. Vide Greg. Tur., l. IX Hist., c. 18.

[r] Vatic. A, *monasterio cujusdam*, et infra *implere* pro *impleri*.

[s] Vatic. D, *in pretoritano;* favent Reg.

[t] Sic legendum videtur ex summi pontificis scopo, qui, ironice fervorem laudans, segnitiem Petri carpit. Attamen in Vatic. A et apud Paulum legitur *favorem*.

[u] Quis sit hoc in loco sancti Gregorii de Tonsura sensus, obscurum est. De laicis res est, qui Deum timeant, quique tonderi debeant ut fiant actionarii sub rectore. Rector apud jureconsultos sumitur pro eo qui provinciam regit, sive præfecti prætorio titulo, sive comitis, sive proconsulis, sive legati, sive correctoris nomine. Actionarium sive actorem intelligunt syndicum, qui res aliorum apud judicem procurat. Eos autem qui Ecclesiæ causas agerent, forsan tonderi oportebat, ut quasi clerici viderentur, non quidem proprie, sed ascititii, quales fuerant Fossarii, Psalmistæ, Diaconæ, Ascetriæ, etc., quales etiamnum exstant apud Patres Oratorii, Doctrinæ Christianæ, Missionis, plerique famuli puri laici, detonsi tamen et habitu clericatum præ se ferentes. Alium sensum exhibeo. Quosdam fuisse patrimonii Romanæ Ecclesiæ rectores, planum est. Sub illis erant actores, sive actionarii quasi præcipui administri, quibus negotiorum pondus incumbebat; quod quidem apud auctores classicos et jureconsultos notissimum. Servi autem erant ut plurimum, quanquam servis aliis præficerentur. Hac ergo in epistola videtur sanctus Gregorius vel ut tales actionarii e laicis assumpti capillos ponant quasi in libertatem vendicandi, et ad clericorum sortem utcunque transferendi, quo majori supra cæteros auctoritate polleret. Conjecturam confirmat subjecta necessitas transmittendarum epistolarum, quibus nempe de eorum libertate caveretur. Tuum est, lector, censere.

GUSSANV. Hac in nota Gussanvillæus, antequam de tonsuratis loquatur, pro suo more de tonsuratoribus seu tonsoribus et tonstricibus disserit quæ resecanda judicavimus, servatis aliis in quibus a scopo non ita aberrat. Censemus autem laicos hic tonsurari jussos vere clericos effectos esse. Nimirum, ut docet Joan. Diac., lib. II Vitæ c. 15 : *Nemo laicorum quodlibet palatii ministerium, vel ecclesiasticum patrimonium procurabat, sed omnia ecclesiastici juris munia, ecclesiastici viri subibant; nimirum laicis ad armorum solam militiam..... deputatis.*

[x] In Vatic. A : *De causa suprascripti filii nisi scholasticos consuluisti.* In D, *nisi cum scholasticos consuluisti.* In Reg., *de causa autem filii ssci* quod fortasse significat, *suprascripti.*

[y] Reg., *Prochiti.*

est ut a diacono hoc recipiatur. De Gelasio autem subdiacono loqui aliquid non præsumas, quia scelus illius [z] usque ad finem vitæ gravissima pœnitentia indiget.

Præterea unum nobis caballum miserum, et quinque bonos asinos transmisisti. Caballum illum sedere non possum, quia miser est; illos autem bonos sedere non possum, quia asini sunt. Sed petimus ut si [aa] nos continere disponitis, aliquid nobis [bb] condignum deferatis. Eusebio autem abbati dare te volumus auri solidos centum, quos tuis certum est rationibus imputari. Cognovimus autem Sisinnium qui judex Samnii fuit, gravi inopia in Sicilia laborare, cui volumus [cc] xx decimatos vini et quatuor solidos annuos debeas ministrare. Anastasius autem religiosus juxta Panormitanam civitatem dicitur habitare in oratorio sanctæ Agnæ, cui dari volumus auri solidos sex. Matri autem Urbici præpositi dari volumus solidos sex, qui tuis rationibus imputabuntur. De Honoratæ vero ancillæ Dei causa hoc mihi videtur, ut omnem substantiam quæ constat quia ante tempus episcopatus Joannis episcopi [dd] Laurinensis fuit, veniens tecum deferas. Eadem vero ancilla Dei cum filio suo veniat, ut nos cum ea loqui, et quod Deo placitum fuerit facere debeamus. Codicem autem Heptatici [ee] de substantia Antonini dari volumus in monasterio prætoriano, reliquos tecum deferri.

## EPISTOLA XXXIII.

### AD JUSTINUM PRÆTOREM.

*Ut, deposita omni suspicione, Leoni episcopo a falsis criminationibus plenissime purgato charitatem omnem et congruam reverentiam exhibeat.*

Gregorius [a] Justino prætori

Habet hoc proprium antiqui hostis invidia, ut quos in pravorum actuum perpetrationem, Deo resistente, decipere non valet, opiniones eorum falsa ad præsens simulando dilaceret. Quoniam igitur quædam contra sacerdotale propositum de [b] Leone fratre et coepiscopo nostro sinister rumor asperserat, utrum vera essent districta diutius fecimus inquisitione perquiri, et nullam in eo de iis quæ dicta fuerant culpam invenimus. Sed ne quid videretur omissum, aut nostro potuisset dubium cordi remanere, ad beati Petri sacratissimum corpus [c] districta eum ex abundanti fecimus sacramenta præbere. Quibus præstitis, magna sumus exsultatione gavisi, quod hujuscemodi experimento innocentia ejus evidenter enituit. Pro qua re gloria vestra prædictum virum cum omni charitate suscipiat, et reverentiam ei, qualem sacerdoti decet, exhibeat, nec quædam cordibus remaneat de iis quæ sunt jam purgata dubietas. Sed ita suprascripto vos episcopo devotissime oportet in omnibus adhærere, ut congrue decenterque Deum in ejus persona cujus minister est videamini honorare [d]. (*Vide sup. l.* I, *ep.* 2.)

## EPISTOLA XXXIV.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Eusebium abbatem, quem imprudenter afflixerat, onsoletur.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Frequenter me admonuisse vos recolo ut in proferenda sententia esse præcipites nullatenus deberetis. Et nunc ecce cognovi quia reverendissimum virum abbatem [a] Eusebium commota furore vestra fraternitas excommunicavit. Quod ego valde miratus sum, ut non antiqua ejus conversatio, non ætas longa, non ægritudo diuturna ab ira vestrum ani-

[z] Reg. et duo Vatic., *usque ad gravissimum finem vitæ pœnitentia indiget.*

[aa] Id est, nos contentos facere.

[bb] Vatic. A, *aliquid vobiscum digne deferatis.* D, *aliquid vobiscum dignum deferatis.*

[cc] Regi xx *decimatos vinum.* Vatic. D, *quatuordecim batos vini.*

[dd] Ita legitur in Vatic., Reg., Teller., Thuan. Editi autem habent *Larinensis.* Holstenius, Annot. in Geograph. sacram, pag. 21, censet legi debere *Carinensis.* Objicit Gussanv. unitam fuisse Carinensem Ecclesiam Regiensi, ut patet ex epist. 9 lib. v, nunc epist. 10 lib. vi, proindeque tunc non habuisse episcopum. At unio illa facta est tantum an. 6 pontificatus sancti Gregorii, defuncto Carinensi antistite.

[ee] Pro *heptateuchi*, scilicet Codicis septem priores sacræ Scripturæ libros continentis.

Epist. XXXIII [*Al.* 25]. [a] Non *presbytero*, ut antea legebatur, sed *prætori*, ut docet contextus epistolæ, et epistola 2 lib. I. Et ita reposui ex 16 saltem mss. Codd. Justinus ille idem est ad quem jam scripsit epist. 2, lib. I, et de quo epist. 37, nunc 38, ind. 11, apud Libertinum ejus successorem conqueritur quod a correctione Judæi cujusdam ex avaritia abstinuerit. Gussanv. In mss. Angl., Norm., Vatic., etc., legitur *prætori.* In Vatic. D tamen habes tantum, *ad Justinianum, de Leone suscipiendo.* Legitur etiam *Justinianum* in duobus Teller., Colb., et in coll. Pauli.

[b] Hic Leo videtur esse Catanensis episcopus, ad quem plures Gregorius epistolas direxit, nempe 34, lib. III, 32, lib. V, 8, lib. VII, etc., quia Catana erat urbs Siciliæ, cujus præfecturam gerebat Justinus. Gussanv.

[c] Quamvis secundum regulas juris, in omnibus causis dubiis certa non possit esse scientia, et actore non probante absolvi debeat reus; jure tamen canonico introducta fuerat præstatio sacramenti super Evangelia aut reliquias, aut quid simile, ne scilicet, ut ait Hincmarus, caus. 2, q. 5, c. *Si mala fama*, relatus, infirmorum corda de mala presbyteri fama percutiantur, ne vituperetur ministerium nostrum, etc. Imo irrepserat in Ecclesiam vulgaris, ut vocant, purgatio per tactum ferri candentis, per aquam ferventem aut frigidam, per monomachiam etiam campo vel cruce contendebant; Ansegisus, lib. III, cap. 46; et per alias istiusmodi vanas et malas observationes, quas tandem falce canonum oportuit resecare. Sanctus Gregorius ad sancti Petri corpus volebat sacramenta præstari. Sic Ambrosii tempore Mediolani ad sanctorum corpora jurabant. Sic Augustinus ad sanctum Felicem Nolanum mittebat. Gregorius VII sacra ad eam purgationem Eucharistia utebatur. Conc. Meldense, can. 38, vetat episcopum super sacra jurare. Videat lector Extra., lib. V, tit. 34 et 35, et caus. II, q. 5. Porro initium hujus epistolæ videtur desumptum ex epist. 78 sancti Augustini, ubi de presbytero Bonifacio. Gussanv. De variis judiciis seu probationibus, ad detegenda occulta aut dubia crimina, uberrime noster Edm. Martene, de antiq. Eccl. Ritibus, lib. III, cap. 7.

[d] In collect. Pauli, *Data die* 3 *Non. Junii, indict.* 10.

Epist. XXXIV [*Al.* 26, *indict.* 7]. — [a] De Eusebio jam epist. 32, sup. Cæterum ex brevi hac epistola, quam ad eximiæ sanctitatis episcopum, et quidem

mum flecteret. Quilibet enim in eo fuerit excessus, ipsa ægritudinis afflictio ei debuit pro flagello sufficere. Quem enim divina disciplina conterit, ei humana flagella addi superfluum fuit. Sed fortasse ideo excedere in tali persona permissus es, ut cautior in vilioribus fias, et diu trutines, cum aliquem per sententiam ferire disponis. Eumdem tamen præfatum virum quanto furore exasperasti, tanta nunc dulcedine consolare, quia valde injustum est, **598** ut qui te plus amaverunt, ipsi te sine causa atrociorem contra se sentiant.

## EPISTOLA XXXV.

### AD JOANNEM EPISCOPUM RAVENNATEM.

*Gratulatur ob exhibita Castorio episcopo infirmo charitatis officia. Hunc ad se per Siciliam transmitti petit. Suffraganeorum antistitum, quos a Roma videbant hostes interpositi, Ravennati curam committit.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennati.

Dominicis mandatis præcipimur proximos sicut nosmetipsos diligere, eorumque languoribus tanquam propriis infirmitatibus condolere. Quorum memor fraternitas vestra competenti sibi more [a] Castorium fratrem coepiscum nostrum, et prius compassione habita studuit visitare, et eum postmodum pro excrescenti molestia corporis in Ravennati urbe suscipere. Unde non solum nos impensæ charitatis, sed et Deum vobis fecistis procul dubio debitorem, qui in fratris infirmitate condoluisse probamini, ipsumque ægrum in sui membri molestia non solum visitasse, sed etiam suscepisse. Quem quidem ipse pro sua simplicitate illic ordinare omnimode renuebam, sed [b] petentium importunitas fecit ut contradicere nullatenus potuissem. Si autem fieri potest, multum mihi et ipsi consuletis, si eum [c] ad me vel per Siciliam transmittatis, si tamen ei grave non esse perpenditis. De episcopis vero ad nos pertinentibus, qui tamen huc pro interpositione hostium venire non possunt, curam vestra fraternitas gerat. Ita tamen ut pro causis suis ad Ravennatem urbem nullatenus revocentur, ne eos hoc tempore vexare aut fatigare in aliquo videamur. Sed si qua sunt, quæ in eis videantur juste reprehendi, debent semper per fraternitatis vestræ epistolas admoneri. Sin vero, quod amicissimum scribit, docemur non palpare amicos et adulationibus excæcare, sed libere admonere, imo quandoque increpare. Discamus quoque viris etiam sanctioribus cavendam iram, nec quidquam præcipiti judicio decernendum.

Epist. XXXV [*Al.* 13]. — [a] Is erat episcopus Ariminensis, ut patet ex epist. 12, supra, et nonnullis aliis, maxime ex 44 libri v, ex quo discimus, Castorio, vel propter corporis infirmitatem, vel ob nimiam et fatuam simplicitatem, quam in eo arguit hic sanctus Gregorius ab Ariminensis Ecclesiæ administratione amoto, retenta tamen modica pensione, Leontium huic Ecclesiæ visitatorem datum et administratorem.

[b] Rhem, *sed potentium.*

[c] Fortasse quod propter Langobardorum exercitus qui omnia itinera obsidebant, Romam terra proficisci non esset tutum, ac mari liberior esset transitus et securior.

absit, aliqua graviora contigerint, hæc ad nos subtiliter referre vos volumus, ut inquisitionis vestræ testimonio roborati, quæ legibus canonibusque conveniunt, [d] salubri, juvante Domino, consilio disponamus. [e] Mense Julii, indictione decima. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 52; *sup., ep.* 12; *inf., ep.* 41 *et* 42, *indict.* 11, *ep.* 24 *et* 25, *indict.* 13, *ep.* 44, *indict.* 15.)

## **599** EPISTOLA XXXVI.

### AD EUSEBIUM ABBATEM.

*Ipsum ae superbia arguit, quod redditam a Maximiano episcopo gratiam et communionem respueret. Eidem erogat solidos centum.*

Gregorius Eusebio abbati.

Credat mihi charitas tua quia valde contristatus sum de tristitia tua, ac si in te injuriam ipse pertulissem. Sed cum postmodum agnovi quia etiam reddente reverendissimo viro fratre et coepiscopo nostro Maximiano gratiam atque communionem, tua dilectio ab eo [a] communicari nolebat, cognovi et illud prius justum fuisse quod factum est. Servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere. Qui vero se contra præpositos suos erigunt, profecto ostenditur qui servi Dei esse contemnunt. Et quidem ab illo hoc quod factum est minime fieri debuit, a te tamen cum omni debuit humilitate suscipi; et rursum cum gratiam reddebat, ad eum cum gratiarum actione debuit occurri. Quod quia ita a te factum non est, [b] ad hoc cognosco quia nobis omnino lacrymarum opus est. Non enim grande est iis nos esse humiles, a quibus honoramur, quia et hoc sæculares quilibet faciunt; sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur. Nam Psalmista dicit: *Vide humilitatem meam de inimicis meis* (*Psal.* IX, 14). [c] Nos cujus vitæ summus, qui humiles esse etiam patribus nolumus? Proinde, dilectissime fili, rogo ut omnis amaritudo de corde tuo transeat, ne fortasse finis vicinus sit, et antiquus hostis per iniquitatem discordiæ viam regni cœlestis intercludat. Præterea centum solidos per Petrum subdiaconum dilectioni tuæ dari fecimus, quos peto ut [d] absque injuria sui suscipiat. (*Vide sup. ep.* 34. *Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

[d] Vel *salubri juvante Domini consilio*, ut legitur in Vatic. C.

[e] Ita Turon. S. Gat. et Colb. vet.

Epist. XXXVI [*Al.* 24]. — [a] In excusis, reluctante Mss. consensu, *communicare.*

[b] Vulgati, *adhuc.*

[c] Sanctus Bernardus in apologia ad Guillelmum abbatem: *Væ semel et væ iterum pauperibus superbis.* Et in epist. 42, ad Henricum Senon.: *Miror quosdam in nostro ordine monasteriorum abbates hanc humilitatis regulam odiosa contentione infringere, et sub humili, quod pejus est, habitu et tonsura tam superbe sapere, ut cum ne unum quidem verbulum de suis imperiis subditos prætergredi patiantur, ipsi propriis obedire contemnant episcopis. Spoliant ecclesias ut emancipentur, redimunt se ne obediant. Non ita Christus*, etc. In hac odiosa materia meum non est diutius immorari. Gussanv.

[d] In omne me latus verti, ut quæ fuerit sancti

## EPISTOLA XXXVII.

AD JOANNEM EPISCOPUM SQUILLACINUM.

*Joannem ea lege Squillacinum episcopum instituit, ut ad Lissitanam Ecclesiam revertatur, si illam ab hostibus liberam effici contigerit; abstineat ab illicitis ordinationibus, susceptumque pastoris officium digne gerat.*

Gregorius Joanni episcopo [a] Squillacino.

Pastoralis officii cura (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 42) nos admonet destitutis Ecclesiis proprios constituere sacerdotes, qui gregem dominicum debeant pastorali sollicitudine **600** gubernare. Propterea te Joannem ab hostibus captivatæ [b] Lissitanæ civitatis episcopum in Squillacina Ecclesia cardinalem necesse duximus constituere sacerdotem, ut susceptam semel animarum curam intuitu futuræ retributionis impleas. Et licet a tua Ecclesia sis hoste imminente depulsus, aliam quæ a pastore vacat Ecclesiam debes gubernare; ita tamen ut si civitatem illam ab hostibus liberam effici et, Domino protegente, ad priorem statum contigerit revocari, ad eam in qua [c] prius ordinatus es Ecclesiam revertaris. Sin autem prædicta civitas continua captivitatis calamitate premitur, in hac in qua a nobis incardinatus es, debeas Ecclesia permanere. Præcipimus autem (*Grat. dist.* 34, *c.* 10) ne unquam illicitas ordinationes facias. Nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus uxorem, aut ignorantem litteras, vel in qualibet parte corporis vitiatum, vel pœnitentem, [d] vel cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere. Sed si quos hujusmodi repereris, non audeas promovere. Afros passim (*Grat. dist.* 98, *c.* 3), vel incognitos peregrinos, ad ecclesiasticos ordines tendentes, nulla ratione suscipias, quia Afri quidam Manichæi, [e] aliqui rebaptizati; peregrini vero plurimi etiam in minoribus ordinibus constituti, [f] ad fortiorem de se prætendisse honorem sæpe probati sunt. Admonemus etiam fraternitatem tuam ut in commissis sibi animabus solerter invigilet, et animarum magis lucris quam commodis vitæ præsentis intendat. In continendis aut disponendis rebus Ecclesiæ diligens existat, ut omni ex parte susceptum, digne te gessisse pastoris officium venturus judex, cum ad judicandum venerit, debeat approbare.

## EPISTOLA XXXVIII.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Crotoniensis Ecclesiæ, post antistitis obitum, visitationem et curam mandat.*

Gregorius Joanni episcopo Squillacino.

Obitum [a] illius antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus; quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid istud est, in patrimonio ejusdem a quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque **601** ejusdem Ecclesiæ admonere [b] festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati et dilectionis tuæ testimonio litterarum [c] ad nos veniat consecrandus. [d] Commonemus fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis impendis officium nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Provisurus ante omnia ne ad hoc cujuslibet conversationis vel meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.

Gregorii mens expiscare, necdum occurrit. Quis enim credat quemquam expostulaturum et injuriæ deputaturum quod centum aurei nummi sibi dono dentur? Gussanv. Similem loquendi modum usurpabat sanctus Gregorius, cum personis in aliquo honoris gradu positis impendebat eleemosynam. Vide indict. 3, epist. 31; indict. 6, epist. 19. Scilicet verebatur humillimus pontifex ne, ex vani honoris sensu, eleemosynis sustentari erubescerent, illasve quasi suæ dignitati injuriosas dedignarentur.

Epist. XXXVII [*Al.* 25]. — [a] Scyllaceum quod Gregorius *Squillacium* appellavit, vulgo *Squillace*, urbs olim Brutiorum, nunc adhuc episcopalis sub archiepiscopo Regiensi: sita est in ora maris Jonii, in Calabria ulteriore et regno Neapol., Locros inter et Consentiam, gaudetque titulo principatus. Eam olim ob iteratam episcoporum cædem episcopali sede privatam legimus apud Gratianum caus. 25, q. 2, c. *Ita nos*. Gussanv. De hac urbe legendus Cassiod., l. xii, epist. 15, ubi dicitur prima Brutiorum, ejusque origo etc., situs describuntur.

[b] Ita mss. Codd. melioris notæ, non Lusitanæ, ut antea. Est autem Lissus Hierocli et Prolemæo urbs in ora provinciæ Prævalitanæ in Illyrico, ad mare Adriaticum, hodie *Alessio*. Quidam existimant cum Dionysio, lib. i, Antiq. Rom., intelligendum esse de urbe Lista, non de Lisso. At contendit Holstenius Listam nunquam habuisse episcopum. Vide ejus annotationes in Geographiam sacram, pag. 3, 16 et 124, et in Ortelium, pag. 106.

[c] Excusi, *prius incardinatus es*. Lectionem Mss. quam sequitur Gratianus prætulimus.

[d] Additur in vulgatis, *vel curiæ, vel cuilibet*. Duas priores voces ignorant Mss. Vatic., Norm., Regii, etc.

[e] Hinc colligo quosdam tunc admissos et promotos sine litteris dimissoriis proprii episcopi; nam per eas de fide et moribus abunde constitisset. Gussanv.

[f] Tres Vatic., *fortiori de se prætendisse honori*. Gratian., *fortiores de se prætendisse honori*.

Epist. XXXVIII [*Al.* 17]. — [a] Mendose in Edit.: *Obitum Paulini Turiatinensis Ecclesiæ, sed et illius Turritanæ Ecclesiæ antistitum*. In tribus Vatic., ubi est contractior hæc epistola, et in nonnullis aliis Mss., *antistitis Crotoniensis*. In Vatic. D, in Turon. S. Gat., Norman., Corb., etc., et in Mss. Joannis Diaconi, l. iii Vitæ sancti Gregorii, c. 22, legitur simpliciter, *illius antistitis*. Est formula quædam, qua vacantibus Ecclesiis episcopus visitator providebatur. Epistola tamen subsequens docet hic agi de Ecclesia Crotoniensi.

[b] Al., *te volumus*.

[c] Al., *sacrandus occurrat*.

[d] Hæc usque ad *provisurus*, etc., non sunt in Vatic. nec in Mss. Joan. Diaconi.

• Monasteria autem, si qua sunt in ipsius parochia constituta, sub tua cura dispositioneque, quousque illic proprius fuerit episcopus ordinatus, esse concedimus, ut sollicitudinis tuæ vigilantia proposito suo congrua, Deo juvante, actione respondeat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 22.)

## EPISTOLA XXXIX.

AD CLERUM, ORDINEM, ET PLEBEM CROTONÆ.

*Ut Joanni episcopo visitatori obediant, atque idoneum sibi postulent sacerdotem.*

Gregorius [a] clero, ordini et plebi consistenti [b] Crotonæ.

Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri et coepiscopo nostro [c] Joanni solemniter delegare. Cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus obedire convenit, [d] quatenus in ecclesiastico officio sacerdos exquiratur qui et a venerandis canonibus nulla discrepet [e] ratione. [f] Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus, provisuri ante omnia ne cujuslibet vitæ vel meriti laïcam personam præsumatis eligere. Nam non solum talem ad episcopatus apicem **602** nulla ratione provehendum, verum etiam [g] vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite; sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et a communione alienos faciendos procul dubio noveritis. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 22.)

## EPISTOLA XL.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Ut de causa Viulandi contra Gravinianum, amota dilatione, judicet.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennæ.

Jurgantium controversias celeri sententia termi-

Hic desinit epistola in Edit. Baluz. In Mss. autem Vatic. D et Joan. Diaconi additur quod de monasteriis hic legitur. Consentiunt Excusi. In tribus aliis Vatic. A, B, C, absolvitur ad verbum *ministeriisque*, addito *etc.*

Epist. XXXIX [*Al.* 27]. — [a] Irrepsit in Ed. *Joanni, clero*, etc. De Joanne nulla mentio in Colb., Teller., Norm., Vatic., Reg., etc., nec ad Joannem scripta credi potest hæc epistola, in qua de ipso in tertia persona loquitur sanctus Gregorius.

[b] Croto, et Croton, recentioribus Crotona, vulgo *Crotone*, urbs alias Brutiorum in magna Græcia, ad mare Ionium, ex qua Crotoniates ille Milo athleta fortissimus; nunc Calabriæ ulterioris in regno Neapol. Adhuc est episcopalis sub archiepisc. Regiensi. Gussanv. In plur. Mss., leginus *Cotronæ*. In Reg. 3800, *Ortoriæ*.

[c] Scilicet Joan. Squillaceno episc. ad quem superior epistola.

In Excusis, *convenit; et remoto strepitu, uno eodemque consensu, talem vobis præficiendum expetite sacerdotem.* Sequimur Vatic. D, Norm., Rhem. In 3 Vatic. A, B, C, in Regiis, in Andeg. et in plerisque Mss., hæc verba, *a quoquam usurpari patiantur*, addito *etc.*, epistolam claudunt. Unde ex ipsis explorari non potest quæ sit vera lectio.

[e] Intexitur in Excusis *et tanto ministerio dignus va-*

A nare, et æquitati procul dubio convenit et vigori. Quia ergo Viulandus, præsentium lator, fraternitatis tuæ cognitionem implorat, diaconem Gravinianum, contra quem se habere causam commemorat, fraternitas tua ad suum faciat accersire judicium; et, amota dilatione, causæ veritatem subtili inquisitione discutiat et quæcunque justitiæ ordo dictaverit, ac tua fuerit sententia definita, et observare et implere partes modis omnibus compellantur.

## EPISTOLA XLI.

AD CASTORIUM EPISCOPUM.

*Ne Castorius episcopus ejusve successores, mortuo Ariminensi abbate, res monasterii describant aut administrent; ne alium ab eo quem congregatio poposcerit abbatem ordinent • ne in monasterio missas publicas faciant.*

Gregorius Castorio episcopo Arimini.

Luminosus abbas monasterii sanctorum Andreæ et Thomæ, in Ariminensi civitate constituti, quas nobis lacrymabiliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat. Pro qua re fraternitatem tuam hortamur, ut, obeunte abbate monasterii ipsius, Ecclesia tua in describendis providendisque acquisitis acquirendisve ejusdem monasterii rebus nulla se occasione permisceat. Abbatem vero eidem monasterio non alium, sed quem dignum moribus [a] atque aptum monasticæ disciplinæ communi consensu congregatio tota **603** poposcerit, te volumus ordinare. Missas autem illic publicas per episcopum fieri omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus popularibus occasio præbeatur ulla conventibus, et simpliciores ex hoc animas plerumque, quod absit, [b] in scandalum trahat frequentior quoque muliebris introitus. Hanc autem scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore a te vel post te episcopis ordinandis firmam statuimus illibatamque servari, ut et tua Ecclesia, juvante Domino, suo tantummodo sit jure contenta et monasterium illud, [c] nulli ulte-

*leat reperiri;* quæ in nostris exemplaribus desiderantur.

[f] De distinctione inter postulationem et electionem, vide extra, lib. I, tit. 5 et 6. Honorius III voces explicat, c. finali, de postulat. prælat.: *Etsi*, inquit, *unanimiter vota concurrerint ad Sutriensem episcopum in Ecclesiæ vestræ archiepiscopum eligendum, cum suæ alligatus Ecclesiæ liberum non habeat sine nostra permissione volatum, electionem de ipso factam tanquam contra canones minus licite attentatam de fratrum nostrorum consilio duximus irritandam, cum eligi nullo jure potuerit, sed potius postulari.* Quæstio de nomine, priscis ignota Patribus. Gussanv.

[g] His verbis docet sanctus Gregorius quantum velit obsistere ne quis laicus nullo prævio in militia clericali tyrocinio, nullo aliquot annorum experimento, ad episcopatus apicem temere contendat; imo contestatur se nulli ad eam dignitatem ambitiose anhelanti veniam daturum, sed potius cum illo summo jure juxta canones experturum, acturum. Gussanv

Epist. XLI [*Al.* 28]. — [a] Ita Mss. Vatic., Norm. et alii. At Vulgati, *atque actibus monasticæ disciplinæ.*

[b] Excusi, *trahat; frequentior quoque muliebris*, vel *mulierum introitus arceatur.*

[c] Ita restituimus ex iisdem Mss., cum in Excusis sit lectio paulo diversa.

rius alii quam generali canonicæve jurisdictioni deserviens, remotis vexationibus ac cunctis gravaminibus, divinum opus cum summa animi devotione perficiat [d]. (*Vide ep.* 12.

Gregorius Castorio episcopo de Arimino.

Luminosus abbas monasterii sanctorum Andreæ et Thomæ, in Ariminensi civitate constituti, quas nobis lacrymabiliter preces effuderit, inditæ textus petitionis informat. Namque eodem referente, plurimis in monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse comperimus. Oportet ergo ut tuæ fraternitatis provisio de futura quiete eorum salubri disponat ordinatione, quatenus conversantes in illis in Dei servitio, gratia illius suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam monachis quidquam molestiæ inferre præsumat, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus, ita studio fraternitatis episcoporum debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri.

[e] *De privilegiis monasteriorum.*

Interdicimus igitur in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate beati Petri apostolorum principis prohibemus, cujus vice huic Romanæ Ecclesiæ præsidemus, ut nullus episcoporum aut sæcularium ultra præsumat de reditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocunque modo occasiones movere, vel dolos vel immissiones aliquas facere; sed si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum ecclesiarum et monasteriorum evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud electos abbates et alios Patres timentes Deum, sine voluntaria dilatione mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. Defuncto vero abbate cujusquam congregationis, non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua, ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeunt, solerter sibi de aliis monasteriis similiter eligant ordinandum. Neque constituto abbate **604** quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte exstantibus criminibus, quod absit, quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est ut invito abbate ad ordinanda alia monasteria aut ordines sacros vel clericatus officium tolli exinde monachi non debeant. Descriptiones quoque rerum aut monasterii ab episcopis ecclesiasticas fieri omnino negamus. Sed si, quando res exigit, abbas loci cum aliis abbatibus causas rerum inventarium faciat, et eorum consilio sive judicio finiatur. Oboeunte quoque abbate episcopus in describendis providendisque rebus monasterii acquisitis, vel datis, acquirendisve nulla se occasione permisceat. [f] Missas quoque publicas ab eo in cœnobio fieri omnimodo prohibemus, ne in servorum Dei recessibus et eorum receptaculis ulla popularis præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino non expedit animabus eorum. Nec audeat ibi cathedram collocare vel quamlibet potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate; nullusque monachum sine testimonio vel concessione ab his in ecclesia aliqua teneat, vel ad aliquem promoveat honorem. Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni in futuro tempore ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatamque servare, ut et suæ Ecclesiæ, juvante Domino, tantummodo sint jure contenti, et monasteria ecclesiasticis conditionibus seu angariis vel quibuslibet obsequiis sæcularibus nullo modo subjaceant, nullis canonicis [g] juris deserviant, sed remotis vexationibus a cunctis gravaminibus divinum opus cum summa animi devotione perficiant. (*Vide ep.* 15, *l.* VIII.)

## EPISTOLA XLII.

### AD LUMINOSUM ABBATEM.

*Scribit omnia gravamina a monasterio illius ablata, ut ibi divinum opus summa tranquillitate ac devotione peragatur.*

Gregorius Luminoso abbati monasterii sancti [a] Thomæ de Arimino.

Petitionem tuam congregationisque tuæ libenter suscepimus, secundum statuta Patrum jurisque formam tuis precibus accommodantes effectum. Castorio siquidem fratri et coepiscopo nostro, nostra præceptione transmissa ei epistola successoribus ejus, et a te monasterioque tuo cunctam læsionis funditus abstulimus facultatem; ut nec ultra in vestro versetur gravamine, nec monasterii res describantur, nec publica illic debeat esse processio; illa videlicet ei jurisdictione relicta, ut in defuncti abbatis locum alium quem dignum communis consensus congregationis elegerit debeat ordinare. His autem ita perfectis, in **605** Dei opere estote solliciti, et assidue operam orationi date, ne non videatur magis vobis quæsita mentis in oratione securitas, sed male, quod absit, degentibus episcopalis evitata districtio

[d] In collect. Pauli Diac. legitur, *Data die* 6 *mensis Junii, ind.* 14. In Colb. vet., *data in die... indict.* 13. In Vulgatis: *Mense Julio, indict.* 13. Quas temporis notas falsas suspicamur; qua ratione vero, jam alibi dictum. Quia autem hæc epistola in Turon. S. Gat. et in Cod. Regio 3800 longe alio modo refertur quam in Vulgatis, eique attexitur charta de privilegiis monasteriorum, utrumque vetus monumentum edendum curavimus. Legitur apud Baron. sub nomine constituti de exemptione vel exceptione monachorum

[e] Per modum tituli habetur majori characlere. *De privilegiis*, etc.

[f] Idem vetat lib. VIII, epist. 4, et lib. X, epist. 3. Prohibitionem firmat ex consuetudine lib. VI, epist. 46; hic vero rationem aperit genuinam, *ne in servorum Dei recessibus*, etc. Ut missæ in monasterio a presbyteris cum episcopi licentia celebrentur concedit lubens; at ne episcopus missas ibi publicas faciat, cavet summopere, ob causam duplicem in ipso epistolæ contextu aperte expressam. Vide lib. III, epist 63, lib. V, epist. 38, lib. VI, epist. 46.

[g] Quæ sequuntur corrupta sunt.

EPIST. XLII. — [a] In 1 Teller., *sancti Andreæ.*

## EPISTOLA XLIII.

AD FELICEM EPISCOPUM.

*Trium vacantium Ecclesiarum visitationem injungit.*

Gregorius [a] Felici episcopo [b] de Acropoli.

Quoniam [c] Velina (*Grat.* 12, *q.* 1, *c.* 14), [d] Buxentina, et [e] Blandana Ecclesiæ, quæ tibi in vicino sunt constitutæ, sacerdotis noscuntur vacare regimine; propterea fraternitati tuæ earum solemniter operam visitationis injungimus, illud præ omnibus commonentes, ut ubi præfatarum Ecclesiarum sive diœceseos earum, vel diaconi, sive religiosæ personæ inventæ fuerint, districte canoniceque ut vivant [f] modis omnibus studebis. Nec passim eis in qualibet re sit excedendi licentia, sed tuo moderamine atque provisione inculpabiliter in qua sunt conversatione vel habitu perseverent; sciturus, si quid secus accesserit, tuo neglectui modis omnibus imputari. [g] Presbyteros quoque vel diacones, si in aliquibus Ecclesiis [h] prævideris ordinandos, si tales personæ fuerint quæ a canonicis regulis morum vel vitæ qualitate nullo modo reprobentur, habebis per omnia ordinandi licentiam. Ministeria vero earumdem Ecclesiarum ubi sint recondita, sollicita indagatione perquire; quibus repertis, ad nostram notionem perducere festinato, ut cognoscentes quid fiendum sit, adjutore Domino, disponamus.

## EPISTOLA XLIV.

AD LUCILLUM EPISCOPUM.

*Ut clericos suos terrarum Africanæ Ecclesiæ quas tenebant, pensionem absque mora cogat persolvere.*

Gregorius [a] Lucillo episcopo [b] de Melita.

A Officii nostri decet valde propositum subjectis magnopere suadere ut rebus debeant **606** servare fidem [c] in placitis; ne dum inconsiderate lucrandi rapiuntur studio, pacificam vertant conventionem in jurgium. Pervenit itaque ad nos fraternitatis tuæ [d] clericos, terras Africanæ tenentes Ecclesiæ, quod [e] pensionem earumdem possessionum dare contemnant. Quod si verum est, et ad fraternitatis tuæ hæc sunt perlata notitiam, tua in hoc desidia eorum culpa nutrita est. Ob quam rem scriptis te præsentibus admonemus, quatenus ad persolvendam pensionem nulla mora nullaque excusatione eosdem clericos uti permittas. Sed si fidem honestatis contemplatione servare postponunt, tua districtione compulsi, quæ rationi conveniunt cogantur implere. Nam si hujus B rei ad nos denuo querela recurrerit, et de te aliam æstimationem habere incipiemus, et in illos, ut dignum est, vindicabimus.

## EPISTOLA XLV.

AD BENENATUM EPISCOPUM.

*Cumanam et Misenatem Ecclesias unit, ac utriusque Pontificem constituit Benenatum.*

Gregorius Benenato episcopo.

Et temporis qualitas (*Grat.* 16, *q.* ., *c.* 48), et vicinitas nos locorum invitat, ut Cumanam atque [a] Misenatem unire debeamus Ecclesias, quoniam eæ non longo a se itineris spatio sejunctæ sunt, nec, peccatis facientibus, tanta populi multitudo est ut singulos, sicut olim fuit, habere debeant sacerdotes. Quia igitur Cumani castri sacerdos cursum vitæ hujus explevit, utramque nos ecclesiam præsentis auctoritatis

Epist. XLIII [*Al.* 29]. — [a] In Vatic. A et B: *Felici episcopo de Acropoli visitatori provinciæ Lucaniæ.* In Corb., *Felici presbytero visitatori*, etc.

[b] Olim urbs episcopalis in Lucania, nunc obscuri nominis oppidum, vulgo *Agropoli* dictum, in sinu Salernitano situm. Vide Hostenii annot. in Italiam antiq., pag. 286. Gussanv.

[c] Velia urbs olim Lucaniæ episcopalis in ora littorali maris Tyrrheni, Pæstum inter et Buxentum, ubi nunc *Castel' a mare della Bruca.* Gussanv.

[d] Buxentum vel Buxentium, nunc *Policastro*, urbs Italiæ, hodieque episcopalis, sub archiepiscopo Salernitano in Lucania, quæ dicitur nunc principatus citerior in Regno Neapol. Gussanv.

[e] Blanda urbs olim Lucaniæ. Id probat Cluverius Italiæ antiquæ lib. IV, pag. 1263, cui suffragatur Holstenius, pag. 22, aitque eam appellari hodie *Porto di Supri.* Gussanv.

[f] In recent. Vulgatis, *modis omnibus admonere studebis.* Additum est *admonere*, invitis Mss. Vatic., etc.

[g] Huic visitatori dat presbyteros et ministros ordinandi licentiam : denegat Leontio epist. 24, lib. III, indict. 11. Gussanv.

[h] Al., *provideris*, ut habent Norm. Codd. et alii.

Epist. XLIV [*Al.* 30]. — [a] Hic postea ob crimina depositus est ex epist. 63 lib. IX, indict. 2, eique suffectus Trajanus, ex epist. 1, lib. X. Rocchus Pirrus, in notitia Melitensi, pag. 592, putat eum esse qui in titulo epistolæ 18 lib. XIII, appellatur Lucidus, quod supradictis quoniodo convenire possit non video, cum jamdiu depositus fuisset. Adde quod in omnibus exemplaribus tam mss. quam editis legatur *Lucido*, in nullo autem *Lucillo*. Denique in eodem titulo recensetur Trajanus ipse qui ei successerat. Gussanv.

[b] Italice *Malta*, insula maris Mediterranei, Africam inter et Siciliam, a promontorio Pachyno LX, mill. C distans, sub dominio equitum sancti Joannis Hierosolymitani, ubi adhuc sedes est episcopalis sub archiepiscopo Panormitano. Gussanv.

[c] Placitum, vox juris et fori qua nunc conventio, nunc principis constitutio, aut sententia judicum, nunc procerum conventus significatur. In dig., de transact., leg. 33, placere dicuntur quæ inter aliquos convenere. Occurrit sæpe in Gallicanis conciliis vox ista. Aquisgran. II, an. 836 : *Placita et nuptiæ prohibeatur celebrari diebus Dominicis.* Auget.

Chalced. conc., can. 3, vetitum est clericis esse conductoribus alienarum possessionum. In Carthag., c. 16, in Arel. II, c. 14, in Vernensi, c. 16. Præclare sanctus Hieronymus, epist 2, ad Nepotianum : *Procuratores et dispensatores domorum publicarum atque villarum quomodo possunt esse clerici, qui propria jubentur contemnere?* Hic justas ob causas videtur fuisse cum illis dispensatum. Non, ut volunt quidam, Innoc. III, c. *Vestra*. de locat., probavit decimas Ecclesiæ dari ad firmam solis clericis, imo concessit D quibuslibet locari posse, contra quam episcopi decreverant. Narrat sanctus Paulinus in natali 5 sancti Felicis, hunc martyrem tria macri jugera ruris conduxisse, nec proprio sub jure tenuisse, quæ propria manu sine ministro coleret. Peccare videbatur in verba, non in sensum canonum. Gussanv.

[e] Id quod pro alicujus rei usu datur; magis proprie pro mercede inhabitationis ædium alienarum, ἐνοίκειον ; sæpe pro reditu quocunque annuo. Sic beneficia passim, retenta pensione, resignantur. Gussanv.

Epist. XLV [*Al.* 31.] — [a] Misenum, urbs olim episcopalis Campaniæ in Italia. Ejus ruinæ, quæ in Miseno monte visuntur, sicut promontorium Prochytæ adjacens insulæ, adhuc *Miseno* vulgo dicuntur, non longe ab Ischia insula, quæ olim Œnaria. Desiit nunc episcopatus, Cumana vero Aversanæ unita est.

pagina unisse tibique commisisse cognosce, propriumque utrarumque Ecclesiarum scito te esse pontificem. Et quæque tibi de earum patrimonio, vel cleri ordinatione sive promotione, juxta canonum statuta visa fuerint ordinare atque disponere, habebis ut proprius revera sacerdos liberam ex nostræ auctoritatis consensu atque permissione licentiam. Ubi vero commodius atque utilius esse perspexeris, habitato; ita sane, ut alteram [b] Ecclesiam, a qua corporaliter ad præsens absens es, sollicita providentique cura disponas, quatenus divina illic [c] mysteria solemniter, auxiliante Domino, peragantur. **607** [d] Fraternitas ergo tua tanto in adhortatione lucrandisque animabus sollicitiori cura semper invigilet, quanto se unitarum Ecclesiarum gubernationis onera suscepisse cognoscit.

## EPISTOLA XLVI.

### AD JOANNEM EPISCOPUM

*Quod ejus epistolis non responderit, morbum causatur. Hortatur ut Romani animum ad pacem cum Ariulpho ineundam inclinet. De schismaticis Istriæ episcopis ad unitatem compellendis, se ad impp. scripturum asserit. Ordinatum non esse iterum ordinandum. Monendum de Neapolitanæ urbis periculo Exarchum. Misericordiam prius fidelibus quam Ecclesiæ hostibus faciendam. Se de Natalis episcopi correctione consolatum. A Malcho episcopo dudum patrimonii rectore rationes deposcit.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennæ.

Quod multis scriptis vestræ beatitudinis minime respondi, non hoc torpori meo, sed languori deputate, quia, peccatis meis facientibus, eo tempore quo [a] Ariulphus ad Romanam urbem veniens alios occidit, alios detruncavit, tanta mœstitia affectus sum, [b] ut in cholicam molestiam caderem. Valde autem mirabar quid esset, quod illa mihi notissima sollicitudo vestræ sanctitatis huic urbi meisque necessitatibus minime prodesset; sed scriptis vestris discurrentibus, agnovi vos quidem [c] sollicite agere, sed tamen apud quem agere possitis non habere. Peccatis ergo hoc meis deputo quia iste, qui nunc interest, et [d] pugnare contra inimicos nostros dissimulat, et nos facere pacem vetat, quamvis jam modo, etiamsi velit facere, omnino non possumus, quia Ariulphus exercitum [e] Autbari et Nordulphi habens, eorum sibi dari [f] precaria desiderat, **608** ut nobiscum aliquid loqui de pace dignetur.

De causa vero [g] episcoporum Istriæ, omnia quæ mihi vestra fraternitas scripsit, ita esse jam ante deprehendi in iis jussionibus quæ ad me a piissimis principibus venerunt, quatenus me interim ab eorum compulsione suspenderem. Ego quidem pro iis quæ scripsistis zelo atque ardori vestro valde congaudeo, debitoremque me vobis multipliciter factum profiteor. Scitote tamen quia de eadem re serenissimis dominis cum summo zelo et libertate rescribere non cessabo. Movere autem vos non debet præfati excellentissimi viri Romani Patricii animositas, quia nos quanto eum loco et ordine præimus, tanto si qua sunt ejus levia, tolerare mature et graviter debemus

Si quando tamen est aliquis cum eo locus obtinendi, agat apud eum fraternitas vestra, ut pacem cum Ariulpho, si ad aliquid parum possumus, faciamus, quia miles de Romana urbe [h] tultus est, sicut ipse novit. [i] Theodosiaci vero, qui hic remanserunt, [k] rogam non accipientes, vix ad murorum quidem custodiam possit, mortuo rege, ejus exercitum duce Ariulpho sibi debita precaria, seu pecuniæ collationem petiisse.

[b] Recent. Ed. sic mutarunt : *Ecclesiam, cui corporaliter præsens non es.* Sequimur unanimem Mss. consensum.

[c] In Vatic. A, norm. et nonnullis, *ministeria.*

[d] Interest plerumque ecclesiasticæ politiæ ut parœciæ nova ordinatione aut amplientur, aut circumcidantur, aut in plures dividantur, aut plures in unam coalescant. Hanc dispensationem sibi primum sumpsere synodi, dehinc summi pontifices, tum singuli episcopi in sua quisque diœcesi. Quarum mutationum causam unam dico, salutem populi. Simile quidpiam contingit in episcopis, qui priori sede derelicta ad aliam convolant; de quibus videat lector Sardicensis conc. can. 1, 2; Antioch. c, 3, 21. Calcedon., c. 5, et multos canones relatos 7, q, 1. Gussanv. Cæterum Ecclesiarum Misenatis et Cumanæ unionem haud diu durasse observat non semel Ughellus in Italia Sacra. De unione beneficiorum supra, lib. I, epist. 8.

Epist. XLVI [*Al.* 32].— [a] Dux Beneventanus post Faroaldum. Videndus Paulus Diaconus, Historiæ Langobardorum lib. IV, cap. 17. Male in plurimis exemplaribus legitur *Arnulphus.* Gussanv. In Norm., *Arinulfus.* In Vatic. A, *Agilulfus.*

[b] Tres Vatic., *in coli molestiam.*

[c] Hic discrepant Mss., *sed tamen..... non habere,* abest a Norm. In Vatic. legitur *apud quem ageretis,* vel, *apud quem ageret,* aut *ageres.* In Vatic. D, habes *sollicite agere, culpamque non habere. Peccatis ergo,* etc. Consentiunt Norm.

[d] In Vulgatis, *repugnare,* invitis Mss. Vatic., etc.

[e] Ita Mss. At Editi, *Autharis.* Non Flavii Autharis Regis, qui anno præterito e vivis excesserat, ex Epist. 17 lib. I, hic fit mentio, sed alicujus fortasse ducis Langobardorum cognominis; quanquam dici quoque possit, mortuo rege, ejus exercitum duce Ariulpho sibi debita precaria, seu pecuniæ collationem petiisse.

[f] Hæc vox varie ab auctoribus usurpatur; secundum etymon rem significat quæ petenti utenda conceditur quandiu is qui concessit patitur. Sic dicitur imperium precarium, precaria anima, auxilium precarium, jus precarium, quæstus precarius, etc. Videat lector in digestis, lib. LXIII, tit. 26, ubi multa de precario statuuntur. At in jure canonico censetur esse contractus precariæ, quando pro re donata Ecclesiæ redditur ab eadem Ecclesia donatori duplum vel triplum in usufructum, et habetur caus. 10, quæst. 2, cap. 4, ex concil. Meldensi, anno 845, can. 22. Quapropter non revocatur pro arbitrio concedentis, sed accipientis morte finitur, nisi forte precaria fuerit irrationabiliter facta. Vide etiam Extra., lib. 3, tit. 14, ubi de precariis de quinquennio in quinquennium renovandis. In Agathensi et Epaon., pro *precariis* reperimus *precatorias.* Leptinense concilium, can. 2, meminit *precariæ*, sed rem obscurat. Gussanv. Docte quidem, sed hic precarium idem videtur esse ac militaris roga, de qua mox, necnon lib. V, epist, 30; lib. IX, epist. 124; lib. XII, epist. 5, nisi pecuniam intelligas exercitibus illis ab Ariulpho promissam.

[g] Schismaticorum propter tria capitula, qua de re satis dictum est in Vita sancti Gregorii.

[h] In Aud. et nonnullis aliis Mss., *ablatus est,* quos sequuntur Ed Mss. Vatic. adhæremus; de hac autem voce jam dictum lib. III Moral., num. 22. Vide quoque lib. XXV, num. 5.

[i] Sic legitur in omnibus pene Mss.; at in Vulg., *Theodosiani.* Milites erant legionis quæ nomen a Theodosio Mauricii Augusti filio acceperat.

[k] Ῥόγα donativum, honorarium, stipendium. Ῥογά

dium se accommodant, et destituta ab omnibus civitas, si pacem non habet, quomodo subsistet?

Præterea de puella de qua scripsistis nobis, quæ de captivitate redempta est, ut requiri qualiter orta sit debuissemus, sciat sanctitas vestra quia ignota persona non facile investigari potest. Illud autem quod dicitis, ut is qui ordinatus est iterum ordinetur, [l] valde ridiculum est, et ab ingenii vestri consideratione extraneum, nisi forte quod exemplum ad medium deducitur, de quo et ille judicandus est qui tale aliquid fecisse perhibetur. Absit autem (*Grat. dist.* 68, *c.* 1) a fraternitate vestra sic sapere. Sicut enim baptizatus semel iterum baptizari non debet, ita qui consecratus est semel, in **609** eodem iterum ordine non valet consecrari. Sed si quis forsitan cum levi culpa ad sacerdotium venit, pro culpa pœnitentia indici debet, et tamen ordo servari

De Neapolitana vero urbe, excellentissimo exarcho instanter imminente, vobis indicamus, quia [m] Arigis, ut cognovimus, cum Ariulpho sé fecit, et reipublicæ contra fidem venit, et valde insidiatur eidem civitati, in quam si celeriter dux non mittatur, omnino jam inter perditas habetur

De hoc vero quod dicitis incensæ civitati Severi schismatici eleemosynam esse mittendam, idcirco vestra fraternitas sentit, quia quæ contra nos præmia in palatium mittat ignorat. Quæ etsi non transmitteret, nobis considerandum fuit quia misericordia prius fidelibus ac postea Ecclesiæ hostibus est facienda.

A Juxta quippe est civitas [n] Fanum, in qua multi captivati sunt, ad quam ego jam transacto anno transmittere volui, sed inter hostes medios non præsumpsi. Videtur ergo mihi ut Claudium abbatem cum aliquanta pecunia illuc transmittere debeatis, ut liberos quos illic pro pretio in servitio teneri invenerit, vel si qui adhuc sunt captivi, redimat. De summa vero ejusdem pecuniæ transmittenda, vobis certum sit quia quidquid vos decernitis, mihi placet. Sin autem cum excellentissimo viro Romano Patricio agitis ut pacem facere cum Ariulpho debeamus, ego ad vos personam aliam transmittere paratus sum, cum qua [o] mercedis causæ melius fiant. De fratre autem et coepiscopo nostro Natali valde contristabar, quod de illo quædam superba cognoveram; sed quia mores B suos ipse correxit, meam tristitiam simul meipsum vincendo consolatus est. Pro qua te fratrem et coepiscopum nostrum Malchum admone, ut priusquam ad nos veniat, [p] rationes suas ponat, et tunc demum alibi, si necesse est, proficiscatur. Et si ejus actus bonos cognoscimus, ei fortasse necesse est ut hoc ipsum patrimonium quod tenuit restituamus.

## EPISTOLA XLVII.

### AD DOMINICUM EPISCOPUM.

*Gratulatoriæ de ordinatione sua epistolæ dilationem eximia charitate compensari. Virtutum hanc matrem quam variis effert laudibus inconcussa stabilitate tenendam. Ut Romanæ Ecclesiæ privilegia defendit, sic singulis quibusque Ecclesiis sua jura servat.*

Gregorius Dominico episcopo [a] Carthaginensi

Perlatas ad nos serius per Donatum atque Quod-

τορες, stipendiarii, ϕογεύειν, stipendia facere. Hinc C erogare, erogatores, erogatorii. Ῥογάλια, dies, in quibus rogæ dabantur. Sic in Landulpho sagaci, de Tiberio II: *Duxit Anastasiam uxorem..... et jactavit rogam multam*; id est, multam pecuniam sparsit. Hæc vox frequenter legitur apud Latinos et Græcos mediæ ætatis scriptores. Xylander, in notis ad Cedrenum, interpretatur ϕόγαν, stipendia militum, vel imperatorum dona Kalendis Januarii, et natalibus principum et urbium regiarum exhibita. Gussanv. Roga apud Scriptores sacros sumitur quoque pro donativo, his qui in Ecclesia militant erogato. Anast. Bibioth., in Agathone: *Hic divisit omni clero rogam, et ad luminaria*, etc. In Glossar. Isidori, a Joan. Georgio Grævio recognito, roga est eleemosyna.

[l] Ridiculum sane eo duntaxat aliquem iterato ordinandum censere, quod *cum levi culpa venerit ad sacerdotium*, ut infra legitur. At neque Gregorii Magni ætate, neque sexcentis post ipsum annis, ridiculum erat de ordinationibus illis dubitare quæ ab hæreticis et schismaticis, aut ab ipsis catholicis, sed D contra canones, datæ vel susceptæ fuissent. In concilio CP. I, c. 4, Maximi in Constantinopolitanum episcopum ordinatio declaratur nulla, et ordinationes ab illo factæ censentur irritæ, quod episcopos ad seipsum ordinandum pecunia pertraxisset. Non aliud in Constantini papæ ordinatione vitium fuit, nisi quod ex laicis electus, canonica ordinum interstitia non servasset; ecce tamen in Romano concilio, cui selecti XII e Gallia episcopi aderant, deponitur. De episcopis vero atque presbyteris et diaconibus quos ipse Constantinus consecraverat, ita in eodem concilio promulgatum est, *ut episcopi illi, si aliquis eorum presbyter aut diaconus fuerit, in pristinum honoris sui gradum reverteretur; et si placabiles fuissent populo civitatis suæ, denuo facto decreto electionis, more solito cum clero et plebe, ad apostolicam advenirent sedem, et ab eodem sanctissimo Stephano papa* (*Constantini successore*) *benedictionis susciperent consecrationem.* Lucius III schismaticos iterata ordinatione recepit. Serio ac diu agitatæ fuerunt celebres controversiæ de iis ordinandis qui ab Ebbone Rhemensi antistite et a Formoso papa fuerant ordinati. (*Vide Morin., de sacris Ordinat., parte* III, *exercitat.* 5; *Petrum Damiani, opuscul.* 6 *integro, quod inscripsit* Gratissimus; *Petrum Lombard., dist.* 25; *Gratianum*, 1, *q.* 1.)

[m] *Arigis* dicitur Paulo Diacono. In Chronico ducum Beneventi et principum Salerni, *Archis.* In Chronico monachi anonymi, *Arichis.* Fuit hic secundus dux Beneventanus, successor Zotonis per annos 50. Porro *se fecit*, id est ivit, abivit. Facio et facesso idem; hinc facesse, hinc abi. Donatus in Phormione ad illud, *hinc hæc facessat*, pro hinc se faciat, id est abeat; ut hinc se faciat, huc accedat, hæc hinc facessat, procedat, alias faciat. Apuleius, lib. v Milesiarum: *Invitata Psyche talium locorum oblectatione, propius accessit, et paulo fidentior intra limen sese fecit.* Hæc ex Salmasio in Tertulliani Pallium, cap. 3, ad illum locum, *Qua ad illum ex Lybia Ammon facit, ovium dives;* quem locum sic emendavit Rigaltius: *Qua ad Nilum ex Lybia Ammon pascit ovium dives.* Quam conjecturam demonstrabit in nova quam prope diem molitur Tertulliani Editione. Gussanv.

[n] Tot sunt in Italia urbes hujus nominis, ut difficile sit statuere de qua hic agatur. Præcipua est *Fanum fortunæ.* Fanum simpliciter dicta in Umbria, episcopalis.

[o] Tutius et utilius transigatur de pretio dando, de pecuniæ quantitate his aut illis conditionibus solvenda. Gussanv.

[p] Gallice, *qu'il rende ses comptes.* Hac etiam voce utitur epist. 22, indict. 11. Gussanv.

Epist. XLVII [*Al.* 39]. — [a] Carthago urbs Africæ

vultdeum reverendissimos fratres et coepiscopos nostros, necnon et Victorem diaconum, **610** vel Agilegium notarium, vestræ fraternitatis epistolas summa cum gratulatione suscepimus. In quarum etsi nos sustinuisse dispendium tarditate putavimus, tamen de uberiori reperimus charitate compendium, ut hac dilatione temporis non interrupta videatur, sed nutrita dilectio, quam miserante Domino, contemplatione sacerdotii, lectionis usu, ætatisque in vobis cognoscimus jam maturitate fundatam. Non enim tam large de te flueret, si in tuis plurimas atque uberrimas venas mentibus non haberet. Hanc ergo matrem custodemque virtutum, sanctissime frater, inconcussa stabilitate teneamus. Nullæ in nobis eam subdolorum linguæ imminuant, nullæ antiqui hostis insidiæ corrumpant. Hæc namque divisa jungit, et conjuncta custodit. Hæc humilia sine tumore subrigit. Hæc erecta sine dejectione submittit. Per hanc universalis Ecclesiæ unitas, quæ est compago corporis Christi, exæquatione mentis gaudet in singulis, cum sit ei disparilitas in diversitate membrorum. Per hanc eadem membra et alieno gaudio in suis afflicta exsiliunt, et alienis mœroribus etiam in suis læta contabescunt. Teste enim magistro gentium, dum si quid patitur unum membrum, compatiuntur cætera membra, et si gloriatur unum membrum, congaudent omnia membra; vos non ambigo de nostra [b] perturbatione ingemiscere, cum nos omnino certum sit de vestra pace gaudere.

Quod vero ordinationi nostræ fraternitas vestra congaudet, affectum mihi integerrimæ charitatis exhibet. Sed ex consideratione hujus ordinis mentem meam, fateor, transverberat vis doloris. Grave namque est pondus sacerdotii; prius quippe est sacerdoti necesse, ut cæteris ad exemplum vivat, ac deinde servandum ut mentem per ostensa exempla non elevet. De prædicationis semper ministerio cogitet, intentissimo timore considerans quod recessurus ad percipiendum regnum Dominus, et talenta servis tribuens dicat: *Negotiamini dum venio* (*Luc.* XIX, 13). Quod profecto negotium tunc vere nos agimus, si vivendo et loquendo proximorum animas lucramur, si infirmos quosque, cœlestis regni gaudia prædicando, in superno amore roboramus, si protervos ac tumidos, gehennæ supplicia terribiliter insonando, flectimus, si nulli contra veritatem parcimus, si superni amicitiis dediti, humanas inimicitias non timemus. Quod nimirum exhibens, quasi quoddam se sacrificium obtulisse Deo Psalmista noverat, cum dicebat: *Nonne qui oderant te, Deus, oderam illos, et super inimicos tuos tabescebam? Perfecto odio oderam illos, et inimici facti sunt mihi* (*Psalm.* CXXXVIII, 21). Sed ad hoc ego pondus meæ infirmitatis expavesco, et quod, accepto regno, paterfamilias redeat rationem nobiscum positurus, aspicio. Sed qua eum mente sustineo, cui de suscepto negotio animarum lucrum aut nullum, aut pene nullum reporto? Tua ergo **611** me oratione, frater charissime, adjuva, et quæ de me formidare me conspicis, in temetipso quotidie timore providæ sollicitudinis pensa. Per charitatis quippe compagem, et tua sunt quæ de me loquor, et mea quæ te agere concupisco.

De ecclesiasticis vero [c] privilegiis (*Grat.* 25, *q.* 2, *can.* 8), quod vestra fraternitas scribit, hoc postposita dubitatione teneat, quia sicut nostra defendimus, ita singulis quibusque Ecclesiis sua jura servamus. Nec cuilibet, favente gratia, ultra quam meretur impertior, nec ulli hoc quod sui juris est, ambitu stimulante, derogo; sed fratres meos per omnia honorare cupio, sicque studeo honore singulos subvehi, dummodo non sit quod alteri jure ab altero possit opponi. Responsalium vero vestrorum moribus valde congaudeo; in quibus mihi ostensum est quantum me diligitis, qui ad me electos fratres et filios transmisistis. [d] Data decimo Kalend. Augusti, indictione decima. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 1.)

## EPISTOLA XLVIII.

### AD COLUMBUM EPISCOPUM.

*Maximianum Pudentianæ Ecclesiæ antistitem, adunato concilio, deponendum, si, pecunia corruptus, Donatistam episcopum in civitate sua fieri permisit. Alia quædam privata negotia privatim definienda. Donatistarum hæresim dilatari gemit, ac ne ad illam Catholici deficere permittantur, succendit pastoralem zelum.*

Gregorius Columbo episcopo [a].

Notum est, charissime in Christo frater, quod antiquus hostis, qui primum hominem [b] de paradisi deliciis in hanc ærumnosam vitam callida persuasione deposuit, et in eo jam tunc humano generi pœnam mortalitatis inflixit, eadem nunc calliditate ovium dominicarum pastores, quo facilius gregem capiat, transfusis conetur venenis inficere, et jure jam potestati propriæ vindicare. Sed nos qui, licet immeriti, sedem apostolicam vice Petri apostolorum principis suscepimus gubernandam, ipso pontificatus officio cogimur generali hosti quibus valemus nisibus obviare. Porrecta igitur petitione insinuaverunt nobis præsentium latores Constantius et Mustellus, et assedente ac impellente; ita ut non tam ipsis privilegiariis provideatur quam Ecclesiæ, populique fidelis salus ex æquo procuretur et bono. His si tibicinibus fulciantur privilegia, per me stabunt, nec illis obstabunt Chalcedonenses canones 4 et 8. GUSSANV.

quondam clarissima: primaria fuit provinciæ proconsularis, ejusque episcopi totius Africæ primates exstitere, cum nulli alteri urbi primatus aliarum provinciarum annexus esset, sed seniori seu antiquiori episcopo provinciæ concessus.

[b] Vatic. C, *persecutione.*

[c] Privilegia nec abominatur universe, nec vero passim concedit sanctus Gregorius, medio tutius incedit. Iniqua sunt quæ jus naturæ, jus divinum, jus canonicum, utilitatem publicam perturbant; æqua sunt quæ legem non tam solvunt quam supplent adjuvantque, salva justitia, æquitate suadente ac impellente; ita ut non tam ipsis privilegiariis provideatur quam Ecclesiæ, populique fidelis salus ex æquo procuretur et bono. His si tibicinibus fulciantur privilegia, per me stabunt, nec illis obstabunt Chalcedonenses canones 4 et 8. GUSSANV.

[d] In Turon. S. Gat.: *Data* XII *Kalend. Aug., ind.* 10: vitiose in nonnullis exemplaribus *Pridie Calendarum Martii.*

EPIST. XLVIII [*Al.* 33]. — [a] In Vulgatis, *Numidiæ*, quod abest a quatuor Vaticanis, Norm., Corb., etc.

[b] Vatic. B, *de paradiso deliciarum.*

runt [c] Ecclesiæ Pudentianæ diacones in Numidia provincia constitutæ, Maximianum ejusdem Ecclesiæ antistitem in loco quo degit, corruptum præmio Donatistarum, episcopum [d] nova licentia fieri permisisse, cum etsi hoc anterior usus permitteret, manere atque persistere fides catholica prohiberet. Ob hoc ergo fraternitatem tuam scriptis præsentibus necessario duximus **612** ad hortandam, ut veniente ad te [e] Hilaro chartulario nostro, adunato [f] episcoporum universali concilio, habito præ oculis terrore venturi judicii, causa eadem subtili ac solerti debeat indagatione perquiri. Et si capitulum hoc a præsentium latoribus prædicto episcopo documentis idoneis fuerit approbatum, a dignitate officioque quo fungitur modis omnibus [g] degradetur, ut et ille ad pœnitentiæ lucra per agnitionem delicti redeat, et cæteri tentare talia non præsumant. Æquum enim est ut qui Jesum Christum Dominum nostrum hæretico accepta pecunia [h] venundedit, ut fertur, ab ejus videlicet sacrosancti corporis ac sanguinis tractandis mysteriis submoveatur. Si qua autem inter eos extra crimen hoc damnorum quorumdam vel privatorum negotiorum, sicuti petitio diaconorum ipsorum continet, versatur intentio, hanc tua fraternitas cum prædicto chartulario nostro [i] probata cognitione perquirat, et inter utramque partem justitia [k] procedente definiat.

Porro autem præsentium latorum insinuatione didicimus Donatistarum hæresim pro peccatis quotidie dilatari, et valde plures, data per venalitatem licentia, post catholicum baptisma a Donatistis denuo baptizari. Quod quam grave sit, frater, oportet nos tota mentis intentione perpendere. Ecce lupus dominicum gregem non jam in nocte latenter, sed in aperta luce dilaniat, et nos eum grassari in ovium nece cernimus, et nulla ei sollicitudine, nullis verborum jaculis obviamus. Quos ergo fructus Domino multiplicati gregis ostendemus, si et ipsum, quem pascendum suscepimus, otiosa mente cernimus a bestia devorari? Studeamus igitur cor nostrum terrenorum pastorum imitatione succendere, qui hiemales noctes, imbribus geluque constricti, ducunt sæpe pervigiles, ne vel una ovis, et non forte utilis pereat. Quam si insidiator ore voraci momorderit, quomodo satagunt, quibus cordis anhelant æstibus, in quas voces ut eruant captum pecus angustia stimulante prosiliunt, ne a gregis Domino quidquid per incuriam perdiderint exigatur? Vigilemus ergo ne quid pereat; et si captum forte quid fuerit, vocibus divinorum eloquiorum ad gregem dominicum reducamus, ut ille qui Pastor pastorum est vigilasse nos circa ovile suum suo misericors dignetur judicio comprobare. Hoc quoque vos necesse est solerter attendere, ut si qua contra latores præsentium ejusdem episcopi recta fuerit petitio, subtili debeat indagatione perquiri; et si fortasse ipsi quoque pro sua culpa jure feriendi sunt, eis pro eo quod **613** ad nos fatigati sunt, [l] nequaquam censemus esse parcendum. [m] Mense Augusti, indictione decima.

## EPISTOLA XLIX.

### AD JANUARIUM ARCHIEPISCOPUM.

*Auditis de Januario episcopo querelis, Joannem notarium mittit qui partes ad judicium compellat, et quæ judicata fuerint exsequatur. Januarium ob id maxime increpat, quod nulla, nisi propriæ injuriæ causa, Isidorum excommunicaverit.*

Gregorius Januario [a] archiepiscopo Caralitano.

Si sacerdotale quod administramus officium mentis integritate pensemus, sic nos cum filiis nostris individuæ charitatis debet unire concordia, ut sicut patres in nomine, ita affectu probemur in opere. Dum ergo tales nos esse quales præfati sumus oporteat, miramur cur adversus fraternitatem tuam tanta querimoniarum moles exorta sit. Quod quidem nos adhuc credere dubitamus. Sed ut veritatem valeamus agnoscere, Joannem sedis nostræ notarium nostra illic præceptione suffultum direximus, qui partes in electorum compellat adesse judicio, et sua ad effectum exsecutione, quæ fuerint judicata perducat. Quocirca fraternitatem tuam scriptis præsentibus adhortamur, ut causarum apud se ante debeat

[c] Pudentiana, urbs Numidiæ, de qua nihil apud antiquos geographos. In Collat. Carthag., cap. 201, memoratur *Cresconius episcopus Pudentianensis* ex parte Donati, ubi et Memmianus catholicus. In Kalendario Carthag., ex veteribus membranis monasterii Cluniac. eruto, legitur : III *Kalend. Maii martyris Pudentis*. Ecclesiæ in hujus martyris honorem constructæ meminisse videtur Gregorius.

[d] Vatic. A, *non bona licentia*.

[e] Vide lib. I, epist. 84. In Excusis legitur *Hilario*.

[f] Provinciale intelligit, scilicet Numidiæ totius. GUSSANV.

[g] Depositionem innuit, non ut puto, cæremonialem degradationem, cujus formam præscribit Pontificale Romanum. De degradatione vide canonistas, tit. *de pœnis*, et Gersonem, *de auferibilitate papæ*, considerat. 15.

[h] Christum accepta pecunia vendere dicitur, qui corruptus præmio episcopum fieri permisit. Facessant recentiorum de simonia figmenta, quibus eam sibi videntur emaculare interjectis voculis pretii, præmii, motivi, æqualitatis. Vide sanctum Chrysostomum, homil. 3 in Acta apostolorum, cap. 1 : Ποίῳ γὰρ συνειδότι ἂν γένῃ, σπουδάσας ἢ δι' ἑαυτοῦ, ἢ δι' ἑτέρου, ποίοις ὀφθαλμοῖς ἀντιβλέψῃς ἐκείνῳ τῷ συνεργήσαντι; τί ἕξεις ἀπολογήσασθαι. Id est : Quem enim conscium adibis, si procuraris, vel per teipsum, vel per alium? quibus oculis obtueberis illum, qui tibi fuit auxilio? quid habebis quod excuses? Ac Nicolaus Clemangius hanc de simonia quæstionem tractat luculenter in opere de Præsulibus simoniacis, necnon sanctus Petrus Damiani, in libro quem inscribit *Gratissimus*, qui tamen caute legendus est. GUSSANV.

[i] In Excusis, *privata cognitione*, quod in mss. Codd. optimæ notæ non invenimus.

[k] In vet. Ed., *præcedente justitia*. Mss. non favent.

[l] Ita in quatuor Vatic., Norm., Turon., Corb., Reg., etc., quos sequuntur vet. Ed. In recent. omittitur, *pro eo quod ad nos fatigati sunt*.

[m] Ita Turon. S. Gat. In codicibus quibus usi sunt Collatores Romani hæc temporis nota pertinet ad Ep. sequentem, *Januario*.

EPIST. XLIX [*Al.* 34]. — [a] Ita Mss. Anglic., Norm. et nonnulli Vat. In aliis *Joan. episcopo*. Sic maxime in Vatic. A et B, ubi additur pro argumento epist. : *Hic præcipit ut episcopus excommunicare clericum pro injuriis suis nullatenus audeat*.

merita pertractare. Et si qua se injuste tulisse vel habere cognoscit, ante judicium, sacerdotii contemplatione restituat. Inter querelas autem multiplices, [b] Isidorus vir clarissimus a fraternitate tua frustra se excommunicatum anathematizatumque conquestus est. Quod quam ob rem factum fuerit (*Grat.* 23, *q.* 4, *c.* 27), dum a clerico tuo, qui præsens erat, voluissemus addiscere, pro nulla alia causa nisi [c] pro eo quod te injuriaverat factum innotuit. Quæ res nos vehementer affligit; quia si ita est, nihil te ostendis de cœlestibus cogitare, sed terrenam te conversationem habere significas, dum pro vindicta propriæ injuriæ, quod sacris regulis prohibetur, maledictionem anathematis invexisti. Unde de cætero omnino esto circumspectus atque sollicitus, et talia cuiquam pro defensione injuriæ tuæ inferre denuo non præsumas. Nam si tale aliquid feceris, in te scias postea vindicandum.

## 614 EPISTOLA L.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Desolatam ab hostibus trium Tabernarum Ecclesiam unit Velitranæ.*

Gregorius Joanni [a] episcopo Velitrano.

Postquam hostilis impietas diversarum civitatum (*Grat.* 16, *q.* 1, *can.* 49) ita peccatis facientibus desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit, majori valde cura constringimur ne, defunctis earum [b] sacerdotibus, reliquiæ plebis nullo pastoris moderamine gubernatæ per invia fidei hostis callidi rapiantur, quod absit, insidiis. Hujus ergo rei sollicitudine sæpe [c] commoniti, hoc nostro sedit cordi consilium, ut vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoque fraternitati tuæ curam gubernationemque trium [d] Tabernarum Ecclesiæ providimus committendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari unirique necesse est, quatenus utrarumque Ecclesiarum sacerdos recte, Christo adjutore, possis existere; quæque tibi de ejus patrimonio, vel cleri ordinatione, seu promotione, vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe ut pontifex proprius liberam habeas ex nostra præsenti permissione licentiam. Quapropter, frater charissime, dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissæ plebis regimine lucrandisque animabus invigila, ut ante tribunal æterni judicis constitutus, fructum bonæ operationis, quod ad mercedem tuam pertineat, eidem Redemptori nostro, in quo lætari possit, exhibeas.

## EPISTOLA LI.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS.

*Frustra de persecutione gloriari schismaticos. Damnatis tribus capitulis, nihil in fide immutatum. Ex Italiæ flagellis, quod ipsa erraverit, non recte inferri. Pelagii librum mittit, quem si puro corde perlegant, illos ad Ecclesiam filios suos invitantem reversuros confidit.*

Gregorius [a] universis de trium capitulorum causa episcopis.

Scripta vestra summa cum gratulatione suscepi; sed erit in me uberior valde lætitia, si mihi **615** de vestra contigerit reversione gaudere. Prima itaque epistolæ vestræ frons gravem vos pati persecutionem innotuit. Quæ quidem persecutio dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem. Nam nulli fas est retributionem præmiorum exspectare pro culpa. Debetis enim scire, sicut beatus Cyprianus ait, quia [b] *martyrem non facit pœna, sed causa.* Dum igitur ita sit, incongruum nimis est de ea vos, quam dicitis, persecutione gloriari, per quam

[b] In Vatic. B, *Isidorus veniens a fraternitate*, omisso *vir clarissimus*.

[c] Censuris Ecclesiæ proprias ulcisci injurias non licet. Lege sanctum Augustinum, epistola 7, Auxilio: *Iracundia viri justitiam Dei non operatur; nec arbitreris ideo non posse nobis subrepere injustam commotionem, quia episcopi sumus*, etc. Legatur Gregorius Turonensis, Historiæ lib. VIII, cap. 39 et 40. Porro quid intersit inter excommunicationem et anathema, canones docent causa 11, quæst. 3, cap. *Debent*, et cap. *Cum aliquis*. Vide etiam concilium Meldense, can. 56, ubi non modo causa certa et manifesta requiritur ad excommunicandum, sed et ad anathema consensus archiepiscopi aut coepiscoporum necessarius est, quod pauci advertunt. Vide infra, lib. XII, epist. 26. GUSSANV. Lege caus. 24, quæst. 3, can. 6 et 9, etc.

EPIST. L [*Al.* 35]. — [a] In Norm., Corb., Colb. et Vatic. B et C, legitur tantum *episcopo*. In Vatic. A, *episcopo Squilaccino*. In Rhemensi., *episc. Veliterno*.

[b] Per sacerdotes intelligendi fere semper episcopi. *Sacerdos* tamen aliquando dicitur simplex presbyter apud Gregorium, ut Dial. lib. I, c. 12, ubi Severus presbyter bis sacerdos appellatur.

[c] Excusi, invitis Mss, *commoti*.

[d] Tres Tabernæ urbs olim Latii episcopalis, cujus vestigia conspiciuntur in via Appia, haud procul a Cisterna, teste Luca Holstenio, in Annotation., p. 10 et 219. Distabat ab urbe Roma circiter XXI M. passibus. GUSSANV. Omnes fere Mss., *trium Tabernensium*. Urbs est in peregrinationibus Pauli celebris. Vide Act. ult., 15.

EPIST. LI [*Al.* 36]. — [a] In Mss. et Excusis non unus est hujus epist. titulus. In Vatic. C, *Gregorius universalis, de trium capitulorum causa*. Sed *universalis* errore scriptum est, pro *universis*, quod legitur in Vatic. A, B, D, ubi etiam additur, *de trium*, etc. Ita habent omnes Normanni, duo Teller., Colbert., et pene omnes. In Turon. inscribitur hæc epist. *universis defensoribus trium capitulorum*. Ergo gravis est error Edit., ubi legitur, *universis episcopis per Hiberniam*. Pro *Hiberniam* legendum *Istriam* vel *Iberiam* conjecerunt viri docti; verum nulli conjecturam hanc Mss. juvant: utcumque tamen admitti posset, si Iberia seu Hispania, ob trium capitulorum causam fuisset schismate divisa; at hujus rei nullum apud Gregorium Mag. aut apud historicos vestigium reperimus. Hispanias quidem adiisse sanctum Donatum abbatem, Facundi Hermianensis episcopi (qui de tribus capitulis ad Justinianum scripsit) discipulum, observat Mabillonius præfat. ad Acta sanct. ord. sancti Benedicti, tom. I, § 6. Hispaniarum vero antistites ab illo in schismaticorum partes abductos, hacque de causa *gravem*, ut hic vocatur, *persecutionem* passos, nullibi legimus. Quod autem habet hæc Gregorii epistola, id Istriæ episcopis omnino congruit, scilicet illos in schismate pertinaces, ad Ecclesiæ unitatem vehementer urgebat exarchus, necnon Gulfar magister militum, aliive proceres, quibus gratulatur Gregorius, lib. V, epist. 46, 47; lib. IX, epist. 93.

[b] Habetur hæc sententia apud Cyprianum, non quidem secundum verba, sed secundum sensum, nempe in libro de unitate Ecclesiæ circa medium

vos constat ad æterna præmia minime provehi. Reducat ergo charitatem vestram tandem integritas fidei ad matrem quæ vos generavit Ecclesiam; nulla vos animorum intentio a concordiæ unitate dissociet, nulla persuasio [c] repetendo vos a recto itinere defatiget. Nam in synodo, in qua [d] de tribus capitulis actum est, aperte liquet nihil de fide convulsum esse, vel aliquatenus immutatum, sed sicut scitis, de quibusdam illic solummodo personis est actitatum: [e] quarum una, cujus scripta evidenter a rectitudine catholicæ fidei deviabant, non injuste damnata est.

Quod autem scribitis quia ex illo tempore inter alias provincias maxime flagelletur Italia, non hoc ad ejus debetis intorquere opprobrium, quoniam scriptum est: *Quem diligit Dominus, castigat: flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Hebr.* XII, 6). Si igitur ita est ut dicitis, ex eo tempore magis dilecta est apud Deum, et modis omnibus approbata, ex quo Domini sui meruit sustinere flagella. Quia vero non ita sit quemadmodum vos in ejus insultationem affirmare conamini, rationem attendite.

Postquam recordandæ memoriæ Vigilius papa, in urbe regia constitutus, [f] contra Theodoram tunc Augustam, vel [g] Acephalos, damnationis promulgavit sententiam, tunc Romana urbs ab hostibus A [h] adita et captivata est. Ergo bonam causam habuerunt Acephali, et injuste damnati sunt, post quorum damnationem talia contigerunt? Absit. Hoc enim nec vestrum quempiam, nec alios, qui catholicæ fidei mysteriis instituti sunt, dicere, vel aliquo modo confiteri convenit. Iis denique cognitis, ab hac quandoque jam deliberatione recedite. Ut igitur de tribus capitulis animis vestris ablata dubietate possit satisfactio abundanter **616** infundi, [i] librum quem ex hac re sanctæ memoriæ decessor meus Pelagius papa scripserat, vobis utile judicavi transmittere. Quem si, deposito voluntariæ defensionis studio, puro vigilantique corde sæpius volueritis relegere, eum vos per omnia secuturos et ad unitatem nostram nihilominus reversuros esse confido. Porro B autem si post hujus libri lectionem in ea qua estis volueritis deliberatione persistere, sine dubio non rationi operam, sed obstinationi vos dare monstratis. Unde iterum [k] habita compassione charitatem vestram admoneo, ut quoniam Deo suffragante fidei nostræ integritas in causa trium capitulorum inviolata permansit, mentis tumore deposito, tanto citius ad matrem vestram, quæ filios suos exspectat et invitat, Ecclesiam redeatis, quanto vos ab ea quotidie pro vobis exspectari cognoscitis.

*Esse Martyr non potest qui in unitate non est; occidi potest, coronari non potest.* Sic epistola 52, ad Antonianum, post medium. Est vero sancti Augustini pluribus in locis, libro III contra Cresconium, cap. 47. *Christi martyrem non facit pœna, sed causa.* Item in psalm. XXXIV et LXVIII. Veritatem hujus sententiæ demonstrat Theodoretus de curandis Græcis affectibus, serm. 8 de Martyribus. GUSSANV.

[c] Ita quatuor Vaticani, Rhem., Corb., Turon. et plerique Norm. In aliis ut in Editis, *rependo*.

[d] Quæ sint illa tria capitula, quidquid aliqui somnient, apparet ex his verbis concilii generalis V, collat. 8: *Prædicta tria capitula anathematizamus, id est Theodorum Mopsuestenum cum nefandis ejus scriptis, et quæ impie Theodoritus conscripsit, et impiam epistolam, quæ dicitur Ibæ, et defensores eorum*, etc. Tam famosæ contentioni causam dederat Chalcedonensis synodus, quæ Theodoretum et Ibam benigne excipiens, impia Theodori scripta non satis damnaverat. Synodum impugnabant Eutychiani, fautores Dioscori, Nestoriani, Acephali, Corrupticolæ, Incorruptibiles, aliaque id genus monstra suis quique commentis et fabricis, varia, ut fit, fortuna. Justinianus de sarcienda unitate sollicitus, obvias quasque occasiones arripit; insinuant nonnulli dissidium omne facili negotio sopitum iri, et universos in synodi Chalcedonensis verba fidemque juraturos, si tria damnarentur capitula. Attendit Justinianus, urget, imminet. Vigilius quasi animi penderet, nunc annuit, modo renuit. Episcopi catholici in partes secedunt; alii timent ne synodo Chalcedonensi fraus fiat, alii hac eam arte putant se posse stabilire. Interim turbas fovent schismatici; tandem venitur ad concilium, in quo, si penes historicos fides est, damnatis tribus capitulis videtur dilatata fuisse scissura, disruptum rete, ac novo superinducto schismate, Catholici inter sese commissi sunt. Vide epistolas Pelagii I et Pelagii II, etc. GUSSANV.

[e] Theodorum Mopsuestenum indicat. Nam de Theodoreti et Ibæ scriptis potius actum quam de personis quas synodus Chalcedonensis probaverat. Vide supra, epist. 25, ad patriarchas, prope finem. Quibus vero artibus episcopi, ante centum annos mortui, discussi et damnati fuerint, aperit Liberatus in Breviario, cap. 23 et 24, ac demum sic concludit: *Illud liquere omnibus credo, per Pelagium diaconum, et Theodorum Cæsareæ Cappadociæ episcopum, hoc scandalum fuisse in Ecclesiam ingressum. Quod etiam ipse Theodorus clamitavit, se et Pelagium vivos incendendos, per quos hoc scandalum introivit in mundum.*

[f] Damnatum a Vigilio Theodorum Cæsariensem episcopum legimus in epistola ejusdem Vigilii 15, cujus etiam damnationis fragmentum exstat post decimam sextam Vigilii epistolam, tomo V Concil., pag. 534. At nulla sententiæ adversus Theodoram Augustam latæ occurrit mentio. Damnata procul dubio dicitur, damnatis Acephalis quorum partibus erat addicta.

[g] *Illi*, inquit Facundus Hermian., lib. I, c. 5, *qui licet recedentes in quibusdam ab ipsius Eutychis auctoris et capitis sui sententia, sequi tamen dedignantur Ecclesiæ catholicæ doctrinam, cujus caput est Christus, tanquam sine capite remanentes, Acephali vocantur a Græcis, quos significantius nos Semieutychianos possumus appellare.* Alias alii nominis hujus causas afferunt: Leontius, lib. de Sectis, cap. 5. Ado Vienn., in Chronico; Nicephorus, lib. XVIII, c. 45. Acephali tandem dicti sunt Monophysitæ omnes, qui Chalcedon. synodum uno animo impetebant, licet in varia sectarum abirent divortia.

[h] Vatic. B, *addicta*.

[i] Per hunc librum intelligenda est epistola septima Pelagii, tertia ad Heliam et episcopos Istriæ, quæ incipit: *Virtutum mater Charitas est.* Eam a sancto Gregorio scriptam fuisse nomine Pelagii papæ testatur Paulus Warnefridus, lib. III de Gestis Langob., cap. 20.

[k] Ita Vatic., Norm., Corb., Rhem., non *habita locutione*, ut exstat in Excusis.

## EPISTOLA LII.

### AD NATALEM EPISCOPUM.

*Profana quibus indulgebat convivia, et sacræ lectionis negligentiam non bene ab ipso excusari. De exhortationis studio gratulatur. Se laudatum dolet. Non modo ad Ecclesiam hæreticos, sed et illos qui intra Ecclesiam sunt ad vitæ rectitudinem revocandos. De spreta sua et decessoris sententia queritur; parcit tamen ad ordinem reverso, summamque in judicanda illius causa spondet æquitatem.*

Gregorius Natali episcopo Salonitano

Quasi oblita præcedentium scriptorum serie, sola vestræ beatitudini quæ ad dulcedinem pertinerent loqui decreveram; sed dum vestra epistola ad priora scripta ratiocinando revocat, iterum forsitan quædam quæ minus libeant narrare compellor. (*Vide ep.* 22 *lib.* III.)

In conviviorum etenim defensionem vestra fraternitas Abrahæ convivium memorat, in quo, teste sacro eloquio, tres angelos suscepisse perhibetur (*Genes.* XVIII). Sed hoc exemplo neque nos beatitudinem vestram de convivio reprehendimus, si hanc suscipere angelos in hospitalitate cognoscimus. Rursum narrat Isaac satiatum benedictionem filio dedisse (*Genes.* XXVII, 27). Quæ utraque Veteris Testamenti, quia ita sunt gesta per historiam, ut tamen signarent **617** aliquid per allegoriam, utinam valeamus sic res gestas legendo percurrere, ut possimus etiam gerendas providendo sentire. Ille quippe in tribus angelis unum salutans, Trinitatis subsistentias unius substantiæ esse declaravit. Iste vero satiatus benedixit filium, quia qui divinis epulis repletur, illius sensus in prophetiæ virtutem tenditur. Divinæ autem epulæ sacri eloquii verba sunt. Si igitur assidue legitis, si exemplum ab exterioribus trahentes interna penetratis, quasi de agri venatione satiati, mentis ventrem repletis, ut anteposito filio, suscepto videlicet populo, possitis ventura nuntiare. Sed jam in hoc sæculo caligat, qui de Deo aliquid prophetat, quia profecto dignum est ut hic jam per concupiscentiam minus videat, cujus sensus [a] per intelligentiam intus coruscat. Hæc ergo ad vosmetipsos trahite, et si vos tales cognoscitis, nihil est quod [b] de nostra æstimatione dubitetis. Gaudere quoque beatitudinem vestram invenio, si voracis nomen cum rerum auctore sustineat. Quod ego breviter expono, quia si de vobis falsum dicitur, nomen hoc veraciter cum rerum auctore sustinetis. Si vero de vobis verum est, hoc de illo falsum fuisse quis dubitet? Absolvere vos non valet par nomen, quorum dispar est causa. Nam cum eo crucem etiam periturus latro suscepit; sed quem reatus proprius tenuit, par crucifixio non absolvit. Ego autem (*Grat. dist.* 44, *cap.* 6) quantis valeo precibus deposco, ut sanctissimam fraternitatem vestram auctori nostro non solum nomen, [c] sed etiam causa conjungat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 33.)

Convivia [d] autem quæ ex intentione impendendæ charitatis fiunt, recte sanctitas vestra in suis epistolis laudat. Sed tamen sciendum est quia tunc ex charitate veraciter prodeunt, cum in eis nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, et nec inanes in eis sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba sacræ lectionis audiuntur, cum non plus quam necesse est servitur corpori, sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur. Hæc itaque si vos in vestris conviviis agitis, abstinentium fateor magistri estis.

Quod ergo Pauli apostoli testimonium ad me posuistis, quo ait: *Qui non manducat, manducantem non judicet* (*Rom.* XIV, 3); omnino existimo incongruum fuisse, quia neque ego non comedo, neque ad hoc a Paulo dictum est ut membra Christi, quæ in ejus corpore, id est in Ecclesia, invicem sibi charitatis compage connexa sunt, nullam de se ullo modo curam gerant. Sed si neque ego ad te, neque tu aliquid pertineres ad me, [e] jure tacere compellerer, ut eum non reprehenderem qui emendari non posset. Hæc ergo sententia solummodo propter eos dicta est qui illos judicare student quorum sibi cura commissa non est. At postquam nos, auctore Deo, unum sumus, si ea quæ nobis corrigenda sunt tacemus, valde delinquimus. Ecce fraternitas tua ægre tulit se de conviviis a me esse reprehensam, cum ego, qui etsi hanc non vita, tamen loco transgredior, ab omnibus corripi, ab **618** omnibus emendari paratus sim. Et hunc solum mihi amicum æstimo, per cujus linguam, ante apparitionem districti judicis, meæ maculas mentis tergo.

Illud autem, frater dulcissime, quod tribulationibus pressum te legere posse abnegas, minus ad excusationem idoneum puto, cum Paulus dicat: *Quæcunque scripta sunt, ad nostram doctrinam scripta sunt, ut per patientiam et consolationem scripturarum spem habeamus* (*Rom.* XV, 4). Si igitur ad consolationem nostram sacra Scriptura præparata est, tanto magis debemus legere, quanto magis nos conspicimus sub tribulationum fasce lassari. Si vero in ea solummodo sententia est fidendum, quam in epistola vestra posuistis, qua Dominus dicit: *Cum tradent vos, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini, dabitur enim vobis in illa hora quid loquamini. Non enim vos estis qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri qui loquitur in vobis* (*Matth.* X, 19). Sacra ergo ad nos eloquia frustra mandata sunt, qui repleti spiritu, verbis exterioribus non egemus. Sed aliud est, frater charissime, quod angustati persecutionis tempore absque dubitatione confidere, aliud quod in tranquil-

EPIST. LII [*Al.* 27]. — [a] Excusi, *per allegoriam.*

[b] In Vulgatis, *de vestra æstimatione.*

[c] Ita Norm., Rhem. et alii, quibus inconsultis Excusi habent, *ut sanctissimam fraternitatem vestram.... non solum nomen, sed etiam causam conjungat.* Ubi sensus desideratur.

[d] In recent. Ed., *convivia autem communia*, quam ult. vocem nullis in Mss. invenimus.

[e] Grave documentum vulgo non satis animadversum. Recta ratio dictat eum non esse reprehendendum quem emendare non possumus. At ejus si cura nobis commissa fuit, nihilominus reprehendamus, quia non charitatis modo, sed et justitiæ reprehendere compellit officium. Lege epist. 8 Joan. Climaci ad Pastorem, num. 23 et 24.

litate Ecclesiæ agere debemus. Oportet enim nos per hunc spiritum modo legendo percipere quæ possimus, si contigerit causa in nobis, etiam patiendo demonstrare.

Valde vero epistola vestra gavisus sum, quod vos exhortationi studium dare fatemini. In hoc etenim scio quia curam vestri ordinis solerter agitis, si ad auctorem vestrum et alios trahere curatis. Quod autem in eodem loco dicitis vos mei similes non esse, post obortam lætitiam me illico contristastis, quia laudes meas per irrisionem dici existimo, quas per veritatem minime recognosco. Ago autem omnipotenti Deo gratias, quia per vos quidem hæretici ad sanctam Ecclesiam revocantur. Sed curæ vobis esse necesse est [f] ut ipsi quoque qui intra sanctæ Ecclesiæ gremium continentur ita vivant, quatenus ejus adversarii pravis moribus non existant. Nam si non divino desiderio, sed terrenis cupiditatibus voluptatibusque deserviunt, intra ejus gremium filii alieni nutriuntur.

Quod autem vos fatemini ecclesiasticos ordines ignorare non posse, ego quoque hoc de vobis per omnia scio, atque idcirco valde contristor, quia cum rerum ordinem scitis, in me, quod pejus est, sciendo deliquistis. Postquam enim ad beatitudinem vestram et decessoris mei et mea in causa Honorati archidiaconi scripta directa sunt, tunc contempta utriusque sententia, præfatus Honoratus proprio gradu privatus est. Quod si quilibet ex quatuor patriarchis fecisset, [g] sine gravissimo scandalo tanta contumacia transire nullo modo potuisset. Tamen postquam fraternitas vestra ad suum ordinem rediit, nec ego mœæ, nec decessoris mei injuriæ memor sum. (*Vide lib.* I, *epist.* 19 *et* 20, *ac hujus lib. epist.* 17, 19, 20.)

Quod vero dicitis [h] nostris temporibus debere servari quæ a meis quoque prædecessoribus tradita atque custodita sunt, absit hoc a me ut statuta **619** majorum consacerdotibus meis in qualibet Ecclesia infringam, quia [i] mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo. Sed cum responsales vestri advenerint, quæ inter vos et præfatum Honoratum archidiaconum [k] sint justa cognoscam; et ex ipso meo examine perpendetis quia si pars vestra per justitiam fulta est, nihil adversum a me perferetis, sicut nec ante pertulistis. Sin vero sæpe fato Honorato archidiacono in assertione sua justitia suffragatur, ex ejus absolutione monstrabo quia personas etiam quas novi in judicio non agnosco. De excommunicationis vero articulo (*Grat.* 24, *q.* 3, *cap.* 15), [l] quæ tamen interposita conditione secundo vel tertio jam, ut ita dicam, ex necessitate subjuncta est, beatitudo vestra immerito queritur, cum Paulus apostolus dicat: *In promptu habentes ulcisci omnem inobedientiam* (*II Cor.* x, 6). Sed ista jam transeant, ad nostra redeamus. Si enim recte agit, ego domno Natali non possum conjunctus non esse, cujus me affectui valde esse debitorem novi.

## [a] EPISTOLA LIII.

### AD HONORATUM DIACONUM.

*Ut Venantio chartas exconsulatus, oblatis* XXX *auri libris, postulanti apud impp. faveat.*

Gregorius [b] Honorato diacono.

Filius meus Dominus Venantius nepos quondam Opilionis patricii ad beatum Petrum apostolum venit, hoc a me summopere petiturus, ut causam ejus tuæ dilectioni commendare debuissem. Honores enim non habet, et chartas exconsulatus [c] petiit, pro quibus triginta auri libras transmisit, ut ei debeant comparari. In qua re volo ut dilectio tua se summopere impendat, quia talis vir est, cui etiam honor sine pretione *gradus secundo*. Superfluit *gradus*, nec legitur in Rhem., Corb., Norm., ac plerisque Mss., aut in vet. Excusis. In tribus vetustissimis exemplaribus deesse jam annotarunt correctores Romani in edendo Gratiano.

[f] In Vatic. D et in Norm.: *Ut ipsi quoque intra sanctæ Ecclesiæ gremium contineantur, et ita vivant.* Consentiunt Rhem. et Corb.

[g] Quia Romanus pontifex sancti Petri successor, ab illis quatuor patriarchis audiendus et honorandus est, cum sit illis jure divino præpositus, sollicitudinemque speciali privilegio gerat omnium Ecclesiarum.

[h] Al., *vestris*, ut legitur in tribus Vatic. et in plur. Norm.

[i] Idem sentit Leo Magnus, epist. 10, ad episcopos provinciæ Viennensis; Gregorius VII, lib. I, epist. 24; Honorius II, in epistola ad Burchardum Meldensem episcopum: *Ex injuncto nobis officio fratres nostros episcopos debemus diligere, et Ecclesiis sibi a Deo commissis suam debemus justitiam conservare.* Innocentius II, epist. ad Manassem Meldensem episcopum: *Suscepti regiminis cura nos admonet, ita disponente Domino, erga singulos attentam sollicitudinem atque vigilantiam adhibere, ut in ecclesiasticis dispositionibus nulla confusio inducatur, sed potius unicuique suum jus et propria dignitas conservetur.* Eadem habet Innocentius III, lib. I, epist. ad episcopum Trecensem, et epist. 59. Gussanv. Audiendus præ cæteris noster Gregorius, lib. XI, epist. 37, olim 32 libri IX: *Nam si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur?*

[k] Ita melius Mss. Vatic., Norm., Corb., etc., quam Excusi recent., *quæ sint gesta.*

[l] In recens Vulgatis, *quæ tamen interposita conditione gradus secundo.*

Epist. LIII [*Al.* 10, *lib.* XII, *indict.* 7]. — [a] A plurimis Mss. abest hæc epistola. Eam exhibent Vatic. D, Colbert. et collectio Pauli Diaconi, ubi est quadragesima nona.

[b] Idem est ad quem exstat epist. 49 lib. I, ad quam vide notas. Tunc Constantinopoli versabatur, apocrisiarii provincia defungens.

[c] Vatic. D, *exconsultus*, Colb., *exconsultus*, procul dubio per compendium, pro *exconsulatus*. Jam observavimus longe ante Gregorii Mag. pontificatum, a Justiniano Aug., an. scilicet 541, sublatum fuisse consulatum. Cogitavit quidem qui ipsi successit Justinus de consulibus utcunque restituendis, rem gratam populo Romano se facturum putans; verum semel exstincta summa illa dignitas, ad pristinum statum revocari nunquam potuit, quod imperatoribus invidiam crearet. Itaque exconsulatus, tempore Gregorii, erat nudum honoris nomen. Ut enim nunc fiunt quidam sacri consistorii comites, per codicillos seu litteras, Gallice *par brevet*, ita tunc concedebantur honoris causa exconsulatus chartæ, vel potius vendebantur. Eo enim tunc redactus erat reipublicæ status, ut vel fumum vendere cogerentur imperatores, quo laboranti reipublicæ subvenirent exhaustumque ærarium implerent.

tio debeatur. Et quia easdem chartas emere paratus est, ut dixi, non valde necesse est ut ex me aliquid serenissimis principibus dicatur, sed magis ex se agat dilectio tua, quatenus, oblatis in [d] sacello consuetudinibus, honores mereatur accipere. Si quid tamen potueris de eo mitius agere, maximam mercedem habebis. Sed ita fac ut labor ejus quo hic ad nos fatigatus est, vacuus non sit. Si vero in eadem causa difficile aliquid esse perspexeris, etiam quia per me hoc postulet, indicare **620** debes, et cujus bonitatis, cujus modestiæ sit atque sapientiæ serenissimis Dominis intimare.

## [a] EPISTOLA LIV.

INCIPIT EPISTOLA SANCTI LICINIANI EPISCOPI DE LIBRO REGULARUM, AD SANCTUM GREGORIUM PAPAM URBIS ROMÆ DIRECTA.

*Librum Regulæ pastoralis laudat : objicit tamen non fore qui sacra mysteria celebrent, nisi ordinentur nonnunquam minus periti. Libros in Job, aliosve morales a Gregorio conscriptos postulat.*

Domino beatissimo papæ Gregorio [b] Licinianus episcopus.

Librum Regularum a sanctitate tua editum, et ad nos divina gratia opitulante perlatum, tanto libentius legimus, quanto in eo spiritales regulas inesse cognoscimus. Quis non libentius legat, ubi jugi meditatione medicinam animæ suæ inveniat; ubi contemptis hujus sæculi rebus caducis in sua mutabilitate variantibus, ad æternæ vitæ stationem oculos mentis aperiat? Liber hic tuus omnium est aula virtutum. Illic prudentia inter bonum et malum discretionem limitis figit; justitia unicuique sua tribuit, dum Deo animam corpus que animæ subdit. Illic fortitudo etiam in adversis et in prosperis reperitur semper æqualis, quæ nec in contrariis frangitur, nec in prosperis exaltatur. Illic temperantia furorem libidinis frangit, discreteque voluptatibus modum imponit. Illic cuncta quæ ad vitæ æternæ participium pertinent comprehendis; et non solum pastoribus regulam vivendi describis, sed etiam his qui regiminis officium nullum habent, vivendi regulam tribuis. Habent enim pastores in quadripartita tua distributione quales ad hoc officium veniant; qualem vitam gerant cum venerint; qualiter vel qualia doceant; et ne in tanto sacerdotali culmine extollantur, quid agant. Attestantur huic eximiæ doctrinæ tuæ sancti antiqui Patres, doctores, defensoresque Ecclesiæ, Hilarius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius Nazianzenus; hi omnes testimonium tibi præbent, sicut apostolis præbuerunt prophetæ. Hilarius sanctus dicit, exponens verba Apostoli doctoris gentium : « [c] Ita etenim quæ propriæ disciplinæ et morum sunt, ad sacerdotii meritum utilia esse significat, si etiam hæc **621** quæ ad docendæ ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt; quia non statim boni atque utilis sacerdotis est, aut tantummodo scienter agere, aut tantummodo scienter prædicare, cum et innocens tantum sui sufficiat si doctus sit, et doctus nisi doctrina vivendo. Attestatur huic libro tuo sanctus Ambrosius in illis libris quos fecit de Officiis. Attestatur sanctus Augustinus, dicens : [d] In actione non amandus est honor in hac vita, sine [*Lege* sive] potentia, quoniam omnia vana sub sole; sed opus ipsum quod per eumdem honorem vel potentiam fit, si recte atque utiliter fit, id est ut valeat ad eam salutem subditorum, quæ secundum Deum est... Propter quod ait Apostolus : Qui episcopatum desiderat, opus bonum desiderat. Exponere voluit quid sit episcopus [*Forte* episcopatus], quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, et inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur eis quibus præficitur superintendit, curam scilicet eorum gerens, episcopus [*Forte* episcopatus] quippe intentio est. Ergo episcopum, si velimus, Latine superintendere possumus dicere. Ut intelligat non se esse episcopum qui præesse dixerit [*Lege* dilexerit], non prodesse. Ita enim a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur quod ad laudabile pertinet otium; locus vero superior, sine quo regi populus non potest,

[a] id est, consueto pretio. *Sacella* a sacco et sacculo : significant hic *fiscum* seu ærarium publicum. Hinc dictus *sacellarius* qui sacculos ad eleemosynas gerit, vulgo, *aumônier*.

EPIST. LIV. — [a] Eam primus eruit ex duobus Codicibus Biblioth. Floriacensis, noster D. Lucas Dacherius, et secundo Spicilegii tomo inseruit.

[b] De eo Isidorus, lib. de illustribus Ecclesiæ Scriptoribus, cap. 29 : *Licinianus Carthaginis Spartariæ* (vulgo dicitur Carthagena in Hispania) *episcopus, in Scripturis doctus, cujus quidem nonnullas epistolas legimus. De sacramento denique baptismatis unam, et ad Eutropium abbatem postea Valentiæ episcopum plurimas; reliqua vero industriæ et laboris ejus ad nostram notitiam minime pervenerunt. Claruit temporibus Mauricii Augusti; occubuit Constantinopoli veneno, ut ferunt, exstinctus ab æmulis. Sed, ut scriptum est*, justus quacunque morte præoccupatus fuerit, anima ejus in refrigerio erit.

[c] Alia et sanior est lectio nov. edit. operum sancti Hilarii : « Ita enim quæ propria disciplinæ ac morum sunt, ad sacerdotii meritum utilia esse significat, si etiam hæc, quæ ad docendæ ac tuendæ fidei scientiam necessaria sunt, inter reliqua non deerunt; quia non statim boni atque utilis sacerdotis est, aut tantummodo innocenter agere, aut tantummodo scienter prædicare, cum et innocens sibi tantum proficiat, nisi doctus sit; et doctus sine doctrinæ sit auctoritate, nisi innocens sit. »

[d] Apud Augustinum lib. XIX de Civitate Dei, cap. 19, sic habetur : « In actione non amandus est honor in hac vita, sive potentia..... Exponere voluit quid sit episcopatus, quia nomen est operis, non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille qui præficitur, eis quibus præficitur superintendit, curam eorum scilicet gerens; ἐπί quippe, super; σκοπὸς vero, intentio est; ergo ἐπισκοπεῖν, si velimus, Latine *superintendere* possumus dicere; ut intelligat non se esse episcopum, qui præesse dilexerit, non prodesse. Itaque a studio cognoscendæ veritatis nemo prohibetur, quod ad laudabile pertinet otium; locus vero superior, sine quo regi populus non potest, etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas veritatis, negotium justum suscipit necessitas charitatis. Quam sarcinam si nullus imponit, percipiendæ atque intuendæ vacandum est veritati : si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem; sed nec sic omni modo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimat ista necessitas. »

etsi ita teneatur atque administretur ut decet, tamen indecenter appetitur. Quamobrem otium sanctum quærit charitas; percipiendæ ac tuendæ vacandum est veritati. Si autem imponitur, suscipienda est propter charitatis necessitatem. Sed nec sic commodo veritatis delectatio deserenda est, ne subtrahatur illa suavitas, et opprimatur ista necessitas. » (*Lib.* VIII *de Trinit.*, *num.* 1.)

Attestatur Gregorius sanctus, cujus stylum sequeris, cujus exemplo delitescere cupiebas, ut pondus sacerdotii declinares, quod quale sit in toto libro tuo liquide declaratur; tamen portas quod metuebas. Pondus enim tuum sursum fertur, non deorsum; non quod te ad ima premat, sed quod ad astra sustollat; dum per Dei gratiam, et obedientiæ meritum, operisque boni efficientiam, fit suave quod per imbecillitatem humanam videbatur habere gravedinem. Dicis enim ea quæ consonant apostolis, et apostolicis viris. Pulcher enim pulchra dixisti, et in his pulchrum te esse ostendisti. Nolo ergo te similare indecoro pictori pulchra pingenti, quia spiritalis doctrina a spiritali mente proficiscitur. Plus plerisque æstimatur pictor homo, quam inanimata pictura. Sed hoc non assentationi aut adulationi reputes, sed veritati; quia nec me decet mentiri, nec te decet falsum laudare. Ergo plane licet fidus, et te et omnia tua pulchra conspexi, et memet **622** in comparationem tui satis indecorum vidi. Unde precor per gratiam Dei quæ in te exuberat, ut non respuas deprecantem, sed libenter doceas quæ me fateor ignorare. Compellimur enim necessitate facere quod doceas.

Peritus enim dum non reperitur qui ad officium sacerdotale veniat, quid fiendum est, nisi ut imperitus ut ego sum ordinetur? Jubes ut non ordinetur imperitus. Sed pertractet prudentia tua ne forte ad peritiam sufficiat ei scire Jesum Christum, et hunc crucifixum; si autem non sufficit, nemo erit in hoc libro qui peritus esse dicatur; nemo erit utique sacerdos, si nisi peritus esse non debet. Bigamis enim aperta fronte resistimus, ne sacramentum utique corrumpatur. Quid si unius uxoris vir, ante uxorem, mulierem tetigerit? Quid si uxorem non habuerit, et tamen sine mulieris tactu non fuerit? Consolare nos stylo tuo, ut non puniamur nec nostro nec alieno peccato. Valde enim metuimus ne per necessitatem ea faciamus quæ non debemus. Ecce obediendum est præceptis tuis, ut talis fiat, qualis apostolica decet auctoritas; et non reperitur qualis quæritur. Cessabit ergo fides, quæ constat ex auditu; cessabit baptismus, si non fuerit qui baptizet; cessabunt illa sacrosancta mysteria, quæ per sacerdotes fiunt et ministros. In utroque periculum manet; aut talis ordinetur qui non debet, aut non sit qui sacra mysteria celebret vel ministret.

Ante paucos annos Leander episcopus Spalensis remeans de urbe regia, vidit nos præteriens, qui dixit nobis habere homilias a vestra beatitudine editas de libro sancti Job. Et quia festinans pertransiit, minime eas petentibus nobis ostendit. Postea vero scripsisti ei de trina tinctione, in qua epistola memorant displicuisse vobis illud opus (*Lib.* I *ep.* 43); sed hoc salubriori consilio statuisse, ut in librorum ductu eas transponeres. Habemus sane [e] libellos sex sancti Hilarii episcopi Pictaviensis, quos de Græco Origenis in Latinum vertit; sed non omnia secundum ordinem libri sancti Job exposuit. Et satis miror hominem doctissimum et sanctum, ut de stellis nænias Origenis transferret; mihi, sanctissime Pater, nullo pacto suaderi potest ut credam astra cœli Spiritus rationales, quæ neque cum angelis neque cum hominibus facta esse Scriptura sancta declarat. Dignetur ergo beatitudo vestra opus ipsum de libro sancti Job; sed et alios libros morales quos fecisse te memoras in hoc libro Regularum, exiguitati [*Deest forte* meæ] transmittere. Tui enim sumus, tua legere delectamur. Optabile namque est mihi [*Deest forte* et] præclarum, sicut tuus Gregorius ait, usque ad ultimam discere senectutem. Incolumem [f] coronam vestram ad eruditendam Ecclesiam suam sancta Trinitas Deus conservare dignetur, sicut optamus, beatissime Pater.

[e] Deceptum falsa inscriptione fuisse Licinianum autumant, qui nuper sancti Hilarii opera ediderunt ex nostris : *siquidem*, inquiunt, *Hieronymus nusquam Hilarii in Job libellos commemorat, sed, libro de Scriptoribus Eccles., tractatus in Job; Apologia autem adversus Rufinum, epist.* 101, *ad Pammachium, et alibi, homilias in Job.* Verum fortasse libelli de Job tractatus, homiliæque, idem prorsus Hilarii opus significant. Fuse satis de hoc argumento disserunt nostri in sua præf. in nov. Edit. operum sancti Hilarii, num. 25 et 29.

[f] Hoc insigni honoris titulo compellabantur olim summi pontifices et episcopi, ut passim occurrit apud Augustinum Hieronymum, etc. Unum profero Ennodium, lib. IV, epist. 22, ad Symmachum papam : *Erigat parvulos implorata coronæ vestræ miseratio.*

# LIBER TERTIUS.

## Mense Septembri indictione XI.

### 623 EPISTOLA PRIMA.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Epiphanium subdiaconum mittit, qui de seditione in Paulum episcopum commota inquirat. Ut illum in reos agentem adjuvet, absque ulla dilatione aut personarum acceptione, præcipit instantius. Ad civitatis ecclesias revocanda mancipia.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Quale [a] in castello Lucullano sit scelus in Paulum fratrem et coepiscopum nostrum commissum, directa nobis fecit relatio manifestum. Et quia his diebus Scholasticus vir magnificus, Campaniæ judex, hic præsens inventus est, specialiter ei injunximus ut tantæ perversitatis insaniam districta debuisset emendatione corrigere. Sed quia nunc prædictæ relationis portitor [b] nos ut personam dirigeremus admonuit, ideo Epiphanium subdiaconum illuc direximus, qui una cum [c] præfato judice, a quibus excitata sit vel commissa seditio, investigare ac cognoscere possit, et digna ultione vindicare. Experientia ergo tua ita tota virtute in hac causa solatiari festinet, quatenus et cognosci veritas, et in delinquentes valeat vindicta procedere. Quoniam igitur mancipia gloriosæ Clementinæ in eodem scelere interfuisse, et voces, quæ seditionem commoverent, jactitasse dicuntur, si ita est, districte [d] ea imminenti ultioni substerne, nec pro persona illius sit vestra severitas remissior, quia tanto amplius ferienda sunt, quanto, utpote nobilis feminæ pueri, ex sola superbia deliquerunt. Sed et illud subtili vos oportet indagatione perquirere utrumne prædicta femina in tanta habuerit sceleris immanitate **624** consilium, aut si cum ejus est scientia perpetratum, ut quam sit periculosum non solum manibus, sed etiam in sacerdotem verbis excedere, ex nostra cuncti possint defensione cognoscere. Si quid enim in hac causa lentatum fuerit vel omissum, ad tuam culpam ac tuum potius cognoscas pertinere periculum; nec aliquem apud nos excusationis locum invenies. Nam quanto te apud nos res ista, si districtissime fuerit perscrutata et emendata, A commendat, tanto [e] si levigata fuerit, nostram contra te scito indignationem exacui.

Mancipia autem si qua de cætero in monasterium [f] sancti Severini, vel in alia ecclesia ejusdem castelli de civitate refugerint, mox ut ad notitiam tuam pervenerit, nullo modo illic ea immorari permittas, sed intra civitatem in ecclesiam revocentur; et si [g] justam contra dominos suos querelam habuerint, cum congrua ordinatione de ecclesiis exire necesse est. Si vero venialem culpam commiserint, dominis suis, accepto de venia sacramento, sine mora reddantur. (*Vide sup. l.* II, *ep.* 9, 10, 15, *et inf. ep.* 15.)

### EPISTOLA II.

AD PAULUM EPISCOPUM.

*Illum de accepta injuria consolatur.*

Gregorius [a] Paulo episcopo.

Licet non mediocriter nos contristaverit cognita quam es perpessus injuria, habemus aliquam tamen consolationis materiam, quod laudem tuam huic rei inesse cognovimus, ob id quod pro æquitatis rectitudine hoc, quantum directa **625** nobis patefecit relatio, pertulisti. Ut ergo ad majorem fraternitatis tuæ gloriam applicetur, hæc res constantiam tuam nec frangere, nec a via debet veritatis avertere. Nam major in sacerdotibus merces est, in veritatis tramite etiam post injurias permanere. Ac ne tantæ impietatis insania inulta remaneat, et in pejus indisciplinatio perniciosa prorumpat, Scholastico [b] viro magnifico Campaniæ judici, quia hic præsens inventus est, ut hæc digna coercitione vindicare debuisset, injunximus. Sed quia homines tui a nobis ut personam [c] dirigere debuissemus petiverunt, propterea Epiphanium subdiaconum illuc nos transmisisse cognosce, qui una cum suprascripto judice investigare valeat, ac cognoscere veritatem, quatenus in eos a quibus tantum facinus immissum constiterit, vel perpetratum, sua instantia dignam faciat exerceri vindictam. (*Vide sup. ep.* 1.)

LIBER III. *Al.*, LIBER II, indict. XI.

EPIST. [a] De Castro Lucullano jam dictum ad epist. 24 lib. I.

Norm., *nobis..... imminuit.* Corb., *nobis.... innuit.*

[c] Non est recentioris instituti judices ecclesiasticos et laicos de eodem simul negotio cognoscere, et ultione digna vindicare. Vide conc. Aurel. IV, tempore Vigilii, an 545, c. 20; Matiscon. I, c. 7; et Gregorium Turon. episcopum, in libri V Hist. cap. 5 et 48. GUSSANV.

[d] Corrupte in Ed. Gussanv., *eam imminenti*, etc., quasi Clementina vindictæ ac pœnæ subjicienda esset, non ejus mancipia. Scrupulum omnem tollunt quæ sequuntur verba : *tanto amplius ferienda sunt*, scilicet mancipia.

[e] Sic legere, non *si lentata*, ut habent Editi, cogit Mss. Vatic., Norm., Corb., etc., consensus.

[f] Noricorum apostoli cujus corpus in Castrum Lucullanum translatum est, ubi in ejus honorem celebre ædificatum est monasterium. Consule Bollandum, ad diem 8 Januarii.

[g] Possunt itaque servi juste adversus dominos suos conqueri, et ea de causa ad ecclesiam confugere. Vide Aurelian. I, c. 3; Epaon., c. 34 et 31; Aurel. IV, c. 24. In Cod. de *Judiciis*, lege *Servus*, et leg. *Cum debitori*. Multis autem de causis servi ad libertatem proclamabant invitis dominis, ut tradunt jurisconsulti; vel certe ut aliis venderentur, excussa duriores domini potestate. Vide textum in Cod. luculentum; unde pudeant Christiani, qui famulos ægrotantes domo pellunt, nec de necessariis provident, quasi ad eos nihil pertinuerint. Habetur lib. VII, tit. 6, lege unica, § *Sed scimus*. Istiusmodi servi derelicti libertate gaudebant invitis dominis. AUCT.

EPIST. II. — [a] Hic erat episcopus Nepesinus, cui vacantis Ecclesiæ Neapolitanæ visitationis curam commiserat Gregorius. Vide quæ de eo dicta sunt epist. 9, indict. 10. GUSSANV.

[b] In Editis, *viro memorabili*.

[c] In Vulgatis, *dirigeremus*. Sequimur unanimem Mss. consensum.

## EPISTOLA III.

AD JOANNEM ABBATEM.

*Bonifacii in præpositum ordinationem probat. Sancti Joannis tunicam petit. In causa cum Floriano vult aliquid cedi, ut ad compositionem perducatur. Abbatem arguit quod tum ipse, tum fratres sacram lectionem et orationem negligant. Illum hortatur ad sollicitiorem de fratrum animabus, de hospitibus, ac de pauperibus curam.*

Gregorius [a] Joanni abbati.

Petiit dilectio tua ut frater Bonifacius in monasterio tuo a te debeat ordinari [b] præpositus ; quod ego valde miratus sum, quare ante factum non est. Nam ex quo illum tibi dari feci, jam eum ordinare debuisti.

De [c] tunica vero sancti Joannis omnino grate suscepi, quia sollicitus fuisti mihi indicare. Sed studeat dilectio tua mihi ipsam tunicam, aut, quod melius est, eumdem episcopum qui eam habet cum clericis suis et cum ipsa ad me transmittere, quatenus et benedictione tunicæ perfruamur, et de eodem episcopo vel clericis [d] mercedem habere valeamus. Causam vero quæ cum Floriano vertitur incidere volui, et jam ei vel octoginta solidos mutuos dedi. Quos ille, credo, disponit sibi pro monasterii debito recompensari, et omnino volo eamdem causam decidi, quia Stephanus [e] chartularius dicitur imminere ut eam prædictus Florianus in publicum transferat, et grave nobis est cum publico litigare. Unde necesse est nobis aliquid cedere, ut possimus eamdem causam ad compositionem perducere. Quod dum factum fuerit, dilectioni tuæ, Deo auxiliante, nuntiabimus.

De fratrum vero animabus omnino esto sollicitus. Sufficiat jam quod opinio monasterii per vestram negligentiam inquinata est. Non frequenter **626** foras egrediaris. In causis istis procuratorem institue, et tu ad lectionem atque orationem vaca.

De hospitalitate esto sollicitus; quantum potes pauperibus largire, ita tamen ut serves quod Floriano restitui debeat.

In ipsis autem fratribus monasterii tui quos video, non invenio eos ad lectionem vacare. Unde considerare necesse est quantum peccatum est ut ex aliena oblatione Deus vobis alimoniam transmiserit, et vos mandata Dei discere negligatis.

De sex vero unciis domus, si authenticam chartulam non videmus aut exemplaria, nil possumus facere. Sed Florentino [f] Dei famulo præceptum transmisi, ut si ei veritas constiterit, easdem sex uncias vobis restituat. Quibus restitutis, reliquas sex uncias aut in emphyteosim damus, [g] aut reditus commutamus.

## EPISTOLA IV.

AD BONIFACIUM EPISCOPUM.

*Vitandum in operibus bonis humanæ laudis desiderium.*

Gregorius Bonifacio episcopo [a] Regiensi.

Quibusdam venientibus agnovi fraternitatem tuam misericordiæ operibus vehementer insistere; atque omnipotenti Deo gratias retuli, quia juxta egregii prædicatoris vocem, nunc vivimus, si vos statis in Domino (*I Thess.* III, 8). Sed illud, fateor, non leviter mentem meam momordit, quod eadem opera multis vosipsi nuntiatis ; ex qua re collegi quod mens vestra non studeat Dei oculis, sed humano judicio placere. Unde necesse est, frater charissime, ut cum bona exterius agis, hæc interius cum magna cautela custodias, ne appetitus placendi hominibus subrepat, et omnis labor boni operis incassum fiat. Nos enim qui sumus, quibus placeri ab hominibus quæritur? Quid namque aliud quam pulvis et cinis sumus? Sed illi tua fraternitas placere desideret, qui et non longe est ut appareat, et omne quod retribuerit finem nullo modo habebit. [b] Mense Octobri, indictione undecima.

## EPISTOLA V.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut viduam in omnibus causis ab iniquorum violentia tueatur.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Sicut in judiciis laicorum [a] privilegia turbare non cupimus, ita eis præjudicantibus, moderata te **627** volumus auctoritate resistere. Violentos namque laicos coercere, non contra leges est agere, sed legi

EPIST. III. — [a] Scilicet sanctæ Luciæ Syracus. Vide epist. 39 lib. VII.

[b] Ex regulæ sancti Benedicti c. 65, *de præposito monasterii*, melius addisces quo munere fungeretur, quam ex nota Gussanv., qui asserit ejus officium fuisse *servare pecuniam, et negotia procurare.*

[c] Eam fuisse sancti Joannis evangelistæ, et positam Romæ in basilica Constantiniana, et pluribus coruscasse miraculis, narrat in Vita sancti Gregorii Joannes Diaconus, lib. III, c. 59. GUSSANV.

[d] Merces quandoque opponitur damno. Cicero ad Lentulum, lib. I, epist. 9 : *Non ita magna mercede, quam ego maximo dolore.* Infra, epist. 31, *merces* ponitur pro *beneficio*. Gall., *un bon office*. GUSSANV.

[e] De illo vide epist. 28, lib. II, et 41 libri V.

[f] Vatic. B, *Florentino defensori*. Vatic. A et C, *Florentino* simpliciter.

[g] Ita quatuor Vaticani, Norm., Andeg. Editi vero, *aut in reditus commutamus.*

EPIST. IV. — [a] Norm., Corb. et Vatic. D, *Regitano*. Vatic. B et Colb., *Regio* vel *Rhegio*. Vatic. A, *Rheginо* : B, *presbytero Rhegio*. Rhegium urbs olim Brutiorum, nunc Calabriæ ulterioris caput, titulo gaudens archiepiscopali, sedet in ora freti Siculi ex adverso Messanæ. Nominis etymon affert Cassiodorus, Variar. lib. XII, epist. 14 : *Rhegienses cives ultimi Brutiorum, quos a Siciliæ corpore violenti quondam maris impetus segregavit, unde civitas eorum nomen accepit. Divisio enim, ῥήγιον Græca lingua vocitatur.*

[b] Ita in Colb. et in Turon. S. Gat.

EPIST. V. — [a] Refertur extra *de privilegiis*, c. 2, addito *nobis* post *præjudicantibus* laicorum et clericorum distinctæ cum sint jurisdictiones, suis quæque finibus debent contineri. Concessum est autem nostris episcopis ab imperatoribus et regibus, pauperum, viduarumque oppressarum causas tueri. Sic in Cod., *de episcopis audiendis*, leg. 1, 10, 12; de episcopis et clericis leg. 25, 46, 49. Sed evidentius concil. Matiscon. II, jussu Guntramni regis, c. 12 et 14; Turon. II. c. 26; sanctus Gregorius, lib. 1, epist. 13, 59; conc. Chalced., can. 5. AUGET.

ferre subsidium. Quia igitur Deusdedit gener Felicis de Orticello præsentium latrici violentiam dicitur irrogasse, præfatamque rem illicite detinere, ita ut viduitatis ejus dejectio non misericordiam provocare, sed ejus inveniatur roborare malitiam, præcipimus experientiæ tuæ ut tam contra præfatum virum, quam in cæteris causis, in quibus se asserit præfata femina præjudicium sustinere, tuæ ei solatium tuitionis impendas, nec a quolibet eam prægravari permittas, ne vel ea quæ tibi, salva tamen æquitate, mandantur, in aliqua inveniaris parte negligere, vel viduis aliisque pauperibus, dum illic auxilium non inveniunt, ex hujus itineris profligentur longinquitate dispendia.

## EPISTOLA VI.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Sacra eum communione privat, ob damnatum injuste Adrianum episcopum, quem in locum et ordinem suum restitui jubet.*

Gregorius Joanni [a] episcopo primæ Justinianæ.

Post longas tribulationes, quas Adrianus [b] Thebanæ civitatis episcopus a consacerdotibus suis, velut ab hostibus pertulit, in Romanam civitatem confugit. Et licet adversus Joannem [c] Larissæum episcopum ejus fuisset prima suggestio, non ab eo in causis pecuniariis reservatis legibus judicatum; tamen post hæc magis contra personam fraternitatis tuæ, a qua non juste se a sacerdotii gradu flagitabat esse dejectum, gravissime querebatur. Sed nos, indiscussis petitionibus non credentes, eadem quæ apud Joannem fratrem et coepiscopum nostrum, vel quæ apud fraternitatem tuam sunt acta, relegimus. Et quidem de memorati Joannis episcopi Larissæ judicio, quod fuerat appellatione suspensum, satis et piissimi rerum Domini, ad [d] Corinthi episcopum missis jussionibus, decreverunt. Et nos quoque, per præsentium latores epistolis nostris ad præfatum Joannem Larissæum directis, Christo auxiliante, decrevimus. • Cum vero diversi disceptationem judicii cujus examen tibi imperialia jussa tradiderant, et inspectam gestorum apud Joannem episcopum de criminalibus habitorum seriem ventilavimus, reperimus prope nil te quod ad nominatas indictasque tibi causas attinuit exquisisse, sed machinationibus quibusdam testes adversus Demetrium diaconum in damnationem ejusdem episcopi produxisse, qui eum de illo, quod nec audiri fas est, testimonium dicentem se audivisse perhiberent. Quod dum præsens Demetrius contradiceret se dixisse, adversus sacerdotalem **628** morem disciplinamque canonicam, dejectum honore suo diaconum proconsuli provinciæ [f] tradidisse. Qui cum, multis laniatus verberibus, adversus episcopum suum forsan aliqua potuisset tormentorum necessitate mentiri, usque ad finem negotii nihil eum de quibus interrogabatur penitus invenimus fuisse confessum. Sed nec alia in gestis ipsis, sive per depositionem testium, sive per Adriani professionem, quod ei potuisset obesse, reperimus. Sed tantum fraternitas tua, nescio quo mentis motu, divino humanoque jure contempto, abruptam protulit in ejus damnatione sententiam; quæ licet non esset appellatione suspensa, contra leges tamen canonesque prolata, ipsa non poterat jure subsistere. Postquam autem ex abundanti appellationem tibi constat esse porrectam, mirati sumus cur nec homines tuos secundum [g] cautionem Honorato diacono nostro per responsales tuæ Ecclesiæ expositam, qui tui judicii rationem potuissent reddere, transmisisti. Quod factum te vel de contumacia vel de conscientiæ trepidatione redarguit. Si igitur hæc quæ nobis [h] oblata sunt veritate vallantur, quoniam occasione vicium nostrarum consideramus [i] vos injusta præsumere, de his alias secundum id quod a nobis deliberatum fuerit, Christo auxiliante, decernemus.

Quod vero ad præsens attinet, cassatis prius atque ad nihilum redactis prædictæ sententiæ tuæ decretis, ex beati Petri principis apostolorum auctoritate decernimus triginta dierum spatio te sacra communione privatum, ab omnipotenti Deo nostro tanti excessus veniam cum summa pœnitentia ac lacrymis exorare. Quod si hanc sententiam nostram te cognoverimus implesse remissius, non jam tantum injustitiam, sed et contumaciam fraternitatis tuæ cognoscas, adjuvante Domino, severius puniendam. Prælatum vero Adrianum fratrem et coepiscopum nostrum ex tua sententia, ut diximus, nequaquam canonibus neque

EPIST. VI. — [a] Justiniana prima, nunc Locrida, urbs archiepiscopalis in Macedonia, Justiniani patria, a quo nomen accepit. Vide not. Gussanv. ad epist. 23 l. II.

[b] Thebæ Phtioticæ, vulgo, *Ziton*, urbs Thessaliæ in Græcia, episcopalis, olim in Phtiotide regione ad sinum Pelasgicum, vulgo *Golfo dell' Armiro*, e regione Demetriadis. Suberat metropolitæ Larissæo, sed post archiepiscopalis facta est. GUSSANV.

[c] Larissa, vulgo adhuc *Larizza*, urbs Mediterranea, Thessaliæ olim metropolis, ad Penæum fluvium, in Pelasgiotide regiuncula, inter Pierium montem ad Boream, et Pelasgicum sinum ad Austrum: adhuc urbs ampla est sub dominio Turcarum. De hac autem intelligendus est sanctus Gregorius, non de alia Larissa Thessaliæ quidem, sed Phtiotidis regionis maritima, inter sinus Maliacum et Pelasgicum, quæ non erat episcopalis. GUSSANV.

[d] Vide not. ad epist. 26 lib. I.

[e] Sic restituimus ope Mss. Norm., Rhem., Vatic. Certe Vulgatorum lectio sensu caret: *Decrevimus, cum diversi disceptatione judicii, cujus examinationem tibi imperialia jussa tradiderant; et inspecta gestorum..... habitorum scite ventilatis, reperimus*, etc.

[f] Tres Vaticani, *tradidisti*, vel *tradidistis*. Cæterum vide in digest., *tit. de quæstionibus*. In Cod. lib. IX, tit. 41, excipiuntur jure scripto a tortura illustres, milites, doctores, clerici, nisi sint infames; seniores, minores, etc. In Gallia pauci excipiuntur, si gravant indicia, etiam in foro ecclesiastico, modo crimen sit atrox. AUGET.

[g] Promissionem aut scripto datam, aut verbo.

[h] Vulgati, *aperta*. In Norm. legimus *sic igitur hæc.... veritate vallantur. Quoniam*, etc.

[i] In Norm., *nos injusta præsumere*. Vitiose, nec saniori sensu in tribus Vatic., *nos injusta non præsumere*.

legibus existente damnatum, in suum locum atque ordinem reverti Christo comitante disponimus, ut nec illi fraternitatis tuæ noceat contra justitiæ tramitem prolata sententia, nec charitas tua, pro placanda futuri indignatione judicis, incorrecta remaneat. (*Vide inf. ep. 7 et 38. Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 26.)

## EPISTOLA VII.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Iniquam Adriani damnationem Joannis metropolitani machinationibus procuratam fuisse ostendit, ex judicii ordine. Hunc exinde ab omni in illum jurisdictione abstinere statuit, et sacræ communionis, nisi pareat, privationem minatur.*

Gregorius Joanni episcopo Larissæo.

Frater noster Adrianus (*Grat. caus.* 16, *q.* 1, *c.* 52), Thebanæ civitatis episcopus, ad Romanam urbem veniens lacrymabiliter **629** est conquestus de quibusdam capitulis se a fraternitate tua, necnon a Joanne primæ Justinianæ episcopo, non legitime neque canonice condemnatum. Cumque per diuturnum tempus nullam diversæ partis videremus huc advenire personam, quæ ejus debuisset objectionibus respondere, necessario cognoscendæ veritatis intuitu, ea quæ penes vos acta sunt relegenda tradidimus. Ex quibus cognovimus Joannem atque Cosmam diaconos, unum pro lubrico corporis, alterum pro fraudibus ecclesiasticarum rerum proprio depulsos officio, de pecuniariis [a] criminalibusque capitulis adversus eum piissimis nostris imperatoribus suggessisse. Qui per jussiones suas te voluerunt, servata videlicet juris canonumque districtione, cognoscere, ita ut de pecuniariis quidem ferres firmam jure sententiam, de criminalibus vero, eorum clementiæ habita subtilius examinatione, suggereres. Quod si tam rectas jussiones tua fraternitas rectis quoque mentibus accepisset, nunquam viros pro suis excessibus proprio amotos officio, atque [b] jam inimicantis animi, ad accusationem passim sui suscepisset episcopi, maxime cum ex suggestione piissimis dominis oblata eorum sit detecta fallacia, qui cum consensu omnium clericorum hæc contra suum pontificem se suggessisse professi sunt.

Post hæc tamen, ut breviter quædam strictimque quæ apud te sunt acta percurram, primum capitulum penes fraternitatem tuam motum est Stephani Thebani diaconi, cujus vitam quasi sciens turpissimam Adrianus episcopus, non eum sui ordinis honore privaverat. Quod capitulum nullus deductorum testium ad Adriani episcopi dicit pervenisse notitiam, nisi quod solus Stephanus, turpis vitæ suaque professione damnabilis, dicitur esse confessus. Secundum capitulum adversus eum videtur esse propositum, de infantibus ejus jussu a sacri baptismatis susceptione prohibitis, atque ita inabluta sorde peccati defunctos in tenebris. Sed nullus adversus eum deductorum testium professus est nosse se tale aliquid ad Adriani episcopi pervenisse notitiam, sed a matribus infantum, quarum viri remoti pro culpis, ut dicitur, ab Ecclesia fuerant, se cognovisse dixerunt. Sed nec [c] inbaptizatos eos mortis tempus professi sunt occupasse, sicut accusatorum continebat invidiosa suggestio, cum [d] in Demetriade civitate baptizatos eos esse constiterit. Et hæc quidem de criminalibus causis.

De pecuniariis vero qualiter a te fuerit judicatum, inquisitio deputatorum a principe virorum piissima jussione serenissimis principibus attestatur. Nam cum tuam sæpe fatus Adrianus suspendisset appellatione sententiam, quantum ex quatuor testium depositionibus apud Joannem primæ Justinianæ episcopum prolatis agnovimus, arctissima detrusus custodia, libellum in quo objecta sibi confiteretur capitula tua coactus est fraternitate porrigere. **630** Qui quidem in porrecto a se libello de pecuniariis invenitur tuæ consensisse sententiæ. Criminalia vero medio quodam dubioque verborum calle transcurrit, ut et tua quibusdam subjectis nebulis frustraretur intentio, et ipse porro nimis a confessione [e] perplexæ locutionis obscuritate refugeret. Cumque porrecta appellatio per homines ejus cæteraque quæ penes te gesta sunt piissimis fuissent deportata principibus, deputatis, ut diximus, Honorato diacono sedis nostræ, et Sebastiano glorioso [f] antigrapho, cunctisque examinatis subtiliter, a serenissimis est dominis ab omnibus jussionibus absolutus. Sed nescio quibus machinationibus exquisitis, alia rursus est principalis jussio elicita, ut de cunctis ante fatis capitulis Joannes primæ Justinianæ episcopus requirens subtiliter judicaret. In cujus judicio omnes clerici Adriani episcopi, et Demetrius diaconus inter tormenta professus est omnem hanc contra Adrianum episcopum calumniam fraternitatis tuæ machinatione confectam. Nec aliqua de capitulis ipsis quæ in tua audientia criminaliter objecta fuerant Adriano episcopo sunt probata. Sed provenit alia contra canones ac leges in Demetrium diaconum ejus aliasque personas crudelis atque dolosa discussio, in qua [g] nihil pene repertum est ex quo sæpe memoratus Adrianus damnari legitime debuisset, sed magis ex quo potuisset absolvi. Sed de Joannæ primæ Justinianæ urbis antistite, ac de nequissimo ejus damnandoque judicio alias sumus juvante Domino, tractaturi. Adrianum vero episcopum

EPIST. VII. — [a] Vide nov. 83, *de pecuniariis et criminalibus clericorum causis.*

[b] Pro hac voce quæ in omnibus Vatic., Norm., etc., legitur, Editi habent, *immutabilis animi*

[c] Quatuor Vaticani, *inablutos.*

[d] Demetrias, vulgo *Dimitriada*, urbs Thessaliæ in sinu Pelasgico, et in Magnesia regione, olim episcopalis, sub Larissæ metropol.

[e] Sic emendandum judicavimus, prælucente Vatic. A. Certe *imperplexæ*, quod habent Vulgati, non convenit cum his quæ præcesserunt : *medio quodam dubioque verborum calle transcurrit.*

[f] In Vatic. A et C, *antigrapheo.* Suffragantur Normanni. De hac dignitate vide lib. I, epist. 29. Consule quoque Glossaria Cangii, tum Latinum tum Græcum.

[g] Melius fortasse in Norm., et Reg., *nihil penitus.*

reperimus, et tuo contra sacerdotales mores odio laborasse, et nullo jure pecuniariis in causis eum fraternitatis tuæ condemnatum fuisse sententia.

Quia igitur et ab ante fato Joanne primæ Justinianæ episcopo contra jus canonesque depositus, honoris sui gradu carere non potuit, in sua eum reformari Ecclesia, atque in propriæ dignitatis ordinem decrevimus revocari. Et cum oportuisset te ex eo Dominici corporis communione privari, quod, admonitione sanctæ memoriæ decessoris mei contempta, per quam eum Ecclesiamque ejus de tuæ jurisdictione potestatis exemit, rursus in eis aliquid tibi jurisdictionis servare præsumpseris, tamen nos humanius decernentes, communionisque tibi sacramentum interim conservantes, decernimus ut fraternitas tua ab eo Ecclesiaque ejus omnem ante habitæ suæ potestatem jurisdictionis abstineat, sed secundum scripta decessoris nostri, si qua causa vel fidei vel criminis, vel pecuniaria adversus præfatum Adrianum consacerdotem nostrum potuerit evenire, vel per eos qui nostri sunt vel fuerint in urbe regia responsales, si mediocris est quæstio, cognoscatur, vel huc ad apostolicam sedem, si ardua est, deducatur, quatenus nostræ audientiæ sententia decidatur. Quod si contra hæc quæ statuimus, quolibet tempore, qualibet **631** occasione vel surreptione venire tentaveris, sacra scias te communione privatum, nec eam te, excepto ultimo vitæ tuæ tempore, [h] nisi concessa Romani pontificis decernimus jussione percipere. Hæc enim consona sanctis Patribus definitione sancimus, ut qui sacris nescit obedire canonibus, [i] nec sacris administrare, vel communionem capere, sit dignus altaribus. Res autem sacras sive alias mobiles immobilesque ejus Ecclesiæ, quas hactenus [k] dicitur retinere, quarum notitiam nobis oblatam præsentibus annectimus litteris sine aliqua ei dilatione fraternitas tua restituat. De quibus si qua inter vos quæstio vertitur, volumus ut apud responsalem nostrum in urbe regia ventiletur. (*Vide sup. ep.* 6. *Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 26.)

## EPISTOLA VIII.

### AD NATALEM ARCHIEPISCOPUM.

*Florentium episcopum, absque concilii judicio depositum, ab exsilio revocandum; causamque illius, convocatis episcopis, retractandam.*

Gregorius Natali archiepiscopo Salonitano.

Dum cuncta negotia indagandæ sollicitudine veritatis indigeant, tum quæ ad dejectionem sacerdotalium graduum pertinent, districtius sunt trutinanda, in quibus non tam [a] de humilibus constitutis, quam divinæ quodammodo benedictionis refragatione tractatur. Quæ res quoque nos in Florentii [b] Epidauritanæ civitatis episcopi persona ad exhortationem vestræ fraternitatis admonuit (*Infra, epist.* 9). Nuntiatum siquidem nobis est a quibusdam fuisse eum in causis criminalibus accusatum, et nullis canonicis probationibus exquisitis, nec sacerdotalis concilii [c] proveniente judicio, eum ab honoris officio [d] non jure, sed auctoritate depositum. Quia ergo non potest quemquam episcopatus gradu, nisi justis ex causis, concors sacerdotum summovere sententia, hortamur fraternitatem vestram ut præfatum virum ex eodem in quo detrusus est ejici faciatis exsilio, causamque ejus episcopali disceptatione perquiri. Et si in his in quibus accusatus est canonica fuerit probatione convictus, canonica procul dubio est ultione plectendus. Quod si alias quam de eo æstimatum est [e] synodali fuerit inquisitione compertum, necesse est ut et criminatores justi districtionem juris exhorreant, [f] et incriminato innocentiæ suæ serventur illibata suffragia. Exsecutionem vero ante fati negotii Antonino subdiacono nostro ex nostra præceptione mandavimus, quatenus ejus instantia et quæ sunt legibus **632** canonibusque placita decernantur, et decreta, juvante Domino, mancipentur effectui. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV *c.* 28.)

## EPISTOLA IX.

### AD ANTONINUM SUBDIACONUM.

*Ut Florentio, si a convocatis episcopis absolvatur, res suas omnino restitui curet.*

Gregorius Antonino subdiacono.

Pervenit ad nos Florentium Epidauritanæ civitatis episcopum, præreptis prius rebus ejus, pro quibusdam non approbatis criminibus, sine sacerdotali concilio fuisse damnatum. Et quia non debet is pœnam sustinere canonicam (*Grat.* 11, *q.* 1, *c.* 64), in cujus damnatione non est canonica prolata sententia, præcipimus experientiæ tuæ ut Natali fratri et coepiscopo nostro debeas imminere, quatenus supradictum virum de eodem ejici faciat, quo nunc dicitur detrusus exsilio. [a] Convocatoque episcoporum concilio, si hæc in quibus accusatus est canonice fuerint approbata, præfati Natalis fratris et coepiscopi nostri vocum insulis aliquot adjacentibus. GUSSANV.

[b] Vatic. A et C, *nisi cum concessa*. Norm., *nisi concessam*, etc.

[i] Gussanv. putat sic legendum : *nec communionem capere, nec sacris administrare dignus sit altaribus.* Clara est nostra lectio, quam ex Mss. Vatic., Norm., etc., eruimus.

[k] Vulgati, *diceris*. Optime legitur in Mss. *dicitur*, scilicet, *fraternitas tua*.

EPIST. VIII. — [a] In excusis, *de humanis*. Sequimur Corb., Norm., etc.

[b] Epidaurus, Gall., *Raguse*, urbs Dalmatiæ maritima, nunc sui juris et reipublicæ caput, Turcis tamen tributaria. Ibi emporium celebre cum arce valida sancti Laurentii. Olim tantum episcopalis erat sub Sirmiensi occidentalis Illyrici metropolitano, hodie vero archiepiscopalis. Horrendo terræ motu valde est desolata an. 1667. Huic reip. parent urbes nonnullæ

[c] Excusi, *præveniente judicio.*

[d] Quia nempe eum ab episcopali gradu non justis ex causis concors sacerdotum in synodo sententia submoverat. Opus enim est synodali inquisitione, episcopali disceptatione, probatione canonica. Idipsum epistola sequente repetit verbis apertissimis. GUSSANV.

[e] Episcopos a synodis judicari, canonibus cautum esse, supra observavimus lib. I, epist. 82, nunc 81, aut certe a XII episcopis, ut Leo IV agnoscit epist. ad episcopos Britanniæ. Idque juxta canonem 12 concil. Carthag. GUSSANV.

[f] Non Junium modo, sed et Apuleium et Ciceronem voce *criminor* passive usos fuisse docent grammatici.

EPIST. IX. — [a] Nondum in senem restitutus erat Florentius mense Februario, ind. 1. Vide l. VIII, ep. 10

tumus in eum proprium robur obtinere sententiam. Sin autem generali fuerit judicio absolutus, nec eum deinceps cujuslibet præjudicio subjacere permittas, et præfatæ res districta tuæ sollicitudinis restituantur instantia. Necesse est ergo ut quanto graviora talium negotiorum perpendis pondera, tanto ea maturiori vigilantiorique studeas exsecutione complere.

## EPISTOLA X.

### AD SAVINUM SUBDIACONUM.

*Ut evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipit ac veneratur Gregorius. Chalcedonensis fidem in quinta synodo violatam non fuisse declarat. Savino proinde ad Ecclesiæ unitatem remeandum.*

Gregorius Savino subdiacono.

Exeuntes maligni homines turbaverunt animos vestros, non intelligentes neque quæ loquuntur neque de quibus affirmant, astruentes quod aliquid de sancta Chalcedonensi synodo piæ memoriæ Justiniani temporibus sit imminutum, quam omni fide omnique devotione veneramur. Et sic [a] quatuor synodos sanctæ universalis Ecclesiæ, sicut quatuor libros sancti Evangelii recipimus. [b] De personis vero de quibus post terminum synodi aliquid actum fuerat, ejusdem piæ memoriæ Justiniani temporibus est ventilatum; ita tamen, **633** ut nec fides in aliquo violaretur, nec de eisdem personis aliquid aliud ageretur, quam apud eamdem sanctam Chalcedonensem synodum fuerat constitutum. Anathematizamus autem si quis ex diffinitione fidei, quæ in eadem synodo prolata est, aliquid imminuere præsumit, vel quasi corrigendo ejus sensum mutare; sed sicut illic prolata est, per omnia custodimus. Te ergo, fili charissime, decet ad unitatem sanctæ Ecclesiæ remeare, ut finem tuum valeas in pace concludere, ne malignus spiritus, qui contra te per alia opera prævalere non potest, ex hac causa inveniat unde tibi in die exitus tui in aditum regni cœlestis obsistat.

## EPISTOLA XI.

### AD ORDINEM ET PLEBEM ALBANENSEM.

*Ordinatum ipsis episcopum.*

Gregorius ordini et plebi consistentibus in [a] Albano.

Probabilibus [b] desideriis nihil attulimus tarditatis, fratrem namque et coepiscopum nostrum Hominem bonum vobis ordinavimus sacerdotem. [b] Mense Novembri, indictione 11.

## EPISTOLA XII.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*Agrigentini episcopi accusatores et ad ejus causam spectantia documenta Romam mittat.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Pridem quidem fraternitati vestræ scripseram ut eos qui adversus Gregorium episcopum Agrigentinæ civitatis aliqua dixerant, ad Romanam civitatem transmittere deberetis. [a] Quod et nunc ut instantius fieri debeat præsentibus adhortamur epistolis. Unde personas ipsas, cæteraque documenta, id est gesta et petitiones, quæ data sunt festinate cum celeritate transmittere. Nec moram aliquam excusationemque perquiri penitus permittimus, quatenus eis in Romanam, sicut diximus, civitatem sub celeritate transmissis, sciamus quid auxiliante Domino, de persona salubrius ejus disponere debeamus.

## EPISTOLA XIII.

### AD AGNELLUM EPISCOPUM.

*Agnellum Terracinensi Ecclesiæ ita præficit, ut Fundensis Ecclesiæ jura potestatemve illi non subtrahat.*

Gregorius Agnello episcopo [a] de Fundis, [b] qui nunc in civitate incardinatus est Terracinensi.

Relatio cleri simul et populi Terracinæ degentis nos valde lætificat (*Grat.* 21, *q.* 1, *c.* 5), ob hoc quod de tua **634** fraternitate bona testatur. Et quia defuncto Petro pontifice suo te sibi cardinalem postulant constitui sacerdotem, eorum vota necessario complenda esse prævidimus, quatenus et illi se gaudeant impetrasse [c] quod postulant, et nos concessisse quod expedit videamur. Quia igitur ob cladem hostilitatis nec in civitate nec in Ecclesia tua est cuiquam habitandi licentia, ideo te auctoritate nostra Terracinensi Ecclesiæ cardinalem constituimus sacerdotem, admonentes ut ita de animabus populorum illic consistentium, Deo protegente, debeas esse sollicitus, quatenus callidi perversique hostis insidiæ commisso tibi gregi qualibet arte nocere non valeant, sed sollicitudinis tuæ grex circumseptus custodia, digni se

---

Epist. X. — [a] Vide epist. 25 lib. I.

[b] Quid de illis actum sit, diximus ad epist. 51 lib. II. Porro vide quam sit ingeniosa charitas, quantum unionis studium, et schismatis odium quandoquidem veritatem quasi obscurat superinducto malagmate, ut istius subdiaconi mentem e:olliens Ecclesiæ consocieł. Lege epist. 39 lib. IV, ad Constantium, ubi ait de his modo personis actum, de quibus nihil in Chalcedonensi concilio continetur. Gussanv. Quod hic docet Gregorius, iisdem pene verbis legitur lib. IV, epist. 39. Sensus sancti Doctoris est ad concilium Chalcedonense non pertinere quidquid extra aut ultra fidei definitionem statutum est de personis aut aliis negotiis. Eadem est Pelagii II doctrina maxime epist. 3, ad Eliam et ad alios Istriæ episcopos, quam a Gregorio scriptam diximus supra. Porro præcipua non recipiendi pro Chalced. Concilio quædam in ultimis actionibus sancita ratio fuit quod vel absentibus, vel repugnantibus legatis apostolicis, nec approbante sancto Leone, fuerint constituta.

Epist. XI. — [a] Albanum, vulgo *Albano*, civitas Latii, quæ crevit ex Albæ longæ ruderibus, distatque ab urbe Roma XIV mill. pass., unus est e sex episcopatibus cardinalibus antiquioribus tribui solitis. Gussanv.

[b] Id est probatis, bonis, laudabilibus. Vincentius Lirin., commonit. 1, c. 4, et commonit. 2, c. 1, Christianum catholicum in quæstionibus vult interrogare sententias eorum *qui magistri probabiles exstiterunt*.

[c] Ita Turon. S. Gat. et Colb. vet.

Epist. XII. — [a] Gregorium Agrigentinum et Leonem Catanensem episcop. Romam venire jusserat Gregorius Mag., indict. 9, lib. I, epist. 72. Catanam omnino purgatus redit Leo; indict. 10, lib. II epist. 33. Romæ accusatores suos exspectat Gregorius Agrigentinus.

Epist. XIII. — [a] Vulgo *Fondi*, urbs adhuc episcopalis in Latio.

[b] Hæc et quæ sequuntur ad inscriptionem pertinentia desunt in Mss. Norm., in Rhem. et duobus Teller. Exstant in tribus Vatic.

[c] Postulatio, petitio, desiderium, electio; postulari,

pastoris gaudeat meruisse tutamina. In tuis actibus plebi exempla bene vivendi existant, avaritia in te vires non habebat. Tua prædicatione qui litteras nesciunt quid divinitus præcipiatur agnoscant. In Dei timore populum, quemadmodum, vivere possit, tui mores instituant. Operibus exerce quod subjectos doces et prædicas. Actus tui in aliorum correptionem proficiant, in adjutorium sibi vitæ tuæ imitationem assumant. Sicque te in cunctis operibus exhibere festina, ut scripturam [d] constructionemque in te habeat, quicunque aut negligit, aut non potest lectione formari. Tota igitur mentis intentione ita lucrum animarum Domino nostro facere festinato, ut digna te merces ante ejus conspectum in die retributionis inveniat. Quidquid vero de prædictæ rebus Ecclesiæ vel ejus patrimonio, seu cleri ordinatione promotioneve, et omnibus generaliter ad eam pertinentibus, solerter atque canonice ordinare facereque provideris, liberam habebis, quippe ut sacerdos proprius, modis omnibus facultatem.

Illud quoque fraternitatem tuam scire necesse est, quoniam sic te prædictæ Terracinensis Ecclesiæ [e] cardinalem esse constituimus sacerdotem, ut et Fundensis Ecclesiæ pontifex esse non desinas, nec curam gubernationemque ejus prætereas, quia ita fraternitatem tuam sæpe dictæ Terracinensi Ecclesiæ, sicut præfati sumus, præesse præcipimus, ut ante dictæ Fundensis Ecclesiæ tibi jura potestatemve nullo modo subtrahamus. (*Vide inf. ep.* 24. *Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 15.)

## EPISTOLA XIV.

### AD TERRACINENSES.

*Hortatur ut Agnello episcopo suo in omnibus obeatant.*

Gregorius clero, ordini et plebi consistenti in Terracina.

Dilectionis vestræ desideria insinuata nobis quam oblulistis petitio reseravit, electionemque vestram valde laudavimus, quia Agnellum fratrem et coepiscopum nostrum probatum jam meritis cardinalem vobis constituti deprecamini sacerdotem. **635** Et quoniam gratæ laudandæque petitioni nec effectum negari, nec moram oportebat innecti, secundum desideria postulationemque vestram supradictum Agnellum, directa præceptione, Ecclesiæ vestræ cardinalem esse statuimus sacerdotem. Pro qua re dilectionem vestram paterna adhortatione commoneo, ut ei obedientiam præbere in omnibus debeatis, quatenus charitatis vestræ solatio roboratus, curam gubernationemque Ecclesiæ quam vobis probatur petentibus suscepisse, adjuvante Domino salubriter valeat adimplere. [a] Mense Decembri, indictione 11.

## EPISTOLA XV.

### AD SCHOLASTICUM JUDICEM.

*Cum Florentius subdiaconus a Neapolitanis electus episcopatum fuga declinarit, de alio eligendo cogitandum.*

Gregorius Scholastico [a] judici Campaniæ.

Dum de Neapolitanæ civitatis cura destitutæ sacerdotis solatio vehementius angeremur, supervenientes præsentium latores cum decreto in Florentium subdiaconum nostrum confecto aliquid nobis in tanto cogitationum pondere relevationis [b] invenerant. Sed dum præfatus subdiaconus noster, refugiens civitatem ipsam, ordinationem suam lacrymabiliter [c] evitasset, quasi ex majori [d] quadam dispensatione nostram cognoscite crevisse mœstitiam. Atque ideo salutantes hortamur magnitudinem vestram, ut convocantes priores vel populum civitatis, de electione alterius cogitetis, qui dignus possit cum Christi solatio ad sacerdotium promoveri. In quo decreto solemniter facto, atque ad hanc urbem transmisso, ordinatio illic tandem, Christo auxiliante, proveniat. Sin autem aptam non invenitis in quam possitis consentire personam, saltem tres viros rectos ac sapientes eligite, quos ad hanc urbem generalitatis vice mittatis, quorum et judicio plebs tota consentiat. Forsitan huc venientes, præstante Dei misericordia, talem reperient qui vobis antistes irreprehensibiliter ordinetur, quatenus destitutæ **636** civitati vestræ nec intrinsecus actuum suorum desit inspector, nec extrinsecus, adhibita sollicitudine sacerdotis, hostilibus aditus præstetur insidiis. (*Vide sup. ep.* 1. *Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 8.)

## EPISTOLA XVI.

### AD PETRUM EPISCOPUM.

*Valerianum presbyterum pro redemptione captivorum advenientem commendat.*

Gregorius Petro episcopo [a] de Baricis.

Licet fraternitatem tuam piis se causis non dubitemus sponte impendere, verumtamen quia proniorem eam nostra fieri arbitramur epistola, idcirco peti, desiderari, eligi, pro eodem usurpantur, sive clerum spectes, sive populum. *Electionem*, inquit, *vestram valde laudavimus*, epist. sequenti. Postulare tamen majus est quam petere. Inde apud Curtium, de Dario victo, et tamen arroganter leges pacis ferre volente, hæc legimus : *Postulabat autem magis quam petebat, ut*, etc. Gussanv. Postulatio et electio nonnihil differunt, quod Gussanvillæi pace dixerim. Vide notas ad epist. 39 lib. II.

rium nomine presbyteri episcopus designatur; sæpius nomine sacerdotis. Porro cardinalis sacerdos idem ac proprius, quasi titulo perseveranter affixus. Sancto Gregorio, et aliis passim, *incardinare* est proprium episcopum, abbatem, presbyterum, diaconum in aliqua Ecclesia instituere. Vide lib. I, epist. 15; lib. IX, epist. 9, 10, 86; lib. X, epist. 3; lib. XII, epist. 11; lib. XIII, epist. 56.

[d] Vatic. A, *conscriptionemque*. Alia lectio est Norm., Turon., etc.

[e] Prioribus sæculis, si vocem spectes, iidem dicebantur episcopi qui presbyteri, apud Græcos et Latinos auctores, ne exceptis quidem sacris Codicibus. Vide Hieronymum, epist. 85, ad Evagrium; Theodoretum, initio Epist. ad Philip., et in cap. III primæ ad Timoth.; Act. XX, 17. Vix apud sanctum Grego-

Epist. XIV. — [a] Ita legitur in Turon. S. Gat.

Epist. XV. — [a] In nonnullis Ed., *duci Campaniæ*.

[b] Vatic. C, *innuerant*. Consentiunt Excusi.

[c] Alias, *evasisset*, ut ferunt Editi. Nostra lectio est quatuor Vatic., omnium Norm., Reg., etc.

[d] In Excusis, *desperatione*, quibus favent nonnulli Mss.

Epist. XVI. — [a] In Mss. et in Editis discrepat hujus epist. inscriptio. In Norm., Rhem. et cæt. an-

præsentibus tibi indicamus apicibus horum latorem Valerianum presbyterum pro redemptione captivorum in illas partes advenisse; cui tanto enixius in omnibus debetis ferre solatium, quanto eum [b] mercedis intentione longinqui itineris laborem assumpsisse cognoscitis. Sic enim et hic qnod intendit, te adjuvante, perficiet, et fraternitas tua pro impenso solamine magnam apud Deum, sicut desiderat, retributionem inveniet. [c] Mense Januario, indictione 11.

## EPISTOLA XVII.

AD GRATIOSUM SUBDIACONUM.

*Floræ abbatissæ domum cum hortis et hospitiis ad construendum monasterium tradat.*

Gregorius Gratioso subdiacono.

Religiosam vitam eligentibus (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 75) congrua nos oportet consideratione prospicere, ne cujusdam necessitatis occasio aut desides faciat, aut robur, quod absit, conversationis infringat. Idcirco præsenti tibi auctoritate præcipimus quatenus domum positam in hac urbe, regione quarta, juxta locum qui appellatur [a] Gallinas albas, vel hortum juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, Deo auctore, præsidemus, in qua Campana [b] quondam Patritia mansisse dignoscitur, simul et hortum atque hospitia, quæ intra eamdem domum janua concludit, **637** Floræ abbatissæ debeas tradere, proprietatis jure procul dubio possidendam. In qua domo monasterium, ubi cum congregatione sua habitare possit, Christo queat adjuvante construere, ut tam ipsa quam etiam quæ in ejus loco honoreque successerit prædictam domum et hortum cum omnibus ad se pertinentibus, sicut diximus, quieto inconcussoque jure, a nobis pietatis consideratione concessa, valeat possidere.

## EPISTOLA XVIII.

AD THEODORUM CONSILIARIUM.

*Acosimi pueri donationem, jam Theodoro factam scripto firmat.*

Gregorius Theodoro consiliario.

Ecclesiasticis utilitatibus desudantes (*Grat.* XII, *q.* 2, *c.* 67) ecclesiastica dignum est remuneratione gaudere, ut qui se voluntariis obsequiorum necessitatibus sponte subjiciunt, digne nostris provisionibus consolentur [a]. Quia igitur te Theodorum virum eloquentissimum consiliarium nostrum mancipiorum cognovimus ministerio destitutum, ideo puerum nomine Acosimum, natione Siculum, juri dominioque tuo [b] dari tradique præcipimus. Quem quoniam traditum ex nostra voluntate jam possides, hujus te necesse fuit scripti, pro futuri temporis testimonio ac robore largitatis, auctoritate fulciri, quatenus, Domino protegente, secure eum semper et sine ullius retractationis suspicione, quippe ut dominus, valeas possidere. Neque enim quemquam fore credimus qui tam parvam largitatem pro tua tibi devotione concessam desideret, vel tentet ullo modo revocare, cum uno eodemque tempore, et verecundum sit a decessoribus bene gesta resolvere, [c] et verecundum sit docere cæteros in sua quandoque resolutoriam proferre largitate sententiam.

## EPISTOLA XIX.

AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut sancti Severini reliquias ad ecclesiæ consecrationem mittat.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Cor nostrum pia Divinitatis inspiratione compungitur loca quondam exsecrandis erroribus deputata in catholicæ religionis reverentiam dedicare [a]. Quia

tiq. legitur tantum, *Petro episcopo*. In Vatic. A, *epist. Bauricis*. In B et C, *epist. Bancis*, consentientibus Colb. In Andegav., *episc. de Bancis*. In Ed. Rom., *episc. de Vibicis*. Lege seq. notam Gussanv., *de Baricis*. Sic lego ex Codicibus mss. Moissiac., Cluniac., Cisterc., Sorbon., Victorino et aliis, ex quibus aliqui legunt *de Barcis*. Concordant Editiones antiquæ, Veneta 1504, Parisienses 1508, 1518, 1586, Lugdunensis 1539, et aliæ. In posterioribus Editionibus legebatur *de Vibicis*, quod unde irrepserit non video. *Baricis* autem corrupte dicitur pro *Barce*, a qua Barcæi populi, quos corrupto sermone Afri *Baricianos* vocant, inquit sanctus Hieronymus, epist. 129, ad Dardanum, licet in vulgaribus Editionibus sancti Hieronymi habeatur *Barcianos*. Verum ex emendatione Erasmi legendum *Baricianos*, sicut et ex Editionibus sancti Hieronymi Romana 1470, Veneta 1488, Lugdunensi 1508 et 1513. Sic etiam habetur in Codd. mss. sancti Victoris Paris., sancti Theodorici Rhemensis, et duobus viri clarissimi Claudii Joly cantoris Parisiensis. Fuit autem *Barce* olim civitas Africæ, metropolis Libyæ, Ptolemais etiam appellata, a Scipione Africano post devictam Africam populo Romano tributaria facta. Sidonius Apoll., carmine VII :

Quæ captiva dedit quondam stipendia Barche.

Hodie dicitur *Barca*, estque regionis cognominis caput, quæ quidem regio inter Ægyptum et Syrtim magnam, juxta mare Mediterraneum jacet. GUSSANV. Captivi, inquit Alteserra, commercii causa deportabantur in Africam, ut venundarentur pro servis, et maxime venum exponebantur apud Baricis urbem. Ideo Gregorius misit Valerianum presb. in Africam pro redimendis captivis, quem Baricensi episcopo commendavit.

[b] Conjecit Gussanv. legendum, *sine mercedis intentione*, aut *æternæ mercedis intentione*. Verum sumitur merces hic pro misericordia, Gallice *merci*. Eodem sensu lib. IV, epist. 31, et apud auctores alios passim. Hincmarus, Laudun. episcopus, ad Carolum regem : *Precor vestram mercedem, ut vester animus mihi sit placatus*. Qui redimendis captivis operam dant religiosi, dicuntur *de mercede*, et Gallice, *de la Merci*.

[c] Ita Colb. vet. et Turon. S. Gat.

EPIST. XVII. — [a] Addiderunt Ed. recentiores *ad*, ut juxta grammaticæ præcepta legeretur, *ad gallinas albas*. Nesciunt hanc præpositionem Mss. Vatic., Norm., etc., necnon vet. Excusi.

[b] Sic habent Vatic. B et D, Rhem. et vet. Ed. Sic legendum ex vetusto Cod. Vatic. jam monuerunt correctores Romani ad hunc locum a Gratiano relatum.

EPIST. XVIII. — [a] Ita *consolari* passive apud Gellium et Priscianum.

[b] Dare est *dominium transferre*, quod nonnisi in consentientem transferri potest, ideoque acceptantis facto consummatur. Acceptans traditionem nullum jus acquirit. Ex Cujacio, *traditio est datio possessionis*. Itaque hic per dationem acquiritur proprietas; per traditionem, sola possessio. AUGET.

[c] Duo Vatic., *et verendum sit*.

EPIST. XIX. — [a] De cons., dist. 1, legere est c. 20, 21, 22, de istis dedicationibus et purgationibus ecclesiarum. Porro ecclesias Catholicorum ab Arianis aut aliis hæreticis occupatas et Catholicis postmodum redditas, novo semper fuisse ritu dedicatas

igitur ecclesiam positam juxta domum Merulanam A regione tertia, quam superstitio **638** diu Ariana detinuit, in honorem sancti [b] Severini cupimus consecrare, experientia tua reliquias beati Severini summopere debita cum veneratione transmittat, quatenus quæ nostris animis perficienda decrevimus, implere, omnipotentis gratia suffragante, possimus.

## EPISTOLA XX.

AD GRATIOSUM EPISCOPUM.

*Sancti Anthemii Ecclesiam unit Numentanæ.*

Gregorius Gratioso episcopo [a] Numentano.

Postquam hostilis impietas diversarum civitatum ita peccatis facientibus desolavit Ecclesias, ut reparandi eas spes nulla populo deficiente remanserit, majori valde cura constringimur ne, defunctis earum sacerdotibus, reliquiæ plebis, nullo pastoris moderamine gubernante, per invia fidei hostis callidi, quod absit, rapiantur insidiis. Hujus ergo rei sollicitudine [b] sæpe commoniti, hoc nostro sedit cordi consilium, ut vicinis eas mandaremus pontificibus gubernandas. Ideoque fraternitati tuæ curam gubernationemque [c] sancti Anthemii Ecclesiæ, in Curium Sabinorum territorio constitutæ, prævidimus committendam, quam tuæ Ecclesiæ aggregari unirique necesse est, quatenus utrarumque Ecclesiarum sacerdos recte, Christo adjuvante, possis existere, et quæque tibi de ejus patrimonio vel de cleri ordinatione seu promotione vigilanti ac canonica visa fuerint, cura disponere; quippe ut pontifex proprius, liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam. Quapropter, frater charissime, dominicorum reminiscens C mandatorum, salubriter ita in commissæ plebis regimine lucrandisque animabus invigila, ut ante tribunal æterni judicis constitutus, fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, eidem Redemptori nostro, in quo lætari possis, exhibeas. [d] Mense Februario, indictione 11. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 15.)

## EPISTOLA XXI.

AD PASCHALEM, DEMETIANUM ET CASTORIUM.

*Orphanis patris substantiam Ecclesiæ obligatam reddit, debitasque ab illo pecunias omnino condonat.*

Gregorius Paschali, Demetiano, atque Castorio, filiis Urbici defensoris [a] de Tiburtina.

Officii nostri est orbatis ita parentibus ferre consultum, quatenus aliquid de his [b] quæ **639** juste debentur Ecclesiæ relaxantes, eorum possimus subvenire miseriis. Quia igitur, facta subtilius ratione, patrem vestrum Urbicum, quondam defensorem, de patrimonio Sabinensi atque [c] Carsiolano, quod ejus fuerat curæ commissum, constat in non modicam summam debitorem fuisse defunctum, et quamvis tota ejus substantia pro hoc sit Ecclesiæ obligata, nec tamen ad satisfactionem eorum quæ consumpserat possit sufficere, nos tamen, pietatis intuitu, ejusdem patris vestri substantiam vos habere ac possidere permittimus atque concedimus, vestris procul dubio utilitatibus profuturam, securi quod nullus vos denuo de iis quæ vobis relaxantes concessimus aliqua ratione concutiat. [d] Mense Martio, indictione undecima.

## EPISTOLA XXII.

AD ANTONINUM SUBDIACONUM.

*Salonæ episcopum curet eligi, qui Romæ ordinetur. In electione solum vitæ ac morum decus attendendum moneat. Descriptas Ecclesiæ res selectis viris custodiendas committat. Ab illis abstineat Malchus episcopus, Romamque administrati patrimonii rationes tandem expleturus venire festinet.*

Gregorius Antonino subdiacono, rectori patrimonii in Dalmatia.

Natalem Salonitanæ Ecclesiæ fratrem et coepiscopum nostrum obiisse, discurrens in partibus istis fama vulgavit. Quod si verum est, experientia tua omni instantia omnique sollicitudine clerum et populum ejusdem civitatis admonere festinet, quatenus uno consensu ordinandum sibi debeant eligere sacer-

---

vix ausim affirmare. GUSSANV. Quidquid sit de sæculis quæ præcesserunt, certe Gregorius rituum Eccles. peritissimus, basilicas ab hæreticis pollutas denuo consecravit. Vide l. III dial., c. 30.

[b] Illius forte qui Noricorum dicitur apostolus, et Neapolim post obitum translatus, de quo Paulus Diac., de gestis Langob., lib. I, c. 19, et Eugippius abbas, in Vita sancti Severini. De ejusdem reliquiis, infra, lib. IX, epist. 83; lib. XI, epist. 31.

EPIST. XX. — [a] *Nomentum* vel *Numentum*, urbs olim episcopalis Valeriæ, cui successit Castrum, vulgo *Lamentana* dictum in territorio Sabin. GUSSANV.

[b] Ed. recentiores, *commoti*.

[c] Putant eamdem esse cum episcopatu Curium Sabinorum. *Cures* autem urbs fuit primaria Sabinorum, nunc pagus *Torre* vel *Turre*, ad fluvium Himelam, teste Leandro. Aliis est pagus *Curese* in eadem regione ad Farfense cœnobium. Sabinorum autem regio olim longius quam nunc Sabinia extendebatur. Porro Dulcitius episcopus sancti Anthimi subscripsit synodo Romanæ III, sub Symmacho, an. 499, et syn. Rom. VI, sub eodem Symm., an. 504. Absolute tamen vocatur episcopus Sabinensis in syn. Romana I, sub eodem Symmacho, ann. 504. GUSSANV. Juvat viri docti conjecturam, quod in Normannis legatur *sancti Anthemi*, non *sancti Anthemii*.

[d] Ita Turon. S. Gat. et Colb. vet. Non capio quonam consilio Gussanvillæus observet hanc epist. scribi datam mense Febr., indict. 11, cum epistola 9 sit mensis Novembris. Optime sane conveniunt hæ chronologicæ notæ; cum enim indictio inciperet mense Septembri, epistola data mense Novembri, antecedere debuit datam mense Febr.

EPIST. XXI. — [a] Abest *de Tiburtina* a plerisque Mss. *Tibur*, vulgo *Tivoli*, urbs Campaniæ Romanæ, adhuc episcopalis.

[b] Scilicet summum jus, summa injuria, cum Ecclesiæ bona sint pauperum, et Ecclesia aurum habeat ut eroget, non ut luxum et cupiditatem foveat. Mirum sane colonos seu villicos Ecclesiarum sæpissime ab Ecclesiæ præpositis pietatis, ut putant, zelo tam dure et inhumane tractari, ut ad extremam cum uxoribus ac liberis redigantur inopiam. Non ea fuit mens canonum, non is sanctorum Patrum usus, non doctrina. GUSSANV. Vide dist. 86, et lib. I, epist. 13, necnon Chrysost., hom. 86 in Matth.

[c] Sic emendavi ex sexdecim Mss. Codd., cum antea legeretur *Cardolano*. Cartiolanum legit Holstenius in Mss. Vatic. Contendit autem debere legi *Carseolano*. Carseoli in trifinio territorii Tiburtini, Reatini, et Marsicani siti erant. Sunt autem nunc in Marsis ab adverso montis latere, dicunturque vulgo *le celle Carsoli*. GUSSANV. In Vatic. A legitur, *Cardiolano*. In And., *Harciolano*.

[d] Sic legitur in Turon. S. Gat. et in Colb. vet.

dotem ; factoque in personam quæ fuerit electa decreto, ad nos transmittere studebis, ut cum nostro consensu, sicut priscis fuit temporibus, ordinetur. Illud quidem (*Grat.* VIII, *q.* 2, *c.* 1) præ omnibus tibi curæ sit, ut in hac electione nec datio quibuscunque modis interveniat præmiorum, nec quarumlibet personarum patrocinia convalescant. Nam si quorumdam patrocinio fuerit quisquam electus, voluntatibus eorum cum fuerit ordinatus, obedire reverentia exigente compellitur, sicque fit ut et res illius minuantur Ecclesiæ, et ordo ecclesiasticus non servetur. Talem ergo, [a] te imminente, personam debent sibi eligere, quæ nullius incongruæ voluntati deserviat sed vita ac moribus decorata, tanto ordine digna valeat inveniri. De rebus vero vel ornamento ejusdem Ecclesiæ, fideliter rerum inventarium **640** facito, te præsente, conscribi. Et ne rebus ipsis possit aliquid deperire, Respectum diaconum atque Stephanum [b] primicerium notariorum ut ipsarum rerum omnino gerant custodiam admoneto, interminans eis de propria eos satisfacturos esse substantia, si quidquam exinde eorum negligentia fuerit imminutum.

Malchum autem fratrem et coepiscopum nostrum contestari te volumus, ut se penitus in hac causa non misceat. Nam si per eum aliquid contra voluntatem nostram factum vel tentatum potuerimus addiscere, non modicam ad se culpam et periculum pertinere cognoscat. Sed et hoc eum admonere curato, ut ad ponendas explendasque rationes patrimonii nostri, quod gessit, debeat esse sollicitus; pro quibus etiam faciendis, ex Siciliæ partibus ad nos, postposita excusatione, venire festinet. In rebus igitur Salonitanæ Ecclesiæ nullo modo se miscere præsumat, ne amplius ei aut obnoxius, aut possit esse culpabilis. Nam multa habere de rebus prædictæ Ecclesiæ fertur, eumque opinio pene auctorem exstitisse in venditione rerum ejus vel aliis illicitis asseverat. Quod si ita esse, sicut dicitur, manifesta veritate patuerit, certus sit inultum hoc nullatenus remanere. [c] Expensa vero, quæ necessaria fuerit, [d] per œconomum, qui tempore mortis prædicti episcopi inventus est, erogetur, quatenus rationes suas futuro episcopo ipse, ut novit, exponat. Cuncta siquidem quæ tibi agenda mandavimus, cum consilio magnifici atque eloquentissimi [e] Marcelli filii nostri te agere profecto necesse est, quatenus ita omnia quæ hujus præcepti pagina continet, sollicite strenueque possis implere, ut nulla te neglectus culpa respiciat.

## EPISTOLA XXIII.

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Deponendum ob crimina Secundinum abbatem, postulatumque a congregatione ordinandum Theodosium.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Quamvis horrenda exsecrandaque nimis Secundinum ad aures nostras pervenerit crimina commisisse, hoc tamen solum ad ejus damnationem potest sufficere, quod etiam ipse de se dicitur fuisse confessus. Cognovimus autem ab eo dictum, quod dum tertius a loco esse abbatis, a statu habitus sui [a] in lapsum corporis ceciderit; et licet ad abbatis ordinem tanto coinquinatus **641** facinore nulla debuerit ratione proficere; tamen quia, temerario post ausu ac tanta pollutione detentus, hoc indignus arripuit, experientiæ tuæ hujus auctoritatis tenore præcipimus ut, suprascripto Secundino remoto ab abbatis officio, Theodosium, quem congregatio ipsa [b] sibi petiit ordinari, in monasterio sancti Martini abbatem solemniter per eum cujus provisio interest facias ordinari, quatenus in cura congregationis subjectæ, adjuvante Deo, cauta possit sollicitudine vigilare. Possessiones vero vel hortos ejusdem monasterii ecclesiastica, in quantum ratio patitur, tuitione defende.

## EPISTOLA XXIV.

### AD LEONTIUM EPISCOPUM.

*Ut infirmo et absente Castorio episcovo Ariminensem Ecclesiam regat.*

Gregorius Leontio episcopo [a] Urbinati.

Castorium fratrem et coepiscopum nostrum hic meliori via crediderim instaurari posse tam desideratam totque seminariis frustra tentatam cleri disciplinam, quam si extricentur a temporalium rerum administratione pastores. Sic enim avaritia, superbia, lites refrenarentur, canones de vita et honestate clericorum exsecutioni mandarentur, residentia stabiliretur, litterarum studium excitaretur, uni Deo vacaretur. Expendat lector conc. Paris. VI, c. 29, et sanctum Gregorium ibi citatum ex Pastorali, lib. II, c. 7. GUSSANV.

[e] Proconsulis Dalmatiæ. Vide l. IX, epist. 5.

EPIST. XXIII. — [a] Hoc est, contra castæ vitæ propositum incontinentiæ frena laxaverit. Hujusmodi flagitium in majoribus clericis olim dicebatur proprie *casus*, Græce πτῶμα; tum quod in illius pœnam a suis gradibus excidèrent, tum quod a proposito ordinis, cui annexum est votum continentiæ, laberentur. Infra, lib. XII, epist. 30 et 31, legemus episcopum Diocleæ hac de causa dejectum, aliumque in ejus sedem ordinatum.

[b] In Norm., quibus hic et fere semper consentit Vaticanus D, omittitur *ordinari*. Et infra ubi legimus, *cujus provisio interest*, legitur tantum *cujus interest*. Ita quoque in Corb.

EPIST. XXIV. — [a] In omnibus Norm., Colbert., et

EPIST. XXII. — [a] Ita Vaticani, Norm., etc. Hoc verbo sæpe utitur sanctus Gregorius ut significet *instare*, *urgere;* inter varios autem verbi hujus intellectus, hic est optimus. Recentiores habent, *te admonente*.

[b] Hæc vox tam late patet, vix ut definiri queat. Dicerem esse cujusvis ordinis primum in cera, hoc est in cerata tabula notatum, seu catalogo inscriptum. In omnibus Norm., et in Vatic. D, legitur, *primicerium notarium*. Vatic. A habet, *primicerium in præsentia notariorum*. Notarii describuntur inter minores ordines ecclesiasticos, una cum defensoribus, inquit Alteserra in hanc epistolam.

[c] Electionem episcopi sumptibus Ecclesiæ fieri jubet æquissimus pontifex, quia ejus interest maxime ut quam primum pastor sibi ordinetur.

[d] Prisca ætas officium œconomi tam censuit necessarium, tot vallavit canonibus, ut sit quod mirentur non suppressum modo fuisse, sed et ejus pene abolitam memoriam et damnatam. Damnatam dico ; quis enim ausit exsuscitare ? Nunc clericorum bona non jam sunt Ecclesiæ, non pauperum, non fidelium dispensatorum, sed fiunt propria dominorum. Hac data porta, mala et scandala omne genus in Ecclesiam irruunt, optimo quoque gemente. Nec vero alia

pro corporis sui molestia retinemus. Et quia nunc ad suam Ecclesiam non valet remeare, propterea, eo absente, Ecclesiæ ipsius fraternitati tuæ operam providimus visitationis delegandam; admonentes charitatem tuam ut ita efficaciter omnes utilitates ejus exerceat, quatenus tui præsentia proprium se absentem habere non sentiat sacerdotem. Quidquid autem tibi visum fuerit pro utilitatibus ejusdem Ecclesiæ ordinare, habebis modis omnibus ex nostra permissione licentiam. Reditus vero vel ornamenta, ministeriaque ipsius, [b] sollicitudinis tuæ intuitus et cura conservet. Et [c] præter ordinationes clericorum, cætera omnia in prædicta Ecclesia tanquam [d] cardinalem et proprium te volumus agere sacerdotem. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 52. *Vide sup. ep.* 9, *inf. ep.* 25, *lib.* V, *ep.* 34.)

## EPISTOLA XXV.

### AD ARIMINENSES CIVES.

*Illos de episcopi sui infirmitate accusat, ut Leontio in omnibus obediant jubet.*

Gregorius universis habitatoribus Arimini.

Si culpam vestram, filii dilectissimi, intentius velitis attendere, assidua vos apud Deum debetis oratione purgare, quod episcopum vestrum non devota mente nec ut filii suscepistis : quem inquietudo et tribulatio a vobis illata ad hoc usque perduxit, ut molestiam corporalem incurrerit, quamvis in eo nihil de his quæ nobis sunt scripta cognovimus, sed solam inesse debilitatem vidimus, pro qua eum hic retinere curavimus. Et quia illuc modo ad præsens non valet remeare, Ecclesiæ vestræ necessario [a] providimus **642** Leontium fratrem et coepiscopum nostrum visitatorem per omnia deputare, cui etiam nostris scriptis injunximus ut omnia quæ ad curam utilitatemque Ecclesiæ pertinent, tanquam proprius episcopus debeat ordinare. Vos ergo ita ei in omnibus obedite, quatenus operam sibi visitationis injunctam [b], vestra jutus salubriter in omnibus devotione, possit complere. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 52.)

## EPISTOLA XXVI.

### AD MAGNUM PRESBYTERUM.

*Quem Laurentius quondam episcopus immerito excommunicaverat, absolvit. Ipsum hortatur ut Ecclesiæ suæ pure ac diligenter ministret, clerumque ac populum de idoneo episcopo absque dissensionibus eligendo admoneat.*

Gregorius Magno presbytero Ecclesiæ Mediolanensis.

Sicut exigente culpa (*Grat.* XXIV, *q.* 3, *c.* 2) quis a sacramento communionis [a] digne abigitur, ita insontibus nullo modo talis debet irrogari vindicta. Comperimus siquidem quod Laurentius, quondam frater et coepiscopus noster, [b] nullis te culpis exstantibus communione privaverit, ideoque hujus præcepti nostri auctoritate munitus, officium tuum securus perage, et communionem sine aliqua sume formidine.

Illud præterea necessario te duximus adhortandum, ut ita te in cunctis utilitatibus Ecclesiæ tuæ pure ac diligenter exhibeas, quatenus nec offensa te aliqua de neglectu respiciat; et culpam, si qua in te, propter quam Dominici corporis et sanguinis communione fueras privatus, vel latens inventa est, tuæ fidei puritate detergas. Admone igitur clerum et populum, ut ad eligendum nullatenus dissentiant sacerdotem; sed uno consensu talem sibi eligant consecrandum episcopum, cujus et actus laudabiles, et grata Deo et hominibus possit esse persona; ne si aliter actum fuerit, in diversis, quod absit, studiis, damnum ecclesiasticis rebus eveniat. [c] Mense Aprili, indictione 11. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 33. *Vide inf. ep.* 29.)

## EPISTOLA XXVII.

### AD MARINIANUM ET BENENATUM.

*Ut in Bonifacium inquirant; qui, si inventus fuerit reus, sacra privetur communione, atque in monasterium retrudatur.*

Gregorius Mariniano abbati de Panormo, et Benenato notario rectori patrimonii Panormi.

Si ea de quibus vehementer Deus offenditur insequi vel ulcisci differimus, ad irascendum **643** utique Divinitatis patientiam provocamus. Multa etenim ad nos mala de quibusdam in Panormitana civitate degentibus pervenerunt, quæ quoniam majorem coercitionem exspectant, nec temere credenda, nec desidiose quærenda sunt. Pro qua re Victori fratri et coepiscopo nostro injunximus ut si vera essent, et ea insequi debuisset et ulcisci. Nunc itaque huc veniens [a] Bonifacius, vir clarissimus, præsentium lator, frustra se et communione privatum, et alia se gravia a prædicto episcopo queritur fuisse perpessum. Quia ergo nullus sine cognitione damnandus est, eidem fratri et coepiscopo nostro scripsimus, ut si persona quæ de ipso quædam dicere possit inventa fuerit, eam ad vestram debeat cognitionem dirigere. Ideoque hujus præcepti vos pagina necessario duximus adhortan-

---

in tribus Vatic., abest *Urbinati*. Urbinum vulgo *Urbino*, urbs Umbriæ olim episcopalis, nunc autem archiepiscopalis.

[b] Vaticani A et C, *sollicitudinis tuæ in tuto cura.* Vatic. D, consentientibus Norm., *sollicitudinis tuæ intuitus cura.* Reg., *sollicitudinis tuæ cura in tutum conservet.*

[c] Vide, supra, epist. 43, indict. 10.

[d] Idem, supra, lib. II, indict. 10, epist. 45, et alibi.

EPIST. XXV. — [a] Quomodo sit providendum Ecclesiæ, cujus episcopus infirmatur, vide infra, lib. XIII, epist. 5 et 6, et concilium Meldense, c. 47, necnon Arausican. I, c. 30.

[b] Sic restituere coegerunt Mss. omnes Vatic., Norm., Corb., Rhem., cum prius legeretur, *vestra virtute salubriter in omnibus.* Negotium facessit Editoribus verbum *jutus*, Gregorio tamen nostro familiare, nec aliis scriptoribus, aut coævis aut etiam antiquioribus insolens. Ennodius, l. IV, epist. 14, *ut jutus magnitudine vestra.* Et in epithalamio dicto maximo :

Nunc me Pierio favore jutum.

Ubi *jutus* et *jutum* significant *adjutus*, *adjutum*, a verbo *juvo*.

EPIST. XXVI. — [a] Editi, *suspenditur.* Sequimur quatuor Vatic., Norm., etc.

[b] Ita etiam Mss., unanimiter, et vet. Ed. Recentioribus autem placuit mutare *exstantibus* in *exigentibus.*

[c] Hanc temporis notam confirmant duo Teller., Colb. ac Turon. S. Gat.

dos, quatenus nullius personam attendentes, sed Dei timorem habentes præ oculis, ibi cum omni æquitate, si qua vobis de eo dicta fuerint, memores futuri judicii, subtili debeatis indagatione perquirere. Et si in vestra cognitione cujusquam eum facinorosi criminis reum esse patuerit, tunc ex nostra auctoritate non solum dominici corporis et sanguinis communione privatus sit, verum etiam in monasterium, ubi pœnitentiam agere debeat, [b] retrudatur, ut criminis sui maculas convenienti valeat apud æternum judicem lamentatione purgare. Si vero aut nihil adversus eum in cognitione vestra dictum fuerit, aut si quid dici contigerit, et verum non esse constiterit, nec aliquibus illum indiciis in hoc quod dicitur incidisse potueritis agnoscere, modis omnibus renuntiare nobis curabitis. Prædictum enim Bonifacium nullam a quolibet volumus molestiam sustinere, quoniam sicut justum est ut in delinquentes digna debeat vindicta procedere, ita iniquum est quibusdam afflictionibus quemquam irrationabiliter subjacere.

## EPISTOLA XXVIII.

### AD ROMANUM PATRICIUM.

*Ut Armenio orphano egenti ac nobili, locum vel operam provideat, unde quotidianis stipendiis sustentetur.*

Gregorius [a] Romano patricio per Italiam.

Quidquid misericorditer ac respectu pietatis impenditur, et hic auctorem suum adjuvat, et optatum ei præmium in die retributionis apportat. Quod cum ita sit, quia excellentiam vestram valde diligo, mercedis vobis causas insinuo. Armenius itaque magnificus, filius quondam Antonii **644** illustrissimi viri, sua me egestate compulit, ut pro eo vobis debuissem scribere. Qui quoniam, sicut nostis, utroque parente orbatus est, eminentiæ vestræ tuitionem et [b] continentiam præstolatur. Unde [c] christianitas vestra piæ considerationis, ut consuevit, intuitu, in quantum utile perspicit, ei locum [d] vel actionem provideat, ex qua quotidianis stipendiis valeat contineri; quoniam hæc maxima laus et merces est, si illa orphanis impendantur quæ eorum pro suis obsequiis poterant genitoribus exhiberi.

## EPISTOLA XXIX.

### AD PRESBYTEROS ET CLERUM MEDIOLANENSEM.

*Ad Constantii, quamvis sibi notissimi et amici, electionem non sollicitat. Qualis esse debeat pastor, quis eligentium affectus egregie depingit. Ex terrarum plagis mundi finem ac judicium proximum suadet.*

Gregorius presbyteris, diaconibus et clero Mediolanensis Ecclesiæ.

Epistolam dilectionis vestræ suscepimus, cui tamen nullius erat inserta subscriptio, sed fidem Magni presbyteri et Hippolyti clerici portitorum personæ faciebant. Qua relecta, comperimus omnium vestrum in Constantio filio nostro, Ecclesiæ vestræ diacono, convenire consensum, qui dudum mihi bene cognitus fuit. Et cum in urbe regia responsa sedis apostolicæ facerem, longo mihi tempore adhæsit, sed nihil unquam in illo quod reprehendi [a] passim potuisset inveni. Verumtamen quia antiquæ meæ deliberationis intentio est, ad suscipienda pastoralis curæ onera, pro nullius unquam misceri persona, orationibus prosequor electionem vestram, ut omnipotens Deus, qui futurorum actuum nostrorum semper est præscius, talem vobis pastorem præbeat, in cujus lingua et moribus exhortationis divinæ pascua valeatis invenire; in cujus mente et humilitas cum rectitudine fulgeat, et severitas cum pietate; qui vobis viam vitæ [b] non solum loquendo, sed etiam vivendo possit ostendere, quatenus exemplo illius discat vestra dilectio ad æternæ patriæ desiderium suspirare. Itaque vos (*Grat.* VIII, *q.* 2, *c.* 2), filii charissimi, officii nostri censura commoniti, suademus ut in hac suscipiendi antistitis causa nullus vestrum neglecta utilitate communi suo lucro prospiciat, ne si quisquam propria commoda appetit, frivola æstimatione fallatur, quia nec libero judicio præferendam sibi personam examinat mens, quam cupiditas ligat. Pensantes igitur quæ cunctis expediunt, ei quem vobis **645** divina gratia prætulerit, integerrimam semper

Epist. XXVII. — [a] In Norm. et Corb., *Bonifacius victor*, omittendo *vir clarissimus*.

[b] Cum viris honoratis publica pœnitentia persuaderi vix posset, illos clericorum more tractandos, in monasteria scilicet relegandos judicarunt Ecclesiæ antistites. Temperamenti hujus vestigium occurrit in concil. Narbon. an. 589, can. 6 : *Secundum concilia priscorum orthodoxorum decrevit fraternitas ut quicunque fuerit culpabilis inventus clericus, aut* honoratus de civitate, *et ad monasterium fuerit deputatus, sic abba qui est præfectus cum illo qui dirigitur agat, sicut ab episcopo manifesta correctione fuerit ordinatus. Aliter si abba facere elegerit, pro correctione tempus aliquod suspendatur, quia ob hanc causam dirigitur ut emendetur, non ut passim ferculis diversis saturetur.* Vide Baronium, ad an. 598, num. 31 et 32.

Epist. XXVIII. — [a] Ita legunt quidam probati Mss. Codices, quibus consonant quatuor Anglicani. In aliis sic habetur : *Romano patricio, ac populo per Italiam.* Antea in Editis ita legebatur : *Universis episcopis per Italiam.* Sed tria faciunt ut titulum hunc respuam : 1° *eminentiam vestram diligo* : non sic affari solet episcopos ; 2° *sicut nostis, utroque parente orbatus est.* Quis credat id universis notum episcopis? 3° *Pietas vestra ei locum vel actionem provideat.* Non id universi præstarent episcopi. Itaque manifestum est hanc epistolam illustri cuidam laico missam, qui magnifico Armenio locum vel actionem potuerit providere, Gall., *une charge, un emploi.* Gussanv. Ex Norm., Michael., Gemet., Becc., consentiunt Anglic. in inscriptione, *Romano patricio per Italiam.* Alii, scilicet Audoenus, Lyr., Pratel., exhibent, *Populo per Italiam.* Consentiunt Vatic. A et D, Rhem., Corb. et Andegav. In Vatic. B legitur *universis per Italiam.* In Colbert., *episcopis per Italiam.*

[b] Sumitur hoc loco pro subsidio, Gall., *subsistance.* Ita Pelagius I, epist. 15, ad Sapaudum Arelat. episcopum. *Contineri*, supra, lib. I, epist. 5. Gussanv.

[c] In Norm. et plerisque, *pietas vestra.* Sequimur præsertim Vaticanos tres.

[d] Actio hic est actus, administratio; inde Actionarius, actui vel administrationi præpositus, sup., l. I, epist. 44; inf., l. V, epist. 44.

Epist. XXIX. — [a] Abest *passim* a quatuor Vatic., est in Norm. et in al. multis.

[b] In Vulgatis, *non solum legendo vel loquendo,*

in omnibus obedientiam præbete. Judicari namque a vobis ultra non debet semel prælatus, sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postmodum judicandus non est. Consecrato autem vobis, Deo auctore, pastori tota vos mente committite, atque in illo omnipotenti Domino, qui vobis hunc prætulit, deservite.

[c] Sed quia juxta meritum plebium solent superno judicio personæ provideri pastorum, vos spiritalia quærite, cœlestia amate, temporalia et fugitiva despicite; et certissimum tenete quia placentem Deo pastorem habebitis, si vos in vestris actibus Deo placetis. Ecce jam mundi hujus omnia perdita conspicimus, quæ in sacris paginis audiebamus peritura. Eversæ urbes, castra eruta, ecclesiæ destructæ; nullus terram nostram cultor inhabitat. In nobis ipsis paucissimis, qui ad modicum derelicti sumus, cum supernæ percussionis cladibus humanus gladius incessanter sævit. Mundi igitur mala, quæ dudum ventura audiebamus, aspicimus, quasi paginæ nobis Codicum factæ sunt ipsæ jam plagæ terrarum. In interitu ergo rerum omnium pensare debemus nil fuisse quod amavimus. Appropinquantem itaque æterni judicis diem sollicita mente conspicite, et terrorem ipsius pœnitendo prævenite. Delictorum omnium maculas fletibus lavate. Iram quæ æterna imminet temporali lamento compescite. Pius enim Conditor noster, cum ad judicium venerit, tanto nos majore gratia consolabitur, quanto nunc conspicit quod a nobis nostra delicta puniuntur.

Latorem vero præsentium Joannem subdiaconum nostrum ad hoc, Deo favente, transmisimus, ut electum vestrum [d] sua imminentia cum Dei omnipotentis solatio secundum morem decessoris ejus faciat episcopum consecrari. [e] Nam sicut ab aliis nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus. (*Vide sup. ep.* 26, *inf. ep.* 30.)

## EPISTOLA XXX.

AD JOANNEM SUBDIACONUM.

*Ut Mediolanensium apud Genuam scrutetur vota; quæ si in Constantium consentiant, hunc a propriis episcopis faciat consecrari.*

Gregorius Joanni subdiacono.

Quanto apostolica sedes (*Grat. dist.* 63, c. 10), Deo auctore, cunctis prælata constat Ecclesiis, tanto inter multiplices curas, et illa nos valde sollicitat, ubi ad consecrandum antistitem nostrum exspectatur arbitrium [a]. Defuncto igitur Laurentio Ecclesiæ Mediolanensis episcopo, sua nobis relatione clerus innotuit in electione se filii nostri Constantii, diaconi sui, unanimiter consensisse. Sed quoniam eadem non fuit subscripta relatio, ne quid quod ad cautelam pertinet omittamus, hujus idcirco **646** præcepti auctoritate suffultum [b] Genuam te proficisci necesse est. Et quia multi illic Mediolanensium coacti barbarica feritate consistunt, eorum te voluntates oportet, eis convocatis, in commune perscrutari. Et si nulla eos diversitas ab electionis unitate disterminat, siquidem in prædicto filio nostro Constantio omnium voluntates atque consensum perdurare cognoscis, tunc eum a propriis episcopis, sicut antiquitatis mos exigit cum nostræ auctoritatis assensu, solatiante Domino, facias consecrari, quatenus hujusmodi servata consuetudine, et apostolica sedes proprium vigorem retineat, et a se concessa aliis sua jura non minuat. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 24. *Vide sup. ep.* 29.)

## EPISTOLA XXXI.

AD ROMANUM PATRICIUM.

*Constantium sibi amicissimum commendat.*

Gregorius Romano patricio et exarcho Italiæ.

Obitum Laurentii Ecclesiæ Mediolanensis episcopi excellentiam vestram jam credimus cognovisse. Et quia, quantum ex cleri relatione didicimus, in Constantio filio nostro, diacono ejusdem Ecclesiæ, omnium consistit electio, necesse fuit pro servanda consuetudine [a] militem Ecclesiæ nostræ dirigere, qui eum in quo omnium voluntates atque consensum concorditer convenire cognoverit, [b] a suis episcopis, sicut vetus mos exigit, cum nostro tamen assensu faciat consecrari. Proinde paterna dilectione persolventes debitum salutationis officium, quæsumus ut prædicto Constantio, seu fuerit consecratus episcopus necne, excellentia vestra, ubi necesse fuerit, suum dignetur impendere justitia favente [c] solatium, quatenus hæc vos merces et hic apud inimicos vestros exaltet, et in futura vos vita apud Deum prævenienter commendet. Meus est enim proprius, olimque mihi magna fuit familiaritate conjunctus. Et vos quos nostros cognoscitis, habere ut vestros et peculiariter diligere debetis. (*Vide sup. ep.* 29, 30.)

## EPISTOLA XXXII.

AD HONORATUM ARCHIDIACONUM.

*Ejus absolutionem firmat. Ea vero de quibus erat conquestus, Antonino discutienda committit.*

Gregorius Honorato archidiacono Salonitano.

Dudum quidem decessoris nostri nostraque præ-

[c] Vide lib. XXV Moral., num. 40 et seq.

[d] Hoc est, imminendo, instando, satagendo. Jam ostendimus *imminere* significare aliquando idem ac *urgere*, *instare*.

[e] Hæc epistola tota est aurea; et ex ea apparet quanti intersit nullum invitis præfici pastorem. Idipsum epist. 30 confirmat. Vide et anteced. 22, et lib. II, indict. 10, epist. 60. GUSSANV.

EPIST. XXX. — [a] Hac ex epistola, et ex anteced. manifestum est ordinationem et consecrationem episcopi Mediol. ex Romani pontificis arbitrio consensuque olim factam. Mortuo Constantio, sanctus Gregorius Pantaleonem notarium misit, ut Deusdedit ejus successorem de more consecrari curaret.

[b] Genua et Janua, vulgo *Genova*, Gall. *Gênes*, urbs Liguriæ clarissima, nunc archiepiscopalis, et cognominis reipublicæ primaria, omnibus satis nota. GUSSANV.

EPIST. XXXI. — [a] Scilicet Joan. Subdiac., qui in Eccl. Romanæ clero militabat.

[b] Ex hac et superiori epistola constat episcopum Mediol. metropolitanum fuisse, ac episcopos habuisse suffraganeos.

[c] Solatium *mercedem* hoc loco significare contendit Gussanv. At melius *auxilium*, ut jam ostendimus, sonat; et hoc sensu sæpe in sancti Benedicti regula usurpatur.

ceptio ad dilectionem tuam cucurrerat, in qua et de objectis tibi calumniose capitulis fueras absolutus, et in tui gradus ordine sine aliqua te instituimus altercatione restitui. Sed quia rursus ante non multum temporis spatium, ad Romanam civitatem veniens, de aliquibus illic actis incongrue, de sacrorum es conquestus alienatione **647** vasorum; atque dum pro hac re, quæ tuis objectionibus respondere potuissent, sustineremus in hac civitate personas, Natalis episcopus tuus de hac luce migravit, necessarium judicavimus easdem præceptiones tam decessoris nostri, quam nostras, quas dudum, ut dictum est, pro tua absolutione transmisimus, præsentibus deinceps apicibus confirmare. Quamobrem a cunctis tibi objectis capitulis te plenius absolventes, in tui te ordinis gradu sine aliqua volumus altercatione permanere, ut nihil tibi penitus mota a præfato viro quæstio qualibet occasione præjudicet. De his autem capitulis de quibus conquestus es, Antonino subdiacono, et rectori illic patrimonii sanctæ, cui, Deo auctore, præsidemus, Ecclesiæ instanter injunximus ut si quidem in his ecclesiasticas invenerit immistas esse personas, cum summa causas ipsas districtione atque auctoritate[a] definiat. Sin autem cum talibus res agitur, in quos ecclesiasticæ vigor non possit jurisdictionis extendi, de singulis quibusque capitulis probationes inter publica gesta depositas ad nos absque ulla dilatione transmittat, ut instructi subtiliter sciamus quid de his debeamus, Christo auxiliante, disponere. (*Vide l.* I, *ep.* 19 *et* 20, *l.* II, *ep.* 17 *et* 52. *Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 9.)

## EPISTOLA XXXIII.

AD DYNAMIUM PATRICIUM.

*Quadringentos solidos de reditibus Ecclesiæ Romanæ se accepisse significat. Mittit crucem sacris reliquiis refertam.*

Gregorius [a] Dynamio [b] patricio Galliarum, etc.

Monstrat quam bene dispenset propria, qui fideliter administrat aliena. Quod vestra **648** nobis gloria ostendit, quæ perenni muneri intenta, beato Petro apostolorum principi suorum redituum fructus intulit. Cui dum sua fideliter impenditis, hæc apud eum vestra munera fecistis. Sic quippe agere hujus terræ gloriosos de æterna gloria cogitantes decet, ut in eo quod temporaliter prævalent, mercedem sibi non temporalem parent. Proinde debitum salutationis alloquium persolventes, omnipotentem Dominum deprecamur ut vitam vestram et bonis præsentibus repleat, et ad sublimia gaudia æternitatis extendat. Suscepimus namque per Hilarum [*Al.* Hilarium] filium nostrum de præfatis Ecclesiæ nostræ reditibus [c] Gallicanos solidos quadringentos. Transmisimus

Epist. XXXII. — [a] In pluribus Mss. nostris *definiat;* quibus annuit Antonius Augustinus, lib. III Emendation., cap. 9. Hæc de voce. Quod ad rem spectat, in isto subdiacono et aliis passim videre mihi videor imaginem judicum ecclesiasticorum, sive ordinariorum, quos officiales vocant, sive delegatorum, quod forte non pœnitebit observasse. Siquidem legibus nostris in conventu Blesensi et pluribus Arrestis cautum est ne aliis quam presbyteris istud munus demandetur, etiamsi jure canonico, et summorum pontificum exemplo demandari posse videatur. Certe presbyteros et episcopos a simplici clerico aut subdiacono summa cum auctoritate judicari, interdici, suspendi, excommunicari, absolvi, minus decet, si rem ex æquo et bono æstimamus. Quinimo legimus eamdem fuisse cleri Gallicani mentem in conventu publico, anno 1625, quando de sententia Stephani Louytre adversus episcopum Leonensem deliberatum est. Eo enim vel maxime violatam esse querebantur episcopalem dignitatem, quod presbyter, doctor Sorbonicus, et decanus Nannetensis, ab apostolica sede delegatus, de episcopo judicasset. Hoc ego saxum indico, non moveo; volvant alii. Gussanv.

Epist. XXXIII. — [a] Vix dubitare licet eum fuisse Dynamium, de quo Gregorius Turon., lib. VI Hist., c. 7 et 11. Idem scripsit nonnullorum sanctorum Vitas. Ejus laudes celebrat Fortunatus lib. VI, carm. 11 et 12. Gallicanum Eccl. Romanæ patrimonium tunc curare non dedignabatur. At duobus post annis curare desiit. Vide epist. 6, lib. VI : *Sed quoniam Dynamius modo non potest*, etc. Dissimulare tamen non debemus in Vatic. A, legi *Damiano patricio Galliarum.* In Vatic. B, *Dinomio.* In Colb., *Damio.* Verum in Vatic. D, in Norm., in Corb., etc., non obscure legitur, *Dynamio patricio Galliarum.*

[b] Patricii Galliarum titulus illorum tunc procerum fuit, quibus aut Burgundiæ reges Arelatensem provinciam, aut Francorum Austrasiorum reges Massiliensem regendam commisissent; atque etiam aliorum forte qui et alicujus provinciæ præfecti essent, et supremi in bello duces. Vide Adr. Valesium lib. VI Rerum Francic., et Bignon., in Marculfi formulas, num. 35. Cum igitur Dynamius de quo Gregorius Turon. fuerit Massil. provinciæ rector, neque inter Massil. aut Arelatensis provinciæ rectores alius hac ætate ejusdem nominis occurrat, pene decretorium inde argumentum eruitur nostrum Dynamium ab illo non distinguendum qui apud Gregorium Turon. et Fortunatum. Porro nullum Massiliæ intrusit episcopum Dynamius, ut fingit Gussanv., sed Ucetiæ duos. Vide Gregorium Turon., lib. VI, c. 7. Dynamium hunc, amissa uxore, cum Aureliano fratre suo religiose vixisse perperam ex sancto Gregorio, l. VII, epist. 12, probare nititur Gussanvillæus, Adrianum Valesium, Rerum Francicarum libro XI, pag. 137, secutus. Consule laudatam epist. 12, et confer cum 36, l. VII, necnon cum 74, l. XI.

[c] Gallicani solidi a Romano discrimen cum non omnibus sit notum, ac de solidis illorumve partibus frequens apud Gregorium Magnum recurrat mentio, id paulo fusius exponere operæ pretium erit. Aureus nummus Constantino Mag. imperante solidi nomen obtinuit. Exinde voces *solidus et aureus* eumdem in Romano imperio expressere nummum. Vide sanctum Gregorium, lib. I Dial., cap. 9. Solidi pondus circa idem tempus imminutum fuit. Plinii tempore aurei 42 ex libra signabantur. Sub Constantino Mag. aureos seu solidos LXXXIV, in libra fuisse contendunt multi ex lib. XII Cod. Theodos., leg. 119, quos refellit Gronovius, lib. IV, cap. 13, atque auri libram per LXXII solidos etiam tunc fuisse divisam probat. Idem erat sub Valentiniano solidorum pondus, ut manifeste colligitur ex lege an. 367 lata, Cod. Theodos. lib. XII, tit. 6, lege 13, de susceptoribus præpos. et arcariis : *In* LXXII *solidos libra feratur accepta.* Erant igitur sex in uncia solidi; in solido quatuor scrupuli, siliquæ XXIV. Idem vivente Gregorio Mag. fuisse solidorum pondus ostendit epist. indict. secundæ 38, ubi cum Maurus merces in CD solidis a Felice suscipiens, sex siliquas per solidum lucri causa promittit, quingentorum solidorum debitor efficitur. Varia quoque fuit variis temporibus auri ad argentum proportio. Colligitur ex Plinio, lib. XIX, cap. 1, illius ætate auri ad argentum proportionem fuisse duodecuplam. Sub Constantino Mag. ejusve successoribus servata est eadem proportio ad an. 396,

autem beati Petri apostoli [d] benedictionem, crucem parvulam, cui de catenis ejus beneficia sunt inserta. Quæ illius quidem ad tempus ligaverunt, sed vestra colla in perpetuum a peccatis solvant. Per quatuor vero in circuitu partes, de beati Laurentii craticula, in qua perustus est, beneficia continentur, ut hoc, ubi corpus illius pro veritate crematum est, vestram mentem ad amorem Domini accendat.

## EPISTOLA XXXIV.

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ut Festum episcopum civibus suis conciliet.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Queritur [a] Festus frater et coepiscopus noster [b] a suis se clericis ac civibus despici atque contemni. Pro qua re experientiæ tuæ præcipimus ut tranquilla eos adhortatione convenias, **649** quatenus sedatis, si quæ forte odiorum causæ sunt, mutua eos et Deo placita charitate concilies, ut et ille quod filiis decet impendat, et illi quod patri oportet exhibeant. Si quæ vero aliæ causæ sunt, prædicto episcopo te impendere præcipimus salva tamen justitia et æquitate, solatium. [c] Mense Maio, indictione 11.

## EPISTOLA XXXV.

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Ex clero Neapolitano mittendos Romam duos vel tres, qui vice omnium episcopum eligant. Futuro episcopo deferenda necessaria. Paulo secedenti dandos pro labore solidos centum cum mancipio uno.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Sæpius a nobis [a] Paulus frater et coepiscopus noster expetiit ut eum ad propriam reverti faceremus Ecclesiam. Quod quia rationabile esse perspeximus, ejus petitionem necessario duximus adimplere. Proinde experientia tua clerum Ecclesiæ Neapolitanæ conveniat, quatenus duos vel tres de suis eligere et huc ad eligendum episcopum transmittere non omittant. Sed et sua nobis relatione insinuent quoniam ii quos transmiserint omnium in hac electione vice fungantur, ut Ecclesiæ illi, Deo auctore, suus antistes valeat ordinari. Nam amplius eam sine proprio non patimur esse rectore. Qui si fortasse admonitionem tuam quolibet modo differre tentaverint, ecclesiasticum in eos vigorem exerce. Nam pravitatis de se dabit indicium, quisquis in hoc non sponte consenserit. Prædicto autem Paulo fratri et coepiscopo nostro centum solidos, et unum puerulum orphanum, quem ipse elegerit, pro labore suo de eadem Ecclesia facias dari. Illos autem qui cunctorum vice huc venerint ad eligendum episcopum admone, [b] ut vestiarium omne episcopi sui sciant deferendum, et quantum præviderint secum argentum adducant, quod in usu suo habere possit qui fuerit episcopus ordinatus. Hæc vero omnia vivaciter districteque implere festina, et sub omni huc celeritate electos, sicut diximus, de clero transmitte. ut quia diversi hic nobiles civitatis Neapolitanæ præsentes sunt, una cum eis de episcopali ordinatione et tractare et, adjutore Domino, deliberare possimus. (*Vide l.* II, *ep.* 15.)

## EPISTOLA XXXVI.

### AD SABINUM DEFENSOREM.

*Ut Januarium episcopum et Epiphanium presbyterum criminibus accusatos Romam perducant. Pompeianam vero, Theodosiam et Isidorum adjuvet Romam venire cupientes.*

Gregorius Sabino defensori [a] Sardiniæ.

Quædam ad aures nostras gravia pervenerunt, quæ quoniam canonicam emendationem exspectant, **650** idcirco experientiæ tuæ præcipimus quatenus una cum Joanne notario, omni excusatione postposita,

---

Hocce anno jubent Arcadius et Honorius ut pro XX libris æris unus auri solidus a possessore reddatur. Cod. lib. X, tit. 70, de collatione æris. Tunc erant pro argenti libra sex aurei solidi. Anno 397, imperatores pro singulis argenti libris quinos solidos jubent inferri, quæ jam proportio auri ad argentum est 1 ad 14 2/5, atque pro XXV libris æris seu denariorum sex millibus fuit solidus. Id testatur Cassiodorus, variarum lib. I, epist. 10 : *Sex millia denariorum*, inquit, *solidum esse voluerunt*. Tunc apud Romanos pro L denariis argenteis erat solidus. Verum apud Francos auri ad argentum proportio duodecupla sexto sæculo perseverabat. Id manifeste colligitur ex insigni loco Hincmari archiep. Rhem., in Vita sancti Remigii. *In testamento*, inquit, *a beato Remigio condito lector attendat quia solidorum quantitas, numero* XL, *denariorum computatur, sicut tunc solidi habebantur. Et in Francorum lege Salica continetur et generaliter usque ad tempora Caroli perseveravit, ut in ejus capitulis continetur*. Denarii XL duas argenti uncias, solidi sex unciam auri unam faciebant. At præcipuum Gallicani solidi a Romano discrimen in eo positum fuit, quod Gallicum aurum esset Romano longe deterius. Id patebit magis ad epist. 7, lib. VI.

[d] Græcis εὐλογίαν *munusculum*. Vide, infra, epist. 48, lib. V, epist. 47, lib. VIII, epist. 35, lib. IX, etc., l. II, Dial., c. 8, Gregorii Turon. lib. VIII, c. 7. In ipsa sacra Scriptura benedictio pro munere sumitur, Genes. XXXIII, 11.

EPIST. XXXIV. — [a] Male a quibusdam *Sixtus*. Fuisse autem Capuanæ civitatis episcopum, liquet ex epistola 12, lib. V.

[b] Causam contemptus de quo Festus conquerebatur fuisse ipsius avaritiam, colligi potest ex epistola 33, lib. V.

[c] Hæc leguntur in Norm., Vatic., duobus Teller. et Turon. S. Gatiani.

EPIST. XXXV. — [a] De hoc episcopo diximus ad epistolam 9 lib. II. Ex 1 et 2 epistola hujus libri quam indigne in Castro Lucullano prope Neapolim sit habitus, notum. Hinc fortasse propriæ Ecclesiæ revisendæ desiderium.

[b] Vatic. B et nonnulli, *ut vestiarium omne episcopii*. Hinc apparet rem vestiariam episcopi non fuisse cujusque propriam, sed Ecclesiæ, et de manu in manum tradi consuevisse, sicut et pecuniam. Nunc autem designati episcopi de suo solvunt annatas, vestes comparant, sumtus faciunt, qui ratione pauperibus omnis ad episcopatum aditus præcluditur. Porro vestiarium usurpatur aut pro vestium armario et reconditorio, aut pro re ipsa vestiaria cuique pro sua conditione necessaria, ut in digestis, lib. XXXIV, tit. 2, leg. 21. Græce scribunt βεστιάριον, res vestiaria, βεστιάριον, τὸ ἐντὸς, armarium, βεστιάριος, qui curam gerit vestiarii. Hinc παιδόπουλλος τοῦ βεστιαρίου, qui secundus a vestiario; προτοβεστιάριος, supremus præfectus. Vide Codinum. Apud Nicetam dicitur ἀρχιζούπανος, et simpliciter ζούπανος, vestiarii principis præfectus. *Partim ex* GUSSANV.

EPIST. XXXVI.—[a] In Vulgatis additur, *et Anthemio subdiac.*, contra Mss. Vatic., Norm., Corb., Rhem., Colb., fidem; imo contra totius epistolæ seriem, ubi in singulari legitur : *experientiæ tuæ*, et infra, *perscruteris*.

Januarium fratrem et coepiscopum nostrum summa huc exhibere instantia non omittas, ut eo coram posito, ea quæ ad nos perlata sunt subtili valeant indagatione perquiri. Pompeiana vero atque Theodosia religiosæ feminæ, juxta postulationem suam, si huc venire voluerint, vestra eis in omnibus præbete solatia, ut desideria sua vobis queant [b] succurrentibus adimplere : præcipue autem Isidorum eloquentissimum, sicut petiit, studii vestri sit per omnia vobiscum adducere, ut causæ ejus qualitas, quam contra Ecclesiam Caralitanam habere dignoscitur, interius trutinata, legalem valeat finem accipere.

Præterea quoniam aliqua nobis de persona Epiphanii presbyteri facinora nuntiata sunt, necesse est ut diligentius cuncta perscruteris, et seu [c] mulieres cum quibus perisse dicitur, seu alios quos de causa eadem scire aliquid senseris, huc pariter festines adducere, quatenus ecclesiasticæ districtioni liquide possint aperiri quæ vera sunt. Hæc vero omnia ita efficaciter utrique curabitis adimplere, ut nulla vos de neglectu culpa respiciat, scientes ad vestrum omnino pertinere periculum, si hæc nostra quoquo modo fuerit lentata præceptio.

## EPISTOLA XXXVII.

### AD BONAM ABBATISSAM.

*Monasterium construi præcipit, et omnia a Joanne presbytero ipsi legata confirmat.*

Gregorius [a] Bonæ abbatissæ.

Ecclesiastica damnum non sentit utilitas, si res aliis competentes, cognita veritate, restituat. Cognovimus itaque Joannem quondam presbyterum sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui Deo auctore deservimus, in domo juris sui posita in hac urbe Roma, juxta thermas Agrippianas, oratorium construxisse, ibique quosdam reditus legati titulo per testamenti sui seriem reliquisse ; in quo etiam oratorio servorum Dei congregationem esse constituit ; et hæc omnia ut debuissent impleri, testamenti sui pagina sanctæ memoriæ decessori nostro Pelagio noscitur deputasse. Sed quia, morte occupatus, hoc non occurrit implere, et domus ipsa cum horto suo ab actoribus nostræ Ecclesiæ detinetur, et idcirco hactenus necdum voluntas defuncti [b] completa est, justitiæ ratio nos vehementer incitat hujusmodi piæ dispositionis arbitrium vestra sollicitudine, et hoc quod decessori nostro injunctum est, adimplere. Sed quoniam illic, pro difficultate temporis, nova servorum Dei congregatio adhiberi non potuit, feminarum saltem congregationem constituendam esse decernimus, atque ideo et locum ipsum solemniter dedicare. Et quia monasterium ubi tu prius fuisti in ruinæ erat periculo constitutum, te illic **651** cum congregatione tua consistere per omnia [c] debere, Deo annuente, perspeximus, quatenus in suprascriptæ domus monasterio, juxta voluntatem defuncti, Domino Redemptori nostro serviens esse congregatio potuisset, et imminens posses periculum evitare. Unde necesse est ut et nunc et in futuris temporibus Dei illic laudes per eam quæ modo est vel successura est congregationem modis omnibus celebrentur. Considerantes igitur antedicti presbyteri voluntatem, perpetuo illic tempore monasterium esse, atque ad id eamdem domum in integro cum horto suo et rebus inferius designatis, quæ a testatore relictæ sunt, proprietatis jure constituimus pertinere ; id est, massam Magulianensem cum appendicibus suis via Numentana milliario plus minus undecimo, tabernam in hac urbe, quæ est posita [d] juxta Palacenis, et [e] Salgamum positum ante domum suprascripti monasterii. Oportet ergo ut ita dilectio tua diligenter invigilet, ut et Dei illic, sicuti præfati sumus, laudes salubri studio devote, ut moris est, celebrentur, et suprascriptæ res ad jus ipsius pertinentes, nulla, te negligente, occasione depereant. Hanc enim sollicitudinem [f] non solum te, sed etiam eas quæ tuo loco successerint in prædicto

[b] Duo Vaticani, Norm. et pl., *concurrentibus.*

[c] Refertur extr. *de testibus et attestat.*, c. 3, ubi Glossa notat, 1° mulieres produci testes adversus clericos ; 2° socios criminum admitti ad testimonium ; 3° in criminalibus mulierum testimonium non recipi. Quamvis autem semper rejectæ sint feminæ a postulationibus, testimoniis, accusationibus, judiciis, varias ob causas, nihilominus non raro fuisse admissas, multorum legibus aut moribus constat. In Dig., *de testibus*, leg. 18, *qui testam. fac.*, leg. 20, § *mulier*. In jure canonico, extr. *de testibus*, c. 3 et 33. Et apud Grat., causa 15, q. 3, referuntur plures textus ex jure civili. Jure Gallico mulieres admitti, necnon in foro ecclesiastico, praxis hodierna testatur. De sociis criminum, quod testificari non possint, ait Alex. 3, extr. *de testibus*, c. 10, et c. 20, *quia simili morbo laborant*. Et Clement. 3, extr. *de Confess.*, c. 1. Secundum juris utriusque statuta, de se confessi super aliorum conscientiis interrogari non debent. AUGET.

EPIST. XXXVII [*Al.* 44, *indict.* 14, *et* 49, *indict.* 2]. —[a] In Edit. vet., *Bono abbati*. Confirmat hanc lectionem quod in fine epistolæ legitur juxta Mss. Norm., tres Romanos, et alios nonnullos : *non solum a te, sed etiam a tuis successoribus ;* ideoque viris, non feminis.

[b] In Norm. et tribus Vatic. : *Completa est, nostra sollicitudine, piæ dispositionis voluntatem ; et hoc quod decessori nostro injunctum est, prævidimus esse complendum ; ideoque necessarium esse perspeximus ut dedicari oratorium ipsum protegente Domino debuisset. Et quia.*

[c] Becc. et Pratell., *debere, quatenus et in suprascriptæ domus monasterio congregatio esse potuisset, et imminens rei periculum evitaret. Unde.*

[d] Locus est in urbe Roma, ubi fuit monasterium sancti Laurentii martyris, de quo Anastasius Bibliothec., in Greg. IV. GUSSANV.

[e] Salgami nomine a sale fortasse deducto intelliguntur quæcunque sale vel aliis salis vim habentibus condita ad cibum in vasis servabantur, ut mala, fici, uvæ, cucumeres, etc. Vide Lexicon Martinii. In Cod. Justin., lib. XII, tit. 42, est, *de salgamo hospitibus non præstando*. Ubi cavetur : *ne quis comitum vel tribunorum, aut præpositorum, aut militum nomine, salgami gratia, calcitras, lignum, oleum a suis extorqueat hospitibus*. Hic tamen per *salgamum* intelligitur cella salgamaria, seu officina in qua salgamum asservabatur et venundabatur a salgamariis. Conqueritur concil. Chalcedon., act. 11, salgamarios fuisse ordinatos episcopos ; unde gravissimum in Ecclesia damnum.

[f] In tribus Vatic. et in Norm., *non solum a te, sed etiam a tuis successoribus, in prædicto oratorio*

monasterio et rebus superius designatis, constitui- A mus nihilominus exhibere [g].

## EPISTOLA XXXVIII.

### AD LIBERTINUM PRÆFECTUM.

*Ut Nasam Judæum seductorem puniat, necnon Christiana mancipia ab illo comparata liberet.*

Gregorius [a] Libertino præfecto Siciliæ.

Ab ipso administrationis exordio, Deus vos in causæ suæ voluit vindictam procedere, **652** et hanc vobis mercedem propitius cum laude servavit. Fertur siquidem quod Nasas quidam sceleratissimus Judæorum, [b] sub nomine beati Eliæ altare punienda temeritate construxerit, multosque illic Christianorum ad adorandum sacrilega seductione deceperit; sed et Christiana, ut dicitur, mancipia comparavit, et suis B ea obsequiis ac utilitatibus deputavit. Dum igitur severissime in eum pro tantis facinoribus debuisset ulcisci, gloriosus Justinus, medicamento avaritiæ, ut nobis scriptum est, delinitus, Dei distulit injuriam vindicare. Gloria autem vestra hæc omnia districta examinatione perquirat; et si hujusmodi manifestum esse repererit, ita districtissime ac corporaliter in eumdem sceleratum festinet vindicare Judæum, quatenus hac ex causa et gratiam sibi Dei nostri conciliet, et his se posteris pro sua mercede imitandum monstret exemplis. Mancipia autem Christiana (*Grat. dist.* 54, *c.* 13), quæcunque eum comparasse patuerit, ad libertatem, [c] juxta legum præcepta, sine ambiguitate perducite; ne, quod absit, Christiana religio Judæis subdita polluatur. Ita ergo omnia districtis- C sime sub omni festinatione corrigite, ut non solum pro hac vobis disciplina gratias referamus, sed et testimonium de bonitate vestra, ubi necesse fuerit, præbeamus. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 43.)

[g] In Colbert. vet. legitur ad calcem epist., *mense Maio, indict.* 11.

EPIST. XXXVIII [*Al.* 37]. — [a] In Corb., Pratell. et Michaelino legitur, *Libertino prætori.* In Rhem. et Vatic. D, *exprætori.* Si ex alterutra lectione una eligenda nobis foret, priorem censeremus anteponendam. Nimirum conqueritur infra sanctus Gregorius de Justino qui Siciliæ prætor fuerat, ex epist. 2 lib. I, ad eum scripta; et Libertinum, qui fortasse successor ei datus fuerat, admonet hic ut ea quibus mederi neglexit Justinus emendet. Retinemus tamen *præfecto*, quia legitur in tribus Vatic., in Norm. quinque et in D plerisque; aliundeque non minus ad præfectum spectabat ea e medio tollere de quibus exspostulat sanctus pontifex, quam ad prætorem.

[b] Vide in Cod., lib. I, tit. 9, *de Judæis et cælicolis*, legem *Judæos quosdam*, ubi prohibentur Christianos ritus simulare, crucem suis immiscere, etc. GUSSANV. Cultum et honorem Eliæ exhiberi non improbat sanctus Doctor, sed malas sceleratissimi Judæi artes. Alioquin legimus sancti Eliæ prophetæ templum in Petrio a Zenone imperatore constructum, post reditum ex Persica expeditione. In ædem Eliæ quam dominicum nuncupabant, habes epigramma sancti Gregorii Nazianz., in Edit. Leunclavii. Constat tamen in Ecclesia Latina, saltem usque ad sancti Bernardi tempora, sancti Eliæ nullum diem festum decretum fuisse; Bernardus enim, in epist. 98 novæ Ed., respondet ad quæstionem cur ex justis antiquæ legis Ecclesia solis Machabæis diem festum assignavit.

[c] In Cod., lib. I, tit. 10 : *Judæus servum Christianum nec comparare debebit, nec largitatis aut alio quocunque titulo consequetur. Quod si aliquis Judæorum..... non solum mancipii damno multetur, verum etiam capitali sententia puniatur*, etc. Et lege sequente: *Græcus, seu Paganus, et Judæus, et Samaritanus, et alius hæreticus, id est, non existens orthodoxus, non potest Christianum mancipium habere*, etc. Lege distinct. 54, et extra., leg. V, tit. 6, de Judæis, cap. 2. Infra, passim, de Judæis, necnon in conciliis Galliæ, ubi plura videbantur Judæis permissa, quæ prosequi nostri non est instituti. GUSSANV. Vide, infra, lib. IV, epist. 21, et Eusebium, lib. IV de Vita Constantini, c. 27, ubi refert pium imperatorem legem tulisse, ne Christianus ullus serviret Judæis; et si quis Christianæ religionis servus penes Judæum deprehenderetur, illum quidem libertate donandum, Judæum vero pecunia multandum.

## EPISTOLA XXXIX.

### AD EPISCOPOS CORINTHIOS.

*Diaconum mittit, qui de audita Adrianum inter et episcopos ejus accusatores reconciliatione inquirat.*

Gregorius universis episcopis Corinthiis.

Desiderii nostri est ad concordiam [a] redire discordes, et unitos esse in gratia eos quos divisos ab alterutra dilectione voluntatis facit esse **653** diversitas. Scripta igitur fraternitatis vestræ relegentes, agnovimus quod hi, qui contra [b] Adrianum fratrem et coepiscopum nostrum aliqua dixerant, modo cum eodem episcopo in amicitiam convenissent, et magna nobis ad præsens facta est de eorum unitate lætitia. Sed quoniam ea quæ dicta sunt indiscussa remanere non patimur, Sedis nostræ diaconum ad ea investiganda dirigimus; quia nuntiati nos facinoris qualitas vehementer impellit ut ea quæ audivimus dissimulare nullatenus debeamus, præsertim cum accusatores et accusatum inter se fecisse gratiam indicastis, hoc nobis necesse est subtilius perscrutari, ne fortasse eorum sit comparata concordia; quæ si, quod absit, non ex charitate, sed ex præmio facta constiterit, majori hoc emendatione plectendum est. Nam nos qui canonice, revelante Deo, mala, si quidem vera sunt, resecare præcedentia festinamus, commissam postmodum culpam sine vindicta nulla ratione dimittimus [c].

## EPISTOLA XL.

### AD PETRUM SUBDIACONUM.

*Numerium diaconum, si episcopatu dignum judicet, Romam mittat consecrandum. Catellam servam, si animo sincero monasticum habitum petit, a Felice redimat.*

Gregorius Petro subdiacono Campaniæ.

Ante aliquot dies tibi scripsimus, ut Numerium diaconum [a] Nucerinæ Ecclesiæ interrogare [b] subtili-

EPIST. XXXIX [*Al.* 38]. — [a] Recent. Ed., *redigere*, inconsultis sane Mss., saltem antiq. et potioribus.

[b] Forte is quem injuste ab episcopis quibusdam condemnatum absolvit Gregorius, epist. 6 et 7 hujus indictionis. GUSSANV.

[c] Turon. Cod. S. Gatiani, cui concinit Edit. Paris. 1518, addit : *Mense Junio, indict.* 11.

EPIST. XL [*Al.* 39]. — [a] Nuceria urbs olim Campaniæ in Picentinis, nunc principatus citerioris in regno Neapolit., adhuc episcopalis sub archiep. Salernitano.

[b] Id est, curiosius, diligentius; quo sensu sæpe a

ter debuisses; et si nihil esset quod ei ad sacerdotii gradum potuisset obsistere, huc eum consecrandum Deo auctore transmitteres. Et ideo si, facta interrogatione quam diximus, suprascriptum ad nos diaconum transmissurus es, clerum et populum civitatis ipsius admonere curabis, ut cum eo quanticunque potuerint venire non differant, quatenus eis præsentibus, si Deo placuerit et ordinandus fuerit, consecretur.

Præterea quia Felix defensor puellam nomine Catellam habere dicitur, quæ cum magnis lacrymis et vehementi desiderio habitum conversationis appetit, sed eam præfatus dominus suus converti [c] minime permittit, proinde volumus ut experientia tua præfatum [d] Felicem adeat, atque puellæ ejusdem animum sollicite requirat; et si ita esse cognoverit, pretium ejusdem puellæ suæ domino præbeat, et huc eam in monasterio dandam cum personis gravibus, Domino auxiliante, transmittat. Ita vero hæc age, ut non per lentam **654** actionem tuam præfatæ puellæ anima detrimentum aliquod in desiderio suo sustineat.

## EPISTOLA XLI.

### AD PANTALEONEM NOTARIUM.

*Stuprator virginis aut eam ducat, aut corporaliter castigatus in monasterium detrudatur. Diaconus captivus Ecclesiæ sumptibus redimatur.*

Gregorius Pantaleoni notario.

Questus est nobis Evangelus, Sipontinæ Ecclesiæ diaconus, filiam suam [a] a Felice fuisse, quod dici netas est, stupratam. Pro qua re hujus præcepti auctoritate suffultum ad Sipontinam civitatem te proficisci necesse est, et adhibitis tibi sapientibus illic viris, cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere; et si ita repereris, eam quam [b] stupravit, aut uxorem factis nuptialibus instrumentis accipiat, aut corporaliter castigatum in monasterium eum privatum communione, ubi pœnitentiam peragat, A tradere festinabis; ita ut nulla exinde ei sit quoquomodo egrediendi licentia, nisi hoc nostra permiserit fortasse præceptio.

Præterea quia supradictus diaconus de hostibus se redemptum, ac propterea debitum habere commemorat, ideo si talem ejus substantiam non esse cognoveris quæ ad reddendum debitum ipsum possit sufficere, Felici fratri et coepiscopo nostro te imminere præcipimus, ut ejus pretium de Ecclesia dare non differat, quatenus suprascriptus Evangelus diaconus sine tarditate aliqua a debiti possit necessitate cui est suppositus liberari.

## EPISTOLA XLII.

### AD FELICEM EPISCOPUM.

*Ecclesiarum ministeria, pecuniæ, etc., Ecclesiæ Sipontinæ describantur, quorum index Romam mittatur.* B

Gregorius Felici episcopo Sipontino.

Propositi nostri sollicitudo nos vehementer astringit ut ita rerum ecclesiasticarum, Deo auxiliante, debeamus providere cautelam, quatenus in eis nulla possit ex neglectu evenire jactura. Proinde fraternitas tua una cum Bonifacio, necnon et Pantaleone latore præsentium, sedis nostræ notariis, res Ecclesiarum, quæ apud Sipontinam noscuntur esse Ecclesiam, curet subtiliter singulas quasque describere, ut tam ministeria Ecclesiarum, **655** quam etiam usuale argentum, vel quidquid aliud est, idem [a] brevis a vobis conscriptus, veraciter rerum facta inspectione, contineat. Nec quamdam ad hoc moram vel excusationem fraternitas tua tentet adducere; sed, omni excusatione cessante, hæc quæ a nobis injuncta sunt, modis omnibus implere festina, eumdemque nobis brevem manu tua subscriptum per ante dictum Pantaleonem transmitte, quatenus quid de hoc fieri salubriter debeat, divina possimus gratia suffragante disponere. C

nostro Gregorio usurpatur. In epist. seq., *cum omni subtilitate veritatem curabis addiscere;* hoc est summo studio, omnique sollicitudine. Ita in epist. 42, *curet subtiliter singulas quasque describere.*

[c] *Converti*, habitu conversionis indui, sanctimonialem aut ancillam Dei fieri, idem est. De servis sine domini consensu ad habitum conversionis non admittendis, lex ipsa naturæ præcipit, Evangelium confirmat, canones agnoscunt, statuunt imperatores et reges. Jus cuique suum servari, juris est naturalis. Paulus, I Timoth. VI : *Quicunque sub jugo sunt servi*, etc. Et additur : *Si quis aliter docet*, etc., quem textum explicant Patres, Ambrosius, Primasius, Hieronymus, Chrysostomus et alii veteres; concordant novi commentatores. De canonibus legere est canonem apost. 81 Chalcedonensis concilii, c. 4; Gangrensis, can. 3; capitularis Aquisgranensis, c. 23. Gelasius papa pœnam depositionis et excommunicationis decernit adversus eos qui contrarium fecerint. Refertur dist. 54, cum pluribus aliis auctoritatibus. Adde extra, lib. I, tit. 18. De servorum monachismo, ignorante aut invito domino. Videat lector Leonis imperatoris constitutiones 9, 10, 11, quas legisse non erit injucundum. Imperatores tamen severius adversus dominos infideles edixerunt, præcipue Judæos, ut supra, epist. 38, observavimus. Vide in Authent., novell. 5, c. 2, nov. 123, c. 4. Hinc canones posteriores in servorum gratiam multa statuerunt, ut extr. de Judæis, c. 1 et 2, lib. V : *Fidelibus dominis non eripiuntur servi, sed dato pretio liberantur.* Hesselius, in Paulum, in cap. VI I Timoth., de istis tractat fusius, quem consule. De eadem materia sæpe fit in sequentibus epistolis mentio. Gussanv.

[d] Tres Vatic. *Felicem videat.*

Epist. XLI [*Al.* 40]. — [a] Fuisse nepotem Felicis episcopi Sipontini docet epist. 43. D

[b] Ea de re multas leges videre est in Dig., ad legem Juliani, *de vi publica.* Aliquot etiam canones extr. *de adulterio et stupro.* Deponebantur clerici in hoc crimine deprehensi, et monasterio includebantur pœnitentiam acturi, dist. 81, cap. Si quis clericus. Auget. Supponit vir eruditus stupratorem clericum fuisse, quod ex pœna ipsi inflicta facile possumus conjicere.

Epist. XLII [*Al.* 41]. — [a] *Brevis* dicitur inventarium, rotulus, Gall. *rôle*, nempe chartula summarium quarumcunque rerum continens. Græcis πιττάκιον, pittacium. Utuntur passim hac notione sanctus Hieronymus epist. 6, ad Florentium; sanctus Benedictus, c. 32 et 41 regulæ; Lupus Ferrar. epist. 80; et alii. Hinc imbreviare, in breves redigere, apud Hincmarum, Hovedenum, et alios. Gussanv. Vide, supra, epist. 5 libri II. Cæterum fallitur Gussanv., dum hic laudat reg. sancti Benedicti caput 41.

## EPISTOLA XLIII.

AD FELICEM EPISCOPUM.

*Episcopum de illato a nepote stupro arguit, ipsique imponit latæ in reum sententiæ exsecutionem.*

Gregorius Felici episcopo Sipontino.

Exspectabamus fraternitatem tuam sua aliquos ad Deum prædicatione convertere, et male agentes ad rectitudinem revocare. Qua de re nimis contristamur, quia e diverso in nepotis tui Felicis pravitate, tua evidenter, qui talem nutristi, culpa monstrata est. Pervenit [a] itaque ad nos quod suprascriptus Felix Evangeli tui diaconi filiam, quod nefas est dici, stupro deceperit. Quod si verum est, quamvis [b] gravi esset de lege pœna plectendus, nos tamen aliquatenus legis duritiam mollientes, hujuscemodi disponendo præcipimus, ut aut quam stupravit uxorem habeat, aut certe si renuendum putaverit, districtius ac corporaliter castigatus excommunicatusque, in monasterium, ubi pœnitentiam peragat, retrudatur, de quo ei nulla sit egrediendi sine nostra præceptione licentia. Ita ergo fraternitas tua, ut hæc compleantur studeat, quatenus nihil de his aliquo modo possit omitti. Nam si quid, quod non credimus, lentatum fuerit, et illi grave postea periculum imminebit, et te non levis incipiet culpa respicere.

## EPISTOLA XLIV.

AD BONIFACIUM EPISCOPUM.

*Stephaniæ res a decessoris sui actoribus occupatas restituat.*

Gregorius Bonifacio episcopo Regitano.

Sicut Ecclesia (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 49) proprias res amittere non debet, ita eam rapacitatis ardore invadere alienas non oportet. Stephania siquidem latrix præsentium, quasdam res suas temporibus decessoris tui **656** Lucii quondam episcopi ab actoribus ejus vi queritur occupatas. Et quia sibi eas petiit, justitia favente, debere restitui, propterea fraternitas tua cum Dei timore hæc quæ asserit subtiliter curet addiscere. Et si ita, quemadmodum suprascripta femina ait, esse repererit, quæcunque male ablata sunt, faciat sine aliquo damno vel dilatione restitui. Nam valde durum est res alienas contra rationem Ecclesiam detinere. Ita ergo querimoniam præfatæ mulieris salubriter finire festina, ut nec nos exinde denuo molestiam patiamur, nec te avarum vel desidiosum hæc causa demonstret.

## EPISTOLA XLV.

AD ANDREAM EPISCOPUM.

*Ut sacerdotium ipse deponat, si peccati cum concubina sit conscius, hortatur. Quod mulierem fustibus cædi jusserit, a missarum celebratione per duos menses abstinere jubet.*

Gregorius Andreæ episcopo [a] Tarentino.

Tribunal judicis æterni securus aspiciet (*Grat dist.* 33, *c.* 7), quisquis reatus sui conscius digna eum modo pœnitentia placare contendit. Habuisse te siquidem concubinam [b] manifesta veritate comperimus, de [c] qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio. Sed quia in rebus ambiguis absolutum non debet esse judicium, hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum. Qua de re, si, in sacro ordine constitutus, ejus te permistione esse recolis maculatum, sacerdotii honore deposito, ad administrandum nullo modo præsumas accedere, sciturus in animæ tuæ periculo te ministrare, et Deo nostro sine dubio te reddere rationem, si hujus sceleris conscius, in eo quo es ordine, celans veritatem, permanere volueris. Unde te iterum adhortamur, ut si te deceptum antiqui hostis calliditate cognoscis, competenti eum, dum licet, pœnitentia superare festines, ne cum eo particeps, quod non optamus, in die judicii deputeris. Si vero hujus reatus tibi conscius non es, in eo te necesse est quo es ordine permanere.

Præterea quoniam [d] mulierem de matriculis contra ordinem sacerdotii cædi crudeliter [e] fustibus deputasti, quam licet post octo menses exinde minime arbitramur fuisse defunctam, tamen quia ordinis tui habere noluisti respectum, propterea duobus te mensibus ab administratione missarum statuimus abstinere. In quibus ab officio tuo suspensum flere te convenit quod fecisti. Nam valde **657** dignum est,

---

Epist. XLIII [*Al.* 42]. — [a] Refertur extr. *de adult.* c. 2. Vide concil. Meld., an. 845, c. 64, 65, 66.

[b] Quam intelligat pœnam inquiro; an deportationem, aquæ et ignis interdictionem, depositionem, pœnam corporalem? Mortem videtur intelligere. Vide caus. 36, q. 2, et in Cod., l. IX, tit. 12 et 13, et novell. 143. Gussanv.

Epist. XLV [*Al.* 43]. — [a] Tarentum vulgo *Taranto*, urbs olim Salentinorum, in magna Græcia, in sinu cognomine, hodie regni Neap., in provincia Hydruntina, ubi validum Hispanorum præsidium; titulo principatus gaudet; olim episcopalis, nunc autem archiepiscopali sede donata. Gussanv.

[b] Et statim addit: *In rebus ambiguis.... hoc tuæ conscientiæ elegimus committendum.* Sic utrumque intelligerem. Habuerat Andreas ante ordinationem concubinam, id manifestum sancto Gregorio. Eidem concubinæ fuisse post ordinationem permistum, quibusdam erat nata suspicio. Ejus conscientiam convenit sanctus Gregorius. Id patet ex verbis seqq.: *Et te illius criminis participationem habere, de qua etiam contraria est quibusdam nata suspicio.* Gussanv.

Frustra in explicanda sancti Gregorii mente laboravit Gussanvillæus, cum ex epist. sequenti clare pateat.

[c] Hic in recentioribus Ed. attexitur, *et te illius criminis participationem habere;* quæ nullis in Mss. reperimus. Deesse in undecim Codicibus mss. fatetur Gussanv., qui tamen ea retinenda censuit. Certe non sunt in septem Norman., in quatuor Romanis, in Corb., in Rhem., in Turon., in Andeg., etc. Redundare videntur correctoribus, Decreti dist. 33, et priores Editiones illa nesciunt.

[d] *Matricula* dicebatur canon seu liber in quo descripti erant qui Ecclesiæ sumptibus alebantur. Inde matricularii dicti. Erant autem pauperes, orphani, viduæ quæ matricularie appellabantur. Gussanv. Mulierem quæ fustibus cæsa est, fuisse unam e matricula Ecclesiæ argumento est, quod id factum est jussu episcopi, ad quem pertinebat cura et potestas in matriculis Ecclesiæ. Alteserra.

[e] De episcopo percussore, dist. 45, late Espensæus, digress. in Timoth., lib. II, c. 3, et nos infra, epist. 53. Gussanv.

at postquam te ad vitæ istius tranquillam rectitudinem laudabilium sacerdotum exempla non provocant, saltem [f] correptionis medicina compellat. (*Cf. Joan. Diac. l.* 3, *c.* 43.)

## EPISTOLA XLVI.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Andream episcopum, si concubinam in sacro ordine constitutus contigerit, a ministerio prohibendum. Suspendendum eumdem a missarum celebratione ob cæsam fustibus mulierem. Expendendas quoque clericorum de illo querelas.*

Gregorius Joanni episcopo [a] Calliopolitano.

Ex gestis quæ ad nos fraternitas tua direxit, inventum est Andream fratrem et coepiscopum nostrum habuisse sine dubio concubinam. Sed quia incertum est si eam in sacro ordine constitutus contigerit, necesse est ut eum sollicita adhortatione commoneas, ut si positus in sacro ordine cum ea se novit immistum, ab eo quo est officio quiescat, et nullatenus administrare præsumat. Quod si forte conscius sibi hujus rei peccatum suum supprimens administrare præsumpserit, animæ suæ periculum divino judicio imminere cognoscat.

[b] Matriculam vero quam fecit fustibus castigari, quamvis exinde post octo menses obiisse non credimus, quia tamen eam contra propositi sui ordinem hujusmodi fecit affligi, duobus hunc mensibus a missarum solemnitate suspende, ut vel hæc eum verecundia qualem se de cætero possit exhibere, instituat.

Præterea, oblata nobis petitione, quæ tenetur in subditis, clerici prædicti episcopi multa se mala ab eo sustinere commemorant. Ob quam rem fraternitas tua subtiliter cuncta curet addiscere, et ita ea rationabili modo emendare atque disponere, ut nulla eis pro hac re huc remeandi de cætero necessitas imponatur. [c] Mense Julio, indictione 11. (*Vid. sup. ep.* 44. *Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 27.)

[f] De episcopo agitur quem a sacris altaribus suspendit, ac flere jubet, ut vel ea ratione dominationis in eo tumorem comprimat, spiritum exstinguat. Itaque per correptionis medicinam usum intelligo disciplinæ canonicæ, necessarium licentiæ peccatorum frenandæ; quam licentiam impunitas aleret, nimia remissio foveret. Apage austeritatem Tertulliani, Novati, etc. Inflectatur rigor sancti Cypriani, et aliorum Patrum, concilii Eliberit. et aliorum conciliorum adversus lapsos, ita tamen ut sacerdotis Heli mollitiem aversemur. Tot dispensationibus, tot gratiis aut laxatæ aut luxatæ leges vilescunt, enervantur, concidunt. Quæ vero politia stare potest sine legibus? cui bono leges quas impune transgredi aut liberum est, aut passim venia dignum? Nostros, quæso, mores componat lector cum antiquis moribus, ut vel hinc discat quam sit necessaria correptionis medicina, quam perniciosa facilitas veniæ. Prudentis est medici ea adhibere remedia quibus vulnera sanentur, non quibus tantummodo tegantur et incrustentur. Antiquitus infrequens erat relaxationum usus, sed legum vigebat observatio; nunc affluentibus remissionibus inundat peccatum. GUSSANV.

EPIST. XLVI [*Al.* 45]. — [a] In Vatic. D, Colbert., Pratell. ac nonnullis, legitur, *Galliopolitano*. Est vero Callipolis, vulgo *Gallipoli*, urbs Calabriæ episcopalis, sub archiepiscopo Hydruntino.

[b] Id est, *marticulariam*, seu mulierem quæ matriculæ Ecclesiæ cujus sumptibus alebatur inscripta erat.

[c] Sic habent Turon. S. Gat., Colbert. vetus et Corb.

## EPISTOLA XLVII.

AD CLERUM ECCLESIÆ SALONITANÆ.

*Honorati electionem in episcopum approbat.*

Gregorius Clero ecclesiæ Salonitanæ.

Dilectionis vestræ scripta relegentes, electionem vos [a] in honoratum archidiaconum vestrum fecisse didicimus, et omnino nobis gratum fuisse **658** cognoscite quod olim expertum virum et gravem moribus ad episcopatus ordinem elegistis. Cujus etiam et nos personam, quia dudum est nobis bene cognita, comprobamus, eumque vobis juxta desiderium vestrum et nos ordinari voluimus sacerdotem. Pro qua re hortamur vos in ejus electione sine aliqua ambiguitate persistere. Nec quædam vos res ab ejus debet persona deflectere, quia sicut ista laudabilis nunc probatur electio, ita si, quod absit, dilectionem vestram ab eo quisquam deviare seduxerit, et animæ vestræ gravamen, et opinioni maculam infidelitatis imponet. Eos vero qui ab electionis vestræ unitate desideratæ [b] discordant, ut vobiscum sentire possint, [c] ab Antonino subdiacono nostro fecimus admoneri. Cui etiam de persona Malchi fratris et coepiscopi nostri quid oporteat fieri, jam pridem injunximus. Sed quoniam et ipsi scripsimus, credimus eum ab inquietudine vestra sine mora quiescere. Qui si fortasse obedire quocunque modo neglexerit, contumacia ejus modis omnibus canonicæ ultionis districtione multabitur.

## EPISTOLA XLVIII.

AD COLUMBUM EPISCOPUM.

*Præmisso singularis benevolentiæ testimonio, illum ne pueros ordinari, neve ordines ex favore aut ex venalitate conferri sinat, atque ut sibi concilii statum indicet, hortatur. De catenis beati Petri aliquid clavibus inclusum mittit.*

Gregorius Columbo [a] episcopo.

Et antequam fraternitatis tuæ scripta susciperem, bonum te Dei famulum esse, nuntiante veridica opinione, cognovi. Et postquam suscepi, certum fuisse hoc quod fama dudum asperserat, plenius intellexi;

EPIST. XLVII [*Al.* 46]. — [a] De Honorato, ejusque cum Natali Salonitano episcopo dissidiis jam dictum epist. 20 libri primi. Electio ipsius in Salonitanum episcopum irrita fuit, et a provincialibus episcopis Maximus, cui Mauricius Augustus favebat, in Salonitanam sedem est intrusus. Qua de re atque de varia Honorati fortuna, vide nostros de sancti Gregorii Vita commentarios, lib. II.

[b] Editi, *inconsiderate discordant*. Rhem., *unitate desiderata discordant* Sequimur Norm., Turon., Andeg., Vatic., etc. Vulgatorum vero lectioni nullus e nostris Mss. favet.

[c] Reg., ab *Anthimo*.

EPIST. XLVIII [*Al.* 47]. — [a] Excusi, *episcopo Numidiæ*, nec vitiose, licet *Numidiæ* absit a Mss. Norm., Vatic., Corb., denique ab omnibus quos consulere licuit.

meritisque tuis valde congaudeo, quod testes vitæ laudabilis mores tuos et actus ostendis. Hæc ergo quoniam superna tibi sentio majestate collata, gratulor; et Deum Creatorem nostrum utique benedico, qui servis humilibus misericordiæ suæ dona non denegat. Qua de re verum fateor quia sic me fraternitas tua ad amorem suum flamma charitatis accendit, sicque tibi unitus est meus spiritus, ut et videre te cupiam, et tamen absentem coræ semper attendam. Hæc igitur ita esse ex te bene consideras. Nam profecto plus in charitate animorum unitas quam corporalis [b] potest unire præsentia. Præterea tota te mente, toto corde, totaque anima apostolicæ sedi inhærere ac esse devotum et nunc scio, **659** et priusquam epistola tua hoc testimonium perhiberet, manifeste cognovi. Præmisso itaque debita ex charitate salutationis alloquio, adhortor ut eorum quæ beato Petro apostolorum principi promisisti memor esse non desinas.

Itaque erga primatem synodi tuæ esto sollicitus, ut [c] pueri (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 120) ad sacros ordines nullatenus admittantur, ne tanto periculosius cadant, quanto citius conscendere ad altiora festinant. Nulla sit in ordinatione venalitas; potentia vel supplicatio personarum nihil adversus hæc quæ prohibemus obtineat. Nam proculdubio [d] Deus offenditur, si ad sacros ordines quisquam non ex merito, sed ex favore, quod absit, aut ex venalitate provehitur. Hæc autem si fieri cognoscis, non taceas; sed instanter obsiste: quoniam si hæc aut investigare fortasse neglexeris, aut intellecta celaveris, non solum illos qui hæc agunt, peccati vinculum illigabit; sed et te hujus rei non levis ante Deum culpa respiciet. Oportet ergo canonica ultione si quid tale committitur, coerceri: ne tantum facinus [e] cum aliorum peccato vires ex dissimulatione percipiat.

Præsentium igitur portitorem Victorinum fraternitatis tuæ diaconum, quem tuum reor imitatorem existere, et cum charitate suscepi, et ad remeandum citius relaxavi, per quem etiam claves beati Petri, in quibus de catenis ipsius inclusum est, tibimet pro benedictione transmisi.

Præterea de unitate ac pace concilii, quod Deo auctore congregare disponitis, charitas tua animos nostros subtiliter omnia indicando lætificet.

[b] Sic emendavimus ex quinque Mss. Anglic., quibus consentiunt Beccensis, Michaelinus et Sagiensis. Communis tamen Mss. lectio est: *plus in charitate animos unitas, quam corporalis potest venerari præsentia.* Eadem est Editorum, mutato tantum *animos* in *animorum.*

[c] Non hic de titulis episcopatuum et abbatiarum loquitur, quos pueris quinquennibus concessos olim luxit Ecclesia; de ordinibus ipsis agit nulli conferendis, cujus non sit ætas legitima. Disputant in scholis theologi, an pueri ante rationis usum possint valide in diaconos, presbyteros, episcopos consecrari. Canonistæ, dist. 77 et 78, cuique ordini designant certum annorum numerum quo recipiatur, certa intervalla quibus administretur, certam in quoque gradu moram, ne sit ascensus præceps et in lapsum nimia festinatione pronus. Patres sanctissimi neophytos excludebant multis de causis, inscitiam, imperitiam, superbiam, favorem, venalitatem, quæ ut plurimum in eorum promotionibus occurrunt, aversantes. Ad idem facit epistola sequens, relata caus. 1, q. 1, quam sæpe in seminariis legi, et per singulos canones explicari foret utile; causam totam dico et epistolam. GUSSANV.

[d] Attendant sacerdotiorum collatores et patroni. Solam spectent Dei gloriam, Ecclesiæ ædificationem, animarum salutem; sileant favor, potentia, supplicatio, venalitas.

[e] Sic legitur in tribus Vatic., Corb., Aud., etc. In Excusis autem: *ne tantum facinus, cum aliorum peccato parcitur, vires ex dissimulatione percipiat.*

## EPISTOLA XLIX.

### AD ADEODATUM EPISCOPUM.

*Post amicam salutationem, eum hortatur ad explendum officium; imprimis ne ullos nisi provectiores ætate, et mundos opere ordinet; ne sit in ordinatione venalitas. Maximiani episcopi utatur consilio. Tandem peracta synodo, se de ejus concordia certiorem faciat.*

[a] Gregorius Adeodato episcopo Primati provinciæ Numidiæ.

Qualiter erga nos fraternitatem vestram charitas dilectionis astrinxerit, scriptorum vestrorum series evidenter innotuit; magnumque fomitem nobis contulere lætitiæ, quod ea et benigna pietate composita et Deo placita dilectione fervere didicimus. Ut igitur breviter diximus, ita mentem vestram epistola quam direxistis exposuit, ut auctor ejus abesse minime crederetur. Nec enim absentes judicandi sunt, quorum animus ab alterutra charitate non discrepat. Quamvis autem nec virtus, nec ætas vos, sicut scribitis, ad nos venire permittat, ut de fraternitatis vestræ corporali possimus gratulari præsentia, tamen, quia animus noster vobis, vesterque nobis unitus est, **660** vicissim nobis per omnia præsentes sumus, dum nos unita per amorem mente conspicimus. Salutantes præterea fraternitatem vestram, congruo charitatis affectu hortamur, ut officium primatus, quod Deo habetis auctore, tota intentione sic studeatis sagaciter exhibere, quatenus ad hunc vos ordinem pervenisse et animæ vestræ proficiat, et aliis in futuro exemplum bonæ imitationis existat. Estote ergo præcipue in ordinatione solliciti (*Grat.* 1, *q.* 1; *c.* 119); et ad sacros ordines aspirare, nisi provectiores ætate, et mundos opere, nullatenus admittatis, ne forte semper esse desinant quod immature esse festinant. Eorum enim qui in sacro sunt ordine collocandi prius vitam moresque discutite; et ut dignos huic officio adhibere possitis, non vobis potentia aut supplicatio quarumlibet surripiat personarum. Ante omnia autem cautos vos esse oportet, ut nulla proveniat in ordinatione venalitas, ne, quod absit, et ordinatis et ordinantibus periculum majus immineat. Si quando igitur de his tractari necesse est, graves expertosque viros [b] consiliis vestris adhibete participes, et cum eis communi de hoc deliberatione pensate. Præ omnibus autem Columbum fratrem et coepiscopum

Epist. XLIX [*Al.* 48]. — [a] Quales essent in Africana Ecclesia primates, jam docuimus; et uberius in commentariis de sancti Gregorii Vita ostenditur.

[b] Ita legit hunc locum Gratianus, et retulit loco indicato. Sic etiam legitur in Mss. Norm., in Vatic.

nostrum in cunctis adhibere vos convenit. Credimus enim quia si illa quæ agenda sunt cum ejus consilio feceritis, nullus in vobis quod quibusque modis redarguere possit inveniet; nobisque ita gratum esse tanquam si cum nostro consilio agantur, cognoscite: quoniam vita moresque illius ita nobis sunt in omnibus approbati, ut cunctis liquido constet quia quod cum ejus consensu agitur nullius culpæ macula fuscatur. Præsentium vero lator Victorinus, suprascripti coepiscopi nostri diaconus, vestrorum præco ita exstitit meritorum, [c] ut animos nostros de vestra vehementer actione reficeret. Et oramus omnipotentem Dominum ut bona quæ de vobis retulit placita sibi plenius faciat operatione clarescere. Concilium itaque quod congregare disponitis, dum Deo fuerit solatiante peractum, de ejus nos unitate atque concordia lætificate, ac reddite per omnia certiores.

## EPISTOLA L.

AD THEODORUM EPISCOPUM.

*Ipsum laudat quod sacerdotum vitam sollicite perscrutetur ac renuntiet. Paulum episcopum in monasterio ad pœnitentiam permanere præcipit. Hujus describendas res ac servandas. De Bonifacio graviter accusato inquirendum.*

Gregorius Theodoro episcopo [a] Lilibætano.

Fraternitatis tuæ grata nobis omnino sollicitudo est, quia ea quæ de sacerdotum vita cognoscit, et perscrutari curat, et investigata renuntiat. **661** [b] Ut ergo in hac sollicitudine quam in te laudamus possis sine diminutione persistere, studiosus esto ac vigilans; et si quos illic a quibuslibet, quod absit, excessus perpetrari cognoveris, siquidem tales sunt qui emendari ibidem possint, rationabiliter emendentur; alioquin fratri nostro Maximiano episcopo scriptis renuntiare festina, ut quid fiendum sit a vobis informatus agnoscat. Nulla igitur res ab investigatione pravorum actuum vel insinuatione te revocet. Nam quanto vigilantiam tuam modo laudamus, tanto culpabilior invenieris, si hujusmodi actus qualibet dissimulatione celaveris.

Paulum præterea quondam episcopum, in monasterio in quo est, in pœnitentia volumus permanere. Res autem quæ apud eum inventæ sunt, in [c] cimiliarchio ecclesiæ tuæ servare modis omnibus studebis. De quibus etiam secundum [d] rerum inventarum paginam [e] desusceptum te facere volumus, et in [f] scrinium ecclesiæ tuæ transmittere. Sed et clericis ejus, si tamen illic aliqui præsentes sint, [g] a pari aliud facere desusceptum te convenit, in quo tua fraternitas fateatur quia desusceptum de eisdem rebus in scrinio nostro emiserit, quatenus, dum necesse fuerit, competenti personæ res omnes possint sine detrimento restitui.

De Bonifacio vero quædam gravis ad nos accusatio pervenit, cujus scelera volumus utrum vera sint ut fraternitas tua cum [h] loci servatore prætoris examinet.

## EPISTOLA LI.

AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*De miraculis Patrum in Italia factis scribere cogitans, Maximianum rogat ut ea quorum meminit indicet.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Fratres mei qui mecum familiariter vivunt omni modo me compellunt aliqua de miraculis Patrum quæ in Italia facta audivimus sub brevitate scribere. Ad quam rem solatio [a] vestræ charitatis vehementer indigeo, ut ea quæ vobis in memoriam redeunt, quæque cognovisse vos contigit, mihi breviter indicetis. [b] De domno enim Nonnoso abbate, qui juxta domnum Anastasium de Pentomis fuit, aliqua retulisse te memini, quæ oblivioni mandavi. Et hoc igitur, et si qua sunt alia, tuis peto epistolis imprimi, et mihi sub celeritate transmitti, si tamen ad me ipse non properas.

## EPISTOLA LII.

AD PRISCUM PATRICIUM.

*Ex prosperitatis et adversitatis vicissitudine humilitatem suadet. Gratulatur de recuperata impp. gratia. Sabinianum et Castum commendat.*

Gregorius [a] Prisco patricio Orientis.

Si vitæ istius cursum veraciter attendamus, nihil

---

C, etc., necnon in vet. Excusis. Duo Vaticani non diverso sensu habent, *consilii vestri adhibete participes*. Recentiores vero Vulgati, *concilii vestri*.

[c] Vatic. B, *ut amicos nostros*.

Epist. L [*Al.* 49]. — [a] Diversimode scribitur. In Normannis, Vaticanis tribus consentientibus, *Lillibitano*, vel *Lilibitano*. In Vatic. B, *Libuitano*. In Colb., *Liuvitano*. In Audeg., *Tillibitano*. Lilibæum urbs erat Siciliæ olim celeberrima, cui successit quæ vulgo nunc *Marsalla* dicitur, in valle Mazaræ, vulgo *Val di Mazara*. Lilibæum in conciliis maxime notum ex Paschasino hujus urbis episcopo, qui in concilio Chalced. sancti Leonis papæ legatus fuit.

[b] Vatic. C, *ut ergo hæc sollicitudo..... possit sine diminutione subs.*

[c] De cimiliarchio jam dictum ad epist. 20 lib. I, *Honorato*.

[d] Norm., *rerum inventarii paginam*.

[e] Hoc est, *descriptum, exemplum, apographum*.

[f] Scrinia sunt capsæ, loculi, armaria, in quibus acta asservantur : Gallis, *le trésor*. Hinc scriniarius, chartophylax, aut, ut melius Suidas, chartularius. Legitur etiam Græce σκρίνιον et σκρινιάριος. Vide in Cod. lib. XII, tit. 19. Varia erant scrinia, libellorum, memoriæ, dispositionum, epistolarum; item sacrarum largitionum, tabulariorum, numerariorum, etc. Apud Budæum scriniorum alia erant stataria, alia viatoria, etc. Gussanv. Vide apud Cassiodorum, lib. XI Var., cap. 20, 21, 22, 24.

[g] Sive *a paribus*. Vide quæ de hac voce diximus ad epist. 25 lib. I.

[h] Non recipienda Vulgatorum lectio, *loci servatore prætore*, loci prætoris servator erat ejus vicarius. Vide, supra, lib. II epist. 32.

Epist. LI [*Al.* 50]. — [a] In Vatic. A et B, *vestræ veritatis*.

[b] Is monasterii in monte Soracte positi fuit præpositus, *sub Patre asperrimo*, inquit Gregorius, Dialog. lib. I, c. 7. Postea vero abbas ejusdem forte monasterii. *Domnum* illum appellat sanctus Gregorius, et quidem ex regulæ sancti Benedicti decreto, cap. 63, *abbas autem, quia vices Christi agere creditur, Dominus et abbas vocetur*.

Epist. LII [*Al.* 51]. — [a] Nempe dux Orientalis exercitus, in locum Philippici ab imperatore Mauricio suffectus : vir strenuus, et qui egregia in bello Persico facinora gessit. Vide Simocattam. Errant qui eum Phocæ tyranni generum fuisse autumant, ut

in eo firmum, nihil invenimus stabile; sed quemadmodum viator modo per plana, modo per aspera graditur, sic nobis utique in hac vita manentibus nunc prosperitas, nunc occurrit adversitas; denique alternis sibi succedunt temporibus, et mutua se vice confundunt. Dum igitur omnia in hoc mundo [b] mutabilitatis ordo corrumpat, nec elevari prosperis, nec frangi debemus adversis: Tota ergo mente ad illum nos convenit anhelare, ubi quidquid est, firmum permanet, ubi non mutatur adversitate prosperitas. In hac ergo vita miro Dei omnipotentis moderamine idcirco agitur, ut vel prosperitatem adversitas, vel adversitatem prosperitas subsequatur, quatenus et humiliati discamus quidquid deliquimus [c] flere, et iterum exaltati adversitatis memoriam quasi humilitatis anchoram in mente teneamus. Non hoc ergo Creatoris nostri ira est deputanda, sed gratia; per quam discimus ut ejus dona tanto servemus verius quanto humilius tenemus.

Quia igitur perfectam vos dominorum gratiam auctore omnipotente Deo reparasse cognovimus, magna pro vobis exsultatione gaudemus, optantes ut vitam vestram rerum omnium gubernator et bonis semper præsentibus fulciat, et ad gaudia perpetua extendat. Hæc vobis ideo loquor, quia multum vos diligo, atque me a vobis diligi scio.

Sed hoc quod me diligitis, in latorem præsentium Sabinianum diaconum demonstrate, ut ubi usus exegerit, vestra patrocinia consequatur. Vir autem gloriosus Castus præco laudum vestrarum in Romanis partibus existit, quem vestræ excellentiæ paterna dilectione commendo.

## EPISTOLA LIII.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Responsionem de causa Joannis et Athanasii presbyterorum simulatam, ineptam, ac Joannis episcopi sanctitati nullatenus congruentem, scelesto juveni tribuit, ad cujus consilia nimium ille inflectebatur. Ut dicta causa juxta canones finiatur, instat acerrime. Sabinianum apocrisiarium suum commendat.*

Gregorius [a] Joanni episcopo Constantinop.

Quamvis causæ consideratio me movet, ad scribendum tamen et charitas impellit, quia et semel et bis sanctissimo fratri meo domno Joanni scripsi, sed non ejus epistolas recepi. Alter enim mihi sæcularis quidam sub ejus nomine loquebatur; quæ si epistolæ ejus fuerunt, ego vigilans non fui, qui longe de eo aliter credidi quam inveni. De causa enim reverendissimi viri Joannis presbyteri scripseram, atque de quæstionibus monachorum Isauriæ, quorum unus et in sacerdotio positus, in ecclesia vestra fustibus cæsus est; et rescripsit mihi, sicut ex nomine epistolæ agnosco, sanctissima fraternitas tua, quia nescierit de qua causa scriberem. Ad quod rescriptum vehementer obstupui, mecum tacitus volvens, si verum dicit, quid esse deterius potest, quam ut agantur talia contra servos Dei, et ipse nesciat qui præsto est? Quæ enim potest esse pastoris excusatio, si lupus oves comedit, et pastor nescit? Si autem scivit sanctitas vestra, et de qua causa scripserim, et quid vel contra Joannem presbyterum, vel contra Athanasium Isauriæ monachum atque presbyterum gestum sit, [b] et mihi scripsit, nescio; contra hoc ego quid respondeam, quando per Scripturam suam Veritas dicit: *Os quod mentitur, occidit animam* (*Sap.* I, 11). Requiro, frater sanctissime, illa tanta [c] abstinentia ad hoc pervenit, ut fratri suo ea quæ novit gesta, negando velit abscondere? nunquid non melius fuerat in illud os carnes ad vescendum ingredi, quam de eo falsum sermonem ad illudendum proximum exire? præcipue cum Veritas dicat: *Non quod intrat in os coinquinat hominem; sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* XV, 11). Sed [d] absit hoc, ne ego de sanctissimo corde vestro tale aliquid credam. Illæ epistolæ vestro nomine prænotatæ sunt, sed vestras eas fuisse non arbitror. Ego beatissimo viro Domno Joanni scripseram, sed credo quod mihi familiaris vester ille juvenculus rescripsit qui adhuc de Deo nihil didicit, qui viscera charitatis nescit, qui [e] in scelestis rebus ab omnibus accusatur, qui insidiari quotidie diversorum mortibus per occulta testamenta, nec Dominum metuit, nec homines erubescit. Mihi crede, frater sanctissime, [f] si zelum veritatis perfecte habes, ipsum prius corrige, ut ex his qui vobis vicini sunt etiam ii qui vicini non sunt exemplo melius emendentur. Illius linguam noli recipere; ille ad consilium vestræ sanctitatis debet dirigi, non autem sanctitas vestra ad verba illius inflecti. Si enim illum audit, scio quia pacem cum suis fratribus habere non poterit. Ego enim attestante mihi conscientia, fateor quia cum nullo homine habere scandalum volo, et quanta valeo virtute declino. Et quamvis cum omnibus hominibus pacem habere summopere cupiam, vobiscum præcipue, quos vehementer amo, si tamen ipsi quos novi vos estis. Nam [g] si canones non custoditis, et

Nicephorus et alii, nominis similitudine decepti. Litem dirimunt Cedrenus et Michael Glycas, qui Crispum Phocæ generum nuncupant; sed et Paulus Diaconus, qui in lib. IV Hist., c. 27, ait Phocam fuisse Stratorem Prisci Patricii. GUSSANV.

[b] Vulgati, *mutabilitatis ordo confundit*. Quam lectionem mutare cogit Mss. Vatic., Norm., Turon., Corb., etc., consensus.

[c] Abest *flere* a plerisque Mss. sine sensus jactura.

EPIST. LIII [*Al.* 52]. — [a] De Joanne CP. lege quæ diximus ad epist. 4, lib. I. De causa vero Joan. presbyteri et monachorum Isauriæ plura in Vita sancti Gregorii dicturi sumus libro II.

[b] Corruptum hunc locum sanavimus, juvantibus præsertim Mss. Norm. In Vulgatis non una est lectio. In Ed. Rom. lego: *et nihil scripsit contra hoc, ego nescio, quid respondeam.* In Gussanv., *et mihi scripsit, contra hoc ego nescio quid respondeam, quando per scrip.*

[c] Ob quam *Jejunator* cognominatus est.

[d] Excusi, *absit hoc, ut ego*. Sequimur Mss. Vatic., Norm., Corb., invicem consentientes.

[e] Edit. ante Gussanv., *in scelestibus rebus*. Reluctantur Mss.

[f] Ed. recentiores, *si zelum charitatis*, contradicentibus Mss.

[g] De canonum observatione ubique sollicitus est

majorum vultis statuta convellere, non cognosco qui estis. Age ergo, frater sanctissime atque charissime, ut nos invicem recognoscamus, ne si antiquus hostis duos per scandalum moverit, per nequissimam victoriam multos necet. Ego enim ut aperte indicem, **664** quia [h] per elationem nil quæro, si ille juvenculus de quo prælocutus sum apud fraternitatem tuam culmen pravæ actionis minime teneret, ipsa etiam quæ mihi de canonibus suppetunt interim tacere potuissem, et ab ipso initio venientes ad me personas ad eam fiducialiter retransmisissem, sciens quod eas sanctitas tua cum charitate susciperet. Sed etiam nunc dico, aut easdem personas in suis ordinibus suscipe, eisque quietem præbe; aut si hoc fortasse nolueris, omni mihi altercatione postposita, de eorum causa statuta majorum et canonum terminos custodi. Si vero neutrum feceris, nos quidem rixam inferre nolumus, sed tamen venientem a vobis non devitamus. Quid autem [i] de episcopis qui verberibus timeri volunt, canones dicant, bene vestra fraternitas novit (*Grat. dist.* 45, *c.* 1). Pastores etenim facti sumus, [k] non persecutores. Et egregius prædicator dicit: *Argue, obsecra, increpa, in omni patientia et doctrina* (*II Tim.* IV, 2). Nova vero atque inaudita est ista prædicatio, quæ verberibus exigit fidem. Sed de his multa in epistolis loqui non debeo, quia dilectissimum filium meum Sabinianum diaconum pro responsis ecclesiasticis faciendis ad Dominorum vestigia transmisi, qui vobiscum cuncta subtilius loquetur. Si nobiscum litigare non vultis, paratum eum ad omnia quæ justa sunt invenietis. Quem vestræ beatitudini commendo, ut saltem ipse domnum illum Joannem inveniat, quem ego in urbe regia scivi. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 44; *l.* III, *c.* 9.)

## EPISTOLA LIV.

### AD THEOTIMUM MEDICUM.

*Post amicissimam salutationem commendat Sabinianum.*

Gregorius Theotimo medico.

Fuerunt quidam veteres philosophorum qui in duobus corporibus unam esse animam dicerent, [a] non affectu jungentes duos, sed unam in duos animæ substantiam partientes. At contra nos esse in multis unam animam dicimus, non dividendo substantiam, sed corda jungendo. Nam de illis primis fidelibus scriptum est: *Erat in eis cor unum, et anima una* (*Actor.* IV, 32). Quod ego sic in Actibus apostolorum lego, ut in me et domno Theotimo recognoscam, quia sic unanimis mecum est, **665** ut mihi et præsens corpore, nunquam defuerit, et absens corpore, semper per spiritum præsens fiat. Ago autem omnipotenti Deo gratias, [b] qui charitatis suæ gratia, mentis vestræ viscera infundit; et deprecor ut magis magisque in vobis dona sua augeat, et hic bona nobis præsentia, et in futuro sæculo gaudia æterna concedat. Filium meum Sabinianum diaconum venientem charitati vestræ commendo, petens ut eo amore quo me diligitis etiam nostros ametis [c].

## EPISTOLA LV.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*Agathonis episcopi in quem districte fuit vindicatum sustentationi providet.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Postquam in [a] Agathonem quondam episcopum, juxta qualitatem excessuum districtione est canonica vindicatum, necesse est, humanitatis intuitu, quemadmodum sustentari possit disponere. Propterea fraternitas tua ad Liparitanam Ecclesiam, in qua supradictus Agatho sacerdotis gessit officium, festinet dirigere, eique ad præsens exinde quinquaginta solidos, qui in ejus possint proficere victum, transmittat. Nam nimis est impium si alimoniorum necessitati post vindictam subjaceat.

## EPISTOLA LVI.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Ne in plateis pallium ulterius ferat, nisi a Romanis pontificibus id sibi concessum ostenderit. Ne in secretario ipso, cum pallio deinceps sedeat. In quosdam e clericis suis inquirat; contumacibus interdicat sacro ministerio. Primis duntaxat Ravennatis Ecclesiæ diaconibus mappularum usum concedit.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennati.

Non multum temporis intervallum est (*Grat. dist.* 100, *c.* 7) quod quædam nobis de tua fraternitate fuerant nuntiata, de quibus vobis, veniente illuc Castorio, notario sanctæ cui, Deo auctore, præsidemus Ecclesiæ, subtiliter nos indicasse meminimus. Pervenerat namque ad nos quædam in Ecclesia vestra contra consuetudines atque humilitatis tramitem geri, quæ sola, ut bene nostis, est officii sacerdotalis erectio. Quæ si sapientia vestra mansuete vel cum episcopali suscepisset studio, non de illis accendi debuerat, sed oportuerat te hæc eadem cum gratia-

sanctus Gregorius infra: *statuta majorum, et canonum terminos custodi.*

[h] Recentioribus magis placuit: *per elationis tumorem*, quod ex codicibus nostris saltem antiquis nullus habet.

[i] Intelligitur in eamdem sententiam c. 28 apost., in Græco 26, de clerico percussore. Supra, epist. 45, Espensæus fuit indicatus. Vide Gregorii Turon. episcopi libri Hist. VIII cap. 39, de Baudegisilo Cenomanorum episcopo. Hic notare libet percussionem causa correctionis olim licuisse, saltem pro gravioribus et mortalibus culpis, ex Bracar. III, c. 6; Agath., c. 41. Non debet tamen episcopus suis manibus verberare, neque per laicum, sed per clericum. Extra. de sent. excomm., c. *Universitatis.* GUSSANV. Publicæ virgarum percussioni addictum ab episcopo clericum canonicum, sæculo XII, refert auctor Vitæ sancti Thomæ Cantuar.

[k] Ita Norm., Corb., Vatic., B, C, D, Reg., etc. In Excusis *non percussores.*

EPIST. LIV [*Al.* 66]. — [a] Ita quatuor Vatic., Norm., etc., ubi Editi: *non affectus.* Consule Augustinum, lib. IV Confess., ubi hanc veterum philosophorum sententiam fusiori stylo explicat.

[b] Excusi, *qui charitatis suæ gratiam, in mentis vestræ visceribus infundit.*

[c] In Vulgatis additur, *Data indict.* 11.

EPIST. LV [*Al.* 53]. — [a] Agatho vel Agathus Liparensis episcopus ob crimina depositus est ex hac epist. Ex Epistola autem 16 et 20, ind. 10, Paulinus Taurianensis Ecclesiæ episcopus ei suffectus est. Novi antistitis Liparitani meminit sanctus Gregorius, epist. 22 lib. VII, Cypriano diacono. GUSSANV.

rum actione corrigere. Contra morem quippe ecclesiasticum est (*Grat. dist.* 100 *c.* 8), si non patientissime toleratur, **666** quod a nobis absit, etiam injusta correctio.

Mota autem nimis est vestra fraternitas, atque cum tumore cordis quasi satisfaciens, scripsit nobis pallio te non nisi post dimissos de [a] secretario filios Ecclesiæ, et [b] missarum tempore, atque in litaniis uti solemnibus, verbis aliquid te usurpasse contra generalis Ecclesiæ consuetudinem apertissima veritate professus. Quomodo enim fieri potest ut illud cineris atque cilicii tempore per plateas inter populorum strepitus agas licite, quod te agere [c] in conventu pauperum, nobilium, et in secretario Ecclesiæ velut illicitum excusasti? Illud tamen (*Grat. ibid.*), frater charissime, tibi non putamus ignotum, quod pene de nullo metropolita in quibuslibet mundi partibus sit auditum extra missarum tempus usum sibi pallii vindicasse. Et quod bene hanc consuetudinem generalis Ecclesiæ noveritis, vestris nobis manifestissime significastis epistolis, quibus præceptum beatæ memoriæ decessoris nostri Joannis papæ nobis in subditis transmisistis annexum, continens omnes consuetudines ex privilegio prædecessorum nostrorum concessas vobis Ecclesiæque vestræ debere servari. Confitemini igitur aliam esse generalis Ecclesiæ consuetudinem, postquam ea quæ vos geritis vobis ex privilegio vendicatis. [d] Nulla ergo nobis in hac re ut arbitramur, poterit remanere dubietas. Aut enim mos omnium metropolitarum etiam a tua est fraternitate servandus, aut si tuæ Ecclesiæ aliquid specialiter dicis esse concessum, [e] præceptum a prioribus Romanæ urbis pontificibus, quo hæc Ravennati Ecclesiæ sunt concessa, a vobis oportet ostendi. Quod si hoc non ostenditur, restat postquam talia agere neque consuetudine generali, neque privilegio vindicas, ut usurpasse te comprobes quod fecisti. Et quid dicturi sumus futuro judici, frater dilectissime, si illud grave jugum atque vinculum cervicis nostræ, non dico pro ecclesiastica, sed pro quadam sæculari nobis dignitate defendimus; gravari nos judicantes, si tanto pondere vel parvi temporis spatio careamus? Decorari pallio volumus, forsan moribus indecori, dum nihil in episcopali cervice splendidius fulget quam humilitas.

Oportet igitur fraternitatem tuam si honores suos sibi quibuslibet argumentis stabili proposuit mente defendere, [f] aut generalitatis usum ex non scripto sequi, [g] aut ex scripto privilegiis se tueri. Vel si postremo nihil horum est, aliis Metropolitis hujusmodi te præbere nolumus præsumptionis exemplum. Sed ne forte putes nos, hæc vobis scribentes, quæ pro fraterna sunt charitate neglexisse, [h] scitote in nostro scrinio de privilegio Ecclesiæ **667** tuæ subtiliter perquisitum. Et quidem quædam inventa sunt quæ omnino possint fraternitatis tuæ intentionibus obviare, nihil autem in quo de hujuscemodi capitulis pars vestræ possit Ecclesiæ roborari. Nam et de ipsa consuetudine tuæ quam opponis Ecclesiæ, quæ vobis olim, [i] ut a partibus vestris probaretur, scripsimus, jam satis nos sollicitudinem gessisse cognoscite, inquirentes filios nostros Petrum diaconum, atque Gaudiosum primicerium, necnon et Michaelium defensorem sedis nostræ, vel alios, qui pro diversis responsis Ravennam a nostris decessoribus sunt transmissi, et hæc te in præsentia sua egisse districtissime negaverunt. Apparet igitur secreto non potuisse geri, nisi quod usurpabatur illicite. Unde quod latenter subintroductum est, nulla debet stabilitate persistere. Quæ ergo superflue a te vel a tuis decessoribus sunt præsumpta, cum charitatis intuitu, atque cum fraterna stude benignitate corrigere. Nullatenus, non dico per te, sed per aliorum vel decessorum tuorum normam ab humilitatis tentes regula deviare. Ut enim ea quæ superius dixi breviter colligam, admoneo quatenus nisi decessorum meorum munificentia tibi hæc per privilegium attributa docueris, [k] uti in plateis pallio ulterius non præsumas;

EPIST. LVI [*Al.* 54]. — [a] Lege epist. 19 lib. I.

[b] Pallium non toto tempore missæ episcopos gestasse, sed tantum usque ad recitationem Evangelii, patet ex Isidoro Pelusiota, lib. I, epist. 136. Tunc enim assurgere solebant, et deponere pallium, quasi adveniente vero pastore Christo. Vide synodum VIII, contra Photium, act. 10, can. 27, Græcis 14. Ita etiam refert Simeon Thessalonic., lib. de Templo et Missa : *Dum Evangelium legitur, pontifex pallium deponit, servitutem ac subjectionem suam erga Dominum demonstrans. Quoniam enim ille per Evangelium loqui cognoscitur, et tanquam præsens est, ipse tunc symbolum incarnationis ejus gestare non audet, sed ab humeris sublatum diacono tradit, qui illud dextra complicatum tenet ipsi pontifici astans et sacra dona præcedens.* GUSSANV.

[c] Qui sint illi pauperes nobiles quæro. GUSSANV. Conjecturam nostram accipe. Post episcopum constabat Ecclesia clericis et laicis. Clericos dicit Ecclesiæ milites, lib. III, epist. 31, atque alibi passim. Laicos hic vocat Ecclesiæ filios, e quibus honoratiores appellare solet ordinem, cæteros plebem; lib. I, epist. 60; lib. II, epist. 8; lib. hujus epist. 14. De episcopo eligendo inscribit, *clero, ordini et plebi;* quos passim *ordinis*, hic *nobilium* titulo; quos vero *plebis*, paupe-rum forsan nomine distinguit.

[d] Excusi, si veteres excipias, *nulla ergo vobis;* contradicentibus Mss.

[e] Sic legitur in Vatic., Norm., etc.; unde emendanda vulgata lectio : *Aut si... concessum præceptumve a prioribus Romanæ urbis pontificibus, quod*, etc., ex quibus sensus alius efficitur.

[f] Adderem consuetudinem specialem istius loci, licet non scriptam, sed testibus probandam. Id enim videtur sufficere. GUSSANV.

[g] Ita vet. Ed., consentientibus Mss. In Norm. tamen et in duobus Vatic., in Rhemensi et Turon., pro *se tueri*, legitur *se uti*.

[h] Ad hunc locum sic Alteserra : *Privilegium est suspectum, si non inveniatur in camera beati Petri, id est in archivo sedis apostolicæ, cap. Ad audientiam, extra. de præscr.* GUSSANV.

[i] Recentiores Ed., *a patribus*. Reluctantur vet. exemplaria.

[k] Ita Norm., Turon., duo Vatic. et alii. In Vatic. A et in Reg. legitur : *ut in plateis pallium ulterius non præsumas.* Excusi addiderunt *ferre*, scilicet : *pallium ulterius ferre non præsumas.* Cæterum de pallio alibi sæpe, maxime in commentariis de sancti Gregorii vita, quos, indice duce, consulere licet.

ne non habere et ad missas incipias quod audacter et in plateis usurpas. De secretario autem, quod fraternitas tua resedisse cum pallio, et filios Ecclesiæ suscepisse et fecit et excusavit, nunc interim nihil querimur, quia synodorum sententiam sequentes, minores culpas quæ negantur ulcisci recusamus. Hoc tamen quia semel et iterum sit factum cognovimus, sed fieri ulterius prohibemus. Fraternitas autem tua sit omnino sollicita, ne hoc quod præsumptioni inchoanti adhuc ceditur, in proficiente deterius vindicetur.

Conquesti præterea estis quod quidam de sacerdotali ordine Ravennatis civitatis, peccatis imminentibus, gravibus sint criminibus involuti. Quorum causam vel illic te discutere volumus, vel huc eos, [1] si tamen probationum difficultas pro locorum longinquitate non impedit, ad hæc ipsa discutienda transmittere. Quod si vel ad tuum judicium vel ad nos, majorum fulti patrocinio, quod non credimus, venire despexerint, et in objectis sibi capitulis contumaciter [m] respondere nequiverint, volumus ut eis post secundam et tertiam admonitionem tuam, ministerium sacri interdicas officii; atque nobis de contumacia eorum scriptorum tuorum tenore renunties, ut deliberemus quemadmodum actus eorum debeas subtiliter perscrutari, atque secundum definitiones canonicas emendare. Cognoscat igitur fraternitas tua de causa hac nos plenissime absolutos, ex eo quod vobis [n] causas ipsas commisimus subtiliter perquirendas, atque omnia peccata eorum si inulte **668** venerint, omne pondus discussionis hujus in tuæ animæ redundare periculum; sciens nullam dilectionem vestram excusationem apud futurum judicem habituram, si non excessus cleri tui cum summâ canonici rigoris severitate correxeris, et hos quibus hæc fuerint approbata, sacros ulterius ordines temerare permiseris.

Illud autem (*Grat. dist.* 93, *c.* 22) quod pro utendis a clero vestro [o] mappulis scripsistis, a nostris est clericis fortiter obviatum, dicentibus nulli hoc unquam alii cuilibet Ecclesiæ concessum fuisse, nec Ravennates clericos vel illic vel in Romana civitate tale aliquid cum sua conscientia præsumpsisse, nec si tentatum esset ex furtiva usurpatione sibi præjudicium generari. Sed etiamsi in qualibet Ecclesia hoc præsumptum fuerit, asserunt emendandum, quod non concessione Romani pontificis, sed sola surreptione præsumitur. Sed nos servantes honorem fraternitati tuæ, licet contra voluntatem ante dicti cleri nostri, tamen primis diaconibus vestris, quos nobis quidam testificati sunt etiam ante eis usos fuisse, in obsequio duntaxat tuo mappulis uti permittimus, alio autem tempore vel alias personas hoc agere vehementissime prohibemus. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 2.)

## [a] EPISTOLA LVII.

JOANNIS RAVENNATIS EPISCOPI AD GREGORIUM PAPAM.

*Singulis sibi objectis submisse respondet, et Ecclesiæ suæ privilegia ex consuetudine tuetur; quæ ne minuantur postulat.*

Reverendissimus conservus meus Castorius, apostolicæ sedis vestræ notarius, reddidit mihi [b] domini mei epistolam, consortem mellis et vulneris. Quæ sic tamen infixit aculeos, ut locum non subtraheret medicinæ. Nam qui superbiam, divinum sequens judicium, reprehendit, merito se mitem ac placidum quodammodo profitetur.

Commemorastis igitur quod ego, novitatis ambitione, pallii usum supra quam antecessoribus meis indultum fuerat usurpassem. Quam rem proprii domini mei conscientia, quæ divina regitur dextera, nullo modo credere patiatur, nec opinionis incerto aures sacratissimas aperire. Primum, quia licet peccator, novi tamen quam grave sit terminos nobis a patribus affixos transcendere, et quod omnis elatio nihil aliud habeat quam ruinam. Nam si majores nostri in regibus [c] superbiam non tulerunt, quanto magis non est in sacerdotibus sustinenda? Deinde recolo me in sinu atque in gremio sacrosanctæ Ecclesiæ vestræ Romanæ enutritum, et Deo auxiliante provectum. [d] Et quibus ausibus ego sanctissimæ illi sedi, quæ universali Ecclesiæ jura sua transmittit, **669** præsumpserim obviare, propter cujus conservandam auctoritatem, sicut Deo manifestum est, multorum contra me inimicorum invidiam graviter excitavi? Sed beatissimus dominus meus nihil me

[1] Hoc se telo Patres Africani, adversus Zozimi commonitorium defendebant. Gussanv.

[m] Ita Vatic. C et D, Andoen., Gemet., Pratell., Lyran., quibus consentiunt vet. Excusi. In Vatic. A, *respondere vel noluerint, vel nequiverint.* In quatuor Anglic., Michael. et Sag., *respondere præsumpserint.* Recentiores Editi, *respondere noluerint.*

[n] Jure communi episcopus omnis de clericorum suorum causis judicat. Non ergo verbis istis delegatur a summo pontifice Ravennas episcopus, qui de clericis suis vice alterius cognoscat; sed illi tantum animus additur, ut causam de qua desperabat fidenter aggrediatur, certus Romanum pontificem allaboraturum, ut quæ juxta canones forent definita, executioni mandarentur. Auget.

[o] Duravit mappulæ sive sudarii linei usus, donec in ejus locum manipulus, jam non ad sordes tergendas, sed ad ornatum suffectus est circa sæculum decimum. Mappularum meminere nono sæculo Alcuinus et Amalarius. Vide Card. Bona, *de rebus Liturgicis*, lib. I, c. 24, § 1, et notam 736 nostri Menardi in librum Sacramentorum.

Epist. LVII [*Al.* 55]. — [a] Hæc epistola desideratur in Mss. Vatic., Anglic., Norm., Corb., Turon., etc. Exstat in Rhemensi, duobus Colbert. ac duobus Teller.

[b] In Rhem. abest, *domini mei.*

[c] Rhem., *superbiam contuderunt.*

[d] Rhem., *quibus excessibus illi sedi, quæ in universali Ecclesia jura.* Ad hæc verba Gussanv. notulam hanc attexuit: *agnoscit primatum.* Nec mirum ab episcopo Italiæ agnosci, quem longe positi ultro fatentur. Ex infinitis testimoniis unum aut alterum profero. Eugenius Carthag. episcopus Ecclesiam Romanam appellavit *caput omnium Ecclesiarum*, ut refert Victor Utic., lib. II Vand. Persecut., c, 15; Cyprianus epist. 59 novæ Edit. Oxon., versus finem: *Navigare audent, et ad Petri cathedram, atque ad Ecclesiam principalem unde unitas sacerdotalis exorta est, a schisma icis et profanis litteras ferre.*

contra priscam consuetudinem existimet attentasse, quod et a multis et prope [e] ab omnibus civibus hujus urbis attestatur, inter gesta etiamsi acquievisset, et suprascriptus reverendissimus notarius potuerat attestari, quoniam jam de secretario descendentibus filiis Ecclesiæ, et ingredientibus diaconibus [f] ut mox procedatur, tunc primus diaconus episcopo Ravennatis Ecclesiæ pallium consuevit induere, quo et in litaniis solemnibus uti pariter consuevit.

Nullus ergo contra me domino meo conetur subrepere, quia si vult, Deo custode, non potest probare quod a me aliqua novitas fuisset introducta. Qualiter enim jussionibus vel utilitatibus vestris, ubi causa exegerit, paruerim, omnipotens Deus cordi vestro purissimo faciat manifestum; et hoc peccatis meis imputo, quod post tot labores atque angustias, quas intus forisque sustineo, talem vicissitudinem merear invenire. Sed iterum me illa res inter alia consolatur, quod interdum sanctissimi patres ob hoc tantummodo [g] castigant filios suos ut eos faciant potiores; et post hanc devotionem ac satisfactionem sanctæ Ravennati Ecclesiæ, quæ peculiariter vestra est, non solum vetera privilegia conservetis, sed et majora vestris temporibus conferatis.

Nam quod de mappulis a presbyteris et diaconibus meis præsumptum apostolatus vester scribit, vere fateor, tædet me aliquid exinde commemorare, cum per se veritas, quæ apud dominum meum sola prævalet, ipsa sufficiat. Nam cum hoc minoribus circa urbem constitutis Ecclesiis licitum sit, poterit etiam apostolatus domini mei, si venerabilem clerum primæ apostolicæ sedis suæ requirere dignatur, modis omnibus invenire, quia quoties ad ordinationem episcopatus seu responsi sacerdotes vel levitæ Ravennatis Ecclesiæ Romam venerunt, omnes in oculis sanctissimorum decessorum vestrorum cum mappulis sine reprehensione aliqua procedebant. Quare etiam eo tempore quo istic a prædecessore vestro peccator ordinatus sum, cuncti presbyteri et diaconi mei in obsequium **670** domni papæ mecum procedentes usi sunt. Et quia prævidens Deus noster omnia in manu vestra et in conscientia purissima collocavit, adjuro vos per ipsam sedem apostolicam, quam antea moribus, nunc etiam honore debito gubernatis, ut in nullo Ravennati Ecclesiæ, quæ familiariter vestra est, pro meo merito privilegia quibus hucusque usa est, minuatis; sed et secundum vocem propheticam, in me, et in domo patris mei, secundum suum meritum transferatur. Quia ergo universa privilegia quæ sanctæ Ravennati Ecclesiæ a prædecessoribus vestris indulta sunt, pro majori satisfactione subjeci ea in scriniis venerabilibus secundum consecrationis decessorum meorum tempora, fidem nihilominus reperientes, nunc vero in Dei et in vestra est potestate quidquid veritate cognita fieri jusseritis, quoniam ego jussionibus apostolatus domini mei parere desiderans, quamvis antiqua consuetudo obtinuit, usque ad secundam jussionem abstinere curavi [h].

## EPISTOLA LVIII.

### AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Si non habet Cosmas unde solvat, cum illius creditoribus paciscatur; atque ejusdem filios, pactam summam persolvens, liberet.*

Gregorius Cypriano diacono.

Cosmas ex variis periculorum necessitatibus multis se dicit [a] debitis obligatum, ita ut pro eis a creditoribus suis suos dicat filios detineri. Quæ res si ita est, nos omnino commovit. Quamobrem hortamur dilectionem tuam, ut quia de rebus pauperum dandis agitur, causam ejus cum summa subtilitate perquiras; et si inveneris eum prædictis debitis veraciter involutum, ut non sit substantia unde possit hæc ipsa decessores tui habuisse noscuntur, præsenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui privilegium volumus permanere, quæ anterioribus temporibus Ecclesiæ tuæ constat esse servata, ut nihil prorsus de privilegiis ejus doleas diminutum. Et, *subscriptio domini papæ;* Deus te incolumem custodiat. Data x Kalend. Octobris, imperante dom. Justino Augusto. » Doctissimus Baluzius, qui ex Cod. Colb. præceptum hoc edidit, Miscellan. lib. v, recte censet scribendum ut in dicto Colb. *Justiniano*, pro *Justino*.

[e] Rhem. et Colb. antiq., *civibus hujus urbis, etiam inter gesta, si acquievisset sanctus reverendissimus notarius potuerat attestari.*

[f] *Procedere* proprie significat ad sacra convenire, maximeque dicitur de sacris personis, sicut *incedere* de magnatibus et regibus cum dignitate ac majestate ambulantibus; imo de diis, ut Juno, apud Maronem, Æn. I:

Ast ego quæ divum incedo regina.

Ibidem:

Et vera incessu patuit dea.

De hoc verbo sæpe alibi, maxime in nota 471 ad lib. Sacram.

[g] Lege in hanc rem multa quæ sanctus Joannes Climacus refert exempla in quarto Scalæ gradu, num. 26, 29, 31, 33, 34, etc., et agnosces prælatorum miram prudentiam in puniendo, subditorum stupendam in patiendo obedientiam; ab illis decreta merito immerentibus supplicia, ab his quasi mererentur æquanimiter fuisse tolerata. GUSSANV.

[h] Post hanc epistolam in duobus Codd. Teller. et in antiquiori Colb. subjicitur privilegium a Joanne summo pontifice Ravennati Ecclesiæ concessum his verbis: « Exemplum præcepti: Dilectissimo fratri Petro, Joannes. Convenire novimus rationi ut eos amictu pallii decoremus, quos in illis civitatibus divina inspirante misericordia sacerdotii honor illuminat, in quibus hoc etiam illis qui præteritis temporibus fuere pontifices ab apostolica sede constat esse indultum. Ideoque charitati tuæ usum pallii, sicut

EPIST. LVIII [*Al.* 56]. — [a] Nota historia viduæ IV Reg. IV, et parabola Matth. XVIII. Romanorum vetustissimi lege XII tabularum permiserant viventis debitoris corpus secari, distrahi, dividi inter creditores. A. Gellius, lib. XX, c, 1. Postea debitores et qui se pro eis in nexum dabant, carceri mancipabantur, et verberibus ad creditoris nutum subdebantur. Livius, Annal. lib. VIII, meminit causamque notat refixi moris. Constantinus imp. pœna carceris liberat debitores fiscalium, Cod. lib. X, tit. 19, leg. 2. Diocletianus et Maximianus imperatores crudelissimi, ob æs alienum servire liberos creditoribus nolunt, ut habetur Cod. lib. IV, tit. 10, leg. 12. Justinianus in authent. 134, c. 7, cavet ne debitoris filius pro patre retineatur aut in pignus, aut in servile ministerium, aut in conductionem, creditoremque qui hanc in legem peccavit subdit pœnis corporalibus. Carcer autem est species servitutis. Vide sanctum Gregorium, dialog. lib. II, c. 27. In Galliis, mortui debi-

persolvere, prædictos creditores ejus adeas, et propter recolligendos filios ejus, quanta cognoveris quantitate componas. Et quia, sicut dictum est, hic non habet unde restituat, de rebus pauperum ex præsenti nostra auctoritate persolve; sciens quidquid illic te providente datum fuerit, patrimonii nostri pensionibus esse reputandum. [b] Mense Augusto, indictione 11. (*Vid. ep. 45 indict.* 12. *Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## 671 EPISTOLA LIX.

AD SECUNDINUM EPISCOPUM.

*Baptisterium de monasterio auferatur, ut monachis liceat opus Dei securius celebrare.*

Gregorius Secundino episcopo [a] Tauromenitano.

Pridem præcepimus (*Grat.* 18, *q.* 2, *c.* 7) ut de monasterio sancti Andreæ, quod est super Mascalas, baptisterium [b] propter monachorum insolentias debuisset auferri, atque in eodem loco quo fontes sunt altare fundari. Cujus rei perfectio hactenus est protracta. Admonemus igitur fraternitatem tuam ut nullam jam moram post susceptas præsentes litteras nostras inserere debeas; sed, repleto [c] loco ipsorum fontium, altare ad sacra celebranda mysteria illic sine aliqua dilatione fundetur; quatenus et prædictis monachis opus Dei securius liceat celebrare, et non de negligentia vestra contra fraternitatem tuam noster animus excitetur.

## EPISTOLA LX.

AD ITALICAM PATRICIAM.

*In ipsis pauperum causis, ne litigiis immisceatur, silentium eligit. Cypriano potestatem facit ut cum Italica, si id ipsa velit, salvo pauperum jure, causam absque lite finiat.*

Gregorius [a] Italicæ patriciæ.

Suscepimus plenas dulcedine litteras vestras, atque incolumitatis excellentiæ vestræ nos lætificavit auditus. Circa quas tanta est nostræ mentis sinceritas, ut nihil in earum tranquillitate simultatis reconditum, paternus nos suspicari permittat affectus. Sed omnipotens Deus faciat, ut sicut de vobis nos bona sentimus, ita mens vestra nobis bona respondeat, et dulcedinem, quam verbis impenditis, exhibeatis operibus. Nihil enim prodest gloriosissima sanitas et

toris corpus invadunt creditores, et sepeliri vetant; viventem carceri tradunt. Sanctus Joannes Chrysostomus, hom. 62, in Matth. XVIII, adversus creditores immisericordes animose invehitur, eos potissimum qui sibi obnoxios agricolas durius exagitant. Sanctus Augustinus, serm. Domini in monte, lib. II, Christi doctrinam explicans de debitis dimittendis, vult quidem admoneri debitores de suo officio, negat compellendos inclementer; docet relaxanda potius esse debita. AUGET.

[b] Id tantum legimus in Turon. S. Gat., in Colb. vet. et in Vatic. A.

EPIST. LIX [*Al.* 57]. — [a] Id omittitur in omnibus Vatic., Norm., Colbert., Corb., etc. Secundinum tamen fuisse Tauromenitanum episcopum, constat ex multis ad eum scriptis epistolis.

[b] Quod nempe monachis id molestum esset atque insolitum. Eadem ratione baptisterium in monasteriis prohibetur, qua ibidem prohibentur missæ publicæ, *ne in servorum Dei recessibus popularis conventus detur occasio*. Vide sup., lib. II, epist. 41. Gratianus hunc locum referens pro, *insolentias*, habet *molestias*.

A pulchritudo in superficie corporis, si vulnus latet intrinsecus. Atque illa magis cavenda est discordia, cui satellitium pax præbet [b] exterior. Illud vero quod in epistolis prædictis revocare in memoriam nostram excellentia vestra studiose contendit, sciat scriptum vobis, nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobiscum nos velle de causis pauperum definire. Hoc nos et scripsisse meminimus; et scimus nosmetipsos, juvante Domino, a causarum litigiis ecclesiastica moderatione compescere, atque secundum apostolicum illum sensum, rapinam bonorum nostrorum cum gaudio sustinere. Sed illud scire vos credimus, taciturnitatem atque **672** patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam. Unde et nos explentes supra memoB ratam promissionem nostram, jam de causis ipsis prævidimus reticendum; nec in his in quibus minus agi benigne sentimus, desideramus nos per nosmetipsos immiscere negotiis. Sed ne forte ex his conjiciatis, gloriosa filia, ea quæ ad concordiam pertinent adhuc nos omnino renuere, filio nostro Cypriano diacono venienti ad Siciliæ partes indiximus, ut si quid de his salubriter et sine peccato animæ vestræ ordinare disponitis, ex nostra auctoritate vobiscum definiat, et nos non amplius illis vexemur negotiis, quorum cum mansuetudine [c] est dispensatus effectus. Deus autem omnipotens, qui ea quæ omnino impossibilia sunt ad possibilitatem bene novit inflectere, ille vobis aspiret, et causas vestras cum pacis intentione disponere, et pro mercede animæ vestræ, de C rebus eis competentibus hujus Ecclesiæ consulere pauperibus.

## EPISTOLA LXI.

AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*Quomodo in Ecclesia sua conversari debeat.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Scripta tuæ charitatis accepimus, quibus nobis indicasti, Deo propitio, te bene a filiis tuis Neapolitanis civibus esse susceptum. De quibus omnipotenti Deo gratias retulimus. Oportet ergo affectui eorum te tuis moribus compensare, malos coercere, bonis

[c] Defossi erant intra terram baptisterii fontes, non, ut nostri, supra pavimentum eminebant. Id supponunt Chrysostomus, hom. 40, in cap. XV epist. I ad Cor.; Ambros. hom. 16, in ps. CXVIII. Gregorius ipse, in lib. Sacrament., de Sabbato Pentecostes. Isidorus Hispal., l. II de divinis Offic., c. 24, ubi in D ipsum baptisterii fontem tribus gradibus fuisse descensum aperte innuitur. Dispositionis illius vestigium plerisque in locis superest. De baptisterio Lateran. Onuphrius: *In medio habet fontem in terra excavatum ad quinque ulnas... tribus gradibus in id descensus est. Ulnam hic intellige* cum Suetonio cubitum, non cum Servio *spatium in quantum utraque extenditur manus.*

EPIST. LX [*Al.* 58]. — [a] Italicam Venantii, de quo epist. 34 lib. I, uxorem fuisse conjicimus ex epist. 123 lib. IX, ad utrumque scripta, ubi meminit Barbaræ et Antoninæ, quas Venantii filias fuisse constat.

[b] Vatic. D, *interior*.

[c] In Excusis, *est dispensandus effectus*. Aliam lectionem amplecti cogit Mss. Vatic., Norm., Reg., etc., consensus

te discrete atque benignissime relaxare, ad sequendas eos meliores partes frequentius admonere, quatenus et illi paternos in te mores invenisse se gaudeant, et tu creditam tibi regiminis causam, cooperante Domino, studiosius exsequaris.

## EPISTOLA LXII

### AD EUTYCHIUM EPISCOPUM.

*Ut in convertendis idolorum cultoribus perseveret hortatur. Ipsi prætoris postulat patrocinium.*

Gregorius Eutychio episcopo [a] Tyndaritano.

Scripta fraternitatis tuæ, Benenato Ecclesiæ tuæ clerico deferente, suscepi; gratiasque omnipotenti Deo retuli, quod in causis animæ et iis quæ ad Deum pertinent, te occupatum esse cognovimus. Scripsisti siquidem nobis quosdam idolorum cultores, [b] atque Angelliorum dogmatis in **673** iis in quibus constitutus es partibus inveniri, de quibus plures asseruisti esse conversos, aliquos autem potentum nomine atque locorum se qualitate defendere. Auxiliantes igitur bonis tuæ charitatis operibus, viro glorioso prætori Siciliæ nostra scripta transmisimus, quatenus, juvante Domino, qua potest tibi virtute concurrat, ut quod laudabiliter cœptum est, valeat salubriter adimpleri. Oportet ergo fraternitatem tuam, maximam in hoc sollicitudinem gerere. Vere enim episcopalem vitam sequeris, si per zelum linguamque tuam hos qui a fidei veritate dissentiunt in Ecclesiæ unitatem reduxeris.

## EPISTOLA LXIII.

### AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*De monasterio Gratiosæ abbatissæ consecrando.*

Gregorius [a] Fortunato episcopo Neapolitano.

Religiosis desideriis sine difficultate præstari decet effectum. Atque ideo Gratiosa abbatissa una cum congregatione sua, oblata petitione, [b] quæ tenetur in subditis, postulavit quod patriciæ recordationis Rustica per ultimum voluntatis suæ arbitrium in civitate Neapolitana, in domo propria, in regione Herculensi, [c] in vico qui appellatur Lampadi, monasterium construi voluerit ancillarum Dei, in quo præfatam Gratiosam abbatissam præesse disposuit; simulque et oratorium exstruxisse dignoscitur, cui et pro voto suo [d] quatuor uncias totius substantiæ suæ dimisisse suggessit, quodque in honorem beatæ Mariæ semper virginis, genitricisque Dei et Domini nostri Jesu Christi desideravit consecrari. Et ideo, frater charissime, præsenti præceptione dilectionem tuam duximus adhortandam, ut inspecto primitus testamento, si jure subsistat, et easdem quatuor uncias verissime eidem monasterio collatas esse compereris, ad prædictum locum cum postulaverint, ingravanter accedas, venerandæ solemnia dedicationis impendens, ut [e] quoties necesse fuerit, a presbyteris Ecclesiæ in suprascripto loco deservientibus **674** celebrentur sacrificia veneranda missarum; ita ut in eodem monasterio neque fraternitas tua, neque presbyteri præter diligentiam disciplinæ ali-

Epist. LXII [*Al.* 60]. — [a] Tynderis, vulgo adhuc *sancta Maria di Tindaro*, urbs olim Siciliæ episcopalis inter Mylas et Pactas, nunc excisa, in ora littorali quæ Liparæas insulas respicit. Gussanv. In quatuor Vatic., Norm., Rhem., Reg. et plerisque, legitur *Tindarino* vel *Tundarino*. In duobus Teller., *Londario*.

[b] Ita quatuor Vaticani, quinque Anglic., septem Norm., Rhem., etc. Angellii forte ii sunt de quibus Niceph. lib. xviii hist., c. 49: *Tertii*, inquit, *præterea Severitæ sunt... alium esse dicunt Patrem, alium Filium, et alium Paracletum, Spiritum videlicet sanctum; non esse autem horum quemque per seipsum naturam, sed habere communem Deum sive Deitatem in ipsis existentem; atque de ea Deitate indivisibili modo participantes, quemlibet esse Deum. Unam autem subsistentiam opinantur esse, Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum; communem vero ipsum Deum, substantiam et naturam. Cæterum Angeliticæ isti ab adversariis ita appellati sunt, a quodam Alexandriæ loco, Angelii nomen habente, in quo scilicet, qui primas apud eos ferunt, conventus cogebant. Hos iidem adversarii Sabellianistas... nominarunt.* Pro, *Angelliorum*, Editi legerunt *Angelorum*. Fuerunt sane olim qui in cultu angelorum insanirent. Augustinus, hæresi trigesima nona: *Angelici in angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defecisse testatur hæres.* 60. An disseminatos ab illis hæreticis errores, an alios hic intelligat Gregorius, incertum. Sanctus Paulus, ad Coloss. II, 18: *Nemo vos seducat volens in humilitate et religione angelorum.* Quæ Apostoli verba sic exponit Theodoretus: *Qui legem defendebant, eos etiam ad angelos colendos inducebant, dicentes legem fuisse per eos datam. Mansit autem perdiu hoc vitium in Phrygia et Pisidia. Proinde synodus quæ convenit apud Laodiceam Phrygiæ, lege prohibuit ne precarentur angelos*, can. 35..... *Illi ergo humilitate nimirum ducti hoc fieri suadebant, dicentes universorum Deum nec cerni, nec attingi, nec comprehendi posse, et oportere per angelos divinam sibi benevolentiam conciliare.* Ne vero cultum angelorum omnem ab Apostolo antiquisve Patribus damnatum cogites, audi nonnullos. *Angelos venerari*, inquit Eusebius Demonstr. Evang. lib. III, p. 107, *pro ratione graduque dignitatis edocti sumus, ut soli Deo, qui Rex est universi, adorationis honorem tribuamus.* Obsecrandos angelos asserit Ambros. lib. de Viduis. *Illorum enim intercessione*, inquit Hilarius, in ps. cxxix, *eget infirmitas nostra.*

Epist. LXIII [*Al.* 58]. — [a] Post depositionem Demetrii episcopi Neapolitani, cum Paulus Nepesinus episcopus, et postea Florentius ejus subdiaconus electionem de se factam renuissent, consentiente sancto Gregorio electus est Fortunatus ann. 595, qui subscripsit concilio Romano ann. 595. De Florentio vide, supra, epistolam 15. Gussanv.

[b] Id est, quæ huic epistolæ subditur et attexitur.

[c] Ita Vatic. B et D, Norm. omnes, Corb. et vet. Ed. In Vatic. A et C legitur: *in vico quondam Lampadi.* In recent. Vulgatis: *in vico in quo Lampadius monasterium ancillarum Dei constituit, sepelretur, in quo.* Hæc unde desumpta sint, nos latet, nec minus obscurum est quis his verbis sensus sit affingendus.

[d] Seu tertiam bonorum suorum partem.

[e] In monasteriis plures olim dies caruisse liturgia probat ex veterum monachorum regulis card. Bona de Rebus liturgicis lib. I, c. 18, num. 5. In præfat. ad II sæc. Bened., § 4, observat Mabillonius nondum quotidianam missæ frequentationem ita sacerdotibus in more positam fuisse sæculo septimo, ut singuli in dies ad altare sacra celebraturi accederent. Ex lib. IV Dialog., cap. 56, Cassius Narniensis episcopus *quotidianum offerre consueverat Deo sacrificium.* Alios nonnullos laudat ibidem Mabill. qui per sæculum septimum rem sacram quotidie frequentarunt: *id quod* inquit, *anterioribus sæculis non tam obvium videtur*

quid molestiarum inferat ; [f] aut si quid pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sibi æstimet vindicandum. Sive aurum, sive argentum, sive prædium, sive vestimentum, omnibus modis constructio præfata possideat, cum ancillis Dei in eodem loco deservientibus debeat proficere quidquid offerri ibidem contigerit.

## EPISTOLA LXIV.

AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM.

*Mevaniensi Ecclesiæ quærat episcopum, presbyteros ordinet, ibique consignet infantes.*

Gregorius Chrysantho episcopo Spoletano.

Ante hoc biennium fraternitati tuæ [a] Mevaniensis Ecclesiæ visitationis deputaveramus officium, in quo [b] more serinii nostri nihil vos de provectionibus facere voluimus clericorum. Nunc vero venientes huc præsentium portitores prædictæ Ecclesiæ clerici, dixerunt sacerdotem se neque in eadem Ecclesia, neque in ejus parochiis habere. [c] Hortamur igitur fraternitatem tuam ut si quidem talem potuerit reperire personam quæ digna ad episcopalis officii apicem valeat promoveri, huc eam cum solemnitate decreti vestrarumque testimonio litterarum celerius dirigatis. Sin vero hoc nunc inveniri non potest, cum omni studio ac vivacitate personas exquirite, quæ illic in presbyterii ordine valeant consecrari. Quarum vitam actusque subtili prius inquisitione discutite, ut in nullo eis vel sacri canones, vel ecclesiasticæ regulæ valeant obviare, ut hac provisione populus illic degens communionem, qua se privatos ob sacerdotum necessitatem flebiliter conqueruntur, recepisse se gaudeant, et in ecclesiis illis sacra missarum solemnia deesse non debeant. Sed et pro consignandis infantibus fraternitas tua illuc curet accedere, ut nihil sit quod pastoralis sollicitudinis neglecta vos cura remordeat.

## 675 EPISTOLA LXV.

AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*Precatur ut legem temperet vel immutet, qua tum publicis rationibus implicatos, tum milites, in monasteriis suscipi prohibuerat.*

Gregorius [a] Mauricio Augusto.

Omnipotenti Deo reus est, qui serenissimis dominis in omne quod agit et loquitur purus non est. Ego autem indignus pietatis vestræ famulus in hac suggestione neque ut episcopus, neque ut servus jure reipublicæ, sed jure privato loquor, quia, serenissime domine, ex illo jam tempore dominus meus fuisti, quando adhuc dominus omnium non eras.

Longino viro clarissimo [b] stratore veniente, dominorum legem suscepi ; ad quam, fatigatus tunc ægritudine corporis, respondere nil valui. In qua dominorum pietas sanxit ut quisquis publicis administrationibus fuerit implicatus, ei [c] ad ecclesiasti-

[f] Obscurus est hic locus in recentioribus Edit., maxime vitio interpunctionis, *inferant aut si quid.... vendicandum, sive aurum*, etc. ; sic tamen explicandus : *neque fraternitas tua sibi æstimet vindicandum, si quid*, etc. In Norm., in tribus Vatic. et in pleris-que legitur : *aut si quid pro diversorum devotione commod. accesserit, sive vestimentum candidum, cum ancillis Dei..... debeat proficere*, etc. In veteribus Vulg., consentientibus multis Mss., omittitur, *sibi æstimet vendicandum*.

EPIST. LXIV [*Al.* indict. 2 ; 76 *apud Guss., et in Vatic.* 77]. — [a] Vide lib. I, epist. 81.

[b] Hoc est, juxta formulam a scrinii nostri scribis observari solitam.

[c] Quærit anxie Gussanvillæus cui tunc esset commissa hujus Ecclesiæ cura, num alicui diacono, ut olim ex can. 77 Eliberit., num ostiario, ut ex quodam concilio Toletano. Si attendisset vir doctus ad epist. 81 libri I, olim 78, intellexisset sanctum Gregorium curam Eccl. Mevianensis commisisse Honorato presbytero. Pro consignandis vero infantibus, et aliis episcopalibus muniis obeundis, vicini haud dubie episcopi, ut hic Chrysanthus, opem adhibuerunt.

EPIST. LXV. [*Al.* 62]. — [a] In Vatic. B. et in nonnullis, *Mauricio Tiberio Augusto*. Mauricius genere Cappadox, vir strenuus, et bellica laude insignis. Hic, ob egregias animi dotes et præclara belli facinora, ab imperatore Tiberio Constantino consors imperii et gener factus est, data in matrimonium Constantina filia. Viginti annis summa cum laude imperium administravit, et tandem a Phoca vita simul et imperio privatus est una cum uxore et novem liberis : quod quidem ipsi justo Dei judicio contigisse ferunt, ob duodecim captivorum millia a Chagano Avarum duce trucidata, quos cum facile et parva pecunia potuisset, redimere noluerit. Nota est historia, quæ habetur apud scriptores maxime Græcos, Evagrium, Simocattam, Zonaram, Glycam, Cedrenum, Theophanem, Constantinum Manassem, Nicephorum Callistum, qui omnes mira de virtutibus ejus prædicant. Durius tamen habitus est a Latinis, et præsertim a Joanne Diacono, qui cum *avarissimum, simulque rapacissimum principem, Deo adversum ac tyrannum* nuncupavit. GUSSANV. Pluribus de hoc imperatore dicendis hic supersedemus, cum de ejus virtutibus ac vitiis disserendi commodiorem sæpe occasionem habuerimus in Vita sancti Gregorii, quam consule.

[b] Strator dictus, qui imperatorem in equum inferret, eique equum sterneret. Codicis titulus est *de Stratoribus*, lib. XII. Eorum erat equos qui a provincialibus conferebantur probare. His præerat πρωτοστράτωρ, apud Codinum, Gall., *le grand écuyer*. Absente magno domestico ensem gestabat imperatoris, etc. Patricii et suum quisque stratorem habebant ; nam et stratorem Prisci patricii et aliorum apud Theophanem reperio. GUSSANV.

[c] Non omnibus licebat esse clericis. Omnibus monasteria patebant ; scilicet quæ ad monasterium invitabant delicta, a clericatu arcebant, ut docet Nicænum concilium, canone 2, et epistola Siricii ad Himerium. Imo res administrasse publicas impedimentum erat. Innocentius I ad Victricium Rothomagensem episcopum : *Si quis post remissionem peccatorum cingulum militiæ sæcularis habuerit, ad clericatum admitti omnino non debet*. Et postea : *Quidam ex fratribus nostris curiales vel quoslibet publicis functionibus occupatos clericos facere contendant*, etc. Vide totam epistolam 2 et 24, et alios canones relatos distinct. 51 ; sanctum Gregorium (*Juxta ordinem antea vulgatum*), lib. VII, indict. 1, epist. 11, ad episcopos Siciliæ. Quinam vero sint isti curiales, et alii a clericatu prohibiti, explicat idem Innocentius, epist. 24, scilicet, advocati, milites, officiales, histriones. Legatur glossa in cap. 1, distinct. 51, et cap. 2, et in Decretal., lib. I, de obligatis ad ratiocinia. GUSSANV. Constantini Magni constitutione ratiociniis publicis obnoxii, et publicis officiis addicti arcentur a sacris ordinibus, nisi consensu principis. L. Officiales, c. *de episcopis et clericis*, lib. III Cod. Theodos., eodem tit. Hanc legem probavit Innocentius I, ne ecclesia de his ad ordinem revocatis tristetur, can. *aliquantos*, et seq., 51 dist. Eamdem legem a Mauricio instauratam lau-

sum officium venire non liceat. Quod valde laudavit, evidentissime sciens quia qui, sæcularem habitum deserens, ad ecclesiastica officia venire festinat, mutare vult sæculum, non relinquere. Quod vero in eadem lege dicitur, ut ei in [d] monasterium converti non liceat, omnino miratus sum, dum et rationes ejus possunt per monasterium fieri, et agi potest ut ab eo loco in quo suscipitur ejus quoque [e] debita suscipiantur. Nam etsi quisquam devota mente converti voluisset, prius res male ablatas redderet, et de sua anima tanto verius quanto expeditior cogitaret. In qua lege subjunctum est ut nulli qui [f] in manu signatus est **676** converti liceat. Quam constitutionem ego, fateor dominis meis, vehementer expavi, quia per eam cœlorum via multis clauditur, et quod nunc usque licuit, ne liceat prohibetur. Multi enim sunt qui possunt religiosam vitam etiam cum sæculari habitu ducere. Et plerique sunt, qui nisi omnia reliquerint, salvari apud Deum nullatenus possunt. Ego vero hæc dominis meis loquens quid sum nisi pulvis et vermis? Sed tamen quia contra auctorem omnium Deum hanc intendere constitutionem sentio, dominis tacere non possum. Ad hoc enim potestas super omnes homines [g] dominorum meorum pietati cœlitus data est, ut qui bona appetunt adjuventur, ut cœlorum via largius pateat, ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur. Et ecce aperta voce dicitur ut ei qui semel in terrena militia signatus fuerit, nisi aut expleta militia, aut pro debilitate corporis repulsus, Domino Jesu Christo militare non liceat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 50.)

Ad hæc, ecce per me servum ultimum suum et vestrum respondebit Christus, dicens : Ego te de notario comitem excubitorum, de comite excubitorum Cæsarem, de Cæsare imperatorem ; nec solum hoc, sed etiam patrem imperatorum feci. Sacerdotes meos tuæ manui commisi, et tu a meo servitio milites tuos subtrahis? Responde, rogo, piissime domine, servo tuo, quid venienti et hæc dicenti responsurus es in judicio Domino tuo?

Sed fortasse creditur quia nullus eorum puro animo convertatur. Ego indignus famulus vester scio quanti his diebus meis in monasterio milites conversi miracula fecerunt, signa et virtutes operati sunt. Sed per hanc legem jam ne quisquam talium converti debeat prohibetur.

Requirat, rogo, dominus meus, [h] quis prior imperator **677** talem legem dederit, et subtilius æstimet si debuit dari. Et quidem considerandum valde est quia eo jam tempore prohibentur quique relinquere sæculum, quo appropinquavit finis ipse sæculorum. Ecce enim mora non erit, et ardente cœlo, ardente terra, coruscantibus elementis, cum angelis et archangelis, cum thronis et dominationibus, cum principatibus et potestatibus tremendus judex apparebit. Si omnia peccata dimiserit, et solum hanc legem contra se dixerit esse prolatam, quæ, rogo, erit excusatio? Unde per eumdem tremendum judicem deprecor, ne illæ tantæ lacrymæ, tantæ orationes, tanta jejunia, tantæque eleemosynæ domini mei, ex qualibet occasione apud omnipotentis Dei oculos fuscentur; [i] sed aut interpretando pietas vestra, aut immutando vigorem ejusdem legis inflectat, quia tunc

---

davit Gregorius, sciens quia plerumque sæcularis, dum ecclesiasticum ordinem ambit, mutare vult sæculum, non relinquere; quod repetit infra, indict. 1, epist. 5, alias 11. ALTESERRA.

[d] Provehere ad honorem clericatus non licebat, imo nec ad honores, qualescunque debitores rerum publicarum in digestis, lib. L, tit. 4, in monasterio converti licebat, teste sancto Gregorio, nec tamen servi, invitis dominis, monasticam profiteri disciplinam poterant. De iis tamen qui rationibus publicis sunt obnoxii, id correxisse postea sanctum Gregorium liquet ex epist. 11 lib. VII, indict. 1. *Suscipiendi*, inquit, *non sunt, nisi prius a rationibus publicis absoluti.* GUSSANV.

[e] Sic legimus in quatuor Vatic., Norm., etc., ubi Vulgati habent, *debita solvantur*. Cum juxta novel. 5, cap. 4, res quascunque habuerat monachus, jam dominii essent monasterii, illius debita ab ipso monasterio persolvi æquissimum erat.

[f] Servos antiquitus fuisse signatos et litteratos, et punctis in cute victuris notatos, sciunt omnes; hinc proverbium : *Samiis nemo litteratior.* Similes notas militibus inurebant, stigmata inscribebant, aliquando per ignominiam, aliquando ut internoscerentur. Vegetius, lib. II, cap. 5 : *Victuris in cute punctis milites scripti et inserti jurare solent.* In Cod., lib. XI, tit, 9, de Fabricens. : *Stigmata, hoc est notæ publicæ Fabricensium brachiis ad imitationem tironum inſligantur.* Hinc Tertullianus, de Corona : *Expunctus miles qui missionem habet.* Et sanctus Cyprianus, ad Donatum : *Te quem jam spiritalibus castris militia signavit.* GUSSANV. Vide Procopium, in caput XLIV Isaiæ, ad illa : *Alius describet manu sua, Dei sum.* Τὸ δὲ, τῇ χειρὶ, διὰ τὸ στίζειν ἴσως πολλοὺς, ἐπὶ καρπῶν, ἢ βραχιόνων, ἢ τοῦ σταυροῦ τὸ σημεῖον, ἢ τὴν Χριστοῦ προσηγορίαν. Hoc est : *Quod autem* MANU *dixit, ideo forsan adjecit, quod Christi nomen permulti, vel crucis signum, in palmis aut brachiis inuri sibi curarent.* Hieronymus in illum locum : *Scribet in manu sua, Dei sum, ut novo tyrocinio servitutis Christi se militem glorietur.* Id etiam factitatum ab hæreticis refert Victor Utic., de Persec. Vandal., lib. II, init., ubi loquitur de quodam Clementiano, qui habebat in femore scriptum, *Manichæus, discipulus Jesu Christi.* Sex erant militi necessaria : 1° non sit negotiator; 2° examinetur; 3° præstet sacramentum; 4° ensis ei cingatur; 5° nota publica ejus brachiis inscribatur; 6° in album referatur, scribatur, GUSSANV.

[g] Imperatores plurali numero compellat, quod Theodosius puer jam anno 591 in societatem imperii a Mauricio patre suo fuisset accitus, ut jam observatum a nobis.

[h] Gussanvillæus sanctum Gregorium redarguens, *talem*, inquit, *legem ediderat Justinianus novel.* 5, *cap.* 2, *quam lector totam expendat velim, quoniam multa continet notabilia de monachis.* Laudatum caput sæpius perlegimus, nec ullum de militibus a monastica professione arcendis verbum nobis occurrit; imo permittit Justinianus servos ipsos invitis dominis ad vitam monasticam recipi, nisi eos aliquid furto abstulisse, aut alicujus sceleris reos esse probetur. Julianus quidem, cognomento Apostata, similem legem tulerat, ut docet sequens epistola, sed imperatoris refugæ exemplum ad se trahere non poterat pius imperator.

[i] Excusi, *sed aut temperando;* quod legitur in Gemet., Becc., ac nonnullis. At Vaticani quatuor, Aud., Lyr., Pratell., Reg., ac plerique, *interpretando.*

magis dominorum exercitus contra hostes crescit, quando Dei exercitus ad orationem creverit.

Ego quidem jussioni subjectus, eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci; et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nuntiavi. Utrobique ergo quæ debui exsolvi, qui et imperatori obedientiam præbui, et pro Deo quod sensi minime tacui.

## EPISTOLA LXVI.

AD THEODORUM MEDICUM.

*Ostensa latæ legis iniquitate, Theodorum hortatur ut epistolam suam imperatori offerens, ipsi de revocanda lege suadeat.*

Gregorius [a] Theodoro medico [b].

Quanta bona omnipotentis Dei et serenissimi domini mei imperatoris habeam, lingua mea non sufficit [c] explere. Pro quibus bonis quid est meum retribuere, nisi eorum vestigia pure amare? Peccatis autem meis facientibus, ex quorum suggestione vel consilio nescio, [d] transacto anno, talem in republica sua legem protulit, ut quisquis eum pure amat, flere vehementer debeat. Ad quam legem tunc respondere non potui, quia ægrotus fui. Modo autem eidem domino aliqua suggessi. Præcipit enim ut nullus qui actionem publicam egit, [e] nullus qui optio, vel manu signatus, **678** vel inter milites fuit habitus, ei in monasterio converti liceat, nisi forte si militia ejus fuerit expleta. Quam legem primum, sicut ii dicunt qui leges veteres noverunt, Julianus protulit, de quo scimus omnes quantum Deo adversus fuerit. Quod si ideo serenissimus dominus noster fecit, quia forte multi milites convertebantur, et exercitus decrescebat, nunquid per virtutem militum [f] subjugavit ei omnipotens Deus imperium Persarum? Nunquid non solæ lacrymæ illius auditæ sunt, et eo ordine quem ipse nescivit, ejus imperio Persarum imperium subdidit? Valde autem mihi durum videtur ut ab ejus servitio milites suos prohibeat, qui ei et omnia tribuit, et dominari eum non solum militibus, sed etiam sacerdotibus concessit. Nunquid si intentio est servandarum rerum, non poterant ea ipsa monasteria, quæ milites suscepissent, alienas res reddere atque ad conversionem homines tantummodo habere? Hæc quia mihi valde dolent, eidem domino suggessi. Sed vestra gloria opportuno tempore secrete suggestionem meam ei offerat. Nolo eam a responsali meo publice dari, quia vos qui ei familiarius servitis, loqui ei liberius et apertius potestis quæ pro ejus sunt anima, quoniam in multis est occupatus, et vix animus ejus invenitur a curis majoribus vacuus. Tu quidem, gloriose fili, pro Christo loquere. Si auditus fueris, [g] lucrum est animæ prædicti domini tui, et tuæ. Si vero auditus non fueris, lucrum solummodo tuæ fecisti.

## EPISTOLA LXVII.

AD DOMITIANUM METROPOLITANUM.

*Allatam dudum a se raptus Dinæ, Genes.* XXXIV, *juxta spiritalem sensum expositionem propugnat. Domitiano gratulatur, tum quod sæcularibus causis occupatus Scripturas meditetur, tum quod Persarum imperatori fidem prædicaverit.*

Gregorius [a] Domitiano metropolitano.

Scripta dulcissimæ et suavissimæ beatitudinis vestræ suscipiens, valde gavisus sum, quia multa mihi de sacra Scriptura loquebantur. Et quia dilectas

EPIST. LXVI (*Al.* 65). — [a] Erat hic Mauricii imperatoris archiater, vir ingenio sagax et eloquens, inquit Simocatta, lib. VI, cap. 11, et ex eo Nicephorus, lib. XVIII, cap. 29. Illum oratorem ad Avarum regem felici exitu misit Priscus Patricius, dux exercitus Mauricii, et præfectus Orientis. De qua re vide auctores citatos, et historiam Miscell., lib. XVII, ad ann. 13 Mauricii. GUSSANV.

[b] Post *medico* in Excusis legitur, *etc.*, quod solis in Colbert. offendimus.

[c] Id est, *explicare*, ut etiam legitur in Vatic. B.

[d] Vitiose ac contra Mss. fidem additur in Editis *an vestro*.

[e] Sic legendum ex Mss. Norm., Corb., Turon. Reg. et omnibus quos mihi consulere licuit. Nullus autem dubito quin ita legatur in Mss. Anglic., Vatic. et aliis optimæ notæ. At qui ad illos Codd. sancti Gregorii epistolas contulerunt, minime intelligentes quid significaret *optio*, vel *obtio*, ut legitur in Cod. Reg., hoc pro mendo habuerunt, et legere maluerunt, *nullus qui officio vel manu signatus*. Hujus autem vocis notionem dedimus in notis, ad cap. 35 lib. IV Dialog. Hoc in loco adverte constructionem grammaticæ legibus repugnantem : *nullus qui optio... ei in monasterio converti liceat*. Eadem occurrit in regula S. P. Bened., c. 58 : *Noviter veniens quis ad conversionem, non ei facilis tribuatur ingressus*.

[f] Meminit victoriæ insignis de Persis reportatæ, capta Martyropoli civitate munitissima : quæ gesta bellica vide apud Theophanem. Præterea Mauricius Chosroem Persarum regem e regno pulsum restituit; unde ipsi regem regnumque subditum fuisse aliquatenus dici potest.

[g] Excusi, *lucrum operatus es*. Sequimur Vatic. omnes nostris fere semper consentientes, Corb., etc.

EPIST. LXVII (*Al.* 63). — [a] Erat hic Melitinæ episcopus, Armeniæ metropolitanus, Mauricii imperatoris consanguineus, vir prudens et industrius, verbo et opere potentissimus, et ad res maximas gerendas efficacissimus, inquit Evagrius, lib. VI, cap. 16, 17, 18. De eo Theophyl. Simocatta, lib. IV Histor. Mauric., capite 14; lib. VIII, c. 11 : *Melitines præsul Domitianus, genere Mauricium attingens, et cum honore sanctus sacerdos, tum vitæ instituto sanctior, sermone suavis, actione solers, consilio prudentissimus, auctoritate imperatoria ad Chosroem contendit*, etc. Quanti autem eum fecerit Mauricius, indicat idem Simocatta, lib. VIII, cap. 11, nempe quod ineunte imperium Heraclio tabellæ involutæ et obsignatæ inventæ sunt, in quibus descriptum erat quidquid post suum ex hac vita discessum fieri vellet Mauricius. Cum enim imperii sui anno 15 in periculosum morbum esset lapsus, de imperio constituit, etc. *Filiis suis ætate adhuc immaturis Domitianum cognatum suum, nobilis Ecclesiæ Melitinensis antistitem, virum in rebus agendis dexterum, consilio dexteriorem, tutorem designavit. Quamobrem imperator majoris momenti negotia ei expedienda ob eximiam prudentiam committebat.* Plura passim de eo idem Simocatta. De morte autem ipsius sic Theophanes in Chronographia : *Indictione* 5, *mense Januario, Domitianus, Melitines episcopus, imperatoris consanguineus, diem extremum obiit, et a Cyriaco patriarcha ad sanctos apostolos sepultus est, senatu universo funebribus honoribus memoriam ejus prosequente.* Cæterum Melitine, seu Melitene, hodie *Malatia*, teste Nigro, urbs olim regionis Melitenæ caput, post provinc. Armeniæ secundæ, seu minoris metropolis, ad fluvium Euphratem sita, Cæsaream inter et Samosatam. GUSSANV.

in eis epulas reperi, eas avide comedi. In quibus quædam quoque de causis exterioribus et necessariis sunt permista. Et quasi menti convivium **679** præparantes egistis, ut oblatæ epulæ ex diversitate melius placerent. Et si quidem exteriores causæ velut inferiores et abjecti cibi minus sapiunt, ita tamen a vobis prudenter dictæ sunt, ut libenter sumantur, quia et cibi contemptibiles plerumque dulces ex condimento bene coquentis fiunt. Servata autem veritate historiæ, hoc quod dudum de divina significatione dixeram, respui nullo modo debuit. Nam etsi mihi, quoniam ita vultis, significatio ejus non congruit, ex ipsis tamen locis suis circumstantibus hoc quod ex ea dictum est incunctanter teneri potest. Nam et corruptor ejus princeps terræ dicitur (*Genes.* XXXIV), per quem aperte diabolus designatur : quia Redemptor noster ait : *Nunc princeps hujus mundi ejicietur foras* (*Joan.* XII, 31). Qui etiam uxorem petit, quia malignus videlicet spiritus festinat, ut licenter possideat animam quam prius occulta seductione corruperit. Unde Jacob filii vehementer irati, contra omnem Sichem domum ejusque patriam gladios sumunt (*Genes.* XXXIV); quia a cunctis zelum habentibus ipsi quoque insequendi sunt, qui maligni spiritus adjutores fiunt. Quibus prius circumcisionem præcipiunt, quos in dolore positos postmodum occidunt. Quia plerumque magistri severiores, si zelum suum moderari nesciunt, quamvis per prædicationem vitia corruptionis resecent, cum jam a delinquentibus plangitur quod fuerat perpetratum, adhuc tamen ipsi per asperitatem disciplinæ sæviunt, et duriores existunt. Qui enim jam et præputia absciderant, mori minime debebant, quia qui culpam plangunt luxuriæ, et voluptatem carnis in dolorem vertunt, a magistris sentire non debent asperitatem disciplinæ, ne ipse humani generis Redemptor minus ametur, si pro eo anima plus quam debet atteritur. Unde et eisdem filiis Jacob dicit : *Turbastis me, et odiosum fecistis Chananæis* (*Ibid.*, 30). Quando enim **680** hoc quod jam delinquentes plangunt, adhuc magistri crudeliter insequuntur, infirmæ menti ipse Redemptoris sui amor tepescit, quia ibi se affligi considerat, ubi sibi et ipsa non parcit.

Hæc igitur dixerim, ut intellectum, quem protuli, non esse improbabilem ex locis circumstantibus demonstrarem. Ea vero quæ ex eodem loco a vestra sanctitate in meam consolationem dicta sunt, libenter accipio, quia in intellectu sacræ Scripturæ, [b] respui non debet quidquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alii murenulas, [c] alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt, ita ex una [d] sacræ Scripturæ intelligentia expositores quique per innumeros intellectus quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt. Valde autem gaudeo quod dulcissima beatitudo vestra etiam causis sæcularibus occupata, ad intellectum sacri eloquii vigilanter ingenium reducit. Sic quippe necesse est ut si illa omnimodo caveri non possint, ista non omnimodo postponantur. Sed per omnipotentem Dominum rogo, mihi in tantis tribulationum fluctibus laboranti tende orationis manum, ut ex vestra intercessione ad summa relever, qui culparum mearum pondere ad profundum premor. Imperatorem vero Persarum etsi non fuisse conversum doleo, vos tamen ei Christianam fidem prædicasse omnimodo exsulto, quia etsi ille ad lucem venire non meruit, vestra tamen sanctitas prædicationis suæ præmium habebit. Nam et Æthiops in balneum niger intrat, et niger egreditur, sed tamen balneator nummos accipit.

De Mauricio autem bene dicitis, ut in actione ejus ab umbra statuam cognoscam, id est in minimis majora perpendam. In hoc tamen ei credimus, quia ejus nobis animam sacramenta et obsides ligant.

[b] Nec violandi Patres, nec ita passim ingerendi, quasi posteris sensum omnem ademerint. Enitendum tamen ne quid illis asseramus invitis, et una fere voce reclamantibus. GUSSANV.

[c] Omissa duo verba, *alii annulos*, ex Mss. omnibus, Vatic., Norm., Turon., Corb., etc., restituimus.

[d] Recent. Ed., *Scripturæ sententia*, quos libenter, si per Mss. Codices liceret, sequeremur. At omnes habent, *intelligentia*, vel, *scientia*.

# LIBER QUARTUS.

## Mense Septembri, indictione XII

### 681 EPISTOLA PRIMA

AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Quod concordi omnium assensu fuerit electus, gratulatur. Monet respondendum suorum affectibus, necessitatibus succurrendum, corrigenda mature vitia. In bonis profectum precatur. Pallium mittit.*

Gregorius [a] Constantio episcopo Mediolanensi.

Scripta fraternitatis vestræ suscipiens magnas omnipotenti Deo gratias retuli, quia ordinationis vestræ merui celebratione relevari. Quod vero ex superno munere in electionem vestram concorditer omnium convenit assensus, hoc fraternitas tua cum summa debet consideratione pensare, quia post Deum valde est debitrix eis qui sibi vos præferri tam subdita mente voluerunt.

Decet igitur vos sacerdotali benignitate eorum

LIBER IV. *Al.* LIBER III.

EPIST. I. — [a] De eo, supra, epist. 29 et 31. Observo diaconos ut plurimum assumptos ad munus episcopale, non presbyteros, non archipresbyteros : scilicet presbyteri orationi, lectioni, doctrinæ, sacramentorum administrationi tantummodo vacabant. Diaconis rerum exteriorum administratio credebatur; hinc multam in rebus gerendis facilitatem, dexteritatem, prudentiam usu comparabant, in clero auctoritatem usurpabant, et arctiorem cum præcipuis

moribus in omnibus respondere, eorumque necessitatibus [b] pia compassione concurrere. Si quorum fortasse sunt vitia, hæc maturis objurgationibus [c] increpato, ut ipsa quoque sacerdotalis indignatio virtuti sit admista dulcedinis, quatenus et tunc a subjectis amari debeat, etiam cum graviter metuitur. Quæ res personam vestram apud eorum judicium ad magnam quoque reverentiam adducit, quia sicut præceps furor usitatusque despicitur, ita contra culpas discreta indignatio plerumque quo tarda fuerit, eo amplius fit timenda.

Joannes vero subdiaconus noster multa nobis bona tuæ fraternitatis rediens nuntiavit. De quibus omnipotentem Deum petimus, ut hæc qui **682** cœpit, ipse perficiat; quatenus te interius exteriusque profecisse, et nunc inter homines, et post inter angelos ostendat.

Præterea pallium ad sacra missarum solemnia utendum ex more transmisimus. Sed peto ut dum hoc suscipitis, ejus honorem ac genium ex humilitate vindicetis.

## EPISTOLA II.

### AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Theodelindam reginam et tres episcopos, ob tria capitula a Constantio divisos, susceptis epistolis suis ad illius communionem reversuros sperat. Pacem cum Langobardis exoptans, petit ut se de Francorum cum Langobardorum rege gestis faciat certiorem.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Dilectissimus filius meus Bonifacius diaconus quiddam mihi [a] ex scripto fraternitatis tuæ secreto nuntiavit, quod exquisita occasione potius quam inventa, tres se episcopi a pia fraternitatis vestræ communione separaverint, dicentes vos [b] in damnationem trium capitulorum consensisse, atque [c] cautionem fecisse. Et quidem si quid de tribus capitulis in quocunque vel verbo vel scripto nominatum est, bene fraternitas tua reminiscitur; quamvis decessor fraternitatis tuæ Laurentius districtissimam cautionem sedi apostolicæ emiserit, in qua viri nobilissimi, et legitimo numero, subscripserunt. Inter quos ego quoque, tunc [d] urbanam præturam gerens, pariter subscripsi; quia postquam **683** talis scissura pro nulla re facta est, justum fuit ut sedes apostolica curam gereret, quatenus unitatem universalis Ecclesiæ in sacerdotum mentibus per omnia custodiret. Quod autem dicitur, filiam nostram [e] Theodelindam reginam sese a communione tua hoc audito nuntio suspendisse, constat per omnia, quia etsi pravorum hominum verbis ad paululum seducta est, venientibus tamen Hippolyto notario et Joanne abbate, erit modis omnibus vestræ fraternitatis communionem quæsitura: cui etiam meas epistolas direxi, quas fraternitas vestra sine dilatione transmittant. De episcopis vero qui se suspendere [f] visi sunt, aliam epistolam feci, quam cum eis ostendi feceris, eos non ambigo de superstitione suæ superbiæ apud fraternitatem tuam pœnitentiam acturos.

Subtiliter autem mihi et breviter indicastis, vel [g] de Agone rege, vel de Francorum regibus quæ gesta sunt. Peto ut fraternitas vestra quæ adhuc recognoverit, mihi modis omnibus innotescat. Si autem videritis quia cum patricio nihil facit Ago Langobardorum rex, de nobis ei promittite, quia paratus sum in causa ejus impendere, si ipse utiliter aliquid cum republica voluerit ordinare.

## EPISTOLA III.

### AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Nullam a Constantio datam de tribus capitulis cautionem. Chalcedonensis synodi fidem in Romana Ecclesia integram servari. Divisis proinde episcopis ad unitatem redeundum.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Pervenit ad nos quod quidam episcopi vestræ diœ-

laicis contrahebant necessituditem. Tradunt historici diaconos quamplurimos tantum gratia apud clericos et laicos valuisse, ut non modo supra presbyteros superbirent, sed et suis in faciem resisterent episcopis quasi censores. GUSSANV. Hæc ideireo de diaconis observavit Gussanvillæus, quod Constantius diaconus esset Ecclesiæ Mediol. quando ad ejus cathedram episcopalem omnium votis est assumptus.

[a] Editi prætulerunt *succurrere*, quod non est mss. Codicum.

[b] Ita Normanni et plerique. In quatuor tamen Vatic., in Reg., in Corb. et in Edit. Paris. 1518, legitur *increpare*, referendo ad *Decet*, quod præcessit.

EPIST. II. — [a] Becc., *extra scriptum*.

[b] Anno Domini 553, in concil. v damnata fuerant tria capitula. Damnationem secutum est schisma gravissimum, cum persuasum haberent plurimi episcopi, ea damnatione labefactari fidem, lædique auctoritatem synodi Chalcedonensis, quam quidem opinionem ex eorum animis evellere, non levioris operæ fuit. Vigilius qui tum apostolicæ sedi præerat, synodi quintæ definitioni consentire, pio forsassis, sed infelici consilio, renuens, schismati occasionem dederat; certe vires addiderat. Successor ejus Pelagius I, quod v synodo consentiret, tam fuerat Occidentalibus episcopis invisus, ut eum pro pontifice habere noluerint, necessumque fuerit jussu Pelagii presbyterum Ostiensem loco episcopi munus illud obire, ut Binius post Anastasium refert. Pelagius II, an. 578, Romanus pontifex nullum non movit lapidem, quo fidelium animos istorum damnatione capitulorum offensos conciliaret, nec obtinuit. Hinc usus cautionum, de quibus in hac et epist. sequente; ut vel sic unitati universalis Ecclesiæ, discussis istius modi nebulis, recepta v synodo provideretur. Vide epist. 3 et 4 sequentes. GUSSANV. Add. 35. De tribus capitulis accuratius in Vita sancti Gregorii.

[c] Cautionum apud juriconsultos plurima sunt genera: hic juratoriam intelligo scripto exaratam et subscriptam, qua promittebant se damnationi trium capitulorum deinceps consensuros, nec unquam reluctaturos. Similes cautiones nostra ætas exsuscitavit. GUSSANV.

[d] Vatic. B, *urbanam præfecturam*.

[e] Fuit Garibaldi Bajoariorum regis filia, primum Autharis Langobardorum regis uxor, tum eo post annos sex veneno exstincto, Agilulfo Taurinatium duci nupsit, qui Langobardis rex creatus est. Hujus mulieris pietas insignis laudatur a scriptoribus, et maxime a sancto Gregorio, qui plures ad eam epistolas scripsit, eique libros Dialogorum direxit, *quam sciebat utique et Christi fidei deditam et in bonis actibus esse præcipuam*, inquit Paulus Diaconus, lib. IV de gestis Langob., cap. 5, qui eam vocat *Theudelindam*, ejusque pietatem et erga Ecclesiam munificentiam mirifice extollit, cap. 6. GUSSANV.

[f] Vatic. A, *suspendere nisi sunt*.

[g] Idem qui Agilulfus de quo paulo antea.

cesis exquirentes occasionem potius quam invenientes sese scindere a fraternitatis vestræ unitate tentaverint, dicentes te apud Romanam urbem in trium capitulorum damnationem cautionem fecisse. Quod videlicet idcirco dicunt, quia quantum fraternitati tuæ etiam sine cautione credere soleam, nesciunt. Si enim hoc esset necessarium fieri, verbis nudis vobis credi potuisset. Ego tamen nominata inter nos neque verbo neque scripto tria capitula recolo. Sed eis, si citius revertuntur, de suo errore parcendum est, quia, juxta Pauli apostoli vocem : *Non intelligunt neque quæ loquuntur, neque de quibus affirmant* (*I Tim.* I, 7). Nos enim, auctore veritate, teste conscientia, fatemur nos fidem sanctæ Chalcedonensis synodi per omnia illibatam custodire, nihilque ejus definitioni addere, nihil subtrahere audere. Sed si quis contra eam, ejusdemque synodi fidem, sive plus minusve ad sapiendum appetit usurpare, eum omni dilatione postposita anathematizamus, atque a sinu matris Ecclesiæ alienum esse decernimus. Quem igitur ista mea confessio non sanat, non jam Chalcedonensem synodum diligit, sed matris Ecclesiæ sinum odit. Si ergo ea ipsa quæ audere visi sunt, zelo loqui animæ præsumpserunt; superest ut hac satisfactione suscepta, ad fraternitatis tuæ **684** unitatem redeant, seque a corpore Christi, quod est sancta universalis Ecclesia, non dividant.

## EPISTOLA IV.

### AD THEODELINDAM REGINAM.

*Quod sese a Constantii communione suspenderit, dolet. Nihil contra Chalcedonensis synodi fidem Justiniani temporibus actum asserit. Hortatur ut Constantii ordinationem suscipiat, eique communione jungatur.*

Gregorius Theodelindæ reginæ Langobardorum.

Quorumdam ad nos relatione pervenit ab aliquibus episcopis [a] gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, ut sese a catholicæ unanimitatis communione suspenderet. Quod quantum vos pure diligimus, tantum de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea percipere quæ audierint possunt.

Dicunt enim piæ memoriæ Justiniani temporibus aliqua contra Chalcedonensem synodum fuisse constituta, qui dum neque legunt neque legentibus credunt, in ipso errore manent quem sibi de nobis ipsi finxerunt. Nos enim, teste conscientia, fatemur de fide ejusdem sancti Chalcedonensis concilii nihil motum, nihil esse violatum; [b] sed quidquid prædicti Justiniani temporibus actum est, ita actum est ut fides Chalcedonensis concilii in nullo vexaretur. Si quis autem contra ejusdem synodi fidem aliquid loqui præsumit vel sapere, nos ejus sensum sub anathematis interpositione detestamur. Cum ergo integritatem nostram ex conscientiæ nostræ attestatione cognoscitis, superest ut nunquam vos a catholicæ Ecclesiæ communione separetis, ne tot vestræ lacrymæ, tantaque bona opera pereant, si a fide vera inveniuntur aliena. Decet ergo gloriam vestram ad reverendissimum fratrem et coepiscopum meum Constantium, cujus et fides, et vita bene olim mihi approbata est, sub omni celeritate transmittere, eique directis vestris epistolis indicare ordinationem ejus quam benigne suscepistis, et quia ab ejus Ecclesiæ communione in nullo separamini. Quamvis in hac re me vobis superflue dicere arbitror, quia etsi quid in vestro animo dubietatis fuit, veniente filio meo Joanne abbate, atque Hippolyto notario, ex corde vestro arbitror fuisse sublatum.

## EPISTOLA V.

### AD BONIFACIUM EPISCOPUM.

*Cleri sui moribus et famæ consulat. Id de subdiaconis ejus decernit, quod supra de Siculis lib.* I, *epist.* 44.

Gregorius Bonifacio episcopo [a] Regiensi.

Contumelia quidem sacerdotum est, de divinis cultibus admoneri. Quod enim ipsi debent **685** exigere, turpiter exiguntur. Tamen ne, quod non æstimamus, in aliquo fraternitas tua ea quæ ad opus Dei pertinent negligat, de hoc ipso specialiter te prævidimus adhortandum. Admonemus itaque ut nullatenus clerus Regitanæ civitatis, in causis quas eorum poscit officium, fraternitatis tuæ remissione laxetur. Sed in iis quæ ad Deum pertinent, instantissime atque studiosissime compellantur. Opinionem quoque prædicti cleri tui studere te volumus, ut nihil de iis pravum, nihil quod contra ecclesiasticam disciplinam pertinet, audiatur; ad ornatum quippe ejus, non ad fœditatem actuum eorum pertinere debet officium. [b] Subdiaconis vero tuis (*Grat. dist.* 32 *c.* 9) hoc quod de Siculis statuimus, decernimus observari; nec illam definitionem nostram cujusquam sinas contumacia aut temeritate corrumpi; quatenus dum prædicta omnia per te fuerint conservata districtissime, nec admonitionis nostræ, sicut et credimus, transgressor existas, nec in quolibet reum te remissionis accuset pastoralis tibi commissus ordo regiminis.

## EPISTOLA VI.

### AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Petronillæ conversæ et Agnelli ejus corruptoris facinus discutiat, et puniat, atque ablata monasterio curet restitui.*

Gregorius Cypriano diacono et rectori Siciliæ.

Epist. IV. — [a] Modus compellandi honoris causa, quo utitur Gregorius erga reges, imperatores, eorum uxores et alias primarias personas. Nondum enim receptus erat *majestatis* titulus, quo nunc reges gaudent. Quanquam Horatius sic Augustum alloquatur lib. II, epist. 1:

> Si quantum, possem quoque; sed neque parvum
> Carmen majestas recipit tua.

Et apud Cassiodorum, lib. III Variar., ep. 27, occurrit *Regia majestas*.

[b] Propter injectam hic, etsi leviter, damnationis trium capitulorum mentionem, Constantius ab offerenda Theodelindæ hac epistola prudenter abstinuit, ut liquet ex epist. 39. Quod laudavit sapientissimus pontifex; aliamque reginæ sine scandalo dandam scripsit, in qua nec V synodi, nec gestorum in damnatione trium capitulorum meminit. Est numero 38.

Perlatum est ad nos (*Grat.* 19, *q.* 3, *c.* 8) Petronillam nomine de provincia [a] Lucania genitam, per exhortationem Agnelli episcopi fuisse conversam, resque suas omnes, quas habere potuit, [b] licet sibi jure potuissent competere, tamen eidem monasterio, quod ingressa est, etiam specialiter donationis titulo contulisse: morientemque prædictum episcopum dimidiam partem substantiæ suæ Agnello cuidam filio suo, qui notarius nostræ esse fertur Ecclesiæ, atque dimidiam eidem monasterio reliquisse. Sed cum propter irruentem Italiæ cladem Siciliam refugissent, dicitur eam sæpe nominatus Agnellus corruptis ejus moribus stuprasse, atque sentiens gravidam, de monasterio [c] seduxisse, resque ejus omnes tam proprias, quam eas quas de parte patris ipsius habere poterat abstulisse, ac post perpetratum tale tantumque facinus, in sui eas [d] dominii jure defendere. Hortamur igitur dilectionem tuam **686** ut prædictum virum vel ante fatam feminam sub districta ad te facias exsecutione perduci, causamque ipsam secundum sui meritum summa subtilitatis examinatione perquiras. Et si ita inveneris, ut nobis nuntiatum est, negotium tot iniquitatibus inquinatum, cum summæ purgationis severitate determina; quatenus et ante fato viro, qui nec suum, nec illius attendit habitum, et tantorum causa fuit scelerum, [e] ultio districta proveniat; et illa prius procedente vindicta, atque in monasterium sub pœnitentia redacta, omnes res, quæ de sæpe dicto loco ablatæ fuerant, cum omnibus illis suis fructibus atque accessionibus revertantur.

## EPISTOLA VII.

AD GENNADIUM PATRICIUM.

*Columbo episcopo in Numidiæ concilium inquirenti, et pravos correpturo faveat. Compescat intestina Ecclesiarum bella.*

Gregorius Gennadio [a] patricio et exarcho Africæ.

Satis [b] credimus religiosæ excellentiæ vestræ mentem adversus ea maxime quæ in Ecclesiis geruntur incongrua [c] divini amoris æmulatione succendi. Tanto igitur ecclesiasticarum correctionem causarum vobis libenter ingerimus, quanto de pia vestræ mentis intentione confidimus. Cognoscat siquidem excellentia vestra quibusdam de Africanis partibus venientibus ad nos fuisse perlatum plura in concilio Numidiæ contra Patrum tramitem atque canonum statuta committi. Quarum rerum frequentes querelas quia diutius tolerare nullatenus potuimus, Columbo fratri et coepiscopo nostro, de cujus gravitate ipsa ejus quæ percrebuit dubitare jam nos non permittit opinio, commisimus perquirendas. Quamobrem paterno salutantes affectu, hortamur excellentiam vestram, in cunctis quæ ad ecclesiasticam correptionem pertinent, vestri robur ei subrogetis auxilii, ne si quod male geritur quæsitum vel vindicatum non fuerit, longorum usurpatione temporum cum majori licentia [d] in futuros crescat excessus. Scito autem, excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis provinciæ securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere, quam zelari sacerdotum vitas, et intestina Ecclesiarum, quantum possibile est bella compescere.

## **687** EPISTOLA VIII.

AD JANUARIUM EPISCOPUM.

*Stephani defuncti voluntatem de monasterio construendo curet adimpleri.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Nos quidem arbitramur quod ad imminentiam expletionis piarum rerum, ipse te tuus satis ordo compellat. Sed ne zelum tuum cujuslibet interventus remissionis emolliat, de his etiam te specialiter judicavimus exhortandum. Pervenit si quidem ad nos Stephanum vestrum de hac luce migrantem, [a] supremæ voluntatis elogio monasterium præcepisse fundari. Cujus [b] desiderium Theodosiæ honestæ fe-

---

cretum est.

[c] Hoc est clam eduxisse. *Seducere* proprie est *seorsum ducere.*

[d] Scilicet res ablatas; non *eam*, ut invitis Mss. habent Editi.

[e] Virginum sacrarum conjugia vetita vide in concil. Tur. I, c. sexto: *Qui se sacratis virginibus per conjunctionem nefandam miscuerint, vel propositum professæ religionis dereliquerint, utrique a communione habeantur alieni, quia si quis templum Dei violaverit, disperdet illum Deus.* Consule etiam conc. Par. III, c. 5, et Turon. II, c. 20. Qui sacratam virginem ducit uxorem, capitali sententia feriendus est, ex Clotarii II constitutione, quæ inter concilia Galliæ refertur post concil. Par. V.

EPIST. VII. — [a] De Patriciis jam sæpe injecta mentio. Eorum dignitatem instituisse Constantinum Magnum legimus. Vide Tillemontium in Historia imperat., in Constantino.

[b] Vatic. A et C, *satis credimus relatu excellentiæ vestræ.*

[c] Excusi, *divini auctoris.*

[d] Omnes Vaticani, præter D, *in futuris crassetur excessibus.*

EPIST. VIII [*Al.* 10]. — [a] In edit. vet. et Vatic., *supremæ voluntatis eloquio.*

[b] Sic legitur in Mss. Norm., Reg., Vatic., etc. In Editis vero, *cujus desiderium a Theodosia.... fertur*

EPIST. V. — [a] Al., *Regitano*, ut legitur in omnibus Norm., in Vatic. D, etc. Infra [quoque *clerus Regitanæ civitatis.*

[b] Vide libri I epist. 44.

EPIST. VI. — [a] Provincia Italiæ; pars olim erat magnæ Græciæ, ubi nunc Basilicata provincia Regni Neapol. cum parte australi citerioris principatus. GUSSANV.

[b] Ut verus sensus eliciatur, sic fieri debet constructio: *Petronillam, monasterio quod ingressa est, omnia quæ habebat, licet jure monasterio competerent, specialiter tamen ea titulo donationis ipsi contulisse.* Jam sæpe observavimus, Gregorii stylum hyperbatis et verborum inversionibus ac trajectionibus abundare. Itaque Gregorii scopus est ut ea omnia quæ de monasterio ablata fuerunt, *cum omnibus fructibus suis atque accessionibus illuc revertantur.* Id ut assequatur, observat res omnes quas habere potuit Petronilla, eidem monasterio quod ingressa est competere, tum ex jure communi, scilicet imper. lege, qua in ipsa monachi professione illius bona monasterio acquiruntur, Novel. Justin. V, nov. 123, cap. 38, tum maxime speciali donationis titulo. De sententia sancti Gregorii ac proposito scopo non est dubitandi locus, si legatur epist. 7 libri IX: *Quia* inquit, *ingredientibus monasterium, convertendi gratia, ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione de-*

minæ hæredis ejus fertur quod hactenus dilatione protrahitur. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam, ut maximum de prædicta causa studium geras, atque ante nominatam feminam [c] commoneas, quatenus intra annale spatium, monasterium, ut jussum est, debeat ordinare, et cuncta secundum defuncti voluntatem sine altercatione construere. Quod si intra prædicti temporis metam aliqua perficere negligentia vel calliditate distulerit, ut sive in loco eo quo constitutum fuerat, seu certe ibi non poterit, et alibi placet ordinari, et dilatione interveniente negligitur, tunc volumus ut fraternitatis tuæ ædificetur studio, ordinatisque omnibus, res atque reditus qui relicti sunt per te loco ipsi venerabili sine imminutione aliqua socientur. Sic enim et ante tremendum judicem tuum sententiam remissionis effugies, et secundum piissimas leges, dilatas defuncto[rum] pias voluntates episcopali supplebis studio.

## EPISTOLA IX.

### AD JANUARIUM EPISCOPUM.

*Singulis ancillarum Dei monasteriis probatus vir deputandus, a quo sic procurentur negotia, ut monialibus exinde vagari non liceat. Illarum lapsibus decernuntur pœnæ. Concilia bis in anno celebrentur. Judæorum servi ad Ecclesiam fidei causa fugientes in libertatem vindicentur. Ne in baptizatorum frontibus iteretur chrismatio, solum pectus ungant presbyteri, deinde episcopi frontem. Monasterium juxta Petri defuncti voluntatem construatur, si congrua adsit redituum quantitas.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Satis quidem te ipse pastoralis zelus instigare debuerat ut gregem quem susceperas etiam sine nostro solatio salubriter ac provide tuereris, et a callidis inimicorum surreptionibus cum diligenti **688** circumspectione servares. Sed quia charitatem tuam pro suæ firmitatis augmento nostræ quoque pagina auctoritatis indigere comperimus, necessarium nobis fuit titubantes animos tuos ad religiosi vigoris studium fraternæ dilectionis exhortatione firmare.

Pervenit siquidem ad nos minus te monasteriis ancillarum Dei in Sardinia situs tuitionis impendere; et cum dispositum a tuis prudenter fuisset decessoribus ut quidam de clero probati viri curam gerentes earum se necessitatibus adhiberent, nunc ita funditus esse neglectum, ut per publicas personas pro tributis aliisque muniis ipse per sè principaliter Deo dicatæ feminæ compellantur ire, necessitatemque habeant pro supplendis [a] fiscalibus per villas prædiaque discurrere, atque virilibus incompetenter se miscere negotiis. Quod malum fraternitas tua facili correctione removeat, ut unum probatum vita moribusque, cujus ætas atque locus nihil de se pravæ suspicionis objiciat, sollicite deputet, qui sic monasteriis ipsis cum Dei timore possit assistere, quatenus ulterius eis pro quibuslibet causis privatis, vel publicis, [b] extra venerabilia loca contra regulam vagari non liceat; sed quidquid pro his agendum est, per eum quem deputaveris rationabiliter peragatur. Ipsæ vero referentes Deo laudes, atque coercentes semetipsas, in monasteriis suis nullam occasionem ulterius fidelium mentibus pravæ suspicionis injiciant. Si qua autem earum (*Grat.* 27, *q.* 1, *c.* 28) vel per anteriorem licentiam, vel per impunitatis pravam consuetudinem [c] ad lapsus adulterini deducta est, aut in futurum fuerit perducta voraginem, hanc post competentis severitatem vindictæ, in aliud districtius virginum monasterium in pœnitentiam volumus redigi, ut illic orationibus atque jejuniis vacet, et sibi pœnitendo proficiat, et metuendum cæteris arctioris disciplinæ præstet exemplum. Is autem qui cum hujusmodi feminis in aliqua fuerit iniquitate repertus, communione privetur, si laicus est; si vero clericus fuerit, a suo quoque remotus officio, pro suis continuo lugendis excessibus in monasterium detrudatur.

Episcoporum etiam concilia, sicut tam tuæ mos dicitur fuisse provinciæ, quam sacrorum canonum auctoritate præcipitur, [d] bis in anno celebrare te volumus; ut et si quis inter eos a sui forma propositi actionis atque morum qualitate discordat, sociali possit fratrum increpatione redargui, et pro securitate commissi gregis, animarumque statu, paterna valeat circumspectione tractari.

Pervenit etiam ad nos [e] servos ancillasque Judæo-

*quod dilatione protrahitur.* Impeditior sane videtur periodus; sed non minus stylum sapit Gregorii.

[c] Al., *commoveas*, ut legitur in Vatic. C.

Epist. IX. — [a] Fiscalia sunt tributa. Id apparet ex leg. 3 de episc. et cleric., tit. 3, lib. I, Codicis: *De his clericis qui prædia possident, sublimis auctoritas tua non solum eos aliena juga nequaquam statuet excusare, sed etiam pro his prædiis qui ab ipsis possidentur eosdem ad pensitanda fiscalia perurgere. Universos namque clericos*, etc. Subire per publicas personas, interpretarer subinde ire per domos publicarum personarum, illis se submittere, prensare, apud illos sua procurare negotia. Publicas autem personas dicimus magistratus, officiales, tabellarios, forte etiam publicanos, quandoquidem de fiscalibus agitur. Gussanv.

[b] De sanctimonialibus vagis Isidorus Pelus., lib. I epist. 367.

[c] Ita legendum ex Vatic. A, ex Norm. omnibus, et ex Corb. Inter se tamen Mss. non consentiunt; nam in Rhemensi legitur: *Ad lapsus adulterii deducta est, aut in furti.* Turon., *aut in furtum.* Reg. *lapsa in sua deducta est.* Rhemensi suffragatur unus e Vatic. In nullis autem veteribus exemplaribus occurrit excusorum lectio, *aut in stupri.* Adulterium appellat sanctimonialis lapsum noster Gregorius, quia, ut docet sanctus Augustinus in Ps. LXXXIII, *sanctimonialis si nupserit. Christi adultera reputabitur.*

[d] Ita Nicænum, c. 5. Primum ante quadragesimam, secundum circa tempus autumni. De provinciali synodo res est. Idem in Antioch., can. 20, et in Chalcedon., can. 19. Sacrum Trid. conc., sess. 24, de Reformat., c. 2, ea statuit renovanda quolibet saltem triennio. Gussanv.

[e] De illis supra. Causa fidei, vi constitutionum imperialium, asserebantur in libertatem invitis dominis nullo dato pretio. Id fieri potuisse Hesselius, supra citatus, epist. 39 l. II, indict. 11, nunc 40, l. III, docet. Hanc tamen facultatem non ubique viguisse certum est tam ex multis epistolis sancti Gregorii, quam ex nostris conciliis Gallicanis, ut ex Aurel. III, c. 13. Nec enim videntur mancipiis sive vernis sive empticiis caruisse, nisi aut eos a fide ad errorem suum vellent trahere, aut aliquid eis impo-

rum, fidei causa ad Ecclesiam refugientes, **689** A aut infidelibus restitui dominis, aut eorum, ne restituantur, pretium dari. Hortamur igitur ut nullatenus tam pravam consuetudinem manere permittas; sed quilibet servus Judæorum (*Grat. dist.* 54, *c.* 16) ad venerabilia loca confugerit causa fidei, nullatenus eum patiamini præjudicium sustinere. Sed sive olim Christianus, sive nunc fuerit baptizatus, sine ullo pauperum damno, religioso ecclesiasticæ pietatis patrocinio, in libertatem modis omnibus defendatur.

[f] Episcopi baptizatos infantes signare bis in frontibus chrismate non præsumant; sed presbyteri (*Grat. de Cons. dist.* 4, *c.* 119) baptizandos ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte.

Pro fundandis etiam monasteriis, quæ a diversis jussa sunt construi, si injusta perspicis [g] hæc aliquos quibus indicta sunt excusatione differre, solerter secundum quod leges præcipiunt imminere te volumus, ne piæ defunctorum voluntates tua, quod absit, remissione cassentur. De monasterio autem quod in domo sua construendum quondam Petrus asseritur præcepisse, prævidimus ut fraternitas tua subtiliter requirat relictorum illic redituum quantitatem (*Grat.* 16, *q.* 1, *c.* 14). [h] Et si quidem modus habet substantiæ, recollectis omnibus quæ de rebus ipsis imminuta vel dicuntur esse dispersa, cum omni studio hoc et sine aliqua dilatione fundetur. Sin autem vel minus idonea vel damnosa facultas est, omnibus, ut edictum est, subtiliter inquisitis, nobis renuntiare te C volumus, ut sciamus quid deliberare juvante Domino de ejus constructione possimus. Fraternitas igitur tua ita in cunctis prædictis capitulis se solerter impendat, ut nec nostræ admonitionis seriem inveniatur fuisse transgressa, nec, divini rea judicii, de minori zelo pastoralis existat officii. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 45.)

## EPISTOLA X.

### AD UNIVERSOS EPISCOPOS DALMATIÆ.

*Ne absque consensu et permissu suo ullum Salonæ episcopum ordinent. Si tamen in aliquem alium a Maximo consentiant omnes, consecretur.*

Gregorius universis episcopis per Dalmatiam.

Oportuerat quidem fraternitatem vestram, divini respectu judicii clausis carnalibus oculis, nihil quod ad Deum pertinet [a] et rectam mentis intentionem omittere, nec cujuslibet hominis faciem rectitudini justitiæ præponere. Sed postquam mores vestri ita sunt sæcularibus traducti negotiis, ut obliviscentes omnem sacerdotalis in vobis honoris tramitem, cunctumque superni metus **690** intuitum, non quid Deo, sed quid vobis placeat studeatis explere, necesse habuimus hæc ad vos districtiora specialiter scripta transmittere, quibus ex beati Petri principis apostolorum auctoritate præcipimus ut nulli penitus extra consensum permissionemque nostram, quantum ad episcopatus ordinationem pertinet, in Salonitana civitate manus præsumatis imponere, nec quemquam in civi- B tate ipsa aliter quam diximus ordinare.

Quod si contra hæc quidpiam vel sponte vestra, vel a quolibet coacti præsumpseritis vel tentaveritis agere, decernemus vos dominici corporis et sanguinis participatione privatos, [b] quatenus ex eadem ipsa attrectatione vestra, vel voluntate transgrediendæ præceptionis nostræ, a cœlestibus mysteriis alieni sitis, nec is quem ordinaveritis habeatur episcopus. Nos namque nullum cujus vita reprehendi potest ordinari temere volumus. Quod si Honoratus diaconus indignus ostenditur, de vita moribusque ejus qui electus fuerit nobis renuntiari volumus, ut quidquid in hac re agendum est cum consensu nostro salubriter permittamus impleri.

Confidimus enim in omnipotentem Dominum quia, quantum ad intentionem nostram pertinet, nunquam quod nostram gravare possit animam, nunquam sinimus fieri quod vestram gravare possit Ecclesiam. Sin vero in qualibet persona ita voluntarius omnium consensus accesserit, ut auctore Deo digna sit, et non sit qui ab ejus ordinatione dissentiat, hanc a vobis in eadem Salonitana Ecclesia ex præsentis epistolæ nostræ concessa licentia volumus consecrari, excepta duntaxat persona Maximi, de qua ad nos multa mala perlata sunt; quæ si ab appetitu majoris ordinis non cessat, restat, ut arbitror, quatenus subtiliter discussa, ipso quoque in quo est officio careat [c].

nerent quod religio Christiana vetat, aut in odium D fidei eos tormentis affligerent. In his et similibus casibus suorum mancipiorum amissione Judæi multabantur, aut certe mancipia taxato pretio redimebantur, duodecim nempe solidis, ut habet Matisc. I, c. 16. GUSSANV.

[f] Ita una voce Mss. omnes Norm., Vatic., Anglic., Turon., Corb., Reg., Tell., Cisterciens., Vind., etc., et quidem optimo sensu. Scilicet cum Sardi presbyteri, ex Græcorum forte commercio, frontem chrismarent, ejusdem insulæ episcopi, suo jure antiqua Patrum traditione firmato, etiam ipsi in confirmatione baptizatorum signabant frontes. Frontalis chrismationis iterationem hanc Gregorius improbat. Ut vero episcopis proprium frontes signandi jus servet, ab illa consignatione longius arcet presbyteros, quibus nempe ne ipsam quidem verticis, ut in Romana Ecclesia, sed solam permittit pectoris unctionem. In Mss. quibusdam, detracta vocula *bis*, corrupto sensu legitur: *Episcopi baptizatos infantes signare in frontibus chrismate non præsumant.* Hujus, ni fallimur, lectionis absurditate moti Editores omnes, et ante illos nonnulli librarii, illi voci *episcopi*, hanc substituere *presbyteri*, quam vix in uno aut altero Mss. reperias.

[g] Excusi, *hæc aliqua ab iis.... differri.... admonere te volumus, ne piæ vivorum et defunctorum voluntates.* In nostra lectione conveniunt omnes Vatic. Turon., Norm., Corb., etc.

[h] Sic legimus in omnibus Norm., Corb., Reg. In Vatic. C et D, et *modum habet substantiæ.* In Excusis, *modus habetur substantiæ*; ad quæ verba Augetius: *Voces*, inquit, *jurisconsultis solemnes, id est certa quædam bonorum quantitas ad monasterii usus sufficiens. Modus etiam substantiæ opponitur facultati damnosæ, quam adire compellitur nemo.* Cod. lib. XVI, tit. de jure liber.

EPIST. X [*Al.* 15]. — [a] Hic in diversa abeunt mss. Codd. Vatic. B habet, *erecta mentis intentione.* Corb cum Vatic. A et C, *recta mentis intentione*, omisso *a*

## EPISTOLA XI.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM

*Etiam novorum reditiuum quartæ partes juxta canonicam distributionem dispensandæ. Presbyter aliusve clericus abbas non fiat, nisi relicta Ecclesiæ cui ministrabat cura. Defuncto episcopo, Ecclesiæ res diligenter, at gratis, describendæ. Visitatoribus et eorum clericis tribuendum stipendium. Virgo nondum sexagenaria non fiat abbatissa.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Olim quidem fraternitati tuæ nostra fuerat auctoritate commissum ut si qua in Siciliæ [a] excederentur Ecclesia cæterisque venerabilibus **691** locis, vel incongrue gererentur, nostra vice corrigeres. Sed quia post hæc de quibusdam neglectis hactenus capitulis ad nos querela pervenit, rursus ad eorum correctionem tuam fraternitatem specialiter prævidimus excitandam.

Cognovimus namque (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 19) de reditibus Ecclesiarum noviter acquisitis canonicam dispositionem [b] quartarum minime provenire, sed episcopos locorum tantummodo distribuere quartam antiquorum redituum, nunc vero quæsita suis usibus retinere. [c] Quamobrem pravam subintroductamque consuetudinem fraternitas tua vivaciter emendare festinet, ut sive de præteritis reditibus, sive de iis quæ nunc obvenerunt vel obvenerint, quartæ secundum distributionem canonicam dispensentur. Incongruum namque est unam eamdemque Ecclesiæ substantiam duplici quodammodo jure censeri, id est usurpationis et canonum.

Presbyteros (*Grat.* 16, *q.* 1, *c.* 38), diaconos, cæterosque cujuslibet ordinis clericos, qui Ecclesiis militant, [d] abbates per monasteria esse non permittas, sed [e] aut omissa clericatus militia, monachicis provehantur ordinibus; aut si in abbatis loco permanere decreverint, clericatus nullatenus permittantur habere militiam. Satis enim incongruum est si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus, sicque invicem et ecclesiasticus ordo vitæ monachicæ, et ecclesiasticis utilitatibus regula monachatus [f] impediat. Illud quoque (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 45) charitatem tuam commonere curavimus, ut si quispiam episcoporum de hac luce migraverit, vel, quod absit,

---

Vatic. D, *et rectam mentis intentionem*, consentientibus Turon., Rhem., Norm., quibus adhærendum putamus. Excusi, *a recta mentis intentione.*

[b] Ita quatuor Vatic. et Rhem. In Norm. et Corb. legitur, *quatenus vobis.... a cœlestibus mysteriis alienis, nec quem*, etc.

[c] In Vatic. præmittitur huic epist. *Mense Novembri, indict.* 12. In Turon. S. Gat., ad calcem, legitur: *Mense Septembri, indict.* 12.

EPIST. XI. — [a] Inter Codices sive mss. sive excusos hoc loco dissidentes, prætulimus quinque Norm., Rhem., Corb., Vatic. B et D, et Turon. In duobus tamen ultimis legitur *excideretur* pro *excederetur*, errore calami. In Vatic. A et C, habetur *exciderunt*. Consentit Michael In Reg., *exciderat*. In hoc solo verbo dissentiunt Mss., at in Editis multa sunt quæ a vera lectione deviant, et nullis in Mss. comparent; sic enim legitur, *Si quæ in Sicilia exciderent Ecclesiæ, cæterisque.*

[b] Ecclesiasticos reditus jam tunc in Romana Ecclesia fuisse divisos in quatuor partes, scilicet in episcopum, clerum, pauperes, sarta tecta, dubitare non sinunt tum hæc, tum aliæ plures Gregorii epistolæ: epist. 44 lib. v; epist. 9 lib. viii; epist. 44 lib. xiii. Idem pro Gallicanis Ecclesiis statuit conc. Aurel. i, c. 5. Vide Thomass., iii p., lib. ii, c. 13 et seqq.

[c] Excusi, *quam rem pravam.* Melius sane *quamobrem*, ut in omnibus Vatic., Norm., Corb., Reg., etc.

[d] His aliisve similibus verbis nihil aliud præcipitur quam ut titulus abbatis et cura monasterii non deferatur clerico extraneo, qui sæcularis Ecclesiæ titulum habeat, nec monachus sit; et si quidem talis clericus, relicta Ecclesia cui serviebat, jam factus sit abbas; ut, optione facta, aut abbatiale munus dimittat, si Ecclesiæ suæ titulo renuntiare nolit; aut Ecclesiæ suæ curam deserat, si in abbatis officio permanere decreverit. De his uberius in sancti Gregorii Vita a nobis adornata.

[e] Sic legere cogunt Mss. omnes in idem conspirantes, scilicet septem Norm., quatuor Vatic., Tur., Corb., Reg., etc. Consentiunt vet. Editi. In recentioribus habes: *aut admissa clericatus militia monasticis non promov. ordinibus;* quæ sane nullis in Mss. nobis occurrerunt. Cæterum ne cum viro erudito Lud. Dupin, tom. VI, p. 277, hanc esse Gregorii mentem putes, ut clerici ad monachos non transeant. Id Gregorius dixit nusquam; imo de diacono monasticam vitam amplectente, ad Desiderium Vienn. episcopum scribens, lib. xii, epist. 35: *Hortamur,* inquit, *ut tam promptæ devotioni ejus quam in sancto studet habere proposito minime vestra sit impedimento fraternitas; magis autem quibus valetis adhortationibus pastorali admonitione succendite*, etc. Concil. Tolet. iv, can. 49 (apud Loaisam 50): *Clerici qui monachorum propositum appetunt (quia meliorem vitam sequi cupiunt) liberos eis ab episcopo in monasteriis largiri oportet ingressus; nec interdici propositum eorum qui ad contemplationis desiderium transire nituntur.* Ex Gregorii verbis (*Clericatus nullatenus permittantur habere militiam*) concludit vir alias doctissimus vetuisse Gregorium Mag. ne idem abbas esset ac presbyter. Mirum sane id ab homine asseri veteris disciplinæ Orientalis atque Occidentalis non penitus ignaro. Ad Marcianum imp. adversus Eutychen scribunt archimandritæ xviii, iique presbyteri omnes, tom. VI Concil., Edit. Labb., col. 131; ejusdem hæresiarchæ damnationi subscribunt archimandritæ 23, e quibus presbyteri xviii, diaconus i. Ibidem, col. 231, epistolam scribit sanctus Leo 75, ad imperatorem, ad Pulcheriam Augustam, atque ad Constantinopolitanos abbates sexdecim, eosque, uno excepto qui diaconus erat, presbyteros. Denique Concil. tom. V, col. 171, concilii Constantinop. sub Menna, act. 5, refertur libellus supplex cui subscripsere archimandritæ presbyteri liii, cum diacono archimandrita uno. Plerosque etiam in Occidente abbates sacerdotio fuisse exornatos probat Cointius, ad annum 674, num. 55 et seqq. Idque ex Gregorio ipso indubitatum, cujus plures exstant ad abbates presbyteros aut quæ ipsorum meminerint epistolæ lib. i, epist. 9; lib. v, epist. 3 et 4; lib. viii, epist. 26; lib. xiii, epist. 8, 10, etc. Plura exempla profert Gussanvillæus hic, nota 3.

[f] Excusi, *impediatur*, quos sequeremur, nisi obessent omnes Vatic., Norm., Turon., Corb., etc.

[g] Forte hierarchis, licet ita legatur in omnibus Mss. et Editis. Variant tamen Editiones quædam. Lugdunensis an. 1539 habet ad marginem: *Al. æconomis.* Correctores decreti 12. q. 2, c. 45, legunt, *æconemis.* intelligerem episcopos visitatores, de quibus statim. GUSSANV. In Vatic. A et B, necnon in Pratel., legitur, *Ierathicis.*

pro suis fuerit remotus excessibus, [g] convenientibus hierarchicis cunctisque cleri prioribus, atque in sui præsentia inventarium Ecclesiæ rerum facientibus, **692** omnia quæ reperta fuerint subtiliter describantur, nec, sicut antea fieri dicebatur, [h] species quædam aut aliud quodlibet de rebus Ecclesiæ, quasi pro faciendi inventarii labore tollatur. Sic namque ea quæ ad munitionem pauperum facultatis pertinent desideramus expleri, ut nulla penitus in rebus eorum ambitiosis hominibus venalitatis relinquatur occasio.

Visitatores Ecclesiarum, clericique eorum, qui cum ipsis per non suæ civitatis parochias fatigantur, aliquod laboris sui capiant, te disponente, subsidium. Justum namque est ut illic consequantur stipendium, quo pro tempore suum commodare reperiuntur obsequium.

[i] Juvenculas abbatissas fieri vehementissime prohibemus (*Grat.* 20, *q.* 1, *c.* 12). Nullum [k] igitur episcopum fraternitas tua nisi sexagenariam virginem, cujus ætas hoc atque mores exegerint, [l] velare permittat, quatenus tam prioribus quam præsenti capitulo tuæ districtionis instantia Domino adjuvante correctis, et diu dissolutum rerum venerabilium statum [m] canonicis nexibus religare festines, et divina negotia non per incongruas voluntates hominum, sed competenti possint districtione disponi. [n] Mense Octobri, indictione 12. (*Cf. Joann. Diac. l.* IV, *c.* 34; *lib.* II, *c.* 54; *l.* III, *c.* 23.)

## EPISTOLA XII.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*Puniendum facinus quo ablata est cujusdam uxor, et alteri venundata.*

**Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.**

[h] Opponit species pecuniæ numeratæ: species pro frugibus, pro annonariis quantitatibus, etc. Gussanv. Minime quidem nos latet species tum apud jurisconsultos, tum apud alios scriptores, passim significare fruges, oleum, vinum, legumina. Hinc Gregorius Turon., respondens Felici Nannetensi episcopo, l. v Historiæ Francorum, cap. 5: *O si te*, inquit, *habuisset Massilia sacerdotem, nunquam naves oleum aut reliquas species detulissent.* Verum non raro per *species* supellex quævis pretiosior intelligitur, quæ significatio videtur magis convenire huic loco Gregorianæ ad Maximianum epistolæ. Gregorius Turon., lib. VI, cap. 38: *Magni ibidem thesauri ex auro argentoque, et multarum specierum reperti sunt.* Multa alia exempla profert doctissimus Cangius ad hanc vocem.

[i] Hodiernas dispensationes non sugillamus, sed veterum repræsentamus instituta. Cod. lib. I, tit. 3, leg. 47, edicit Justinianus ne mortua abbatissa, eligatur antiquior, quia non omnes æque sunt bonæ; sed, sacris Evangeliis propositis, assumatur idonea, utilis, præesse digna; cum sit conveniens omnem principatum, et omnem hominum præfecturam non ex temporibus, neque ex sortibus, neque ex fortuitis circumstantiis, sed ex eo quod præstantius est fieri. Sanctus Gregorius hic requirit LX annos ut virgo fiat abbatissa. Concil. Trident., sess. 25, de regularibus et monialibus, c. 7: *Abbatissa et priorissa..... ..... eligatur non minor annis* 40, *et quæ octo annis post expressam professionem laudabiliter vixerit*, etc. Gussanv.

[k] In Vatic. A. *nullam igitur episcopi sive fraternitas tua, nisi sexagenarianam.... velare permittant.* Vulgati, *nullam igitur fraternitas tua..... velari permittat.* Sequimur tres Vatic., omnes Norm., Corb., Turon., etc.

Tanta nobis subinde mala quæ aguntur in ista provincia nuntiantur, ut peccatis facientibus, **693** quod avertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus. Præsentium namque portitor veniens lacrymabiliter questus est ante plurimos annos ab homine nescio quo de possessione Messanensis Ecclesiæ de fontibus se susceptum, et [a] violenter diversis persuasionibus puellæ ipsius junctum, ex qua juvenculos filios jam habere se asseruit, et quam nunc violenter huic disjunctam abstulisse dicitur, atque cuidam alii venundedisse. Quod si verum est, quam sit inauditum atque crudele malum, tua dilectio perspicit. Ideoque admonemus ut hoc tantum nefas sub ea vivacitate quam te in causis piis habere certissime scimus requiras atque discutias. Et si ita ut supradictus portitor insinuavit, esse cognoveris, non solum quod male factum est, ad statum pristinum revocare curabis, sed et vindictam, quæ Deum possit placare, exhibere modis omnibus festinabis. Episcopum vero qui homines suos talia agentes corrigere negligit atque emendare vehementer aggredere, proponens quia si denuo talis ad nos [b] de quoquam qui ad eum pertinent querela pervenerit, non in eum qui excesserit, sed in ipsum canonice vindicta procedet [c]. (*Cf. Joann. Diac. l.* IV, *c.* 54.)

## EPISTOLA XIII.

### AD CLEMENTIUM EPISCOPUM.

*Adeodatus presbyter, si sola ægritudinis causa Ecclesiæ suæ defuerit, in locum suum restituendus.*

Gregorius [a] Clementio episcopo primati Bizaceno.

Præsentium latoris [b] Adeodati querelam (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 3), qui se sui presbyteratus loco incongrue dicit expulsum, licet subditæ tibi textus petitionis

[l] Velare scilicet in abbatissam: nam solemnior erat veli abbatissæ quam cæterarum sanctimonialium benedictio. Neque vero mens fuit sancti pontificis nullam virginem velandam nisi sexagenariam. Fatendum tamen antiquitus non statim velatas fuisse virgines sacras post emissum virginitatis votum. Hinc concilium Agathense, can. 19: *Sanctimoniales, quamvis bene vita earum ac mores probati sint, ante annum ætatis suæ quadragesimum non velentur.* Et Cæsaraugust., sub Damaso, c. 8: *Item lectum est non velandas esse virgines, quæ se Deo voverint, nisi* XL *annorum probata ætate.* Distinctio hæc susceptionis veli, et voti seu propositi virginitatis, patet etiam ex Innocentio I, ad Victricium Rothomag. scribente, c. 12 et 13. Quanquam ante annum ætatis 40 multas virgines olim sacrum velamen consecutas esse non dubitemus. Vide Ambrosium, lib. de Lapsu virg., c. 5 in psal. CXVIII, n. 20, et lib. I de Virginibus, c. 11. Ex laudatis locis constat velum olim solemniter datum fuisse virginibus ad altare; ad episcopos autem illud benedicere pertinebat. Consule notam 615 in librum Sacramentorum.

[m] Collapsam monasteriorum disciplinam secundum canones restaurare, et procurare, ut ex suæ regulæ præscripto vivant. Gussanv.

[n] In solo Colbert. vet. hoc legitur.

Epist. XII. — [a] *Violenter*, id est *ægre*, *invite*; sic ea voce utitur in Phormione Terentius. *Vis* et *jus* opponuntur, quanquam eisdem constent litteris. Quod jure non fit, vi dicitur fieri. At sæpe suasionibus extorquemus, quæ jure non fiunt. In matrimoniis autem debet esse voluntas prorsus libera. *Cum de jure*, inquit Cicero pro Cecinna, *et legitimis hominum controversiis loquimur, et in his rebus vim nominamus,*

explanet, tamen paulo judicavimus apertius retexendam. Asserit namque a Quintiano fratre et coepiscopo nostro in loco suo pro quibusdam se suis ordinandis negotiis relaxatum, ægritudinisque causa per duorum mensium spatium suæ se Ecclesiæ defuisse, cujus rei occasionem captantem prædictum fratrem nostrum alium loco ejus illic presbyterum ordinasse. Hortamur igitur fraternitatem tuam **694** ut causam ejus sollicite districteque perquiras. Et si manifestæ ægritudinis, sicut dicitur, causa Ecclesiæ suæ eum defuisse repereris, nullum ei ex ordinatione alterius presbyteri permittas præjudicium generari, sed in locum suum sine aliqua eum fac dubietate restitui. Sin autem aliter se res habere dicitur quam porrecta ab eo continere videtur suggestio, causam ejusdem canonice legitimeque perquire, et quidquid tibi secundum Deum visum fuerit, juvante Domino, ita stude decernere, ut nulla de hac re quæstio ad nos ulterius revertatur. Illud autem charitatem tuam specialiter admonemus (*Grat. ibid.*), ut si vera fuerit hujus suggestio, atque in suum fuerit ordinem restitutus, de presbytero qui in loco ejus ordinatus est, subtiliter districteque debeas esse sollicitus. Et si quidem sine datione aliqua ad eumdem ordinem pervenerit, ut in simoniacam hæresim non potuisset incidere, in alia quacunque vacante Ecclesia eum [c] volumus ordinari. Sin autem in eo quidpiam, quod avertat Dominus, fuerit tale repertum, ipso etiam presbyteratus privetur ordine, quem non causa rei plendæ necessitatis Ecclesiæ, sed sola comprobatur ambitione suscepisse.

## EPISTOLA XIV.

AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*Ut Felicem diaconum in sua Ecclesia suscipiat.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Præsentium lator Felix diaconus, cum nullatenus A in hæreticorum dogma lapsus sit, nec a catholica fide discesserit, pravis illectus adversus [a] Constantinopolitanam synodum suspicionibus, in Istricorum se separatione removerat. Qui cum Romam venisset, recepta a nobis juvante Domino ratione, excessum suum, recepta Dominici [b] corporis communione, correxit. Quia ergo, ut dictum est, non in hæresim incidit, sed a sacris generalis Ecclesiæ mysteriis quasi rectæ studio intentionis erravit, imbecillitati ejus atque necessitatibus consulentes, maximeque sustentationi ejus pietatis intuitu providentes, in tua Ecclesia **695** Syracusana eum prævidimus cardinandum; sive ut officium diaconatus expleat, seu certe ut sola ejusdem officii pro sustentanda paupertate sua commoda consequatur, in tuæ fraternitatis volumus hoc pendere judicio. Quod hortamur B ut tua fraternitas implere festinet. Commendantes etiam personam ejus, quatenus nullis eum patiaris molestiis aut necessitatibus subjacere, ne vel nostræ commendationis inveniaris tramitem neglexisse, vel minus exhibuisse quam tuus exigit ordo pauperibus, quia et nos ei annuum quid de nostra Ecclesia dari fecimus, ut ejusdem operis quod te hortamur exhibere participes esse possemus. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 20.)

## EPISTOLA XV.

AD JANUARIUM EPISCOPUM.

*Theodosiæ, monasterium in domo sua construere cogitanti, concurrat.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

C Theodosia religiosa femina in construendo monasterio voluntatem Stephani quondam viri sui complere desiderans, petiit a nobis ut ad fraternitatem tuam nostras transmitteremus epistolas, quibus per commendationem nostram tuum facilius mereretur auxilium. Asserit siquidem hoc a suo conjuge con-

*pertenuis vis intelligi debet.* GUSSANV.

[b] Supplenda vox *eorum*, scilicet, *de quoquam eorum qui ad eum pertinent.* Editores prætulerunt *pertinet;* sed invitis Mss. Eosdem secuti essemus, dum loco *procedere* reposuerunt *procedit;* sed cogimur sequi Mss. unanimem consensum, scilicet Vatic., Norm., Corb., Turon., Rhem., etc.

[c] In Vatic. subjicitur, *Mense Octobri, indict.* 12. Ita quoque in Turon. S. Gat.

EPIST. XIII. — [a] Sic restituimus hujus epistolæ inscriptionem ex Vatic., Norm., Colbert., Reg., Rhem., Corb., Turon., Anglic., quibus adde Gussanvillæi Codices, quos non indicat, præter Anglic. sex. Excusi habent, *Maximiano episcopo Syracusano;* quo vero in Ms. ita legerint, cum Romanis Gratiani correctoribus, prorsus nos latet. D

[b] Relaxatus a suo episcopo pro certis negotiis, causa ægritudinis defuerat per duos menses suæ Ecclesiæ; alter subrogatur: Adeodatus postulat restitui. Miror mores tam nostrorum dissimiles. Vide concilium Tridentinum, sess. 23, de Reform., c. 1. Crediderim pastorum hodiernorum absentiam ex eo ortam et auctam et excusatam, quod, irato canone 6 Chalcedon., presbyteri superfluunt, qui absentium vices suppleant quoquo modo, cum sancti Gregorii ætate non ordinarentur nisi necessarii; atque adeo, nisi adessent assidui, populus se querebatur destitutum. Illis erat paucitas utilis, nos turba perimus. Huc accurrit quæstio, num pastoribus liberum sit vel per se vel per substitutos, verbo, exemplo, oratione pascere, et opera vicaria suas partes explere. Negat recta ratio, siquidem electa est industria talis personæ. Confirmat lex 31, tit. *de solut.*, in digest.: *Inter artifices longa differentia est et ingenii, et naturæ, et doctrinæ, et institutionis. Ideo si navem a se fabricandam quis promiserit..... et hoc specialiter actum est ut suis operis id perficiat, fidejussor ipse ædificans..... non liberabit reum.* Et in Cod. 10, *de Decurionibus*, leg. 60: *Nullus qui nexu generis curiæ tenetur obnoxius, per substitutam quamcunque personam curiales impleat functiones, sed ipse per se debitum patriæ munus exsolvat*, etc. Barthol. Carranza, supra citatus, lib. I, epist. 79, id invictis auctoritatibus et rationibus demonstrat in libro de residentia Tridenti lecto, Venetiis impresso an. 1547. GUSSANV.

[c] Recent. Ed., *volumus cardinari.* Secus legitur in omnibus quos supra laudavimus Mss., quibus addendus Gratianus, qui habet *ordinari.*

EPIST. XIV. — [a] Nimirum quintum concilium generale, de famosis tribus capitulis Constantinopoli habitum; cujus occasione ab Ecclesiæ catholicæ communione multi secesserunt, maxime in Africa et in Istria; quod in synodi Chalcedonensis contemptum, quædam in illa synodo quinta decreta fuisse causarentur. De his uberius in Vita sancti Gregorii, et supra, lib. II, indict. 10, epist. 51.

[b] Excusi, *corporis et sanguinis.* Ultima verba nesciunt Mss.

stitutum, ut in prædio quod appellatur Piscenas, quod ad Xenodochii Thomæ quondam episcopi jura pervenit, monasterium construi debuisset. Quia igitur in alienis hoc fundare rebus, licet possessor, permitteret, [a] dominus tamen videtur cum ratione refugere, petitionem ejus prævidimus annuendam, id est ut in domo juris sui, quam Caralis asserit se habere, ancillarum Dei monasterium debeat Domino adjuvante construere. Sed quia prædictam domum suam dicit ab hospitibus atque supervenientibus onerari, hortamur fraternitatem tuam ut studeas ei in cunctis concurrere, devotionique ejus tuæ præbeas tuitionis auxilium, ut mercedis defuncti atque ejus studii tuus te concursus faciat et sollicitudo participem. Reliquiæ vero, quas ibidem postulat collocandas, volumus ut a fraternitate tua sub debita veneratione condantur.

## EPISTOLA XVI.

### AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Dispersa, quæ in Siciliam detulerant Itali sacerdotes, Ecclesiarum vasa colligantur, ac summa cautione serventur.*

Gregorius Cypriano diacono, rectori Siciliæ.

Pervenit ad nos diversos Italiæ sacerdotes Siciliam confugientes plurima secum Ecclesiarum suarum ministeria [a] detulisse, eaque sive defunctis eis, sive male dispergentibus, prope omnia deperiisse. Qua in re moti hortamur dilectionem tuam **696** quatenus transmittens per omnia Siciliæ loca, sicubi vasa sacra resque Ecclesiarum positas incaute repereris, eas cum summa districtione recolligi facias, atque adunatas [b] sub notitia atque desuscepto apud singularum Ecclesiarum episcopos deponas, apud quos usque dum pacis tempus expoposcerit, juvante Domino, debeant tutissime conservari. Omnium autem rerum ipsarum non solum desusceptum eos qui eas tradunt percipere volumus, sed etiam a te notitias earum subtiliter retineri, ut, dum necesse fuerit, ex hac cautela, juvante Domino, possint ab iis quibus traduntur sine imminutione restitui. [c] Mense Novembri, indictione 12.

## EPISTOLA XVII.

### AD FELICEM EPISCOPUM.

*Solidos duodecim, quibus Tribunus clericus redemptus fuit, redemptori restituat ex Ecclesiæ pecuniis.*

Gregorius Felici episcopo Sipontino.

Qualiter succurrendum sit redemptionibus captivorum, et sanctorum canonum [a] et mundanarum legum sanctio evidenter edocuit. Quod cum omnibus notum sit, mirati sumus ut fraternitas tua in redemptionem Tribuni clerici tui præsentium latoris nulla mota misericordia subveniret. Quod ergo sponte facere distulisti, nostra saltem facere festina adhortatione commonitus, ne si, quod non credimus, negligendum putaveris, incipiat tibi necessitas quod voluntas fugit imponere. Quia igitur supradictus Tribunus ab hostibus se prædatum [b] ac centum duodecim solidis se perhibet comparatum, ad quorum se deflet restitutionem urgeri, hæc te oportet diligenter inquirere. Et si ita est, nec eum unde pretium in se datum reddere possit habere cognoveris, suprädictos solidos de Ecclesia redemptori ejus restitue. Nam valde durum est si de Ecclesia cui militat remedium nullum inveniat. Omissa itaque excusatione, pretium quod in eo datum manifesta veritate patuerit, sine aliqua mora, sicut sumus præfati, restitue, quatenus nec creditorem ejus tempore necessitatis afflicto subvenisse pœniteat, et hic onere mœroris exutus, mente libera, officii sui ministerium sollicite ac

Epist. XV [*Al.* 8]. — [a] Scilicet ne in posterum privetur oblventionibus fundi censualis, Gall., *des lots et ventes*, et similibus de causis, propter manum mortuam, ut Galli dicunt, Latini possessionem immortalem, quia res nunquam ad alium dominum devolvitur, nec ad proprium redit. Gussanv. De monasterio illo sup., epist. 8; infra, lib. v, epist. 2. Emphiteuticarius non potest alienare fundum sine consensu domini, lib. ult., c. de jur. emphiteutic. Eadem ratione monasterium non potest fundari in alieno prædio, invito domino, licet consentiente possessore, id est emphiteuticario, ne facto emphiteuticarii deterior fiat conditio domini. Emphiteuticarii non habent proprietatem in fundo, sed jus in re, lege *si domus*, § ult., *de legat.* Ideirco non dicuntur domini, sed possessores. Augustinus, lib. de Unit. Eccles. contra Donatistas, cap. olim 17, nunc 20 : *Et servum de domino, et colonum de possessore.* Prædium emphiteuticum dicitur possessio emphiteutica. Idem, lib. I contra litt. Petil., cap. 82 : *Cum emisset possessionem, et hoc emphiteuticam.* Et hæc tria, dominum, possessorem, et colonum seu conductorem distinxit Gregorius Moral. lib. XIV, cap. 21, juxta vet. Edit. : *Quia enim et dominus auditus non est, non possessor agri, sed colonus creditus est.* Alteserra.

Epist. XVI. — [a] Sacram supellectilem veteres uno vocabulo *ministerium Ecclesiæ* appellabant. Gregorius Turon., lib. III Hist., c. 10 : *Inter reliquos thesauros ministeria pretiosissima detulit* Childebertus ex Hispania rediens, nimirum LX calices, XV patenas, XX Evangeliorum capsas, omnia ex auro puro ac gemmis pretiosis ornata. Eumdem videsis, lib. II de Gloria mart., c. 7; Alcimum Avitum, epist. 6, ad Victorium episcopum, cui respondet, ministeriis seu vasis hæreticorum ablatis, et Ecclesiæ oblatis Deum non delectari, *nisi infusa fornacibus et distenta per laminas pura efficiantur.* Idem censet de illorum templis, ratus *rem insensibilem, quæ primum innovata polluitur, nulla posse sanctificatione purgari.* Alia fuit mens Gregorii Mag. et ante ipsum Honorati episcopi Novariensis, qui templum idolorum in ecclesiam convertit, in cujus dedicationem Ennodius diaconus Ticinensis dictionem Honorato submisit, quæ dictio est secunda apud Ennodium.

[b] Sic restituimus ex Mss. Vatic., Norm., Reg., Corb., Rhem., etc. Hic *notitia*, et *desusceptum* significant indicem, catalogum, inventarium. Prius legebatur : *sub notitia testium suscipias, susceptasque apud episcopos Ecclesiarum deponas.*

[c] Ita Turon. S. Gat. In Colb. vet. legitur, *mense Septembri*, Editique consentiunt. Turonensis autem codicis lectionem prætulimus, quia jam plurimæ epistolæ præcesserunt hujus indict. quæ leguntur datæ *mense Octobri.*

Epist. XVII. — [a] De mundanis legibus erit instar omnium lex *Sancimus*, Cod. de sacrosanctis eccles., c. 21. Add. nov. 120, c. 9 et 10. Vide Aurel. I, can. 5; Rhem., can. 22.

[b] In Ed., *centum duodecim solidis.* Irrepsit *centum*, contra Mss. fidem. Certe servi pretium excedere non solebat XII solid. summam.

competenter exhibeat. [c] Mense Januario, indictione 12.

## EPISTOLA XVIII.

AD MAURUM ABBATEM.

*Dat monachis in perpetuum ecclesiam sancti Pancratii, tum ne missarum celebratio deinceps negligatur, tum ut ad martyris corpus opus Dei peragatur quotidie.*

Gregorius Mauro abbati.

Ecclesiarum cura, quæ sacerdotalibus officiis evidenter infixa est, ita nos cogit esse sollicitos, **697** ut nulla in eis neglectus culpa appareat. Quoniam vero [a] ecclesia sancti Pancratii, [b] quæ erat commissa presbyteris, frequenter neglectum habuisse cognovimus, ita ut venientes Dominico die populi missarum solemnia celebraturi, non invento presbytero, murmurantes redirent, hoc matura deliberatione nostro sedit arbitrio ut, eis remotis, monachorum congregationem [c] in monasterio eidem ecclesiæ cohærenti constituere cum Dei gratia deberemus, quatenus abbas qui illic præesset curam et sollicitudinem ante fatæ ecclesiæ habere modis omnibus debuisset. In quo etiam monasterio te Maurum abbatem prævidimus præponendum, statuentes ut terras præfatæ ecclesiæ, vel quidquid illuc intraverit, seu de reditibus ejus accesserit, ante dicto monasterio tuo debeat applicari, atque illic sine diminutione aliqua pertinere, ita sane ut quæcunque in ipsa suprascripta Ecclesia fienda reparandaque sunt per te sine dubio reparentur.

Sed ne remotis presbyteris quibus Ecclesia ipsa fuerat ante commissa, vacare [d] ministeriis videatur, idcirco hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus ut [e] peregrinum illic non desinas adhibere presbyterum, qui sacra missarum possit solemnia celebrare. Quem tamen et in monasterio tuo habitare, et inde vitæ subsidia habere necesse est.

Sed et hoc præ omnibus curæ tuæ sit, ut ibidem ad sacratissimum corpus beati Pancratii quotidie opus [f] Dei procul dubio peragatur. Hæc igitur, quæ tibi præcepti hujus facienda serie deputamus, non solum te perficere, verum etiam et ab his qui in officio locoque tuo successerint sic in perpetuum servari volumus et impleri, ut nullus deinceps in supradicta ecclesia possit *inveniri neglectus* [g].

## **698** EPISTOLA XIX.

AD LEONEM ACOLYTHUM.

*Ecclesiam sanctæ Agathæ in Subura commendat.*

Gregorius Leoni acolytho.

Locorum venerabilium cura nos admonet de eorum utilitate per omnia cogitare. Quia ergo ecclesia [a] sanctæ Agathæ sita in Subura, quæ spelunca

[c] Ita Colbert. vet. Tribunus est nomen proprium. Male autem in hoc titulo ponitur *redimento*, cum doceat epistola jam fuisse redemptum, et duodecim solidis comparatum. Quanta vero cura captivorum redemptionem Ecclesia procuraverit, docent sancti Patres, docent canones, docent exempla. Ob id sacra Ecclesiæ vasa, ministeria, bona sæpissime distracta sunt. Dies me deficeret recensentem. Vide 12, q. 2, can. *apostolicos*, ex VIII synodo, c. 15, etc. In Aurel. I, c. 5; Matisc. II, c. 5; Rhem., c. 22. Gelas., epist. 10. GUSSANV.

EPIST. XVIII. — [a] Prius legebatur, *Ecclesiam..... frequenter neglectam fuisse.* Sequimur Mss. Vatic., Norm., Corb., etc. Hujus ecclesiæ Romæ via Aurelia conditorem fuisse Honorium pontificem testatur Anastasius in ejus Vita. Ibi tamen sanctus Gregorius homiliam habuit ad populum, quæ est 27 in Evang. Partim ex GUSSANV. Hoc monasterium sancti Pancratii nunc est seminarium Carmelitarum discalceatorum. Vide Mabill. Itineris Ital. pag. 75.

[b] Jam tunc usus invaluerat ut uni titulo presbyteri plures essent ascripti. Unde in synodo Romana sub Symmacho, an. 499 habita, necnon sub ipso Gregorio, an. 594, aliquando unus, aliquando duo, tres, quatuorve unius ejusdemque tituli presbyteri subscripti inveniuntur. Quanquam observat Pancirolus basilicæ sancti Pancratii non tributum fuisse a principio tituli honorem, quod extra Urbem sita esset: tituli vero non tribuerentur basilicis extramuranis (quid de hac observatione sit sentiendum vide in præfat. ad hom. in Evang., n. 6), neque etiam stationes, nisi essent ecclesiæ patriarchales. Hinc forte dicitur, *commissa presbyteris*, quod cardinalem non haberet presbyterum, neque alios ascriptos sibi et omnino addictos. Etiam in basilicis quæ titulorum nomine insignitæ non erant, missæ publicæ nonnunquam celebratæ; ubi scilicet populi concursus ob reliquias vel cultum martyrum id exigebat. Suspecta itaque gratis habet ista verba Gussanvillæus, cum nullis in Codd. aut scriptis aut excusis desiderentur. Porro Gussanvillæus cum aliis recent. Edit. legit, *missarum solemnia audituri;* quasi dicere, populum sacra celebrare, periculum foret. Ita tamen legitur in omnibus Vatic., Norm., Reg., Corb., etc. Aliunde populum in consortium oblati sacrificii, tanquam comministrum et symmystam admittere nihil vetat. Imo in can. missæ legimus, *pro quibus tibi offerimus, vel qui tibi offerunt hoc sacrificium.* Vide notam 36 ad lib. Sacram.

[c] Vatic. B, *in monte eidem ecclesiæ cohærenti.*

[d] Al. *mysteriis*, ut habet Vatic. A et alii.

[e] Ne hic ex aliena diœcesi presbyterum cogites, cardinali seu titulato, ac forsan domestico opponi peregrinum. Ex hoc loco Gussanvillæus captata occasione observat priscis temporibus in monasteriis, aut nullum, aut unum tantum, et hunc ascititium fuisse presbyterum. Sed perperam. Hic agitur de monasterio vix inchoato. Designatur quidem abbas Maurus, sed aut nulli aut pauci ipsi adjunguntur monachi, ex quibus ne unum quidem presbyterum fuisse quid mirum? Quærendus itaque fuit presbyter peregrinus, fortasse ex aliquo vicino monasterio: nam si monasticam vitam professus non fuisset hic presbyter, quomodo in monasterio habitare, ac arctiorem monachorum vitam ducere consensisset? Prius lectum, *illic debeas adhibere.*

[f] Ita post S. P. Benedictum, regul. cap. 43 et 47, divinum officium nuncupat. Vide et lib. X, epist. 61, Jam sexto sæculo ineunte mos erat, ut in locis ubi sanctorum reliquiæ asservabantur, officia divina per proprios aut vicinos clericos persolverentur. Concil. Epaon., can. 25: *Sanctorum reliquiæ in oratoriis villaribus non ponantur, nisi forsan clericos cujuscunque parochiæ vicinos esse contingat qui sacris cineribus psallendi frequentia famulentur.*

[g] In Colb. vet. additur, *mense Januario indict.* 12, quod in Ed. Paris. vet. et in Vatic. annotatur.

EPIST. XIX. — [a] De hac ecclesia Vide lib. III Dialog., c. 30. Subura est Urbis Romæ regio satis nota, de qua Martialis, lib. VII, epigr. 30:

Id tota mihi nascitur Subura.

Et Horat., epod. 5:

Senem, quod omnes rideant, adulterum
Latrent Suburanæ canes.

Verum in antiqua Subura sitam esse hodiernam san-

fuit aliquando [b] pravitatis hæreticæ, ad catholicæ fidei culturam Deo propitiante reducta est, ideo hujus auctoritatis tenore commonitus, [c] pensiones omnium domorum in hac urbe constitutarum, quas prædictam ecclesiam temporibus habuisse Gothorum constiterit, annis singulis congregare non desinas, et quantum in sartis tectis, vel luminaribus, aliaque reparatione ejusdem ecclesiæ necessarium fuerit, erogare modis omnibus studebis. Quidquid vero exuberare potuerit, fideliter rationibus te ecclesiasticis inferre præcipimus. [d] Mense Aprili, indictione 12.

## EPISTOLA XX.

### AD MAXIMUM PRÆSUMPTOREM.

*Maximum violenter intrusum, ejusque ordinatores episcopos, ab omni sacerdotali officio summovet, donec de imperatoriæ jussionis veritate constiterit.*

Gregorius [a] Maximo præsumptori in Salona.

Licet cætera cujuspiam talia vitæ sint merita, ut nihil sit quod ex his sacerdotalibus valeat ordinationibus obviare, tamen solius nefas ambitus severissima canonum districtione damnatur. Cognovimus itaque quod vel surrepta vel simulata **699** piissimorum principum jussione, dum vita dignus non fueris, [b] te ad sacerdotii ordinem cunctis venerabilem prorupisse. Quod nos ideo sine ulla hæsitatione credidimus, quia vitam ætatemque tuam non habemus incognitam, ac deinde quia serenissimi domini imperatoris animum non ignoramus, quod se in [c] causis sacerdotalibus miscere non soleat, ne nostris in aliquo peccatis gravetur. Additur inauditum nefas, quod post interdictionem quoque nostram, quæ sub excommunicatione tua, ordinantiumque te facta est, cæsis presbyteris, diaconibus, cæteroque clero, manu militari ad medium diceris deductus. Quam rem nos consecrationem dicere nullo modo possumus (*Grat.* 9, *q.* 1, *c.* 1), quia ab excommunicatis est hominibus celebrata. Quia igitur sine ullius exempli forma violasti talem tantamque sacerdotii dignitatem, præcipimus ut usque dum dominici vel responsalis nostri cognoverim apicibus quod non surreptitia, sed [d] vera fueris jussione ordinatus, nullatenus tu ordinatoresque tui attrectare quidquam præsumatis sacerdotalis officii, neque usque ad rescriptum nostrum ad cultum vos sacri altaris accedere. Quod si contra hæc agere præsumpseritis, anathema vobis sit a Deo, et a beato Petro apostolorum principe, ut contemplatione judicii vestri, cæteris quoque catholicis Ecclesiis ultionis vestræ præbeatur exemplum. [e] Mense Maio, indictione 12.

## EPISTOLA XXI.

### AD VENANTIUM EPISCOPUM.

*Christianum mancipium retinere Judæis non liceat; qui vero Judæorum terras dudum colunt Christiani, peragant colere jure colonario.*

Gregorius Venantio episcopo [a] Lunensi.

Multorum ad nos relatione pervenit, a Judæis in Lunensi civitate degentibus, **700** in servitium Christiana detineri mancipia: quæ res nobis tanto visa est asperior, [b] quanto a fraternitate tua patientia operosior. Oportebat quippe te respectu loci tui, atque Christianæ religionis intuitu, nullam relinquere occasionem ut superstitioni Judaicæ simplices animæ non tam suasionibus, quam potestatis jure quodammodo deservirent. Quamobrem hortamur fraternitatem tuam ut [c] secundum piissimarum legum tramitem, nulli Judæo liceat Christianum mancipium in suo retinere dominio. Sed si qui penes eos inveniuntur, libertas eis tuitionis auxilio ex legum sanctione

ctæ Agathæ ecclesiam, qui Romæ sacra loca perlustravit, negat noster D. Bernardus de Montfaucon, docetque unde hæc ecclesia dicta *in Subura* Diarii Italici cap. 9.

[b] Scilicet Arianæ, ut explicatur lib. III Dial., c. 30.

[c] Cum temporibus Gothorum regum, qui erant Ariani, hæc ecclesia cessisset Arianis ubi suas synaxes haberent, illam multis donis ac pensionibus auxerunt et ditarunt.

[d] Ita Mss. Norm., Turon., S. Gat., Colb. et alii.

EPIST. XX. — [a] Vide, supra, epist. 10.

[b] Recent. Ed., minus consultis Mss., *te sacerdotii ordinem..... præripuisse.*

[c] His consonat quod habetur apud Theodoretum, lib. IV Hist. Eccles. c. 18, et Gregorium II, epist. 1 ad Leonem Isaurum, de sacris imaginibus in septima synodo. Sacerdotiorum causis immiscere se noluit sanctus Ludovicus. Vide illius pragmaticam, an. 1668 editam, genuinam scilicet atque integram, non mutilatam, qualem inter statuta quædam synodalia Parisiensis diœcesis olim ediderunt. AUGET.

[d] Multas ob causas videbatur Maximus ab episcopatu Salonensi arcendus. Ambitum, simoniam, vim factam, electionem spretam, neglectam summi pontificis auctoritatem, subrepta ab imperatore aut conficta diplomata sive jussiones criminabantur. Præ cæteris urget sanctus Gregorius jussiones imperatoris videri sublestæ fidei, urget rem fuisse confectam inscio Romano responsali, inscio Romano pontifice, cujus erat ditionis Salona. Addiderat Maximus præfractam contumaciam, violando censuras. Quorsum vero, inquiunt, istiusmodi jussiones ab imperatore? Temporibus, inquam ego, serviendum erat, canonibus tantisper sepositis. Sic pontifex ipse Romanus ab imperatore confirmabatur; sic investituris sequentium sæculorum, quas postmodum sub nominationum cortice utcunque revixisse cernimus, proludebant. De jure disceptent alii, testatur de facto sanctus Gregorius, testantur historici. Nec certe annatarum bullarumque nostratium, quibus de episcopatibus pinguioribusque sacerdotiis providetur, memoria sive origo tam prisca est. Negare tamen videtur sanctus Gregorius in more positum episcopos istis jussionibus promovere, eos scilicet qui Romano pontifici suberant, quanquam ea quam adducit ratio, quoad omnes æque militet. Cæterum sciscunt canones nullum invitis populis præfici pastorem, astipulatur ratio; hinc principibus multum juris accedit in promotione episcoporum. GUSSANV.

[e] Sic legitur in Mss. Vatic., Norm., Turon. S. Gat., Colbert., etc.

EPIST. XXI. — [a] Luna urbs Etruriæ antiquissima, olim episcopalis, in Liguriæ confinio ad ostia Macræ fluvii, vulgo *la Magra*, excisa circa an. 856. Ei successit in episcopali dignitate Sarzana urbs Genuensis ditionis, ab ea distans MMM pass. GUSSANV.

[b] Ita vet. Ed. cum omnibus pene Mss., sc. Norm., Corb., Rhem., Turon., Reg. et Vaticanis. In Vatic. A tamen legitur, *quanto a fraternitatis tuæ patientia operabatur.* Nullibi autem occurrunt nobis quod habent recent. Ed., scilicet, *quanto ea fraternitati tuæ patientia operabatur.*

[c] In Cod., lib. I, tit. 10: *Ne Christianum mancipium hæreticus, vel Judæus, vel paganus habeat, vel possideat, vel circumcidat.*

servetur. Ili vero qui in possessionibus eorum sunt, licet et ipsi ex legum districtione sint liberi, tamen quia colendis eorum terris diutius adhæserunt, ut pote [d] conditionem loci debentes, ad colenda quæ consueverant rura permaneant, pensiones prædictis viris præbeant, et [e] cuncta quæ de colonis vel originariis jura præcipiunt peragant, extra quod nihil eis oneris amplius indicatur. Quod si quisquam de his vel ad alium migrare locum, vel in obsequio suo retinere voluerit, ipse sibi reputet qui jus colonarium temeritate sua, [f] jus vero dominii sibi juris severitate damnavit. In his ergo omnibus ita te volumus solerter impendi, ut nec direpti gregis pastor reus existas, nec apud nos minor æmulatio fraternitatem tuam reprehensibilem reddat.

## EPISTOLA XXII.

AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Hortatur ut Venantium Lunensem episcopum in cleri sui ac cæterorum religiosorum emendatione adjuvet.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Quorumdam [a] de Laudensium venientium partibus ad nos relatione pervenit, [b] religionem locorum ipsorum ita ab ecclesiasticæ disciplinæ tramite deviasse, ut nullatenus in suis moribus, **701** actionibusque canonicæ dispositionis statuta respiciant. Quæ quia erant et examinanda subtilius, et severius ulciscenda, præsentium latorem Venantium fratrem et coepiscopum nostrum ut instanter emendarentur, admonui. Sed pro magnitudine inquietudinis excedentium personarum, solum se non judicavit in hujusmodi inquisitione sufficere; ideoque postulavit a nobis ut in eodem examinando negotio fraternitatis tuæ ei adjiceretur atque auctoritatis auxilium. Quanquam igitur fraterna dilectio hoc a te et sine nostris scriptis debeat exigere, tamen præsentibus quoque vos specialiter epistolis adhortamur, ut adhibito vobis prædicto fratre nostro, cunctos clericos [c] cæterosque religiosos prænominatæ civitatis et territorii ejus [d] de excessibus quorum aliquid est suspicionis ad te venire compellas, atque cuncta secundum Deum propter futuri metum judicii subtiliter inquirentes, si quem a canonum statutis recessisse reperentis, canonica eum ultione corrigite. Nec patiamini in locis vestris eos qui non gerunt in moribus quod ostendunt in habitu per abrupta diutius evagari. Quos oportet et ad rectitudinis normam pastorali vos circumspectione reducere. Ita ergo fraternitas tua, cunctis solertius indagatis, quæ nobis in talibus nuntiata sunt corrigat, ordinet, atque in futurum sopire festinet, ut et animæ tuæ proficiat, si tui causas vigilanter atque vivaciter perscrutaris officii, et nostrum minime frustrari permittas, quod semper de tuæ maturitatis habuimus districtione judicium.

## EPISTOLA XXIII.

AD HOSPITONEM DUCEM BARBARICINORUM.

*Felici et Cyriaco in convertendis ab idololatria Barbaricinis laborantibus faveat.*

Gregorius [a] Hospitoni duci Barbaricinorum.

Cum de gente vestra nemo Christianus sit, in hoc scio quia omni gente tua es melior, quia tu in ea Christianus inveniris. Dum enim Barbaricini omnes, ut insensata animalia vivant, Deum verum nesciant, ligna autem et lapides adorent, in eo ipso quod Deum verum colis, quantum omnes antecedas ostendis. Sed fidem quam percepisti etiam bonis actibus exsequere et verbis, et Christo, cui credis, offer quod prævales, ut ad eum quoscunque potueris adducas, eosque baptizari facias, et æternam vitam diligere admoneas. Quod si fortasse ipse agere non potes, quia ad aliud occuparis, salutans peto ut hominibus nostris, quos illuc transmisimus, fratri scilicet et **702** coepiscopo meo Felici, filioque meo Cyriaco servo Dei, solatiari in omnibus debeas, ut dum eorum labores adjuvas, devotionem tuam omnipotenti Domino ostendas; et ipse tibi in bonis actibus adjutor sit, cujus tu in bono opere famulis solatiaris. Benedictionem vero sancti Petri apostoli per eos vobis transmisimus, quam peto ut debeatis benigne suscipere. [i] Mense Junio, indictione 12.

[d] Id est, onus, debitum, legem, etc. GUSSANV. In Vatic. A legitur, *conditione loci debentes*. Consentit Reg.

[e] Coloni alii mercede colunt, alii ex conditione ut certam ex agro pensionem solvant, neque unquam discedant. Vide Codicis lib. II, tit. *de agricolis, censitis et colonis*, ubi etiam de originariis multa et de ascriptitiis, quæ percurrere nostri non est instituti. Jus colonarium hic usurpatur pro conditione coloni, sive pro jure exigendi a colono talem pensionem annuam. Originarii sunt, qui ex ascriptitiis nati sunt, in ipso solo, quos sine gleba vendere non licebat. Ascriptitii sunt, qui per annos 30 fuerunt in solo, qui titulus est præscriptionis; vel duplici scripto promiserunt se nunquam inde discessuros. GUSSANV.

[f] Ita Mss. Norm., Reg., Corb. et Vatic. A et C, necnon vet. Ed. In Vatic. B legitur, *ipse se juris severitate damnabit*. In D, *jus vero dominii sub juris severitate damnavit*. Excusi recent., *jus vero juris dominii sui severitate damnavit*.

EPIST. XXII. — [a] Ed. recent., *Lunensium*, quod legitur in Reg.; at in omnibus Norm.; Turon., Rhem., Teller., et in Vatic. D, legitur *Laudensium*. Laus Pompeia, nunc *Lauda*, vulgo *Lodi*, urbs est Insubriæ, episcopalis, ad ripam Addæ seu Adduæ fluvii. Veteri urbe a Mediolanensibus excisa an. 1119 alia non longe a veteris ruderibus exstructa est, nunc amplissima. Cum archiepiscopo Mediolanensi subditi essent Laudenses clerici, tanquam suo metropolitano, de eorum moribus emendandis merito scripsit sanctus Gregorius ad Constantium.

[b] Ita quoque restituimus ex Mss. Vatic., Norm., etc., consensu. Vulgati habent, *religiosos*.

[c] Etiam clerici eo censentur nomine, ut et alias laici. Vide lib. I, epist. olim 59, nunc 61, et Joannem Filesacum, comment. in Vincentii Lirinensis Commonit., n. 12. Talem interpretationem confirmant auctores profani, sacra Scriptura, prisci Patres sancto Gregorio coævi. *Partim ex* GUSSANV.

[d] Norm., *de quorum aliquid est suspicionis excessionibus*.

EPIST. XXIII [*Al.* 27]. — [a] In Reg., Colb., Teller., Corb., Norm. et tribus Vatic., legitur, *duci barbarorum*. Barbaricinos fuisse Sardiniæ incolas probat Holstenius annotat. in Ortelium, pag. 28, ex hac veteri inscriptione Prænest.: *Sex. Julius Sex. F. Pol. Rufus evocatus Divi Aug. Præfectus I. cohortis Corsorum et Civitatum Barbarici in Sardinia*. De illis epistola seq. atque lib. XI, epist. 22.

[b] Ita Turon. S. Gat., duo Teller., Vatic. et Norm.

## EPISTOLA XXIV.

AD ZABARDAM DUCEM SARDINIÆ.

*Gratias agit quod eo pacto cum Barbaricinis facere pacem disponat, ut Christo serviant.*

Gregorius Zabardæ duci Sardiniæ.

Scriptis fratris et coepiscopi mei Felicis et Cyriaci servi Dei, gloriæ vestræ bona cognovimus. Magnasque omnipotenti Deo gratias agimus quod talem ducem Sardinia suscepit, qui sic sciat quæ terrena sunt reipublicæ exsolvere, ut bene etiam noverit omnipotenti Deo obsequia patriæ cœlestis exhibere. Scripserunt etenim mihi quod eo pacto cum [a] Barbaricinis facere pacem disponitis, ut eosdem Barbaricinos ad Christi servitium adducatis. Hac de re valde lætatus sum, et dona vestra, si omnipotenti Deo placuerit, citius serenissimis principibus innotesco. Vos ergo, quod cœpistis explete, omnipotenti Deo devotionem vestræ mentis ostendite, eos quos illuc ad convertendos Barbaricinos transmisimus quantum valetis adjuvate, scientes quod talia opera multum vos et ante terrenos principes, et coram cœlesti rege prævaleant adjuvare.

## EPISTOLA XXV.

AD NOBILES AC POSSESSORES IN SARDINIA.

*Quod rusticos suos ab idolorum cultu non avertant arguit; id præstare si nequeunt, saltem Felici et Cyriaco ad hoc opus missis opem ferant.*

Gregorius nobilibus ac possessoribus in Sardinia insula consistentibus.

Fratris et coepiscopi mei Felicis [a] vel filii mei Cyriaci servi Dei relatione cognovi pene omnes vos rusticos in vestris possessionibus idololatriæ deditos habere. Et valde hac de re contristatus sum, quia scio quod subjectorum culpa præpositorum deprimit vitam, et cum in subjecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur. Unde, magnifici filii, exhortor ut omni cura omnique sollicitudine animarum vestrarum **703** zelum habere debeatis, et quas rationes omnipotenti Deo de subjectis vestris reddituri estis aspiciatis. Ad hoc quippe vobis illi commissi sunt, quatenus et ipsi vestræ utilitati valeant ad terrena servire, et vos per vestram providentiam eorum animabus ea quæ sunt æterna prospicere. Si igitur impendunt illi quod debent, vos eis cur non solvitis quod debetis? id est, ut assidue illos magnitudo vestra commoneat, ab idololatriæ errore compescat, quatenus eis ad fidem ductis, omnipotentem Dominum erga se placabilem faciat. Ecce enim mundum hunc quam vicinus finis urget aspicitis; quod modo humanus in nos, modo divinus sæviat gladius videtis; et tamen vos veri Dei cultores a commissis vobis lapides adorari conspicitis, et tacetis? Quid, quæso, in tremendo judicio dicturi estis, quando hostes Dei et sub potestate vestra suscepistis, et tamen eos Deo subdere atque ad eum revocare contemnitis? Unde debitum salutationis alloquium solvens, peto ut [b] magnitudo vestra attendere erga zelum Dei vehementer invigilet, et quis quantos ad Christum perduxerit suis mihi epistolis indicare festinet. Quod ergo vos agere ex aliqua occasione forsitan minime valetis, prædicto fratri et coepiscopo nostro Felici vel filio meo Cyriaco injungite, eisque ad opus Dei solatium præbete, ut in remuneratione vitæ tanto possitis esse participes, quanto nunc bono operi solatium præbetis.

## EPISTOLA XXVI.

AD JANUARIUM EPISCOPUM.

*Clericos, a quibus despiciebatur, ad disciplinam cogendos. Rusticum in infidelitate pertinacem pensionis onere premendum. Clerici carne lapsi irrevocabiliter deponantur. Accurate, antequam ordinentur, examinandi. Sardiniæ presbyteris id concedit quod vetuerat, ut nempe, quos baptizabunt, si episcopi desint, chrismate in frontibus tangant.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Fratris et coepiscopi nostri Felicis, et Cyriaci abbatis relatione cognovimus (*Grat.* 11, *q.* 1, *c.* 40) quod in **704** insula Sardinia sacerdotes a laicis judicibus opprimantur, et fraternitatem tuam ministri sui despiciant; dumque solum simplicitati a vobis studetur, quantum videtur, disciplina negligitur. Unde hortor ut, omni excusatione postposita, ecclesiam quam suscepisti auctore Deo regas, [a] disciplinam clericis tenere, nullius verba metuere studeas. Archidiaconum vero tuum (*Grat. dist.* 81, *c.* 29), ut audio, cum mulieribus habitare prohibuisti, et nuncusque in ea prohibitione despiceris. Qui nisi jussioni tuæ paruerit, eum sacro ordine volumus esse privatum.

Accidit autem aliud valde lugendum, quia ipsos

Epist. XXIV [*Al.* 21]. — [a] Procopius pulsos ex Africa a Vandalis barbaros memorat. Hos putat Holstenius esse Sardiniæ populos, ex veteri inscriptione Prænestina quam refert in annot. in Cluverium, pag. 28. Gussanv. De illis iam epist. 22, supra, et infra, epist. 27.

Epist. XXV [*Al.* 23]. — [a] Ita Mss. Vatic., Norm., etc., ubi particula *vel* vim habet copulativæ *et*.

[b] Ita Ed. omnes. Ms. Reg., *ut magnitudinem vestram accendere.... invigiletis*. Corb., *ut magnitudo... accendi... invigilet*.

Epist. XXVI. — [a] Excusi, *disciplinam clericos tenere cogas*.

[b] De Paganis et Judæis ad fidem aut compellendis aut alliciendis, vide lib. I, epist. 35 et 47; lib. V, epist. 7; lib. IX, epist. 6. Sic Luc. XIV compelluntur intrare non suasionibus tantum, sed vi indirecta. Sanctus Augustinus, lib. II contra secundam Gaudentii epistolam, cap. 17: *Quod autem vobis videtur invitos ad veritatem non esse cogendos, erratis, nescientes Scripturas neque virtutem Dei, qui eos volentes facit, dum coguntur inviti*, etc. Pergat lector usque ad finem capitis. Et in epistola ad Vincentium, quæ est 48, nunc 93: *Vides non esse considerandum quod quisque cogitur, sed quale sit illud quo cogitur. Utrum bonum, an malum? non quo quisque bonus possit esse invitus, sed timendo quod non vult pati, relinquit impedientem animositatem, vel ignoratam compellitur cognoscere veritatem, ut timens vel respuat falsum de quo non contendebat, vel quærat verum quod sciebat, et volens teneat jam quod nolebat*, etc. De ista coactione, supra, epist. 34 lib. I. Vide etiam Augustinum, epist. 50, ad Bonifacium, ubi multa in hanc sententiam. Item sanctum Gregorium, lib. VII, indictione 2, epistola 5, et Gregorium Turonensem, Histor. lib. V, cap. 11. Gussanv.

rusticos, quos habet Ecclesia tua, nuncusque in infidelitate remanere negligentia fraternitatis vestræ permisit. Et quid vos admoneo ut extraneos ad Deum adducatis, qui vestros ab infidelitate corrigere negligitis? Unde necesse est vos per omnia in eorum conversionem vigilare. Nam si cujuslibet episcopi in Sardinia insula paganum rusticum invenire potuero, in eumdem episcopum fortiter vindicabo. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 47.)

Jam vero (*Grat.* 23, *q.* 6, *c.* 4), si rusticus tantæ fuerit perfidiæ et obstinationis inventus, ut ad Dominum Deum venire minime consentiat, [b] tanto pensionis onere gravandus est, ut ipsa exactionis suæ pœna compellatur ad rectitudinem festinare.

Pervenit etiam ad nos (*Grat. dist.* 50, *can.* 9) [c] quosdam de sacris ordinibus lapsos, vel post pœnitentiam, vel ante, ad ministerii sui officium revocari, quod omnino prohibuimus, et in hac re sacratissimi quoque [d] canones contradicunt. Qui igitur post acceptum sacrum ordinem lapsus in peccatum carnis fuerit, sacro ordine ita careat, ut ad altaris ministerium ulterius non accedat. Sed ne unquam ii qui ordinati sunt pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aspiciatur [e] si vita eorum continens in annis plurimis fuit, [f] si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerunt. Quærendum quoque est ne forte fuerit bigamus. Videndum etiam ne sine litteris, aut ne obnoxius curiæ, compellatur post sacrum ordinem [g] ad actionem publicam redire. Hæc itaque omnia diligenter fraternitas vestra inquirat, ut, dum diligenter **705** quilibet exquisitus ordinatur, non celeriter post ordinationem deponatur. Ea autem quæ fraternitati vestræ scripsimus, cunctis sub vobis episcopis innotescite, quia ego illis scribere nolui, ne honorem vestrum viderer imminuere.

Pervenit quoque ad nos quosdam scandalizatos fuisse, quod presbyteros chrismate tangere eos qui [h] baptizandi sunt prohibuimus. Et nos quidem secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ fecimus; sed si omnino hac de re aliqui contristantur, ubi episcopi desunt, ut presbyteri etiam in frontibus baptizandos chrismate tangere debeant concedimus (*Grat. dist.* 95, *c.* 1; *lib.* IV *Sent. dist.* 7, *cap.* 1. *Vide sup. ep.* 9).

[c] Ista sedet sancto Gregorio sententia, lapsos istiusmodi nunquam ad ordinem revocari debere. Lege totam distinct. 50, in qua hæc quæstio in utramque partem multis hinc inde allatis auctoritatibus agitatur. Placet admodum relatus Augustini locus ex epist. 50, nunc 185, ad Bonifacium. Agnoscit constitutum ab Ecclesia, *ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat.* Id factum dicit, *non desperatione indulgentiæ, sed rigore disciplinæ.* Hanc inventam disciplinam *contra fictas pœnitentias.* Fictas autem fuisse *per affectatas honorum potentias. Desperatione temporalis altitudinis medicinam* fore *majorem et veriorem.* Posse tamen ob emergentes occasiones *aliquid detrahi isti severitati.* GUSSANV. Quid autem per sacros ordines accipere debeamus, docent nota €84 et tres sequentes ad lib. Sacram.

[d] Nicænum concilium, can. 10; Ancyr., can. 1; canon. apostol. 29; in decretis Siricii papæ, c. 7; in decret. Innocent., c. 21 et 33, etc. GUSSANV.

[e] Promovendos ad ordines, anhelantes ad sacerdotia, pœnitentiæ tribunali præficiendos variis hac ætate scrutiniis explorant. Omitto vestium, capillorum, lineorum collarium, et si qua sunt istiusmodi, quantitatem et qualitatem. Dissimulo exteriorem disciplinam ad cujusque præfecti arbitrium admirabili varietate distinctam, quæ videtur rigidius multo quam sacri canones observari. Sunt vero qui de prudentia ac sensu communi vix quidquam investigantes, in ipsam scientiam quoquomodo, ut mihi quidem videtur, inquirunt. Quot sunt, inquiunt, filiæ superbiæ? Quot partes potentiales temperantiæ, etc. Quasi vero sit ullius theologi tam exprompta memoria, ut queat in promptu quingentis istiusmodi interrogationibus respondere? Quid si liceret vicissim ab examinatoribus sciscitari quantus sit excommunicationum irregularitatumque numerus, quot sint fidei capita, quot hæreses, quot morum in sacris Scripturis dogmata, quot canones Ecclesiæ, quot virtutes Christianæ? fortassis eorum adhæreret lingua palato. Itaque censerem primo quidem inquirendum esse de moribus, tum de prudentia, de sensu communi, an sciendi modum habeant, an lectioni vacent sacrarum Scripturarum, quodnam sit eorum erga canones studium, an sint et doceri et docere habiles. His fundamentis tuto inædificamus. Interim legatur Toletanum IV, canone 24; Turonense III, can. 2, 3; Cabilonense II, canone 1, 2; Aquisgranensis II, anno 836, capitulum secundum in multis articulis, etc. Cæterum juvat observare inter plurimas conditiones clericales a sancto Gregorio quasi præcipuas recenseri continentiam, et amorem eleemosynarum, id est castitatem ommodam, et pecuniarum contemptum cum earum usu legitimo. GUSSANV.

[f] Norm., Corb., Vatic. A et C, sic habent, consentiuntque vet. Edit. Recentioribus magis arrisit, *si studium orationis.* In Vatic. B legitur, *si studium orationis et lectionis.*

[g] Prius lectum, *ad exactionem publicam*, quod reprobatur a Mss.

[h] Hic repræsentamus Mss. sex Anglic., totidem Norm., Corb., duos Teller. et Sorbon., quibus consentiunt Edit. vet. Veneta an. 1505, Paris. 1518, 1571 et 1586, Basil. 1564. Ita legi in Rhemensi et Turon. veteribus Mss. nullus dubito, licet qui Codices illos recensuerunt et varias lectiones collegerunt ea de re sileant, quia ad veteres Editiones mss. hoc loco prorsus conformes ipsos contulerunt. Ex Vaticanis duo tantum cum aliis Mss. conveniunt. Dissidet etiam Colbert. vetus. In alio Colb. recentiori legitur tum in epistola 9, tum in 26, *presbyteri baptizandos*, non vero *baptizatos.* Cum itaque de hac vera lectione jam constet, ruere nunc videtur quod nonnulli theologi ex his locis corruptis statuerunt, scilicet sanctum Gregorium, cum Sardis presbyteris prius obstitisset, jus episcopale consignandi in fronte infantes ex chrismate usurpantibus, id postea ipsis indulsisse, ubi non adessent episcopi. Etenim cum sanctus Doctor de infantibus tantum *baptizandis* loquatur, non vero de *baptizatis*, quamlibet presbyteris chrismationem seu unctionem etiam in fronte nondum baptizatorum faciendam permittat, ea duntaxat ad ritum baptismi referri debet, non vero pro consignatione quæ ab episcopis fieri solet ac pro confirmationis sacramento censeri. Hoc sane argumento prima fronte arietare nobis videbatur communis theologorum opinio, de collato, vel confirmato a sanctissimo pontifice Sardiniæ presbyteris privilegio, infantes vice absentium episcoporum consignandi et confirmandi. Verum ut cum iisdem ita quoque sentiamus hæc tandem nos coegerunt. Constat sanctum Gregorium epistola posteriori, scilicet 26, illud concessisse, quod priori, nempe 9, prohibuerat, unctionemque ac consignationem permissam, quæcunque fuerit, *secundum usum*

## EPISTOLA XXVII.

AD JANUARIUM EPISCOPUM.

*A xenodochis rationes exigat; ii sint notæ probitatis atque industriæ clerici. Qui Epiphanium presbyterum scriptis epistolis accusavit, si in probatione deficiat, communione privetur. Paulus clericus in maleficiis deprehensus detur in pœnitentiam. Gratis ordinentur, vel connubio jungantur clerici; gratis velentur virgines. Ad laicorum patrocinia clerici non confugiant.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Oportebat quidem fraternitatem tuam ita de rebus piis esse sollicitam, ut nihil ad explendas eas nostris admonitionibus penitus indigeret; tamen quia quædam ad nos pervenerunt quæ **706** sunt corrigenda capitula, nihil est incongruum si nostræ quoque vobis pagina auctoritatis accedat.

Quamobrem significamus pervenisse ad nos consuetudinem fuisse ut [a] xenodochia quæ sunt in Caralitanis partibus constituta, apud episcopum civitatis A singulis quibusque temporibus suas subtiliter rationes exponerent, ejus videlicet tuitione atque sollicitudine gubernanda. Quod quia tua hactenus fertur charitas neglexisse, hortamur ut, sicut dictum est, tibi singulis quibusque temporibus rationes suas xenodochi, qui in eis sunt constituti vel fuerunt, subtiliter ponant. Atque [b] tales in eis qui præsint ordinentur, qui vita, moribus, atque industria inveniantur esse dignissimi, religiosi duntaxat, quos vexandi judices non habeant potestatem, ne si tales personæ fuerint, quas in suum possint evocare judicium, vastandarum rerum debilium qui illic rejacent præbeatur occasio; de quibus rebus summam te curam gerere volumus, ut nulli sine tua dentur notitia, ne usque ad direptionem earum ex fraternitatis tuæ perveniatur in- B curia.

Præterea nosti latorem præsentium Epiphanium presbyterum quorumdam [c] Sardorum litteris crimi-

*veterem Ecclesiæ Romanæ*, imo Ecclesiarum fere omnium Occidentalium, non a presbyteris adhibitam unquam, sed a solis episcopis : nec alia lege Sardis presbyteris illam administrandi jus collatum, nisi ubi deessent episcopi. At quænam alia potest excogitari præter sacramentalem chrismationem? Unctio enim vel in pectore vel in vertice baptizandorum ex chrismate ad presbyteros pertinebat in qualibet Ecclesia, adeoque in Romana, modo baptizandi licentiam ab episcopo consecuti essent. At, inquies, agit sanctus Gregorius de infantibus baptizandis, qui cum baptismi expertes adhuc essent, ad confirmationem recipiendam nondum erant idonei. Agit sanctus Doctor de infantibus qui baptizabantur, eodemque fere tempore consignabantur, pro illorum temporum more. Certe ubi legitur epist. 9 : *Sed presbyteri baptizandos* C *ungant in pectore, ut episcopi postmodum ungere debeant in fronte*, scilicet infantes, quos supra dixit baptizandos, eadem ratione quis arguet : Ergo episcopi nondum baptizatos, sed tantum baptizandos consignabant et confirmabant. Itaque de catechumenis ante immersionem chrismate in fronte tangendis Gregorium intelligat nemo, quippe baptizandos, antequam immergerentur, simplici quidem oleo inunctos legimus, at nunquam chrismate, de quo Beda in Cantic. cant. cap. I, 15. Deinde, ut jam observavimus, Gregorium de illa frontis chrismatione loqui quæ episcopis reservabatur, nec nisi super baptizatos fiebat, evincit concessionis ejus hæc restrictio : *ubi episcopi desunt*. Etenim, ut declarat Innocentius I, epist. 1, ad Decentium Eugubinum, cap. 3 : *Presbyteris seu extra episcopum, seu præsente episcopo, cum baptizant, chrismate baptizatos ungere licet, sed quod ab episcopo fuerit consecratum; non tamen frontem ex eodem oleo signare, quod solis debetur episcopis cum* D *tradunt Spiritum Paracletum*. Porro vocibus illis, *secundum usum veterem Ecclesiæ nostræ*, satis innuitur viguisse diversum in aliis Ecclesiis morem. Nota est Orientalium praxis. De Hispanis, imo de Gallicanis ipsis tacemus; neque enim Eliberitanos Toletanosve canones, neque Arausicanum, ex acri Sirmondum inter et Aurelium controversia celebrem, discutere nostri est instituti. Unum de Africa, cujus exarchatui contributa erat Sardinia, hic observamus : Afris presbyteris ne chrisma conficerent plurimis canonibus prohibitum fuerat; illos tamen circa nonum sæculum chrisma confecisse supponit Joannes Diac., in epist. ad Senarium, quam Musæi Itali tomo I Mabillonius edidit. *Sed nec illuc tangat animum*, inquit num. 8, *quod sibi aliquando quædam vis necessitatis assumit, veluti (quod nunc per Africam fieri dicitur) ut presbyteri sanctum chrisma conficiant; quod merito moveret, si istam pontificalis auctoritas licentiam non dedisset. Unde constat a pontificibus quodammodo fieri quod in tanta rerum necessitate ut a presbyteris effici possit superior ordo constituit.*

Epist. XXVII [*Al.* 24]. — [a] Rerum piarum administrationem episcoporum curæ committi, non recens est institutum. Codice *de episc. et clericis*, leg. *Omnes*, et leg. *Omnia privilegia*, leg. 46, *Sancimus*. Nec non *de sacros. eccles.*, leg. *Illud*. Vide extra. *de religiosis domibus*, c. 3 et 4, et in Clement. *Quia contigit*, eod. tit.; conc. Trid., sess. 22, c. 9. In Chalced., c. 8, leges Galliæ conspirant, usus confirmat. Sanctus Augustinus tract. 97, in Evang. Joan. *Xenodochia*, inquit, *et monasteria sunt appellata novis nominibus, res tamen ipsæ et ante sua nomina erant, et religionis veritate firmantur*, etc. Imperator apostata scribens Arsacio summo sacerdoti Galatiæ, apud Sozomenum, lib. v, c. 16. *Frequentia*, inquit, *xenodochia per singulas civitates constitue ut humanitate nostra peregrini fruantur.... Unde accipias ad ista facultates, provisum est*, etc. Id faciebat impius odio Christianorum quidem, sed eorum tamen exemplo, quibus verbis docet tunc temporis xenodochia sub nostrorum episcoporum fuisse potestate. Hinc vocata fuere *xenodochia Ecclesiarum*. In Histor. tripart., lib. IX, cap. 31, ubi de uxore Theodosii per Ecclesiarum xenodochia discurrente. Vide epist. 8 hujus libri. Gussanv.

[b] Nunc laicis etiam uxoratis tanquam laica beneficia sæpe concedunt nosocomia, xenodochia, et alia id genus; nec est quod vita, mores, industria explorentur, cum solis inhient reditibus, de cura et administratione, ut sunt absentes, ne per somnium quidem solliciti. In notitia cleri Gallicani impressa an. 1646, tom. II, Gall., *Memoires du clergé*, multa reperire est instrumenta de hospitalium et aliorum piorum locorum administratione, quibus insertam oportuisset hanc sancti Gregorii epistolam. In magna collectione sanctionum et edictorum regiorum, vulgo *La grande conférence des ordonnances*, etc., tit. *de nosocomiis, hospitalibus, et aliis locis piis*, cum in textu tum in annotationibus, infinita propemodum exstant ea de re monumenta, quæ legisse studiosum non pœnitebit; nec tamen sine indignatione leget hæc Ludovici Bochelli verba : *Comme nos rois ont reconnu une trop grande avarice se glisser entre les ecclésiastiques, et qu'ils appliquent le bien des pauvres plûtost à leur profit particulier qu'à la nourriture*, etc., *ils leur en ont osté le gouvernement*, etc. Ejus pace dixerim, nec ubique, nec omnium. Gussanv.

[c] Corrupte antea legebatur *sacerdotum*. Sic autem restituimus ex quamplurimis mss. Codd. et Edit.

naliter accusatum (*Grat.* 5, *q.* 6, *c.* 4). Cujus nos, ut A voluimus, discutientes causam, nihilque in eo objectorum reperientes, ut ad locum suum reverteretur, absolvimus. Criminis ergo ejus auctores te volumus perscrutari. Et nisi qui easdem transmisit **707** epistolas paratus fuerit hoc quod objecit canonicis atque [d] districtissimis probationibus edocere, nullatenus ad sanctæ mysterium communionis accedat.

Paulum vero clericum, qui sæpe dicitur in maleficiis deprehensus, qui, despecto habitu suo ad laicam reversus vitam, in Africam fugerat, si ita est, [e] corporali prius proveniente vindicta, prævidimus in pœnitentiam dari, quatenus et secundum apostolicam sententiam ex carnis afflictione spiritus salvus fiat, et terrenas peccatorum sordes, quas pravis contraxisse fertur operibus, lacrymarum possit assiduitate B diluere. Eis vero qui ab ecclesiastica communione suspensi sunt, nullus religiosus [f] secundum canonum præcepta jungatur.

De ordinationibus vero vel de nuptiis clericorum, aut de iis quæ velantur virginibus, nullus, ut nunc fieri dicitur, quidquam præmii præsumat accipere, nisi quidpiam sua sponte offerre maluerint.

De mulieribus quæ de monasteriis ad laicam vitam sunt egressæ, virosque sortitæ, quid fieri debeat, cum prædicto fraternitatis tuæ presbytero subtilius sumus collocuti, cujus relatione sanctitas vestra potest plenius informari.

Religiosi vero clerici conventus patrociniaque laicorum caveant, et tuæ modis omnibus secundum canones jurisdictioni subdantur, ne remissione fraternitatis tuæ ejus cui præes sit disciplina dissoluta C Ecclesiæ.

Eos autem (*Grat.* 27, *q.* 1, *c.* 29) qui in prædictas mulieres quæ egressæ sunt de monasteriis excesserunt, et nunc dicuntur communione suspensi, si fraternitas tua de tali facinore digne pœnituisse præviderit, ad sacram communionem te volumus revocare.

## EPISTOLA XXVIII.

AD CANDIDUM DEFENSOREM.

*Ut Albino luminibus privato singulis annis duos tremisses præbeat.*

Gregorius Candido defensori.

Necessitatem patientibus pontificale convenit adesse subsidium. Pro qua re experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus quatenus Albino privato luminibus filio quondam Martini coloni singulis annis [a] duos tremisses sine aliqua dilatione præstare non desinat, non dubitatura suis hoc sine dubio rationibus imputari.

## **708** EPISTOLA XXIX.

AD JANUARIUM EPISCOPUM.

*Phausiana quæ pridem habuerat episcopum, nunc quoque habeat.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Pervenit ad nos in loco qui intra provinciam Sardiniam [a] Phausiana dicitur consuetudinem fuisse episcopum ordinandi, sed hanc pro rerum necessitate longis abolevisse temporibus. Quia autem nunc sacerdotum indigentia quosdam illic paganos remanere cognovimus, et ferino degentes modo, Dei cultum penitus ignorare, hortamur fraternitatem tuam ut illic secundum pristinum modum ordinare festinet antistitem, talem videlicet qui ad hoc opus moribus ac verbo existat idoneus, et aberrantes ad gregem dominicum pastorali studeat æmulatione deducere; quatenus eo illic ad animarum vacante compendium, nec vos inveniamini superflua poposcisse, nec olim destructa frustra nos reformasse pœniteat.

## EPISTOLA XXX.

AD CONSTANTINAM AUGUSTAM.

*Ut Constantinam caput sancti Pauli postulantem deterreat, varia recenset prodigia. Addit hanc esse Romanis consuetudinem, ut reliquias potentibus brandea solum concedant. Ad objectam Græcorum consuetudinem respondet. Tandem e catenis sancti Pauli particulas lima excutiendas promittit.*

Gregorius [a] Constantinæ Augustæ.

Veneta 1504. Id etiam animadversum a correctoribus Romanis, qui ad illum locum a Gratiano relatum in margine addiderunt : *al.*, *Sardorum*. Gussanv. Consentiunt ex Mss. nostris plerique.

[d] Vides quantum intersit Ecclesiæ calumniatores puniri. In Cod., lib. IV, tit. *de probationibus*, leg. finali : *Sciunt cuncti accusatores eam se rem deferre in publicam notionem debere, quæ munita sit idoneis testibus, vel instructa apertissimis documentis, vel indiciis ad probationem indubitatis et luce clarioribus expedita*. Et lib. IX Cod., tit. 2, leg. fin. *Nec impunitam fore noverit licentiam mentiendi, cum calumniantes ad vindictam poscat similitudo supplicii*. Notet lector id referri caus. 2, q. 8, c. 3, tanquam ex epistola Eutychiani. Lege totam q. 6, caus. 5, ubi de calumnia citatur in tribus canonibus sanctus Gregorius non admodum exacte. Auctor operis imperfecti, homil. 42 in cap. XXII Matth., docet qua ratione cum calumniatoribus agendum. Gussanv.

[e] De ea supra epist. 43 lib. III, indict. 11.

[f] Excommunicatos ab uno episcopo, ab aliis ubique terrarum vitari debere, vetus est institutum, cum Nicæna synodus, can. 5, de eo faciat mentionem κατὰ τὸν κανόνα, quem quasi antiquum usurpat Antiochena synodus, c. 2 et 6, etc. Gussanv.

Epist. XXVIII. — [a] Mss. Pratell., *duo tremisses*, legendum forsan, *duodecim*. Suspicionem movet quod duo tremisses modica foret eleemosyna. Nam tremissis tertia tantum pars est aurei sive solidi ; solidus vero quarta parte minor ludovico nostro aureo ; quippe hic 126 granis æquiponderat, ille 96, cum solidos sex haberet uncia, quæ est granorum 576. Tremissis illius passim meminere medii ac inferioris ævi scriptores ac leges : æquivalebat fere scuto nostro argenteo. D

Epist. XXIX. — [a] Ita omnes fere mss. Codd. Apud Geographos Phausania, et dicitur vulgo *Terra nova*. Urbs est Sardiniæ maritima, cujus sedes episcopalis sub archiepiscopo Turritano ; juncta est primum Emporiensi, quæ decimo sexto sæculo ad Castellum Arragonense translata. *Partim ex* Gussanv.

Epist. XXX. — [a] Tiberii Constantini imperatoris filiæ, quam pater Mauricio uxorem dedit, dotisque loco imperium tradidit. Hæc post necem Mauricii imperatoris ab impio Phoca in monasterium primo detrusa, tum post annum cum tribus filiabus, ejusdem tyranni jussu occisa est ; plura de ea vide apud scriptores historiæ Byzantinæ. Gussanv.

Serenitas vestræ pietatis, religionis studio et sanctitatis amore [b] conspicua, propter eam quæ in honorem sancti Pauli apostoli in palatio ædificatur ecclesiam, caput ejusdem sancti Pauli, aut aliud quid de corpore ipsius, suis ad se jussionibus a me præcepit debere transmitti. Et dum illa mihi desiderarem imperari, de quibus facillimam obedientiam exhibens vestram erga me amplius potuissem gratiam provocare, major me mœstitia tenuit, quod illa præcipitis quæ facere nec possum, nec audeo. Nam corpora sanctorum Petri et Pauli apostolorum tantis in Ecclesiis suis coruscant miraculis atque terroribus, ut neque ad orandum sine magno illuc timore possit accedi. Denique dum beatæ recordationis decessor meus, quia argentum, quod supra sacratissimum corpus beati Petri apostoli erat, longe tamen ab eodem corpore fere quindecim pedibus mutare voluit, [c] signum ei non parvi terroris apparuit. **709** Sed et ego aliquid similiter ad sacratissimum corpus sancti Pauli apostoli meliorare volui; et quia necesse erat ut juxta sepulcrum ejus effodi altius debuisset, præpositus loci ipsius ossa aliqua non quidem eidem sepulcro conjuncta reperit. Quæ quoniam levare præsumpsit, atque in alium locum transponere, apparentibus quibusdam tristibus signis, subita morte defunctus est.

Præter hæc autem sanctæ memoriæ decessor meus, itidem ad corpus sancti Laurentii martyris quædam meliorare desiderans, dum nescitur ubi venerabile corpus esset collocatum, effoditur exquirendo, et subito sepulcrum ipsius ignoranter apertum est; et ii qui præsentes erant atque laborabant, monachi et [d] mansionarii, qui corpus ejusdem martyris viderunt, quod quidem minime tangere præsumpserunt, omnes intra decem dies defuncti sunt, ita ut nullus vitæ superesse potuisset, [e] qui sanctum justi corpus illius viderat.

Cognoscat autem tranquillissima domina, quia [f] Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore, sed tantummodo [g] in pyxide [h] brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur. Quod levatum in ecclesia, quæ est dedicanda debita cum veneratione reconditur, et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur. Unde **710** contigit ut beatæ recordationis Leonis papæ temporibus, sicut a majoribus traditur, dum quidam Græci de talibus reliquiis dubitarent, prædictus pontifex hoc ipsum brandeum allatis forficibus inciderit, et ex ipsa incisione sanguis effluxerit. In Romanis namque vel totius Occidentis partibus omnino intolerabile est atque sacrilegum, si sanctorum corpora tangere quisquam fortasse voluerit. Quod si præsumpserit, certum est quia hæc temeritas impunita nullo modo remanebit. Pro qua re de Græcorum consuetudine, qui ossa levare sanctorum se asserunt, vehementer miramur, et vix credimus. Nam quidam monachi Græci huc ante biennium venientes nocturno silentio juxta ecclesiam sancti Pauli, [i] corpora mortuorum in campo

[b] In Norm., Rhem., Corb. et nonnullis Vatic., *perspicua.*

[c] Eodem fere modo Adrianus papa circa ann. 772, in fragmento epistolæ ad Carolum Magnum : *Petiit nos ut ei corpus sanctum tribueremus. Sed nos sicut jamdudum vobis direximus, per revelationem territi, nullo modo audemus ex ipsis sanctorum corporibus amplius quid exagitare.* Gussanv.

[d] Quinam essent mansionarii docetur lib. III Dialog., capp. 24 et 25, sed præsertim cap. 5 libri primi, ubi consule notas ad versionem græcam Zachariæ. Alias hujus nominis significationes, sed a sancti Doctoris scopo alienas require, si lubet, in notis Gussanvillæi.

[e] Norm., Corb. et alii nonnulli, *qui sanctum et justum corpus illius.* Vatic. B et D, *qui sanctum cornus illius.* Verisimilior lectio exhibetur in cod. Reg., ubi, *qui sanctum justum corpus illius*; quam tamen amplecti non audemus, quod nullum aliud exemplar huic suffragetur.

[f] Eodem plane modo loquitur Baron. in notis ad Martyrolog. Rom., 17 Julii. Concessarum tamen ab ipso Gregorio Mag. reliquiarum exempla non desunt. Ex Ripamontio, Hist. Eccles. Mediol. lib. VIII, pag. 522, 523 : *Theodelindæ Langobard. reginæ Gregorius ..... concessit augustissimas reliquias..... quas inter visuntur ipsius Baptistæ reliquiæ, liquidus in ampulla cruor, cineres cremato corpore, et cum dente modicum quid e calvaria..... sunt demum linteamenta quæ martyrum sanguinem ebibere et ossium fragmina..... hæc omnia quo pluris apud omnem posteritatem æstimarentur, ac ne solita reliquiarum adulteria suspecta quis habere posset, accessit ipsius Gregorii manu confectus index harum reliquiarum, in quo Langobardicis litteris exscripta et signata omnia continentur.* Item ex Mario Vipera, apud Ughellum, Ital. sacr. tom. VIII, col. 19 : *Linianus Benevent. episcopus interfuit solemni translationi corporis beatissimi levitæ Modesti martyris ex urbe Beneventum, die 3 Julii an.* 591, *ex concessione magni Gregorii ad preces Arichis piissimi Beneventani ducis, a monachis sanctæ Mariæ ad Olivolam (extra civitatem Beneventanam positis) quod ab episcopo cum clero a duce universoque populo honorifice receptum, in ipsa ecclesia collocatum ibique sepultum, donec dicta basilica in ipsius honorem dedicata esset.* Sed neque brandea solum concessa innuunt indict. 11 epist. 19, et indict. 2 epist. 15. Horum forte meminerat noster Mabillonius, cum in præfat. ad II sæcul. Bened., observ. octava, Baronianum suumve stylum temperavit : *parcius*, inquit, *ejusmodi translationes pontificatu sancti Gregorii peragebant.* De his nos perfunctorie egimus in Vita sancti Gregorii.

[g] In Vatic. A et B, necnon in Regio, *buxide*, a buxo ex quo fiebat sic dicta Gallice *boîte.*

[h] Sic appellabantur panni et velamina, quæ, venerandis Martyrum lipsanis applicata, ex ipso contactu, tanquam sanctorum ipsorum reliquiæ, fidelibus dispertiebantur. In plur. Mss. legitur *prandeum*, cui respondet vox Græca. De hac voce consule lexicographos.

[i] Fraudes istiusmodi, nomine pias, re sacrilegas damnant quotquot sunt vere pii; usurpant homines irreligiosi, qui quæ sua sunt quærentes, et vana pietatis specie illudentes, solidam exuunt pietatem. Optatus Afer loco nondum satis emaculato, lib. I, meminit Lucillæ, quæ ante spiritalem cibum os cujusdam mortui libabat, quod Donatistis in more positum arbitratur Balsamo ad conciliuxu Carthaginense, can. 61. Augustinus, lib. de Opere monachorum, cap. 28 : *Alii*, inquit, *membra martyrum, si tamen martyrum, venditant.* Gregorius Turonensis, lib. IX, cap. 6, meminit insignis nebulonis, qui falsas reliquias per Galliam circumferens, tandem Parisiis detectus fuerat. Utinam his similia non vidisset ætas nostra,

jacentia effodiebant, atque eorum ossa [k] recondebant, servantes sibi, dum recederent. Qui cum tenti et cur hoc facerent diligenter fuissent discussi, confessi sunt quod illa ossa ad Græciam essent tanquam sanctorum reliquias portaturi. Ex quorum exemplo, sicut prædictum est, major nobis dubietas nata est, utrum verum sit quod levare veraciter ossa sanctorum dicuntur.

De corporibus vero beatorum apostolorum quid ego dicturus sum, dum constet quia eo tempore quo passi sunt ex Oriente fideles venerunt, qui eorum corpora sicut civium suorum repeterent? Quæ ducta usque ad secundum urbis milliarium, in loco qui dicitur [l] Catacumbas collocata sunt. **711** Sed dum ea exinde levare omnis eorum multitudo conveniens niteretur, ita eos vis tonitrui atque fulguris nimio metu terruit atque dispersit, ut talia denuo nullatenus attentare præsumerent. Tunc autem exeuntes Romani eorum corpora, qui hoc ex Domini pietate meruerunt, levaverunt, et in locis quibus nunc sunt condita posuerunt.

Quis ergo, serenissima domina, tam temerarius possit existere, ut hæc sciens, eorum corpora non dico tangere, sed vel aliquatenus præsumat inspicere? Dum igitur talia mihi a vobis præcepta sunt, de quibus parere nullatenus potuissem, quantum et episcopi de tollendis tam nefandis reliquiarum abusibus tandem aliquando, sero quidem, sed serio cogitarent, veras a falsis discernentes certis indubitatisque documentis, quod concilium Cæsaraug. circa ann. 580, igne admoto, præstitisse legimus. Qui plura volet, legat epist. Bonifacii ad Zachariam de Adalberto; Adriani ad Carolum Magnum de corpore sancti Candidi; capitularis Aquisgranensis cap. 42, ut falsa nomina martyrum, et incertæ Sanctorum memoriæ non venerentur, ex concilio Africano, cap. 50; concil. Moguntin., can. 51, etc. GUSSANV.

[k] Al., *recolligebant*, ut est in Vatic. A.

[l] *Catatumbas* legit Baronius in Martyrol., ad XIII Kalendas Februarii: sic etiam habent quidam mss. Codd. et Editi. Sunt autem plurimi antiqui et melioris notæ, in quibus legitur catacumbas. Requisitus super hac re eminentissimus cardinalis Bona, ita mihi scripsit die 9 Septembris anno 1670. *Omnino legendum catacumbas; sic enim legunt plerique et antiquiores Codices mss. Vaticani. De vocis autem origine nihil occurrit mihi præter ea quæ notat Baronius in Martyrologio, ad diem 3 et 19 Januarii. Accipitur ubique pro locis subterraneis, in quibus martyrum corpora sepeliri solebant. Dominicus Magrus, in postrema Editione anni* 1669, *sui vocabularii ecclesiastici, verbo* Cœmeterium, *citat Latinum Latinium asserentem hanc vocem a Græca* catacumbe *deduci, quæ significat locum concavum et profundum.* In aliis autem litteris, die 15 Novembris ejusdem anni, de eadem re ita loquitur: *Video ex litteris tuis superesse tibi scrupulum de hac voce catacumbæ, qua de re allocutus sum Dominicum Magrum, apud quem sunt omnes lucubrationes Latini Latinii, quas sperat se brevi editurum. Inter cæteras sunt quædam notæ manuscriptæ in Martyrologium Romanum, in quibus Latinius ea scribit de catacumbis, quæ in suum vocabularium transtulit idem Magrus.* In fine autem epistolæ hæc adjunguntur: *Postquam scripsi, misit hanc paginam Dominicus Magrus, quam addo hic ejus manu exaratam.* Continet autem hæc pagina quæ sequuntur: *In mea notitia sequor eruditissimi Latini Latinii opinionem in voce* catacumba, *ut ipse advertit in notis marginalibus ad Martyrologium Romanum, reprobando correctionem cardinalis Baronii. Nam vox Græca* κατακύμβη *significat Juxta locum cavum ac profundum, a nomine* κύμβος, *quia apud Latinos littera* y *sæpissime mutatur in* u, *ut passim occurrit. Nomen autem* tumba *præterquam non est Latinum, illa loca non erant prope tumbas, sed potius in terræ cavernis, in quibus Christiani collectas et synaxes celebrabant, ibique postea corpora sanctorum martyrum sepeliebant*, etc. Idem fere habetur in Roma subterranea, lib. I, cap. 1, ubi dicitur catacumbas deduci a Græca voce κατὰ et κύμβος, hoc est, ut Hesychius explicat, κοῖλος μυχὸς, βυθὸς, cavus recessus, sive locus in imo positus ac profundus. Sic etiam lib. III, cap. 12, catacumbas appellat et eas describit, refertque epistolam hanc sancti Gregorii. Addo et a voce κύμβος derivari cymbam; sed et apud Sabaudos valles, vulgo *combes* appellantur. GUSSANV. His quæ sanctus Gregorius hic significat, scilicet corpora sanctorum apostolorum Petri et Pauli eodem loco remansisse quo fuerant prius condita, opponi potest prima sancti Cornelii papæ et mart. epistola de ipsorum translatione suo tempore facta. Verum epistola hæc supposititia est et longe post Gregorium ficta; nam in ea sunt laciniæ ex Gregorianis epistolis assutæ, maxime ex epist. 109 libri IX, indict. 2, ubi hæc leguntur a falso Cornelio scripta: *quisquis in radice charitatis se inserit, nec a veritate deficit*, etc. Alius nodus difficilior solvendus superest. Nempe in vet. Kalendario Romano quod Ægidius Bucherius, societatis Jesu presbyter eruditissimus, edidit, legitur: III *Kalend. Jul. Petri in Catacumbas, et Pauli Ostiense, Fusco et Basso coss.* Id est, ut explicat noster D. Theodericus Ruinart, in Actis Mart., pag. 692, an. 258, quo anno facta est translatio sanctorum apostolorum, eo ipso die quo eorum festivitas agebatur. Certe translationem hanc optime probat Ecclesiasticæ Historiæ peritissimus Antonius Pagi, ad an. 258, confirmatque ipsius Pearsonii consensu et testimonio. Igitur negare non possumus Gregorium dum ad Constantinam scriberet, aliquando memoria lapsum.

A invenio, non vestrum est; sed quidam homines contra me pietatem vestram excitare voluerunt, ut mihi, quod absit, voluntatis vestræ gratiam subtraherent, et propterea quæsiverunt capitulum de quo vobis quasi inobediens invenirer. Sed in omnipotente Domino confido, quia nullo modo benignissimæ voluntati subripitur, et sanctorum apostolorum virtutem, quos toto corde et mente diligitis, non ex corporali præsentia, sed ex protectione semper habebitis.

Sudarium vero, quod similiter transmitti jussistis, cum corpore ejus est, quod ita tangi non potest, sicut nec ad corpus illius accedi. Sed quia serenissimæ dominæ tam religiosum desiderium esse vacuum non debet, de catenis quas ipse sanctus Paulus apostolus in collo et in manibus gestavit, ex quibus multa miracula in populo demonstrantur, partem aliquam vobis transmittere festinabo, si tamen hanc tollere limando prævaluero; quia dum frequenter ex catenis eisdem multi venientes benedictionem petunt, ut parvum quid ex limatura accipiant, assistit sacerdos cum lima, et aliquibus petentibus ita concite aliquid de catenis ipsis excutitur, ut mora nulla sit. Quibusdam vero petentibus, diu per catenas ipsas ducitur lima, et tamen ut aliquid exinde exeat,

non obtinetur. [m] Mense Junio, indictione 12. (*Cf. Joan. Diac.*, *l.* III, *n.* 56.)

## EPISTOLA XXXI.

AD THEODORUM MEDICUM.

*Gratias refert de transmissa in pauperes pecunia. Ad sacræ Scripturæ lectionem hortatur. Commendat Narsetem. Mittit munera tabulas.*

Gregorius Theodoro medico [a] imperatoris.

Ego omnipotenti Deo gratias ago, quia eorum qui se vicissim veraciter diligunt loca animum non dividunt. Ecce enim, dulcissime et gloriosissime fili, longe [a] nobis distamus corpore, et tamen præsentes nobis existimus charitate. Hoc vestra opera, hoc scripta testantur, hoc de præsenti expertus sum, hoc de absenti vestra gloria recognosco. Hoc vos et hominibus amabiles, et omnipotenti Deo dignos in perpetuum faciat. Quia enim virtutum mater est charitas, idcirco bonorum operum fructus profertis, quia ipsam eorum fructuum in mente radicem tenetis. Ea autem quæ in redemptionem captivorum, Deo vobis aspirante transmisistis, lætus, fateor, et tristis accepi. Lætus videlicet vobis, quos de præparanda mansione **712** cœlestis patriæ cogitare cognovi; tristis vero vehementer mihi, qui super curam rerum sancti Petri apostoli adhuc etiam de rebus dulcissimi filii mei domni Theodori rationes positurus sum, sollicite an negligenter eas expenderim, requirendus vado. Omnipotens autem Deus, qui menti vestræ suæ misericordiæ viscera infudit, qui vobis sollicite cogitare concessit, hoc quod de Salvatore nostro per egregium prædicatorem dicitur: *Quia pro nobis egenus factus est, cum dives esset* (*II Cor.* VIII, 9), in ejusdem Salvatoris adventu, vos virtutibus divites ostendat, ab omni culpa liberos assistere faciat, et pro terrenis cœlestia, pro transitoriis gaudia vobis mansura concedat.

Hoc autem quod pro vobis agi apud sacratissimum corpus sancti Petri apostoli scribitis, certum tenete quia etsi lingua vestra taceat, fieri charitas vestra jubet. Sed utinam digni simus qui pro vobis orare debeamus. Quia vero dignus ego non sum, non ambigo. Sed multi hic digni sunt, qui ex oblatione vestra ab hostibus redimuntur, et fideliter nostro Creatori deserviunt, de quibus hoc egistis quod scriptum est: *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit* (*Eccli.* XXIX, 15).

Sed quia ille plus diligit, qui plus præsumit, erga dulcissimam mentem gloriosissimi filii mei domni Theodori habeo aliquam querelam, quia donum ingenii, donum rerum, donum misericordiæ atque charitatis a sancta Trinitate percepit; sed tamen sæcularibus indesinenter causis astringitur, assiduis processionibus occupatur, et quotidie legere negligit verba Redemptoris sui. Quid est autem Scriptura sacra, nisi quædam epistola omnipotentis Dei ad creaturam suam? Et certe sicubi esset gloria vestra alibi constituta, et scripta terreni imperatoris acciperet, non cessaret, non quiesceret, somnum oculis non daret, nisi prius quid sibi imperator terrenus scripsisset agnovisset. Imperator cœli, Dominus hominum et angelorum, pro vita tua tibi suas epistolas transmisit, et tamen, gloriose fili, easdem epistolas ardenter legere negligis. Stude ergo, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare. Disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cœlestia gaudia majoribus desideriis accendatur. Tanto enim tunc major ei erit requies, quanto modo amore Conditoris sui requies nulla fuerit. Sed ad hæc agenda infundat vobis omnipotens Deus consolatorem spiritum. Ipse mentem vestram sua præsentia impleat, et implendo levet.

De me autem cognoscite quia multas hic et innumeras amaritudines patior. Sed ago omnipotenti Deo gratias, quia minus affligor valde quam mereor.

Charissimum autem filium meum [b] susceptum vestrum dominum Narsetem gloriæ vestræ commendo. Quem quidem scio commendatum in omnibus habetis, sed facere vos rogo quod facitis, ut dum peto quod fieri video, [c] mercedi vestræ me petendo subjungam. Præterea excellentiæ vestræ benedictionem ea qua transmissa est charitate suscepi. Unam vero anatem [d] cum duobus parvulis anaticis pro vestri amoris gratia transmittere **713** præsumpsi, ut quoties ad respiciendum eam vester oculus ducitur, memoria etiam mei inter occupationes tumultusque causarum in animum vestrum revocetur.

[m] Hanc temporis quo scripta est epistola notam exhibent Mss. Vatic., Norm., Turon. S. Gat., Colbert., vet. Corb., etc.

EPIST. XXXI [*Al.* 40 indict. 13]. — [a] Addimus *imperatoris*, ex omnibus Vatic., Norm., etc. De eo relege epist. 66 lib. III, indict. 11.

[b] Medici, inquit Alteserra ad hanc epist., ægrotos suos vocant susceptos, id est clientes. Augustinus in ps. XLV: *Ægrotat nescio quis, adhibetur medicus; susceptum suum medicus dicit ægrotum.* Æque et advocati susceptos vocant clientes.

[c] Vatic. A, *mercedi vestræ me redde subjugatum.*

[d] In Vulgatis, *cum duobus parvulis Atticis.* In Norm. et Corb., *cum duabus parvulis actacis.* Lectionem nostram suppeditarunt Mss. Vatic.; nam in Vatic. D legitur, *cum duabus parvulis anaticis aquaticis.* In A, B, C, *cum duobus parvulis anaticis.* Corruptum hunc locum putarunt Alteserra et Gussanvillæus. Hic legendum censuit *Anaitem*, ab Anæa urbe Cariæ in Asia minore: *scilicet*, inquit, *tria mancipia dono dat, illam Anaitem et duos parvulos Atticos.* Sequitur apud Gussanv., *ut quoties ad respiciendum eam vester oculus ducitur, memoria etiam mei... revocetur.* Verum decebatne tam gravem, tam castum pontificem, puellam potius quam parvulos Atticos Theodori oculis proponere, ut ex illius contemplatione memoria amici refricaretur, amorque recalesceret? Non absque verisimilitudine legebat Alteserra *unum anacem*, quod est urcei genus, de quo Gregorius Turon., lib. de Miraculis sancti Juliani, c. 8: *Quatuor ex his per fugam lapsi, patenam et urceum, qui anax dicitur, in patriam* deferunt. *Attica* vero interpretabatur *vasa fictilia, ab Attica regione in qua fiebant, quæ vulgo*, inquit, *ab Italis porcellana vocantur.* Hanc Alteserræ conjecturam non improbat Gangius. Si Corb. ac Normannis Mss. standum, fortasse tabellas tres ad Theodorum mittit Gregorius: primam *anatem* appellat, quod avem illam eleganti, pro illa ætate, penicillo expressam exhiberet; posteriores duas *actacas* vocat, scilicet amœnorum littorum pictas coloribus descri-

## EPISTOLA XXXII.

AD NARSEM PATRICIUM.

*Causam presbyterorum cum Joanne patriarcha se ad canonum normam omnino exacturum declarat. Commendatum a se Theodoro Narsetem. Epistolæ brevitatem excusat, quod tribulationibus prematur.*

Gregorius [a] Narsæ patricio.

Multa mihi dulcissima charitas vestra per epistolas suas in bonæ operationis laudibus est locuta, ad quæ omnia breviter ego respondeo : [b] *Nolite me vocare Noemi, id est pulchram; sed vocate me Mara, id est amaram, quia amaritudine plena sum* (*Ruth.* I, 20).

De causa vero presbyterorum quæ cum fratre meo et coepiscopo, viro reverendissimo Joanne patriarcha agitur, ipsum, puto, adversarium patimur, quem asseris velle canones custodire. Charitati autem tuæ breviter fateor quia omni virtute et omni pondere eamdem causam, auxiliante omnipotente Deo, [c] exigere paratus sum. In qua si videro [d] sedi apostolicæ canones non servari, dabit omnipotens Deus quid contra contemptores ejus faciam.

Quod autem scripsit mihi charitas vestra, ut filio meo domno Theodoro [e] archiatro et expræfecto pro vobis gratias agerem, feci, et quantum potui commendare minime cessavi. Peto autem mihi ignoscas quod epistolis tuis sub brevitate respondeo, quia tantis tribulationibus premor, ut mihi neque legere, neque per epistolas multa loqui liceat. Hoc solum tibi breviter dico : *Quia oblitus sum manducare panem meum a voce* **714** *gemitus mei* (*Ps.* CI, 5). Omnes qui vobiscum sunt mea peto vice salutari. Domnæ Dominicæ salutes meas dicite, cui minime respondi, quia cum sit Latina, Græce mihi scripsit.

## EPISTOLA XXXIII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Judæis conversis tribus det solidos singulis annis.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Ilis quos de [a] Judaica perditione Redemptor noster ad se dignatur convertere, rationabili nos oportet moderatione concurrere, ne victus, quod absit, inopiam patiantur. Ideoque tibi hujus præcepti auctoritate mandamus [b] quatenus filiis Justæ ex Hebræis, id est Juliano, Redempto, et Fortunæ, a tertia decima succedenti indictione annis singulis solidos dare non differas, quos tuis noveris modis omnibus rationibus imputandos.

## EPISTOLA XXXIV.

AD PANTALEONEM PRÆFECTUM.

*Ut Donatistarum audaciam comprimat, et Paulum episcopum Romam quantocius mittat, hortatur.*

Gregorius Pantaleoni [a] præfecto Africæ.

Hæreticorum nefandissimam pravitatem, qualiter lex [b] persequatur instantius, excellentiæ vestræ non habetur incognitum. Ili igitur quos et fidei nostræ integritas et legum damnat districtio mundanarum, non leve peccatum est si vestris inveniant temporibus licentiam reserpendi. In illis igitur partibus, quantum didicimus, ita Donatistarum crevit audacia, ut non solum de suis Ecclesiis auctoritate pestifera ejiciant catholicæ fidei sacerdotes, sed hos et quos vera **715** confessione aqua regenerationis abluerat, rebaptizare non metuant. Valdeque miramur, si tamen ita est, ut vobis illic positis, hujuscemodi liceat hominibus

---

ptiones. Etenim si ab ἀκτὴ *littus*, quod Tullio, Virgilio, Ausonio dicitur *acta*, nomen sumpsit Attica regio, ut Straboni et aliis placet, quoniam major ejus pars ad mare sita est, certe littorum decora seu amœnitates *actaca* vel *actacæ* potuerunt dici. Conjecturam hanc viri doctissimi, aliorum eruditorum criterio permittimus. At quid vetat obvium sensum, quem præcipue Vaticani Mss. suppeditant, amplecti? Mittit Gregorius medico familiari et amico unam anatem cum duobus parvulis anaticis, hoc est matrem et duos pullos. Anas quidem nota est avis, et communis; verum aliquæ visuntur exquisitis coloribus depictæ, corona in vertice insignes et odoratæ, quæ etiam in cortibus regiis inter aves rariores aluntur. Quid vetat dicere hujusmodi anatem adhuc Constantinopoli fortasse nondum visam, Gregorium curasse mittere ad amicum medicum, quem rerum naturalium studiosum et in alendis rarioribus animalibus curiosum haud dubie noverat? Is sane sensus non longius arcessitur; sed ipsum offert restituta lectio ex optimæ notæ Mss. Vaticanis : *unam anatem cum duobus parvulis anaticis*, hoc est *anaticulis*. Ex *anaticis* librarii, et qui edendis Gregorii operibus insudarunt, ad hujus vocis vim parum attendentes, conflarunt *aticis*, et postea *Atticis*.

EPIST. XXXII [*Al.* 64, *indict.* 2]. — [a] Vide epistolam 6 libri I. In Vatic. B legitur *Narsæ comiti*. In A et C, solum scribitur, *Narsæ*, ut etiam in Colb. et aliis.

[b] Excusi, *nolite me vocari Noemi, id est pulchrum... amarit, plenus sum*. Prætulimus Mss. Vatic., Norm., Reg., Corb., etc.

[c] Inter se dissentiunt Mss. Vaticani. Codex D habet, *eximere;* cod. C, *exire;* concordesque sunt Norm. codex vero B, *exercere*, et pro diversa lectione, *exire*.

[d] Sic legitur in tribus Vatic., Norman., etc.; consentiuntque vet. Editi. At in recentioribus, *sedis apostolicæ*.

[e] Hæc vox vulgo vertitur, medicorum primus; non ita plerique docti, qui archiatrum pro principis medico usurpant : quicunque tandem ille sit, primus, secundus, tertius, etc., legatur Alciatus in annotatione lib. XII Cod., ubi formam constituendi archiatri refert ex Cassiodoro, epist. 19 lib. VI : *Indulge nostro palatio, habeto fiduciam ingrediendi. Fas est tibi nos fatigare jejuniis. Fas est contra nostrum desiderium sentire*. GUSSANV.

EPIST. XXXIII [*Al.* 22]. — [a] Exstat Pauli III de Judæis Bulla an. 1542, ut subsidiis conversi foveantur, necnon alia Joannis XXII relata inter extravagantes communes, tit. de Judæis, c. 2. AUGET.

[b] In Edit. recent., *quatenus filiabus... Julianæ, Redemptæ, Fortunato*. Mss. Norm., Turon., Anglic. et Vatic., etc., adhæremus. In duobus tamen Vatic., pro *Fortunæ* legitur *Fortunato*.

EPIST. XXXIV [*Al.* 32]. — [a] In tribus Vatic., in totidem Norm. et in Rhem., *episcopo Africæ*. Mendum irrepsisse in hac inscriptione nemo dubitabit, qui ad excellentiæ titulum quo Gregorius Pantaleonem donat attendet, sic enim episcopos nunquam compellat. Præterea epistolæ series hullatenus episcopum, sed exarchum aut præfectum ad quem sit scripta manifeste innuit.

[b] Imperatorum leges innuit, quarum aliæ contra Donatistas ab Augustino passim referuntur, aliæ a succedentibus impp. editæ sunt. Vide Cod. Theodos., necnon in Justinianæo Cod., tit. 6 libri I : *Ne sanctum baptisma iteretur*. AUGET.

pravis excedere. Primum siquidem quale de vobis judicium hominibus relinquatis attendite, si hi qui aliorum temporibus justa ratione compressi sunt vobis administrantibus viam sui excessus inveniant. Deinde perditorum animas Deum nostrum de manu vestra scitote requirere, si tantum nefas, in quantum possibilitas exigit, emendare negligitis. Hæc enim excellentia vestra non amare suscipiat. Nam quia vos ut filios proprios diligimus, propterea hæc quæ vobis prodesse non ambigimus indicamus. Paulum vero fratrem et coepiscopum nostrum ad nos sub omni festinatione dirigite, ne cuiquam impediendi eum [c] aliqua excusatione detur occasio; ut veritatem plenius agnoscentes, qualiter tanti facinoris ultio debeat provenire, Deo adjuvante, rationabili possimus tractatu disponere.

## EPISTOLA XXXV.

### AD VICTOREM ET COLUMBUM EPISCOPOS.

*Coacto concilio, Donatistis prompte ac fortiter obsistant. Mittant ad se Paulum episcopum, quo edocente, Donatistarum facinoribus planius cognitis, de illis puniendis ac comprimendis tutius decernat.*

Gregorius Victori et Columbo episcopis Africæ.

Qualiter neglectus inter initia morbus vires accipiat, [a] ex nostris necessitatibus quicunque in hac sumus vita constituti probavimus. Huic igitur nascenti si doctorum obstet provisio medicorum, scimus quidem quia ante cessaret, quam tarde procuratus plurimum noceret. Hujus ergo considerationis ratio vehementer nos debet impellere ut, animarum morbis initiantibus, tota festinemus possibilitate resistere, ne dum salubria adhibere medicamenta negligimus, multorum nobis vitam, quos Deo nostro contendimus lucrari, subripiant. Unde nos oportet ita caulas ovium, quibus nos custodes videmur esse præpositi, vigilanti sollicitudine præmunire, quatenus lupus insidians undique pastores sibi repugnantes inveniat, et viam ingrediendi in eas non habeat.

Comperimus siquidem Donatistarum stimulos sic in illis partibus gregem turbasse dominicum, ac si nullius pastoris moderamine regeretur. Nuntiatumque nobis est, quod dicere sine gravi dolore non possumus, quoniam plurimi eorum venenatis jam sint dentibus laniati. [b] Denique ut sacerdotes catholicos pravissima de suis Ecclesiis **716** temeritate depellerent, et multos insuper quibus salutem regenerationis aqua præbuerat, rebaptizantes, pravitate nefandissima necavisse. Quæ res animos nostros valde mœstificat, quod vobis illic positis damnatæ præsumptioni tantum scelus perpetrare licuerit.

Qua de re fraternitatem vestram scriptis decurrentibus adhortamur, ut, habito tractatu, unitoque concilio, ita [c] nascenti huic adhuc morbo inhianter ac tota virtute debeatis obsistere, dummodo nec vires ex neglectu percipiat, nec in commisso vobis grege pestilentiæ damna concutiat. Nam si quolibet modo, quod non credimus, incipienti negligitis iniquitati resistere, plurimos erroris sui gladio vulnerabunt. Et est profecto gravissimum, laqueo diabolicæ fraudis irretiri permittere, quos prius possumus, ne alligentur, eripere. Melius est autem ne quisquam vulneretur obsistere, quam vulneratus qualiter sanari possit exquirere. Hoc itaque considerantes, sacrilegam pravitatem sedula oratione ac virtute qua valetis obruere festinate, ut et subsequens nuntius, Christi gratia suffragante, de eorum nos ultione lætificet magis, quam de excessu contristet.

Paulum præterea fratrem et coepiscopum nostrum ad nos, quo potestis studio, omni sub festinatione dirigite; quatenus ab eo causas subtilius tanti facinoris agnoscentes, huic nefandissimæ pravitati cum Creatoris nostri solatio medicinam dignæ possimus correptionis imponere.

## EPISTOLA XXXVI.

### AD LEONEM EPISCOPUM.

*Ne subdiaconi cum suis uxoribus misceantur. Speciosi subdiaconi uxor, in monasterium ob secundas nuptias detrusa, dimittatur.*

Gregorius Leoni episcopo Catanensi.

Multorum relatione comperimus [a] hanc apud vos olim consuetudinem tenuisse, [b] ut subdiaconi suis licite miscerentur conjugibus (*Grat. dist.* 32, *can.* 2; *et caus.* 27, *quæst.* 2, *c.* 20). Quod ne denuo quisquam præsumeret, a servo Dei sedis nostræ diacono, ex auctoritate nostri decessoris, est isto modo prohibitum, ut eodem tempore hi qui jam uxoribus fuerant copulati unum ex duobus eligerent, id est, aut a suis uxoribus abstinerent, aut certe nulla ratione ministrare præsumerent. Et quantum dicitur, Speciosus tunc subdiaconus pro hac re ab administrationis se suspendit officio, et usque in obitus sui tempus notarii quidem gessit officium, et a ministerio, quod subdiaconum oportuerat exhibere, cessavit. Post cujus obitum, quia [c] relicta ejus [d] Honorata marito est sociata, a tua eam fraternitate **717** in monasterio cognovimus esse deputatam. Ideoque si, ut fertur,

[c] Ita legitur passim in Mss., præsertim in Norm. et Vatic. In Edit. *aliqua occasio vel excusatio detur.*

Epist. XXXV. — [a] Recentiores Excusi, *ex nostris necessitatibus quas patimur in hac civitate constituti probavimus.* Certe reluctantibus omnibus Mss. Vatic., Corb., Anglic., Turon., etc.

[b] In Vulgatis : *Denique sacerdotes canonicos... depellere; et multos... necasse dicuntur.* Quam lectionem non mutassemus, nisi ad id coegisset communis consensus Mss. Anglic., Vatic., Norm., Corb.., Turon., Reg. Valeat ergo nota quam attexuit Gussanv. *de sacerdotibus canonicis.* Aliam ejusdem auctoris amputare coacti sumus ad hæc verba : *ex necessitatibus quas patimur in hac civitate,* quæ intelligenda dicit de Italiæ cladibus. At, *in hac civitate,* corrupta est lectio, ut jam monuimus.

[c] Paulo post sanctum Cyprianum Donatistarum factio in schisma eruperat, sed alternantibus vicibus nunc conquiescere videbatur, mox recrudescere per ccc et amplius annos ad usque sancti Gregorii ætatem. Gussanv.

Epist. XXXVI [*Al.* 34]. — [a] In Norm., *hoc apud vos.*

[b] De subdiaconorum continentia, vide, supra, epist. 5, et lib. 1, epist. 44.

[c] Viduas clericorum non permissas iterum nubere,

ejus se maritus ab administratione suspendit, ante dictæ mulieri non debet officere, quod ad secundam conjugii copulationem migravit, præsertim si non tali mente subdiacono juncta est, ut a carnis voluptatibus abstineret.

Si ergo ita se veritatem quemadmodum edocti sumus habere cognoscis, prædictam te mulierem de monasterio per omnia convenit relaxare, ut ad suum maritum sine aliqua possit formidine remeare.

De cætero vero fraternitas tua sit omnino sollicita, ut quos ad hoc jam officium contigerit promoveri, hoc quam maxime diligenter inspiciat, ne si uxores habent, miscendi se cum eis licentia potiantur, sed ad similitudinem sedis apostolicæ eos cuncta observare sua nihilominus districtione constituat.

## EPISTOLA XXXVII.

AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*Euplo patris et matris bona reddi jubet.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Euplus præsentium portitor Eusanium Agrigentinæ civitatis episcopum suum fuisse memorat genitorem, matrisque suæ res apud eum plurimas indicat mansisse. Quem quoniam intestatum asserit esse defunctum, ideo et res maternas sibi petit debere restitui, et ante dicti episcopi patris sui se permitti substantiam adipisci. Qua de re fraternitati tuæ hujus præcepti serie deputamus, quatenus diligenter curet addiscere; et si quid apud prædictam Ecclesiam de rebus matris ipsius inveniri potuerit, si quidem nihil est quod ante dicto Euplo rationabiliter possit obsistere, ei secundum suam faciat portionem restitui. [a] Proinde et de rebus paternis quas ante episcopatum dignoscitur habuisse, si eas in jus Ecclesiæ suæ quolibet modo non transtulit, ei, quantum portioni ejus legaliter scit competere, ut satisfieri possit immineat. Nam omnino et contra rationem et contra nostrum probatur esse propositum, si cui ea quæ juste competunt restitui ac satisfieri denegemus. Ita ergo hæc fraternitas tua implere festinet, ut suprascripto portitori ad nos denuo ex hac re nulla remeandi necessitas imponatur. Nam quod beatæ recordationis decessor noster præceptum direxerat, ut lapso eo omnes res ejus Ecclesiæ remanerent, hoc ideo eum credimus præcepisse, ne per eas adhuc amplius deperiret; nunc vero æquum esse pensamus ut filium patris culpa non ingravet, sed fraternitatis tuæ dispensatione quidquid ei legaliter potest competere consequatur.

## 718 EPISTOLA XXXVIII.

AD THEODELINDAM REGINAM.

*Ab imperitis seductam dolet. Sanctarum quatuor synodorum, maxime Chalcedonensis, fidem in Romana Ecclesia integram servari profitetur. Hortatur ne extra Constantii episcopi communionem maneat.*

Gregorius Theodelindæ [a] reginæ Langobardorum.

Quorumdam ad nos relatione pervenit ab aliquibus episcopis gloriam vestram usque ad hoc scandalum contra sanctam Ecclesiam fuisse perductam, ut sese a catholicæ unanimitatis communione suspenderet. Quod, quantum vos pure diligimus, tanto de vobis fortius dolemus, quia vos imperitis stultisque hominibus creditis, qui non solum ea quæ loquuntur nesciunt, sed vix ea quæ audierunt percipere possunt. Qui dum neque legunt, neque legentibus credunt, in ipso errore manent, quem sibi ipsi de nobis finxerunt. Nos enim veneramur sanctas quatuor synodos: Nicænam, in qua Arius; Constantinopolitanam, in qua Macedonius; Ephesinam primam, in [b] qua Nestorius; Chalcedonensem, in qua Eutyches atque Dioscorus damnatus est; profitentes quia quisquis aliter sapit quam hæ quatuor synodi, a fide veritatis alienus est. Damnamus autem quoscunque damnant, et quoscunque absolvunt absolvimus, sub anathematis interpositione ferientes eum qui earumdem quatuor synodorum, maxime autem Chalcedonensis, de qua quibusdam imperitis hominibus [c] nata est dubietas et superstitionis occasio, fidei addere vel adimere præsumit.

Cum itaque integritatem nostram ex aperta mea [d] traditione seu professione cognoscitis, dignum est ut de Ecclesia beati Petri apostolorum principis nullum ulterius scrupulum dubietatis habeatis; sed in

---

docent plures canones, quorum aliqui referuntur distinctione 28, c. 10, 11, 12, ex sancto Gregorio, lib. XI, epistola 62, nunc lib. XIII, epist. 51; ex Aurelian. concil., can. 15; ex collectione Martini Bracarensis, c. 29. Addesis Autissiodorense concil., canone 22: *Non licet relictæ presbyteri, nec relictæ diaconi, nec subdiaconi post ejus mortem maritum accipere.* In decretis Gregorii II, c. 1 et 2, idem prohibetur. In concilio Romano I, sub eodem anno Christi 721, in Toletano I, eadem reperio verba, can. 18, quæ in can. 29 collectionis Martini Bracarensis. Causam istius prohibitionis repeto a consensu sive voto earum mulierum; nec enim mariti promovebantur ad superiores ordines, nisi aut conversionem vovissent ipsæ, aut certe se non renupturas, sed innubas post eorum mortem permansuras data fide cavissent. GUSSANV.

[d] Prius legebatur, *Honorato marito est sociata*, quod mutavimus cogente unanimi Mss. Vatic., Norm., Corb., Turon., etc., consensu.

EPIST. XXXVII [*Al.* 36]. — [a] Episcopus potest testari de bonis hæreditariis, quæsitis ante episcopatum vel post episcopatum. De bonis vero quæsitis post episcopatum de rebus Ecclesiæ, nihil alienari potest testamento vel inter vivos. Gregorius, lib. XII, epist. 38: *Nulli dubium est quia sicut sacerdotibus res in episcopatu acquisitas nulla est alienandi licentia, ita de his quas ante habuerint, quidquid judicare voluerint, non vetantur.* Sed si episcopus liberos habuerit, de rebus ante episcopatum quæsitis non potest testari in favorem Ecclesiæ, nisi salva legitima liberorum portione, ex hac epistola.

EPIST. XXXVIII [*Al.* 33]. — [a] Hæc epistola fere convenit cum epist. 4, quam non fuisse datam apparet ex epistola 37, nunc 39. GUSSANV.

[b] In quatuor Vatic., Norm., Corb., Reg., legitur, *in qua Nestorius et Dioscorus, Chalcedonensem in qua Eutyches damnatus est;* quod contra conciliorum historiam pugnat.

[c] In Norm. et Corb., optimo sensu, *nata est suspicionis occasio, addere*, etc. In Vatic. A et B, *nata est dubietas, fidei ad.* In C et D, *nata est superstitionis occasio fidei addere.* In Reg. desideratur, *superstitionis.*

[d] Abest *traditione* a Vatic. C, a Norm. Reg. et Corb.

vera fide persistite, et vitam vestram in petra Ecclesiæ, hoc est in confessione beati Petri apostolorum principis solidate, ne tot vestræ lacrymæ tantaque bona opera pereant, [e] si a fide vera inveniantur aliena. Sicut enim rami sine virtute radicis arefiunt, ita opera quantumlibet bona videantur, nulla sunt, si a soliditate fidei disjunguntur. Decet ergo gloriam vestram ad reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Constantium, cujus et fides et vita olim mihi bene est approbata, sub omni celeritate transmittere, eique directis epistolis indicare ordinationem ejus quam benigne suscipitis; et quia ab ejus Ecclesiæ communione in nullo separamini, ut vere, sicut de bona ac fideli filia, communi exsultatione gratulemur. In hoc autem vos ac vestra **719** opera Deo placere cognoscite, si priusquam ejus examen veniat sacerdotum illius judicio comprobentur. (*Vide sup. ep.* 4.)

## EPISTOLA XXXIX.

### AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Brixianis civibus non juret se tria capitula minime damnasse, sed in epistola integram Chalcedonensis synodi fidem profiteatur. Joannem Ravennatem intra Missarum solemnia non nominet, nisi id postulet antiqua consuetudo, aut ab illo soleat ipse nominari. Theodelindæ iterum scribens, jam quintæ synodi non meminit, quæ tamen contra priores quatuor statuit nihil. Compescat Fortunatum. Ursicinum e status sui conditione non pulset.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Scriptis sanctitatis vestræ percursis, in gravi vos mœrore esse cognovimus, maxime [a] propter episcopos et cives [b] Brixiæ, qui vobis mandant ut eis epistolam transmittatis, in qua jurare debeatis vos tria capitula minime damnasse. Quod si decessor fraternitatis vestræ Laurentius non fecit, a vobis quæri non debet. Si autem fecit, cum universali Ecclesia non fuit, et cautionis suæ juramenta transcendit. Sed quia eumdem virum sua credimus sacramenta servasse, atque in unitate catholicæ Ecclesiæ permansisse, dubium non est quod nulli episcoporum suorum juraverit se tria capitula minime damnasse. Ex qua re colligat sanctitas vestra quia cogi non debet ad hoc quod a decessore vestro factum nullo modo est. Sed ne ii qui vobis ista scripserunt scandalizari videantur, transmittite eis epistolam, in qua sub anathematis interpositione fateamini neque vos aliquid de fide Chalcedonensis synodi imminuere, neque eos qui imminuunt recipere, et quoscunque damnavit damnare, et quoscunque absolvit absolvere. Unde credo eis posse celerrime satisfieri.

Quod autem scripsistis, quia scandalizantur plurimi eorum, quia fratrem et coepiscopum nostrum Joannem Ravennatis Ecclesiæ [c] inter missarum solemnia nominetis, requirenda vobis consuetudo antiqua est; et si consuetudo fuit, modo a stultis hominibus reprehendenda non est. Si vero consuetudo non fuit, fieri non debet unde quibusdam scandalum moveri possit. Tamen sollicite [d] perquirere studui si idem Joannes frater et coepiscopus noster vos ad altare nominet, quod minime dicunt fieri. Et si ille vestri nominis memoriam non facit, quæ necessitas cogat ignoro, ut vos illius faciatis. Quod quidem si sine aliquorum **720** scandalo fieri potest, vos tale aliquid facere valde laudabile est, quia charitatem quam erga fratres vestros habetis ostenditis.

Quod autem scripsistis, quia epistolam meam reginæ Theodelindæ transmittere minime voluistis, pro eo quod in ea quinta synodus nominabatur, si eam exinde scandalizari posse credidistis, recte factum est, ut minime transmitteretis. Unde nunc ita facimus sicut vobis placuit, ut quatuor synodos solummodo laudaremus. De illa tamen synodo quæ in Constantinopoli postmodum facta est, quæ a multis quinta nominatur, scire vos volo quia nihil contra quatuor sanctissimas synodos constituerit, vel senserit, quippe quia in ea de personis tantummodo, non autem de fide aliquid gestum est, [e] et de his personis de quibus in Chalcedonensi concilio nihil continetur; sed post expressos canones facta contentio et extrema actio de personis ventilata est. Nos tamen sicut voluistis ita fecimus, ut ejusdem synodi nullam memoriam faceremus. Sed et de episcopis quæ scripsistis, prædictæ filiæ nostræ reginæ scripsimus.

[a] Non quod de fide jurgarentur, sed quia pertinacia in schismate affinis est hæresi, vixque est ut eam non involvat, cum ab Ecclesiæ, quæ est *columna et firmamentum veritatis*, abducat.

Epist. XXXIX [*Al.* 37]. — [a] Ita legimus in Mss. Norm., Vatic., Reg., etc. Vulgati habent *propter episcopum*.

[b] Vulgo Brescia, Gall., *Bresse*, urbs adhuc episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi. Gussanv.

[c] Passim occurrit in antiquis monumentis ista nominum inter Missarum solemnia recitatio. Scribebantur autem in tabellis sive diptychis, de quibus multa quandoque lis mota est. Altera tabella vivorum erat, altera mortuorum, eaque ratione suam invicem communionem testabantur. Δίπτυχος, duplicatus; πτύχη, plica, codicilli duplices. Balsamo, in can. 1 concil. Constant. I et II, vocat hanc recitationem ἀναφορὰν τοῦ ὀνόματος τοῦ ἐπισκόπου. Neque vero solius episcopi nomen ad altare recitari solitum, sed extraneorum etiam, docet epistola 40 Leonis ad Anatolium c. 3, et epist. 46, c. 2, quod et innuit sanctus Gregorius his verbis: *Si idem Joannes frater et coepiscopus noster vos ad altare nominet.* Gussanv. De diptychis plura Menardus tum ad Concord. Regul., c. 4, § 4, tum in notis 69 et 70 ad lib. Sacr., et card. Bona, de Rebus liturgicis, lib. II, c. 12.

[d] In Vulgatis, *perquirere stude*, ut etiam in unico Vatic. In cæteris, *studui*, consentientibus Norm. et aliis.

[e] In Chalcedonensi concilio de Theodoreto et Iba expressis verbis, act. 8, 9, 10, judicatum est. Itaque videtur sanctus Gregorius aut non satis attendisse, aut aliud quid innuisse. De solo Theodoro Mopsuesteno locutum eum fuisse indicat, epist. 36, nunc 51, lib. II, indict. 10. Quod ait de canonibus, probat aut sanctum virum aliquid humani passum, aut canones suo non referri loco act. 15, aut per canones ipsum fidei decretum esse intelligendum. Porro Græci vocabant diatyposes quæ de fide erant definitiones, ὅρους autem quæ de disciplina. Vide Gelasium Cyzicenum, ad conc. Nicæn., part. II. Gussanv.

Ursicinum qui vobis scripsit aliquā contra Joannem fratrem et coepiscopum nostrum, vos per epistolas vestras et dulcedine et ratione ab intentione sua compescere debetis. De Fortunato autem fraternitatem vestram esse sollicitam volumus, ne vobis a malis hominibus in aliquo subripiatur. Nam audio eum cum decessore vestro Laurentio [f] ad mensam Ecclesiæ per annos plurimos nuncusque comedisse, inter nobiles consedisse, et subscripsisse, eumque fratre nostro sciente [g] in numeris militasse. Et post tot annos modo videtur fraternitati vestræ ut de status sui conditione pulsetur. Quod mihi omnino incongruum videtur. Et ideo hoc per ipsum vobis, sed secreto mandavi. Tamen si quid est rationabile quod ei possit opponi, in nostro debet judicio ventilari. Ad filium vero nostrum dominum Dynamium, si omnipotenti Deo placuerit, per hominem vestrum scripta transmittemus.

## EPISTOLA XL.

### AD MARCELLUM SCHOLASTICUM.

*Pro Maximo indulgentiam postulanti amice indicat id rectitudinem disciplinæ non pati.*

Gregorius Marcello [a] scholastico.

Gloriæ vestræ charitas sic in nostro corde semper invigilat, ut nihil sibi corporalis defendat **721** absentia. Nam quamvis a carnalibus oculis longe est, mentis tamen aspectibus nunquam deest. Frequenter enim nos voluntas ad scribendum desideranter impellit, sed occupatio non permittit. Dum ergo nobilitatis vestræ peritia non ignoret quantis sit locus noster occupationibus involutus, quod a scribendi interdum cessamus officio, non voluntatis, sed necessitatis esse consideret. Gloria autem vestra quod tardius in sua nos requirit epistola, qua possit excusatione defendere non videmus. In hoc igitur sola me debui taciturnitate defendere, sed fervor charitatis linguam meam non pertulit habere silentium. Salutantes itaque cum omni affectu atque dulcedine, indicamus nos graviter contristatos quod illa a nobis voluistis expetere, in quibus dum voluntatem vestram perficere, quia obsistit ratio, non valemus, contristare vos, quod nolumus, videmur. Nam hoc nos sine correptione relinquere ecclesiastica non sinit aliquo modo disciplina; nec vos pro talibus decet petere, ne non rectitudini, sed indisciplinationi, quod absit, videamini consentire. Causa vero ejusdem Maximi pro quo nobis scribitis, quem si missarum solemnia celebrare præsumpserit, jam sacri corporis communione privavimus, matura quando oportuerit deliberatione, sicut Deo nostro placuerit, judicabitur atque disponetur. Oramus autem omnipotentem Dominum, ut et hic vos sua [b] propitiatione custodiat et ad æternæ vitæ præmia perducat. [c] Mense Augusto, indictione 12. (*Vide sup. ep.* 10.)

## EPISTOLA XLI.

### AD CLERUM, ORDINEM ET PLEBEM HORTONÆ.

*Barbarum visitatorem delegat. Ante omnia monet ne laicam personam in episcopum eligant.*

Gregorius clero, ordini et plebi consistenti [a] Hortonæ.

Vestri [b] antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri et coepiscopo nostro [c] Barbaro solemniter delegare. Cui dedimus in mandatis [d] ut nihil de reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur, cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire. Hoc tamen scitote, quia ei ordinandi presbyteros ac diaconos, si necesse fuerit, quos dignos ad hoc officium invenire potuerit, dedimus licentiam, [e] quatenus in

[f] Videtur fuisse Mediolani mensa communis clericorum. GUSSANV.

[g] Ita legendum censeo ex Editione Veneta an. 1504, licet Mss. et editi Codices refragentur, in quibus legitur, *innumeris annis militasse*. Imperitia videlicet exscriptorum, qui forte non legerant numerum idem esse ac cohortem, etc. Gall., *bande, troupe, compagnie*. Plura de hac voce diximus ad caput 55 lib. IV Dialogorum. GUSSANV. Imperitos tamen illos secutus est ipse Gussanv., qui et hoc loco legit *innumeris annis*, et in Dialogorum lib. IV, c. 55, ubi legendum ex omnibus Mss., *qui erat Optio in numero*, lectionem hanc ita corrupit, *qui alio nomine Optio dictus fuit*. Verum qua oscitantia dicit Mss. Codices refragari huic lect., *in numeris militasse?* certe ita legitur in septem Norm., in duobus Regiis et in plerisque; absurda autem prorsus est alia lectio, *innumeris annis militasse*.

EPIST. XL [*Al.* 38]. — [a] Scholasticus significat aliquando virum eruditum, sapientem, eloquentem; aliquando advocatum seu causarum patronum. Sic interpretandum censemus ubi nomini subjicitur, ut in hujusmodi epistolarum inscriptionibus, et pro dignitatis titulo attexitur. Unde conjice quo tunc loco haberentur advocati, ad quos scribens summus pontifex, gloriæ appellationem et titulum non secus ac præfectis, patriciis, exarchis, imo regibus, tribuit.

[b] Excusi, *protectione*.

[c] Hæc desunt in Mss. Norm. ac plur. Exstant in Colbert. et in Vatic.

EPIST. XLI [*Al.* 39]. — [a] Vulgo *Ortona*, urbs olim Samnii in ora maris Adriatici, distans a Teate XII mill. in ortum. Nunc Aprutii citerioris in regno Neapolitano, adhuc episcopalis sub archiepiscopo Teatino. GUSSANV. In Rhemensi et uno e Vatic. legitur, *Cotronæ*.

[b] Is Blandus vocabatur, ex epist. 35 libri I, si tribus Vaticanis fides, nam pro *Hortensis*, habent, *Hortonensis*, ut observavimus in fine notæ *c* ad eamdem epist.

[c] Erat Beneventanus episcopus, vir industrius, et sancto Gregorio valde probatus, quippe cui etiam post mortem Victoris, Panormitanæ Ecclesiæ visitationem commisit ex epist. 16 libri XI, nunc 13 lib. XIII. De eo quoque mentionem facit ejusdem lib. epist. 19, nunc 14. Putat tamen Ughellus, tomo VI Italiæ sacræ, hunc Barbarum, quem et Barbatum dicit appellari, fuisse tertium episcopum Teatinum, cui utpote viciniori Ecclesiam Ortonensem visitandam commendavit. GUSSANV. In Rhemensi pro *Barbaro* legitur *Joanni*. Ita etiam in Vatic. D. In al. Vatic., Turon., Reg., nomen episcopi tacetur. In aliis Mss. nostris desideratur hæc epist. Exstat in Colb.

[d] Rhem., *ut nihil de provectionibus clericorum, reditu*, etc.

[e] Ita Vaticani omnes, Regii et Turon. Consentit etiam codex Rhemensis, nisi quod in eo desideretur, *et tanto ministerio dignus valeat inveniri*. In Vulgatis legitur: *quatenus..... sacerdos, qui et vener. canonibus ulla non discrepet ratione, et tanto*, etc., *communiter eligatur*.

ecclesiastico **722** obsequio sacerdos exquiratur, qui a venerandis canonibus nulla discrepet ratione, et tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus, provisuri ante omnia ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione [f] provehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite. Sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirare constiterit, ab officio et a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

## EPISTOLA XLII.

### AD VALENTINUM ABBATEM.

*Ne monachi feminas in monasterium inducant, aut eas sibi commatres faciant.*

Gregorius [a] Valentino abbati.

Pervenit ad nos (*Grat.* 18, *q.* 21, *c.* 20), quod in monasterio tuo passim [b] mulieres ascendant, et, quod adhuc est gravius, monachos tuos mulieres sibi commatres facere, et ex hoc incautam cum eis communionem habere. Ne ergo hac occasione humani generis inimicus sua eos, quod absit, calliditate decipiat, ideo hujus te præcepti serie commonemus, ut neque mulieres in monasterio tuo deinceps qualibet occasione permittas ascendere, neque monachos tuos eas commatres sibi facere. Nam si hoc denuo ad aures nostras quocunque modo pervenerit, sic te severissimæ noveris ultioni subdendum, ut emendationis tuæ qualitate cæteri sine dubio corrigantur. (*Vide l.* II, *ep.* 25.)

## EPISTOLA XLIII.

### AD BONIFACIUM VIRUM MAGNIFICUM.

*Veniat Romam, de fide sua, jam non per epistolas, sed per semetipsum responsurus. Qui cum eo dubia patiuntur, secure venire posse, cum non potestate, sed ratione erga ipsos usurus sit.*

Gregorius [a] Bonifacio viro magnifico Africæ.

Si ita, ut audieram, magnitudo vestra intentione sollicita [b] de animæ suæ vita cogitaret, nequaquam se mihi de fide sua per epistolas, sed per semetipsam posceret respondere. Nam quod **723** in excusationem molestia corporalis adducitur, exspectato salutis tempore, laborem summopere potuistis pro

[f] Excusi, *provehatur*.

Epist. XLII [*Al.* 40]. — [a] In Colbert. epistola hæc inscribitur, *Venantio*.

[b] Vide lib. IX, epistolam 20, et septimam Gelasii papæ I.

Epist. XLIII [*Al.* 41]. — [a] In Vulgatis, omittitur *viro*, secus in Mss.

[b] Excusi habent *salute* pro *vita;* et *potuit* pro *posceret*. Lectionem quam exhibemus confirmant omnes Mss. nostri Vatic., Norm., Reg., Corb., Turon., Rhem., Colb.

[c] Ita melius Mss. omnes, quam Editi, *neque aliqua ratiocinatione monstranda*. Contra mentem sancti Doctoris, qui ratione convincendum judicavit Bonifacium. Verum scribit rationibus quas jam adhibuit aliam non addendam.

[d] Vulgati recent., *hoc ipsum quod non vult, obstaculum obedientiæ esse solet*. Ubi emendicata hæc lectio fuerit nos fugit. Certe non in Mss. Vatic., Norm., etc., quos supra laudavimus.

A commodo æternæ salutis assumere, ut et vos de nostra ratione, et nos de vestra credulitate gauderemus. Ea enim quæ meis scripsi epistolis replicanda nunc non sunt, [c] neque alia ratiocinatione monstranda, quia apud nolentis animum, quamvis sit evidens ratio, [d] hæc ipsa obstaculum esse solet. Sed per vos venite, et beati Petri apostolorum principis liminibus vosmet præsentate, et cuncta quæ scripsi, nisi ex lectione monstravero, cum qua vultis disputatione recedite. Hortor vos tamen ut dum vitæ spatium superest, ab ejusdem beati Petri Ecclesia, cui claves cœlestis regni commissæ sunt, et ligandi ac solvendi potestas attributa, vestra anima non inveniatur divisa, ne si hic beneficium ejus despicitur, illic vitæ aditum claudat.

B Illi autem qui dubitationis vestræ participes sunt, si ad me venire voluerint, nullam in me quasi ex potestate prodeuntem violentiam pertimescant. Nam nos licet in omnibus causis, in his tamen præcipue quæ Dei sunt, ratione magis stringere homines quam potestate festinamus

## EPISTOLA XLIV.

### AD MAXIMIANUM EPISCOPUM.

*Quosdam e Bacaudæ episcopi clero, ad sacros ordines in Sicilia promotos, ad ipsum illos repetentem transmittat.*

Gregorius Maximiano episcopo Syracusano.

Indicavit nobis Bacauda frater et coepiscopus noster quosdam de clero suo in Siciliæ partibus ad sacros ordines pervenisse. Qui quoniam neque presbyterum neque diaconos se habere commemorat, [a] eos ad se C petiit debere transmitti. Proinde fraternitas tua ubicunque illos latore præsentium indicante repererit, huc eos sine dilatione transmittat, quatenus et illi ad Ecclesiam in qua olim militaverunt, revocentur, et ante dictus episcopus optatum de eis possit habere solatium.

## EPISTOLA XLV.

### AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Solidos sexaginta mittit pro Cosma persolvendos.*

Gregorius Fantino defensori.

Lator præsentium [a] Cosmas Syrus in negotio quod agebat debitum se contraxisse perhibuit, **724** quod et multis aliis et lacrymis ejus attestantibus verum esse credidimus. Et quia CL solidos debebat, volui ut cre-

D

Epist. XLIV [*Al.* 42]. — [a] Suos clericos in Siciliæ fuisse partibus ordinatos dicit, bello, ut quidem reor, e sua pulsos diœcesi. Sine dimissoriis promotos, suspicor, quasi indigenas aut ratione domicilii proprios, lege canonum revocat in Nicæno, c. 15 et 16. Gussanv.

Epist. XLV [*Al.* 45]. — [a] Eumdem esse putamus de quo lib. III, epist. 58. Hieronymus in illud Ezechielis XXVII, 16 : *Syrus negotiator tuus.... usque hodie autem*, inquit, *permanet in Syris ingenitus negotiationis ardor, qui per totum mundum lucri cupiditate discurrunt, et tantam mercandi habent vesaniam, ut occupato nunc orbe Romano, inter gladios et miserorum neces quærant divitias, et paupertatem periculis fugiant.* Idem ad Lætam : *Negotiatoribus avidissimis mortalium Syris*. Sidon., lib. I, epist. 8, de Ravennatium perversione : *fenerantur*, inquit, *clerici, Syri psallunt.*

ditores illius cum eo aliquid paciscerentur, quoniam et [b] lex habet, ut homo liber pro debito nullatenus teneatur, si res defuerint quæ possint eidem debito addici. Creditores ergo suos, ut asserit, ad LXXX solidos consentire possibile est. Sed quia multum est ut a nil habente homine LXXX solidos petant, LX solidos per notarium tuum tibi transmisimus, ut cum eisdem creditoribus subtiliter loquaris, rationem reddas, quia filium ejus quem tenere dicuntur, secundum leges tenere non possunt. Et si potest fieri, ad aliquid minus quam nos dedimus condescendant. Et quidquid de eisdem LX solidis remanserit, ipsi trade, ut cum filio suo exinde vivere valeat. Si autem nil remanet, vel ad eamdem summam debitum ejus incidere stude, ut possit sibi libere postmodum laborare. Hoc tamen solerter age, ut, acceptis solidis, ei [c] plenariam munitionem scripto faciant. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 55.)

[b] Novell. 134, c. 7, ubi de filio debitoris agitur. *Quia vero et hujusmodi iniquitatem in diversis locis nostræ reipublicæ cognovimus admitti, quia creditores filios debitorum præsumunt retinere, aut in pignus, aut in servile ministerium, aut in conductionem, hoc modis omnibus prohibemus, et jubemus ut si quis hujusmodi aliquid deliquerit, non solum debito cadat, sed tantam aliam quantitatem adjiciat, dandam ei qui retentus est ab eo aut parentibus ejus; et post hoc etiam corporalibus pœnis ipsum subdi a loci judice, quia personam liberam pro debito præsumpserit retinere, aut locare, aut pignorare.* Totam legem exscripsi, quia multa continet notabilia. GUSSANV.

[c] Gall., *une entière décharge*. Instrumentum quo de liberatione constet vocant sæpius jurisconsulti munimentum, quod a cujuslibet litigantis insultu hominem tutum reddit ac munit. GUSSANV.

## EPISTOLA XLVI.

AD RUSTICIANAM PATRICIAM.

*Festinum nimis illius e monte Sina reditum reprehendit.*

Gregorius Rusticianæ patriciæ.

Excellentiæ vestræ scripta suscipiens, libenter agnovi qualiter ad montem Sina perrexerit. Sed credite, ego quoque voluissem vobiscum ire, sed vobiscum minime redire. Quamvis mihi valde difficile sit credere quia ad loca sancta fuistis, [a] Patres multos vidistis. Nam, credo, si vidissetis, tam celeriter ad Constantinopolitanam urbem redire minime poteratis. At postquam talis civitatis amor de corde vestro nullo modo recessit, suspicor quia excellentia vestra sancta quæ corporaliter vidit, ex corde minime attendit. Sed omnipotens Deus mentem vestram gratia suæ pietatis illustret, donet vobis sapere, et temporalia omnia quam sint fugitiva pensare, quia dum hæc loquimur, et tempus currit, et judex supervenit, et mundum, quem sponte nolumus, ecce jam prope est ut dimittamus inviti. Domnum Apionem et domnam Eusebiam, eorumque filias mea peto vice salutari. Domnam vero illam nutricem meam, quam mihi per litteras commendatis, omnino diligo, et gravari in nullo volo. Sed tantis angustiis premimur, ut [b] ab angariis atque oneribus hoc jam tempore nec nosmetipsos excusemus.

[a] Scilicet monachos monasterii montis Sina. Exstat epistola sancti Gregorii lib. XI secunda, ad Palladium hujus monasterii aut abbatem aut monachum, ad quem cucullam et tunicam mittit. Hic adverte monachos nomine tituloque Patrum insignitos, quod usu receptum tum apud Græcos tum apud Latinos scriptores. Nam Græci acta eorum, *vitas Patrum* appellarunt, dicta *apophthegmata Patrum*, in quibus a Cotelerio collectis sæpe leges : *narravit Patrum aliquis*. Idem sonat abbatis titulus omnibus saltem insignioribus monachis in orientali Ecclesia collatus. Pro Latinis testis prodeat Venantius Fortunatus de vita sancti Martini :

> Inde monasterium sibi condit rupe sub alta,
> Vir monachus præstans in pontificatus honore.
> Plurima conveniunt ubi sancta examina Patrum.

De Patrum appellatione religiosis non deneganda, scripsit singularem dissertationem Theophilus Raynaudus e societate Jesu. Antiquissimum morem probat Hieronymus, etsi reprobet : *Nescio*, inquit in cap. IV ad Gal., *qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine* patris *alios, vel vocari nos acquiescamus*.

## 725 EPISTOLA XLVII.

AD SABINIANUM DIACONUM.

*Maximi, qui Gregorii scripta publice scindi fecerat, superbiam comprimendam. Ejus calumniæ de Malcho episcopo occiso quid respondendum. Monendum de duobus Romanum.*

Gregorius [a] Sabiniano diacono.

De causa [b] Maximi prævaricatoris quid actum sit cognovisti. Sed postquam serenissimus domnus imperator jussiones transmisit ut ordinari minime debuisset, tunc ad altiorem superbiam erupit. Nam homines gloriosi viri patricii Romani ab eo præmia acceperunt, eumque [c] ita ordinari fecerunt, ut Antonium subdiaconum et rectorem patrimonii nisi fugisset occiderent. Ego autem epistolas transmisi, postquam eum ordinatum contra rationem cognovi, et contra consuetudinem, ut missarum solemnia celebrare non præsumeret, nisi prius [d] a serenissimis

[b] Ea vox his in epistolis sæpius occurrit pro exactionibus, functionibus, muneribus, operibus coactis. Jureconsulti pro præstationibus equorum aut ad cursum publicum, Gal., *les postes*, aut ad transvectiones quarumdam rerum, ut armorum. Dicunt etiam *parangarias*. Sunt servitutes coactæ, onera, et species vectigalium. Vocem Budæus notat esse Persicam. Ita Suidas. Cum plus compellimur præstare, aut solvere, aut facere, quam juris sit, quam debeamus, angaria est. Gallice operas, quas domini a suis violenter exigunt colonis, vicariis, rusticis, vocamus *corvées*; quidni derivamus angariam ab angendo? De angariis etiam loquitur Gregorius epist. 68, lib. I, nunc 70. GUSSANV.

EPIST. XLVI [*Al.* 44]. — [a] Scilicet monachos monasterii montis Sina. Exstat epistola sancti Gregorii lib. XI secunda, ad Palladium hujus monasterii aut abbatem aut monachum, ad quem cucullam et tunicam mittit. Hic adverte monachos nomine tituloque Patrum insignitos, quod usu receptum tum apud Græcos tum apud Latinos scriptores. Nam Græci acta eorum, *vitas Patrum* appellarunt, dicta *apophthegmata Patrum*, in quibus a Cotelerio collectis sæpe leges : *narravit Patrum aliquis*. Idem sonat abbatis titulus omnibus saltem insignioribus monachis in orientali Ecclesia collatus. Pro Latinis testis prodeat Venantius Fortunatus de vita sancti Martini :

> Inde monasterium sibi condit rupe sub alta,
> Vir monachus præstans in pontificatus honore.
> Plurima conveniunt ubi sancta examina Patrum.

De Patrum appellatione religiosis non deneganda, scripsit singularem dissertationem Theophilus Raynaudus e societate Jesu. Antiquissimum morem probat Hieronymus, etsi reprobet : *Nescio*, inquit in cap. IV ad Gal., *qua licentia in monasteriis vel vocemus hoc nomine* patris *alios, vel vocari nos acquiescamus*.

EPIST. XLVII [*Al.* 1, indict. 1]. — [a] In Vatic., *Sabiniano diacono, apud Constantinopolim*. Ibi apocrisiarii pro Gregorio provincia fungebatur. Hæc epist. extra Registri ordinem in calce inter prætermissas reperitur in multis Mss., præsertim Norm. Exstat in collectione Pauli Diaconi prima, et in indice inscribitur : *Ad Sabinianum diaconum Constantinopolitanum*.

[b] De eo consule, supra, epist. 20, ad ipsum scriptam.

[c] In Aud. et aliis plur. Mss., *ita ordinari fecerunt. Antonium... nisi fugisset occiderent.*

[d] In collect. Pauli prima manu, *domnis*; secunda, *dominis*. Quocirca observandum collectas illas epistolas *a clericulo* parum litterato primo scriptas, et postea manu Pauli correctas et emendatas saltem num. XXXIV.

dominis cognoscerem quid de ejus persona jussissent. Quæ scripta mea publice relata, vel in civitate posita, publice scindi fecit, atque in contemptum sedis apostolicæ [e] apertius exsiliit. Quod ego qualiter patiar scis, qui ante paratior sum mori, quam beati Petri apostoli Ecclesiam meis diebus degenerare. Mores autem meos bene cognitos habes, quia diu porto; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado. Unde necesse est cum Dei auxilio periculo succurrere, ne cogatur excedendo peccare. [f] Vide quæ dico, **726** et pensa ex quanto dolore sunt.

Pervenit vero ad me quia transmisit nescio quem clericum, qui diceret quia Malchus episcopus in custodia pro solidis occisus sit. De qua re unum est quod breviter suggeras serenissimis Dominis nostris, quia si ego servus eorum in morte Langobardorum me miscere voluissem, hodie Langobardorum gens, nec regem, nec duces, nec comites haberet, atque in summa confusione esset divisa. Sed quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido. [g] Malchus autem episcopus neque in custodia fuit, neque in aliqua afflictione, sed die qua causam dixit, [h] et addictus est, nesciente me, a Bonifacio notario in domum ejus ductus est, cui et prandium factum est, ibique prandit, et honoratus est ab eo, et nocte subito mortuus est, quod jam dilectionem tuam arbitror cognovisse. Exhilaratum autem nostrum pro ea re dirigere volui. Sed quia jam eamdem causam actam existimavi, idcirco me retinui.

Domno autem Romano dilectio tua dicat quia pro Felice, sicut scripsit ad virum excellentissimum [i] magistrum, epistolas, si Deus jusserit, facio, et per hominem meum transmitto. Nam modo postquam nulli alteri scribo, durum mihi fuit soli magistro scribere. Cui etiam dicendum est quia Catellus patatinus substantiam ejus, quantum Virigantinus dicit, male exterminat. Cui vix potui imponere ut expensas eidem Virigantino in monasterio quo lectioni vacat, et laborare non potest, parum aliquid de substantia matris suæ dare debuisset.

[e] In eadem collect., *apertus*.

[f] In Vatic. A, *unde quæ dico pensa ex quanto*, etc.

[g] Pugnant hic Mss. Audoenus et Norm. habent: *quod Malchus autem neque in custodia fuit*. Favent Vatic. A et D. In collect. Pauli, *quod modo autem neque in custodia*.

[h] De vocis hujus sensu diximus l. II Moral., n. 15, ubi vide notas. Sic locus ille legitur in Vatic. A: *Die qua causam dixit, adductus est..... a Bonifacio notario in domum ejus: cui et prandium factum est.*

[i] Ejus dignitas summa erat inter patricios. Vide Theodoretum, lib. V Hist., c. 27; Cedrenum, Codinum, Zonaram, Evagrium. Erant autem plures postremis sæculis usque ad XXIV. Eorum, ut conjicio, præcipuus erat magister officiorum. Conc. CP. VI, act. 2, *μαγίστρος τῶν βασιλικῶν ὀφφικίων*, palatii magister. Chalced., act. 1, *μαγίστρος τῶν θείων ὀφφικίων*, divinorum seu aulicorum officiorum magister. Reperitur et hæc vox apud sanctum Athanasium, in Apologia ad imp. Const. et apud sanctum Basilium, epist. 84, et alios. Dicitur et *μαγίστηρ* et *μαγιστριανὸς*. Porro dignitas magistri dicebatur *magisteria*, Gr. *μαγιστερία*. Apud Simocattam, lib. III, c. 15: *Θεόδωρον τῇ μαγιστερίᾳ ἀρχῇ τιμώμενον*. Et Childebertus rex Francorum in epist. ad eumdem Theodorum magistrum, tom. I Hist. Franc., *prælati magisterii vestri*. Gussanv. Formulam magisteriæ dignitatis habes apud Cassiodorum, libro VI Variar., § 6.

# *LIBER QUINTUS.*

## Indictione decima tertia, anno ordinationis ejus quinto.

### **727** EPISTOLA PRIMA.

AD JOANNEM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Non præponendos monasteriis clericos Ecclesiis deservientes.*

Gregorius Joanni Ravennati episcopo, etc.

Pervenit ad me (*Grat.* 18, *q.* 1, *c.* 26) [a] quod in Ecclesia fraternitatis tuæ aliqua loca dudum monasteriis consecrata nunc habitacula clericorum aut etiam laicorum facta sunt; dumque hi qui sunt in ecclesiis fingunt se religiose vivere, monasteriis præponi appetunt, et per eorum vitam monasteria destruuntur. Nemo [b] etenim (*Grat.* 16, *q.* 1, *c.* 2) potest et [c] ecclesiasticis obsequiis deservire, et in monachica regula ordinate persistere, ut ipse monasterio districtionem teneat qui quotidie [d] in monasterio ecclesiastico cogitur permanere. Proinde fraternitas tua hoc, quolibet in loco factum sit, emendare festinet, quia ego nullo modo patiar ut loca sacra per clericorum ambitum destruantur. Vos itaque ita agite, ut mihi hac de re correctam causam sub celeritate nuntietis. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 54.)

LIBER V. *Al.* LIBER IV. Epist. I. — [a] Al., *in Ecclesiis*, ut in Vatic. C.

[b] Sane non adeo conveniunt monastica quies, et pastorales de laicis curæ. Inde gemebat Gregorius ex monacho pontifex, lib. I, epist. 5, *contemplativæ vitæ pulchritudinem*, etc. Monachos tamen *clericorum officiis aggregari* optabat ac volebat Siricius. Illos ut ex monastica vita clericatui magis idoneos, brevioribus ordinum interstitiis Gelasius statuit promoveri: *Quoniam*, inquit epist. 9, cap. 2 et 3, *distare convenit inter personam divino cultui deditam et de laicorum conversatione venientem*. Ut vir pius ad episcopatum idoneus sit, illum primo subdiaconum aut monachum fieri debere Gregorius censet, infra, lib. XII, epist. 12, *Hortandus est*, etc. Ex quibus constat, inquit Thomassinus, part. I, lib. III, cap. 14, pro minoribus ordinibus ipsoque subdiaconatu habitum esse monachatum, aut saltem monasticæ vitæ labores pro interstitiis ordinum habitos. Vide Bonifacii IV decretum, apud Gratianum, 16, q. 2, cap. 25; Innocentium III, de Statu monachorum, tit. 35, c. 5; Holstenium, Collect. Rom., pag. 253.

[c] Gratianus habet, *ecclesiasticis officiis*.

[d] Quatuor Vatic. et Corb., *in obsequio ecclesiastico*.

## EPISTOLA II.

AD FELICEM EPISCOP. ET CYRIACUM ABBATEM.

*Introducendos in monasterium a Theodosia fundatum servos Dei.*

Gregorius Felici episcopo et Cyriaco abbati.

Querelam [a] Theodosiæ religiosæ feminæ subditæ vobis satis series relationis explanat, in qua plura et non ad sacerdotalem pertinentia mansuetudinem contra Januarium fratrem et coepiscopum **728** nostrum capitula comprehensa relegimus, ita ut post fundatum a se servorum Dei monasterium, [b] omne quod ad avaritiam, turbulentiam præjudiciumque pertinet, [c] tempore dicatur oratorii ipsius dedicationis exhibitum. Quamobrem si ita est ut ante fata ejus suggestione comperimus, et in loc quidquam cognoscitis indecentius fuisse commissum, hortamur ut Musicum abbatem monasterii Agilitani, remotis prius omnibus præjudiciis, studeatis ut in monachos suos, quos illic ordinare cœperat, summopere vacare festinet, quatenus ipso venerabili loco, [d] decenti regularique modo per vos, Domino juvante, disposito, nec frequens nos prædictæ religiosæ feminæ de non impletis bonis desideriis suis querela concutiat, nec cum vestræ detrimento sit animæ, si tam pium propositum aliqua vobis negligentibus, quod non credimus, dilatione torpescat.

## EPISTOLA III.

AD VENANTIUM EPISCOPUM.

*Presbyteri, diaconi et subdiaconi qui se luxuriæ crimine maculaverint suo gradu in perpetuum dejecti maneant. Peracta pœnitentia communionem accipiant inter laicos. Saturnino expresbytero monasteriorum quorumdam curam suscipere concedit. Mittit baptizandæ mulieri vestem, et Columbo presbytero Codicem regulæ pastoralis.*

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

Relectæ textus quam fraternitas tua direxit epistolæ sollicitudinem tuam diligenter innotuit, sed cognita nos corporis tui molestia contristavit. Verumtamen dominica patienter debent sustineri flagella. Nam frequenter ad emendationem **729** ægritudo conceditur. Et hoc ante Deum hominem purgatum statuit, quod in hac illum ad præsens vita contristat. Unde necesse est ut Creatori nostro, etiam in infirmitate positi, gratias referamus, et ut in illa nobis vita castigatio ista proficiat exoremus.

[a] Præterea (*Grat. dist.* 50, *c.* 10) ad fraternitatis tuæ consulta respondentes, statuimus diaconum et abbatem [b] de portu Veneris, quem indicas cecidisse, ad sacrum ordinem non debere vel posse ullo modo revocari. Quem quidem sacro ordine privatum in pœnitentiam deputare te convenit. Cujus si postea actus conversatioque meruerit, priorem inter alios monachos, ubi tu tamen decreveris, standi locum obtineat. Subdiaconi quoque, quos similis culpa constringit, ab officio suo irrevocabiliter depositi, inter laicos communionem accipiant. In portu autem Veneris loco lapsi diaconi, alium qui hoc officium implere debeat ordinabis. Saturninum vero [c] expresbyterum, ut nunquam ad sacri ordinis ministerium præsumat accedere, scriptis cavere decrevimus. Sed eum in insula Gorgona atque [d] Capraria [e] sollicitudinem de monasteriis gerere, et in eo in quo est statu sine cujusquam adversitate manere permittimus. Fraternitas ergo tua commissos sibi vigilanti cura custodiat, a malis actibus sua, ut valet, prædicatione corripiat, quatenus et officii sui inveniatur, sicut decet, implere propositum, et Deum sibi retributorem suæ faciat actionis existere. Nos vero omnino vos videre cupimus, atque in Deo de vestra præsentia et salute gaudere. [f] Vestem vero ei quæ baptizanda est direximus; atque ut nobis talia scribatis, semper optamus. Codicem vero regulæ pastoralis domno Columbo presbytero transmittendum per harum portitorem direximus, quem vos nolite detinere. Nam usui vestro alium sub celeritate transmittemus.

EPIST. II. — [a] De isto Theodosiæ monasterio jam supra, lib. IV, epist. 15.

[b] Refertur 18, q. 2, c. 26, ubi probat Gratianus exempta fuisse quædam monasteria propter avaritiam episcoporum, qui, salutem animarum negligentes, monasteria suis bonis spoliabant. Vide lib. VI, epist. 29 et 45, necnon lib. VIII, epist. 15. Hoc loco mutavimus vulgatam lectionem, *ad avaritiæ turbulentiam*, suadentibus, imo cogentibus Mss.

[c] Tres Vatic., *tempore dedicaturi oratorii ipsius sit dedicationis exhibitum.*

[d] Rhem., *decenti venerabilique modo.*

EPIST. III [*Al.* 16]. — [a] Gratianus, dist. 50, c. 10, unum caput conflavit ex epist. 5 et 16, nunc 6 et 15, ubi observabit lector sanctum Gregorium sibi semper constare, cum de lapsis Ecclesiæ ministris agitur. Abbati tamen priorem inter monachos locum obtinere permittit post pœnitentiam. Idem, epist. 17, nunc 4. GUSSANV.

[b] Portus Veneris, vulgo *Porto Venere*, olim urbs episcopalis in Liguriæ finibus, in sinu Lunensi, e regione urbis Lunensis sita, nunc oppidulum cum arce. GUSSANV.

[c] Alii, non male, *ex presbytero*, ut legitur in Norm. et in vet. Ed. In plurim. Mss. legitur *Saturum*, vel *Saturnum*.

[d] Vulgo *la Capraia*, insula maris Tyrrheni Tusciam inter et Corsicam. GUSSANV. De Gorgona vide epist. 52 lib. I.

[e] Id vide infra, epist 6. Supra prænotavimus presbyterum lapsum, etiamsi ad sacrum ministerium revocari non possit, posse tamen de monasteriis sollicitudinem gerere, GUSSANV., si ante lapsum, abbatis officio fuerit perfunctus.

[f] Lib. III, epist. 21, agit cum episcopo Lunensi de baptizandis Judæis; hic baptizandæ vestem transmittit. In epist. 6 Pauli papæ ad Pipinum regem: *Præfatus sodalitatis vestræ illustris missus pretiosissimum nobis supernæ gratiæ munus attulit, sabanum videlicet, in quo dulcissima atque amantissima nostra spiritualis filia sacratissimo lavacro ablata suscepta est, quam et cum magna jucunditate aggregata populi cohorte infra aulam sacrati corporis auxiliatricis vestræ beatæ Petronillæ..... celebrantes missarum solemnia cum magno gaudio suscepimus, et per allatum eumdem sabanum*, etc. Vestium istarum baptismalium et sabanorum, quorum usus erat in excipiendis e fonte sacro baptizatis et exsiccandis, in libris superest memoria, nihil fere in ritibus. De vestibus innumeri testantur auctores. Inter cæteros sanctus Ambrosius, de iis qui myst. init., c. 7. De sabanis Victor Uticensis, de Persecut. Vandalorum, lib. III, ubi de Maritta et Elpidoforo. GUSSANV. Consule notas nostras ad c. 17 l. III Dial. et ad cap. 55 lib. IV.

## EPISTOLA IV.

AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Id de lapsis decernit quod antecedenti epistola. Constantio scribit ut Joannem puniens iram caveat. Ut ejusdem Constantii famæ consulatur. Finiendam Romæ causam Fortunati.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Si lapsis ad suum ordinem revertendi licentia concedatur, vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum per reversionis spem pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat (*Grat. dist.* 50, *c.* 1). Fraternitas siquidem vestra nos consuluit, si **730** Amandinus expresbytero et abbate, qui a suo est decessore culpa exigente depositus, in eo quo fuerat ordine constitutus debeat revocari. Quod quidem nec licet, nec fieri posse aliqua ratione decernimus. Ejus tamen si conversatio forte meruerit, sacro per omnia sicuti est privatus officio, in monasterio eum ante alios, ut prævideritis, monachos ordinate. Illud igitur præ omnibus studete, ut lapsos in sacrum ordinem nullius vobis supplicatio aliquo modo revocare suadeat, ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur eis esse vindicta.

Vitalianum vero [a] expresbyterum, de quo scribitis ut districte debeat custodiri, in Siciliam dirigi faciemus ut, spe discedendi sublata, in pœnitentiæ se saltem tunc lamenta constringat. Jobinum quoque de portu Veneris quondam diaconum et abbatem suo decrevimus privandum officio, atque ut alter in ejus loco debeat ordinari scripsimus. Similiter etiam et tres subdiaconos quos fraternitas vestra lapsos innotuit a suo semper vacare ac decernimus privatos officio, quibus nihil aliud quam inter laicos sacra est præbenda communio. Saturninum vero expresbyterum ne ad sacri ordinis ministerium præsumat unquam accedere, deputavimus [b] facere cautionem. Eumque in eadem qua fuerat insula cum sacri ordinis privatione volumus permanere, permittentes ei curam et sollicitudinem de monasteriis habere vel gerere, quem et ex suo lapsu cautiorem factum cum credimus commissos sibi jam nunc sollicitius custodire.

De Joanne autem Ecclesiæ vestræ notario charitas nos qua vos diligimus olimque dileximus ut scriberemus admonuit, ne dum ejus culpa provocat, aliquid quod ad peccatum pertinet fieri mandaretis. Hoc ergo caventes, Ecclesiæ vestræ res subtiliter modis sic quibus potueritis inquirite, [c] unde nec Deum offendatis, nec ille vos unde apud homines accuset, valeat invenire. Nam nos non Joannem defendendo, vel contra rationem commendando ejus personam, sed ne vestra magis anima, stimulante furore, in aliquo gravaretur, scripsimus. Unde necesse est ut, sicut præfati sumus, Ecclesiæ vestræ res subtili investigatione cum Dei timore perquirere minime negligatis.

Præterea multum nos de Fortunati persona charissimæ fraternitatis vestræ mirari fecit epistola. Sed aut a vobis minime scripta ipsa [d] dictata sunt, aut certe si vestra sunt, nos in eis fratrem nostrum dominum Constantium nequaquam agnoscimus. Debuistis etenim et adhuc debetis attendere quia pro vestra est opinione quod scribimus. Nam dum **731** illic se prædictus Fortunatus violentiam sustinere nec defensoris [e] auxilium invenire potuisse commemorat, quid aliud nisi vestram attingit invidiam? Ergo ut nec opinionem vestram hæc res apud quosdam offuscet, nec Ecclesiæ vestræ possit fieri in aliquo, si bona causa est, detrimentum, instructam huc debetis mandare personam, ut causæ qualitas trutinata sine vestra possit invidia terminari. Quoniam præsertim post ejus querelam, si illic pro vestris partibus fuerit dicta sententia, non rationabiliter, sed sola potestate credetur superatus. Nos vero pro charitate qua vobis astringimur, quæ pro opinione vestra sunt, ut facere debeatis non desistimus admonere. Scientes quia etsi vos ad tempus adhortatio ista contristat, postea tamen deposita contentionis intentione lætificat. [f] Mense Septembri, indictione 13.

## EPISTOLA V.

AD DOMINICUM EPISCOPUM.

*Gratulatur quod pastorali zelo Donatistas coercere studuerit; severiorem tamen in episcopos id negligentes Africani concilii sententiam non probat.*

Gregorius Dominico episcopo [a] Carthaginensi.

Veniens ad nos Prosper, præsentium lator, responsalis vester, post alios vestræ charitatis affectus [*Forte* affatus; *legitur tamen* affectus *in omnibus Mss. nostris*], [b] secundas nobis vestras epistolas cum allegatione [c] principalium jussionum apud vos habitæ synodi chartulam porrexit. Quibus relectis, et de vestro gratulati sumus, quem pastoraliter geritis zelo, et piissimos dominos occasione religionis illatas venalium personarum removisse calumnias. Maxime autem quia ita studuit fraternitas vestra Africanam servare provinciam, ut nullatenus devias hæreticorum sectas cum fervore sacerdotali coercere negligeret. De quibus etiam omnibus sopiendis, et antequam charitatis vestræ consuleremur apicibus, in tan-

Epist. IV [*Al.* 17]. — [a] Norm et plerique, *ex presbytero*. Et ita infra, ubi de Saturnino vel Saturno aut Saturo (sic enim in plerisque Mss. legimus) agit sanctus Doctor. In Reg., *expresbyter et abbas*.

[b] Recent. Ed., vitiose, *facere cautiorem*.

[c] Tres Vatic., Norm. et plur., *dummodo nec Deum*. Vatic. C, *unde modo nec Deum*.

[d] Tres Vatic. et totidem Norm., *dicta sunt*.

[e] Sic legendum ex Mss. Reg., Norm., Vatic., ubi Excusi, *auxilio muniri*.

[f] In Vatic., *mense Decembri, indict.* 13. Præferendos putavimus Colbert. et Turon. S. Gat.

Epist. V [*Al.* 3]. — [a] Abest, *Carthaginensi* a Vatic., Norm., Corb., etc.

[b] Ita Corb., Rhem., Norm., Vatic. D, et plerique In Regiis legitur, *secundam....vestræ epistolæ.... chartulam porrexerunt*. In Vatic. A, *secundum nobis vestræ* epist. ut in Reg. Sed legendum puto, *secundam*. In Vulgatis, *secundo nobis vestras epistolas apud vos habitæ synodi chartulam porrexerunt*. Deest aliquid in omnibus illis lectionibus. In nostra supplendum videtur *et*, ante, *apud eos hab.*

[c] Litterarum imperatoris sacrarum, sacrorum apicum, divinarum jussionum. Vide lib. I, epist. 47, nunc 49. GUSSANV.

tum nos subtilius definisse meminimus, ut nihil rursus de his vobis responderi necessarium credamus. Quanquam ergo hæc se ita habeant, et desideremus omnes hæreticos a catholicis sacerdotibus vigore semper rationeque compesci, tamen subtiliter intuentes omnino nos tetigit, ne per ea quæ apud vos gesta sunt [d] aliorum conciliorum primatibus, quod avertat Dominus, generetur scandalum. Sententia namque a vobis prolata est in conclusione gestorum. In qua dum pro investigandis illis hæreticis admonetis, subintulistis **732** eos qui negligunt substantiarum dignitatumque privatione plectendos. Optimum est igitur, frater charissime, ut in his quæ foris corrigenda sunt prius charitas interna servetur, [e] et simus mente subjecti (quod maxime vestræ gravitatis proprium judicamus) etiam personis dignitate minoribus. Tunc enim totis coadunatis viribus hæreticorum commodius obviatis erroribus, cum secundum morem sacerdotii vestri studueritis ecclesiasticam interius custodire concordiam.

## EPISTOLA VI.

### AD VICTOREM EPISCOPUM.

*Gregorium abbatem longa, ob negligentiam, pœnitentia afflictum restituat. Martiam sanctimonialem revocet. Tradatur Victoria Fantino diligenter examinanda. Anastasius medicus ne in monasterium virginum deinceps ingrediatur.*

Gregorius Victori episcopo [a] Panormitano.

Latorem præsentium Gregorium, abbatem atque presbyterum monasterii sancti Theodori, nulla quidem ratio permittebat ut post lapsum [b] cellæ ipsius pene generalem ultra ei præesse debuisset. Qui enim tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis unquam præponi non debuit. Sed quia longa hic est apud nos pœnitentia afflictus, fraternitatem tuam necesse est eum in monasterium prædictum recipere, locoque suo constituere, ita tamen ut Urbicus monasterii mei præpositus dare aliquem de servis Dei debeat, qui ei [c] præpositus fiat, ut quod istius incuria negligitur, illius sollicitudine servetur.

Præterea ex monasterio ancillarum Dei, quod est [d] sancti Martini, Martiam sanctimonialem feminam in monasterium aliud [e] injuste audio fuisse migratam; et Victoria, quæ locum illius sequebatur, sicut audio, res monasterii dispersit, ut ad prioratus locum pertingere et ipsa post abbatissam interim inveniri debuisset. Quam rem fraternitas tua sub omni studeat celeritate corrigere; [f] cujus enim jam culpæ sis intelligis, ut ego tam longe positus quæ in civitate tua aguntur agnoscam, et tot curis occupatus quæ fieri debeant disponam. Prædictam itaque Martiam in monasterium suum et locum suum volumus revocari. Victoriam vero Fantino defensori nostro tradi, quatenus ipse eam discutiens, cui quid de rebus monasterii dedit inveniat. Quam discussam **733** in monasterium aliud dari volumus, nobisque per Fantinum defensorem subtiliter renuntiari, ut sciamus quid de ea debeat sententia certiori constitui. Multa autem mala in eodem monasterio per Anastasium medicum audio contigisse. [g] Qui si quando in monasterium virginum seu ipsum seu aliud fuerit ingressus, fraternitatem tuam culpa respiciat, quæ gregem commissum tenet, et custodire dissimulat. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 42.)

## EPISTOLA VII.

### AD VENANTIUM EPISCOPUM.

*Saturninum expresbyterum, si post lapsum ministraverit, communione privet usque ad diem obitus.*

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

Accedens ad Gorgonam insulam (*Grat. dist.* 50, *c.* 10) fraternitas vestra discutiat id quod ad nos de Saturnino expresbytero est perlatum. Pervenit namque ad nos quia postquam [a] pro crimine lapsus sui a sacerdotii ordine est dejectus, ad explendum [b] ministerium presbyterii præsumpsit accedere, et omnipotenti Deo hostias immolare. Quod si ita factum fraternitas vestra repererit, eum sacri corporis et sanguinis Dominici participatione privatum in pœ-

[d] Urgebant dudum episcopos ad curam de hæreticis habendam canones Africani, sed levioribus pœnis. Conc. Milevit. II, 24, 25.

[e] Sensum expressit sancti Pauli ad Philip. II, 2, 3. *Eamdem charitatem habentes, unanimes, idipsum sapientes, nihil per contentionem neque per inanem gloriam, sed in humilitate superiores sibi invicem arbitrantes.* Quem textum explicat suo more sanctus Augustinus, lib. LXXXIII Quæst., q. 71, quem locum lector consulat, eique adjungat alterum ejusdem Augustini locum, epist. 59, ad Paulinum, in solutione quæstionis 7, ubi de Thelo humili. Sanctus Gregorius idipsum fusius persequitur homil. 10 in Ezechielem, post medium, necnon homil. 7 in Evang.: *Superiores invicem in via Dei eos maxime qui vobis commissi non sunt, proximos vestros attendite, quia et quos agere prava aliqua conspicitis, quæ in eis lateant bona nescitis*, etc. GUSSANV.

EPIST. VI [*Al.* 4]. — [a] Abest *Panorm.* a Norm. et plurimis Mss.

[b] Hoc loco Gussanv. observat *cellæ* vocem desiderari in Lyrensi, Pratellensi et Teller. Certe quod ad Lyrensem et Pratell. attinet, conveniunt cum Audoeno aliisque Norman., ubi legitur *cellæ*, imo in sex Angl. et in plerisque habetur. Abest tamen a Vatic. D. Cellam autem hic pro monasterio usurpari manifestum est. Ita quoque passim sumitur in Dialogis, maxime libris primo et secundo.

[c] Hoc nomine vocabatur olim apud monachos, qui ab abbate secundus erat. Consule reg. sancti Benedicti maxime cap. 65, et lib. I dial. c. 2.

[d] Tempore sancti Gregorii plura fuerunt in Sicilia sanctimonialium monasteria, ex quibus unum illud erat quod a D. Gregorio conditum fuisse vetus traditio est, et postea monachis Cassinensibus esse datum. Vocatur hodie *S. Martini de Scalis*. GUSSANV.

[e] Id est, *translatam*; migrare enim aliquando pro transferre usurpant. Sic Gellius, lib. II, c. 29. *Cassita nidum migravit*. GUSSANV.

[f] Ita restituimus ex Corb., Norm. et plerisque ac potioribus. Vulgati habent, *cujus culpæ sit*.

[g] Corrupte ac barbare in Excusis, *qui si quando in monasterium virginum sive ipse sive alius fuerit ingressus*. Lectionem hanc reprobant nostramque confirmant sex Anglic., septem Norm., Vaticani, Corb., etc.

EPIST. VII [*Al.* 5].—[a] Lapsum non redire unquam ad honorem, centies dictum. GUSSANV.

[b] Restituimus *presbyterii* ex Mss. Vatic., Norm., etc., pro *sacerdotii*, quod prius lectum in Editis.

nitentiam redigat, ita ut usque ad diem obitus sui [c] in eadem excommunicatione permaneat, et [d] viaticum tantummodo [e] exitus sui tempore percipiat. Sin autem eum fraternitas tua talem pœnitentiam agere cognoverit, ut ei juste [f] ad recipiendam inter laicos communionem et ante exitum debeat misereri, hoc in tuæ fraternitatis ponimus potestate. [g] Mense Octobri, indictione 13.

## EPISTOLA VIH.

### AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Persequatur Manichæos. Judæis vero qui ad Christum fuerint conversi minuenda pensionum onera. Mutuos det rusticis solidos.*

Gregorius Cypriano diacono [a] et rectori patrimonii Siciliæ.

De [b] Manichæis qui in possessionibus nostris sunt, frequenter dilectionem tuam admonui, **734** ut eos persequi [c] summopere debeat, atque ad fidem catholicam revocare. Quod si tempus exigit, per te, si autem pro causis aliis non licet, per alios solerter inquire. Pervenit vero ad me esse Hebræos in possessionibus nostris qui converti ad Deum nullatenus volunt. Sed videtur mihi ut per omnes possessiones in quibus ipsi Hebræi esse noscuntur epistolas transmittere debeas, eis ex me specialiter promittens quod quicunque ad verum Dominum Deum nostrum Jesum Christum ex eis conversus fuerit, [d] onus possessionis ejus ex aliqua parte imminuetur. Quod ita quoque fieri volo, ut si quis ex eis conversus fuerit, [e] si solidi pensionem habet, tremissis ei relaxari debeat; si tres vel quatuor, unus solidus relaxetur. Si quid amplius, jam juxta eumdem modum debet relaxatio fieri, vel certe juxta quod dilectio tua prævidet, ut et ei qui convertitur onus relevetur, et ecclesiastica utilitas non gravi dispendio prematur. Nec hoc inutiliter facimus, si pro levandis pensionum oneribus eos ad Christi gratiam perducamus, quia [f] etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui de eis nati fuerint jam fidelius baptizantur. Aut ipsos ergo, aut eorum filios lucramur. Et ideo non est grave quidquid de pensione pro Christo dimittimus. Præterea ante hoc tempus, Joanne diacono ve-

[c] Scilicet in privatione participationis sacri corporis et sanguinis Domini; nec enim communionem in civilibus, imo nec in sacris precibus ademptam crediderim. GUSSANV.

[d] Hic eucharisticam communionem significat. Dudum obtinuit usus ut viatici nomine sola Eucharistia jamjam morituris ministrata intelligatur; secus apud veteres qui viaticum id omne dicebant quod ad securum ex hac vita discessum proderat. Igitur pro pœnitentibus absolutio, baptismus pro catechumenis, viaticum erat necessarium, quo ex corpore recedentes defraudari vetat *ex antiquæ legis regula* Nicænus, can. 12. Sic *communio* etsi jam pro sola fere Eucharistiæ perceptione sumatur, etiam dicebatur olim concessa pœnitentibus absolutio, reconciliatio, pax, communicatio, apud Cyprianum epist. 52; concil. Arelat. I, can. ult.; Innoc. I, epist. 3, ad Exsuperium Tolosanum episcopum, cap. 2, cujus (Innocentii) sententiam ne cum Gussanvillæo ab illis fieri Novatianam putes, qui communionem denegatam, non de sacro viatico sed de reconciliatione pœnitentium interpretantur, latissimum observa discrimen. Is erat Novatianorum error, *Quod mortale peccatum Ecclesia donare non possit, imo ipsa pereat recipiendo peccantes.* Inde lapsis, etiam plena pœnitentia functis, reconciliationem negabant. At de illis tantum Exsuperio respondet Innocentius, qui post baptismum omni tempore incontinentiæ et voluptatibus dediti, in extremo vitæ suæ *pœnitentiam simul et reconciliationem communionis* exposcebant. *De his*, inquit, *consuetudo prior tenuit, ut concederetur eis pœnitentia, sed communio negaretur... ne communionis concessa facilitas homines de reconciliatione securos non revocaret a lapsu.*

[e] In recent. Ed. legitur, *in die exitus sui*, invitis Mss., quibus consentit Gratianus.

[f] Albaspinæo, Christiano Lupo, aliisve eruditis, communio laica, ad quam tam sæpe clerici, propter peccata sua, in antiqua Ecclesiæ disciplina reduci vel leguntur vel jubentur, nihil aliud fuit quam clericum jam non haberi nisi ut laicum, eumque ad laicorum gradum, societatem, juraque revolvi; ex quo fiebat ut cui clerico ne communio quidem laica relinqueretur, is non modo ab officio depositus haberetur, sed et excommunicatus; cui vero communio saltem laica relinqueretur, is solum ab officio depositus censeretur. Hic vero atque epist. olim 16, nunc 5, *recipiendam inter laicos communionem*, de ipsa Eucharistiæ perceptione intelligere cogit epist. olim 17, nunc 4, ubi de iisdem omnino puniendis clericis Gregorius: *Lapsos*, inquit, *a suo semper vacare ac decernimus privatos officio, quibus nihil aliud quam inter laicos sacra est præbenda communio.* Scilicet illis vetitum sacris fungi ministeriis, non vetitum corpori et sanguini Domini communicare inter laicos.

[g] Ita Turon. S. Gat., Colbert. vet. et Vatic., aliis Mss. saltem plerisque silentibus.

EPIST. VIII [*Al.* 6]. — [a] In plur. Mss. desideratur, *et rectori*, etc.

[b] De insanis istis, lege sanctum Augustinum in lib. de Hæresibus, hæresi 46, ubi de quinque elementis, fumo, tenebris, igne, aqua, vento, de duabus navibus, sole et luna, in quibus sunt sanctæ virtutes quæ se in masculos transfigurant, ut illiciant feminas partis adversæ, etc. GUSSANV.

[c] In Vatic. A et nonnullis Mss., *summopere studeat.*

[d] Recent. Ed., *onus pensionis*, repugnantibus Mss. omnibus Vatic., Turon., Norm., etc. De ista methodo alliciendi Judæos ad fidem, aut paganos, jam supra diximus epist. 26 lib. III, nunc lib. IV. Hanc persuasionem vocarent aliqui Thessalicam κεθανάγκην, ut ait Cicero ad Atticum. Vide lib. II, epist. 32. *Partim ex* GUSSANV.

[e] Duo Vatic., *si solidum pensione debet.*

[f] Cave intelligas Judæos ad baptismum admissos, quos ministri scirent minus fideliter venire. Non is unquam fuit Ecclesiæ sensus, quanquam aliquot in contrarium exempla proferantur, ut Synesii, quem de carnis resurrectione dubitasse videtur docere ejus epistola ad Enopium, apud Nicephorum, lib. XIV, c. 55: sancti Augustini toto libro de Fide et operibus, ac præsertim c. 6: *Ad percipiendum baptismum non sic admittendi homines, ut nulla ibi vigilet diligentia, ne sanctum canibus detur.* Tum meminit abstinentiæ, jejuniorum, exorcismorum. *Exorcizantur*, inquit, *scrutantur quanta vigilantia conveniant, quo studio ferveant, qua cura pendeant*, etc. Sanctus Leo, epist. 4, ad episcopos Siciliæ, c. 6: *In baptizandis electis qui secundum apostolicam regulam et exorcismis scrutandi*, etc, De istis scrutiniis prævis ad baptismum, ac septies repetitis, vide Rupertum, de div. Officiis, Alcuinum, de div. Offic.; Ordinem Romanum, Amalarium, Fortunatum, etc. De Judæis autem qua cautione recipi debeant, vide concil. septimum, can. 8. GUSSANV.

niente, mihi tua dilectio aliqua scripsit, quæ omnia hora eadem relegens, multos dies interposui, et post multorum dierum moram, tanquam in memoria retinens quæ legeram, ad singula respondi. Sed nunc, ut arbitror, unum mihi capitulum excidit, et de eo me suspicor nihil respondisse. Scripseras enim ut mutui solidi rusticis per manus quorumdam [g] debiti conductorum darentur, ne tollentes ab aliis, aut in angariis, aut rerum pretiis gravarentur. Quod capitulum mihi gratissimum fuit. Et siquidem jam scripsi, ea serva quæ scripta sunt. Si autem ex eo, ut suspicor, minime aliquid rescripsi [h] commonitione certa, ad dandos solidos pro utilitate rusticorum non debes immorari, quando et res ecclesiastica non perit, et ex ea utilitas rusticorum levatur. Sed et alia si qua sunt, quæ utilia esse consideras, omni ambiguitate postposita debes exhibere. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 43.)

## 735 EPISTOLA IX.

AD PETRUM NOTARIUM.

*Miriensis Ecclesiæ tunc reddenda ministeria, cum ibi ordinatus fuerit episcopus.*

Gregorius Petro [a] notario in Regio.

Ministeria [b] Ecclesiæ Miriensis, quæ secum Squillacium quondam episcopus Severinus detulerat, præsentium sibi portitores restitui postulabant. Quia ergo res ecclesiasticæ cauta debent sollicitudine præmuniri, hoc nobis visum est ut [c] in eadem civitate episcopus, cui ministeria ipsa tradi possint, debeat ordinari. Sed quoniam Leonem archidiaconum aliosque clericos ejusdem Ecclesiæ illic esse commemorant, experientiæ tuæ præcipimus, quatenus eos ad suam Ecclesiam proficisci, ac eligere ordinandum episcopum sibi commoneat, ut dum Deo illic fuerit propitio consecratus, ipse Ecclesiæ suæ res sine aliqua ambiguitate recipiat.

## EPISTOLA X.

AD FELICEM EPISCOPUM.

*Districtam, nisi primæ Justinianæ episcopo primati suo pareat, minatur correptionem.*

Gregorius Felici episcopo [a] Sardicæ.

Qualiter obedientia vel sit reverentia præpositis exhibenda, ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis. In qua re valde est utile, si id quod disciplinæ vigor imponit, nullo cogente, humilitas laudanda servaverit. Pervenit itaque ad nos quod fraternitas tua Joanni fratri nostro, primæ Justinianæ episcopo, secundum morem parere despiciat, et nec decreto ejus nec relationi, quam ad nos direxit, juxta consuetudinem voluisse subscribere. Quod si ita est, contristamur, quia superbiæ de te manifestum præbes indicium. Quod quam sit, præcipue in sacerdote, culpabile, divinæ clamant admonitionis eloquia. Propterea **736** hortamur ut mentis tumore deposito, ordinatori tuo ante dicto fratri et coepiscopo nostro humilem te exhibere ac parere non desinas, quatenus et Deus gaudeat in fraternitatis vestræ concordia, et alii de te sumant bonitatis exemplum. Nam si, quod non credimus, te in superbia permanere contigerit, districtam [b] canonicamque disciplinæ correctionem, contumaciæ tuæ nos scito ulciscenter imponere. [c] Bene ergo facis, talem te sponte salubri consideratione præbere, qualis esse [d] canonica coercione exigente compelleris. Nam nec tibi denuo post nostram admonitionem licebit ad tuæ voluntatis arbitrium contra morem majoribus tuis inobedientem existere, nec tantæ nos indisciplinationis ecclesiasticam cognoscas dissimulare vel differre vindictam.

## EPISTOLA XI.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Pallio in litaniis solemnibus uti, quatuor duntaxat per annum diebus, concedit.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennati.

Fraternitatem vestram valde invenio contristatam pro eo quod in litaniis induere pallium rationis censura prohibetur. Sed per [a] excellentissimum patricium, et per eminentissimum præfectum, atque per alios civitatis suæ nobiles viros importune expetit ut hoc debeat concedi. Nos autem sollicite requirentes ab Adeodato diacono quondam fraternitatis tuæ, cognovimus quia nunquam consuetudo fuerit decessoribus tuis [b] ut in litaniis pallio nisi in solemnitate beati Joannis Baptistæ, beati Petri apostoli, et beati martyris Apollinaris uterentur. Cui quidem nequa-

[g] Abest *debiti* a plerisque Norm. Mss. et aliis. Hoc loco errorem suspicatur Gussanvillæus, *et quid hoc sibi velit* non intelligere se fatetur. Res tamen plana. Ne rustici prædiorum Ecclesiæ Rom. possessores mutuam pecuniam a feneratoribus accipere cogerentur gravi dispendio, magnis nimirum cum usuris reddendam, placet sancto Gregorio ut mutui solidi per manus conductorum sine fenore reddendi dentur. De Angariis jam dictum ad epist. 45 libri IV. Per Angarias aliquando intelliguntur vexationes et injuriæ quælibet, ut observat doctissimus Cangius in Glossario.

[h] In quatuor Anglic. legitur, *commonitione capta ad dandos*, etc.

EPIST. IX. — [a] Excusi, reluctantibus Mss., *notario in Sardinia.*

[b] Ita Mss. Vatic., Norm., Anglic., Colbert., etc., necnon vet. Ed., cum in recent. legatur, *Ecclesiæ Aleriensis.*

[c] Vulgati, *in eadem Ecclesia seu civitate.*

EPIST. X. — [a] Sardica vulgo Græcis et Turcis *Sophia*; urbs olim Daciæ novæ metropolis, Naissum inter et Philippopolim, concilio an. 347 ibi habito celebris, nunc Bulgariæ caput ad Ciabrum fluvium versus montem Hæmum. GUSSANV. In omnibus Norm. desideratur, *Sardicæ*. In quatuor Vatic., Colbert., et in Collect. Pauli Diac. legitur, *episcopo in Sardica.*

[b] Vide Antioch. concil., c. 5 et 9; Nic., can. 6; apostolor., can. 35; Carthagin., can. 19; in Decret. Leonis papæ, can. 32, dist. 21; in collectione Martini Bracar., c. 2, 3, 4. Vide etiam caus. 9, quæst. 3, can. 1, 2, etc. Pœna episcopi inobedientis abdicatio et excommunicatio, in Antioch. c. 10. GUSSANV.

[c] In Collect. Pauli, secunda manu, *bene ergo facies.*

[d] In Collect. Pauli et Vatic. D, *canonica coercitione.* In Corb. et in Vaticanis B et C, *coercitione.*

EPIST. XI. — [a] In Excusis, *excellentissimum Romanum patricium.* Nomen hoc in Mss. nostris desideratur.

[b] Solemnes cleri et populi ad locum pro statione

quam credere debuimus, quia multi apud civitatem fraternitatis vestræ responsales sæpius fuerunt qui se fatentur tale aliquid nunquam vidisse. Et de hac re multis potius credendum est quam uni pro sua Ecclesia aliquid attestanti. Sed quia nos fraternitatem vestram contristari nolumus, et petitionem filiorum nostrorum apud nos **737** minime frustrari, usum pallii, donec subtilius aliquid cognoscamus, in litaniis solemnibus, id est die natalitio beati Joannis Baptistæ, beati Petri apostoli, et beati Apollinaris martyris, [c] atque in ordinationis vestræ celebratione concedimus. In secretario vero secundum morem pristinum, susceptis ac dimissis Ecclesiæ filiis, induere vestra fraternitas pallium debeat, atque ad missarum solemnia ita proficisci, et nihil sibi amplius ausu temerariæ præsumptionis arrogare, ne dum in exteriori habitu inordinate aliquid arripitur, ordinate etiam quæ licere poterant amittantur. Data [d] mense Octobri, indictione 13. (*Cf. Joan. Diac.* l. IV, *n.* 3. *Vide sup. l.* I, *ep.* 19; *inf. ep.* 56, *al.* 54.)

## EPISTOLA XII.

AD PETRUM EPISCOPUM.

*Agrigentinæ Ecclesiæ redituum quartam partem in visitationis stipendium assignat.*

Gregorius Petro episcopo [a] Trecalitano.

Quoniam Agrigentina Ecclesia a nobis fraternitatis tuæ visitationis curæ commissa est, laboribus tuis aliquid ex ea utile prospeximus consulendum. Propterea Maximiano fratri et coepiscopo nostro scripsimus, [b] ut quarta, quam ejusdem Ecclesiæ episcopum oportebat accipere, a die visitationis tuæ, vel quousque illic eam sollicitudinem gesseris, tibi debeat applicari. Unde fraternitatem tuam necesse est mente sollicita cogitare, ut cujus fructus Ecclesiæ percipit, opera studeat solerter impendere, atque ad Deum illic animas congregare, pravos ab iniquitate compescere, et incipientes bona opera, verbo exhortationis nutrire, memor quod de Ecclesia universali scriptum est: *Panem otiosa non comedit* (*Prov.* XXXI, 27).

[c] Ordinationis episcopi anniversarius dies solemni ritu celebrari consueverat. Augustinus hom. 24: *Cum dies anniversarius nostræ ordinationis exoritur, tunc maxime honor hujus officii tanquam primo imponatur, attenditur.*

[d] In nullis mss. id leginus. In Turon. S. Gat. data dicitur, *Mense Novembri, indict.* 13.

EPIST. XII. — [a] Sic legitur in quatuor Vatic. et in Corb., pro *Tricalitano*, quod habent Vulgati recent. In Genet. occurrit *Trecasino*. In Corb., consentientibus veteribus Ed., *Troecalitano*. Tricala seu Triocala urbs olim episcopalis Siciliæ, in ora australi, Agrigentum inter et Mazarum. Nunc jacet in ruinis, ejusque locus dicitur *Sancta Maria di monte virgine*. *Partim ex* Gussanv.

## EPISTOLA XIII.

AD GAUDENTIUM EPISCOPUM.

*Capuanæ Ecclesiæ visitationem injungit.*

Gregorius Gaudentio episcopo Nolano.

Quoniam [a] Fuscus Capuanæ Ecclesiæ episcopus, in Romana civitate positus, de hac luce migravit, curæ nobis fuit quæ universis Ecclesiis a nobis impenditur, ad fraternitatem tuam præsentia scripta dirigere, ut memoratæ Ecclesiæ visitator accedas; sic tamen ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid præfati loci esse patuerit, [b] a quoquam præsumi patiaris, sed omnem vigilantiam atque cautelam circa clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ exhibere te convenit, ut in vigiliis obsequioque **738** ecclesiastico sedulo ac devote debeant deservire, quatenus fraternitatis tuæ instantia atque adhortatione tales se in servitio divino exhibeant, ut irreprehensibile eorum valeat obsequium reperiri. (*Grat. dist.* 61, *c.* 19.)

## EPISTOLA XIV.

AD CLERUM ECCLESIÆ CAPUANÆ.

*De visitatione Ecclesiæ Capuanæ Gaudentio commissa.*

Gregorius clero Ecclesiæ Capuanæ degenti Neapoli.

Quoniam Fuscus Capuanæ Ecclesiæ episcopus hic positus de hac luce migravit, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri et coepiscopo nostro Gaudentio Nolanæ civitatis episcopo solemniter delegare, cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire, quatenus in ecclesiastico obsequio, atque in Dei laudibus vigilanti debeatis cura persistere, moresque vestros sub digna ecclesiastici regiminis disciplina componere. Nec quisquam vestrum eius audeat præceptionibus obviare, sed omni tam ecclesiastica observatione, quam etiam Ecclesiæ vestræ custodia, ejus provisionibus obedientiam exhibere, quatenus dum eius regimini

indictum processiones non raro litaniæ appellantur apud antiquos auctores; quod in processionibus illis litaniæ seu preces ac supplicationes concinerentur. Lib. XXX Cod. Theodos., *de hæreticis*. Arcadius Augustus interdicit *iis omnibus ad litaniam faciendam intra civitatem, noctu vel interdiu profanis coire conventibus*. Atque, ut cæteros taceam, Gregorio ipsi processio dicitur *litania* sermon. de mortalitate: *Litania*, inquit, *clericorum*, id est clericorum cœtus ad stationem procedens, *exeat*, etc. Vide lib. VI, epist. 34 et 61.

[b] Quatuor in partes ecclesiastici reditus et oblationes dividebantur, quarum prior cedebat *episcopo ejusque familiæ, propter hospitalitatem* vel *susceptionem* hospitum, ut docet sanctus Gregorius, infra, epist. 44, et lib. VIII, epist. 7, necnon in epist. ad Augustinum olim 31 lib. XII, nunc lib. XI, 64. Quartam hanc portionem concedit sanctus Gregorius episcopo Ecclesiæ Agrigentinæ visitatori, hac in Ecclesia omnia munia episcopalia obeunti. In hac epistola mutavimus multa ex unanimi Mss. consensu, de quibus non monuimus, quod sensus idem remaneat.

EPIST. XIII. — [a] *Festus* legitur, vel *Sixtus*, in Editis, sed perperam.

[b] Eadem custodia visitatori injungitur, sub lib. II, epist. 25; infra, lib. VI, epist. 21, etc. Circa undecimum sæculum, decedentium episcoporum bona a laicis rapiebantur; nec obstabant hæredes, quod ad eos nihil pertineret. Hunc abusum multis canonibus coerceri oportuit, ut testatur Petrus Damiani, lib. V, epist. 6, atque alibi passim; caus. 12, q. 2. Legesis c. 45, 46, 47, 48. In Chalcedon., c. 22, patet hanc querelam non fuisse novam, quandoquidem id fuerit præcedentibus canonibus vetitum. In sexta synodo, c. 35, prohibetur metropolitanus involare in res ecclesiæ vel episcopi mortui. AUGET.

vestra fuerit obedientia commodata, et Ecclesiæ vestræ in nullo negligatur utilitas, et ejus sit cura propensior.

## EPISTOLA XV

### AD JOANNEM EPISCOPUM

*Quinque in illo carpit. Ravennatem Ecclesiam honorare desiderat, sed honorem ex superbia arripi non patitur.*

Gregorius Joanni episcopo Ravennati.

Primum me hoc contristat, quia mihi fraternitas tua duplici corde scribit, et alia blandimenta in epistolis suis exhibet, alia in lingua sua sæculariter ostendit. Deinde grave mihi est, quia irrisiones illas, quas habere notarii adhuc pueri solent, usque hodie frater meus Joannes in lingua sua retinet. Mordenter loquitur, et quasi de tali astutia lætatur. Amicis præsentibus blanditur, de absentibus obloquitur. Tertio grave mihi et omnino exsecrabile est, quia servis suis, [a] quælibet hora fuerit, turpia crimina imponit, ut effeminati, et adhuc graviter hoc apertius vocentur. Post hoc accessit quod disciplina ad vitam **739** clericorum custodiendam nulla est, sed tantummodo solum se clericis suis [b] dominum exhibet. Ultimum vero est, quod tamen pondere elationis primum, quia de usu pallii extra ecclesiam, quod decessorum meorum temporibus facere [c] nunquam præsumpsit, nunquam a decessoribus ejus præsumptum est, sicut responsales nostri testantur (excepto si reliquiæ conderentur, quod tamen de reliquiis unus tantummodo potuit inveniri [d] qui diceret), meis diebus in despectum meum cum summa audacia non solum faciebat, sed etiam frequentabat.

Ex quibus omnibus invenio quia honor episcopatus totus foris in ostensione est, non in mente. Et quidem omnipotenti Deo gratias ago, quia eo tempore quo ad me hoc pervenit, quod ad aures decessorum meorum nunquam pervenerat, Langobardi inter me et Ravennatem civitatem positi fuerant. Nam ostendere forsitan hominibus habui quantum [e] scio esse districtus.

Ne autem credas quia ego Ecclesiam tuam in aliquo gravari aut minui volo, recordare in [f] missarum Romanorum solemnibus ubi Ravennas diaconus stabat, et require ubi hodie stat, et cognosces quia Ecclesiam Ravennatem honorare desidero. Sed ut quicunque quodlibet ex superbia arripiat, hoc ego tolerare non possum. Tamen hac de re jam diacono nostro Constantinopolim scripsi, ut per omnes qui sub se etiam tricenos et quadragenos episcopos habent requirere debeat. Et sicubi iste usus est, ut in litaniis cum palliis ambulent, absit ut per me Ravennatis honor Ecclesiæ in aliquo imminui videatur.

Hæc ergo omnia quæ superius dixi, frater charissime, recogita; diem tuæ vocationis attende; quas rationes de sarcina episcopatus redditurus es considera. Emenda illos mores notarii. Vide quid in lingua, quid in actu episcopum deceat. Esto totus purus fratribus tuis. Non aliud loquaris, et aliud in corde habeas. Nec appetas ultra videri quam es, ut possis ultra esse quam videris. Crede mihi, quando ad hunc locum veni, tantæ deliberationis fui tantæque charitatis circa fraternitatem tuam, ut si eamdem charitatem meam custodire voluisses, adhuc talem fratrem, sicque te pure diligentem, tibique omni devotione concurrentem nunquam inveneras; sed cognitis verbis ac moribus tuis, fateor, resilui. Rogo ergo, per omnipotentem Deum, emenda omnia illa quæ præmisi, maxime duplicitatis vitia. Permitte me amare te, et ad præsentem et ad futuram vitam utile tibi esse poterit ut a fratribus ameris. Ad hæc autem mihi non verbis, sed moribus responde. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 6.)

## **740** EPISTOLA XVI.

### AD DATIANUM EPISCOPUM.

*Amice rogat ut sibi afflicto compatiatur.*

Gregorius [a] Datiano episcopo metropolitano.

Scripta dulcissimæ et cordis ulnis omnibus amplectendæ vestræ beatitudinis tristis accepi, lætus relegi. Quis enim in hac terra non lugeat, quæ barbarorum gladiis tradita, pene jam non habet qui in ea vivant, et tamen habet quotidie qui moriantur? Sed in quantalibet tristitia, quem non vestræ epistolæ in gaudium exsultationis excuterent? in quibus cum oris efficacia, cum præpollentis sapientiæ ingenio mihi medullitus loquebatur, non carnis lingua,

Epist. XV. — [a] Vatic. D., *quia servis suis, vel aliis, quilibet fuerint, vel quælibet hora fuerit.* In omnibus Ed. et in Ms. Reg., *qualibet hora furit.*

[b] In Norm., *dominium.*

[c] Vulgati, *nunquam quisquam præsumpsit*, mutato contra Mss. fidem sensu. Nam Gregorius ait Joannem nunquam sub aliis summis pontificibus id præsumpsisse, seu ejus fraternitatem minime usam pallio in litaniis; et in Excusis sensus est nullum ex Joannis antecessoribus, imo neminem unquam decessorum Gregorii temporibus, id sibi assumpsisse.

[d] In recent. Vulgatis, *qui meis diebus in despectum*, omisso verbo, *diceret*, unde labefactatus sensus.

[e] Ita vet. Editi cum omnibus Mss. Vatic., Norm., Corb., etc., ubi recent. habent, *discretus. Districtus* hic idem est ac severus.

[f] Excusi, *missarum Romanarum.* Sequimur tres Vaticanos, plerosque Norm. et alios nonnullos.

Epist. XVI [*Al.* 14, indict. 7]. — [a] In indice Collectionis Pauli Diaconi legitur, *Domitiano.* Exstant duæ epistolæ ad Domitianum Melitinæ episcopum Mauricii imperat. cognatum, qui in utriusque epistolæ, scilicet 67 libri III, et 50 l. X, inscriptione dicitur episcopus metropolitanus, ut hac in epistola Datianus vel Domitianus. Episcopus hic aliquando Constantinopoli degebat, ubi Sabinianus cum ipso erat collocuturus; quod Domitiano congruit, quem imperator in aula retinebat, ejus consiliis utens. Tam Datianum quam Domitianum in intimis Gregorii fuisse liquet ex scriptis ad eos epistolis. Sic incipit epist. 67 libri III: *Scripta dulcissimæ et suaviss. beatitudinis vestræ.* Et 50 libri X: *Quam magnæ charitatis sit in mente vestra sinceritas.* Hæc sane maxime conveniunt cum hujusce epistolæ exordio: *Scripta dulcissimæ et cordis ulnis omnibus amplectendæ vestræ beatitudinis.* Ex his omnibus pene conficitur Datianum hunc eumdem esse ac Domitianum. Nomen tamen mutare noluimus, quod solus index Collectionis Pauli habeat Domitianum. Hæc autem epistola desideratur in Mss. Anglic., Norm. et plerisque: eam contulimus ad duos Vaticanos A et D, ad Colbert. et ad Collectionem Pauli.

sed charitatis. Quia vero ego de fonte vestræ securitatis hauriens, ex aliquanto lætificatus sum, vos quoque, rogo, nostræ tristitiæ luctum tangite, et afflictionem nostram in vobismetipsis magistra charitate pertrahite. Neque enim nostri mœroris sordes mundabitis, nisi ipsi quoque per compassionem manum vestri cordis inquinetis. Nam sordida vascula, ut inquinatione terræ careant, cum terra mundari solent; et vos si parumper ad curam nostram vestrum animum ducitis, ut nobis opitulari valeatis, quasi cum luto lutum mundatis. Sed quia hoc operando simul et orando agitis, si quid pro nobis in vobis terrena actio inquinat, statim [b] aqua orationis lavat. Quia enim si quid patitur unum membrum, compatiuntur omnia membra, compatiendo laboribus nostris ostendite quia unum sumus. Narrare enim mala quæ extrinsecus et intrinsecus patior, epistolari brevitate prohibeor. Sed communis filius Sabinianus diaconus vestræ dulcissimæ sanctitati curanda vulnera nostra aperiet; sed ex opere supernæ gratiæ subsequente salute cognoscat quia medicus est qui vulnus videt. [c] Pueros vero episcopo similes non transmitto, nisi prius cum omnipotentis Dei et Beatitudinis vestræ solatio a terrenis implicationibus exutus ipse episcopus fuero. Quando enim me apud meipsum invenero, tunc foris mei similes videlicet deformes quæro. [d] Data x Kal. Januarii.

## EPISTOLA XVII.

### AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Dolet de Maximiani episcopi obitu. Joannem Catanensem archidiaconum in successorem indicat.*

Gregorius Cypriano diacono.

Amarissimas tuæ dilectionis epistolas de domni Maximiani obitu [a] mense Novembris suscepi. **741** Et quidem ille ad præmia desiderata pervenit, sed infelix populus Syracusanæ civitatis lugendus est, qui pastorem talem diu habere non meruit. Proinde dilectio tua sollicitudinem gerat, ut in eadem Ecclesia talis debeat ad ordinandum eligi, qui post domnum Maximianum ejusdem regiminis locum non videatur immerito sortiri. Et quidem credo quod Traianum presbyterum maxima pars eligat, qui, ut dicitur, bonæ mentis est; sed quantum suspicor, ad regendum locum illum idoneus non est. Tamen si melior inveniri non valet, et ipse nullis criminibus tenetur involutus, condescendi ad eum, cogente nimia necessitate, potest. Si autem mea voluntas ad hanc electionem quæritur, tibi secreto indico quod volo, quia nullus mihi in eadem Ecclesia post domnum Maximianum tam dignus videtur quam Joannes archidiaconus Catanensis Ecclesiæ. Qui si fieri potest ut eligatur, credo quod apta valde persona inveniatur. Sed ipse quoque prius de criminibus, quæ impedire possunt, a te secreto requirendus est. A quibus si liber inventus fuerit, eligi jure potest. Quod si factum fuerit, etiam frater et coepiscopus noster Leo ei [b] cessionem facere debebit, ut liber ad ordinandum possit inveniri. Hæc ergo dilectioni tuæ indicare curavi, tuæ jam sollicitudinis intererit, ut omnia sollicite circumspicias, et ea quæ sunt Deo grata disponas.

## EPISTOLA XVIII.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Quid cum Joanne tum ipse, tum decessor Pelagius, egerint, ob usurpatum episcopi universalis titulum. Ab hoc ut abstineat rogat, multisque urget momentis. Cavendum ipsi ab adulatoribus.*

Gregorius Joanni episcopo Constantinopolitano.

Eo tempore quo fraternitas vestra in sacerdotalem honorem provecta est, quantam Ecclesiarum pacem atque concordiam invenerit recolit. Sed quo ausu, quove tumore nescio, novum sibi conata est nomen arripere, unde omnium fratrum corda potuissent ad scandalum pervenire. Qua in re vehementer admiror, quia ne ad episcopatum venire potuisses, fugisse velle te memini. Quem tamen adeptum ita exercere desideras, ac si ad eum ambitioso desiderio cucurrisses. Qui enim indignum te esse fatebaris ut episcopus dici debuisses, ad hoc quandoque perductus es, ut, despectis fratribus, episcopus appetas solus vocari. Et quidem hac de re sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii gravia ad sanctitatem vestram scripta transmissa sunt. In quibus synodi, quæ apud vos de fratris quondam et coepiscopi nostri Gregorii causa congregata est, propter nefandum elationis vocabulum, acta dissolvit, et archidiaconum, quem juxta morem ad **742** vestigia dominorum transmiserat, missarum vobiscum solemnia celebrare prohibuit. Post ejus vero obitum, cum indignus ego ad Ecclesiæ regimen adductus sum, et ante per alios responsales meos, et nunc per communem filium Sabinianum diaconum alloqui fraternitatem vestram ut a tali se præsumptione compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curavi. Et si emendare nolles, eum missarum solemnia cum fraternitate vestra celebrare prohibui, ut sanctitatem vestram prius sub quadam verecundiæ reverentia pulsarem, quatenus si emendari nefandus ac profanus tumor verecunde non posset, tunc ad ea debuisset quæ sunt districta atque canonica perveniri. Et quia resecanda vulnera prius leni manu palpanda sunt, rogo, deprecor, et quanta possum dulcedine exposco, ut frater-

[b] Colb., *aqua orationis lava.*

[c] Vatic. A, *puero episcopos similes.* Legitur etiam in Colb., *Pueros episcopos similes.*

[d] In Vatic. D, *Data* x *Kalend. Januarii, indict.* 3. In Golbert.: *Data die Kalendarum Januarii.* Ita etiam in Collect. Pauli; sed additur, *indict.* 3.

Epist XVII [*Al.* 38]. — [a] Quatuor Vatic. et alii, *mense Novembrio.* De Maximiano fuse egemus in Vita s. Gregorii. Ubi docebunt indices.

[b] Tam erant clerici suæ Ecclesiæ addicti, ut neque quidem in episcopos alterius Ecclesiæ fas esset eligere, nisi missione obtenta, sive, ut vocant, cessione. Vide formulam cessionis, tomo II Conciliorum Galliæ, pro Annone clerico: *Commendatum ergo eum curæ vestræ suscipite, et nostris ex partibus absolutum in vestrarum ovium numero custodite,* etc. Idem de Wilfrido diacono, de Bernone acolytho, et Arnegiso presbytero, et aliis. De Leone episcopo Catanensi, lib. III, epist. 34, nunc l. IV, epist. 36.

nitas vestra cunctis sibi adulantibus atque erroris nomen deferentibus contradicat, nec stulto ac superbo vocabulo appellari consentiat. [a] Vere enim flens dico, atque ex intimo viscerum dolore peccatis meis deputo, quod ille meus frater nuncusque ad humilitatem reduci non valuit, qui ad hoc in episcopatus gradu constitutus est, ut aliorum animas ad humilitatem reducat; quod ille qui veritatem docet alios, semetipsum docere nec me quoque deprecante, consensit.

Perpende, rogo, quia in hac præsumptione temeraria pax totius turbatur Ecclesiæ, et gratiæ contradicitur communiter omnibus effusæ. In qua nimirum ipse tantum crescere poteris, quantum penes temetipsum decreveris. Tantoque major efficeris, quanto te a superbi et stulti vocabuli usurpatione restringis. Atque in tantum proficis, in quantum tibi non studueris derogando fratribus arrogare. Humilitatem ergo, frater charissime, totis visceribus dilige, per quam cunctorum fratrum concordia, et sanctæ universalis Ecclesiæ unitas valeat custodiri. Certe Paulus apostolus cum audiret quosdam dicere : *Ego sum Pauli, ego Apollo, ego vero Cephæ* (*I Cor.* I, 13), hanc dilacerationem corporis Domini, per quam membra ejus aliis quodammodo se capitibus sociabant, vehementissime perhorrescens exclamavit, dicens : *Nunquid Paulus pro vobis crucifixus est, aut in nomine Pauli baptizati estis* (*Ibid.*, 13)? Si ergo ille membra dominici corporis [b] certis extra Christum quasi capitibus, et ipsis quidem apostolis subjici partialiter evitavit, tu quid Christo universalis scilicet Ecclesiæ capiti, in extremi judicii es dicturus examine, qui cuncta ejus membra tibimet conaris universalis appellatione supponere? Quis, rogo, in hoc tam perverso vocabulo, nisi ille ad imitandum proponitur, qui, despectis angelorum legionibus secum socialiter constitutis, ad culmen conatus est singularitatis erumpere, ut et nulli subesse et solus omnibus præesse videretur? Qui etiam dixit : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum. Sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis. Ascendam super* **743** *altitudinem nubium, similis ero Altissimo* (*Isai.* XIV, 13).

Quid enim fratres tui omnes universalis Ecclesiæ episcopi, nisi astra cœli sunt? quorum vita simul et lingua inter peccata erroresque hominum quasi inter noctis tenebras lucent. Quibus dum cupis temetipsum vocabulo elato præponere, eorumque nomen tui comparatione calcare, quid aliud dicis, nisi : *In cœlum conscendam, super astra cœli exaltabo solium meum?* An non universi episcopi nubes sunt, qui et verbis prædicationis pluunt, et bonorum operum [c] luce coruscant? Quos dum vestra fraternitas despiciens, sub se premere conatur, quid aliud dicit nisi hoc, quod ab antiquo hoste dicitur : *Ascendam super altitudinem nubium?* Quæ cuncta ego cum flens conspicio, et occulta Dei judicia pertimesco, augentur lacrymæ, gemitus se in meo corde non capiunt, quod ille vir sanctissimus domnus Joannes, tantæ abstinentiæ atque humilitatis, familiarium seductione linguarum ad tantam superbiam erupit, ut in appetitu perversi nominis illi esse conetur similis, qui dum superbe esse similis Deo voluit, etiam donatæ similitudinis gratiam amisit; et ideo veram beatitudinem perdidit, quia falsam gloriam quæsivit. [d] Certe Petrus apostolorum primus, membrum sanctæ et universalis Ecclesiæ, Paulus, Andreas, Joannes, quid aliud quam singularium sunt plebium capita? et tamen sub uno capite omnes membra. Atque ut cuncta brevi cingulo locutionis astringam, sancti ante legem, sancti sub lege, sancti sub gratia, omnes hi perficientes corpus Domini, in membris sunt Ecclesiæ constituti, et nemo se unquam universalem [e] vocari voluit. Vestra autem sanctitas agnoscat quantum apud se tumeat, quæ illo nomine vocari appetit, quo vocari nullus præsumpsit, qui veraciter sanctus fuit.

Nunquid non, sicut vestra fraternitas novit, [f] per venerandum Chalcedonense concilium hujus apostolicæ sedis antistites, cui Deo disponente deservio, universales oblato honore vocati sunt? Sed tamen nullus unquam tali vocabulo appellari voluit, nullus sibi hoc temerarium nomen arripuit, ne si sibi in pontificatus gradu gloriam singularitatis arriperet, hanc omnibus fratribus denegasse videretur.

Sed hæc scio quia vestræ sanctitati ab illis oriuntur qui vobis deceptiosa familiaritate deserviunt, contra quos peto ut vestra fraternitas solerter invigilet, nec se eorum verbis fallendum præbeat. Tanto enim majores hostes credendi sunt, quanto magis laudibus adulantur. Relinque tales; et si omnino decepturi sunt, saltem terrenorum hominum, et non sacerdotum corda decipiant. [g] *Sine mortuos ut sepeliant mortuos suos* (*Luc.* IX, 60). Vos autem cum Propheta dicite : *Avertantur statim erubescentes, qui dicunt mihi Euge, euge* (*Psal.* LXIX, 4). Et rursus : *Oleum autem peccatoris non impinguet caput meum* (*Psal.* CXL, 5). Unde et bene quidam Sapiens admonet : *Multi sint pacifici tui, consiliarius autem sit unus tibi de mille* (*Eccli.* VI, 6). Corrumpunt *enim bonos mores colloquia mala* (*I Cor.* XV, 33). **744** Antiquus

Epist. XVIII [*Al.* 38]. — [a] Vatic. D et Rhem., *vere enim infelix dico.*

[b] Vatic. A et B, *cæteris extra Christum capitibus.*

[c] In recent., *luce et miraculis*, quæ nullatenus leguntur in Vatic., Norm., Angl., Corb., Rhem., etc.

[d] Ita Mss. Vat., Anglic., Norm., Corb., etc. Editi vero, *Petrus apostolus primum membrum... Ecclesiæ est... et tamen sub uno capite membra sunt Ecclesiæ.* In tribus Vatic. et Norm. pro *singularium*, legitur *singularum.*

[e] Excusi, *vocare*, faventibus nonnullis Vatic., at prætulimus *vocari*, quod habent Vatic. D, Anglic., Norm., Rhemens.

[f] Hujus concilii actione 3 referuntur quidam libelli supplices Romano pontifici oblati, in quibus *œcumenicus* seu universalis dicitur. Qui cum in concilio lecti fuissent, titulum hunc concilium minime reprobavit. Idem dicendum de oratione Paschasini hac in actione relata, in qua scilicet papam eodem donat titulo.

[g] Excusi, *sine mortuos sepelire*, etc.

enim hostis cum robustum cor irrumpere non valet, subjunctas ei infirmas personas quærit, et quasi contra alta mœnia scalis appositis ascendit (*Genes.* III). Sic Adam per subjunctam mulierem decepit. Sic beato Job cum filios occidit, infirmam mulierem reliquit (*Job* II, 10), ut qui ejus cor per se minime poterat, saltem si posset per mulieris verba penetraret. Quicunque ergo juxta vos infirmi ac sæculares sunt, in sua semper suasione atque adulatione frangantur, quia inde æternas Dei inimicitias pariunt, unde ipsi perversi amatores videntur.

Certe olim clamabatur per apostolum Joannem, *Filioli, novissima hora est* (*I Joan.* II, 18); secundum quod Veritas prædixit. Pestilentia et gladius per mundum sævit, gentes insurgunt gentibus, [h] terræ concutitur orbis, cum habitatoribus suis terra dehiscens solvitur. Omnia enim quæ prædicta sunt fiunt. Rex superbiæ prope est, et quod dici nefas est, sacerdotum ei præparatur exercitus, quia cervici militant elationis, qui ad hoc positi fuerant ut ducatum præberent humilitatis. Sed hac in re, etiamsi nostra lingua minime contradicat, illius virtus contra elationem in ultionem erigitur, qui superbiæ vitio per semetipsum specialiter adversatur. Hinc enim scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6). Hinc rursus dicitur : *Immundus est apud Deum, qui exaltat cor* (*Proverb.* XVI, 5). Hinc contra superbientem hominem scriptum est : *Quid* [i] *superbit terra et cinis* (*Eccli.* X, 9)? Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Omnis qui se exaltat, humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11). Quæ ut nos ad viam vitæ per humilitatem reduceret, in semetipsa dignata est quod nos admonet demonstrare, dicens : *Discite a me, quia mitis sum et humilis corde* (*Matth.* XI, 29). Ad hoc namque unigenitus Dei Filius formam infirmitatis nostræ suscepit : ad hoc invisibilis, non solum visibilis, sed etiam despectus apparuit; ad hoc contumeliarum ludibria, illusionum probra, passionum tormenta toleravit, ut superbum non esse hominem doceret humilis Deus. Quanta igitur humilitatis virtus est, propter quam solam veraciter edocendam, is qui sine æstimatione magnus est, usque ad passionem mortis factus est parvus? Quia enim originem perditionis nostræ se præbuit superbia diaboli, instrumentum redemptionis nostræ inventa est humilitas Dei. Hostis quippe noster inter omnia conditus, videri supra omnia voluit elatus. Redemptor autem noster magnus manens supra omnia, fieri inter omnia dignatus est parvus.

Quid ergo nos episcopi dicimus, qui honoris locum ex Redemptoris nostri humilitate suscepimus, et tamen superbiam hostis ipsius imitamur? Ecce novimus Creatorem nostrum de sublimitatis culmine, ut humano generi daret gloriam, descendisse, et nos de infimis creati, de fratrum minoratione gloriamur. Humiliavit se usque ad nostrum pulverem Deus, et in cœlo os suum posuit, et super terram lingua pertransit pulvis humanus, et non erubescit, non metuit extolli homo **745** putredo, et filius hominis vermis (*Job.* XXV). Reducamus ad animum, frater charissime, hoc quod per sapientissimum Salomonem dicitur : *Ante tonitruum præibit coruscatio, et ante ruinam exaltabitur cor* (*Eccli.* XXXII, 14). Ubi e diverso subjungitur : *Ante gloriam humiliabitur*. Humiliemur ergo in mente, si ad solidam conamur venire celsitudinem. Nequaquam per elationis fumum oculi cordis obscurentur, qui quanto magis excreverit, tanto celerius evanescit. Pensemus quid nos præcepta admoneant Redemptoris nostri, dicentis : *Beati pauperes spiritu, quoniam ipsorum est regnum cœlorum* (*Matth.* V, 3). Hinc etiam per prophetam dicit : *Super quem requiescet Spiritus meus, nisi super humilem, et quietum, et trementem sermones meos* (*Isai.* LXVI, 2)? Certe cum Dominus ad humilitatis viam adhuc infirmantia discipulorum corda reduceret, dixit : *Si quis vult inter vos primus esse, erit omnium minimus* (*Matth.* XX, 27). Qua in re aperte cognoscitur quoniam ille veraciter sublimis est, qui in suis cogitationibus humiliatur. Formidemus ergo in illorum numero ascribi, qui primas in synagogis cathedras quærunt, et salutationes in foro, et vocari ab hominibus rabbi. Quod contra discipulis Dominus dicit : *Vos autem nolite vocari rabbi. Unus enim magister vester est; vos autem omnes fratres estis. Et Patrem nolite vocare vobis super terram, unus est enim Pater vester* (*Matth.* XXIII, 7, 8).

Quid ergo, frater charissime, in illo terribili examine venientis judicii dicturus es, qui non solum pater, sed etiam generalis pater in mundo vocari appetis? Caveatur ergo malorum prava suggestio, fugiatur omnis [k] instigatio scandali. *Oportet* quidem *ut veniant scandala, verumtamen væ homini illi per quem scandalum venit* (*Matth.* XVIII, 7). Ecce ex hoc nefando elationis vocabulo Ecclesia scinditur, fratrum omnium corda ad scandalum provocantur. Nunquidnam mente excidit quod Veritas dicit : *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris* (*Ibid.*)? Scriptum vero est : *Charitas non quærit quæ sua sunt* (*I Cor.* XIII, 4). Ecce vestra fraternitas sibi arrogat etiam aliena. Rursus scriptum est : *Honore invicem prævenientes* (*Rom.* XII, 10). Et tu conaris eum omnibus tollere, quem tibi illicite desideras singulariter usurpare. Ubi est, frater charissime, quod scriptum est : *Pacem habete cum omnibus et sanctimo-*

[h] Hic multa mutavimus, præeuntibus Mss., Vatic. Norm., Corb., etc. In Vatic. D, qui a tribus aliis dissentit, legitur : *terra concutitur, urbes cum habitatoribus suis, terra dehisciente, sorbentur.* In Vulgatis: *terra concutitur, orbis cum habitatoribus suis, terra dehiscente, sorbetur.* Quæ lectio ex alia corrupta conflata est. Infra, ubi legitur, *sacerdotum ei præparatur exercitus*, olim legebatur, *sacerdotum est præparatus exitus;* quam lectionem emendavit Gussanv., quibus adjungere liceat quatuor Vatic. et Normannos omnes.

[i] In Editis, *quid superbis*, etc.

[k] Vatic., D, *instigatio diaboli.*

*niam, sine qua nemo videbit Deum* (*Ibid.*)? Ubi est quod scriptum est : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9)?

Considerare vos convenit, ne qua radix amaritudinis sursum germinans impediat, et per illam coinquinentur multi. Quod tamen si considerare negligimus, contra tantæ elationis tumorem judicia superna vigilabunt. Et nos quidem in quos talis tantaque per ausum nefarium culpa committitur, servamus quod Veritas præcepit, dicens : *Si peccaverit in te frater tuus, vade, et corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Matth.* xvii, 3). **746** Ego itaque per responsales meos semel et bis verbis humilibus hoc quod in tota Ecclesia peccatur, corripere studui, nunc per meipsum scribo. Quidquid facere humiliter debui, non omisi. Sed si in mea correptione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere.

Hæc itaque dicens, omnipotens Deus fraternitati vestræ indicet quanto circa vos amore constringor, quantumque in hac causa non contra vos, sed pro vobis lugeo. In qua tamen præceptis evangelicis, institutionibus canonum, utilitatibus fratrum personam præponere non possum, nec ejus quem multum amo.

Scripta autem sanctitatis vestræ [l] dulcissima atque suavissima de causa presbyterorum Joannis et Athanasii suscepi, de qua vobis in subsequentibus Domino adjuvante respondebo, quia sub tantis tribulationibus [m] circumfusus barbarorum gladiis premor, ut non dico multa tractare, sed mihi respirare vix liceat. [n] Data Kalendis Januarii, indictione 13. (*Cf. Joan. Diac. l.* iii, *n.* 54.)

## EPISTOLA XIX.

AD SABINIANUM DIACONUM.

*Epistolam superiorem, ob reverentiam imperatoris, suavitate respersam, det Joanni episcopo. Principi is callide persuaserat ut Gregorium ad pacem secum servandam hortaretur. Sabiniani adversus ejus superbiam animum excitat Gregorius.*

Gregorius [a] Sabiniano diacono.

De causa fratris nostri viri reverendissimi Joannis episcopi Constantinopolitani duas epistolas facere nolui. Sed una breviter facta est, quæ utrumque habere videretur admistum, id est et rectitudinem, et blandimentum. Tua itaque dilectio eam epistolam, quam nunc direxi, propter voluntatem imperatoris dare studeat. Nam de subsequenti talis alia transmittetur, de qua ejus superbia non lætetur. Ad hoc enim usque pervenit, ut sub occasione Joannis presbyteri gesta huc transmitteret, in quibus se pene per omnem versum οἰκουμενικὸν patriarcham nominaret. Sed spero in omnipotentem Deum quia hypocrisim illius superna majestas solvet. Miror autem quomodo dilectionem tuam fallere potuit, ut permitteres domno imperatori persuaderi quatenus ad me sua scripta de hac causa transmitteret, in quibus admoneret ut cum eo pacem habere debuissem. Qui si justitiam tenere vult, illum debuit admonere ut se a superbo vocabulo compesceret, et protinus inter nos pax fieret. Tamen qua id calliditate a prædicto fratre nostro Joanne factum sit, suspicor, minime pensasti. Idcirco enim hoc ille fecit ut audiretur domnus imperator, et ille in sua vanitate confirmatus esse videretur, aut non a me audiretur, et ejus animus contra me irritaretur. Sed nos rectam viam tenebimus, nihil in hac causa aliud nisi omnipotentem Dominum metuentes. Unde tua dilectio in nullo trepidet. Omnia quæ in hoc sæculo videt alta esse contra veritatem, pro veritate despiciat, in omnipotentis Dei gratia, atque beati Petri apostoli **747** adjutorio confidat. Vocem Veritatis recolat, dicentis : *Major est* [b] *qui in vobis est, quam qui in mundo* (*I Joan.* iv, 4) ; et in hac causa quidquid agendum est, cum summa auctoritate agat. Postquam enim defendi ab inimicorum gladiis nullo modo possumus, postquam [c] pro amore reipublicæ argentum, aurum, mancipia, vestes perdidimus, nimis ignominiosum est ut per eos etiam fidem perdamus. In isto enim scelesto vocabulo consentire, nihil est aliud quam fidem perdere. Unde sicut tibi jam transactis epistolis scripsi, nunquam cum eo procedere præsumas (*Cf. Joan. Diac. l.* iii, *n.* 55. *Vide sup. ep.* 10; *inf. epp.* 20, 21, 43.)

## EPISTOLA XX.

AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*Laudat imperatoris zelum pro Ecclesiæ pace. Joannis episcopi hypocrisim depingit. Ambitioso quem usurpabat titulo Ecclesiam totam, venerandas synodos, pias leges, ipsius Christi mandata turbari; illius proinde superbiam imperiali auctoritate constringendam. Se vero, nisi humiliter ac suaviter admonentem audiat Joannes, illi cum Deo invicte restiturum*

Gregorius Mauricio Augusto.

Piissimus atque a Deo constitutus dominus noster, inter cæteras augustorum ponderum curas, conservandæ quoque sacerdotali charitati rectitudine studii spiritalis invigilat, videlicet pie veraciterque considerans neminem posse recte terrena regere, nisi noverit divina tractare, pacemque reipublicæ ex universalis Ecclesiæ pace pendere. Quæ enim, serenissime domine, virtus humana, quodque carnei robur brachii contra vestri Christianissimi culmen imperii irreligiosas præsumeret manus erigere, si studeret concors sacerdotum mens Redemptorem suum lingua pro vobis, atque, ut oportebat, meritis exo-

[l] In Vatic. B, *dulcissimæ atque suavissimæ.*
[m] Corb. et alii, præsertim Norm., *circumfusis.*
[n] Nullis in Mss. hoc legimus, præterquam in Colbert., ubi inscribitur indictio 4.

Epist. XIX [*Al.* 29]. — [a] Sabinianus diaconus sancti Gregorii apud imper. tunc apocrisiarius erat, cui in pontificatu successit. In Norm. et plerisque Mss. legitur *Saviniano.*

[b] Ita Corb., Vatic., Norm., Anglic., ubi in Editis legitur, *qui in cœlis est.*
[c] Excusi, *pro utilitate reipublicæ.*

rare ? Aut quis ferocissimæ gentis gladius in necem fidelium tanta crudelitate grassaretur, nisi nostra vita, qui sacerdotes nominamur, et non sumus, a pravissimis gravaretur operibus ? Sed dum nos competentia nobis relinquimus, et nobis incompetentia cogitamus, peccata nostra barbaricis viribus sociamus, et culpa nostra hostium gladios exacuit, quæ reipublicæ vires gravat. Quid autem dicturi sumus, qui populum Dei, cui indigne præsumus, peccatorum nostrorum oneribus premimus, qui quod per linguam prædicamus per exempla destruimus, qui iniqua docemus operibus et sola voce ea quæ sunt justa prætendimus? Ossa jejuniis atteruntur, et mente turgemus. Corpus despectis vestibus tegitur, et elatione cordis purpuram superamus. Jacemus in cinere, et [a] excelsa despicimus. Doctores humilium, duces superbiæ, ovina facie lupinos dentes abscondimus. Sed quis horum finis est, nisi quod hominibus suademus. Deo autem manifesti sumus? Quamobrem providentissime [b] piissimus Dominus ad compescendos bellicos motus pacem quærit Ecclesiæ, atque ad hujus compagem sacerdotum dignatur corda reducere. Quod quidem ego opto, atque, **748** quantum ad me attinet, serenissimis jussionibus obedientiam præbeo. Quia vero non causa mea, sed Dei est, et quia non solus ego, sed tota turbatur Ecclesia, quia piæ leges, [c] quia venerandæ synodi, quia ipsa etiam Domini nostri Jesu Christi mandata superbi atque pompatici cujusdam sermonis inventione turbantur, piissimus Dominus locum secet vulneris, atque resistentem ægrum [d] augustæ auctoritatis vinculis constringat. Astringendo enim ista, rempublicam sublevatis; et dum talia reciditis, de regni vestri prolixitate tractatis.

Cunctis enim Evangelium scientibus liquet quod voce dominica sancto et omnium apostolorum Petro principi apostolo, totius Ecclesiæ cura commissa est. Ipsi quippe dicitur : *Petre, amas me? pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Ipsi dicitur : *Ecce Satanas expetiit cribrare vos sicut triticum; et ego pro te rogavi, Petre, ut non deficiat fides tua. Et tu aliquando conversus confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 31). Ipsi dicitur : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlis : et quodcunque solveris super terram, erit solutum et in cœlo* (*Matth.* XVI, 8).

Ecce claves regni cœlestis accepit, potestas ei ligandi ac solvendi tribuitur, cura ei totius Ecclesiæ et principatus committitur, et tamen universalis apostolus non vocatur, et vir sanctissimus consacerdos meus Joannes vocari universalis episcopus conatur. Exclamare compellor ac dicere : *O tempora, o mores!*

Ecce cuncta in Europæ partibus barbarorum juri sunt tradita, destructæ urbes, eversa castra, depopulatæ provinciæ, nullus terram cultor inhabitat, sæviunt et dominantur quotidie in necem fidelium cultores idolorum, et tamen sacerdotes, qui in pavimento et cinere flentes jacere debuerunt, vanitatis sibi nomina expetunt, et novis ac profanis vocabulis gloriantur.

Nunquid ego hac in re, piissime domine, propriam causam defendo? Nunquid specialem injuriam vindico ? [e] causam omnipotentis Dei, causam universalis Ecclesiæ?

Quis est iste, qui contra statuta evangelica, contra canonum decreta, novum sibi usurpare nomen præsumit? Utinam vel sine aliorum imminutione unus sit, qui vocari appetit universalis.

Et certe multos Constantinopolitanæ Ecclesiæ in hæreseos voraginem incidisse novimus sacerdotes, et non solum hæreticos, sed etiam hæresiarchas factos. Inde quippe Nestorius, qui Mediatorem Dei et hominum Jesum Christum duas esse personas existimans, quia Deum fieri hominem potuisse non credidit, usque ad Judaicam perfidiam erupit. Inde Macedonius, qui consubstantialem Patri et Filio Spiritum sanctum Deum esse denegavit. Si igitur illud nomen in ea Ecclesia sibi quisquam arripit, [f] quod apud bonorum **749** omnium judicium fecit; [g] universa ergo Ecclesia, quod absit, a statu suo corruit, quando is qui appellatur universalis cadit. Sed absit a cordibus Christianis nomen istud blasphemiæ, in quo omnium sacerdotum honor adimitur, dum ab uno sibi dementer arrogatur.

EPIST. XX [*Al.* 32]. — [a] Recent. Ed., *excelsa non despicimus*, invitis Mss. Vatic., Anglic., Norm., etc.

[b] Excusi, *Dominus noster*. Abest *noster* a Vatic., Norm., etc.

[c] Norm. et Corb., *quia veneranda synodus*.

[d] Hic Mss. non consentiunt. Gemet., Audoen., Pratell., Lyr., cum tribus Vatic., habent, *ægrum angustet vinculis auctoritatis. Astringendo enim ista re penitus rempublicam sublevatis*. Parum discrepat Regius. Becc., *angustet vinculis auctoritatis. Dum enim ista reprimitis, rempublicam sublevatis*. Consentit Corb. Sequimur Vatic. A et alios.

[e] Vatic. D, cui consentiunt plerique Excusi, *vindico, et non magis causam omnipotentis Dei et causam*, etc. Sequimur tres Vaticanos, Norm., Corb., Reg., etc.

[f] Obscurus est hic locus, qui tamen ita legitur in Norm., Reg., tribus Vatic. et plerisque, nec clarior est Excusorum lectio mutando *fecit* in *fuit*. Solus Vatic. D habet, *quod bonorum omnium judicium fecit*, et quidem optimo sensu. At meliori adhuc Jamesius legit in Mss. Anglic., *quo caput se bonorum omnium facit; universa ergo*. In Sagiensi, *quod caput*, etc. Hanc lectionem præferat qui voluerit.

[g] Multis argumentis hanc novam appellationem concutit. 1. Cadente universali episcopo universa ruit Ecclesia. 2. Nullus Romanorum pontificum hoc nomen assumpsit. 3. Honore debito universi sacerdotes privarentur, si quis etiam Romanus pontifex hoc appellaretur nomine. 4. Præceptis canonicis adversatur ista appellatio. 5. Omnes hac de re scandalum patiuntur. In synodo VII, act. 2, contendit papa Adrianus cum Tarasio de nomine patriarchæ œcumenici, et concedit. Vide epistolam Adriani, et sententiam Basilii Ancyrani, Stauratii Chalcedonensis, Nicephori Dyrrachii, Epiphanii Catanensis, Gregorii synopes, Sabæ monachi, Gregorii monachi. Idem, act. 3, in titulo epistolæ Orientalium, necnon in votis episcoporum Agapii, Joannis Constantin,

Certe pro beati Petri apostolorum principis honore, [h] per venerandam Chalcedonensem synodum Romano pontifici oblatum est. Sed nullus eorum unquam [i] hoc singularitatis nomine uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi. Quid est ergo quod nos hujus vocabuli gloriam et oblatam non quærimus, et alter sibi hanc arripere et non oblatam præsumit?

Ille ergo magis est piissimorum dominorum præceptione flectendus, qui præceptis canonicis obedientiam præbere contemnit. Ille coercendus est, qui sanctæ universali Ecclesiæ injuriam facit, qui corde tumet, qui gaudere de nomine singularitatis appetit, qui honori quoque imperii vestri se per privatum vocabulum superponit.

Ecce omnes hac de re scandalum patimur. Ad vitam ergo rectam revertatur auctor scandali, et omnia sacerdotum jurgia cessabunt. Ego enim cunctorum sacerdotum servus sum, in quantum ipsi sacerdotaliter vivunt. Nam qui contra omnipotentem Dominum per inanis gloriæ tumorem atque contra statuta Patrum suam cervicem erigit, in omnipotenti Domino confido, quia meam sibi nec cum gladiis flectit.

Quid autem nuper in hac urbe ex hujus auditu vocabuli gestum sit, Sabiniano diacono ac responsali meo subtilius indicavi. Cogitet ergo dominorum pietas de me proprio suo, quem specialiter præ cæteris semper fovit atque [k] continuit, qui et vobis obedientiam præbere desidero et tamen de mea negligentia reperiri reus in superno tremendoque judicio pertimesco; ac secundum petitionem prædicti Sabiniani diaconi, aut piissimus dominus ipsum dignetur judicare negotium, aut sæpe nominatum virum, [l] ut ab hac tandem intentione cesset, inflectere. Si ergo judicio pietatis vestræ justissimo, vel clementibus jussionibus cesserit, omnipotenti Deo gratias referimus, atque de concessa per vos omni Ecclesiæ pace gaudemus. Sin autem in eadem diutius contentione perstiterit, hac de re jam Veritatis sententiam certam tenemus, quæ ait : *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11; XVIII, 14). Et rursus scriptum est : *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI, 18). Ego autem dominorum jussionibus obedientiam præbens, præ-

A dicto consacerdoti meo **750** et dulciter scripsi, et humiliter ut ab hac inanis gloriæ appetitione sese emendet admonui. Si igitur me audire voluerit, habet devotum fratrem. Si vero in superbia persistit, jam quid sequatur aspicio, quia illum sibi adversarium invenit, de quo scriptum est : *Deus superbis resistit, humilibus autem dat gratiam* (*Jac.* IV, 6).

## EPISTOLA XXI.

### AD CONSTANTINAM AUGUSTAM.

*Ut Joannis ambitioni se opponere pergat hortatur. Perstringit illius hypocrisim, perversitatem ac superbiam. Conqueritur imperatorem illi et Maximo patrocinari. Huic, ob principis reverentiam, quod nesciente se ordinatus sit indulget, alia ejus facinora discutienda et judicanda reservat.*

Gregorius Constantinæ Augustæ.

B Omnipotens Deus, qui pietatis vestræ cor suæ dextera majestatis tenet, et nos ex vobis protegit, et vobis pro temporalibus actibus æternæ præmia remunerationis parat. Nam Sabiniano diacono responsali meo scribente cognovi in causis beati Petri apostolorum principis contra [a] quosdam superbe humiles et ficte blandos quanta se justitia vestra serenitas impendat. Et in Redemptoris nostri largitate confido, quia bonum hoc in serenissimo Domino et piissimis filiis, [b] in cælesti quoque patria retributionem recipietis. Nec dubium est peccatorum vinculis [c] solutos æterna vos bona recipere, qui in causis ejus Ecclesiæ ipsum vobis cui potestas ligandi et solvendi data est debitorem fecistis. Unde adhuc peto ut nullius prævalere contra veritatem hypocrisim permit-

C tatis, quia sunt quidam qui juxta egregii prædicatoris vocem per dulces sermones et benedictiones seducunt corda innocentium, qui veste quidem despecti sunt, [d] sed corde tument. Et quasi in hoc mundo cuncta despiciunt, sed tamen ea quæ mundi sunt cuncta simul adipisci quærunt. Qui indignos se omnibus hominibus fatentur, sed privatis vocabulis contenti esse non possunt, quia illud appetunt unde omnibus digniores esse videantur. Vestra itaque pietas, quam omnipotens Deus cum serenissimo domino universo mundo præesse constituit, illi per favorem justitiæ famulatum suum reddat a quo jus tantæ potestatis accepit, ut quanto verius in executione veritatis auctori omnium servit, tanto securius commisso sibi mundo dominetur.

D Basilii, etc. Leo IX, Michaeli Constant. patriarchæ scribens, de sancto Leone I, ait : *Superbum refutavit vocabulum penitus, quo videbatur par dignitas subtrahi cunctis per orbem præsulibus, dum uni ex toto arrogaretur.* Vide totam epistolam. Quid si Græci nomen œcumenici suo patriarchæ ea tantum de causa tribuerunt, quod toti cuidam parti orbis præesset, ut videtur sensisse Anastasius Bibliothecarius, in præfatione VII synodi in Editione Romana. Lege sanctum Hieronymum, l. V in Isa., ad illa verba c. XIII : *vox multitudinis*, et, *visitabo super orbis mala*. Ubi explicat quid per *omnem terram*, quid *per orbem*, et οἰκουμένην sit intelligendum. GUSSANV.

[h] Melius diceretur, in universali Chalcedonensi synodo, scilicet actione 3, in aliquot libellis, et in voto Paschasini legati sancti Leonis, et act. 6, in voto ejusdem Paschasini. Vocem *per* interpretantur, durante, etc. GUSSANV. Vide, sup., ep. 18, circa medium.

[i] Ita Vatic., Norm., Corb., Reg., in quibusdam tamen pro, *nomine*, legitur, *vocabulo*. In Vulgatis, *hoc singularitatis nomen assumpsit, nec uti consensit.*

[k] Eodem modo interpretandum est hoc loco verbum *continere*, ac in epist. 5 libri I nomen *continentia*. Vide notas.

[l] Tres Vatic., *aut sæpe nomin. virum, ab hac tandem intentione non esset* (forte *non cesset*) *inflectere.*

EPIST. XXI [*Al.* 34]. — [a] Excusi, *quosdam superbos humiles facietenus et blandos*. Sequimur Norm., Corb., Collectionem Pauli Diaconi, etc.

[b] Vulgati, *in cœlestis quoque patriæ retributione.*

[c] Collectio Pauli, Norm., et alii Mss., *vinculis absolutis.*

[d] Vatic. D et Collectio Pauli, *sed corde non sunt.*

Præterea indico quia piissimi domini scripta susccpi, ut fratri et consacerdoti meo Joanni **751** debeam esse pacificus. Et quidem sic religiosum dominum decuit ut ista præciperet sacerdotibus. Sed cum se nova præsumptione atque superbia idem frater meus universalem episcopum appellet, ita ut sanctæ memoriæ decessoris mei tempore ascribi se in synodo tali hoc superbo vocabulo faceret, quamvis cuncta acta illius synodi, sede contradicente apostolica, soluta sint, triste mihi aliquid serenissimus dominus innuit, quod non eum corripuit qui superbit, sed magis ab intentione mea declinare studuit, qui in hac causa [e] Evangeliorum et canonum humilitatis atque rectitudinis veritatem defendo. Qua in re a prædicto fratre et consacerdote meo contra evangelicam sententiam, contra beatum quoque Petrum apostolum, et contra omnes Ecclesias, contraque statuta canonum agitur. Sed est omnipotens Dominus, in cujus manu sunt omnia, de quo scriptum est : *Non est sapientia, non est prudentia, non est consilium contra Dominum* (*Prov.* XXI, 30). Et quidem sæpe præfatus sanctissimus frater serenissimo domino multa suadere conatur, sed bene novi quia tantæ illæ orationes ejus et lacrymæ nil ei a quoquam contra rationem aut animam suam subripi permittunt.

Triste tamen valde est ut patienter feratur quatenus, despectis omnibus, prædictus frater et coepiscopus meus solus conetur appellari episcopus. Sed in hac ejus superbia quid aliud nisi propinqua jam Antichristi esse tempora designatur? Quia illum videlicet imitatur, qui spretis in sociali gaudio angelorum legionibus ad culmen conatus est singularitatis erumpere, dicens : *Super astra cœli exaltabo solium meum, sedebo in monte testamenti, in lateribus Aquilonis, et ascendam super altitudinem nubium, et ero similis Altissimo* (*Isai.* XIV, 13). Unde per omnipotentem Dominum rogo ne pietatis vestræ tempora permittatis unius hominis elatione maculari, neque tam perverso vocabulo ullum quoquo modo præbeatis assensum, atque hac in causa nequaquam me pietas vestra despiciat, quia etsi peccata Gregorii tanta sunt ut pati talia debeat, Petri tamen apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati ista mereatur. Unde iterum atque iterum per omnipotentem Dominum rogo ut sicut parentes priores vestri principes, sancti Petri apostoli gratiam quæsierunt, ita vos quoque et hanc vobis quærere et conservare curetis, et propter peccata nostra, qui ei indigne servimus, ejus apud vos honor nullatenus minuatur, qui et modo vobis adjutor esse in omnibus, et postmodum vestra valeat peccata dimittere.

Viginti autem jam et septem annos ducimus, quod in hac urbe inter Langobardorum gladios vivimus. Quibus quam multa hac ab Ecclesia quotidianis diebus erogantur, ut inter eos vivere possimus, suggerenda non sunt. Sed breviter indico, quia sicut in Ravennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ [f] saccellarium habet qui causis supervenientibus quotidianas expensas faciat, ita et in hac urbe in causis talibus eorum sacceliarius ego sum. Et tamen hæc Ecclesia, quæ uno eodemque tempore clericis, monasteriis, pauperibus, populo, atque insuper Langobardis tam multa indesinenter expendit, **752** ecce adhuc ex omnium Ecclesiarum premitur afflictione, quæ de hac unius hominis superbia multum gemunt, etsi nihil dicere præsumunt.

Salonitanæ vero civitatis [g] episcopus me ac responsali meo nesciente ordinatus est, et facta res est quæ sub nullis anterioribus principibus evenit. Quod ego audiens, ad eumdem prævaricatorem, qui inordinate ordinatus est, protinus misi, ut omnino missarum solemnia celebrare nullo modo præsumeret, nisi prius a serenissimis dominis cognoscerem si hoc fieri ipsi jussissent quod ei sub excommunicationis interpositione mandavi. Et contempto me atque despecto, in audaciam quorumdam sæcularium hominum, quibus, denudata sua Ecclesia, præmia multa præbere dicitur, nunc usque missas facere præsumit, atque ad me venire secundum jussionem dominorum noluit. Ego autem præceptioni pietatis eorum obediens, eidem Maximo, qui me nesciente ordinatus est, hoc, quod in ordinatione sua me vel responsalem meum prætermittere præsumpsit, ita ex corde laxavi, ac si me auctore fuisset ordinatus. Alia vero perversa illius, scilicet mala corporalia, quæ cognovi, vel quia cum pecuniis est electus, vel quia excommunicatus missas facere præsumpsit, propter Deum irrequisita præterire non possum. Sed opto, et Dominum deprecor, quatenus nihil in eo de his quæ dicta sunt valeat inveniri, et sine periculo animæ meæ causa ipsius terminetur. Prius tamen quam hæc cognoscantur, serenissimus dominus discurrente jussione præcepit ut eum venientem cum honore suscipiam. Et valde grave est ut vir de quo tanta et talia nuntiantur, cum ante requiri et discuti debeat, honoretur. Et si episcoporum causæ mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? Sed ut episcopi mei me despiciant, et contra me refugium ad sæculares judices habeant, omnipotenti Deo gratias ago, peccatis meis deputo. Hoc tamen breviter suggero, quia aliquantulum exspecto ; et si ad me diu venire distulerit, in eo exercere districtionem canonicam nullo modo cessabo. In omnipotenti autem Domino confido, quia longam piissimis dominis vitam tribuet, et nobis sub manu vestra non secundum peccata nostra, sed secundum gratiæ suæ dona disponet. Hæc ergo tranquillissimæ dominæ

[e] Ita Collectio Pauli, tres Vatic., Norm., Corb., etc. In recent. Excusis legitur, *Evangeliorum et canonum statuta, humilitatis atque rectitudinis virtutem ;* quod etiam habet Vatic. D.

[f] Saccellarius hic dicitur quæstor qui ærario præficitur. Hæc vox a *sacculis* est desumpta. Vide epist. 44 libri I.

[g] Maximus, de quo vide supra lib. IV, epist. 10 et 20.

suggero, quia integerrima serenitatis ejus conscientia quanto moveatur zelo rectitudinis atque justitiæ non ignoro.

## EPISTOLA XXII.

AD NOBILES SYRACUSANOS.

*Cum episcopi electionem Gregorii arbitrio commisissent, talem eis ordinare studet, qui Maximianum decessorem imitetur.*

Gregorius nobilibus Syracusanis.

Laudis vestræ testimonium [d] quam direxistis gerit epistola, quod electionis vos onera sapienter declinasse significat. Et quoniam nostro hoc arbitrio commisistis, ac multa bona de venerandæ memoriæ quondam Maximiano episcopo **753** referentes talem vobis ordinari deposcitis, vos quidem sicut decet fideles filios facitis, quia hæc de digno sollicitoque patre testamini, et obtrectantibus aliis bona ipsius etiam post obitum non tacetis. Unde oramus omnipotentem Dominum, ut et vobis pro sinceritatis vestræ voluntate retribuat, et obloquentibus clementer ignoscat. Hoc tamen sciat magnitudo vestra, quia civitati illi quem dare Maximiano reverendissimo similem non habemus. Sed quia a clero et plebe Ecclesiæ Syracusanæ Agatho, ab aliquibus autem alter eligitur, hunc qui a clero et plebe electus est ad nos iterum venire necesse est, ut utrisque coram nus constitutis, ille qui Deo placuerit, et utilior visus fuerit, ordinetur. Nam desiderii nostri est talem illic cum Christi gratia ordinari pontificem, qui bonorum supradicti episcopi cujus vos actionibus testimonium perhibetis in omnibus debeat, Deo adjutore, imitator existere.

## EPISTOLA XXIII.

AD CASTORIUM NOTARIUM.

*Ad eligendum quantocius episcopum Ravennates hortetur. Non largum præmiis, sed dignum meritis eligant.*

Gregorius [a] Castorio notario.

Nimis nos Joannis fratris et coepiscopi nostri mors cognita contristavit, maxime quod civitas illa hoc tempore amisit pastoralis curæ solatium. Quia igitur plurimæ utilitates exposcunt ut Ecclesiæ ipsi sacerdos sine mora, Christo auctore, debeat ordinari, ideoque experientiæ tuæ præcipimus quatenus clerum et populum omni instantia studeat adhortari, ut consecrandum sibi non differant eligere sacerdotem. Quos tamen et præ omnibus admonere te volumus, ut in generali causa utilitates proprias non attendant. Nulla ergo sit in hac electione venalitas, ne dum præmia appetunt, [b] discretionem electionis amittant, et illum dignum ad hoc esse arbitrentur officium, qui non meritis, sed datione placuerit. Specialiter enim et absolute cognoscant quia non solum indignus est sacerdotio, sed et aliis profecto erit culpis obnoxius, quisquis Dei donum pretii præsumpserit venalitate mercari. Non itaque largus præmiis, sed dignus meritis eligatur. Nam et electum et eligentes [c] pœna respiciet, si sacerdotii sinceritatem mente sacrilega violare tentaverint. Sive autem unus, sive duo electi fuerint, quinque de prioribus presbyteris et quinque [d] de præcedentibus simul venire ad nos per omnia commoneto. De clericis vero, præter eos qui venire deliberant, si quos alios præsentes esse necessarios æstimas, ad nos sine mora transmitte, ut **754** ad ordinandam Ecclesiam, nec excusatio, nec aliqua possit provenire dilatio [e].

## EPISTOLA XXIV.

AD ROMANUM EXARCHUM.

*Ne Speciosum presbyterum episcopo suo resistentem tueatur, neque patrocinetur sanctimonialibus ad sæculum reversis.*

Gregorius [a] Romano exarcho Italiæ.

Apud excellentiam vestram pravorum audacia correptionis debet aculeos magis quam defensionis invenire solatium. Nam satis grave est si illic habere pravam contingat actionem refugium, unde disciplinæ decet prodire censuram. Pervenit itaque ad nos Speciosum quemdam presbyterum, qui causa poscente in monasterium a Joanne fratre et coepiscopo nostro fuerat deputatus, contra sui pastoris exinde voluntatem exiisse, [b] et, ecclesiasticæ constitutionis vigore despecto, ante dicto episcopo, vestra fretum tuitione, resistere. Quod quia excellentiæ vestræ sine dubio pulsat invidiam, necesse est ut ab ejus vos, habita discretione, debeatis tuitione suspendere, ne si nominis vestri occasione pastori suo inobediens vel contumax fuerit ad tempus, et vestros contra vos judices defensare, atque excellentiam vestram hac ex re cogatur offendere, et nos pariter de vestra discordia contristare.

Comperimus præterea, quod dici nefas est, quasdam mulieres, quæ nunc usque in religioso atque monachico habitu permanserunt, [c] suam vestem et suam velaturam deponere, et conjugibus, quod sine gravi referre non possumus dolore, sociari. Sed hoc quidem [d] ut dicere vel attentare præsumant, favoris

Epist. XXII [*Al.* 47]. — [a] In Excusis, *quam direxistis epistola electionis vos onera... declinasse significat.* Sequimur Vatic., Norm., etc.

Epist. XXIII. — [a] In indice epistolarum Collectionis Pauli legitur, *Castriano Diacono;* sed in titulo epistolæ *Castorio notario.*

[b] Recent. Excusi, *virtutem discretionis.* Vet. Ed. Mss. consentiunt.

[c] Ita quatuor Vatic., Collectio Pauli, Reg. in Norm. et Corb., *par culpa respiciet.*

[d] Vulgati, *de præcedentibus diaconibus.* Abest *diacon.* a Reg., Corb., tribus Vatic., plerisque Norm. et Collect. Pauli.

[e] In Collect. Pauli sic absolvitur : *Data die* 13 *F.* (id est Februarii) *indict.* 13.

Epist. XXIV [*Al.* 18]. — [a] De Romano lege epist. 33 lib. I. In Editis additur titulo, *Residenti Ravennæ*, quod in Mss. minime repertum expunximus.

[b] Vatic. D, *et ecclesiasticæ consuetudinis.*

[c] Excusi, *sacram vestem*, etc. Cæterum antiquissimam velandarum virginum consuetudinem repete ex tulliano lib. de velandis Virginibus, qui tamen de solis sacris virginibus non loquitur. De solemni veli impositione ac benedictione pro sacris virginibus, Hieronymus ad Demetriadem de servanda virginitate : *Scio quod ad imprecationem pontificis flammeum virginale sanctum operuit caput.* Et Ambros., exhort. ad virgines ; *venit Paschæ dies, in toto orbe baptismi sacramenta celebrantur, velantur sacræ virgines.*

[d] Excusi, sensu quidem optimo, *ut facere vel attentare.*

vestri patrocinio fulciri dicuntur, quod nos credere perversitatis ipsius acerbitas non permittit. Petimus ergo ut in tanto vos peccato miscere nullatenus debeatis. Nam hujusmodi iniquitatem impunitam propter Deum nullo modo patimur remanere. Unde iterum quæsumus ut excellentia vestra in talium se causarum defensione non misceat, ne et Deus suam defendat injuriam, et inter nos aliorum pariat culpa discordiam. [c] Mense Februario, indictione 13. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 40.)

## EPISTOLA XXV.

AD SEVERUM EPISCOPUM.

*Visitationem Ecclesiæ Ravennatis commendat.*

Gregorius Severo [a] Ficulino episcopo.

Obitum Joannis antistitis directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ **755** Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus : quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem a quoquam præsumatur Ecclesiæ, etc. [b] *Secundum morem.*

## [a] EPISTOLA XXVI.

AD RAVENNATES.

*Commissam Severo Ravennatis Ecclesiæ visitationem.*

Gregorius clero, ordini et plebi consistenti Ravennæ.

Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit visitationem destitutæ Ecclesiæ fratri et coepiscopo nostro Severo Ficulino solemniter delegare, cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire, etc. *Secundum morem.* (*Vide sup. ep.* 25.)

## EPISTOLA XXVII.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Attendat num res Ecclesiæ minuerit defunctus episcopus. Ad successoris electionem clerum et populum hortetur.*

Gregorius Cypriano diacono.

Obitum [a] Theodori episcopi dilectionem tuam jam credimus cognovisse. Sed quia ipse testamentum dicitur condidisse, subtiliter, ne quid de rebus Ecclesiæ suæ consumpsisset, te oportet inquirere. Et si quidem eum exinde aliquid incongrue minuisse didiceris, ita age ut res ipsæ ab eo cujus interest modis omnibus reparentur. Clerum vero et populum loci ipsius admonere te convenit, ut, omni dilatione postposita, eligant qui sibi, revelante [b] Deo, debeat episcopus ordinari. (*Grat. Caus.* 12, *q.* 5, *c.* 2.)

## EPISTOLA XXVIII.

AD CASTORIUM DIACONUM.

*Pisaurensis episcopi aliorumve sacerdotum vitam perscrutetur; si quid sinistrum invenerit, renuntiet. Tutorem tueatur, ut quæ sibi pro pauperibus injuncta sunt valeat exsequi.*

Gregorius [a] Castorio diacono.

Quædam ad nos de [b] Pisaurensi episcopo pervenerunt, quæ indiscussa nullo modo sunt **756** relinquenda. Propterea experientiæ tuæ præcipimus ut de vita et actibus ipsius subtili indagatione studeat perscrutari. Et si quid fortasse repererit quod sacerdotii, quod absit, integritatem valeat maculare, ad nos eum cum scriptis tuis de his quæ in veritate cognoveris omnimodo sub competenti cautela transmitte, ut informati, Deo revelante, subtilius de veritate, quid fieri debeat pertractemus. Non solum autem de eo, sed et de aliorum quoque sacerdotum te vita convenit esse sollicitum. Et si de quolibet sinistrum quidpiam sentire potueris, nobis renuntiare festina, ut actuum pravitas salubriter cum Dei solatio debeat emendari.

Pervenit quoque ad nos Adeodatum quemdam civem Pisaurensem, filio atque vernaculo suo haredibus institutis, Thomam deputasse tutorem, hanc conditionem adjiciens, ut si forte, hæredes ipsius in pupillari ætate de hac vita transirent, omnis ejus substantia per manus ante dicti tutoris debuisset pauperibus erogari. [c] Sed obitis qui hæredes fuerunt instituti, ne defuncti possit voluntas impleri, suprascriptus tutor a quibusdam dicitur impediri. Propterea, si sicut edocti sumus ita esse in veritate compereris, curæ atque sollicitudinis tuæ sit ante dictum tutorem rationabiliter tueri, atque defendere, ut quæque sibi injuncta sunt valeat effectui mancipare. Sed quoniam dicitur eumdem tutorem velle aliquid [d] in diaconia quæ ibidem constituta est emere, summopere ei solatiari festina, ut ea quæ mercedis intuitu piis causis relicta sunt te concurrente sine cu-

[e] Ita Vatic. et Turon. S. Gat. In aliis Mss. nostris hoc desideratur.

EPIST. XXV [*Al.* 20]. — [a] Ficulum a modernis geographis Ficocle, vulgo *Cervia*, ex Ferrario, urbs olim Æmiliæ in ora maris Adriatici, inter ostia Savii fluvii et Rubiconis, nunc Romandiolæ, adhuc episcopalis. GUSSANV.

[b] In Excusis, *secundum modum præhabitum.*

EPIST. XXVI [*Al.* 21]. — [a] Hæc epist. uti superior in Mss. Norm. et in multis aliis desideratur.

EPIST. XXVII [*Al.* 22]. — [a] Episcopi Lilybetani, ut patet ex epist. 13 lib. VI, ubi agitur de episcopo eidem Ecclesiæ ordinando. Exstat epist. 50 libri III, ad eumdem Theodorum. AUCET.

[b] Non per prophetiam aut per visionem prodigiosam atque insitatam, sed per motionem spiritus Dei, qua mens, ab omni præjudicio vacua, simplici corde quæ Dei sunt quærit.

EPIST. XXVIII [*Al.* 24]. — [a] Vatic. D, *Castorio notario.*

[b] Pisaurum, vulgo *Pesaro*, urbs olim Umbriæ clara ad ostia Isauræ fluvii, vulgo *la Foglia*, nunc adhuc episcopalis sub archiepiscopo Urbinate in ducatu Urbini.

[c] Ita quinque Anglic. et Becc., quibus suffragantur nonnulli Editi, ut Paris. 1586, ubi legitur, *sed defunctis.* Hoc enim loco *obitis* significat *mortuis.* Certe nisi ita legatur, sensus deficit : *sed ab iis qui hæredes fuerunt instituti, ne defuncti possit voluntas impleri suprascriptus tutor a quibusdam* (quod quidem omittitur in Editis, at in omnibus Mss. legitur) *dicitur impediri*; superfluit, *ab iis.* Et sane testatoris voluntas impleri non poterat, quandiu hæredes ab eo instituti viverent; ergo jam obierant.

[d] Divisa per regiones urbe, ac præfecto regionibus singulis diacono, diaconiæ dicta sunt loca in quibus per diaconos regionarios, pauperes, viduæ, pupilli, senes propriæ regionis alebantur. Erant publicæ quodammodo

jusquam possint impedimento compleri. Valerianum vero monachum, quem emendatum in monasterio beati Joannis in Classe posito tradidisti, in eodem eum monasterio sine dubio volumus permanere. Præterea ne quam necessitatem in expensis tua experientia patiatur, de reditibus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, qui illic te providente aggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus. Et si quid superfuerit, nobis cum veneris defer.

## EPISTOLA XXIX.

AD VINCOMALUM DEFENSOREM.

*Illum instituit Ecclesiæ defensorem.*

Gregorius Vincomalo defensori.

[a] Ecclesiasticæ utilitatis intuitu id nostro sedit arbitrio, ut si [b] nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuisti clericus alterius civitatis, aut in nullo tibi canonum obviant statuta, officium Ecclesiæ defensorum accipias, ut **757** quidquid pro pauperum commodis tibi a nobis injunctum fuerit, incorrupte et vivaciter exsequaris, usurus hoc privilegio quod in te habita deliberatione contulimus, ut omnibus quæ tibi a nobis fuerint injuncta complendis operam tuam fidelis exhibeas, redditurus de actibus tuis sub Dei nostri judicio rationem. Hanc autem epistolam [c] Paterio notario Ecclesiæ nostræ scribendam dictavimus. [d] Mense Martio, indictione 13.

## [a] EPISTOLA XXX.

AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*Imperatoribus pro triginta libris auri in eleemosynam missis gratias agit. Scribonem laudat, tum de fideli summæ illius distributione, tum de rogis militum liberali manu factis.*

Gregorius Mauricio Augusto.

Dominorum pietas, quæ suos consuevit misericorditer famulos [b] continere, ita benigna hic subventione resplenduit, ut cunctorum debilium inopia largitatis ejus sit consolatione sublevata. Pro qua re lacrymabili prece omnes deposcimus ut omnipotens Deus qui clementiæ vestræ ad hoc corda compunxit, incolume in amoris sui constantia dominorum servet imperium, ut victorias eorum in cunctis gentibus auxilio suæ majestatis extendat. Triginta itaque libras auri, quas confamulus meus Busa detulit e Scribo, sacerdotibus, egenisque, et aliis fideliter erogavit. Et quia quædam in hanc urbem sanctimoniales feminæ ex diversis provinciis venerunt, post captivitatem fugientes, ex quibus, quantum locorum possibilitas recipit, aliquæ in monasteriis datæ sunt, quæ vero in eis minime capi potuerunt, singulariter degentes inopem vitam ducunt, placuit ut hoc quod cæcis, truncis, aliisque debilibus superesse posset, eis erogari debuisset, dummodo non solum dominorum misericordiam indigentes indigenæ, sed advenientes etiam peregrini susciperent. Unde actum est ut simul omnes pro vita dominorum concorditer orarent, quatenus omnipotens Deus longa vobis et quieta tempora tribuat, et pietatis vestræ felicissimam sobolem diu in Romana republica florere concedat. [d] Rogæ quoque militum ita per prædictum **758** confamulum meum Scribonem, præsente quoque glorioso Casto [e] magistro militum, factæ sunt, ut dona dominorum cuncti sub disciplina debita gratias agendo susciperent, et hoc [f] quod eis prius dominari consueverat, omne murmur averterent [g].

## EPISTOLA XXXI.

AD CONDUCTORES MASSARUM.

*Donec adveniat Gallicani patrimonii rector, Arigio patricio obediant.*

Gregorius [a] conductoribus massarum per Galliam.

Quamvis inter medias sitis turbas gentium constituti, tamen ratio nos ipsa suspicari compellit multum vos ab aliis bona actione distare. Sicut enim appel-

pauperum hospitales domus, quarum usu præcipuo exolescente, ipsisque dirutis ædibus, diaconiæ nomen ipsarum sacellis et oratoriis mansit, a quibus earum præfecti diaconi cardinales urbis Romæ postea dicti sunt. Anastasius in Adriano I: *Idem egregius præsul... diaconias constituit, in quibus et multa bona fecit... concedens eis agros, vineas, oliveta, servos, ancillas, et peculia diversa, atque res mobiles, ut de reditu eorum crebris exactionibus diaconiæ proficientes, pauperes Christi reficerentur.* Nec Romæ duntaxat fuisse diaconias ostendit hæc epistola. Vide, infra, lib. x, epist. 21. De diaconiis plura Cangius in Glossario, et Mabillonius, tomo I ac II Musei Italici.

EPIST. XXIX [*Al.* 25]. — [a] Hac epistola continetur formula diplomatis quo defensor creabatur.

[b] Hic conditio est servitium quod in libertis seu manumissis sibi nonnunquam reservabant patroni, cum e contra in manumissis directis, id est plenariis, ab omni noxiæ conditionis servitio eximerentur. De conditionibus illis plura apud Cangium: *Corpori obnoxius*, sive *homo de corpore* dicitur, *qui glebæ affixus est, qui censum debet de capite, aut alterius servilis est conditionis.* (*Vide Cangii Glossarium.*)

[c] Videtur ille esse qui epist. 22 lib. IX (*nunc ad calcem epistolarum*) dicitur *secundicerius*, quique librum Testimoniorum edidit ex operibus sancti Gregorii. GUSSANV.

[d] Ita habet Turon. S. Gat.

EPIST. XXX [*Al.* 2 lib. VIII, indict. 3]. — [a] Hæc epistola desideratur in Vatic. B, C, D. In Normannis est inter prætermissas. Reperitur in Collectione Pauli.

[b] Hoc est *fovere, sustentare.* Vide lib. I, epist. 44 et 45, et hom. 20 in Evang.

[c] Hæc vox Romana ὃν σκρίβωνα ῥωμαῖοι καταλογάζουσιν, Theophylact. Simocatta, lib. I Hist. Mauric., c. 4, et lib. VII, c. 3. Apud Suidam præfectus protectorum imperatoris, seu comes domesticorum equitum et peditum σκρίβων κατὰ λατίνους σωματοφυλάκων ὑπερφερόμενος. Apud Agathiam, lib. III Hist. sumitur pro excubitore palatii. Legitur apud Anastasium in Vigilio, in Theodoro. GUSSANV.

[d] Sensum hujus vocis repete ex epist. 46 lib. II. In vet. Ed. et in Vatic. male legitur *togæ*.

[e] Castus vir strenuus, exercitus Mauricii imp. dux, contra Chaganum Avarum regem egregie pugnans dolo capitur, postea ingenti pecunia redimitur. Simocatta, lib. II, c. 10 et 17; Miscella, lib. XVII, ad an. 4 Mauricii. GUSSANV.

[f] In Excusis, *quod eis prius donari.* Id emendavimus ex Mss. Anglic., Norman. et Collect. Pauli.

[g] In collectione Pauli et in Norman.: *Data die 12 mensis Martii, indict.* 13.

EPIST. XXXI [*Al.* 12, ind. 7]. — [a] In Collect. Pauli, et in Vatic. D, *conductoribus massarum seu fundorum per Gallias constitutis.* Argumento est patrimonium sancti Petri in Gallia non tam in eleemosynis aut pecunia quam in possessionibus constitisse.

latio sancti Petri apostolorum principis familiam Ecclesiæ tantæ multitudini clariorem demonstrat, ita debetis cæteros morum claritate præcedere, atque eos quibus præestis, ut bene agant, ut agnoscant cui serviunt, assidue commonere, ut a rapinis gentium atque pravitatibus abstineant, et familia Ecclesiæ non solum nomine, sed et meritis honoretur. Nos autem de vobis cogno-cite studiosissime cogitare. Disposuimus enim hominem nostrum, qui vos possit tueri et regere, [b] cum litteris commendatitiis ad excellentissimum regem, Christo auxiliante, transmittere. Sed viam tempus hiemis impedivit. Viro ergo glorioso Arigio patricio vos prævidimus commendandos, cui interim summa cum benignitate atque obedientia, sicut beati Petri famulos decet, obedire studete, atque ea quæ pro ecclesiastica utilitate vobis præcipiuntur implete. Visum autem nobis est ut consuetudinaria excepta ejus utilitate debeatis inferre. Pensiones vero fideliter cum omni collectæ diligentia apud unumquemque vestrum, quem communi consensu elegeritis, rejaceant; a quo cum venerit is [c] quem a latere nostro transmiserimus, eas possit accipere. Non enim sumus dubii quod per eum qui vobis visus fuerit possint fideliter conservari. Ita ergo in omnibus irreprehensibiles atque obedientes existite, quatenus **759** veniens ad vos is qui patrimonium ipsum recturus est, sciat quemadmodum unicuique vestrum pro sua debeat strenuitate rependere [d]. (*Vide l.* VI, *ep.* 57; *l.* IX, *ep.* 118.)

## EPISTOLA XXXII.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Defuncto Maximiano episcopo, nonnullos e clericis ab eo propter maleficium in carcerem conjectos, gravibus afficiat pœnis.*

Gregorius Cypriano diacono.

Vir sanctissimus Maximianus, coepiscopus noster, Ecclesiam Dei pravis hominibus purgare desiderans, laudabiliter erga ecclesiasticorum vitam, sicut nosti, sollicitus fuit. Qui dum eorum actus vigilanter cura pastorali intenderet, [a] maleficio quod vulgo [b] canterma dicitur, quosdam didicit maculatos. Quos etiam, sicut et dilectionis tuæ nuntiavit epistola, dedit [c] in custodia retinendos. Sed quia, peccatis nostris facientibus, morte præventus, crimen ipsum ulcisci non valuit, necesse est ut dilectio tua cum omni hoc subtilitate indagare festinet, atque in eos secundum immanitatem facinoris studeat vindicare qualiter secundum leges suprascriptum episcopum zelo correptionis ac justitiæ in hac ultione propter Deum novit potuisse, si viveret, commoveri. Omni ergo virtute omnique instantia tua dilectio in hac causa zelum suum erga omnipotentem Deum curet ostendere, et inimicis illius adversitatem dignam inflictis ultionibus exhibere, ut impleas quod scriptum est: *Nonne qui oderunt te, Domine, oderam, et super inimicos tuos tabescebam* (*Psal.* CXXXVIII, 21)? Si ergo hoc zelo dilectio tua accenditur [d] in eorum qui Deum dereliquerunt et contra eum maleficiis aliquid egerunt, pœna monstretur. Quod si recte illic exsequi [e] non valet, nobis qui tales sunt transmitti debent, si tamen hic monstrari potuerit unde illic possunt absque difficultate convinci. Sed quia hoc impossibile esse existimo, illic per te debet districta atque fortis correctio provenire. Virum autem gloriosum dominum [f] Libertinum prætorem in tali loco per contemplationem omnipotentis Dei adjutorem te habere confido. In hac tamen causa mitescere **760** minime debuisti, etiamsi tibi quilibet sæcularis iudex adversarius potuisset existere.

Possessiones præterea Archelai medici dilectio tua rationabiliter tueatur, ut ab aliquibus injuste eum minime gravari permittat.

[b] In Vatic. A, *cum hominibus commendatitiis.*

[c] Hoc est, ex comitatu et familia. Modus est loquendi antiquissimus. Liberius papa in epist. apud sanctum Hilarium, fragmento 4, novæ Edit. col. 1327: *Secutus traditionem majorum, presbyteros urbis Romæ Lucium, Paulum, et Helianum e latere meo, ad Alexandriam, ad supradictum Athanasium direxi.* Sanctus Leo, epist. 28: *Cum propter causam fidei..... de latere meo mitterem.* Et epist. 31: *Julium episcopum, et Renatum presbyterum, sed et filium meum diaconem Hilarium, quos e latere meo, vice mea misi.* Vide notas Quesnellii, p. 870. Legesis capitula Caroli Calvi, tit. 5, cap. 2. Hinc legati summi pontificis dicti *a latere.* Suos etiam legatos a latere imperatores habuerunt: Willelmus Tyrius, lib. XVIII, c. 24. *Insuper et de latere imperiali mittitur illustris apocrisiarius.*

[d] In Vatic. D additur, mense Martio, die 12, indict. 13. In Collect. Pauli assignatur male indictio 3, nec melius in Colbert., indict. 4.

EPIST. XXXII [*Al.* 13, indict. 7]. — [a] Vide caus. 26, q. 5, multos canones; sanctum Augustinum de Civitate Dei lib. VIII, c. 19; Narbon., c. 14, an. 589; Leptin., c. 5, an. 743; Turon. III, c. 42, an. 813, etc. Et inter recentiores Costanum Tolosatem, Quæstionum juris memorabilium lib. I, c. 16. GUSSANV.

[b] Vox barbara, Latinis carmen et incantatio, Gall., *charme.* Apud Italos *stregaria o malia*, ex Dominico Magro in vocabulario. Est autem species maleficii quod per carmina quædam operabantur incantatores. Quodnam autem esset istud maleficii genus non reperitur apud scriptores. Putat vir cl. Cangius pro *Canterma* legendum forte *Canterina*, ut vox Itala reddita sit. Nam Canterini Italis dicuntur qui crebro et ultro cantant. Notum autem incantationem a cantibus magicis dici. GUSSANV. Vide lib. IX, epist. 65, al. lib. VII, epist. 67.

[c] Vide statutum in conc. Aurel. V canonem 20, quem mores nostri nesciunt, etiamsi nova in dies statuta pullulent, disciplinaque clericalis tam sollicite reformetur. Consonat lex ultima Codicis, tit. de custod. reorum, ut supra notatum lib. II, epist. 52, nunc lib. XIII, epist. 45. Olim catechumena, decanicum, vel scevophylacium reis detinendis inserviebant. Id exhibet epist. 12, alias 2, Gregorii II ad Leonem Isaurum imp., initio concilii Nicæni II, palatii et ecclesiarum referendo discrimen in plectendis reis: *Pontifices non ita; sed ubi peccavit quis, et confessus fuerit, suspendii vel amputationis capitis loco Evangelium et crucem ejus cervicibus circumponunt, eumque tanquam in carcerem in secretaria sacrorumque vasorum æraria conjiciunt, in Ecclesiæ diaconia et in catechumena ablegant, ac visceribus eorum jejunium, oculisque vigilias, et laudationem ori ejus indicunt. Cumque probe castigarint, probeque fame afflixerint, tum pretiosum illi Domini corpus impartiunt, et sancto illum sanguine potant; et cum illum vas electionis restituerint, ac immunem peccati, sic ad Dominum purum insontemque transmittunt.* GUSSANV.

## EPISTOLA XXXIII.

AD GAUDENTIUM EPISCOPUM.

*Capuanis clericis Neapoli ministrantibus quartam distribuat. Archidiacono inopi restituat solidos decem.*

Gregorius [a] Gaudentio episcopo Nolano.

Qui ecclesiasticis famulantur obsequiis, ecclesiastica, ut possibilitas exigit, debent adipisci subsidia. Proinde fraternitatem tuam præsentibus hortamur affatibus ut clericis Capuanæ Ecclesiæ, qui in civitate Neapolitana consistunt, quartam in presbyterium eorum de hoc quod ante dictæ Ecclesiæ singulis annis accesserit juxta antiquam consuetudinem distribuere [b] secundum personarum studeat qualitatem, quatenus aliquod stipendiorum habentes solatium, ministerium officiumque suum circa eamdem Ecclesiam devotiori mente provocentur impendere.

Præterea decem solidos, quos Rustico archidiacono suo Fuscus quondam episcopus suprascriptæ Ecclesiæ abstulit, fraternitas tua omni cessante ambiguitate restituat, quia in tantam dicitur eum paupertatem pervenisse, ut conferendum illi potius esset quam aliquid ab eo auferendum. Durum enim est et procul a sacerdotis officio et personam positam sub necessitate negligere, et studio congregandi indecenter inhiare pecuniis [c]. (*Vide l.* II, *ep.* 32.)

## EPISTOLA XXXIV.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Ciceronem monachum lapsum Misenati Ecclesiæ, cujus fuerat famulus, restituat.*

Gregorius Cypriano diacono.

[a] Benenatus frater et coepiscopus noster Ciceronem quemdam monachum, [b] qui pro suis excessibus a dilectissimo filio nostro diacono **761** Petro, tunc autem subdiacono et rectore patrimonii nostri, est in pœnitentia deputatus, juris Ecclesiæ suæ famulum esse perhibet, eumque sibi cum rebus suis postulat debere restitui. Necesse est ergo ut dilectio tua studiose perquirat. Et si ita verum esse constiterit, suprascriptum Ciceronem cum rebus suis, quæ apud Fantinum defensorem dicuntur esse depositæ, dominio [c] Misenatis Ecclesiæ sine aliqua dilatione restitue, [d] ut postquam a monachica conversatione culpæ lapsu se abripuit, [e] jugum dominii, quod evadere in conversatione permanens poterat, recognoscat. [f] Mense Maio, indictione 13.

## EPISTOLA XXXV.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Monachos tres ad monasterium sancti Martini cogat redire; faveat ejusdem monasterii procuratoribus; eidem reddat mancipia.*

Gregorius Cypriano diacono.

Pervenit ad nos, insinuante Theodosio abbate monasterii sancti Martini, [a] tres se illic in Sicilia monachos, quos pro utilitate monasterii sui transmiserat, retinuisse, et petiit a nobis ut cum tuo eos solatio in suum debeat monasterium revocare. Dilectio ergo tua, quæ nos hujusmodi causas zelari valde ferventerque cognovit, eos sollicita faciat indagatione perquiri, et inventos ad suprascriptum abbatem, cui contumaces exstiterunt, sub competenti cautela atque districtione transmitti.

Esto itaque sollicitus ne regularis districtio, vel dilatione aliqua, vel deputatorum remissione lædatur. Præsentium vero portitoribus, qui pro agendis ejusdem monasterii utilitatibus a supradicto Theodosio abbate noscuntur esse transmissi, in omnibus te instanter volumus præbere solatia, quatenus, te concurrente, rationabiliter quæ sibi injuncta sunt valeant explicare. Mancipia autem ejusdem monasterii, quæ prædictus abbas ab hominibus Ecclesiæ nostræ indebite perhibet detineri, necesse est te modis omnibus perscrutari. Et si ita repereris, sine aliqua ea facito dilatione restitui.

## EPISTOLA XXXVI.

AD SEVERUM SCHOLASTICUM.

*Componendam cum Agilulpho Langobardorum rege pacem exarcho persuadeat.*

Gregorius Severo [a] scholastico exarchi.

[d] Excusi, *in eos*, ubi frustra quæreretur sensus. Ideoque legendum *in eorum*, scilicet *pœna*, quod etiam nos docuerunt Mss. omnes Vatic., Norm., Collectio Pauli, etc. Infra, ex iisdem Mss. multa restituimus.

[e] Sic legitur in Mss. Editores mutarunt *non valet* in *non vales*, ut grammaticæ legibus caverent. At observare debuerant Gregorium frequenter usurpare verba deponentia in passiva significatione, ut hic *exsequi*.

[f] De Libertino, vide epist. 38 lib. III.

EPIST. XXXIII [*Al.* 26]. — [a] De eo proxime epistola 13 et 14 hujus libri. In Norm. et aliis non paucis omittitur *Nolano*.

[b] Secundum cujusque merita. Necdum enim dignitatis mundanæ ratio frequentius habebatur, ut in posterioribus sæculis usu venit. Aiebat Apostolus: *Qui bene præsunt presbyteri duplici honore digni sunt, maxime qui laborant in verbo et doctrina.* Concinit Cyprianus, epist. 34, ubi de Celerino et Aurelio lectoribus: *Sportulis*, inquit, *iisdem cum presbyteris honorentur, et divisiones mensurnas æqualis quantitatibus partiantur*, etc. Lege libellum Theodori diaconi ad Leonem papam, et Chalcedonens. synod., ubi de militia multorum annorum, ut clericatum mereretur. Act. 3 ejusdem concil. GUSSANV.

[c] In Vatic. legitur, *mense Martio, indict.* 13.

EPIST. XXXIV [*Al.* 27]. — [a] Misenas episcopus, de quo lib. II, indict. 10, epist. olim 19, nunc 25, et pluribus aliis.

[b] Vagos per Siciliam monachos colligi atque episcopo suo restitui mandat lib. I, epist. 41. Stephanum Siciliæ chartularium ut monachos *ad sæcularem vitam atque habitum* reversos *retrudi sine dilatione faciat*, hortatur lib. II, epist. 28. Vide lib. I, epist. 42. Ex his monachis apostatis erat Cicero.

[c] In Mss. Norm., Vatic., Corb., *Mirenatis*.

[d] Vatic. A, *ut quem a monachica conversatione culpæ lapsus abripuit*. In B et C, *culpæ lapsus obripuit, jugum dominii*, etc. In omnibus Mss. nostris legitur *dominii*, ubi Editores habent, *domini sui*.

[e] Innuit servum Ecclesiæ professione monastica jugum Domini excutere. GUSSANV. Vide Rom. synod., alias libri hujus epist. 44, nunc post epistolas missam.

[f] Hæc desiderantur in Norm., Corb. et aliis pl. Mss., sed leguntur in Vatic., Colb. vet., Turon. S. Gal. et Reg.

EPIST. XXXV [*Al.* 28]. — [a] Excusi recent., *tres illic..... remansisse*. Ad antiquiora edita revertimur, quod hic omnibus Mss. consentiant.

EPIST. XXXVI [*Al.* 29]. — [a] Consiliario, Assessori. Vide lib. I, epist. 3. GUSSANV.

Qui assistunt judicibus, et sinceris erga eos dilectionibus obstringuntur, illa eis suadere **762** debent atque suggerere, quæ et animam salvent, et opinioni non derogent. Proinde quoniam novimus quanta fidei sinceritate excellentissimum exarchum diligatis, idcirco magnitudini vestræ quæ acta sunt indicare curavimus, ut hæc cognoscentes, ad consentiendum eum rationabiliter provocetis.

Scitote autem quia Agilulphus Langobardorum rex generalem pacem facere non recusat, [b] si tamen ei domnus Patricius judicium esse voluerit. Nam multa sibi in locis suis intra pacis terminum queritur esse commissa. Et quoniam sibi, [c] si ratio judicandum invenerit, satisfieri postulat, et ipse quoque se satisfacturum modis omnibus pollicetur, si quid a partibus suis constiterit in pace esse commissum. Quia ergo rationi non ambigitur convenire quod petit, oportet esse judicium, ut si qua ab utraque parte mala facta sunt, componantur, dummodo generalis [d] pax valeat Deo protegente firmari; nam qualiter sit nobis omnibus necessaria, bene nostis. Sapienter itaque sicut consuevistis agite, ut excellentissimus exarchus ad hoc sine mora debeat consentire, ne per eum pax renui, quod non expedit, videatur. Si enim consentire noluerit, nobiscum quidem specialem pacem facere repromittit, sed scimus quia et diversæ insulæ et loca sunt alia procul dubio peritura. Hæc autem consideret, et pacem habere festinet, quatenus in hac saltem dilatione et nos quietem possimus habere ad modicum, et reipublicæ resistendi vires, adjuvante Domino, melius reparentur.

## EPISTOLA XXXVII.

AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*Monasterium in honorem sancti Petri et sancti Michaelis dedicet, in quo missas celebrent presbyteri ibi deservientes; monachis tamen proficiat quidquid a fidelibus offerri contigerit.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Theodosius, abbas monasterii sancti Martini, petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in domo quondam [a] Martini, [b] ex ejus voluntate, decessorem suum Andream abbatem monasterium in quo monachi habitare debeant construxisse. Et quia id in honorem beati Petri apostolorum principis, et sancti archangeli Michaelis postulat dedicari, dilectionem tuam præsentibus apicibus duximus adhortandam, quatenus ad prædictum locum, cum postulaverit, ingravanter accedas, venerandæ solemnia dedicationis impendens. Et quoties necesse fuerit, a presbyteris Ecclesiæ tuæ in loco sancto deservientibus, celebrentur sacrificia veneranda **763** missarum, ita ut in eodem monasterio nec fraternitas tua, nec presbyteri, [c] præter diligentiam disciplinæ aliquid molestiarum inferant; aut si quid illic pro diversorum devotione commoditatis accesserit, sibi existiment vindicari, cum monachis in eodem loco deservientibus debeat proficere quidquid a fidelibus offerri contigerit [d].

## EPISTOLA XXXVIII.

AD ELIAM PRESBYTERUM ET ABBATEM.

*Excusationem ejus accipit; mittit Evangelia; Epiphanium diaconatu Romanæ Ecclesiæ alligat; modestam subsidii petitionem liberalitate vincit.*

Gregorius Eliæ presbytero et abbati Isauriæ.

Dulcissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, in quibus mihi satisfecistis, ut contristari non debeam quod secundum meum desiderium ad beati Petri apostolorum principis limina non venistis. Et ego quidem omnino vos videre volui; sed si molestia corporis [a] aut ætatis impedimento fuit, hoc mihi sufficit, ut ubicunque tua sanctitas fuerit, pro me sollicite oret, quia etsi locis corpore dividimur, charitate semper indisjuncti sumus. Evangelia autem sicut mandastis transmisimus. Filium vero vestrum Epiphanium mandastis (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 122), ut ad sacrum ordinem provehere deberemus, vobisque retransmittere. Sed in uno vos audivimus, in altero autem minime audire potuimus. Diaconus quidem factus est; sed [b] quisquis semel in hac Ecclesia ordinem sacrum acceperit, egrediendi ex ea ulterius licentiam non habet. Si ergo vos videre non potui, hac ex re consolationem habeo, quia in filio vestro requiesco. Solidos autem vobis voluistis pro necessitatibus cellæ quinquaginta transmitti, quos multum esse æstimantes, ex eis nobis decem donastis, ut quadraginta mitteremus. Sed ne forsitan vel hoc grave esset, adhuc alios nobis ex eis estis dignati largiri. Sed quia vos valde [c] in continentia nostra benignos invenimus, eidem benignitati vice simili respondemus. Quinquaginta transmisimus, et ne for-

[b] Si cum eo æquis conditionibus pacisci velit, et damna injuste illata hinc inde resarciantur ex arbitrio judicum. GUSSANV.

[c] Corrupte ac contra Mss. fidem Editi, *si ratio judicantium.*

[d] Idem Excusi, inconsultis Mss., *pax fiat, atque Deo valent protegente firmari.*

EPIST. XXXVII [*Al.* 15, indict. 2]. — [a] Vatic. et Colb. vet., *Marini.*

[b] Vatic. et Colb. vet., *ex ejus voluntate secundum thermas Eriæ oratorium decessorem suum Andream.* In Collect. Pauli, *ex ejus voluntate secundum scripti seriem oratorium.*

[c] Vatic. D, *propter diligentiam disciplinæ.*

[d] In Colb. vet. subditur *die* 6 *mensis Junii, indict.* 13. In Collect. Pauli, *Data die quo supra*, hoc est 6 Junii, indict. 14.

EPIST. XXXVIII [*Al.* 30]. — [a] Excusi, *aut ætatis infirmitas obstitit aut impedimento fuit.* Glossema est quod abest a Mss.

[b] Usum cognosco, usus originem non invenio. Imo nec usum semper æque viguisse existimo, cum aliquos Romæ promotos alio destinatos videam. Scilicet non tam stricto ligantur nodo, quin dissolvi queat. Sanctus Paulinus epist. ad Severum 6, ni fallor, dicit se in sacerdotium Domini, non in locum fuisse dedicatum. Idem et aliis potuit contingere. GUSSANV.

[c] In libello Theodori proxime citato ad epist. 33, *continentia* pro subsidio ponitur: *Cyrilli continentia utebar.* Item in Pelagii epist. 15. Eodem sensu a Gregorio ipso usurpatum videsis lib. I, epist. 18 et 44; lib. III, epist. 28; lib. V, epist. 30. Hic vero *continentia* significat amorem, benevolentiam, favorem. Vide notas ad epist. 5 lib. I. In Vatic. D legitur *in continentia vestra.*

sitan minus essent, alios decem superaddidimus. Ne vero et hoc adhuc minus esset, alios duodecim jungi fecimus. In hoc autem cognoscimus charitatem vestram, quia de nobis ita præsumitis, sicut vos præsumere debetis. Sed per omnipotentem Dominum rogo, ut assiduas preces pro me facias, quatenus a peccatis quibus obligatus sum, et tribulationibus quibus premor, citius absolvar, et patriæ cœlestis gaudiis perfruar. Hoc autem quod pro me qualiter oratis in epistolis vestris **764** indicastis, cognoscite quia valde me relevavit. Sed jam post petitionem meam amplius facite, quam etiam me non petente fecistis. Præfatum vero dilectissimum filium meum Epiphanium diaconum, quia huic Ecclesiæ diaconatu interveniente ligavimus, sanctitatem tuam non debet contristare, quod sancto Petro apostolorum principi, quia per temetipsum corpore non vales, ei per filium tuum ipse deservias, et lucro cœlestis remunerationis perfruaris.

Sancta autem Trinitas te sua protectione custodiat, et in præsentis vitæ eremo a subsequentibus atque obviantibus hostibus tegat, ut et si qua sunt vestra præterita peccata relaxet, et ea quæ adhuc ante faciem veniunt a vobis manu suæ pietatis amoveat. Ipsa te ducat, et ipsa perducat, atque in æterno gaudio ipsa suscipiat. Det tibi ad electorum sortem pertingere, [d] et pro me peccatore, ut absolvi merear, orare. [e] Mense Junio, indictione 13.

## EPISTOLA XXXIX.

### AD ANASTASIUM EPISCOPUM.

*De ejus in Antiochenam sedem restitutione gratulatur, et suas Italiæque calamitates strictius narrat.*

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.

[a] *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14); quia magnus ille fluvius, qui quondam arentia Antiochiæ saxa reliquerat, tandem ad proprium alveum reversus, et subjectas juxta positas valles rigat, ut et unum tricesimum, et aliud sexagesimum, aliud vero centesimum fructum ferat. Jam nunc dubium non est multos in ejus vallibus animarum flores excrescere, eosque ad maturos usque fructus per linguæ vestræ fluenta pervenire. Unde omnipotenti Deo debitam laudem cordis atque oris vocibus ex omnibus medullis reddimus, et in vestra beatitudine non vobis tantummodo, sed omnibus qui vobis subjacent congaudemus. Suscepi vero epistolas dulcissimæ mihi atque suavissimæ sanctitatis vestræ, ipsum, ut ita dicam, laborem [b] sudantes. Et quidem scio quod post illa quietis culmina, in quibus secreta cœlestia cordis tangebas manu, grave valde sit exteriora tolerare. [c] Sed memento quia apostolicam sedem regis, et dolorem citius temperas, quoniam omnibus omnia factus es. [d] In libris Regum, sicut perfecta vestra sanctitas novit, quidam describitur qui utraque manu pro dextera utebatur (*I Paralip.* XXI). In qua re ego de dulcissimo atque sanctissimo dudum patrono domno meo **765** Anastasio dubius non sum, quia dum terrena opera ad cœlestem utilitatem pertrahit, in usum dextræ vertit sinistram, ut et cœlestis intentio opus suum videlicet dextra peragat, et cura temporalium dum ad justitiæ utilitatem ducitur, ad fortitudinem dextræ sinistra permutetur.

Et quidem hæc esse sine gravi labore et tædio nequaquam possunt. Sed recordemur labores præcedentium, et dura non erunt quæ toleramus. *Per multas* enim *tribulationes oportet nos introire in regnum Dei* (*Act.* XIV, 21). *Et supra modum gravati sumus, supra etiam virtutem, ita ut et nos tæderet etiam vivere. Sed et ipsi in nobis responsum mortis habuimus, ut non simus fidentes in nobis* (*II Cor.* I, 8, 9). Et tamen *non sunt condignæ passiones hujus temporis* [e] *ad supervenientem gloriam, quæ revelabitur in nobis* (*Rom.* VIII, 18). Quomodo igitur sine labore transire possumus æstum hujus sæculi, nos infirmæ oves, in quo graviter sudasse novimus [f] et arietes?

Quantas vero in hac terra tribulationes de Langobardorum gladiis, de iniquitatibus judicum, de insolentia atque importunitate causarum, de cura subjectorum, de molestia etiam corporis [g] patior, explere nec calamo nec lingua sufficio. De quibus et si qua breviter possum loqui, dubito, ne vestræ sanctissimæ charitati, dum de suis tribulationibus affligitur, etiam meas augeam. Sed omnipotens Deus, et suæ largitate pietatis sanctissimæ vestræ beatitudinis mentem omni consolatione repleat, et indignum me aliquando ab his quæ patior malis quiescere pro vestra intercessione concedat. [h] Amen. Gratia. Quæ videlicet

[d] In recent. Excusis, *et pro peccatis meis, ut;* secus quam legatur in Teller., Vatic., Norm., Corb., etc.

[e] Ita Colbert. vet. et Vatic.

EPIST. XXXIX [*Al.* 37]. — [a] Olim hoc evangelicum et angelicum canticum adhibebatur ad gratiarum actionem. Gregorius Turon., lib. II de Miraculis sancti Martini, narrat omnem populum, viso miraculo quodam cecinisse hymnum *Gloria in excelsis Deo*. Consule notam 1083 Menardi ad lib. Sacram.

[b] In Collect. Pauli, *suadentes*.

[c] Episcopos quoscunque vocatos fuisse apostolicos, eorumque sedem apostolicam, sciunt studiosi. Ne igitur actum agam, vide Filesacum, lib. de sacra episc. Auct. c. 9, § 15, ubi id variis testimoniis confirmat. Est tamen de Antiochena sede ratio specialis, quod in ea sanctus Petrus primum sederit. Sic infra sedes Alexandrina ex eo dicitur apostolica, quod sanctus Marcus Petri discipulus eam administraverit primus. GUSSANV.

[d] In Bec. legitur, *in lib. Judicum*. Et sane cap. 3, 15, laudatur Aod, qui utraque manu pro dextra utebatur. Si ad lib. I Paralip. sanctus Gregorius alludit, legendum, *quidam describuntur*.

[e] Collectio Pauli et Vatic. D, *ad superventuram gloriam*. Tres alii Vatic., Norm., etc., *ad futuram gloriam*.

[f] Duces gregis apostolos. Eadem voce sanctus Augustinus multis in locis designat episcopos, ut epist. 89, nunc 157, ad Hilarium; psal. CIII, in expos. 5; psal. XXVIII, LXV, LXXII. Et filios arietum Christianos, qui suis subsunt prælatis. GUSSANV.

[g] Male excusi, *quam patior;* qua additione sensus labefactatur.

[h] Hæc in genuinis sancti Ignatii epistolis non occurunt, sed tantum in spuriis, quarum antiquitas inde potest probari.

verba de scriptis vestris accepta idcirco in meis epistolis pono, ut de sancto Ignatio vestra beatitudo cognoscat, quia non solum vester est, sed etiam noster. Sicut enim magistrum ejus apostolorum principem habemus communem, ita quoque ejusdem principis discipulum nullus nostrum habeat privatum. Benedictionem autem vestram qua debuimus mente suscepimus, bene redolentem, bene sapientem. Et omnipotenti Deo gratias agimus, quia et odora sunt et sapora quæ agitis, quæ dicitis, quæ datis. De vita igitur vestra dicamus pariter, dicamus omnes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis.*

## EPISTOLA XL.

### AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*Conqueritur quod fatuus appellatus sit, quod de Ariulphi ad pacem animo plus aliis credatur quam sibi ; quod interim captiva ducatur Italia. Imperatorem, ut debitam sacerdotibus reverentiam impendat, multis hortatur. Quas accepit ipse enumerat plagas. Gregorium præfectum et Castorium magistrum militum excusat. Diversum fore ab imperatorio divinum judicium.*

Gregorius Mauricio Augusto.

In serenissimis jussionibus suis dominorum pietas, dum me de quibusdam redarguere studuit, parcendo mihi minime pepercit. Nam in eis urbane simplicitatis vocabulo me fatuum appellat. **766** In Scriptura etenim sacra cum in bona intelligentia ponitur simplicitas, vigilanter sæpe prudentiæ atque rectitudini sociatur. Unde etiam de beato Job scriptum est : *Erat vir simplex et rectus* (*Job.* I, 1). Et beatus Paulus apostolus admonet, dicens : *Estote simplices in malo, et prudentes in bono* (*Rom.* XVI, 19). Et per semetipsam admonet Veritas, dicens : *Estote prudentes sicut serpentes, et simplices sicut columbæ* (*Matth.* X, 16). Esse valde inutile indicans, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit. Ut ergo servos suos ad cuncta eruditos efficeret, esse eos et simplices sicut columbas, et prudentes ut serpentes voluit, quatenus in eis et serpentis astutia columbæ simplicitatem acueret, et columbæ simplicitas serpentis astutiam temperaret.

Ego igitur, qui in serenissimis dominorum jussionibus, ab Ariulphi astutia deceptus, non adjuncta prudentia simplex denuntior, constat procul dubio quia fatuus appellor, quod ita esse ego quoque ipse confiteor. Nam si hoc vestra pietas taceat, causæ clamant. Ego enim si fatuus non fuissem, ad ista toleranda quæ inter Langobardorum gladios hoc in loco patior minime venissem. In ea autem re quam de Ariulpho perhibui, quia toto corde [a] venire ad rempublicam paratus fuit, dum mihi non creditur, etiam mentitus esse reprehendor. Sed etsi sacerdos non sum, scio gravem esse hanc injuriam sacerdoti, ut veritati serviens, fallax credatur. Et dudum novi [b] quoniam Nordulpho plus est creditum quam mihi, Leoni amplius quam mihi, et nunc eis qui esse ad medium videntur plus quam meis assertionibus credulitas impenditur.

Et quidem si terræ meæ captivitas per quotidiana momenta non excresceret, de despectione mea atque irrisione lætus tacerem. Sed et hoc me vehementer affligit, quia ego unde crimen falsitatis tolero, inde Italia quotidie ducitur sub Langobardorum jugo captiva. Dumque meis suggestionibus in nullo creditur, vires hostium immaniter excrescunt. Hoc tamen piissimo domino suggero, ut de me mala omnia quælibet existimet, de utilitate vero reipublicæ et causa ereptionis Italiæ non quibuslibet facile pias aures præbeat, sed plus rebus quam verbis credat. Sacerdotibus autem (*Caus.* 11, *q.* 1, *c.* 41) non ex terrena potestate dominus noster citius indignetur, sed excellenti consideratione propter eum cujus servi sunt, eis ita dominetur, ut etiam debitam reverentiam impendat. Nam in divinis eloquiis aliquando sacerdotes dii, aliquando angeli vocantur. Nam et per Moysen de eo qui ad juramentum deducendus est, dicitur : *Applica illum* [c] *ad deos* (*Exod.* XXII, 8), id est ad sacerdotes. Et rursum scriptum est : *Diis non detrahes* (*Ibid.* 28), scilicet sacerdotibus. Et propheta ait : *Labia sacerdotis custodient scientiam, et legem requirent ex ore ejus, quia angelus Domini exercituum est* (*Malach.* II, 7). Quid ergo mirum si illos vestra pietas dignetur honorare, quibus in suo eloquio honorem tribuens, eos aut angelos, aut deos ipse etiam appellat Deus ?

**767** Ecclesiastica quoque testatur historia, quia cum piæ memoriæ Constantino principi scripto oblatæ accusationes contra epi-copos fuissent, libellos quidem accusationis accepit, sed eosdem qui accusati fuerant episcopos convocans, in eorum conspectu libellos quos acceperat incendit, dicens : *Vos dii estis, a vero Deo constituti. Ite, et inter vos causas vestras* [d] *disponite, quia dignum non est ut nos judicemus deos.* In qua tamen sententia, pie domine, sibi magis ex humilitate quam illis aliquid præstitit ex reverentia impensa. Ante eum [e] quippe pagani in republica principes fuerunt, qui verum Deum nescientes, deos ligneos et lapideos colebant, et tamen eorum sacerdotibus honorem maximum tribuebant. Quid ergo mirum si Christianus imperator veri Dei sacerdotes dignetur honorare, dum pagani, ut prædiximus, principes honorem impendere sacerdotibus noverunt qui diis ligneis et lapideis serviebant?

Hæc ergo pietati dominorum non pro me, sed pro cunctis sacerdotibus suggero. Ego enim homo peccat *judices.*

Epist. XL [*Al.* 31]. — [a] Hoc est, convenire cum republica, et fœdus inire.

[b] Ita Vatic., Anglic., Norm., Corb. In Editis, quibus favet Cod. Reg., *quoniam Ariulfo.* In Regio tamen legitur *Arnulfo.* Ariulfus dux erat Spoleti, ex Paulo Diac., lib. IV Histor. Langob., c. 17.

[c] Hebraice, אלהים quod etiam aliquando signifi-

[d] Editi, *discutite.* De hoc præclaro Constantini magni facinore lege Baronium ad an. 325, n. 42 et sequentibus ; et ex nuperrimis scriptoribus, Tillemontium in Historia imperatorum, in Constantino Magno. Vide Sozomenum, lib. I, c. 16.

[e] Norm., *quique.* Tres. Vatic., *quoque.*

cator sum. Et quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis ferior. Et credo quia eumdem omnipotentem Dominum tanto vobis amplius placatis, quanto me ei male servientem districtius affligitis. Multas enim jam plagas acceperam, et supervenientibus dominorum jussionibus, inveni consolationes quas non sperabam. Si enim possum, has celeriter plagas enumero.

Primum quod mihi pax subducta est, quam cum Langobardis in Tuscia positis sine ullo reipublicæ dispendio feceram. Deinde corrupta pace, de Romana civitate milites ablati sunt. Et quidem alii ab hostibus occisi, alii vero Narniis et [f] Perusii positi ; et ut Perusium teneretur, Roma relicta est. Post hoc plaga gravior fuit [g] adventus Agilulphi, ita ut oculis meis cernerem Romanos more canum in collis funibus ligatos, qui ad Franciam ducebantur venales. Et quia nos qui intra civitatem fuimus, Deo protegente, manus ejus evasimus, quæsitum est unde culpabiles esse videremur, videlicet cur frumenta defuerint, quæ in hac urbe diu multa servari nullatenus possunt, sicut in alia suggestione plenius indicavi. Et quidem de memetipso in nullo turbatus sum, quia teste conscientia fateor, adversa quælibet pati paratus sum, dummodo hæc omnia cum salute duntaxat meæ animæ evadam. Sed de gloriosis viris Gregorio præfecto et Castorio magistro militum non mediocriter sum afflictus, qui et omnia quæ potuerunt fieri nullo modo facere neglexerunt, et labores vigiliarum et custodiæ civitatis in eadem obsessione vehementissimos pertulerunt, et post hæc omnia gravi dominorum indignatione percussi sunt. De quibus patenter **768** intelligo quia eos non sua acta, sed mea persona gravat. Cum qua, quia pariter in tribulatione laboraverant, post laborem pariter tribulantur.

Quod autem dominorum pietas illud mihi pavendum et terribile omnipotentis Dei judicium intentat, rogo per eumdem omnipotentem Dominum ne hoc ulterius quidem faciat. Nam adhuc nescimus quis ibi qualis sit. Et Paulus egregius prædicator ait : *Nolite judicare ante tempus, donec veniat Dominus, qui et illuminabit abscondita tenebrarum, et manifestabit consilia cordium* (*I Cor.* IV, 5). Hoc tamen breviter dico, quoniam indignus et peccator plus de venientis Jesu misericordia quam de vestræ pietatis justitia præsumo. Et sunt multa quæ de judicio illius homines ignorant, quia fortasse quæ vos laudatis, ille reprehendet ; et quæ vos reprehenditis, ille laudabit. Inter hæc ergo omnia incerta, ad solas lacrymas redeo, petens ut idem omnipotens Deus piissimum Dominum nostrum et sua hic manu regat, et in illo terribili judicio liberum ab omnibus delictis inveniat. Et me ita placere, si necesse est, hominibus faciat, ut æternam ejus gratiam non offendam.

## EPISTOLA XLI.

### AD CONSTANTINAM AUGUSTAM.

*Imperatori suggerat Corsos ac Siculos inique ac nimium gravari. Etsi minus in Italiæ expensas haberetur pecuniæ, compescendos tamen oppressorum gemitus.*

Gregorius Constantinæ Augustæ.

Cum [a] serenissimam Dominam sciam de cœlesti patria atque animæ suæ vita cogitare, culpam me committere vehementer existimo, si ea quæ pro timore omnipotentis Domini sunt suggerenda siluero. (*Grat.* 12, *q.* 1, *c.* 8.)

Dum in Sardinia insula multos esse gentilium cognovissem, eosque adhuc prave gentilitatis more idolorum sacrificiis deservire, et ejusdem insulæ sacerdotes ad prædicandum Redemptorem nostrum torpentes existere, unum illuc ex Italiæ episcopis misi, qui multos gentilium ad fidem Domino cooperante perduxit. [b] Sed rem mihi sacrilegam nuntiavit, quia hi qui in ea idolis immolant judici præmium persolvunt, ut eis hoc facere liceat. Quorum dum quidam baptizati essent, et immolare jam idolis [c] desivissent, adhuc ab eodem insulæ judice, etiam post baptismum, [d] præmium illud exigitur quod dare prius pro idolorum immolatione consueverant. Quem cum prædictus episcopus increparet, [e] tantum se suffragium promisisse respondit, ut nisi de causis etiam talibus impleri non possit. Corsica vero insula tanta nimietate exigentium et gravamine premitur exactionum, ut ipsi qui in illa sunt eadem quæ exiguntur complere vix filios suos vendendo **769** sufficiant. Unde fit ut, derelicta pia republica, possessores ejusdem insulæ ad nefandissimam Langobardorum gentem cogantur effugere. Quid enim gravius, quid crudelius a barbaris pati possunt quam ut constricti atque compressi suos vendere filios compellantur ? In Sicilia autem insula [f] Stephanus quidam, marinarum partium chartularius, tanta præjudicia tan-

[f] In tribus Vatic., *Perusiæ* ; et infra, *Perusia*. In Norm., Corb., et al., *Perusio positi*.

[g] Hæc fusius referuntur hom. ultima in Ezech. Vide Paulum Diac., lib. IV. Hist., c. 8.

EPIST. XLI [*Al.* 53]. — [a] Gratianus legit, *cum devotissimam*.

[b] Excusi, *sed quidam*, invitis Mss. Et sane melius legitur, *sed rem mihi sacrilegam nuntiavit*, scilicet episcopus ad prædicandum in Sardiniam profectus.

[c] Tres Vatic., Reg. et Norm., *deseruissent*.

[d] Norm., *præmium illud exiguntur*.

[e] Suffragium hic usurpatur pro pecunia, quæ suffragatoribus aulicis datur promittiturve honoris adipiscendi causa. Quo etiam nomine erat actio, nec ob id locus erat legi Juliæ de ambitu, imo et principes ipsi suffragii titulo pecunias accipiebant sive suffragia despotica. Ita Cujacius in expositione Novellæ 8, *de præsidibus*, qua Justinianus omne suffragiorum genus sustulit. Vide præfationem illius novellæ, et c. 1 et 7, ubi reperies multa contra officiorum venalitatem. Vide etiam Suetonium, in Vespasiano, c. 15 et 23. GUSSANV.

[f] Ipse est haud dubie cujus meminit epist. 3 libri III, indict. 11. Chartularius marinarum partium is dicitur qui pecunias publicas istarum partium tractabat et administrabat : Gallis *Receveurs des droits, de contributions, d'impositions*. Vide Cujacium ad leg. 5 Cod., tit. de canon. largit. tit., et Turnebum, lib. Adversar. VII, c. 2, ubi multa de chartulariis. *Partim ex* GUSSANV.

tasque oppressiones operari dicitur, invadendo loca singulorum, atque sine dictione causarum per possessiones ac domos [g] titulos ponendo, ut si velim acta ejus singula quæ ad me pervenerunt dicere, magno volumine hæc explere non possim.

Quæ omnia serenissima domina solerter aspiciat, et oppressorum gemitus compescat. Hæc enim ego ad piissimas aures vestras pervenisse non suspicor. Nam si pervenire potuissent, nunc usque minime permansissent. Quæ piissimo domino apto sunt tempore suggerenda, ut ab anima sua, ab imperio atque a filiis suis [h] tale hoc tantumque peccati pondus amoveat. Qui scio quoniam dicturus est quia nobis in Italiæ expensis transmittitur quidquid de prædictis insulis aggregatur. Sed ego suggero ad hoc ut etsi minus expensæ in Italia tribuantur, a suo tamen imperio oppressorum lacrymas compescat. Nam et idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admistione colliguntur. Præcipiant ergo serenissimi domini nil cum peccato colligi. Et scio quia etsi parum reipublicæ attribuitur utilitatibus, ex eo multum respublica [i] adjuvatur. Quam etsi fortasse contingat expensis minoribus minus adjuvari, melius est tamen temporaliter nos non vivere, quam vos ad æternam vitam obstaculum aliquod invenire. Quæ enim mentes, qualia viscera parentum esse possunt, perpendite, quando filios suos distrahunt ne torqueantur. Qualiter autem miserendum sit filiis aliorum, hoc bene sciunt qui habent proprios. Unde mihi hæc breviter suggessisse sufficiat, ne si ea quæ in his partibus aguntur pietas vestra non cognosceret, me apud districtum judicem silentii mei culpa multaret.

## EPISTOLA XLII.

### AD SEBASTIANUM EPISCOPUM.

*Ad amorem cœlestium se hujus vitæ doloribus impelli. Quos patitur recenset. Sebastianum, quod oblatæ ab Anastasio Ecclesiæ regimen suscipere noluerit, laudat. Si ad hoc unquam consentire decreverit, petit ut in amore sibi alium non præponat.*

Gregorius Sebastiano [a] episcopo Sirmiensi.

Dulcissima atque suavissima fraternitatis tuæ scripta suscepi. Quæ mihi, quamvis nunquam desit a corde, sanctitatem tamen vestram, quasi corporaliter præsentem fecerunt. Sed omnipotentem Dominum rogo, ut sua vos dextera protegat, [b] vobisque et hic tranquillam vitam, et quando ei placuerit, præmia æterna concedat. **770** Sed peto, si illo me amore diligitis, quo præsentem semper amastis, ut pro me enixius exoretis, quatenus omnipotens Deus a peccatorum meorum nexibus me citius solvat, et A corruptionis hujus pondere exutum suo conspectui liberum existere faciat. Quamvis enim inæstimabilis sit cœlestis patriæ dulcedo, quæ trahat, multi tamen in hac vita dolores sunt qui ad amorem cœlestium quotidie impellant. Qui mihi in hoc ipso solum vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt.

Quæ enim, frater sanctissime, de amici vestri domni Romani persona in hac terra patimur, loqui minime valemus. Breviter tamen dico, quia ejus in nos malitia gladios Langobardorum vicit; ita ut benigniores videantur hostes, qui nos interimunt, quam reipublicæ judices, qui nos malitia sua, [c] rapinis atque fallaciis in cogitatione consumunt. Et uno tempore curam episcoporum atque clericorum, B monasteriorum quoque et populi gerere, contra hostium insidias sollicitum vigilare, contra ducum fallacias atque malitias suspectum semper existere, cujus laboris, cujus doloris sit, vestra fraternitas tanto verius penset, quanto me qui hæc patior purius amat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 49.)

Præterea debitum salutationis alloquium solvens, indico quod ad me Bonifacio defensore referente pervenerit, quia vir sanctissimus frater noster domnus [d] Anastasius patriarcha in una suarum civitatum regendam vobis Ecclesiam committere voluit, et consentire noluistis. Quem sensum, ac sapientiam vestram valde ego libenter amplexus sum, laudavi vehementer, et vos felices, me infelicem esse deputavi, qui hoc tali tempore regimen Ecclesiæ C suscipere consensi. Si tamen animus vester fortasse fratribus condescendendo, et misericordiæ operibus intentus ad hoc unquam consentire decreverit, peto ut amori meo alium minime præponatis. Sunt enim in Sicilia insula Ecclesiæ vacantes episcopis, et si vobis placet auctore Deo Ecclesiam regere, juxta beati Petri apostoli limina, cum ejus adjutorio melius potestis. Sin vero non placet, feliciter state, ut ista in vobis intentio permaneat, et pro nobis infelicibus exorate. Omnipotens autem Deus in quocunque vos esse loco voluerit, sua protectione custodiat, et ad cœlestia vos dona perducat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 13.)

## EPISTOLA XLIII.

### AD EULOGIUM ET ANASTASIUM EPISCOPOS.

D *Tum Pelagii decessoris sui, tum suas ad Joannem, titulum universalis episcopi sibi arrogantem, epistolas mittit. Hortatur enixe ut communi consilio atque uno spiritu illius superbiam insequantur.*

Gregorius [a] Eulogio episcopo Alexandrino, et Anastasio episcopo Antiocheno.

[g] De titulis, supra, lib. I, epist. olim 63, nunc 65.

[h] Excusi, *tale hoc tantumque facinus peccatique pondus amoveat. Qui scio.*

[i] In vulgatis, *adjuvatur. Quod etsi*, etc. Omnes Vatic., Norm., Collectio Pauli, etc., habent *Quam*, et refertur ad *rempublicam*.

Epist. XLII [*Al.* 35]. — [a] In Excusis, *episcopo Rhisiniensi*. In Collect. Pauli et in Vatic. D. *episcopo Rimiensi*. Quem exhibemus titulum suppeditarunt nobis tres alii Vatic., Norm. omnes, Reg., Colbert., Corb., etc. Ita etiam legitur apud Joan. Diac., lib. III, capp. 43 et 49, tam in Mss. quam in Editis.

[b] Vulgati, *nobisque*; non ex Mss.

[c] Vatic. D, *rapinis, fallaciis, atque flagitiis.*

[d] Episcopo Rhiziniensi cum Anastasio arctam necessitudinem fuisse apparet ex ep. 27, nunc 28, lib. I, cum Anastasius sede pulsus erat. Gussanv.

Epist. XLIII [*Al.* 36]. — [a] Fuit quadragesimus

Cum prædicator egregius dicat : *Quandiu quidem sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo* (*Rom.* XI, 13). Qui rursus alias dicit : *Facti* **771** *sumus ut parvuli in medio vestrum* (*I Thess.* II, 7), exemplum procul dubio nobis sequentibus ostendit, ut et humilitatem teneamus in mente, et tamen ordinis nostri dignitatem servemus in honore, quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba. Ante hos siquidem annos [b] octo, sanctæ memoriæ decessoris mei Pelagii tempore, frater et coepiscopus noster Joannes in Constantinopolitana urbe ex causa alia occasionem quærens synodum fecit, in qua se universalem appellare conatus est. Quod mox idem decessor meus ut agnovit, directis litteris ex auctoritate sancti Petri apostoli ejusdem synodi acta cassavit. Quarum videlicet epistolarum sanctitati vestræ exemplaria studui destinare. Diaconum vero qui juxta morem pro responsis Ecclesiæ faciendis piissimorum dominorum vestigiis adhærebat, cum præfato consacerdote nostro missarum solemnia celebrare prohibuit. Cujus ego quoque sententiam sequens, similia prædicto consacerdoti nostro scripta transmisi, quorum exemplaria vestræ beatitudini censui transmittenda, hoc præcipue intendens, ut hac de re, qua ex [c] nova superbia tota universalis Ecclesiæ viscera perturbantur, prius sæpe fati fratris nostri animum modesta intentione pulsemus. Qui si nequaquam a suæ elationis rigore voluerit inclinari, tunc quid fieri debeat, cum omnipotentis Dei solatio subtilius pertractetur.

Sicut enim veneranda mihi vestra sanctitas novit, per sanctam Chalcedonensem synodum pontifici sedis apostolicæ, cui Deo disponente deservio, hoc universitatis nomen oblatum est. Sed nullus unquam decessorum meorum hoc tam profano vocabulo uti consensit, quia videlicet si unus patriarcha universalis dicitur, patriarcharum nomen cæteris derogatur. Sed absit hoc, absit a Christiani mente id sibi velle quempiam arripere, unde fratrum suorum honorem imminuere ex quantulacunque parte videatur. Cum ergo nos hunc honorem nolumus oblatum suscipere, pensate quam ignominiosum sit hunc sibi quempiam violenter usurpare voluisse.

Propterea sanctitas vestra in suis epistolis neminem unquam universalem nominet, ne sibi debitum detrahat, cum alteri honorem offert indebitum. Nec A hac in re de serenissimis dominis animum vestrum mordeat sinistra suspicio, quia omnipotentem Dominum metuit, et contra statuta evangelica, contra sacratissimos canones agere aliquid nullo modo consentit. Ego vero quamvis a vobis per longa terrarum atque maris intervalla disjunctus sim, sum tamen omnino vobis corde conjunctus. Idque de vestra beatitudine erga me modis omnibus confido, quia cum me vicissim diligitis, a me non longe estis. [d] Unde magis gratias referimus grano illi sinapis (*Matth.* XIII, 31, 32), quia ex **772** modici despicabilisque seminis specie ita est, ramis ex eadem radice surgentibus atque sese distendentibus usquequaque diffusus, ut in eis volatilia cœli cuncta nidificent. Gratiaque sit fermento illi, [e] quod tribus farinæ satis totius humani generis massam in unitate B conspersit (*Matth.* XIII, 33). Atque parvo lapidi, qui abscissus de monte sine manibus, occupavit universam faciem orbis terræ (*Dan.* II, 35). Qui ad hoc se usquequaque distendit, [f] ut ex humano genere in unitatem redacto, totius corpus perficeretur Ecclesiæ, atque ita ad totius [g] compaginis pertineret commodum membrorum partialis ista distinctio.

Unde nos quoque a vobis non longe sumus, quia in illo qui ubique est unum sumus. Agamus ergo ei gratias qui solutis inimicitiis, in carne sua fecit ut in omni orbe terrarum unus esset grex, et unum ovile sub se uno pastore, memores semper quid nos prædicator veritatis admoneat, dicens : *Solliciti servate unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* VI, C 3). Et : *Pacem sectamini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII, 14). Qui aliis quoque discipulis dicit : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII, 18). Vidit enim pacem bonos cum malis habere non posse ; et ideirco, sicut nostis, præmisit, *Si fieri potest.*

Sed quia pax nisi in duabus partibus firmari non valet, cum hanc mali fugiunt, boni tenere medullitus debent. Unde et mire dicitur, *Quod ex vobis est*, ut videlicet in nobis maneat, etiam cum a pravorum hominum mente repellitur. Quam videlicet pacem tunc veraciter tenemus, cum superborum culpas charitate simul et justitia insistente prosequimur, cum eos diligimus et eorum vitia odio habemus. D Opus quippe Dei homo est, sed opus hominis vitium. Nos ergo discernamus quid Deus, quid item homo

septimus episcopus Alexandrinus, vir insignis pietatis et scientiæ. De eo Joan. Moschus, Limonarii c. 146 et 147, Evagrius, lib. v, c. 16. Photius, in Biblioth., cod. 208, 225, 226, 227, 230, 280, ejus scriptorum mentionem facit. GUSSANV.

[b] Epistola Pelagii II, de qua paulo post sanctus doctor, data legitur mense Martio, indict. 5, a qua usque ad indict. 13 octo numerantur anni.

[c] Novam non fuisse contendit Gussanvillæus. In concilio Constantinopolitano, *inquit*, sub Menna, etc., an. 536, idem titulus reperitur centies, quem Binius vult irrepsisse : *Nisi dicamus*, inquit, *Constantinopolitanam habito respectu ad subjectos sibi in Oriente episcopos ac sacerdotes universalem appellari.* Vide titulum novell. 42, quem Binius indicat, ejusdemque collectoris notam, act. 3 conc. Chalced., ubi contendit repugnante multis in locis sancto Gregorio hanc universalis appellationem a summis pontificibus non semel usurpatam, ut a sancto Leone epist. 54, nunc 78, quod falsum est : se quidem dicit episcopum Romanum et universalis Ecclesiæ, ut hic sanctus Gregorius vocat Eulogium et Anastasium universæ Ecclesiæ patriarchas. GUSSANV.

[d] Ita unanimiter Mss., at Excusi, *et magis.*

[e] Idem vulgati, *quo tribus*, etc.

[f] Quatuor Vatic., *ut ex omni humano genere in unitatem redactum totius*, etc.

[g] Quatuor Vatic. et Corb., *compagis.*

fecerit, neque propter errorem odio habeamus hominem, neque propter hominem diligamus errorem.

Unita ergo mente insequamur in homine malum superbiæ, ut ab hoste suo, videlicet errore, prius ipse homo liberetur. Præstabit vires omnipotens Redemptor noster charitati atque justitiæ, præstabit nobis longe a nobis positis unitatem spiritus sui, ipse cujus artificio quasi in arcæ modum quatuor mundi constructa lateribus, atque imputribilium lignorum compage, et bitumine charitatis astricta, nullius adversitate spiritus, nullius venientis extrinsecus tumore fluctus perturbatur Ecclesia.

Sed quemadmodum illius gubernante gratia petendum est ut nulla nos superveniens exterius unda conturbet, ita ex totis orandum est visceribus, fratres charissimi, ut suæ providentiæ dextera cumulum sentinæ in nobis interioris exhauriat. Adversarius quippe diabolus qui contra **773** humiles sæviens, sicut leo rugiens circuit quærens quem devoret (*I Petr.* v, 8), non jam, ut cernimus, caulas circuit, sed ita valide in quibusdam Ecclesiæ necessariis membris dentes figit, ut nulli sit dubium quia nisi unanimiter, favente Domino, cunctorum provida pastorum turba concurrat, omne, quod absit, citius ovile dilaniet. Perpendite, fratres charissimi, [h] quis e vicino subsequitur, cujus et in sacerdotibus erumpunt tam perversa primordia. Quia enim juxta est ille de quo scriptum est : *Ipse est rex super universos filios superbiæ* (*Job*, XLI, 25); quod non sine gravi dolore dicere compellor, frater et coepiscopus noster Joannes mandata dominica, apostolica præcepta, regulas Patrum despiciens, cum per elationem præcurrere conatur in nomine.

Vestræ autem beatitudini indicet omnipotens Deus quam gravi considerationis hujus gemitu torqueor, quod ille quondam mihi modestissimus, ille omnibus dilectus, ille qui in eleemosynis, orationibus, atque jejuniis videbatur occupatus, ex eo in quo sedebat cinere, ex ea [i] quam prædicabat humilitate, jactantiam sumpsit, ita ut universa sibi tentet ascribere, et omnia quæ [k] soli uni capiti cohærent, videlicet Christo, per elationem pompatici sermonis ejusdem Christi sibi studeat membra subjugare. Nec mirum, quod ille tentator, qui initium omnis peccati scit esse superbiam, [l] et tunc ea in primo homine ante omnia usus est, et nunc eam quibusdam hominibus ponit in fine virtutum, ut qui aliquatenus bonis vitæ studiis ejus videbantur crudelissimas manus effugere, eis in ipsa meta boni operis, et in ipsa quodammodo apponat perfectionis conclusione tendiculum.

Unde magnopere orandum est, et omnipotens Deus assiduis precibus implorandus, ut hunc a mente illius avertat errorem, hoc ab unitate atque humilitate Ecclesiæ malum superbiæ et confusionis amoveat. Et favente Domino omnibus viribus concurrendum atque providendum, ne in unius veneno sermonis viventia in Christi corpore membra moriantur. Si enim hoc dici licenter permittitur, honor patriarcharum omnium negatur. Et cum fortasse is in errore perit, qui universalis dicitur, nullus jam episcopus remansisse in statu veritatis invenitur.

[m] Oportet ergo ut constanter ac sine præjudicio servetis, sicut accepistis, Ecclesias, et nihil sibi in vobis hæc tentatio diabolicæ usurpationis ascribat. State fortes, state securi : scripta cum universalis nominis falsitate nec dare unquam, nec suscipere præsumatis. Omnes episcopos curæ vestræ subjectos ab hujus elationis inquinatione prohibete, ut universa vos Ecclesia patriarchas, non solum in bonis operibus, sed etiam in veritatis auctoritate cognoscat. Si qua autem forsan adversa subsequuntur, unanimiter persistentes, etiam moriendo debemus ostendere, **774** [n] quia in damno generalitatis nostrum specialiter aliquid non amamus. Dicamus cum Paulo : *Mihi vivere Christus est, et mori lucrum* (*Philip.* I, 21). Audiamus quod primus omnium pastorum dicit : *Si quid patimini propter justitiam, beati eritis* (*I Petr.* III, 14). Mihi enim credite, quia honorem, quem pro prædicanda veritate suscepimus, si necessitatis causa exigat, securius pro eadem veritate relinquimus, quam tenemus. Pro me autem, sicut vestram charissimam beatitudinem decet, orate, ut hoc quod vobis loqui audeo, operibus ostendam.

## EPISTOLA XLIV.

AD LEONTIUM EPISCOPUM.

*De visitatione Ariminensi melius procuranda.*

Gregorius [a] Leontio episcopo, visitatori Ariminensis Ecclesiæ.

Clero Ariminensis Ecclesiæ (*Grat.* 18, *q.* 2, *c.* 6), cujus visitator es, conquerente comperimus [b] quod remotis omnibus, fraternitas tua hominibus suis patrimonii ejus gubernationem cæterasque utilitates commiserit peragendas. Quod si ita est, querelam ejusdem cleri ineptam esse non credimus. Ea de re his te hortamur affatibus, ut omnia quæ ad suprascriptam Ecclesiam pertinent, per proprios ejus homi-

[h] Excusi, *quid e vicino.*

[i] In Vulgatis, *prætendebat.*

[k] Caput essentiale intelligit, a quo omnis gratia in singula corporis membra defluit. Est tamen ipse summus pontifex alio modo caput totius Ecclesiæ, ut minister primarius, et unitatis ecclesiasticæ centrum visibile, cui omnes conjungi et cohærere debent tanquam capiti. De Christo Ecclesiæ capite, epist. 38, nunc 18. GUSSANV.

[l] Vatic. D : *Et tunc eam primo homini suadere ante omnia ausus est, et nunc eam quibusdam hominibus in fine virtutum intendere. Et qui.*

[m] Ita cum Vatic. D, quinque Anglic., omnibus Norm., Corb. et Collect. Pauli, vet. Editi. In recent., quibus favent Reg. et quidam Vatic., *obtestor ergo.*

[n] Hic redimus adhuc ad veterum Ed. lectionem, Mss. omnium Vatic., Anglic., Norm., Reg., Collect. Pauli, etc., auctoritate firmatam. Recent. habent, *quia in damnando generalitatis nomine nostrum specialiter.* In hac Gregorii epistola, multa ex epist. 8 Pelagii II excerpta agnoscimus.

EPIST. XLIV [*Al.* 42]. — [a] Urbinati scilicet episcopo, ex epist. 24 lib. III, indict. 11. In Norm., Corb. et aliis Mss., legitur tantum *Leontio episcopo.*

[b] Excusi, *quod remotis omnibus clericis.*

nes, quos ipse prævideris, sive per diaconum latorem præsentium gubernari agique disponas, ut nulla eis adversum te justa murmurandi relinquatur occasio. Si vero quædam de eis infidelitatis est fortasse suspicio, cum eis quoque homines tuos in actione constitue, ut alterna erga se sollicitudine debeant esse custodes, rationes tibi modis omnibus posituri.

Quidquid vero de reditibus Ecclesiæ ipsius accesserit, quatuor juxta consuetudinem oportet fieri portiones : unam scilicet quæ clero præbenda sit, aliam quæ pauperibus. De reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus, unam sartis tectis profuturam, aliam pro sustentatione sua Castorio proprio episcopo dirigendam, reliquam tibimet retinendam. Si quis igitur in suprascriptæ Ecclesiæ clero dignus fuerit presbyter, vel diaconus, sive in gradu alio ordinari, liberam habebis ex nostra auctoritate eum promovendi licentiam.

In lucrandis ergo animabus invigila, circa cleri rectitudinem esto sollicitus. Utilitates Ecclesiæ, cujus visitationem geris, injuste perire vel deteriorari nulla subreptione permittas, ne, quod absit, et apud Deum perpetui labem periculi, et apud nos reatum culpæ possis incurrere.

Comperimus præterea [c] aliquot te annonas de publico consequi, et hac ex re verecundia comprimi, atque in causis Ecclesiæ, vel defensione pauperum, ut congruit, non esse efficacem. Propterea **775** abstinendum est ab hoc quod verecundiam incutit, et stipendiis quæ de Ecclesia consequeris debes esse contentus. Nam si aliter facere post nostram adhortationem volueris, aliam de te æstimationem habebimus. Quippe qui commissos tibi avaritiæ militare doces, quos sufficientibus stipendiis instituis non esse contentos.

## [a] EPISTOLA XLV.

### AD ANDREAM SCHOLASTICUM.

*Castorium chartularium commendat.*

Gregorius Andreæ scholastico.

Qualiter de gloriæ vestræ debeamus sinceritate præsumere, cognitæ devotionis qualitas, quam beato Petro apostolorum principi olim exhibuistis ostendit. Cujus licet causis mente vos adesse promptissima confidamus, non tamen ab re est si ea quæ sponte egistis nostra ex abundanti epistola deposcamus. Atque ideo salutantes, paternæ charitatis affectu petimus, ut quia latorem præsentium Castorium chartularium nostrum pro necessariis illic causis direximus, vestra eum ope in omnibus adjuvetis, atque illi bonitatis vestræ consilio, quocunque necesse fuerit, concurratis, quatenus fultus Christianitatis vestræ solatio, ad explenda quæ sibi injuncta sunt solers et idoneus possit inveniri. Sic etenim et vos quæ vestra sunt facitis, et nos pro vobis enixius orare compellitis. Omnipotens Deus gratiæ suæ vos tuitione præmuniat, et ita actus vestros in suo sicut desideratis propitius timore disponat, ut a malis omnibus hic exuat, et ad gaudia vos æterna perducat.

## EPISTOLA XLVI.

### AD BASILIUM.

*Laudat ejus zelum pro Ecclesiæ unitate. Ipsum excitat ne a procuranda schismaticorum reversione deterreatur.*

Gregorius [a] Basilio.

Multum cor nostrum vestræ magnitudini congaudet, quod sic vos studiosos in vestris actibus invenimus, ut vobis et apud homines gloriam, et apud omnipotentem Deum præmia mercedis [b] acquiratis. Inter alia igitur laudanda quæ agitis qualiter vos contra Istricorum schisma pro unitate Ecclesiæ amoris olim fervor accenderit, et multorum testificatione, et nostrorum modo plene relatione cognovimus. Unde Redemptoris nostri misericordiam exoramus, ut sua vobis in omnibus gratia suffragetur, et affectu vos implere tribuat, quod velle concessit. Quia ergo hac in re tanto commoda retributionis accrescunt, quanto et studium laboris augetur, [c] paterna vos dilectione salutantes hortamur, ut opportunitate occasionis inventa, efficaciam vestram exercere enixius debeatis, atque id modis quibus possibile fuerit, omni studio agere contendatis, quatenus prædicabile desiderium vestrum de reversione errantium adjuvante Domino compleatis. Præsentium vero portitorem Castorium chartularium nostrum, quem pro quibusdam illic causis **776** transmisimus, magnitudo vestra, ut bona sua multiplicet, suis in omnibus studeat solatiis adjuvare. Omnipotens Deus sua vos protectione cum filiis et omni domo vestra ab omni adversitate tueatur atque custodiat, vobisque et præsentis vitæ prosperitatem, et lætitiam futuræ concedat.

## EPISTOLA XLVII.

### AD MASTALONEM.

*Ipsius pro Ecclesiæ unitate zelum laudat. A procuranda schismaticorum reversione non deterreatur.*

Gregorius Mastaloni.

Responsalium nostrorum relatione comperimus quod pro amore unitatis Ecclesiæ tantus vos divini zeli ardor accenderit, ut quoscunque valueritis, non desinatis ad sinum matris Ecclesiæ revocare, atque, ut bonus fidelisque famulus lucrum quotidie de ac

[c] In vulgatis, *aliquid te annonæ, de publico*, hoc est de fisco. Vituperat Leontium, quod, propriis stipendiis non contentus, ex fisco annonam acciperet. Laudat Severus Sulpic. episcopos Aquitanos, Gallos, et Britannos, qui concilio Ariminensi interfuerunt, quod annonis et cellariis, hoc est hospitiis ab Augusto sibi oblatis uti noluerint, sed propriis sumptibus ali maluerint, tribus duntaxat exceptis, lib. II Hist. sacræ.

Epist. XLV [*Al.* 15, indict. 2]. — [a] Hæc epistola abest a Mss. Anglic. et a plerisque. Legitur in Sanctorino, in Remigiano 700 ann., alio a Rhemensi jam sæpe commemorato, et in unico ex Vaticanis.

Epist. XLVI [*Al.* 94, indict. 2]. — [a] In Vatic. A, *Basilio episcopo*, sed mendose, ut probat titulus *magnitudinis* Basilio datus. Præterea sanctus Gregorius in fine epistolæ meminit filiorum ejus, quod episcopo raro convenire potest.

[b] Vel *acquirant*, scilicet actus, ut legitur in tribus Vat.

[c] In iisdem, *paterna vos dulcedine*.

Epist. XLVII. *Al.* 95, indict. 2.

cepto dono tuo, Domino et Redemptori nostro cum summa mentis intentione facere non desistatis. Et quidem venientem ad nos, ut potuimus, ex corporalis visus ostensione didicimus; bonum vero quod ex divina inspiratione in mentis tuæ charitate manebat occultum desiderabilius nunc operis attestatione cognoscimus. Unde divinæ misericordiæ gratias ineffabili laude reddentes, hortamur dilectionem tuam, atque quibus valemus admonitionibus confortamus, ut quantum se acceptum talentum occultantis pœna perturbat, tantum lucrum facientium, atque per hoc de cœlestis regni perceptione lætantium, dominicæ vocis invitatio te desiderabiliter appetenda corroboret. Scire te namque, dilectissime Fili, convenit, quod fructus hujus quem apprehendisti studii retributionis suæ non careat fine. Et ideo præpedientium te nulla, vel si est, debet contrarietas perturbare, quia quanto ex difficultate causæ bonum perfici, Domino cooperante, valuerit, tanto tibi erit et gloriosior retributionis spes. Excellentior namque nascitur ex desperatione victoria quæcunque fuerit laboris nimii adepta sudoribus. Cognovimus etiam quod Theodosius filius noster, tui sequax, bonique cooperator studii, pariter tecum in sollicitudine lucrandarum animarum solerter invigilet. Cui omnipotentem Deum intercessione beati Petri apostolorum principis retributorem citius esse confidimus.

## EPISTOLA XLVIII.

AD ANDREAM SCHOLASTICUM.

*Exclusis ob culpas Donato, ob ignorantiam Joanne, Marinianum sibi probe notum invitum ordinatum esse, quem Andreæ commendat.*

Gregorius Andreæ Scholastico.

Excellentissimi viri domni Patricii voluntatem in persona Donati archidiaconi implere voluimus; sed quia valde periculosum est animæ temere cuiquam manum imponere, curæ nobis fuit vitam actusque ejus subtili investigatione discutere. Et quoniam multa inventa sunt, sicut eidem **777** domno patricio scripsimus, [a] quæ cum procul ab episcopatu removent, Dei judicium metuentes, in ordinando eo presbyterum [c] Psalmorum nescium præsumpsimus ordinare, quia hæc eum res minus sui profecto habere studium demonstrabat. His igitur remotis, cum ad eligendum de suis [d] a nobis partes urgerentur, et nullum se habere ad hoc officium faterentur idoneum, majorque nos una cum eis teneret afflictio, tandem venerabilem fratrem Marinianum presbyterum, quem diu mecum didicere in monasterio conversatum, communi concordantique voce atque consensu sæpius petiverunt. Cui refugienti diversis modis vix aliquando potuit suaderi ut eorum præberet petitioni consensum. Et quia bene nobis ejus vita est cognita, atque in lucrandis animabus illum novimus esse sollicitum, nullam in ordinatione ipsius moram attulimus. Gloria itaque vestra eum sicut decet suscipiat, novitatique ejus consolationis auxilium porrigat. Nam omnibus, sicut nostis, cujuslibet officii valde onerosa est novitas. Ego autem magnam confidentiam habeo quia omnipotens Deus, qui eum dignatus est suo gregi præponere, et ad interiora illum curanda exacuet, et ad exteriora gerenda gratiæ suæ pietate confortabit. Sed quia post longa quietis otia, ejus, ut prædiximus, novitas procul dubio perturbatur, peto, ut cum venerit tempestatum sæcularium procellas fugiens, semper apud vestram mentem portum quietis inveniat, et de vestræ bono charitatis hilarescat. Quantum vero vobis cum illo convenire valeat, citius cognoscetis, [e] quia ad episcopatum venit invitus.

## EPISTOLA XLIX.

AD LEANDRUM EPISCOPUM.

*Libros in expositionem beati Job, et librum Regulæ Pastoralis transmittit.*

Gregorius Leandro episcopo [a] Hispalensi.

Quanto ardore videre te sitiam, quia valde me diligis, in tui tabulis cordis legis. Sed quia longo terrarum spatio disjunctum te videre nequeo, unum quod mihi de te dictavit charitas feci, ut librum Regulæ Pastoralis, quem in episcopatus mei exordio scripsi, et libros quos in expositionem beati Job jamdudum me fecisse cognovisti, sanctitati tuæ

Epist. XLVIII [*Al.* 45]. — [a] Recent. Ed., *quæ eum pro culpa ab episcopatu removerent*, quod in nullis Mss. legimus, præterquam in Vatic. B.

[b] Ita Mss. Vatic., Norm., Corb., Rhem., etc., ubi Editi habent, *non præsumpsimus*.

[c] In concil. Nicæn. II, c. 2: *Decernimus quemlibet quidem qui ad episcopalem gradum est provehendus Psalterium omnino nosse*, etc. Legat et expendat studiosus canonem integrum, et ex eo judicet quæ sit mens generalis concilii de episcoporum scientia et doctrina. Refert de Gennadio Nicephorus, in Eccles. Hist. lib. XV, c. 23, nullum ab eo consecratum sacerdotem qui non prius Psalterium sedulo in ore habuisset. Vide epist. 6 lib. XII, nunc 7 lib. XIV, de Rustico diacono, qui ob ignorantiam Psalmorum ab episcopatu Anconitano repulsus est. Toletanum VIII, c. 8: *Decernitur ut nullum cujuscunque dignitatis ecclesiasticæ percipiant gradum, qui non totum Psalterium vel canticorum usualium, et hymnorum, sive baptizandi perfecte noverint supplementum.* In constitutionibus Riculfi, Suessionensis episcopi, an. 889, can. 5: *Monemus ut unusquisque vestrum Psalmos*, etc., *memoriter et veraciter ac correcte tenere studeat.* Sed et sanctus Hieronymus, epist. 4, ad Rusticum: *Discat Psalterium ad verbum*, etc. Et ep. 7, ad Lætam, de institutione filiæ: *Discat primo Psalterium*, etc. Cæterum Psalmos memoriter et sine libro cantandi mos diu viguit, et etiamnum ejus moris vestigia quibusdam in locis remanserunt, ut in Ecclesia Lugdunensi, Rothomagensi, etc. Taceo Carthusianos, et alios antiquiores ascetas, apud quos novitii primo conversionis anno Psalterium memoriter addiscere tenentur, quia eosdem memoriter in Ecclesia cantare consueverunt. Gussanv. Psalmorum elogia videsis apud Basilium, Ambrosium, Augustinum, etc.

[d] Excusi, *de suis a nobis partibus*.

[e] Qua ratione non libenter accedere debeant ad episcopatum etiam vocati, uberrime explicat sanctus Gregorius lib. de Reg. Pastorali, maxime parte I.

Epist. XLIX [*Al.* 46]. — [a] In Corb. et Norm. tantum legitur *episcopo*... In tribus Vatic. *episcopo Hispaniarum*. De eo jam diximus in notis ad epistolam libris Moralium præmissam, et alibi.

communi filio Probino presbytero veniente transmitterem. Et tuæ quidem caritati in eo opere tertiæ et quartæ partis **778** Codices non transmisi, [b] quia eos solummodo ex eisdem partibus Codices jam monasteriis dedi. Hos itaque sanctitas tua studiose percurrat, et peccata mea studiosius defleat, ne mihi culpæ gravioris sit quod quasi scire videor quod agere prætermitto. In hac vero Ecclesia quantis causarum tumultibus premor, ipsa charitati tuæ epistolæ meæ brevitas innotescit, quando ei parum loquor, quem magis omnibus diligo.

## EPISTOLA L.

AD JOANNEM ABBATEM.

*Ad monasterium sancti Andreæ proficiscatur, vitiosos coerciturus ac puniturus.*

Gregorius Joanni abbati [a] de Regio

Ea quæ ad correptionem religiosarum pertinent personarum nos præterire nec decet, nec convenit. Pervenit itaque ad nos in monasterio sancti Andreæ, quod juxta [b] Vulcanum est positum, multa perpetrari facinora. Atque ideo auctoritatis nostræ præceptione suffultum ad id te monasterium proficisci necesse est, et omnia quæ dicuntur subtili investigatione discutere. Et si ita, quod absit, inveneris, sic in illos regulariter vindicabis, ut digna eos coercitio a pravis et illicitis de cætero doceat actibus abstinere.

## EPISTOLA LI.

AD PETRUM ET PROVIDENTIUM EPISCOPOS.

*Scribit de fide eis satisfacturum se, promittitque Romam venientibus nullam molestiam illaturum.*

Gregorius Petro et [a] Providentio episcopis Istriæ.

Deus, qui lætatur in unitate fidelium, et revelat quærentibus veritatem, cordi vestro, dilectissimi fratres, aperiat quanto vos desiderio in gremio cupiam sanctæ universalis Ecclesiæ contineri, et in ejus manere unitate concordes. Quod fore non dubito, si, abjecto contentionis stimulo, satisfieri vobis veraciter de his quibus est dubietas intendatis. Remeantis autem Castorii notarii mei relatione edoctus sum fraternitatem vestram ad me habere desiderium veniendi, si promissum fuerit quia nullam molestiam sustinebit. Hoc ego cognoscens et opto, et succensus ardore charitatis invito, ut ad me veniendi debeatis laborem assumere, quatenus pariter conferentes, quæ vera et Redemptori nostro sunt placita, et communiter loquamur, et modis omnibus teneamus. **779** Ego vero, divinæ protectionis gratia suffragante, satisfacere vobis de quibus dubitatis paratus sum; et confido de omnipotentis Dei clementia quod ita vobis satisfactio mea interius inhærebit, ut nihil charitati vestræ de cætero possit ambiguum remanere. Nam illa quæ sanctissimæ quatuor synodi sapuerunt atque definierunt, sicuti prædecessor noster sanctissimus Leo papa, ita et nos sapimus, sequimur, ac tenemus, nec ab earum fide aliquo modo dissentimus. Sed quia plus persona præsens quam epistola satisfacit, hortor, dilectissimi fratres, ut ad me venire, sicut præfatus sum, debeatis, dummodo ratione percepta a concordia sanctæ universalis Ecclesiæ dissensio vos nulla dissociet.

Hoc tamen certa sit vestra charitas, quia vos et cum affectu quo decet suscipio, et cum gratia relaxabo. Nec aliquam vos vel quoscunque alios, qui pro hac ad me causa venire voluerint, afflictionem vel molestiam sustinere [b] promitto. Sed seu ad consentiendum mihi cor vestrum misericordia divina compunxerit, sive, quod absit, in ea vos durare dissensione contigerit, ad propria vos remeare quando volueritis, juxta promissionem meam sine læsione vel molestia relaxare curabimus, [c] Mense Augusto, indictione 13. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 37.)

## EPISTOLA LII.

AD JOANNEM ARCHIEPISCOPUM.

*Laudat Secundinum episcopum quod Anastasii causam recte discusserit ac finierit. Clericis qui ab Anastasii accusatione destiterant, Paulo quidem et Clematio, ignoscit, Euphemio vero atque Thomæ sacris ordinibus quos pro sceleris præmio perceperant in perpetuum interdicit. Singulis consueta stipendia vult erogari, et Paulo restitui quidquid in Ecclesia utilitatem expenderat.*

Gregorius Joanni [a] archiepiscopo Corinthiorum.

Æquitatem atque sollicitudinem Secundini fratris et coepiscopi nostri, quæ olim bene nobis est cognita, etiam [b] series indicata monstravit. In qua re valde placuit, lætosque nos reddidit, quia in causa Anastasii quondam episcopi, quam ei examinandam injunximus, vigilantiam suam et diligenter exercuit, et cognita crimina, ut justitia poscebat et oportuit, [c] judicavit. Sed in his omnibus gratias omnipotenti Deo referimus, qui, desistentibus quibusdam accusatoribus, cognitioni ejus veritatem, ne tantorum causa facinorum latere potuisset, ostendit. Quoniam vero in eadem sententia in qua suprascriptum Anastasium juste damnatum constat atque depositum sic quasdam suprascriptus frater et coepiscopus noster ultus personas est, ut nostro arbitrio reservaret, id-

[b] Ita restituimus ad Mss. Vatic., Norm., Corb., Rhem., etc., cum in Editis legatur : *Quia eos solummodo invenio, quos ex ejusdem partibus Codices, quos jam monasteriis dedi, excerpsi.* Quid intricatius et obscurius?

EPIST. L [*Al.* 48]. — [a] In multis et melioribus Codicibus omittitur *de Regio.*

[b] Fortasse intelligit Vulcani insulam Siciliæ adjacentem, et Liparæ proximam, quæ nunc *Vulcano* vulgo dicitur. De hac Maro, Æneid. VIII :

Vulcani domus et Vulcania nomine tellus.

EPIST. LI [*Al.* 44]. — [a] Sic appellatur hic episcopus in omnibus Vatic., Anglic., Norm., Teler., etc., non *Prudentius*, ut legitur in Excusis.

[b] Norm., Rhem. et nonnulli alii, *permitto*, consentiunt vet. Editi.

[c] Ita lectum in duobus Vatic., non autem in nostris veteribus Codicibus.

EPIST. LII [*Al.* 51]. — [a] In Vulgatis, *episcopo*. Obsequimur unanimi Mss. consensui.

[b] In Corb., Reg. et Norm., *series judicati monstravit*. Consentiunt vet. Editi. In recent. legitur, *series indicata scriptorum vestrorum monstravit*. Quæ lectio est trium Vatic., demptis vocibus, *scriptorum vestrorum*, quas nullis in Mss. invenimus.

[c] Excusi, *vindicavit*, invitis Mss.

circo quid de eis tenendum servandumque sit præsenti epistola signare perspeximus.

Paulum itaque diaconum (*Grat.* 2, *q.* 4, *c.* 6) latorem præsentium, quamvis culpa sua vehementer confundat atque redarguat, quod deceptus promissione, [d] ab accusatione **780** nuper depositi quondam episcopi sui destiterit, et cupiditatis studio silere contra animam suam potius quam prodere vera consenserit, tamen quia pios plus nos esse convenit quam districtos, hanc ei culpam ignoscimus, atque eum in ordine locoque suo recipiendum esse censemus. Nam ei a tempore prolatæ sententiæ afflictionem quam pertulit credimus ad vindictam hujus posse culpæ sufficere. Euphemium vero atque Thomam (*Grat. ibid.*), qui pro deserenda accusatione sacros ordines acceperunt, eisdem sacris privatos ordinibus esse atque ita sicuti sunt depositi volumus permanere, nec unquam eos sub qualibet excusationis specie sacros in ordines revocari decernimus. Nam nimis indignum, et contra ecclesiasticæ regulam disciplinæ est, ut honore, quem non ex meritis sed pro sceleris præmio perceperunt, fungantur. Quia tamen plus misericordiæ quam districtæ nos convenit operam dare justitiæ, eosdem Euphemium atque Thomam in ordine locoque tantummodo unde ad ordines sacros promoti fuerant volumus revocari, et cunctis diebus vitæ suæ eorumdem [e] locorum continentiam sicut consueverant ante percipiant. Clematium vero lectorem similiter benignitatis intuitu in ordinem locumque suum revocandum esse constituo. Quibus etiam omnibus, id est Paulo diacono, Euphemio, Thomæ, atque Clematio commoda sua, secundum locum et ordinem in quo quisque eorum est, sicut solitus erat accipere, a præsenti tertia decima indictione vestra fraternitas sine aliqua studeat imminutione præbere. Quia igitur suprascriptus Paulus diaconus multa se [f] pro utilitate Ecclesiæ vestræ memorat expendisse, et ut ea possit recipere fraternitatis vestræ solatio desiderat adjuvari, hortamur, ut, si ita est, omni ei possibilitate ad recipienda quæ dedit debeatis concurrere, atque vestris eum auxiliis adjuvare, quia nulla ratio patitur ut in his quæ pro utilitate generalitatis impendit aliquod sustineat injuste dispendium. Præterea tres libras auri, quas, imminente suprascripto fratre et coepiscopo nostro Secundino, eumdem Paulum diaconum pro utilitate vestræ dedisse constat Ecclesiæ, fraternitas vestra eas cessante dilatione restituat, ne, quod absit, non rationabiliter, sed sola eum gravare voluntate tantummodo videatur [g].

## EPISTOLA LIII.

### AD VIRGILIUM EPISCOPUM.

*Vices illi suas in regno Childeberti concedit. Monet ut simoniacam labem prohibeat, et ne ex laicis repente fiant episcopi. De pallii usu, et quatenus vices apostolicas obire debeat.*

Gregorius Virgilio episcopo Arelatensi.

O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem præsentia sibimetipsis exhibet per amorem, divisa unit, confusa ordinat, inæqualia **781** sociat, imperfecta consummat. Quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat, quia virtutes quidem cæteræ perfectionem generant, sed tamen eas charitas etiam ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. Hac itaque virtute, frater charissime, plenum te esse reperio, sicut mihi de te, et hi qui ex Gallicanis partibus veniunt, et epistolæ tuæ ad me directæ verba testantur.

Quod vero in eis, [b] juxta antiquum morem, usum pallii ac [c] vices sedis apostolicæ postulasti, absit ne aut transitoriæ potestatis culmen, aut exterioris cultus ornatum in vicibus nostris ac pallio quæsisse te

[d] De pœna tergiversantis, qui ab accusatione desistit, agunt jureconsulti, cum senatusconsultum Turpilianum exponunt. Vide Gregorium Turonensem, historiæ lib. v, cap. 21, de suspensione episcopi a communione, eo quod ab accusatione destitisset. Nos eam quæ inter canones de episcoporum accusationibus antinomia est indicamus. Nec laicis, nec inferioribus clericis licet accusare suos episcopos; iisdem eosdem licet accusare. Vide caus. 2, quæst. 7. Concilium chalcedonense solvit nodum can. 21 : Clericos sive laicos accusantes suos episcopos vel clericos passim et sine probatione, ad accusationem non recipi, nisi prius eorum discutiatur existimatio. Evidentius adhuc rem eamdem tractat concilium Constantin. I, can. 6, quem lector consulat. Unum addo : Si liceat accusare, ergo et monere et corripere delinquentem, urgente charitate, non malignante zelo. Scriptum est enim : *Nolite tangere Christos meos, et in prophetis meis nolite malignari.* Psal. CIV, vers. 15. GUSSANV.

[e] Stipiendium clericale, sportulam, demensum, quod moris erat dare clericis in eodem loco ministrantibus. Idipsum statim repetitur de Paulo diacono et Clematio aliis verbis. GUSSANV.

[f] Vatic. A, B, C, *pro utilitate provinciæ vestræ.* In hac epistola multa, Mss. morem gerendo, mutavimus, si aliorum Editorum ratio habeatur; de quibus, quod levia sint, non admonuimus.

[g] In Turon. S. Gat., et in vet. Ed. Paris. 1518, subjicitur, *mense Aug. indict.* 13. Et sane indict. decima tertia in epistolæ serie notatur.

EPIST. LIII [*Al.* 50]. — [a] Apud Gussanv., cui favent duo Teller., data die 6 Junii, indict. 13. Ponenda igitur esset ante epist. olim 43 et 44 ejusdem indict., datas mense Julio. At in Collectione Pauli diaconi manuscripta data est 12 Augusti indict. 13. Exstat integra inter epistolas Joannis VIII, estque 94 Rostagno Arelatensi. In duobus Vatic., totidem Teller. et Rhemensi inscribitur, *Virgil.*, etc., *in Gallias missa per Joan. presbyterum et Sabinianum diac.* Parum discrepant duo alii Vatic.

[b] Infra, lib. II, epist. 64. *Ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium Arelatensis episcopus accepit.* Erat autem archiepiscopus Virgilius jam indict. 9 suoque munere per aliquot annos functus sine pallio, ut liquet tum ex illius vita, tum ex epist. 47 lib. I. Nondum ergo inducta erat pallii necessitas, nondum ab illo exterioris cultus instrumento potestas ecclesiastica pendebat.

[c] De legationis hujus in Galliis initio vide Zosimi papæ epist. 5 et 11, ad Patroclum Arelat., necnon Hilari papæ octavam, nonam et decimam. Arelatensibus episcopis non adeo faverunt alii post Zosimum Romani pontifices Bonifacius II, Cœlestinus I, Leo I, donec Symmachus an. 514 Cæsario Arelat. usum pallii cum sedis apostolicæ vicariatu largitus est. Tum circa an. 545 idem concessit Auxanio primum, deinde Aureliano, Vigilius epist. 7 et 10; postea Pe-

suspicer. Sed quia cunctis liquet [d] unde in Galliarum regionibus fides sancta prodierit, cum priscam consuetudinem sedis apostolicæ fraternitas vestra repetit, quid aliud quam bona soboles ad sinum matris recurrit? Libenti ergo animo postulata concedimus, ne aut vobis quidquam de debito honore subtrahere, aut præcellentissimi filii nostri Childeberti regis petitionem contempsisse videamur. Sed jam nunc studio majori res indiget, ut cum honor crescit, etiam sollicitudo proficiat, et erga cæterorum custodiam vigilantia excrescat, vitæ quoque merita subjectis in exemplum veniant, et nunquam sua per suscepti honoris gratiam, sed lucra cœlestis patriæ vestra fraternitas exquirat. Nostis enim quid beatus apostolus gemens dicat: *Omnes enim quæ sua sunt quærunt, non quæ sunt Christi Jesu* (*Philip.* II, 21).

Quibusdam namque narrantibus (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 117), [e] agnovi quod in Galliarum vel Germaniæ partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio quid Redemptor noster per **782** semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI, 12). [f] Columbas enim vendere est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur. Quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum, Deo judice, cathedræ ceciderunt.

Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui pretio ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit. Et ubi est quod scriptum est: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8)?

Et cum prima simoniaca hæresis sit contra sanctam Ecclesiam exorta, cur non perpenditur, cur non videtur quia eum quem quis cum pretio ordinat provehendo agit [g] ut hæreticus fiat?

Alia quoque nobis res est valde detestabilis nuntiata, quod quidam ex laico habitu, [h] per appetitum gloriæ temporalis, defunctis episcopis, tonsurantur, et fiunt subito sacerdotes. Qua in re jam notum est qualis ad sacerdotium venit qui repente de laico habitu ad sacrum transit ducatum. Et qui miles nunquam exstitit, dux religiosorum [i] fieri non pertimescit. Quam iste prædicationem habiturus est, qui fortasse nunquam audivit alienam? Aut quando aliena mala corrigat, qui necdum sua flevit? Et cum ad sacros ordines Paulus apostolus neophytum venire prohibeat, sciendum nobis est quia sicut neophytus tunc vocabatur qui adhuc noviter erat plantatus in fide, ita nunc inter neophytos deputamus, qui adhuc novus [j] est in sancta conversatione. (*Grat. dist.* 48, *c.* Sicut.)

Scimus autem quod ædificati parietes non **783** prius tignorum pondus accipiunt, nisi novitatis suæ

[d] Vide Gregorium Turon., lib. I Hist., c. 27 et 28, necnon *de gloria Confessorum*, cap. 30.

[e] Multa hic inserta sunt quæ in aliis epistolis totidem verbis reperiuntur. Vide, infra, epist. 57 et 58. Hic vero Germaniæ partes intelligit, aut Galliam universam, quod ex Germania prodierint Franci; aut Franciam Lugdunensem, quæ Sidonio Apollinari, lib. v, epist. 7, dicitur Germania Lugdunensis; aut demum Germaniæ provincias Austrasiorum regi subjectas, scilicet ultra Rhenum, Turingiam, quæ, a Theodorico Clodovei Mag. filio subacta, Christianas etiam leges susceperat, teste Gregorio Turon., lib. III Hist., cap. 4, 7 et 9, cis Rhenum, Moguntiam quæ Germania prima, Coloniam Agrippinam quæ Germania secunda dicebatur. Infra, lib. VIII, epist. 30, Augustinus *a Germaniarum episcopis episcopus factus*, scilicet a Virgilio ipso Arelatensi ordinatus est. Cæterum de simonia in Galliis grassante, a temporibus Brunichildis, agitur in Vita sancti Eligii, auctore sancto Audoeno Rothomag. episcopo, de quo paulo infra.

[f] In eumdem sensum sanctus Hilarius ad cap. XXI Matth. *In columba secundum prophetiæ exempla sanctum Spiritum intelligimus. In cathedra sacerdotii sedes est. Ergo eorum qui sancti Spiritus donum venale habent cathedras evertit, quibus ministerium a Deo commissum negotiatio est.* Ut simoniæ labes e Gallia tolleretur multis ad prælatos auctoritate præcipuos et ad reges ipsos epistolis egit Gregorius. Vide infra, epist. 55, necnon lib. IX, epist. 11, 106, 109, 110; lib. XI, epist. 55, 56, 57, 59, 60, 61. Tempore Dagoberti regis, suggerentibus sanctis Audoeno et Eligio, habitum est concilium adversus simoniacam pravitatem: *placuitque omnibus uno in Spiritu sancto accepto consilio, simul cum regis imperio, ut nullus pretio dato ad sacerdotale officium admitteretur.* Ita sanctus Audoenus, lib. II Vitæ sancti Eligii, cap. 1. Necdum tamen abstersa sæculo IX hæc labes, ut ostendit Joannes VIII, epist. 94. Imo duodecimo sæculo simoniam in Gallia defendi consuetudine Romanæ Ecclesiæ dolebat Ivo Carnot. epist. 153. Porro quæ hic adversus Simoniacos scribit Gregorius Magnus iisdem omnino verbis repetit, lib. V, epist. 58, et fusius lib. IX, epist. 107.

[g] Hæresim latiore modo sumit pro simoniaca pravitate. Vide Launoii Librum de Simonia, observatione 3, 4, 5, 11.

[h] Vide lib. II, epist. 25. Ne laici tonsurentur, vacantibus Ecclesiis statim in episcopos ordinandi, prout moris erat in Galliis, vetat Gregorius hac et 55 epist., lib. IX, epist. 11, 106, 109, 110. Idem Gallis vetuerant Zosimus epist. 9, ad Patroclum Arelat. Cœlestinus I, epist. 2; ad episc. Provinciæ Vienn. et Narbon. Symmachus, epist. 5; ad Cæsarium Arelat. Felix IV, epist. 8; ad eumd. conc. Arelat. II, can. 1, Arelat. IV.

[i] Eodem sensu infra, epist. 55, de laicis qui tonsurati mox ad episcopatum præcipiti saltu conscendunt: *Ducatum*, inquit, *sacerdotes sibi arripiunt qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.* Vox *Religiosus* Gregorio Magno etiam clericum significat, lib. IV, epist. 22, *cunctos clericos cæterosque religiosos;* et lib. IX, epist. 107, *repente in religionis habitu plantatus dicitur qui repente factus est clericus, ut possit in episcopum eligi.*

[j] Vide Gregorium Nazianzenum, in Monodia, ubi argumentum hoc oratorio stylo fusius tractat.

[a] Gelasius I Sapaudo epist. 12, tandem Virgilio Gregorius Magnus. Post Virgilium ex Arelat. episcopis nullum privilegiis illis donatum legimus, donec sub noni sæculi finem suas item in Gallia vices Rostagno Arelatensi commisit Joannes VIII, qui hanc epistolam et sequentem paucis demptis usurpavit.

humore siccentur, ne si ante pondera quam solidantur accipiant, cunctam simul fabricam ad terram deponant. Et cum ad ædificium arbusta succidimus, ut prius viriditatis humor exsiccari debeat exspectamus, ne si eis adhuc recentibus fabricæ pondus imponitur, ex ipsa novitate curventur, et confracta citius corruant, quæ immature in altum levata videbantur. Cur ergo hoc non subtiliter in hominibus custoditur, quod in lignis quoque ac lapidibus tanta consideratione perpenditur?

Qua de re necesse est ut vestra fraternitas præcellentissimum filium nostrum Childebertum regem admonere studeat, ut hujus peccati maculam a regno suo funditus repellat, quatenus omnipotens Deus tanto illi apud se majora retribuat, quanto eum conspicit et amare quod ipse diligit, et vitare quod odit.

Itaque fraternitati vestræ vices nostras in Ecclesiis, quæ sub regno sunt præcellentissimi filii nostri Childeberti, juxta antiquum morem Deo auctore committimus, singulis siquidem metropolitis secundum priscam consuetudinem proprio honore servato. Pallium quoque transmisimus (*Grat. dist.* 100, *c.* 6), quo fraternitas tua intra ecclesiam ad sola missarum solemnia utatur. Sicubi autem longius episcoporum quisquam pergere forte voluerit, sine tuæ sanctitatis auctoritate ei ad loca alia transire non liceat. [k] Si qua vero inquisitio de fide, vel fortasse aliarum rerum inter episcopos causa emerserit, quæ discerni difficilius possit, collectis duodecim episcopis ventiletur atque decidatur. Si autem decidi nequiverit, discussa veritate, ad nostrum judicium referatur. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque perceptum vos in moribus servare concedat. [l] Datum die 12 Augusti, indict. 13.

## EPISTOLA LIV.

AD UNIVERSOS REGNI CHILDEBERTI EPISCOPOS.

*Virgilio Arelatensi, cui vices suas commisit, obediant; ab eo vocati veniant ad synodum; nec ad longinqua loca sine illius auctoritate pergant.*

Gregorius [a] universis episcopis Galliarum qui sub regno Childeberti sunt.

Ad hoc dispensationis divinæ provisio gradus diversos et ordines constituit esse distinctos, ut dum reverentiam minores potioribus exhiberent, et potiores minoribus dilectionem impenderent, una concordiæ fieret ex diversitate contextio, et recte officiorum gereretur administratio singulorum. Neque enim universitas alia poterat **784** ratione subsistere, nisi hujusmodi magnus eam differentiæ ordo servaret. Quia vero creatura in [b] una eademque æqualitate gubernari vel vivere non potest, cœlestium militiarum exemplar nos instruit, quia dum sunt angeli, et sunt archangeli, liquet quod non sunt æquales, sed in potestate et ordine, sicut nostis, differt alter ab altero. Si ergo inter hos qui sine peccato sunt ista constat esse distinctio, quis hominum abnuat huic se libenter dispositioni submittere, cui novit etiam angelos obedire? Hinc etenim pax et charitas mutua se vice complectuntur, et manet firma concordiæ in aeterna, et Deo placita dilectione sinceritas.

Quia igitur unumquodque tunc salubriter completur officium, cum fuerit unus ad quem possit recurri præpositus, idcirco opportunum esse perspeximus in Ecclesiis quæ sub regno præcellentissimi filii nostri Childeberti regis sunt, secundum antiquam consuetudinem, fratri nostro Virgilio Arelatensis civitatis episcopo vices nostras tribuere, quatenus et catholicæ fidei integritas, id est sanctarum quatuor synodorum, Deo protegente, sollicita devotione servetur; et si inter fratres consacerdotesque nostros aliqua evenerit forte contentio, auctoritatis suæ vigore, vicibus nempe sedis apostolicæ functus, discreta moderatione compescat. Cui etiam injunximus ut si quarumdam causarum tale fuerit certamen exortum in quo aliorum præsentia opus sit, [c] congregatis sibi in numero competenti fratribus et coepiscopis nostris, salubriter hoc servata æquitate discutiat, et canonica integritate definiat. Si quam vero contentionem, quod longe faciat divina potentia, de fidei causa evenire contigerit, aut negotium emerserit cujus vehemens sit fortasse dubietas, et pro sui magnitudine judicio sedis apostolicæ indigeat, examinata diligentius veritate, relatione sua ad nostram studeat perducere notionem, quatenus a nobis valeat congrua sine dubio sententia terminari.

Et quoniam necesse est ut ad eum [d] cui nostras vices indulsimus, quoties oportere perspexerit, pro facienda collatione aptis debeant episcopi temporibus

[k] Causas fidei majores appellant, easque summo pontifici reservandas contendunt nonnulli. Non ita censuit sanctus Gregorius, nisi forte in partibus decidi nequiverint præ nimia difficultate. Certe non nisi prius inquisitione facta, et in partibus ventilata discussaque veritate, ad sedem apostolicam referuntur. Vide epist. 55, infra: *Cujus vehemens fortasse sit dubietas,.... examinata diligentius veritate*, etc. Vide Cyprianum, epistola 55; Hilarum papam, epistola 8. Quid in simili casu fieret apud Judæos, vide Josephum, Antiquitat. Judaic. lib. IV, cap. 8, cujus testimonium retulimus epist. 4, indict. 10, ubi de iisdem causis majoribus. GUSSANV.

[l] Ita Vaticani Codices, consentiente Collectione Pauli. At in duobus Teller. et in Excusis scripta legitur epistola *Die 6 mensis Junii, indict.* 13.

EPIST. LIV [*Al.* 52]. — [a] Episcopi sub regno Childeberti erant omnes fere Gallicani antistites. Nam regnum Austrasiorum ac regnum Burgundiæ, quod morte ac testamento Guntchramni patrui quæsierat, Childebertus obtinebat. Clotarius, frater ejus patruelis, paucas in Neustria ad Ligerim, Sequanam, et Isaram fluvios, atque ad Oceanum civitates possidebat; quibus exceptis, cum Gothia, quæ Gothorum erat, reliqua omnis Gallia parebat tum Childeberto. De finibus regni Austriæ et regni Burgundiæ Adrianum Valesium consule, in lib. VII et IX rerum Francicarum. GUSSANV. In Reg., et in duobus Vatic. B et C, sic legitur hujus epistolæ titulus: *Universis episcopis Galliarum qui sub regno filii nostri excellentissimi Childeberti sunt.*

[b] Excusi, quibus pauci favent Mss., *una eademque qualitate*. Nostram lectionem exhibent omnes Anglic., Norm., Corb., duo Vatic. Veram esse probant quæ sequuntur: *quod non sint æquales.*

[c] Ne solus definiat, nisi in levioribus, etsi Romani pontificis gereret vices.

[d] Excusi, *injunximus.*

convenire, hortamur ut nullus mandatis ejus inobediens esse præsumat, nec communi congregationi interesse posponat, nisi aut corporis infirmitas quempiam fortasse vetuerit, aut cujusdam cum causæ justa excusatio minime venire permiserit. Ili tamen qui prohibente aliqua necessitate nequeunt in synodum convenire, loco suo presbyterum aut diaconum dirigant, quatenus quæ a nostro vicario, Deo auxiliante, fuerint definita, ad eum qui absens est per ipsum quem miserit fida relatione perveniant, [e] ut inconvulsa **785** firmitate serventur [f], et nullius ea audeat occasionis excusatio violare.

Hoc etiam vos pariter prævidimus admonendos, ut nullus vestrum ad longinquiora loca sine præfati fratris et coepiscopi nostri Virgilii auctoritate tentet aliquo modo proficisci, scientes quia et prædecessorum nostrorum, qui vices suas ejus prædecessoribus concesserunt, sic procul dubio mandata definiunt.

Hortamur præterea ut de officio suo sit quisque vestrum sollicitus, ut qui promissam cupit meredem pastionis accipere commissum sibi gregem sollicitudine et oratione custodiat, ne lupus insidians oves creditas invadendo dilaniet, et sit in retributione pœna pro munere. Optamus igitur, fratres charissimi, et totis omnipotentem Dominum precibus exoramus, ut dilectionem vestram in amoris sui constantia faciat magis magisque fervescere, atque in pace Ecclesiæ, et in una vos concedat magnopere retineri concordia.

Nuntiatum vero nobis est quod per simoniacam hæresim ad sacros quidam ordines adducantur, et hoc suprascripto fratri et coepiscopo nostro Virgilio per omnia prohibendum mandavimus ; quod ut vestra fraternitas cognoscat et studiose custodiat, et ipsa coram vobis est epistola relegenda. [g] Data die 12 mensis Augusti, indict. 13.

## EPISTOLA LV.

### AD CHILDEBERTUM REGEM.

*Virgilio se vices suas et pallium regis petitu concessisse ; hortatur vicissim ut illi faveat in prohibenda simonia, et ne ex laicis repente fiant episcopi.*

Gregorius [a] Childeberto regi Francorum.

Lætos nos excellentiæ vestræ vehementer fecit epistola, quæ pia vos affectione de honore et reverentia sacerdotali testatur esse sollicitos. Hinc etenim cunctis ostenditis fideles Dei vos esse cultores, dum sacerdotes ipsius grata ac debita veneratione diligitis, et Christiana devotione quidquid ad eorum augmentum pertinet agere festinatis. Unde et gratanter ea quæ scripsistis accepimus, et quæ voluistis animo libenti concessimus ; atque ideo fratri nostro Virgilio, Arelatensis civitatis episcopo, vices nostras juxta antiquum morem et Excellentiæ vestræ desiderium Deo favente commisimus, cui etiam et pallii usum, sicut prisca habuit consuetudo, concessimus.

Sed quia aliqua ad nos perlata sunt, quæ et omnipotentem Deum nimis offendunt, et quamplurimum sacerdotii honorem reverentiamque confundunt, quæsumus ut potestatis vestræ [b] annitente censura modis omnibus emendentur, ne dum laudandæ devotioni vestræ res temerariæ ac perversæ repugnant, aliorum, quod absit, culpa **786** aut regnum vestrum gravetur, aut anima.

Pervenit autem ad nos, obeuntibus episcopis, quosdam ex laicis tonsurari, atque ad episcopatum præcipiti saltu conscendere. Et qui discipulus non fuit, inconsiderata ambitione magister efficitur. Et quoniam [c] quod possit docere non didicit, sacerdotium tantummodo gerit in nomine, nam laicus in sermone pristino perseverat et opere. Quomodo ergo pro aliorum peccatis intercessurus est, qui sua primitus non deflevit ? Talis enim Pastor non munit gregem, sed decipit, quia dum contradicente verecundia non potest aliis hoc quod ipse non facit suadere, quid est aliud nisi ut plebs dominica prædonibus populanda remaneat, et inde sumat interitum, unde salutiferæ protectionis magnum debuit habere subsidium ? Quod quam pravum sit, quamve perversum, ex sua quoque ordinatione excellentiæ vestræ celsitudo perpendat. Certum namque est non vos ante exercitui ducem præponere, nisi vobis labor ejus [d] fidesque constiterit, nisi eum anteactæ vitæ virtus et sollicitudo aptum esse monstraverit. Si vero non aliis nisi hujusmodi viris committitur gubernandus exercitus, qualis dux esse debeat animarum ex istius bene rei comparatione colligitur. Sed verecundum nobis est, et dicere pudet, quia ducatum sibi sacerdotes arripiunt qui exordium religiosæ militiæ non viderunt.

Simul autem et illud valde exsecrandum nobis est nuntiatum, quod sacri ordines per simoniacam hæresim, id est accepto præmio, conferuntur. Et quia pestiferum nimis est, et sanctæ Ecclesiæ universali

[e] Iidem, *inconcussa ;* a quibus non recederemus, nisi communis Mss. consensus nos abriperet.

[f] In Vulgatis, *Et nullius ea quæ constituerit*, etc. Favet Vatic. D.

[g] Ita Colbert. vet. et Pauli Collectio. In duobus Teller. conveniunt mensis et indictio ; sed pro die 12 assignatur 11 Augusti.

EPIST. LV [*Al.* 53]. — [a] Erat hic Childebertus Junior, Austrasiorum rex, Sigiberti regis et Brunichildis filius.

[b] Excusi, *annuente censura.*

[c] Eandem sententiam aliis in locis semel iterumque resumit vir sanctus, dignam certe quæ inculcetur, crebraque iteratione firmetur ; ne qui repellunt scientiam, aut angustis eam finibus concludunt, repellantur a Deo. Magnum est prælationis pondus propter infinitates difficultatum circumstantiarum : gravis autem præ cæteris necessitas prædicandi, qua se non exsolvet facile qui totam Scripturam sacram non imbiberit. Legendus Joann. Gerson, sermone habito in concil. Ruem., considerat. 2, ubi post multa quæ ad hanc rem faciunt, *Exigitur*, inquit, *cognitio Scripturarum sacrarum cum cæteris omnibus quæ ad mores spectant. Inde est illa, dum Pastor consecratur, interrogatio, Scis utrumque testamentum ? quorum aliqui qua conscientia respondeant scio, ipsi viderint.* Hæc ille. GUSSANV.

[d] Vulgati, *fidesque probata.* Et infra, *ex istius rei considerationc seu comparatione bene colligitur.*

contrarium, in sacrum quempiam ordinem non meritis, sed pretio collocari, hortamur ut tam detestabile facinus de regno suo excellentia vestra prohiberi præcipiat. Nam ipse se ad hoc officium ostendit prorsus indignum, qui donum Dei pecunia mercari non metuit, et commodis præsumit appetere quod habere per gratiam non meretur. Hæc igitur, præcellentissime fili, idcirco admoneo, quia animam vestram salvari desidero. Quæ etiam dudum [e] scriberem, si voluntatem meam innumeræ occupationes minime præpedissent. At postquam se congruum rescribendi tempus ingessit, quod facere me oportuit non omisi. Salutantes itaque excellentiam vestram, paternæ charitatis affectu petimus ut cuncta quæ suprascripto fratri et coepiscopo nostro fieri servarique mandavimus favoris vestri præsidio compleantur, ne cujusquam ea aliquo modo elatione aut superbia convelli permittatis. [f] Sed sicut a prædecessore sub gloriosi patris vestri regno servata sunt, ita quoque auxilio vestro sollicita et modo devotione serventur. Oportet ergo ut hoc nobis vicarie rependatur, et sicut nos vestram implere non distulimus voluntatem, ita et vos propter Deum et beatum Petrum apostolorum principem **787** nostra faciatis in omnibus servari statuta, quatenus excellentiæ vestræ laudabilis et Deo placita se circumquaque tendat opinio. [g] Data die 12 mensis Augusti, indict. 13.

## EPISTOLA LVI.

### AD MARINIANUM EPISCOPUM

*Pallii usum concedit, firmat privilegia Ravennatis Ecclesiæ.*

Gregorius [a] Mariniano episcopo Ravennæ.

Apostolicæ sedis benevolentia et antiquæ consuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Ravennati Ecclesia gubernationis suscepisse constat officium, pallii usum prævidimus concedendum. Quo non aliter te uti memineris, nisi in propria tuæ civitatis [b] dimissis jam filiis Ecclesia, procedens [c] a salutatorio ad sacra missarum solemnia celebranda; peractis vero missis, idem in salutatorio rursum curabis deponere. Extra Ecclesiam vero non amplius illo tibi, nisi quater in anno, in litaniis quas ad decessorem tuum Joannem expressimus, uti permittimus, hoc nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujusmodi decoris usum ad sacerdotalis officii honorem largiente Domino percepisti, ita etiam morum atque actuum probitate ad Christi gloriam susceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem decore conspicuus, si ad hujusmodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent. Omnia etiam privilegia, quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, et illibata decernimus permanere.

## EPISTOLA LVII.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Post nequissimum decessorem Anastasium, Corinthios sic regat, ut præcedentis contagii omnes abstergat maculas. Concedit pallii usum. Hortatur ut in subjectis sibi locis simoniam compescat.*

Gregorius Joanni episcopo Corinthiorum.

Postquam Deus noster, cui nihil occultum est, de Ecclesiæ suæ gubernatione nefandam pollutionis pestem abjiciens, vos ad ejus voluit regimen adducere, [a] magna vobis præcavendum est sollicitudine ut post vulnera [b] et diversa prioris mala pastoris in fraternitate vestra grex dominicus consolationem ac salubre medicamentum inveniat. Sic ergo præcedentis contagii maculam manus vestræ actionis abstergat, ut nulla exsecrandæ pravitatis illius vestigia, [c] vel sinat manere.

Sit igitur erga subjectos sollicitudo laudabilis. **788** Exhibeatur cum mansuetudine disciplina. Sit cum discretione correptio. Iram benignitas mitiget, benignitatem zelus exacuat; et ita alterum condiatur ex altero, ut nec immoderata ultio plus quam oportet affligat, nec iterum frangat rectitudinem disciplinæ remissio. Instructio commissi populi fraternitatis vestræ sit actio. Videat in vobis quod diligat, cernat quod imitari festinet. Exemplo vestro vivere doceatur. A recto itinere te duce non deviet, ad Deum vos sequendo perveniat, ut tot ab humani generis Salvatore retributiones accipias, quot lucra ei operatus fueris animarum. Labora itaque, frater charissime, et ita totam mentis et cordis ad hoc efficaciam dirige, quatenus in futuro merearis audire: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Luc.* XIX, 17).

Pallium vero, sicut per epistolam vestram, quam per Andream fratrem et coepiscopum nostrum suscepimus, postulastis, direximus, quo ita vos uti ne-

[e] Ita Vatic., Norm., Corb., etc., pro *scripsissem*. In Editis, *scribere volui*.

[f] Excusi, *sed sicut per prædecessores ejus singulos, sub gior. . . . . ita . . . . . sollicita omnino devotione servata*, quæ nullis in Mss. legimus.

[g] Ita Colbert. vet. In Collect. Pauli data legitur *die* 16 *mensis Maii*. In duobus Teller. *die* 10 *mensis Augusti, indict.* 14.

EPIST. LVI [*Al.* 54]. — [a] Mortuo Joanne Ravennate episcopo, anno 595, Ravennates Marinianum presbyterum, civem suum, quem diu cum sancto Gregorio in monasterio versatum noverant, communi consensu episcopum elegerunt, cui diu resistenti vix persuadere potuit Gregorius ut electioni de se factæ consentiret. Hic licet fuisset monachus, paulo tamen monachis infensior visus est, ex epist. 24 lib. V, nunc lib. VI. De eo etiam Paulus diaconus, lib. IV, cap. 11. GUSSANV.

[b] Laicos Ecclesiæ filios, clericos vero Ecclesiæ milites appellare solet. Vide lib. VI, epist. 5, *ne ergo filii Ecclesiæ*, etc. Ante missarum celebrationem sedebat episcopus in secretario, *nunc vulgo sacristia*, fidelium salutationes excepturus; quibus dimissis, sacris vestibus indutus, ad altare procedebat. Inde locus ille *salutatorium* dicebatur. Vide Gregorium Turon., Hist. lib. II, c. 21; card. Bona de rebus Liturg., lib. I, cap. 24, num. 2.

[c] Supra, *secretarium*, etc., epistola 19 lib. I. GUSSANV.

EPIST. LVII [*Al.* 55]. — [a] Vatic. D, Norm. et Corb., *magna vobis ope nitendum est*. Vatic. A, B, C, *magnopere vobis nitendum est*.

[b] Excusi, *et diversa prioris mali pastoris contagia in frat.*

[c] Iidem, *nullam sinat manere memoriam*. Norm., *vel sinat manere memoriam*.

cesse est, sicut prædecessores vestri usi, concedentibus nostris prædecessoribus, approbantur. A

Præterea pervenit ad nos quod in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemens denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI, 12). Columbas enim vendere est de sancto Spiritu, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam immitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ B ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque qui [d] ad sacrum honorem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis venundare quod emit. Et ubi est quod scriptum est: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8)? Et cum prima contra sanctam Ecclesiam simonica hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur quia eum quem quis cum pretio ordinat provehendo agit ut hæreticus fiat? Quia ergo hanc nefandissimam pravitatem sancta universalis omnino damnat Ecclesia, hortamur fraternitatem vestram ut tam detestabile et tam immane peccatum de locis omnibus quæ sub se sunt sollicitudinis suæ modis omnibus compescat instantia. Nam si quid tale deinceps fieri senserimus, jam C non verbis, sed canonica hoc ultione corrigemus, et de vobis, quod non oportet, aliud incipiemus habere judicium.

Novit autem (*Grat. dist.* 100, *cap.* 3) fraternitas vestra quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, [e] facto concilio ante corpus **789** beati Petri apostolorum principis, tam de hoc quam de ordinationibus (*Grat.* I, *q.* 1, *c.* 116) aliquid accipere sub districta interdictione vetuimus.

Oportet ergo ut neque per commodum, neque per gratiam aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines consentiatis adduci. Nam et peccatum, sicut diximus, grave est, et sine correptione hoc non patimur remanere.

Suprascriptum vero Andream fratrem et pum nostrum ob hoc tarde suscepimus, quia tiante fratre et coepiscopo nostro Secundino didimus [f] epistolas nostras sibi cum in Joannis Larissæi episcopi exsecutione finxisse. Et nisi bona vestra nobis quæ audivimus suasissent, nulla illum habuimus ratione suscipere. [g] Data die 15 mensis Augusti, indict. 15.

## EPISTOLA LVIII.

### AD UNIVERSOS EPISCOPOS PER HELLADIAM.

*Gratulatur de Anastasii correctione, cujus casus sit illis cautela. Joanni illius successori obediant. Non patiantur, aut dato præmio, aut alicujus gratia vel supplicatione clericos ordinari vel promoveri.*

Gregorius universis episcopis [a] per Helladiam provinciam constitutis.

Gratias omnipotenti Deo vobiscum, fratres charissimi, refero, qui latens vulnus quod antiquus hostis intulerat ad omnium fecit pervenire notitiam, et de Ecclesiæ suæ corpore salutifera illud incisione compescuit. Ex qua re et gaudendum nobis est, et dolendum. Gaudendum quippe de correctione facinoris, dolendum vero de casu fratris. Sed quoniam plerumque alterius casus, alterius solet esse cautela, [b] hoc quisquis cadere timet, attendat, aditum hosti non præbeat, non putet latere quod agitur. Nam Veritas clamat: *Nihil occultum quod non revelabitur* (*Matth.* x, 26). Hæc enim vox actionis nostræ jam præco est, et, ipso teste, modis omnibus adducit ad publicum quod agitur in secreto. Aut quis actus suos ante illum nitatur abscondere, qui eorum et testis et judex est? Quia vero nonnunquam dum aliud attenditur aliud non cavetur, oportet ut contra omnes hostis insidias quisque debeat esse sollicitus, ne dum in uno vincit, superetur in altero. Nam et terrenus hostis, qui munita loca cupit invadere, pugnandi ante sic utitur: Latenter quidem ponit insidias, et ad unius loci se expugnationem totus ostendit, **790** ut dum ad defensionem loci illius ubi instat periculum convenitur, loca alia de quibus nulla est suspicio capiantur. Et evenit ut qui cognitus resistentis virtute repulsus est, latens obtineat quod certando non potuit. Sed quia in his omnibus divinæ protectionis auxilio opus est, voce cordis singuli clamemus ad Dominum, dicentes: *Domine, ne longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam respice* (*Psal.* XXI, 20). Manifestum D namque est quia nisi ipse auxiliatus fuerit, et ad se

[d] In Vulgatis, *ad sacrum ordinem*. Et infra, *et cum primo*, pro, *et cum prima*.

[e] Concilii hujus acta post omnes epistolas exhibebimus.

[f] Recent., inconsultis melioribus Mss., *epistolas vestras..... In Joan..... excusatione finxisse*. De causa Joan. Larissæi contra Adriannm Thebanum episcopum lege epistolas 6 et 7 lib. III. *In executione* hic significat Joannis Larissæi jussa exsequendo.

[g] Sic vet. Colbert., alii vero Mss. non consentiunt; nam in Vatic. D. in Rhem., et in duobus Tellerian., assignatur *indictio* 14. Cur *in indict.* 15 relinquatur disce ex nota ultima ad epist. sequentem.

EPIST. LVIII [*Al.* 56]. — [a] Hic titulus diverso modo in Mss. legitur. In Vatic. D, *per Archelaidam*. In Anglic., *episcopis Adrellada constitutis*, vel *Arellada*; quod etiam habet Norm. et Corb., ubi: *episcopis Arellada Provincia consistentibus*. In Reg., *episcopis Arelladæ constitutis provinciæ*. In tribus Vatic., quos prætulimus, habetur *per Helladiam*. Hellas est proprie Achaia, quæ Corintho, a quo verbum Dei accepit, vicina. Hinc Paulus, II Cor. I, 1: *Ecclesiæ Dei quæ est Corinthi, cum omnibus sanctis qui sunt in universa Achaia*. Ideo forte sanctus Gregorius dicit Helladiæ episcopos, ex antiqua consuetudine, episcopo Corinthi esse subditos.

[b] Ita Anglic., Norm., Corb. et tres Vatic. In Vatic. D, *hoc quisquis audierit, ut cadere timeat attendat*. Editi, *quo quisque cadere*, etc.; paulo post, *nihil opertum quod non reveletur, et occultum quod non sciatur*.

clamantes defenderit, hostis noster vinci non poterit.

Præterea epistolam charitatis vestræ per Andream fratrem et coepiscopum nostrum suscipientes, pallium Joanni fratri nostro Corinthiorum episcopo nos transmisisse cognoscite; cui vos magnopere convenit obedire, præsertim dum hoc sibi et antiquæ consuetudinis ordo defendat, et bona ejus, quibus ipsi testimonium perhibetis, invitent. Quibusdam namque narrantibus (*Grat.* I, *q.* 1, *c.* 117) agnovi quod in illis partibus nullus ad sacrum ordinem sine commodi datione perveniat. Quod si ita est, flens dico, gemensque denuntio, quia cum sacerdotalis ordo intus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio, quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus in templum, cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI, 12). Columbas quippe vendere est de sancto Spiritu, quem sibi consubstantialem Deus omnipotens per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum Deo judice cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam ipse quoque, qui ad sacrum ordinem perducitur, jam in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratior est aliis vendere quod emit. Et ubi est quod scriptum est : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8)? Et cum prima contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis sit exorta, cur non perpenditur, cur non videtur quia eum quem quis cum pretio ordinat, provehendo agit ut hæreticus fiat? Ideoque hortamur ut nullus vestrum denuo hoc fieri patiatur; sed neque gratia alicujus, neque supplicatione, aliquos ad sacros ordines audeat promovere, [c] nisi eum quem vitæ et actionis qualitas ad hoc dignum esse monstraverit. Nam si aliter factum denuo senserimus, districta et canonica illud noveritis ultione compesci. [d] Datum die 15 mensis Augusti, indictione 13.

[c] *Nisi* hoc loco significat *sed solum*, sicuti Joan. XVII, 12, *nisi filius perditionis* idem est ac *sed tantummodo filius perditionis*. Consule interpretes, qui multa ejusmodi loca in sacra Scriptura notant.

[d] In duobus Teller. et in Vatic. D notatur indictio 14. At cum in omnibus Mss. etiam Vaticanis, qui epistolas secundum indictionum ordinem continent, hæc epistola in serie scriptarum indictione 13 reperiatur, eam loco movere non debuimus. Eadem ratio militat pro superiori epistola, quæ eodem tempore scripta fuit.

# *LIBER SEXTUS.*

## Indictione decima quarta, anno ordinationis ejus sexto.

### 791 EPISTOLA I.

AD MARINIANUM EPISCOPUM.

*In Joannis decessoris ejus testamento, quid ratum esse debeat.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Sicut injusta poscentibus nullus est tribuendus effectus, ita legitima desiderantium non est differenda petitio. Presbyteri igitur, ac diaconi, atque clerus fraternitatis vestræ oblata nobis petitione conquesti sunt Joannem quondam decessorem tuum [a] condito testamento diversa in Ecclesiæ suæ gravamina conscripsisse. Et petiverunt ut hæc in damnum Ecclesiæ suæ, prohibente quippe lege, nulla deberent occasione persolvi. [b] Et quamvis, postquam hæreditas illius successioque repudiata est, ad hæc te satisfacienda ratio nulla constringat, verumtamen ex abundanti his te hortamur affatibus, ut ea quæ [c] de Ecclesiæ suæ vel de acquisitis in episcopatu rebus contra legum fieri statuta disposuit, [d] fraternitas vestra nec auctoritatem præbeat, nec aliqua in his ratione consentiat. Si quid autem de propriis rebus, quas ante episcopatum habuit, quod quidem prius Ecclesiæ suæ non contulit, fieri voluit vel decrevit, firmum per omnia robur obtinere necesse est, nec quisquam ecclesiasticorum id contra rationem tentet qualibet excusatione convellere.

Quia vero dum viveret (*Grat. caus.* 12, *q.* 5, *can.* 3) sæpius a nobis expetiit ut ea quæ in monasterio illo contulerat quod juxta ecclesiam sancti Apollinaris ipse construxerat nostra debuissemus auctoritate firmare, et nos facturos hoc esse promisimus, fraternitatem vestram necessario prævidimus adhortan-

LIBER VI. *Al.* LIBER V.

EPIST. I. — [a] In Agathensi, c. 51, an. 506 : *Si episcopus condito testamento aliquid de ecclesiastici juris proprietate legaverit, aliter non valebit, nisi tantumdem de juris proprii facultate suppleverit.* Idem in Epaon., c. 17, an. 517. Distinguebant veteres clericorum res proprias a rebus Ecclesiæ, quæ eis quasi clericis competebant. Primas donare poterant ac legare, alias nec donare nec legare. Quidquid in clericatu de Ecclesiæ bonis acquirebant, non sibi, non hæredibus cedebat, sed Ecclesiæ cujus erant ministri. Optimum utique statutum, ne Ecclesiæ bonis ditescerent, aut hæredes ditarent spretis pauperibus. Legat studiosus causæ 12 q. 3, 4, 5, et in Decretal., lib. III, tit. 25, *de peculio clericorum*, et 26, *de testamentis*, etc. Ubi notabit, etiam tempore Alexandri III, in fine sæculi XII clericis non licuisse de bonis mobilibus quæ per Ecclesiam adepti erant testari, sed tantum aliqua eleemosynæ intuitu erogare moderate dum vivunt. In Antioch. Conc., c. 24 et 25, de bonis Ecclesiæ et episcoporum statuitur. In Carthag., c. 32, de peculio et emptionibus clericorum. GUSSANV.

[b] In duobus Vatic., Reg., Corb., uno Rhem. et omnibus pene Norm., *post hæreditatem ejus posthumam*. In Beccensi, *post hæredem ejus posthumam*. Ita quoque in sex Anglic.

[c] Excusi, *de Ecclesia sua*.

[d] In Vatic. A et C, consentientibus Norm., Reg. et Corb., *fraternitas vestra nec provehat nec aliqua*. In Vatic. B, *fraternitas vestra nec probet*. In Vatic. D, *fraternitas vestra prohibeat, nec aliqua*.

dam, ut nihil de his quæ illic contulit atque constituit aliquo modo **792** patiatur imminui, sed omnia firma studeat stabilitate servari. Hujus igitur monasterii [e] et collatarum illic rerum quia in testamento quod condidit fecisse noscitur mentionem, sciendum vobis est non ea nos ideo confirmasse, quoniam supremam ejus sequimur voluntatem, sed quia ei hoc, sicut diximus, viventi promisimus. Hæc itaque omnia sic sollicite fraternitas vestra implere festinet, quatenus et quæ in suprascripto monasterio constituit, et a nobis sunt firmata, serventur, et illa quæ in damnum dari vel fieri per testamentum suæ decrevit Ecclesiæ, nullam, prohibente nempe lege, obtineant firmitatem.

## EPISTOLA II.

AD CLERUM ET PLEBEM RAVENNÆ.

*Rectam omnino esse Mariniani episcopi fidem testatur.*

Gregorius clero et plebi Ecclesiæ Ravennæ.

Pervenit ad nos quosdam homines, maligni spiritus instigatione pervasos, erga opinionem fratris et coepiscopi nostri Mariniani mentes vestras corrumpere falsa locutione voluisse, dicentes quod idem frater noster minus quam decet sanctam Chalcedonensem synodum veneretur. De qua re omnibus vobis et ipse præsens de integritate suæ fidei satisfacit, et nos per omnia testamur eum a cunabulis in sanctæ universalis Ecclesiæ gremio nutritum rectam prædicationem fidei cum vitæ suæ attestatione tenuisse. Veneratur enim sanctam Nicænam synodum in qua Arius, Constantinopolitanam in qua Macedonius, Ephesinam primam in qua Nestorius, et sanctam Chalcedonensem [a] in qua Dioscorus atque Eutyches damnatus est. Si quis autem contra harum quatuor synodorum fidem, **793** et contra sanctæ memoriæ [b] Leonis papæ tomum atque definitionem aliquid unquam loqui præsumit, anathema sit. Proinde satisfactionem plenissimam recipientes, charitate integra, puro corde, pastorem vestrum diligite, ut apud Deum purius fusa ejusdem vobis valeat prodesse intercessio pastoris.

## [a] EPISTOLA III.

AD MAXIMUM SALONITANUM.

*Maximus de simonia et de aliis multis accusatus Romam citatur.*

Gregorius Maximo [b] præsumptori Ecclesiæ Salonitanæ.

Quoties contra ecclesiasticam quid gestum dicitur disciplinam, ne nos ante Deum culpa ex dissimulatione redarguat, irrequisitum hoc relinquere non audemus. Pervenit itaque ad nos quod per simoniacam hæresim fueris ordinatus. Sed et alia de te multa hic dicta sunt, de quibus unum quam maxime fuit propter quod necesse habuimus te summopere per scripta nostra prohibere, ne missarum solemnia celebrare debuisses, donec quid esset, verius potuissemus addiscere. Ne ergo filii Ecclesiæ diu videantur non habere pastorem, [c] et ne hæc quæ dicuntur, si indiscussa remanserint, hujusmodi se vitium tendat in plurimos, hortamur ut ad nos venire omni postposita excusatione festines, quatenus servata justitia, hæc et cognoscere, et finire secundum canonica instituta Christo revelante possimus. Ita autem fac, ut ad veniendum amplius jam moras non ingeras, ne ipsa te magis absentia obnoxium his quæ dicuntur assignet, et nos in te hæc res non solum propter dicta crimina, quæ purgare subterfugis, sed etiam propter inobedientiæ culpam durius, scilicet ut in contumacem, cogat ex concilio ferre judicium.

## EPISTOLA IV.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Modiorum tritici duo millia det Zenoni episcopo egenis distribuenda.*

Gregorius Cypriano diacono.

Zenon frater et coepiscopus noster quosdam in civitate sua alimoniarum necessitatem innotuit **794** sustinere. Quibus quoniam, ut possibile est, aliquod desideramus ferre consultum, idcirco dilectionem tuam ante dicto fratri et coepiscopo nostro mille modios tritici, aut, si plus levare potuerit, usque ad duo millia scriptis te dare præsentibus deputamus. Hortamur igitur ut in his præbendis nullam moram aut excusationem adducas, quatenus, dum tempus sinit, et hic cum Dei adjutorio sine periculo ad propria remeare, et citius valeat necessitatem patientibus subvenire. (*Joan. Diac., l.* II, *c.* 15.)

## EPISTOLA V.

AD BRUNICHILDEM REGINAM.

*Laudat illam a recta filii educatione. Candidum presbyterum patrimonii quod erat in Gallia rectorem designatum commendat.*

Gregorius Brunichildæ [a] reginæ Francorum.

Excellentiæ vestræ prædicandam ac Deo placitam bonitatem, et gubernacula regni testantur, et educatio filii manifestat. Cui non solum incolumem rerum temporalium gloriam provida sollicitudine conser-

[e] Mendose in recentioribus Ed., *et collectarum.*

EPIST. II. — [a] Norm., Reg. et tres Vatic., *in qua Nestorius, Dioscorus atque Eutyches.* Ita etiam vet. Editi.

[b] Epistolam 10, nunc 24, sancti Leonis intelligit ad Flavianum scriptam, revera tamen encyclicam, et ad omnes totius orbis Christiani episcopos missam, atque in Chalced. conc., act. 2, 5, 6, solemni approbatione consecratam. *Tomus* volumen aut Codicem notat, uti videre est apud Hieron. ad Pammachium et Oceanum, nec ingentem solum, sed et mediocrem libellum epistolamque. Unde Eutychianos ridentes Leonem pontificem, quod epistolam dogmaticam suam ad Flavianum patriarcham Constantinop. et universum conc. Chalced. missam *tomum* appellaret, redarguit Ephrem patriarcha apud Photium. Ex Salmasio ad Solinum, pag. 1317, proprie idem *tomus* est ac *truncus* seu Codex, et *scapus* seu ramus ab arbore recisus; quibus nominibus vocarunt antiqui chartas in unum volumen convolutas atque complicatas, quod baculi similitudinem præ se ferrent, quomodo chartæ non scriptæ jungi solebant, ut ex Cassiodoro discimus; atque hinc ad quodvis volumen denotandum, et *Codicis* et *tomi* vox est extensa.

EPIST. III. — [a] Hæc epistola reperitur partim caus. 2, q. 4, c. *Accusatum*, partim extra., tit. de simonia, c. 4 et 5. GUSSANV.

[b] Id est, qui invasit, et usurpavit Salonitanam sedem.

[c] Excusi, *ne per hæc quæ.*

EPIST. V. — [a] Brunichildis Athanagildi Gothorum in Hispania, et Septimania, Gothiave Galliæ Narbonensis provincia dominantium regis, ex Golsuintha

vastis, verum etiam æternæ vitæ præmia providistis, dum mentem ipsius in radice veræ fidei materna, ut decuit, et laudabili institutione plantastis. Unde non immerito contigit [b] ut cuncta gentium regna præcelleret, quippe qui earumdem gentium creatorem et pure colit, et veraciter confitetur. Sed ut laudabilius in eo fides cum operibus enitescat, adhortationis vestræ eum verba succendant, quatenus sicut sublimem illum inter homines potentia regalis ostendit, ita ante Deum magnum faciat [c] bonitas actionis.

Quia vero multarum rerum experimenta nos admonent de excellentiæ vestræ christianitate confidere, idcirco paterno salutantes affectu, quæsumus ut propter amorem beati Petri apostolorum principis, quem toto vos scimus corde diligere, dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum, præsentium portitorem, una cum patrimoniolo ad cujus eum gubernationem transmisimus, auxilio vestri patrocinii foveatis, quatenus, potestatis vestræ gratia roboratus, [d] patrimoniolum ipsum, quod pauperum constat expensis proficere, et salubriter regere, [e] et, si qua exinde ablata sunt, ad jus ipsius patrimonioli valeat reformare. Nam non sine laudis vestræ incremento est quod post tot tempora ad ejusdem patrimonii regimen **795** proprius Ecclesiæ homo transmissus est. Excellentia ergo vestra ita se libenter in his quæ poscimus dignetur impendere, ut beatus Petrus apostolorum princeps, cui a Domino Jesu Christo ligandi ac solvendi data est potestas, et hic excellentiam vestram in sobole gaudere concedat, et post multorum annorum curricula a malis omnibus absolutam, ante conspectum æterni faciat judicis inveniri.

## EPISTOLA VI.

### AD CHILDEBERTUM REGEM.

*Laudat in illo studium fidei catholicæ, Candidumque commendat patrimonii rectorem, Dynamii patricii loco, designatum.*

Gregorius [a] Childeberto regi Francorum.

Quanto cæteros homines regia dignitas antecedit, tanto cæterarum gentium regna regni vestri profecto culmen excellit. Esse autem regem, quia sunt et alii non mirum est; [b] sed esse catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est. Sicut enim magnæ lampadis splendor in terræ noctis obscuritate luminis sui claritate fulgescit, ita fidei vestræ claritas inter aliarum gentium obscuram perfidiam rutilat ac coruscat. Quidquid autem reges se cæteri gloriantur habere habetis. Sed ipsi in hac re vehementius superantur, quoniam hoc principale bonum non habent quod habetis. Ut ergo sicut fide ita et actione vincantur, benignam se excellentia vestra suis subjectis semper exhibeat. Et si qua sunt quæ ejus animum offendere valeant, [c] ea indiscussa non puniat. Tunc enim vere regi regum, id est omnipotenti Domino amplius placebit, si, potestatem suam restringens, minus sibi crediderit licere quod potest.

Quia igitur sinceritatem fidei et mente servatis et opere, beati Petri apostolorum principis amor qui in vobis est evidenter ostendit cujus res, Christianæ religionis intuitu, sub vestri culminis potestate bene hactenus gubernatæ et conservatæ sunt. Sed quoniam [d] Dynamius patricius, qui ex nostra commendatione rebus ipsis sollicitudinem impendebat, eas modo gubernare, ut cognovimus, non potest, ne patrimoniolum ibidem constitutum, faciente negligentia, deperiret, idcirco præsentium portitorem dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum ad id gubernandum transmisimus, quem excellentiæ vestræ, præmisso paterna charitate salutationis alloquio, in omnibus commendamus, petentes ut si aliquod illic **796** fortasse præjudicium factum est, aut res ejusdem patrimonioli ab aliquo detinentur, potestatis vestræ justitia corrigatur, et juri pristino quæ ablata sunt reformentur, quatenus sicut fides vestra, ita et æquitas omnibus, quod est valde gloriosum atque laudabile, gentibus enitescat.

Claves præterea sancti Petri, in quibus de vinculis catenarum ejus inclusum est, excellentiæ vestræ di-

uxore, filia, Sigeberto regi Francorum nupsit, ex eoque Childebertum genuit, patrem Theodeberti ac Theodorici. Quod ait Mariana, a Gregorio episcopo Romano Brunichildem duabus epistolis aut potius decem esse laudatam, et ob id scelera Fredegundis a nostris historicis ei afficta arbitratur, refelli non meretur. Quippe Gregorius nono regni Theodeberti ac Theodorici fratrum anno, IV Idus Martias decessit, ante annos novem quam Brunichildis periret; quo tempore nondum illa proceres præter unum aut alterum, nondum Desiderium Viennensem episcopum jugulari jusserat, nondum nepotes suos crudeliter occiderat. Præterea quot et quas basilicas Brunichildis exstruxisset, ex ipsius epistolis scivit Gregorius; quot et quam atrocia facinora faceret, scire facile non potuit. Denique laudat eam nonnunquam Gregorius ut proniore animo Ecclesiæ Gallicanæ, et Candidi, Augustini, aliorumque quos ipsi commendat, habeat rationem, curamque suscipiat. De his fuse et exacte vir clariss. Adrianus Valesius, in l. XVII Rerum Francicarum, quem lege. GUSSANV. Multi alii præter Marianam a Brunichilde tot scelerum suspicionem amovere conati sunt, et in his Cordemoisius in Historia Francorum haud ita pridem Gallice scripta. De his egimus in vita sancti Gregorii, quam consule.

[b] Præclare gesta Childeberti etiam in Italia passim narrant Gregorius Turon., Paulus Diac. et alii, licet Paulus erga Francos paulo iniquiorem se ostendat.

[c] Excusi, *pietas actionis.*

[d] De eo supra, lib. III, epist. 33; lib. V, epist. 31; infra, ep. 6 et 7; et Pelagius I, an. 557, epist. ad Sapaudum Arelat.

[e] In vulgatis, *et si qua inde ablata sunt, vestro fultus auxilio, diligenter inquirere, et, Deo propitio, in pristinum possit reformare statum. Ad ipsius vero patrimonioli regimen.* A recepta lectione recedere nos coegerunt Mss. Vatic., Norm., Corb., Rhem. In duobus tamen Vatic. A et B tantum legimus *nam non sine*, etc., usque *proprius Ecclesiæ.*

EPIST. VI. — [a] In Colbert. ac in quatuor Vatic., *Hildeberto.*

[b] Hic honor nostris regibus prorsus singularis ad hæc usque tempora perseveravit, ita ut ex illis ne unus quidem per tot sæcula, ab orthodoxa fide tantisper deflexerit. Hinc jure dicti sunt *Christianissimi.*

[c] Vitiose ac contra Mss. Anglic., Norm., etc., fidem in Editis legitur *indiscussa non sinat.*

[d] Ex Gregorio Turon., lib. VI Hist., c. 11, Dynamius immemor fidei quam Childeberto regi promiserat, Guntramno Massiliam vendicare perrexit. Hac forte de causa post Guntramni obitum, regnante in Burgundia ipso Childeberto, ab omni ministerio amotus est, atque reliquum vitæ tempus in otio sancto piis actibus impendit. Vide lib. VII, epist. 12 et 56.

reximus, quæ, collo vestro suspensæ, a malis vos omnibus tueantur.

## EPISTOLA VII.

AD CANDIDUM PRESBYTERUM.

*Jubet ex reditibus patrimonii pueros Anglos, et in usum pauperum vestimenta emere.*

Gregorius Candido presbytero [a] eunti ad patrimonium Galliæ.

Pergens, auxiliante Domino Deo nostro Jesu Christo, ad patrimonium quod est in Galliis gubernandum, volumus ut dilectio tua ex solidis quos acceperit vestimenta pauperum, vel pueros Anglos qui sunt ab annis decem et septem, vel decem et octo, ut in monasteriis dati Deo proficiant, comparet, quatenus solidi Galliarum, [b] qui in terra nostra expendi non possunt, apud locum proprium utiliter expendantur. Si quid vero de pecuniis redituum quæ dicuntur ablatæ recipere potueris, ex his quoque vestimenta pauperum comparare te volumus, vel, sicut præfati sumus, pueros qui in omnipotentis Dei servitio proficiant. Sed quia pagani sunt qui illic inveniri possunt, volo ut cum eis presbyter transmittatur, ne quid ægritudinis contingat in via, ut quos morituros conspexerit debeat baptizare. Ita igitur tua dilectio faciat, ut hæc diligenter implere festinet. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 6.)

## EPISTOLA VIII.

AD EPISCOPOS EPIRI.

*Andreæ in metropolitanum electionem probat. Hortatur ut illum imitentur, illi obediant, illi sint concordes, atque ut gregi suo invigilent singuli. Promovendi apud illos clerici non pecunia, non personæ ullius gratia, sed moribus suis commendentur.*

Gregorius [a] Theodoro, Demetrio, Philippo, Zenoni, et Alcissono, episcopis [b] Epiri.

Scriptorum vestrorum insinuatio (*Grat. dist.* 100, *c.* 11), fratres charissimi, patefecit Andream fratrem nostrum [c] Nicopolitanæ civitatis episcopum Deo propitio solemniter **797** ordinatum. Cujus consecrationem quoniam cleri et provincialium provenisse significatis assensu, gaudemus; atque bona quæ de ipso testamini ut in eo maneant, et Dei gratia cooperante augmentum accipiant, exoramus, quia bonitas præpositorum salus est utique subditorum. Oportet ergo ut ea quæ in persona ipsius placere vobis laudantes ostenditis imitari studiosius festinetis. Nam et apud homines culpa et apud Deum pœna est nolle quemquam bonum imitari quod placet. Testimonio itaque vestro obedientia fidem accommodet. Nullus ei in his quæ integritate servata Ecclesiæ pro communi utilitate injunxerit contradicat. Devotionem suam quisque vestrum libenter exhibeat; ut dum Deo placita inter vos sacerdotalis fuerit [d] et fida concordia, nulla vos a charitatis mutuæ vinculo invidia solvere valeat, aut turbare diversitas. Nec enim callido hosti in cordibus vestris ullus erit accessus, quoniam scit se nullatenus nec capi posse nec recipi, ubi plene sincera locum charitas invenerit.

Estote præterea solliciti, fratres charissimi, et commisso gregi vigilantiam quam suscepistis et debetis impendite, inimici fraudibus sollicitudine [e] et oratione obviate. Incontaminata fide, Deo nostro, cui præestis, populum resignate, ut officium vobis sacerdotale ante conspectum æterni judicis non ad pœnam, sed proficiat ad coronam.

Suprascripto igitur Andreæ fratri et coepiscopo nostro pallium nos direxisse cognoscite, atque privilegia cuncta concessisse quæ prædecessores nostri ejus prædecessoribus contulere (*Grat. ibid.*).

Præterea (*Grat.* 1, *q.* 1. *c.* Quibusdam) pervenit ad nos quod sacri ordines in illis partibus cum datione commodi conferantur. Quod si ita est, flens dico, gemensque denuntio, quia cum sacerdotalis ordo in-

EPIST. VII [*Al.* 10]. — [a] Hæc in Norm. ac plerisque Mss. minime leguntur; sunt tamen in duobus Vatic., scilicet B et C, mutata voce *Galliæ* in *Galliarum*.

[b] Absque detrimento, quod aurum Gallicum esset longe inferioris pretii quam Romanum. Novella Majoriani : *nullus solidum integri ponderis calummiosæ approbationis obtentu recuset exactor, excepto eo Gallico cujus aurum minore æstimatione taxatur.* Gussanvillæus ad hunc locum eos accusat qui fruges in una parœcia natas alio transportant alibi consumendas. Verum sancti Gregorii mentem non attigit, qui supra, indict. 11, epist. 33, Dynamio scribens : *suscepimus*, inquit, *de præfatis Ecclesiæ nostræ reditibus Gallicanos solidos* CD. Infra, epist. 55, Virgilio Arelat. : *Quia igitur patrimoniolum ipsum per annos plurimos prædecessor vester tenuit, et collectas apud se pensiones servavit, fraternitas vestra..... eas Candido presbytero nobis restituat dirigendas.* Et epist. 55 : *Pensiones..... de patrimoniolo nostro ad nos studeat destinare.*

EPIST. VIII [*Al.* 7]. — [a] Norm., Vatic., Colb. et plur., *Theodorico*, vel *Theodorico..... Alcissoni*.

[b] Duæ erant in Illyrico provinciæ hujus nominis, vetus et nova, ut patet ex notitia imperii. Epirus nova, quæ hodie est Albania superior, seu proprie dicta, cujus metropolis erat Dyrrachium. Vetus autem quæ a nonnullis Albania inferior, nunc *Chimera* et *Larta*, cujus metropolis erat Nicopolis ad sinum Ambracium, vulgo *Prevesa sur le golfe de Larta*, de qua intelligendus est hic titulus. GUSSANV.

[c] Antiquariorum imperitia irrepserat hic error gravissimus in omnibus Mss. Codd., deinde in libris editis, in quibus legebatur *Nicomedianæ* vel *Nicomeditanæ* civitatis. Quod autem legendum sit *Nicopolitanæ*, clarum est ex multis : primo, quia Nicopolis Epiri veteris metropolis fuit, ut omnes sciunt, ad cujus episcopum mittit pallium sanctus Gregorius, quod certe non transmisisset episcopo Nicomediensi, qui patriarchæ Constantinopolitano tunc subditus erat. Deinde quid commune episcopis Epiri cum episcopo Nicomediensi? An unquam illi de hujus ordinatione curam habuere, uti tamen refert epistola? Sed quod rem conficit, ille ipse Andreas, qui hac in epistola *Nicomedianæ* civitatis episcopus nuncupatur, in titulo epistolæ olim 70 lib. VII, nunc 68 lib. IX, indict. 2, *Nicopolitanus* inscribitur, ad quem ut ad multos alios metropolitas scribit sanctus Gregorius, et in epist. olim 2 et 3 lib. XII, nunc 3 et 4 lib. XIV, idem Andreas disertis verbis Nicopolitanus Metropolita vocatur, cujus fit mentio ut jam defuncti. Cæterum hac in epistola eadem repetit sanctus Gregorius de simonia quæ in præcedentibus epistolis. GUSSANV. Certe leginus *Nicomeditanæ* in omnibus Vatic., Norm., Corb., Rhem., quod tamen corigendum non dubitamus.

[d] Excusi, *et non ficta*.

[e] Editi, *et oratione resistite, et obedite incontaminata fide*. Sequimur Vatic., Norm., Corb., etc.

tus cecidit, foris quoque diu stare non poterit. Scimus quippe ex Evangelio quid Redemptor noster per semetipsum fecerit, quia ingressus templum cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI, 12). Columbas enim vendere est de Spiritu sancto, quem Deus omnipotens consubstantialem sibi per impositionem manuum hominibus tribuit, commodum temporale percipere. Ex quo, ut prædixi, malo jam innuitur quid sequatur, quia qui in templo Dei columbas vendere præsumpserunt, eorum, Deo judice, cathedræ ceciderunt. Qui videlicet error in subditis cum augmento propagatur. Nam eo ipso quod quisque ad sacrum ordinem perducitur, jam, in ipsa provectus sui radice vitiatus, paratus est aliis vendere quod emit. Et ubi est **798** quod scriptum est: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8)? Et cum prima contra sanctam Ecclesiam simoniaca hæresis orta sit, cur non perpenditur, cur non videtur, quia eum quem quis cum pretio ordinat provehendo agit ut hæreticus fiat? Pro qua re admoneo atque contestor ut omnino debeatis esse solliciti, ut nihil sibi commodi datio, nil gratia, nil quarumlibet supplicatio personarum in sacris ordinibus vendicet, sed ille ad hoc officium perducatur quem morum gravitas commendat et actio. Nam si, quod non credimus, fieri tale aliquid senserimus, canonica illud, ut dignum est, severitate corrigemus. Deus autem omnipotens, qui sapientiæ suæ potestate cuncta mirabiliter ordinat, et misericorditer ordinata custodit, ipse vobis et velle tribuat, et operari quod præcipit.

## [a] EPISTOLA IX.

AD DONUM EPISCOPUM.

*Pallio, quo ipsum decorat, morum ornatum adjungendum monet. Antiqua Messanensis Ecclesiæ privilegia firmat.*

Gregorius Dono episcopo Messanensi.

Apostolicæ sedis benevolentia atque antiquæ consuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, [b] quam in Messanensi Ecclesia gubernationis suscepisse constat officium, pallii usum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus atque ordine quibus decessorem quoque tuum usum esse non ambigimus: hoc nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujuscemodi decoris usum ad sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate ad gloriam Christi, nostra susceptum auctoritate, adornare contendas officium. [c] Sic etenim alterno eris invicem decore conspicuus, si ad hujuscemodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona omnia concordent. Omnia enim privilegia quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ nostra auctoritate firmamus, et illibata decernimus permanere.

## EPISTOLA X.

AD BONIFACIUM EPISCOPUM.

*Regiensi Ecclesiæ unit Carinensem.*

Gregorius Bonifacio episcopo [a] Regitano.

Postquam Ecclesiæ [b] Carinensi, defuncto ejus antistite, alium ordinari [c] nec loci desertio, **799** nec sinit imminutio personarum, majori cura constringimur [d] ne consistentes ibidem, si pastoris fuerint moderamine destituti, per invia fidei hostis callidi rapiantur insidiis. Hoc ergo nostro sedit cordi consilium, [e] tuæ eam sollicitudini debere committi, quod facere per præsentia scripta perspeximus. Cujus ut curam gubernationemque studiosius habere gerereque festines, tuæ eam Ecclesiæ aggregari unirique censemus, quatenus utrarumque Ecclesiarum sacerdos recte, Christo adjutore, possis existere, et quæque tibi de ejus patrimonio, vel cleri ordinatione vigilanti ac canonica visa fuerint cura disponere, quippe ut sacerdos proprius liberam habebis ex præsenti nostra permissione licentiam. Quapropter, frater charissime, dominicorum reminiscens salubriter mandatorum, ita in commissæ plebis regimine, lucrandisque animabus invigila, ut, ante tribunal æterni judicis constitutus, fructum bonæ operationis, qui ad mercedem tuam pertineat, Redemptori nostro, in quo lætari possit, exhibeas.

## EPISTOLA XI.

AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*Gratianum Venefranæ Ecclesiæ diaconum Neapolitanæ incardinari permittit. Vetat ne coram laicis in jus vocentur clerici, ac ne causarum judicium ipse differat. Hortatur ad pastoralem vigilantiam.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Fraternitatem tuam (*Grat. dist.* 71, *c.* 5) a nobis petisse recolimus ut Gratianum Ecclesiæ [a] Venefranæ diaconum tuæ cederemus Ecclesiæ cardinandum. Et quoniam nec episcopum cui obsecundare, nec propriam habet Ecclesiam, hoste scilicet prohibente, quo suum debeat ministerium exhibere, petitionem tuam non prævidimus differendam: idcirco scriptis tibi præsentibus eum necessario duximus concedendum, habituro licentiam diaconum illum, nostra interveniente auctoritate, Ecclesiæ tuæ Deo propitio constituere cardinalem.

Quia vero pervenit ad nos clericos aliasque civitatis ac parochiæ tuæ religiosas personas [b] ab aliis con-

---

Epist. IX [*Al.* 8]. — [a] Epistola hæc in Anglic., Corb., Rhem. Normannisque desideratur. Exstat in Colbert., Reg., et in Vaticanis omnibus, uno excepto D.

[b] Vel, *quam in Messanensis Ecclesiæ gubernatione suscepisse*, etc., ut in Excusis legitur.

[c] Reliqua quæ leguntur absunt ab omnibus laudatis Mss. Vatic., Reg., Colbert. Reperiuntur in vet. Editis, ubi epistola hæc inscribitur *Mariniano*, et in aliis. In nonnullis Excusis, pro *Dono*, legitur *Maximiano*.

Epist. X [*Al.* 9]. — [a] Ita Mss., vel *Registano*. Nullibi autem legimus *Regiensi*, ut in prius Editis.

[b] Carina Italiæ urbs olim Brutiorum episcopalis, nunc eversa, quæ haud longe distabat ab urbe Regio ad fretum Siculum. Joannes episcopus Carinensis, τῶν Καρινῶν, subscripsit concilio Lateranensi sub Martino I, an. 649. Gussanv.

[c] Recent. Vulgati, *nec loci deserti habitatio*; invitis Mss. Anglic., Vatic., Norm., etc.

[d] In Vulgatis, *ne defunctis earum sacerdotibus, si consistentes ibidem pastoris*, etc. Mss. adhæremus.

[e] Vatic. B, *ut tuæ eam sollicitudini deberem committere*.

Epist. XI. — [a] Sive, ut in Mss. legitur, *Benefranæ*.

[b] Scilicet coram judicibus sæcularibus translata

veniri, fieri hoc de cætero prohibemus, et neque clericum tuum, neque monachum vel quamlibet civitatis aliam religiosam personam parochiæ tuæ conveniri a quoquam vel ad alterius volumus judicium exhiberi. Sed si quis contra hujusmodi personas cujuslibet negotii movere voluerit quæstionem, fraternitatem tuam noverit adeundam. Aut si forte, ut assolet, aliqua illis quolibet modo fuerit nata suspicio, et electorum desideraverint judicium, sub tua **800** executione eligendi fas habeant cognitores; quatenus hoc modo nec tu amisisse jurisdictionem, nec actor apud suspectum litigando videatur præjudicium sustinere. Hoc etenim servandum et Anthemio subdiacono nos præcepisse cognosce.

Oportet ergo ut fraternitas tua erga monasteria civitatis, parochiæque suæ, omnesque subjectos pastorali cura diligenter invigilet, et de vita actuque eorum sit omnino sollicita, ut sicut nos hæc tibi privilegia servare dignoscimur, ita et tu vigilantiam tuam in cunctis, ut decet, solerter exhibeas, quatenus in nulla re possis de neglectu reprehensibilis inveniri. Porro autem si tu, quod non opinamur, dissimulandum putaveris, rectori patrimonii Ecclesiæ nostræ, qui illic est, vel fuerit constitutus, noveris esse licentiam ut quod sponte postponis ejus facere instantia modis omnibus urgearis. Sed et illud studere te convenit, ut hi qui contra quoslibet jurisdictioni tuæ suppositos causam habuerint nullis apud fraternitatem tuam frustratoriis debeant dilationibus lacessiri, ne ad fatigationem et damnum alterius hæc tibi servasse privilegia videamur. (*Cf. Joan. Diac. lib.* III, *n.* 20.)

## EPISTOLA XII.

### AD MONTANAM ET THOMAM.

*Montanam et Thomam Romanæ Ecclesiæ famulos manumittit. Eosdem a Gaudioso presbytero hæredes institutos, legatis frui concedit.*

Gregorius Montanæ et Thomæ.

Cum Redemptor noster (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 68), totius conditor creaturæ, ad hoc propitiatus humanam voluerit carnem assumere, ut, divinitatis suæ gratia dirupto quo tenebamur capti vinculo servitutis, primæ nos restitueret libertati, salubriter agitur si homines quos ab initio natura liberos protulit, et jus gentium jugo substituit servitutis, [a] in ea qua nati fuerant [b] manumittentis beneficio libertate reddantur. Atque ideo, pietatis intuitu et hujus rei consideratione permoti, vos Montanam atque Thomam famulos sanctæ Romanæ Ecclesiæ, cui, Deo adjutore, deservimus, liberos ex hac die civesque Romanos efficimus, omneque vestrum vobis relaxamus [c] peculium.

Et quia tu, Montana, animum te ad conversionem fateris appulisse monachicam, ideirco duas uncias, quas tibi quondam Gaudiosus presbyter per supremæ suæ voluntatis arbitrium [d] institutionis modo noscitur reliquisse, hac die tibi donamus, atque concedimus, omnia scilicet monasterio sancti Laurentii, cui Constantina abbatissa præest, in quo converti Deo miserante festinas, **801** modis omnibus profutura. Si quid vero de rebus suprascripti Gaudiosi te aliquo modo celasse constiterit, id totum Ecclesiæ nostræ juri sine dubio mancipetur.

Tibi autem suprascripto Thomæ, quem pro libertatis tuæ cumulo etiam inter notarios volumus militare, quinque uncias, quas præfatus Gaudiosus presbyter per ultimam voluntatem hæreditario tibi nomine dereliquit, simul et [e] sponsalia quæ matri tuæ conscripserat, similiter hac die per hujus manumissionis paginam donamus, atque concedimus; ea sane lege, atque conditione subnexa, ut si sine filiis legitimis, hoc est de legitimo susceptis conjugio, te obire contigerit, omnia quæ tibi concessimus ad jus sanctæ Romanæ Ecclesiæ sine diminutione aliqua revertantur. Si autem filios [f] de conjuge, sicut diximus, [g] cognitos lege susceperis, eosque superstites reliqueris, earumdem te rerum dominum sine quadam statuimus conditione persistere, et testamentum de his faciendi liberam tibi tribuimus facultatem. Hæc igitur, quæ per hujus manumissionis chartulam statuimus atque concessimus, nos successoresque nostros, sine aliqua scitote refragatione servare. Nam justitiæ ac rationis ordo suadet ut qui

---

jurisdictione. Valentinianus, an. 452, clericos judicibus laicis edicto subjecerat, exceptis causis fidei ac religionis. Justinianus et alii quamplurimi, episcopos, clericos, monachos privilegio fori donarunt. Vide Novell. 79, 83, 123. Concil. Chalced., can. 9, vetat clericum cum clerico litem habentem ad sæcularia judicia excurrere, ἐπὶ κοσμικὰ δοκαστήρια. Nunc rei forum actor sequitur. Vide extra. *de foro competenti*, et caus. 11. q. 1. GUSSANV.

EPIST. XII. — [a] Sic restituimus ex Mss. Vatic., Norm., Riem., Corb., etc., præscripto. In Excusis legitur, *in ea natura in qua nati fuerant... libertati reddantur.*

[b] De manumissione supra, lib. II, epist. 10. Olim difficillimum erat servos libertate donare, ac cives Romanos efficere, ut notat doctissimus Tillemontius *in Constantino*, art. 40, p. 168 et 169. At Constantinus lege lata concessit non solum episcopis, sed omnibus etiam clericis, ut famulos suos possent in libertatem asserere. Idem autem erat servos liberos ac cives Romanos efficere, ut etiam patet ex hac Gregorii epistola.

[c] In recent., *servitutis peculium*. Peculium a pecunia, quasi parva pecunia. Definitur id quod permissu parentis, legis aut domini, conceditur filio familias, aut servo, separatim a paternis seu dominicis rationibus. Quod vocat *peculium servitutis*, alii *dominicum* appellant, quia pertinet ad dominum, qui illud jure suo retinere potest. GUSSANV.

[d] Institutio est positio hæredis secundum jureconsultos; at secundum canonistas est collatio verbalis alicujus beneficii. Vide titulum *de institutionibus*, in Decretal. et in sexto. Hic accipitur pro positione hæredis, Gallice, *faire un tel son héritier*. GUSSANV.

[e] Per sponsalia dotem intelligit, de qua dotale instrumentum fuerat confectum. Plautus in Pœnulo :

Sponden' ergo
Tuam gnatam uxorem mihi ?

Ch. :

Spondeo, ut mille auri
Philippum dotis, etc.

GUSSANV.

[f] Excusi, *de conjugio*.

[g] Non adoptivos intelligit, sed qui censentur secundum leges ex legitimo matrimonio nati. GUSSANV.

sua a successoribus desiderat mandata servari decessoris sui procul dubio voluntatem et statuta custodiat (*Grat.* 25, *q.* 1, *c.* 15). Hanc autem manumissionis paginam Paterio notario scribendam dictavimus, et propria manu una cum tribus presbyteris prioribus et tribus diaconis pro plenissima firmitate subscripsimus, vobisque tradidimus. Actum in urbe Roma (*Grat. Caus.* 2, *q.* 2, *c.* 68).

## EPISTOLA XIII.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Decio Lilybetano episcopo in reformando Ecclesiæ suæ statu opem ferat.*

Gregorius Cypriano diacono rectori Siciliæ.

Lilybetanæ clerus Ecclesiæ huc pro ordinando sibi veniens sacerdote, licentiam eis de exquirendo sibi episcopo nos dedisse cognoscas. [a] Qui reperientes Decium forensem presbyterum, sibi eum consecrari multis precibus poposcerunt, quorum petitionem necessarium duximus adimplere. Et ideo dilectio tua in omnibus ei solatiari non negligat; ut, quia [b] Theodorus quondam ejusdem Ecclesiæ episcopus dereliquit plurima quæ emendari debeant, tuo in omnibus adjutus auxilio, duntaxat æquitate servata, causarum **802** inquietudinibus liberior, in Dei laudibus possit existere.

## EPISTOLA XIV.

AD NARSEM COMITEM.

*Athanasium presbyterum in Manichæi dogma cecidisse, Joannem vero ab hæresi immunem declarat; Pelagianum esse qui negat mortuam, cum peccavit, Adami animam. Ephesinæ synodi recentiores Codices falsatos suspicatur, requirendos monet vetustos.*

Gregorius [a] Narsi comiti.

Charitas vestra, sollicitudinem nostræ opinionis habens, scribere studuit quid de illo Codice qui contra Athanasium presbyterum transmissus est [b] sensit. Quem nos, ex parte aliqua subtiliter percurrentes, in Manichæi invenimus dogma cecidisse. Sed

Epist. XIII. — [a] In recent. Excusis, *qui rapientes*, reluctantibus omnibus Mss. nostris.

[b] Vide epist. 59 lib. III, indict. 11 ad eumdem Theod., in qua multa ei facienda significantur. Observandum tamen hæc in plerisque Mss. desiderari, nimirum in Norm., Rhem., Corb., Vatic. D, ubi habes, *non negligat, ut tuo in omnibus jutus auxilio.*

Epist. XIV. — [a] De eo lib. I, epist. 6, et indict. 12, epist. 32.

[b] Recent., reluctantibus Mss., *sensi.*

[c] Vatic., Norm. et plerique, *qua die*, vel, *quacunque die.*

[d] Id apparet ex epistola synodi ad Cœlestinum papam, quæ apud Binium refertur tomo IV. Synodi Ephesinæ, c. 17, in Editione Coloniensi an. 1606, in Edit. 1618 et 1672, parte II, act. 3, in fine hujus epist. quæ incipit : *Sanctitatis tuæ circa pietatem zelum*, etc. Gussanv.

[e] Theodoretus, lib. IV hæretic. fabul., tit. de Messalianis seu Euchetis, et de Enthusiastis, et Hist. Eccles. lib. IV, cap. 11, loquitur de Adelphio tanquam sene capulari, cujus hæresim Flavianus Antiochenus miro artificio deprehendit : cui hæresi præfuerunt Sabbas (in duobus Vatic. legitur *Saba*) non Sava, et Adelphius, et Daodes, et Simeones, et Hermas, et quidam alii, adversus quos scripserunt Latoius Melitines episcopus, et Amphilochius Iconii. Inter alia dicebant baptismum nihil juvare eos qui ad eum accedunt; instar enim novaculæ aufert

A is qui loca aliqua esse hæretica signo contra posito ostendit, ipse quoque in Pelagianam hæresim labitur, quia quædam loca catholice dicta et omnino orthodoxa velut hæretica annotavit. Hoc enim ubi scriptum est quia cum peccavit Adam, ejus est anima mortua, qualiter mortuam dixerit inferius ostendit, quia status sui beatitudinem amisit. Hoc quisquis negat, catholicus non est. Deus enim dixerat : [c] *Qua hora comederitis, morte moriemini* (*Genes.* II, 17). Cum ergo comedit de ligno vetito Adam, quia in corpore mortuus non est novimus, quia post hoc filios genuit atque annis multis vixit. Si itaque in anima mortuus non est, quod dici nefas est, ipse mentitus est qui hunc prædixit die qua peccasset moriturum. Sed sciendum est quia mors duobus
B accidit modis, aut absentia vivendi, aut a qualitate vivendi. In hoc ergo quod comedendo vetitum ejus anima dicitur mortua, non absentia vivendi, sed a qualitate vivendi, ut postmodum viveret in pœna qui ad hoc creatus fuerat ut beate viveret in lætitia. Hunc ergo locum qui in eo Codice qui mihi a fratre meo Joanne episcopo transmissus est annotavit hæreticum, Pelagianus est, quia sententia ista evidenter Pelagii est. Quam Paulus apostolus aperte in suis Epistolis destruit. Quæ loca Epistolarum ejus singula dicere prætermitto, quia scienti loquor. [d] Pelagius vero qui in Ephesina synodo damnatus est, ea intentione hoc dixit, ut ostenderet nos a Christo vacue redemptos. Si enim nos per Adam in anima mortui non sumus, quod dici nefas est, vacue redempti su-
C mus. Ephesinam autem synodum perscrutantes, [e] de Adelphio et Sava, et cæteris aliis, qui illic dicuntur, **803** esse damnati, omnino nihil invenimus et existimamus quia sicut [f] Chalcedonensis synodus in uno loco ab Ecclesia Constantinopolitana falsata est, sic aliquid in Ephesina synodo factum est. Charitas ergo vestra [g] vetustos omnino codices ejusdem priora peccata, peccati autem radicem non exscindit; perpetua autem oratio et peccati radicem radicitus evellit, et malum dæmonem, qui ab initio sorte datus est, ab anima expellit. Photius, in Bibliotheca, vol. LII, refert circa finem IV sæculi synodum Sidæ factam adversus hæresim Messalianam, id est Euchetarum vel Adelphiorum, cui synodo præfuerit Amphilochius cum episcopis 25. Ex qua missa est synodica ad Flavianum Antiochenum, qui eadem de causa synodum etiam habuit. Testatur autem Adel-
D phium, quamvis hæresim detestaretur, non fuisse admissum, quoniam non ex corde pœniteret, etc. Sanctus Maximus, in commentariis ad lib. de Eccl. Hierarch., c. 6, meminit monachorum Adelphianorum, qui postquam per tres annos a professione perfectæ (ἄχρως) vixerant, nihil non sibi permittebant in posterum. Gussanv. De Adelphio monacho loquitur Nilus in libro *de voluntaria paupertate* nondum edito, cujus fragmentum refert Henricus Valesius, annot. in caput 2 lib. IV Hist. Theodoreti.

[f] Scilicet in can. 28, qui Romanis pontificibus probari non poterat. Sic Constantin. I synodi canonem rejicit sanctus Gregorius infra, clericis Romanis Constantinopolitani episcopi limbrias dilatari non ferentibus. Gussanv.

[g] Eximius locus ad commendandos veteres Codices, iliosque redarguendos qui investigandis antiquis Mss. operam dantes carpunt.

synodi requirat, et illic inde videat si quid tale invenitur, mihique eumdem Codicem quem invenerit transmittat, quem mox ut legero retransmitto. Novis enim Codicibus passim non credat, ex qua re dubius factus sum, et nihil adhuc volui de hac causa prædicto fratri meo Joanni episcopo rescribere. Romani autem Codices multo veriores sunt Græcis, [h] quia nos vestra sicut non acumina, ita nec imposturas habemus.

De Joanne vero presbytero cognoscite quia illius causa per synodum decisa est, in qua aperte cognovi quia ejus adversarii [i] eum facere hæreticum voluerunt et diu conati sunt, sed minime potuerunt. Vestros, qui nostri sunt, mea vice salutate, et nostri, qui vestri sunt, per me vos multum salutant. Omnipotens Deus sua te manu inter tot spinas protegat, ut eos illæsus, quos Dominus elegit, flores decerpas. (*Vide indict.* 15, *ep.* 31. *Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 36.)

## EPISTOLA XV.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Joannem presbyterum inique damnatum absolvit, atque ab omni hæreseos labe purum denuntiat. Eumdem commendat Joanni episcopo Constantinopolitano.*

Gregorius Joanni episcopo Constantinopolitano.

Sicut hæreticorum pravitas zelo rectæ fidei comprimenda, ita veræ confessionis est integritas amplectenda. Nam si credi fideliter confitenti despicitur, cunctorum in dubium fides adducitur, atque errores mortiferi ex incauta districtione generantur. Et hinc non solum errantes oves ad caulas minime dominicas revocantur, sed etiam intro positæ ferinis dentibus laniandæ crudeliter exponuntur. Hoc ergo, frater charissime, subtiliter perpendamus, et sub prætextu hæresis affligi quempiam veraciter profitentem fidem catholicam non sinamus, ne quod absit, . hæresim fieri sub emendationis magis specie permittamus.

Valde autem mirati sumus cur hi qui in causa fidei judices contra Joannem Chalcedonensis Ecclesiæ presbyterum a vobis fuerant deputati negligentes veritatem opinioni crediderint, et credere districte profitenti noluerint, maxime dum accusatores ipsius [a] Marcianistarum, quam memorabant, hæresim, unde eum reum moliebantur efficere, interrogati quæ esset, nescire se manifesta **804** professione responderint. Ex qua re evidenter agnoscitur quia personam ipsius sine Dei respectu non juste, sed contra animas suas sola gravare voluntate tantummodo voluerint. [b] Nos itaque, facto concilio, sicut gestorum apud nos habitorum tenor ostendit, cuncta quæ erant necessaria subtiliter perscrutantes ac tractantes, quoniam in nullo ante dictum presbyterum reum invenire potuimus, præcipue quia libellus quem delegatis a vobis judicibus obtulit rectæ fidei per omnia sinceritati concordat, ea propter eorumdem judicum reprobantes sententiam, nostra eum definitione catholicum et ab omni hæretico crimine liberum esse, Christi Dei Redemptoris nostri gratia revelante, denuntiavimus. Quem quoniam ad vestram retransmisimus sanctitatem, oportet ut eum, sicut se cunctis exhibet, benigne suscipiat, et charitatem illi sacerdotalem impendat, atque a cuncta eum inquietudine tueatur, nec quemquam se in ejus molestia occupare permittat; sed sicut alios ab oppressione defenditis, ita huic vestra subtrahere solatia non debeatis. ( *Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 36.)

## EPISTOLA XVI.

### AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*Joannem presbyterum prorsus innocentem affligi denuo velut hæresi obnoxium non permittat.*

Gregorius Mauricio Augusto.

Cum sincera in vobis, Christianissime principum, velut emissum cœlitus jubar, fidei rectitudo resplendeat, cumque notum sit omnibus serenitatem vestram integram professionem qua Deo pollet propitio vehementer amplecti et toto corde diligere, necessarium esse valde perspeximus pro his quos una eademque fides illustrat snggerendo deposcere, quatenus dominorum pietas sua eos gratia protegat, et ab omni molestia tueatur. Quorum dum confessionem quidem despiciunt, veræ fidei contradicere videntur. Nam cum oris confessionem fieri clamet Apostolus ad salutem, qui rectæ professioni credere non consentit, in eo quod alium improbat se accusat (*Rom.* x, 10).

[a] Relectis igitur in concilio quæ contra Joannem Chalcedonensis presbyterum Ecclesiæ acta sunt, simul et serie judicati, majorem illum injustitiam sustinuisse cognovimus, quippe quem clamantem se atque monstrantem catholicum esse, non reatus culpa sed diu accusatio incerta contrivit, in tantum, quia accusatores ipsius Marcianistarum quam commemorabant hæresim se nescire aperta responsione professi sunt. [b] Et qui illico in ipso fuerant judici

[h] Ita quatuor Vatic., sex Anglic., totidem Norm., Corb., Reg.; unde autem hæc lectio Excusorum, *quia nostri, sicut non acumina, ita nec imposturas habent*, fuerit ab Editoribus eruta, nos latet.

[i] Mirari subit Christianos homines zelo tam impotenti æstuasse, aut potius tam immani invidia, tam cæco odio laborasse, ut fideles intus positos conati sint a matris uberibus violenter abstractos ferinis laniandos dentibus exponere. Idem argumentum prosequitur sanctus Gregorius initio sequentis epistolæ, miraturque veritatem ab istiusmodi zelotis adeo fuisse neglectam, ut nec ipsam quam imponebant hæresim scirent. GUSSANV.

EPIST. XV. — [a] Quænam illa fuerit hæresis apud nullum auctorem legi. GUSSANV. Legendum forte Marcionitarum.

[b] Auditur Joannes, libellum suæ fidei offert, judices scrutantur, et facto concilio absolvitur, ut appareat ex his sequentis epistolæ verbis : *sancti concilii mecum definitio*, etc. Idem epistola sequente fusius recenset, docens infidelitatem esse fidem fidelibus non habere, et veraciter confitenti non credere, non esse hæresim purgare, sed facere. In epistolis 16 et 17 eadem versatur quæstio. GUSSANV. Vide lib. II, epist. 44, al. lib. IX, epist. 39.

EPIST. XVI. — [a] Excusi, *relatis*, quod in Mss. non legitur.

[b] Si quidem accusatio requirit legitimam inscri-

limine repellendi, in accusatione ejus **805** permanere incerti permissi sunt. Sed ne dicta eum saltem lacerare potuisset opinio, libellum fidei protulit, in quo se patenter ostendere fidei rectæ professorem studuit et sequacem. Sed hunc a sanctissimo Joanne fratre et coepiscopo nostro judices deputati, injuste ac irrationabiliter negligentes, dum in ejus se niterentur occupare gravamine, [a] se potius reprehensibiles ostenderunt. Nam nullus ambigit infidelitatem esse, fidem fidelibus non habere. Quia ergo omnibus subtiliter rimatis atque tractatis, catholicum suprascriptum Joannem presbyterum sancti concilii mecum definitio, divinæ potentiæ revelante gratia, declaravit, nec quædam in ipso hæreticæ macula pravitatis inventa est, obsecro ut pia serenitatis vestræ protectio illæsum illum ab omni molestia servari præcipiat, nec catholicæ fidei confessorem aliquam sinat inquietudinem sustinere. Nam veraciter profitenti non credere, non est hæresim purgare, sed facere. Quod si licuerit, surget infidelitatis occasio, et ipsi in eas quas incaute volunt emendare culpas incurrunt.

Hæc igitur Serenissimus Dominus pia provisione consideret, et sicut poposci, profusis iterum precibus rogo, ut affligi denuo innocentem velut obnoxium non permittat, quatenus Deus omnipotens, qui placitam sibi catholicæ rectitudinis integritatem clementiam vestram amare cernit atque defendere, et hic devictis hostibus pacatæ vos imperare reipublicæ et cum sanctis suis in æterna faciat vita regnare. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 36.)

## EPISTOLA XVII.

AD THEOTISTUM.

*Joannem presbyterum, ab imposito sibi hæreseos crimine facto concilio absolutum, tueatur ab omni molestia.*

Gregorius Theotisto cognato imperatoris.

Scimus excellentiæ vestræ Christianitatem bonis intentam semper operibus; et idcirco mercedis vobis causas, quas vos diligere certum est, providemus, ut nos vestris meritis providendo jungamur.

Indicamus itaque vobis Joannem presbyterum latorem præsentium liberum ab his quibus accusatus fuerat exstitisse. Cujus fidem facto concilio subtili examinatione, [a] ut petiit, perscrutantes, nullam in eo culpam pravæ confessionis invenimus. Sed quia ptionem, quæ contineat nomen accusati et accusantis, crimen, criminis locum, diem, horam, etc. Debet etiam accusator paratas habere probationes; alioquin pœnas calumniatoris luere. AUGET.

[c] Judices gratia ducti fiunt infames, et parti læsæ tenentur in æstimationem litis. Vide Cod. *de pœn. judic. qui male judic.*, lege fin., et in 6, de sent. et re judic., c. 1, pœnas canonicas a concil. Lugdun. latas.

EPIST. XVII. — [a] Nulla ratione ac contra Mss. fidem in recent. Ed. legitur, *ut potuimus.*

[b] Abest ab omnibus pene Mss.; legitur in Colbert. vet. et in Turon. S. Gat.

EPIST. XVIII. — [a] Hæc epistola non reperitur in Anglic., Norm., Corb. et plerisque Mss., est tamen in Vatic., Rhem. et Reg.

[b] Ex archidiacono Catanensi factus est post Maximianum episcopus Syracusanus, et a Greg. Magno rectæ fidei, Deo miserante, professor ac cultor apparuit, nostra eum definitione absolvimus, præsertim cum accusatores ipsius quæ esset Marcianistarum quam commemorabant hæresim se nescire professi sunt. Eapropter, paterno salutantes affectu, quæsumus ut favoris vestri **806** eum gratia tueri dignemini. Et ne quisquam illum frustra post hoc velit affligere, aut aliquam ei pro hac re quolibet modo molestiam irrogare, ita eum excellentiæ vestræ defensio contra hæc instantius pro sua mercede protegat ac defendat, ut nec hunc amplius tribulatio injusta consumat, et ejus vobis vicem humani generis conditor ac Redemptor, quem sincera confessione colitis, inter bona plurima quæ agitis recompenset.

[b] Mense Octobri, indictione 14.

## [a] EPISTOLA XVIII.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Pallii usum concedit, et antiqua firmat privilegia.*

Gregorius [b] Joanni episcopo Syracusano.

Apostolicæ sedis benevolentia et antiquæ consuetudinis ordine provocati, fraternitati tuæ, quam in Syracusana Ecclesia gubernationis officium constat suscepisse, pallii usum prævidimus concedendum, illis videlicet temporibus [c] atque eo ordine quibus decessorem quoque tuum usum esse non ambigis: hoc nihilominus admonentes, ut sicut a nobis hujus decoris usum ad sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate, ad gloriam in Christo nostram, susceptum adornare contendas officium. Sic enim alterno eris invicem decore conspicuus, si ad hujus corporis habitum [d] mentis quoque tuæ bona concordent. Omnia enim privilegia quæ tuæ pridem concessa esse constat Ecclesiæ, nostra auctoritate firmamus, et illibata decernimus permanere. (*Vide sup. l.* V, *ep.* 17.)

## EPISTOLA XIX.

AD DOMINICUM EPISCOPUM.

*Ut mutua ipsorum dilectio cœleste gaudium acquirat, mutuis sese orationibus adjuvent.*

Gregorius [a] Dominico episcopo Africano.

Epistolarum vestrarum plena sacerdotali charitate elocutio ita sanctitatem vestram memoriter nostris facit mentibus inhærere, ut non credatur abesse corpore, quippe quæ per affectum semper manet in corde. Ut ergo hæc quam ad alterutrum habemus

consecratus an. 596. Imitator fuit virtutum decessoris sui, nam epist. 9, lib. VI, nunc lib. VII, laudat eum Gregorius quod eleemosynas ad se miserit pauperibus erogandas. Obiit sanctissime an. 609. Ejus festum recolit Ecclesia Syracusana die 28 Octobris. GUSSANV.

[c] In Rhem.: *Atque eo ordine, ut alios quoque insulæ Siciliæ sacerdotes vel decessores suos usos esse non ambigis. Illud autem admonemus, ut apostolicæ sedis reverentia, nullius præsumptione turbetur. Tum enim membrorum status integer manet, si caput fidei nulla pulset injuria. Canonum maneat incolumis atque intemerata semper auctoritas. Ut sicut a nobis hujus*, etc.

[d] Duo Vatic., *mens quoque tua concordet.*

EPIST. XIX. — [a] Carthaginensi episcopo, ad quem plures exstant epistolæ. GUSSANV.

dilectio cœlestium nobis commodum acquirat gaudiorum, nostri simus invicem adjutores, et auxilium nobis orationis mutuæ porrigamus; quatenus divina misericordia clementiæ suæ nobis dono concedat, et prædicare quod diligit, et sequi hoc quod per nos prædicari concessit. Sicque officii nostri ministerium pietatis suæ protectione disponat, ut fructum de creditis **807** eidem venienti Domino reportemus, et ad futura æquitatis præmia cum aliorum lucro, ejus adjuvante gratia, [b] perducamur. Quia vero scriptum est : *Orate pro invicem, ut salvemini* (*Jac.* v, 16), ut ad hæc pervenire mereamur, et me pro vobis apud sacratissimum beati Petri apostolorum principis corpus, et vos pro me apud sanctum Cyprianum martyrem, orationibus decet incumbere. Preces etenim nostræ tanto celerius in dominicæ pietatis aurem sublevantur, quanto eas vicissim pro vobis fusas charitatis ardor exacuit. Sed quia sanctitas vestra nudis me verbis alloqui recusat epistolis quoque [c] xenia conjunxit. Quæ nos cum gratiarum actione suscepimus ; sed tamen plus mentis vestræ affectu quam rerum copia delectamur.

## EPISTOLA XX.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Persuadeat Leoni Catanensi episcopo ut Joanni episcopo Syracusano quemdam presbyterum cedat.*

Gregorius Cypriano diacono.

Sicut dilectio tua studiose laboravit pro persona fratris et coepiscopi nostri Joannis, ut in Syracusana Ecclesia, auctore Deo, debuisset ordinari, ita nunc necesse est ut per dilectionis tuæ studia ei quoque regiminis solatia ministrentur. [a] Quemdam enim presbyterum proprium habuisse se perhibet, qui tamen a fratre et coepiscopo nostro Leone in Catanensi Ecclesia dicitur ordinatus. Et quia in novam Ecclesiam vadit, et suos illic proprios homines habere necesse est, ut cum causarum tumultibus premitur, in secreto suo inveniat ubi requiescat, prædicto fratri et coepiscopo nostro Leoni blande et dulciter persuadere debes ut ei præfatum presbyterum cedere debeat, ne quem tam benignus ad ordinandum cessit, ordinatum destituere fortasse videatur. Sed sicut idem frater et coepiscopus noster Joannes; quantum ego in ejus mente didici, ejus se esse archidiaconum nec ob episcopatum susceptum obliviscitur, ita eum sæpe fatus frater et coepiscopus noster Leo suum proprium debet attendere, et non solum de unius persona presbyteri, sed in quacunque re ejus solatio indiguerit, sua ei ministrare auxilia. [b] Mense Novembri, indictione 14. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 20.)

## EPISTOLA XXI.

AD PETRUM EPISCOPUM.

*Commendat Ecclesias tres propriis episcopis destitutas.*

Gregorius Petro episcopo [a] Hydruntino.

Pastoralis nos cura constringit Ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis sollicita consideratione prospicere, ne, proprio decedente rectore, contrarium, quod absit, aliquid Patrum regulis **808** oriatur. Quia igitur Ecclesias [b] Brundusii, [c] Lippias, atque [d] Gallipoli, obeuntibus earum pontificibus, omnino destitutas agnovimus, idcirco fraternitati tuæ visitationis earum operam duximus injungendam. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio earum, a quoquam patiaris imminui. Et ideo fraternitas tua ad prædictas Ecclesias ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque earumdem Ecclesiarum admonere festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu tales sibi præficiendos expetant sacerdotes qui et tanto ministerio digni valeant reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuantur. Qui dum fuerint [e] postulati, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos veniant consecrandi; provisurus ante omnia ne ad hoc cujustibet conversationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras. Monasteria autem si qua sunt in earum parochiis constituta, sub tua cura dispositioneque, quousque illic fuerit proprius episcopus ordinatus, esse concedimus, ut sollicitudinis tuæ vigilantia proposito suo congrua, Deo adjuvante, actione respondeant. [f] Mense Januario, indictione 14.

[a] Gemet. ac nonnulli, *perducamus*.

[b] In plerisque Mss., *exenia*. De hac voce vide lib. III Dial., c. 12.

EPIST. XX. [a] Epist. 19, lib. IV, nunc lib. V, epist. 17, de cessione Joannis a Leone obtinenda monuerat sanctus Gregorius ; post cessionem Joannes ordinatus suum presbyterum in Catanensi Ecclesia ordinatum repetit, quod sanctus Gregorius blande ac leniter Leoni persuaderi præcipit. Vides praxim istius sæculi de propriis clericis. GUSSANV.

[b] Sic legitur in Turon. S. Gat., Colbert. et Vatic. In plerisque tamen Mss. id desideratur.

EPIST. XXI. — [a] Hydruntum seu Hydrus, vulgo *Otranto*, urbs Calabrorum olim episcopalis, nunc archiepiscopalis in regno Neapol. GUSSANV.

[b] Brundusium, vulgo *Brindisi*, Gall. *Brindes*, urbs olim episcopalis postea archiepiscopalis effecta, in Regno Neap. Calabrorum quondam primaria fuit; nunc est in provincia Hydruntina, in ora maris Adriatici contra Tarentum. GUSSANV.

[c] Luppiæ Ptolomæo, Antonino *Lipia;* Mela vocat *Lupias*, aitque oppidum esse Calabriæ haud procul a Brundusio. Plinius, lib. III, c. 10, stationem *militum Lupiam* nuncupat. Nunc pagus *la Rocca* dictus inter Brundusium et Hydruntum, teste Galateo indigena.

[d] Supra, epist. 45, lib. II, indict. 11, nunc 46, lib. III. GUSSANV.

[e] Postulari Gregorio dicitur qui communi cleri et populi decreto eligitur ad episcopatum, lib. I, epist. 69 ; lib. II, epist. 39, lib. VII, epist. 20, 21 ; lib. IX, epist. 88, Jam vero apud canonistas postulatio est unanimis petitio, per quam is qui secundum canones vel ad clerum, vel ad dignitatem ecclesiasticam, etiam regularem, assumi non potest, ex dispensatione tamen et gratia, causa cognita, a superiore admittitur. Cum autem postulatio adversetur juri communi, ideo concordi omnium calculo fieri debet ; adeo ut si concurrat postulatio cum electione, duplo major debeat esse postulantium numerus, cap. 3 et 4, *de postul. prælat.* extr.

[f] Hæc non habent Mss. præter Reg., Turon. S. Gat., Colbert. vet. ac Vatican.

## EPISTOLA XXII.

AD PETRUM EPISCOPUM.

*Ut Ecclesiam et baptisterium consecret.*

Gregorius Petro [a] episc. Aleriensi de Corsica.

Quoniam in insula Corsica in loco Nigeuno, in possessione quæ Cellas Cupias appellatur, juris sanctæ Romanæ, cui Deo auctore deservimus, Ecclesiæ [b] basilicam cum baptisterio in honorem beati apostolorum principis Petri, atque Laurentii martyris, pro lucrandis animabus fundari præcipimus, idcirco fraternitatem tuam his hortamur affatibus, quatenus ad prædictum locum debeat incunctanter accedere, et venerandæ solemnia dedicationis impendens, prædictam ecclesiam, et baptisterium solemniter consecrare te volumus. [c] Sanctuaria vero suscepta [d] cum reverentia collocabis.

## EPISTOLA XXIII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Amalphitanum episcopum in Ecclesia sua residere cogat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Pervenit ad nos (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 20) Pimenium, [a] Amalphitanæ civitatis episcopum, in Ecclesia sua residere non esse contentum, sed foris per diversa loca vagari, **809** quod videntes alii, nec ipsi in castro se retinent, sed ipsius exemplum sequentes, foris magis eligunt habitare. Et quia hoc agentes ipsi potius ad suam hostes deprædationem invitant, idcirco hac tibi auctoritate præcipimus ut supradicto episcopo interminari non desinas, quatenus hoc de cætero facere non præsumat, sed in Ecclesia sua sacerdotali more resideat. Quem si forte non emendari post tuam interminationem cognoveris, in monasterio eum deputare, et nobis curabis modis omnibus A indicare, ut quid facere debeas nostra iterum præceptione cognoscas.

## EPISTOLA XXIV.

AD MARINIANUM EPISCOPUM.

*Probat nonnullos immerito conqueri quod causa inter Ravennatem Ecclesiam et Claudium abbatem Romæ discutiatur ; æquam spondet sententiam.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Scripta fraternitatis vestræ Virgilio diacono deferente suscepimus, in quibus indicastis quosdam de clero et populo [a] clamitasse contra leges et canones esse ut inter Ecclesiam vestram et Claudium abbatem causa hic examinari ac judicari debeat. Qui si ecclesiasticum ordinem, vel inter quos agitur, nossent advertere, se a superflua querela modis omnibus abstinerent, præsertim quia nec causa dici illic B potuit, ubi se prædictus abbas a decessore vestro questus est injustitiam pertulisse, et ex ea hactenus laborare. Hoc enim poterat fortassis opponi, si non ad majorem recurreret, et apud eum causæ suæ peteret meritum terminari. Nunquid non ipse nosti [b] quia causa quæ a Joanne presbytero contra Joannem Constantinopolitanum fratrem et coepiscopum nostrum orta est secundum canones ad sedem apostolicam **810** recurrit, et nostra est sententia definita ? Si ergo de illa civitate ubi princeps est ad nostram causa cognitionem deducta est, quanto magis negotium quod intra vos est, hic est veritate cognita terminandum ? Vos autem ibi stultorum verba non moveant, nec per nos credatis aliquod dispendium Ecclesiæ vestræ fieri. Nam si servum Dei [c] Secundinum diaconum vestrum atque Castorium notarium C nostrum requiratis, ab eis agnoscetis qualiter causam istam jam decessor vester voluerit ordinare. Fraternitas autem vestra sapienter egit personas pro

Epist. XXII. — [a] In Vatic. B solo legitur *episcopo Aleriæ de Corsica.* In Reg. vero, *episcopo Alexandriæ ac clero de Corsica.* In cæteris, *episcopo de Corsica.* [b] Non ut nunc baptisteria in basilicarum angulis construebantur, sed ædes erant separatim positæ. Vide epistolam Paulini 12, ad Severum : *Tu baptisterium basilicis duabus interpositum condidisti.* Formam baptisterii fuisse turritam docet versibus de basilica :

Turrito fontem tegmine constituit, etc.

Supra fontes erat forma columbæ suspensa pyxis, in qua sacrum Christi corpus servabatur in usum recens baptizatorum :

Unde parens sacro educit de fonte sacerdos
Infantes niveo corpore, corde, habitu.
Circumdansque rudes festis altaribus agnos
Plura salutiferis imbuit ora cibis.

In supplicatione clericorum et monachorum Antiochiæ, quæ refertur act. 5 synodi Constantin., sub Mena, contra Severum : *Nam columbas aureas et argenteas in formam Spiritus sancti super divina lavacra et altaria appensas*, etc. Gussanv. [c] Hoc est, sanctorum reliquias quæ in baptisteriis condi solebant. Gregorius Turon., lib. x, c. 19 : *Baptisterium ad ipsam basilicam ædificari præcepi, in quo sancti Joannis cum Sergii martyris reliquias posui ; et in illo priore baptist. sancti Benigni mart. pignera collocavi.* Vide etiam lib. de Vit. Patrum. c. 7. [d] Ita Norm., Corb. et plerique. Excusi habent, *summa cum reverentia.*

Epist. XXIII. — [a] Amalphia et Amalphis, vulgo *Amalfi*, urbs olim episcopalis in Campania, nunc archiepiscopalis regni Neapolit. in principatu citeriori, in ora maritima, non longe a Salerno. In ea primum pyxidis nauticæ usus inventus creditur. Gussanv.

Epist. XXIV. — [a] Scilicet causæ ibi definiendæ sunt ubi primum ortæ, nisi aut suspecti sint judices, aut in causis majoribus via appellationis superior adeatur, ut in causa Joannis Chalcedonensis utrumque contigit. Vide Sardic. concil. can. 3, Romano pontifici faventem, et conc. Carthag., c. 19, 20, 23, 28. In Africano, c. 91, etc. Certe causa inter Ecclesiam Ravennatem et Claudium abbatem potuerat a concilio provinciali dirimi secundum leges et canones, in Nicæno, c. 5 et 6, in Antioch., c. 9, 14, 15, 20. Chalcedon., c. 19, etc. Gussanv. Omissis aliis D rationibus, quæ huic Gussanvillæi censuræ opponi possent, hæc sufficiat quam primo loco profert sanctissimus et æquissimus pontifex, ad retundendas Mariniani ejusque fautorum querelas. Nimirum suspecti erant judices, apud quos Claudium causam dicere cogere volebant. Sane synodo provinciali præesse debebat Marinianus, a quo vexari monasterium suum querebatur. Etiamsi archiepiscopus ab hac lite dirimenda abstinuisset, ne provinciales episcopi suo metropolitano potius quam abbati faverent jure metuebatur.

[b] De hac causa actum est in epistolis 14, 15, 16, hujus libri. Gussanv. In Editis legitur *in causa.* [c] In duobus Vatic. et in omnibus Norm., *Secundum.* In Corb. et Rhem. tantum legitur : *nam si servum Dei diaconum vestrum, atque*, etc., omisso nomine ; postea tamen in Corb. legitur *per Secundum.*

negotio ipso transmittere, et verba inania non audire. Confidimus autem in omnipotenti Deo quia, examinata subtilius veritate, ita Deo placitus huic causæ finis imponetur, ut nec aliqua denuo querela remaneat, nec pars quælibet contra justitiam prægravetur. [d] Spatam vero quam apud decessorem vestrum dilectissimus filius noster Petrus diaconus tunc illic defensor reliquerat nobis, per Secundinum servum Dei atque Castorium notarium, præsentium portitores, transmittite.

## EPISTOLA XXV.

### AD MAXIMUM SALONITANUM.

*Obediat tandem, ac post triginta dies, omni excusatione omissa, Romam veniat, ubi illius causæ juxta canones finis imponatur. Interim sacra communione ob superbiam privatus manent, nec Paulino episcopo, nec Honorato archidiacono sit molestus.*

Gregorius [a] Maximo arreptori Ecclesiæ Salonitanæ.

Dum scriptis nostris, quæsitis quibusdam excusationibus, differs obedientiam exhibere, dum pro veritatis [b] satisfactione toties a nobis admonitus venire postponis, iis quæ adversum te dicta sunt **811** fidem ex hoc magis accommodas; et vel si qua alia deesse videbantur, quæ gravent aut noceant, id agis ut sola dilatio faciat et accuset te esse culpabilem. Humiliare tandem, et obedientiæ te submitte, atque ad nos sine excusatione aliqua venire festina, ut, requisita et cognita veritate, secundum Dei timorem, quidquid æquum canonicumque fuerit decernatur. Certus enim esto quia justitiam tibi et canonum statuta servabimus, atque causæ tuæ, revelante Domino, veritatis auctore, amicum justitiæ finem imponemus. Nam quod postulas (*Grat. caus.* 6, *q.* 5, *can.* 1), ut illuc personam dirigere debeamus, qua præsente de his quæ dicuntur possit esse probatio, esset utcunque excusabile, si unquam ratio ei qui accusatur necessitatem probationis imponeret. At postquam non tibi, sed accusatoribus hoc onus incumbit, ad nos, sicut præfati sumus, dilatione cessante, venire non desinas; et aut sine mora aderit accusator, qui ea quæ de simoniaca hæresi vel aliis dicta sunt congruenti probatione suffulciat; aut certe in his quæ ad salubritatem negotii ipsius pertinent, interveniente beato Petro apostolorum principe, dispensatio justa proveniat; quatenus nulla nos ante Deum dissimulatione, pro eo quod hæc ad nostram conscientiam pervenere, reatus culpa possit confundere. Quod vero indicas serenissimos dominos [c] ut illic debeat esse cognitio præcepisse, nos quidem nullas eorum alias de hac re, nisi ut ad nos venire debeas, jussiones accepimus. Sed et si forsitan pro reipublicæ suæ utilitate, quæ divina sibi largitate concessa est, multa cogitantibus et in diversis sollicitudinibus occupatis suggestum, et eorum est jussio per obreptionem elicita, postquam et nobis et omnibus notum est piissimos dominos [d] disciplinam diligere, ordines servare, canones venerari, et se in causis sacerdotalibus non miscere, instanter exsequimur quod et illorum juvat animam atque rempublicam, et ad quod nos terribilis tremendique judicis respectus impellit.

Quiesce ergo a cunctis excusationibus, et huc adesse non differas, ut, veritatis indagatione roborati, causæ tuæ tandem terminum imponamus. Quod autem valde te pertimescere ac omnino trepidare cognovimus ne hoc fortasse in te ulciscamur, quod sine nostro consensu ad sacerdotalem ordinem cognosceris inordinate prorupisse, intolerabilis quidem culpa est; sed hanc secundum jussiones serenissimi domni imperatoris, si nequaquam amplius in contumaciæ tuæ errore perstiteris, laxamus, atque de hac re contra te minime movemur. Sed alia quæ nobis dicta sunt irrequisita præterire non patimur.

Quia vero dudum scripta tibi transmisimus, ut quoadusque voluntatem ejusdem serenissimi domini cognosceremus, missarum solemnia nullo modo **812** celebrare auderes, sed tu elata mente egisti callide ne eadem scripta susciperes, quæ tamen eorum esset sententia quoquo modo cognovisti, sed servare noluisti; ideoque ea quæ tibi prius scripta transmisimus confirmamus, ut missarum solemnia celebrare non audeas, donec omnia quæ contra te dicta sunt subtiliter inquisita fuerint ac discussa. Quod si perverso forsitan ausu celebrare præsumpseris, ab interdictæ pridem communionis interminatione liberum te non esse cognoscas. Nam etiamsi alii excessus desint, [e] pro hac solummodo culpa superbiæ, dominici te corporis ac sanguinis communione privamus. Pro qua re obedientiam quam decet exhibens, ad nos summopere, sicut diximus, ve-

[d] Sic legitur in omnibus Mss. nostris, et in Editis plerisque. In quibusdam mss. Codd. haberi spartam monet Gussanvillæus; at quinam sint non docet. Certe non Vaticani, non Anglic., non Norm., neque Corb., Rhem., Reg. Negotium facessere potest quod de illa *spata* adeo sollicitus sit sanctus Gregorius, ut ex hac epistola et ex 61 sequenti liquet. Si autem per *spatam* intelligamus *ensem* (nulla enim huic voci subest alia significatio), tanti non erat ut de illa sibi transmittenda tam anxie curaret summus pontifex. At potuit esse spatha aliqua insignis ut etiam apud nos in Sandionysiano cimeliarchio est ensis Virginis Aurel. vulgo *la pucelle d'Orléans*. Quidni dicamus agi de aliquo ense qui inter sacras reliquias haberetur, quod alicujus martyris sanguine fuisset consecratus?

Epist XXV. — [a] In Excusis, *Maximo in Salona qui episcopatum arripuit*, seu potius *Maximo qui in Salona*, etc., ut legitur in Vatic. B. In cæteris Mss. est titulus quem inscripsimus.

[b] In Norm., Corb. et plur., *factione*.

[c] Juxta canones epist. præcedente citatos. Et vero tandem sanctus Gregorius hanc viam inire coactus est, ut ex sequentibus patebit, lib. VII, epist. 80, 81, 82, nunc lib. IX, epist. 79, 80, 81. Gussanv.

[d] Ita cum Mss. Norm., Anglic., Vatic., etc., veteres Editi, a quibus dissidentes recent. Excusi habent *dirigere*.

[e] Contumaciam sufficere ut quis communione privetur, sanxerunt Africani in Carthag. III, can. 7. Refertur caus. 4, quæst. 5, ubi observabis diversos communicationis modos, nec in propria Ecclesia, nec in parœcia. Gussanv.

nire festina, ita ut triginta dierum spatium habeas, quatenus iter tuum præpares, et, omni excusatione postposita, huc adesse non differas.

Si qua autem a judicibus, vel manu militari, vel a populo ad contradicendum itineri tuo occasio fuerit exorta, qua calliditate agatur agnoscimus. Ipse ergo jam videas quam vel hic hominibus, vel in futuro judicio omnipotenti Deo de tua reddas obligatione rationem, qui districtam in te ex tuo contemptu provocasti sententiam.

Præterea pervenit ad me quia Paulinus frater et coepiscopus meus, et [f] Honoratus Ecclesiæ Salonitanæ archidiaconus, pro eo quod præsumptioni tuæ noluerunt præbere consensum, graves a te molestias patiantur, ita ut, datis fidejussoribus, sint constricti, quatenus eis civitatem vel domos suas egredi omnino non liceat. Quod si ita est, vel sero jam ad sensus salutis rediens, scriptis præsentibus acceptis, ab utrorumque te suspende molestia, ut eis libera sit licentia vel ad me veniendi si voluerint, vel quomodolibet alibi pro suis utilitatibus proficisci.

## EPISTOLA XXVI.

AD SALONITANOS.

*Se non privato odio contra Maximum moveri; mirari autem se quod ex illis vix pauci a Maximi communione abstinuerint.*

Gregorius [a] dilectissimis filiis, clero, et nobilibus Salonæ consistentibus.

Pervenit ad me quod quidam perversæ mentis homines, ut dilectionis vestræ animos vulnerarent, vobis insinuare conati sunt quia ego contra Maximum quodam odio movear, et non magis quæ canonica, sed ea quæ furoris sunt, exsequi concupiscam. Sed [b] absit hoc, absit a sacerdotali animo, ut in qualibet causa privato zelo moveatur. Ego autem et vestræ dilectioni providens (*Grat.* 1, *q.* 6, *can.* 2), et meæ animæ omnipotentis Dei judicium pertimescens, ejusdem Maximi causas subtiliter exquiri **813** desidero, si nullis criminibus pressus quæ sacro ordini contradicunt, si non per simoniacam hæresim, id est præmia quibusdam se eligentibus præbendo, ad sacerdotale pertingere officium conatur. Tunc liber pro vobis apud Dominum intercessor erit, si non obligatus de suis ad locum intercessionis venerit.

Cujus tamen jam culpa superbiæ in aperto monstratur, quod evocatus ut ad nos venire debeat, diversis excusationibus renititur, refugit, metuit. Unde ergo trepidat, si eum de his quibus inclamatus est conscientia non accusat? Ecce jam diu dilectio vestra sine pastore est, et sicut vobis omnipotens Deus innotescat, vehementer destitutioni vestræ et medullitus ex toto corde compatior. Audio enim quæ in grege Domini dilaniationes fiunt. Sed cum pastor deest, qui contra lupos invigilet? Ideoque prædictum Maximum ut huc ad nos veniat [c] urgete, quatenus si hunc innocentem invenire possimus confirmemus. Sin vero ea quæ de eo dicta sunt vera patuerint, non jam tandiu dilectio vestra per interpositionem personæ ejus destituta sit.

De me enim certum tenete quia nec odio, nec privati studii zelo, contra eum movear; sed quidquid canonicum justumque fuerit, auctore Deo, decerno.

Miratus autem valde sum (*Grat. dist.* 93, c. 2) quia in tanto Salonitanæ Ecclesiæ clero vel populo vix duo ex sacris ordinibus inventi sunt, frater scilicet et coepiscopus noster Paulinus, et dilectissimus filius meus Honoratus archidiaconus ejusdem Ecclesiæ, qui communicare Maximo sacerdotium rapienti minime consentirent, et se Christianos esse cognoscerent. Debuistis enim, filii charissimi, pensare ordines vestros, et quem sedes apostolica repellebat repulsum cognoscere, ut prius, si posset ab illatis criminibus mundaretur; et tunc ei vestra dilectio communicaret, ne particeps obligationis ejus existeret. Nos tamen erga charitatem vestram visceribus pietatis astringimur; et quia quosdam vestrum violenter pressos ad consentiendum ei et ad communicandum cognovimus, omnipotentem Dominum deprecamur, ut vos ab omni reatu peccatorum vestrorum atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis absolvat, vobisque et in præsenti vita suæ protectionis gratiam tribuat, et nos de vobis in æterna patria gaudere concedat. [d] Mense Martio, indictione 14.

## EPISTOLA XXVII.

AD CLERUM ET POPULUM JADERÆ.

*Se contra Maximum solo justitiæ zelo moveri asserit. Hortatur ut a Maximi communione se suspendant, atque ab illis sacram communionem vercipiant quos Maximo non communicare noverint.*

Gregorius [a] presbyteris, diaconibus et clero, noratus autem valde sum, *quia in tanto Salonitanæ Ecclesiæ clero et populo*, etc. Ergo scribit ad Salonitanos. Quid quod statim meminit Honorati Salonitanæ Ecclesiæ archidiaconi?

[f] Hinc liquet Honoratum ordini suo restitutum, unde eum deturbaverat Natalis, illum subdole ad presbyteratum promovendo. Vide Ep. 19 lib. I, etc, GUSSANV.

EPIST. XXVI. — [a] Ita inscribitur epistola hæc in quinque Anglic., omnibus Norm., Corb., Rhem., et in Vatic. D : *Gregorius presbyteris, diaconibus, clero, nobilibus, populo Jadertæ consistentibus.* In Reg. legitur, *presbyteris, diac. et clero, nobilibus ac populo consistenti et militibus* Aliorum tamen Editorum lectioni standum putavimus, tum quod in tribus Vatic. habeatur, tum quod alia sit epistola ad Jadertinos scripta et eodem fere argumento. Quis autem sibi persuadeat duplicem ad clerum et populum Jadertæ seu Jaderæ missam eodem fere sensu epistolam; et ad Salonitanos quorum Ecclesiam invaserat Maximus, nullam? Præterea in epistolæ contextu legitur : *mi-*

[b] De ira sacerdotis sanctus Chrysostomus, lib. VI de Sacerdotio : *Instar fumi interiora omnia a se occupata involvit.* GUSSANV.

[c] In recent., *urgeo*, sed non ita Mss.

[d] Ita legitur in Colb. vet.

EPIST. XXVII. [*Al.* 48]. — [a] Hujus epistolæ variæ sunt inscriptiones. Mss. Norm. an., consentientibus Vaticano D, Colbert., Corb. ac plerisque, habent *clero, nobilibus, militibus ac populo Jadertæ consist.* In Vatic. B et C inscribitur, *presbyteris, diac. et clero, nobilibus ac populo Jaderæ consist. et militibus.* Ita etiam Vatic. A omisso *et militibus.* In Reg., *et militibus qui Jaderæ consistunt.*

bilibus ac populo [b] Jaderæ consistentibus, et qui Maximo prævaricatori communicaverant.

Pervenit ad me quosdam vestrum, ignorantia vel necessitate deceptos, his qui ab apostolica sede, culpa, sicut nostis, exigente, communione privati sunt, communicasse; quosdam vero se salubri discretione, protegente Domino, suspendisse; **814** et quantum de constantibus gaudeo, tantum de deviantibus ingemisco, quoniam sacræ communionis mysteria, quæ ad absolutionem nobis divina pietate concessa sunt, in detrimentum magis suæ animæ perceperunt. Et quia, sicut vobis omnipotens Deus innotescat, vehementer charitati vestræ et medullitus ex toto corde compatior, paterno affectu obtestor atque suadeo ut ab illicita communione se quisque suspendat, et quos apostolica sedes in communionis suæ consortium non recipit omnino refugiat, ne inde reus ante conspectum æterni judicis unde poterat salvari consistat.

Comperi autem quod quidam perversæ mentis homines illic insinuare conati sunt quia ego contra Maximum quodam odio movear, et non ea quæ canonica, sed ea potius quæ furoris sunt exsequi concupiscam. Sed absit hoc, absit a sacerdotali animo, ut in qualibet causa privato zelo moveatur. Ego vero populo in illis partibus consistenti, ac meæ animæ providens et omnipotentis Dei judicium pertimescens, causas ejusdem Maximi exquiri volo, et cum omni sinceritate revelante Domino quod est canonicum definire. Cui quoniam frequenter scripsimus ut non prius sacra missarum solemnia celebraret quam causam ejus potuissemus agnoscere, alioquin esset communione privatus; et ex hoc jam superbiæ ipsius culpa in aperto monstratur, quod, sæpius, sicut dixi, admonitus ut ad nos veniret, diversis excusationibus renititur, refugit, metuit. Unde ergo trepidat, si eum de his quæ dicta sunt conscientia non accusat? Hæc ergo cognoscentes, postquam vobis nullam de ignorantia excusationem assumere potestis, rogo, hortor et moneo, ut a prohibitæ vos communionis consortio per omnia suspendatis, nec cuiquam sacerdoti suprascripto Maximo communicanti contra animam suam quisquam vestrum communicare præsumat.

Quia tamen audio, sicut præfatus sum, quosdam vestrum ignorantia lapsos, quosdam etiam ad communicandum violenter esse oppressos, omnipotentem Dominum deprecor, ut et eos qui huic pravitati minime consenserunt perpetua gratiæ suæ protectione custodiat, et optata eis largitate respondeat, et illos quos aut studium, aut ignorantia, aut alia quælibet causa, traxit in culpam, ab omni reatu peccatorum, atque ab omnibus vinculis alienæ obligationis absolvat, omnibusque in præsenti vita protectionis suæ gratiam tribuat, et nos de vobis in æterna patria gaudere concedat. Ut igitur hæc vobis intercessio apud Deum Salvatorem nostrum proficiat, adhortationibus nostris pro animæ vestræ salute obedientiam exhibete, et ab illis sacram communionem percipite quos se ab ante dicti Maximi communione abstinuisse vel abstinere cognoscitis.

## EPISTOLA XXVIII.

### AD CANDIDUM EPISCOPUM.

*Aptos ad presbyterale officium monachos cum consensu abbatis assumat, et presbyteros ordinet.*

Gregorius Candido [a] episcopo de urbe veteri majore.

Indicavit nobis fraternitas tua se non habere presbyteros, et ex hac causa necessitatem non **815** modicam sustinere. Et quia in quibusdam monasteriis in sua parochia constitutis quosdam esse monachos perhibet qui ad hoc apti possint esse officium, et eos se cum nostra auctoritate ad hunc postulat ordinem promovere, propterea præsentibus vobis licentiam damus epistolis monachos de monasteriis in tua parochia positis cum consensu abbatis sui tollere, et presbyteros ordinare. Sed illud præ omnibus estote solliciti, ut vitam actusque eorum qui in hoc sunt officio constituendi subtiliter debeatis inquirere, et tunc eos, si digni fuerint, ordinare. Si vero aliqua in eis culpa claruerit quæ eos ad hunc ordinem canonica prohibitione provehi non permittat, nullius vobis supplicatio aut gratia personæ subrepat, ut talibus debeatis manum imponere, ne, quod absit, hic honor, et illis pœna, et vobis incipiat esse peccatum [b].

## EPISTOLA XXIX.

### AD MARINIANUM EPISCOPUM.

*Ne contra decessoris sui dispositionem, supra, epist.* 1, *firmatam, monasterium gravet. Ne male suadentes audiat. Ne plus pecuniæ studeat quam lucrandis animabus. A clericis monasteria molestiam pati non sinat.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Miramur cur sic in brevi fraternitatis tuæ fuerit immutata discretio, ut ea quæ postulat non advertat. Ex qua re dolemus, quia manifestum præbes indicium plus apud te verba male suadentium valuisse quam divinæ lectionis studium profecisse. Cumque monasteria te oporteat defensare, et religiosos illic summopere congregare, ut lucrum de animarum congregatione possis efficere, in eorum te e diverso gravamina, sicut litteræ tuæ testantur, desideras exercere; et, quod est deterius, nos tuæ culpæ studes fieri debere participes, scilicet, dum cum nostro consensu monasterium quod decessor tuus condidit

[b] Jadera, vulgo *Zara*, urbs olim episcop. Illyrici Occidentalis, Liburniæ caput, nunc Jaderensis comitatus, vulgo *Comtado di Zara*; hodie archiepiscopatis est, et permunita in ora Dalmatiæ, sub ditione Venetorum. Existimo tamen Jaderam de qua hic mentio fuisse urbem illam quæ *Zara Vecchia* nunc dicitur, estque media inter Jaderam novam et Scardonam. Hæc epistola similis est epist. 26, eamdem tractat materiam. GUSSANV.

EPIST. XXVIII [*Al.* 27]. — [a] In plerisque legitur tantum *episcopo*.

[b] In Vatic., *mense Martio, indict.* 14.

cupis [a] sub curandarum rerum atque causarum nomine prægravare.

Debes enim recolere quia te præsente, diversis etiam presbyteris et diaconis, clericisque tuis præsentibus, contra testamentum ipsius præceptum, sicut postulavere, concessimus. Ubi tamen ejusdem decessoris tui dispositio quam fecerat de monasterio ipso firmata est, tu nunc ista dissimulans, contraria nos poscis debere præcipere. Et hæc quidem, scimus, non tua sunt; sed dum incongrua dicentes audire non renuis, non solum opinionem tuam, sed gravas et animas. Quia ergo te multum diligo, instanter admoneo, [b] quod districte considera, ut [c] non plus pecuniæ quam **816** animabus studeas. Illud a latere respiciendum est, ad hoc autem tota mentis intentione laborandum, [d] ac vehementius innitendum. Huic rei operam et sollicitudinem vigilanter impende, quia Redemptor noster a sacerdotis officio non quærit aurum, sed animas.

Præterea pervenit ad nos quia monasteria quæ sub fraternitate tua sunt constituta clericorum importunitatibus et diversis eorum molestiis prægraventur. Quod ne de cætero fiat, districta hoc interminatione compesce, quatenus monachis illic degentibus libere in Dei nostri laudibus liceat exsultare.

Romanum vero atque Dominicum clericos, qui de hac urbe ausu temerario sine nostra præsumpserunt benedictione discedere, licet majori fuerant ultione plectendi, tamen relaxari eis benignitatis studio debet, ut ad suum remeare officium urgeantur. [e] Mense Aprili, indict. 14.

## EPISTOLA XXX.

### AD SECUNDUM.

*Pacem cum Agilulpho rege procurare festinet. Marinianum episcopum ad misericordiam in pauperes excitet.*

Gregorius [a] Secundo servo Dei Ravennæ.

Postquam revertens Castorius omnia nobis quæ inter vos et Agilulphum regem acta sunt indicavit, ne excusationem contra nos de mora potuisset aliquis invenire, sub omni eum celeritate illuc retransmittendum prævidimus. Ab eo ergo ea quæ sunt agenda cognoscens, esto sollicitus, et omni modo immine ut pax ista debeat ordinari, quia, quantum dicitur, aliqui hoc impedire conantur. Pro qua re festina strenue agere, ut labor vester sine effectu non valeat remanere. Nam jam et partes istæ, et diversæ insulæ in gravi sunt periculo positæ.

Fratrem nostrum Marinianum episcopum (*Grat. dist.* 86, *c.* 6) verbis quibus vales excita, quia obdormisse eum suspicor. Nam venerunt quidam ad me, in quibus erant quidam senes mendicantes, qui a me discussi sunt a quibus et quid acceperint, et per singula retulerunt quanta eis et a quibus in itinere data sint. Quos dum sollicite de prædicto fratre requirerem quid eis dedisset, responderunt se eum rogasse, sed ab eo se omnino nihil accepisse; ita ut neque panem in via acceperint, cum dare omnibus illi Ecclesiæ semper familiare fuit. Dixerunt enim: Respondit nobis, dicens: Non habeo quod vobis dare possim. Et miror si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare non habet.

Dic ergo ei ut cum loco mutet et mentem (*Ibid.*). **817** Non sibi credat solam lectionem et orationem sufficere, ut remotus studeat sedere, et de manu minime fructificare; sed largam manum habeat, necessitatem patientibus concurrat, alienam inopiam suam credat, quia si hæc non habet, vacuum episcopi nomen tenet. Quædam vero eum per epistolam meam de anima sua admonui, sed nihil mihi omnino respondit, unde credo quia ea neque legere dignatus est. Pro qua re jam necessarium non fuit ut eum per epistolam meam admonere aliquid debuissem, sed tantum illa scripsi quæ in causis terrenis consiliarius dictare potui. Nam ego ad hominem non legentem fatigari in dictatu non debui. Tua ergo dilectio secreto ei omnia loquatur, et admoneat qualiter se disponere debeat, ne per præsentem negligentiam, vitam, quod absit, priorem perdat.

## EPISTOLA XXXI.

### AD RAVENNATES.

*Qui adversus Castorium contestatorios libellos de nocte posuit sacra communione sit privatus, nisi publice aut contestationis veritatem ostendat, aut errorem suum confiteatur.*

Gregorius [a] Mariniano episcopo Ravennati cum cæteris fratribus et coepiscopis, sacerdotibus, levitis, clero, nobilibus, populo, militibus civitate Ravenna consistentibus, vel ex ea foris degentibus.

Quidam (*Grat.* 2, *q.* 1, *c.* 2), maligni spiritus consilio repletus, contra Castorium notarium ac responsalem nostrum nocturno silentio in civitatis loco [b]

Epist. XXIX [*Al.* 28]. — [a] Ita Mss. pene omnes, quod ita mutarunt vet. Editi, *sub quarumdam rerum*, etc.; et recent. cum Ms. Reg., *sub cura quarumdam rerum*.

[b] Excusi, *quod sic recte consideres*.

[c] Dictum supra epist. 42 lib. IV, nunc lib. V, epist. 44. Lege sanctum Bernardum in apologia ad Guillelmum, ubi illud Persii, sat. 2, explicat: *In sancto quid facit aurum?* Non pœnitebit legisse quæ præcedunt, et quæ subsequuntur. Idem ad milites templi initio, cap. 5, et in Cantica serm. 23. Vide sanctum Polycarpum, epistola ad Philippenses. Gussanv.

[d] Recent., invitis Mss., *ac vehementius intuendum*.

[e] Id solum legitur in Turon. S. Gat. et Colbert. vet.

Epist. XXX [*Al.* 29]. — [a] Vulgati, *Secundino servo Dei, non a paribus*. In Mss. Anglic., Norm., Vatic., etc., legitur *Secundo*. In solo Vatic. B, *non a paribus*.

Epist. XXXI [*Al.* 19]. — [a] In Mss., maxime Vaticanis, diversus est epistolæ hujus titulus. In Vatic. A legitur: *Gregorius episcopis, cum cæteris fratribus et coepiscopis meis, qui mecum præsentibus inveniri potuerunt, sacerdotibus, levitis, ducibus, nobilibus, clericis, monachis, militibus militantibus et populo Ravennæ*, etc. Non multum discrepat Vatic. B. Inscriptionem quam legimus exhibent Norman., Anglic., Corb., Vatic. D.

[b] Libellum famosum dicerem, quo quis aut falsa alicui crimina imponit, aut vera, sed occulta manifestat publico programmate. Gussanv.

contestationem posuit in ejus crimine loquentem, mihique etiam de facienda pace callide contradicentem. Et quia quisquis veraciter loquitur semetipsum innotescere non debet formidare, oportet ut publice exeat, et quæcunque in contestatione sua loqui præsumpsit ostendat; quod si non exierit, neque publice confessus fuerit, quisquis ille sit qui hoc agere præsumpsit, vel consensum in tantæ iniquitatis consilio præbuit, ex Dei et Domini nostri Jesu Christi spiritu definimus ut sancti ejus corporis ac sanguinis participatione privatus sit. Si vero quia latet, et quoniam nescitur, teneri a disciplina non valet [c] tanti mali conscius, et jam prohibitus corpus ac sanguinem Domini percipere præsumit, anathematis ultione percussus sit, et ut fallax ac pestifer a sanctæ Ecclesiæ corpore divisus. Si quis autem fortasse talis est quem nos, hujus facti auctorem ac participem esse nescientes, ad eum, bona optantes, epistolas transmittimus, ipsa pro eo apud omnipotentem Dominum deprecatio sit vacua. Sin autem in eadem civitate egressus ad publicum potuerit docere quæ dixit, vel, certe sciens se non posse quæ scripsit ostendere, errorem suum fuerit aperte confessus, dominici corporis ac sanguinis participatione non sit privatus, neque a corpore sanctæ Ecclesiæ **818** alienus existat, quia nos apud omnipotentem Dominum ex nostris quotidie culpis agnoscimus [d] ut, quamvis servato disciplinæ moderamine, aliorum tamen erratis parcendo indulgeamus. [e] Mense Aprili, indictione 14.

## EPISTOLA XXXII

### AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*Si Judaicum aut paganum mancipium ad Christianam fidem converti desiderat, in libertatem vindicetur.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Fraternitati vestræ ante hoc tempus scripsimus, ut hos qui de Judaica superstitione ad Christianam fidem Deo aspirante venire desiderant, dominis eorum nulla esset licentia venundandi; sed ex eo quo voluntatis suæ desiderium prodidissent, defendi in libertatem per omnia debuissent. Sed quia, quantum cognovimus, nec voluntatem nostram, nec legum statuta subtili scientes discretione pensare, in paganis servis hac se non arbitrantur conditione constringi, fraternitatem vestram (*Grat. dist.* 54, *c.* 15) oportet de his esse sollicitam; [a] et si de eorum servitio non solum Judæus, sed etiam quisquam paganorum fieri voluerit Christianus, postquam voluntas ejus fuerit patefacta, nec hunc [b] sub quolibet ingenio vel argumento cuipiam Judæorum venundandi facultas sit, sed is qui ad Christianam converti fidem desiderat defensione vestra in libertatem modis omnibus vindicetur. Ili vero quos hujuscemodi oportet servos amittere, ne forsitan utilitates suas irrationabiliter æstiment impediri, sollicita vos hæc convenit consideratione servare; ut si paganos, quos mercimonii causa de externis finibus emerint, intra tres menses dum emptor [c] cui vendi debeant invenitur, fugere ad Ecclesiam forte contigerit, et velle se fieri dixerint Christianos, vel etiam extra Ecclesiam hanc talem voluntatem prodiderint, pretium eorum a Christiano scilicet emptore percipiant. Si autem post præfinitos tres menses quisquam hujusmodi servorum velle suum edixerit, et fieri voluerit Christianus, nec aliquis eum postmodum emere, nec dominus qualibet occasionis specie audeat venundare, sed ad libertatis procul dubio præmia perducitur, quia hunc non ad vendendum, sed ad serviendum sibi intelligitur [d] reservasse. Hæc igitur omnia fraternitas vestra ita vigilanter observet, quatenus ei nec supplicatio quorumdam valeat, nec persona subripere. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 46.)

## EPISTOLA XXXIII.

### AD LEONEM EPISCOPUM.

*Si pagana mancipia circumciderint Samaræi, in libertatem illa vindicet, non reddito Samaræis pretio.*

Gregorius [a] Leoni episcopo Catanensi.

Res ad nos detestabilis et omnino legibus inimica pervenit, quæ, si vera est, fraternitatem tuam **819** vehementer accusat, quia eam de minori sollicitudine probat esse culpabilem.

Comperimus autem quod [b] Samaræi degentes Catinæ, pagana mancipia emerint, atque [c] ea circumcidere ausu temerario præsumpserint. Atque idcirco necesse est ut omni modo zelum in hac causa sacerdotalem exercens, cum omni hoc vivacitate ac sollicitudine studeas perscrutari; et si ita repereris, mancipia ipsa sine mora in libertatem modis omnibus vindica, et ecclesiasticam eis tuitionem impende, nec quidquam dominos eorum de pretio quolibet

[c] Vulgati recent., *si tanti mali conscius etiam prohibitus.*

[d] In Editis, *ut quatenus servato*, etc.

[e] Ita in Turon. S. Gat. et in Vatic.

EPIST. XXXII [*Al.* 31]. — [a] Recent., *et si de Judæorum*, forte majoris explicationis gratia, nam in Mss. non legitur. De mancipiis Judæorum plura ad epist. 9, l. IV. Vide Nov. Valentiniani tertiam, an. 425, quam Sirmondus in primum tomum Conc. Galliæ conjecit; et in Cod. *de Judæis*, lib. XVII, et tit. seq., *ne Christianum mancipium.*

[b] *Ingenium* est commentum vel artificium quodlibet. Gregorius Turon., lib. VI, c. 22 : *Proclamante episcopo et dicente quod sæpius hic ingenia quæreret, qualiter eum ab episcopatu dejiceret.* Gregorius noster, lib. XI, epist. 2[illegible] : *Ne filios suos quolibet ingenio vel excusatione foris alicubi in conjugio sociare præsumat.*

[c] Recent., invitis Mss. Anglic., Norm., Vatic., etc., *cui vendi debeant non invenitur.*

[d] Iidem recent, *comparasse.*

EPIST. XXXIII [*Al.* 32]. — [a] Vatic. A, *Leontio episcopo Cataniensi.*

[b] Utrum Judæi fuerint quos hic Samaræos vocat sanctus Doctor, non liquet. Certe lib. Moral. I, n. 22, Samarios, vel Samareos juxta multos Mss. Codices, appellat Samaritanos. Verum non legitur Samaritas (sic appellantur apud Hilarium in Matth. c. XXI) tunc exstitisse, aut in Italia habitasse. Apud Cassiodorum, lib. III, epist. 45, Judæi videntur intelligendi his verbis : *nunc autem existere Samarææ superstitionis populum improba fronte duratum.* Sic autem Judæi dicuntur per contemptum. Vide lib. VIII, epist. 21.

[c] Huc refer quæ diximus ad epist. 9, lib. IV.

modo recipere patiaris, qui non solum hoc damno mulctandi, sed etiam alia erant pœna de legibus feriendi. (*Cf. Joan. Diac., l.* IV, *n.* 48.)

## EPISTOLA XXXIV.

AD CASTORIUM NOTARIUM.

*Inquirat quot ab ultima antiquitate litaniæ solemnes fuerint in quibus Ravennas episcopus pallio uteretur.*

Gregorius Castorio [a] notario nostro Ravennæ.

Dum Florentinus Ravennatis Ecclesiæ diaconus apud nos pro reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Mariniano de usu pallii ageret, requisitus a nobis quæ esset antiqua consuetudo, respondit quod in omnibus litaniis pallio Ravennatis Ecclesiæ episcopus uteretur. Quod ita non esse et ab aliis didicimus, et ex epistolis Joannis quondam episcopi, quas ei ostendi fecimus, evidenter apparuit. Sed hoc asseruit quod dicere jussus est. Nam tempore [b] quo a te idem Joannes quondam episcopus est inhibitus, ne pallio inordinate ac temere uti præsumeret, scripsit nobis hanc fuisse priscam consuetudinem, ut civitatis ipsius episcopus pallio in litaniis solemnibus uteretur. Quarum ibi litterarum exemplaria pro tua informatione transmisimus. Adeodatus vero prædictæ Ecclesiæ diaconus, dum apud nos tempore quo hic fuit similiter de ejusdem usu pallii agere enixius studeret, volentes cognoscere veritatem, eum similiter quæ esset consuetudo curavimus requirendum. Qui, ut credi sibimet suaderet, atque a nobis valeret quod petebat exigere, sub jurejurando testatus est antiquam consuetudinem fuisse ut in quatuor aut in quinque solemnibus litaniis pallio civitatis suæ episcopus uteretur. Experientia ergo tua diligenter invigilet, et cum omni sollicitudine quot litaniæ solemnes ab antiquitate fuerint [c] requirat. Nec eas solemnes nominando requirere studeat, sed majores; ut per hoc quod nobis præfatus Adeodatus diaconus testatus est, et prædicti Joannis episcopi fatetur epistola, dum constiterit quantæ litaniæ solemnes fuerint, quoties indui solebat in litaniis pallium cognoscentes, libentissime concedamus. **820** Sed hoc non ab illis perquirat qui ab ecclesiasticis exhibentur, sed ab aliis quos sine favore partis esse cognoverit, et quæque sollicita indagatione repererit nobis subtiliter indicet, ut veritate, sicut diximus, cognita, fratris coepiscopi nostri reverendissimi Mariniani animos relevemus.

## EPISTOLA XXXV.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Pecuniam mittit in captivorum redemptionem, cui studiose jubet incumbere.*

Gregorius Anthemio subdiacono nostro Neapolitano.

Quantus dolor, quantaque sit nostro cordi afflictio de his quæ in partibus Campaniæ contigerunt, dicere non possumus, sed ex calamitatis magnitudine potes ipse colligere. Ea de re pro remedio captivorum qui tenti sunt solidos experientiæ tuæ per horum portitorem Stephanum virum magnificum transmisimus, admonentes ut omnino debeas esse sollicitus, ac strenue peragas, et liberos homines quos ad redemptionem suam sufficere non posse cognoscis, tu eos festines redimere. Qui vero servi fuerint, et dominos eorum ita pauperes esse compereris, ut eos redimere non assurgant, et hos quoque comparare non desinas. Pariter etiam et servos Ecclesiæ qui tua negligentia perierunt curabis redimere. Quoscunque autem redemeris, subtiliter [a] notitiam, quæ nomina eorum, vel quis ubi maneat, sive quid agat, seu unde sit, [b] contineat, facere modis omnibus studebis, quam tecum possis afferre cum veneris. Ita autem in hac re te studiose exhibere festina, ut ii qui redimendi sunt nullum, te negligente, periculum possint incurrere, et tu apud nos postea vehementer incipias esse culpabilis. Sed et hoc quam maxime age, ut, si fieri potest, captivos ipsos [c] minori possis pretio comparare. [d] Substantiam vero sub omni puritate atque subtilitate describe, et ipsam nobis descriptionem cum celeritate transmitte. [e] Mense Maio, indictione 14.

## EPISTOLA XXXVI.

AD SECUNDINUM EPISCOPUM.

*Sincerum, si a soceri sui successione abstinuerit, ab hujus creditoribus vexari non sinat. Illi vero, ut vitæ subsidium reperiat, liberam procuret quo voluerit eundi licentiam.*

Gregorius Secundino episc. [a] Tauromenitano.

Et legum ratio, et æquitas admonet naturalis, ut quisquis [b] hæreditatem aut renuit, aut parentum successione se abstinet, hæreditaria non **821** debeat onera sustinere. Quia ergo Sincerus, lator præsentium, Hilarum socerum suum omnino inopem defunctum innotuit, et uxorem suam, [c] filiam ipsius, in qualibet re ejus se substantiæ minime miscuisse, et ad persolvendum paternum debitum eam ab ejus creditoribus queritur perurgeri, idcirco fraternitas vestra diligenter inquirat. Et si ea quæ ait veritate subsistunt, sacerdotalem illis studeat tuitionem impendere, nec eos contra rationis ordinem vexari, aut damnum permittat aliquod sustinere. Nam valde durum est ut unde nullum sensit commodum, sustineat injuste dispendium. Supradictus autem portitor, si huc cum uxore sua venire voluerit, quia illic se dicit non posse subsistere, vestris propter Deum solatiis potiantur, nec cujusquam eos illic adversitas pro sua tantum voluntate retineat, aut eis irrationabiliter molestus existat, sed liberam ha-

EPIST. XXXIV [*Al.* 77]. — [a] Addidimus *nostro* ex Mss. Et quidem Castorius non erat notarius Ravennatis Ecclesiæ, sed Romanæ, qui Ravennæ tunc degebat.

[b] Vatic. B, *a tempore quo ante.*

[c] Vide supra, lib. v, epist. 11, et infra, epist. 61.

EPIST. XXXV [*Al.* 34]. — [a] *Notitia* quid sit, supra, epist. 16 lib. III, nunc lib. IV.

[b] Quinque Anglic., Norm. et plur., *continuo facere ... studebis.*

[c] Vel *mitiori*, ut legitur in Norm., Vatic., etc.

[d] Gall., *l'état sommaire, la somme, la quantité, le total.* GUSSANV.

[e] Ita Colb. vet. et Turon. S. Gat.

EPIST. XXXVI [*Al.* 35]. — [a] Tres Vatic. et alii, *Tauromeniæ episcopo.*

beant quo voluerint eundi licentiam, quatenus vivendi subsidium alibi saltem Deo largiente reperiant.

[a] Mense Junii, indictione 14.

## EPISTOLA XXXVII.

### AD COLUMBUM EPISCOPUM.

*Rogatianò ejus diacono scripta ad rectorem patrimonii Siciliæ dedisse, ut causa quædam citius finiatur. Petrum quondam Numidiæ episcopum ad Columbum a se mitti, quem, cognita ibi melius causa, canonice cum consciis judicet. Catholicorum filios aut mancipia baptismo Donatistarum infici non ferat.*

Gregorius [a] Columbo episcopo Numidiæ.

Scripta fraternitatis vestræ, sacerdotali plena dulcedine, præsentium portitore Rogatiano diacono deferente, suscepimus. Et valde nos eorum lætificavit benigna locutio, præsertim quia per ea de vestra, quod desiderii nostri est, incolumitate cognovimus. Devotionem vero sanctitatis vestræ, et olim novimus, et nunc sicut scribitis, sic habemus. Nam qualis erga nos sinceritas fraternitatis vestræ sit, [b] satisfactione non egemus, quia eam ex mentis nostræ, quæ circa vos est, dilectione cognoscimus. Suprascripto autem latori, quem nobis epistolariter commendastis, scripta ad rectorem patrimonii Siciliæ dedimus, ut adversam partem facere quæ justa sunt urgeat, quatenus, frustratoria excusatione postposita, ad finem citius perducatur totius causæ contentio.

Indicamus itaque sanctitati vestræ venisse ad nos quemdam hominem, Petrum nomine, qui se **822** asserit fuisse episcopum, atque causæ suæ a nobis remedium postulasse. Et prius quidem retulit quæ digna esse miseratione potuissent; sed requirentes, C postea multo aliter quam indicavit invenimus, et vehementer nos ejus actio contristavit. Sed quia causæ ipsius interna subtiliter nequaquam addiscere tam longo itineris intervallo disjuncti potuimus, eam, incerti quippe, definire nequivimus. Nunc vero quoniam remeans supradictus diaconus secum eum relaxari poposcit, et ipse ad vos se petiit debere transmitti, scientes sanctitatem vestram, zelum, sicut decet, fidei, et amorem habere justitiæ, nobis gratum fuit, et ea quæ petiverunt concessimus. Quia ergo præsentes causam subtilius potestis scire, hortamur ut eidem Petro ita servare quidquid justum canonicumque fuerit debeatis, quatenus et rectitudinis vigor a vobis in omnibus impleatur, et causa ipsius secundum Dei timorem et Ecclesiæ videatur regulas judicata. Si quis vero conscius vel particeps præfato Petro in his quibus accusatur, dicitur exstitisse, subtiliter requirendum est, et, veritate cognita, similiter canonice judicandum.

Præterea res ad nos omnino dura et rectæ fidei inimica pervenit, quia, quod dici nefas est, catho- B lici homines, et [c] religiosi, quod est deterius, filios mancipiaque sua, vel alios quos in potestate habent, in Donatistarum hæresi baptizari consentiunt. Et ideo, si verum est, fraternitas vestra hoc summopere studeat emendare, quatenus sinceritas fidei vestra sollicitudine intemerata consistat, et innocentes animæ, quæ catholico baptismate salvari poterant, [d] hæreticorum infectione non pereant. Quisquis ergo, de his personis quas superius memoravimus, quemquam suorum apud Donatistas passus est baptizari, ad catholicam eos fidem omni virtute omnique instantia studeat revocare. Si quis vero talium de cætero hoc fieri de suis qualibet excusatione pertulerit, a clero sit modis omnibus alienus.

## EPISTOLA XXXVIII.

### AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Alexandriam relictam Vincomali commendat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Quanto viduæ bene viventes virorum sunt solatio destitutæ, tanto eis enixius ecclesiastica est impendenda tuitio. Atque ideo hujus tibi præcepti pagina deputamus, quatenus Alexandriæ **823** magnificæ fe-

[b] Hæreditas est jacens, quæ nondum adita est. Aditur, cum hæres se eam accipere aut dicto testatur aut facto. Omittitur, cum hæres se tempore excludi patitur. Repudiatur, cum is ad quem delata est adire recusat. GUSSANV.

[c] Vitiose in Excusis, *filiamque ejus*, nam addito *que*, dubitatur cujus filia sit, uxoris an Hilari, ea de qua agitur.

[d] Ita legitur in Turon. S. Gat., in Colbert. vet. et in Vatic.

EPIST. XXXVII [*Al.* 36]. — [a] Ad Columbum multæ exstant epistolæ ut docebunt indices.

[b] Secundum jureconsultos *satisfactio* est pignoris vel fidejussoris exhibitio. Gall., *je le crois sur sa parole, sans caution*. Eadem vox reperitur in epist. Marciani Alexandrinis ad finem : *Ut per omnia satisfactione suscepta*. GUSSANV.

[c] Hoc nomine non monachos modo, sed et clericos, imo quemlibet Christianum catholicum Gregorii ævo denotari probat Joan. Filesacus, comment. in Commonitor. Vinc. Lirin., num. 12.

[d] Non quod hæreticorum baptisma putaret invalidum Stephani I successor, addictissimus Augustini discipulus; sed quod per ejusmodi baptisma in hæreticorum societatem venientes, illorum assuescerent moribus, atque erroribus inficerentur. Quamvis autem hæreticorum baptisma, etiam post Nic. synodum, repudiasse omnino videantur Athanasius, Basilius, Optatus, Cyrillus Jerosol. et Ambrosius; ne tamen cum Gussanvillæo dicas : *una fere voce docent veteres..... collatum ab hæreticis baptismum vires emundationis non habere.* Quippe jam nemo nisi hæreticus baptismum valere negat a quocunque collatum, modo verbis consecretur evangelicis. At nihil ad fidem pertinere constat, nisi quod ab apostolis continua successione manavit; non enim novis nititur fides nostra revelationibus. Certe in celebri illa con- D troversia Stephanum inter et Cyprianum, cum hic baptismum ab hæretico datum, ob ministri perversitatem et infidelitatem rejiceret, ac proinde venientes ab hæresi censeret iterum baptizandos; ille vero baptisma etiam ab hæreticis susceptum, ob vim et efficaciam verborum evangelicorum quibus conferebatur, valere, nec esse iterandum pugnaret; id maxime urgebat : *si quis a quacunque hæresi venerit ad nos, nil innovetur nisi quod traditum est, ut manus imponatur in pœnitentiam.* Enimvero, ut ait Augustinus, lib. II de Bapt., c. 9, *consuetudinis robore tenebatur orbis terrarum.* Et lib. IV, c. 6, agebat Cyprianus *adversus totius orbis morem*, quem lib. V, c. 23, ab apostolis deducit. Eamdem hæreticos non rebaptizandi consuetudinem exhibet nobis tanquam perpetuam in universa Ecclesia ab apostolorum tempore Hieron. in dialogo adversus Luciferianos. Idem testatur Eusebius, lib. IV Hist., c. 4.

minæ, relictæ quondam Vincomali, omni instantia, A omnique sollicitudine, ubi necesse fuerit, servata scilicet æquitate, tuitionem festines impendere, atque ejus utilitatibus studiose concurrere; nec eam a quoquam vexari permittas, aut molestiam sustinere, sed ita, sicut prædiximus, ubi causa poposcerit, ope tuæ sollicitudinis potiatur, ut nullus se in afflictione oppressioneque ipsius te illic coram posito tentet aliquatenus occupare.

## EPISTOLA XXXIX.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Reversum a schismate Joannem commendat, cui det annuos octo solidos.*

Gregorius [a] Cypriano diacono.

Joannem religiosum præsentium latorem, qui ex Histricorum schismate ad sinum sanctæ Ecclesiæ, B Deo revelante, accepta ratione reversus est, dilectionem tuam, æquitate servata, habere necesse est in omnibus commendatum, atque ei in quibus causa poposcerit ecclesiasticam tuitionem impendere. Cui etiam [b] pro stipendiorum suorum subsidio, ab hac quarta decima indictione, annis singulis [c] tot solidos dare te volumus, quos tuis per omnia noveris rationibus imputandos.

## EPISTOLA XL.

AD DONUM EPISCOPUM.

*Georgii, si rectius ille vixerit, sustentationi subveniat.*

Gregorius Dono episcopo Messanensi.

Georgius præsentium portitor degere, ut ait, in civitate vestra desiderans, apud fraternitatem vestram nostra se petiit epistola commendari. Cui quoniam a C prava se promisit actione compescere, quod petebat prævidimus non negandum. Et ideo sanctitas vestra de anima ejus studeat propter Deum esse sollicita, atque eum adhortationibus suis ad viam Deo placitam revocare; et si, adjuvante Domino, ut promisit, ab omni se pravitate suspendens, vivere honeste voluerit, fraternitas vestra pro mercede sua, ut prospexerit, ejus sustentationi subveniat, ne forsitan [a] ad male agendum excusationem sibi ex necessitate videatur assumere. Quid autem fraternitas vestra ex ejus importunitate sit passura consideret, qui ad vos cum nostris epistolis venit, quem nos sine auctoritate aliqua importunum valde in prece pertulimus.

## EPISTOLA XLI.

AD RUFINUM EPISCOPUM.

*In Ecclesia Massæ Nicoteranæ presbyterum ordinandum, qui episcopi in pœnitentiam deputati vice baptizet ac celebret Missas.*

Gregorius Rufino episcopo [a] Vivonensi.

Ex habitatoribus [b] Massæ Nicoteranæ, quorum episcopus pro quibusdam culpis in pœnitentiam **824** deputatus est, relatione comperimus nullum illic esse presbyterum qui sacra possit missarum solemnia celebrare, in tantum ut etiam filios suos sine baptismate asserant remansisse. Et quia hac pro causa magnopere petiverunt sibi in eadem Ecclesia cui fraternitas vestra operam visitationis impendit debere presbyterum ordinari, ea propter scriptis vos præsentibus adhortamur, ut de clero ejusdem Ecclesiæ requirere B debeatis, cujus vita et mores ad hoc possint officium convenire, et eum illic presbyterum festinetis, auxiliante Domino, consecrare. Nam valde durum est ut quousque causa episcopi eorum subtiliter requiratur, non habeat Ecclesia illa presbyterum, qui sacrum illic opus valeat celebrare. [c] Mense Julio, indictione 14.

## EPISTOLA XLII.

AD VICTOREM EPISCOPUM.

*Ut in monasterio presbyterum ordinet.*

Gregorius Victori episcopo Panormitano.

Urbicus abbas monasterii sancti Hermæ, quod Panormi situm est, a nobis cum congregatione sua magnopere postulavit in eodem monasterio presbyterum, qui sacra missarum solemnia celebrare debeat, ordinari; et quia hujusmodi non est differenda petitio, C fraternitatem vestram scriptis præsentibus necessario duximus adhortandam, ut eum qui ad hoc ministerium de eadem congregatione electus fuerit, cujus vita, mores, et actio tanto possit ministerio convenire, sine mora, auxiliante Domino, debeat consecrari, quatenus nec ille de monasterio suo hac pro causa egredi, nec extraneum sibi ad peragendum sacrum opus cogatur adducere.

## EPISTOLA XLIII.

AD VENANTIUM PATRICIUM.

*Contristatum se de illius et Joannis episcopi discordia; huic reverentiam exhibeat, causasque suas agant, illæsa charitate.*

Gregorius [a] Venantio patricio exmonacho.

Multum ea quam direxistis jam nos contristatos D tantum, *Rufino episcopo*. In quatuor aliis Vatic. exstat *episcopo Vivenensi*.

[b] Nicotera hodieque nomen retinet, Tropeam inter et Vibonem, nunc adhuc episcopalis in Calabria ulteriore sub archiep. Regiensi; ejus fit mentio in VII syn., act. 1, ex subscriptione Sergii Νικοτερῶν episcopi. GUSSANV.

[c] Hæc temporis nota confirmatur testimonio Mss. Vatic., Colbert. ac Turon. S. Gat.

EPIST. XLII [*Al.* 41]. — [a] Monasterium sancti Hermetis, in Panormitana civitate situm, putant unum fuisse e sex illis a sancto Gregorio in Sicilia fundatis, quia epist. 4 lib. IV, nunc lib. V epist. 6, loquens de Urbico abbate, ait eum monasterii sui præpositum. GUSSANV.

EPIST. XLIII [*Al.* 42]. — [a] Vide epist. 34 libri I, et 59 libri IX. De Venantio fusissime in vita sancti Gregorii disseruimus.

EPIST. XXXVIII *Al.* 37.

EPIST. XXXIX [*Al.* 38]. — [a] In duobus Teller., *Cypriano subdiacono.*

[b] In recent., reluctantibus Mss. Vatic., Anglic., Norm., etc., *pro dispendiorum suorum subsidio.*

[c] In iisdem Editis, *præsentis annis indict. .... octo solidos.* Sequimur Vatic., Norm., Reg., Rhem.

EPIST. XL [*Al.* 39]. — [a] Duplex in illo casu misericordia, nam et animæ consulitur, et necessitati corporeæ subvenitur. GUSSANV.

EPIST. XLI [*Al.* 40]. — [a] Ita in omnibus exemplaribus, pro *Vibonensi*. Est autem Vibo Valentia aliis Hipponium dicta, aliis Bivona, aliis etiam Bibona, urbs olim episcopalis Brutiorum in ora sinus Hipponiatis, vulgo *Golfo di S. Eufemia*, nunc castrum provinciæ Calabriæ ulterioris in regno Neap., non longe a monte Leonis, quæ urbs illi successit. GUSSANV. In Norm., Vatic. D, Colb. et plur., legitur

invenit epistola, quod inter vos et Joannem fratrem et coepiscopum nostrum, de quorum desiderabamus gaudere concordia, scandalum prodiisse cognovimus. Quævis enim causa fuisset, non usque ad hoc debuit furor erumpere, ut armati homines vestri, sicut audivimus, in Episcopium irruerent, et diversa hostili more mala committerent, atque vos hæc res a paterna charitate interim divideret. Nunquid non poterat, quælibet contentio fuerit, tranquille disponi, ut nec partium utilitas detrimentum, nec sentiret gratia læsionem? Cujus autem gravitatis, cujus sanctitatis, cujus mansuetudinis supradictus frater noster sit, non habemus incognitum. Ex qua re colligimus quia nisi vis eum doloris nimia coegisset, ad hanc rem de qua vos contristatos asseritis, ejus fraternitas **825** nullatenus pervenisset. Nos tamen, ut hoc eo scribente comperimus, illico ei scripsimus, admonentes ut et [b] oblationes vestras sicut ante susciperet, et missas in domo vestra non solum celebrari permitteret, sed si velitis, etiam ipse perageret, causamque suam servata charitate exsequi debuisset. Et quia nullos discordes vel fieri volumus vel manere, eamdem adhortationem iterandam esse prospeximus. Unde necesse est, charissime fili, ut et vos sacerdotalem illi reverentiam exhibere, sicut decet filios, debeatis, nec ejus ad iracundiam animos provocetis. Nam cum quo fidam estis gratiam habituri, si vobis, quod absit, cum sacerdote fuerit discordia? Itaque animorum tumore deposito, sic agere causas quas habetis invicem studete, ut et charitas inter vos intemerata permaneat, et alterutra mansuete procuretur utilitas. (*Cf. Joan. Diac. l.* 3, *n.* 48.)

## EPISTOLA XLIV.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Hortatur ut Venantio pristinam ostendat benevolentiam.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Quamvis causa fuerit quæ fraternitatis vestræ animos ad iracundiam non immerito provocaret, ut nec oblationes domni Venantii voluissetis suscipere, nec in domo ipsius sacra missarum sineretis solemnia celebrari, tamen quia ita terrena agi debet utilitas, ut nullum nos jurgium a charitatis valeat connexione disjungere, proinde sanctitatem vestram, sicut dudum scripsimus, adhortamur, quatenus et oblationes ante dicti viri omnimodo in dulcedine et Deo placita debeatis sinceritate suscipere, et in domo ipsius missarum peragi mysteria permittatis; ut, sicut scripsimus, si fortasse voluerit, per vos debeatis accedere, et celebrando apud eum missas priorem gratiam reformare. Oportet namque filiis sacerdotalem vos affectum impendere, et in causis, prout ratio suffragatur, jurisdictionem Ecclesiæ vestræ minime præterire. Hoc ergo considerans, necesse est ut ita se circa eos fraternitas vestra discreta moderatione exhibere studeat, ut et quod negotii qualitas exigit, salubriter peragat, et a paternæ charitatis gratia non recedat.

## EPISTOLA XLV.

### AD LEONTIUM EPISCOPUM.

*Facultatem tribuit Ecclesiam dedicandi. Fundatorum illius donationes confirmat.*

Gregorius Leontio episcopo Ariminensi.

Basilicam beati Stephani martyris, quam fraternitas vestra incendio asserit concrematam, **826** quam etiam nuper [a] instauratam esse commemorat, facultatem tribuimus dedicandi, in qua etiam reliquiarum sanctuaria ejusdem beati Stephani martyris volumus collocari. Et ideo, frater charissime, ad prædictam te Ecclesiam ire necesse est, et tam Ecclesiæ quam etiam altaris noviter constructi dedicationem solemniter exhibere, ut exspectantium de eadem consecratione devotio Domino valeat auxiliante compleri. Quidquid præterea eidem loco a fundatoribus olim concessum est, in ea qua dimissum est voluntate ac firmitate volumus permanere.

## EPISTOLA XLVI.

### AD FELICEM EPISCOPUM.

*Cathedram suam e monasterio faciat amoveri, nec illic missas publicas denuo peragat.*

Gregorius Felici episcopo [a] Pisaurensi.

Miramur fraternitatem vestram, ut serie præcepti neglecta, quod ad vos sanctæ memoriæ decessor meus dederat, monasterium a Joanne præsentium portitore constructum, aliter quam antiquæ consuetudinis usus exigit, consecrares. Dum etiam in eodem præcepto inter alia mandatum sit ut locum ipsum [b] absque missis publicis dedicares, et, ut ad nos pervenit, [c] cathedra posita, sacra illic publice missarum solemnia celebrantur. Quod si verum est, his vos hortamur affatibus, ut, omni excusatione cessante, cathedram vestram exinde amoveri modis omnibus faciatis, nec denuo illic missas publicas peragatis. Sed, sicut et consuetudo et præcepti tenor eloquitur, si missas ibidem sibi celebrari voluerint, a te presbyter dirigatur.

In eodem autem monasterio congregationem servorum Dei, sicut prædictus Joannes et petiit et nunc est, et cum Dei gratia semper volumus permanere.

[b] Fere abierunt in desuetudinem, cum tamen in primitiva Ecclesia fuerint frequentatæ, necnon posterioribus sæculis per canones statutæ, præceptæ. Vide Gangr. conc. can. 5, 6, 7, 8; et Colon., anno 1549, can. 20; Mediolanen. IV, tit. *de parochialibus juribus*, qui ultimus est II partis constit., etc. Gussanv. Consule præfationem nostri Joan. Mabillonii in I partem sæculi III Bened.

Epist. XLV. — [a] Quatuor Vatic. et aliis, *restauratam*.

Epist. XLVI. — [a] De Pisauro supra, lib. V, epist. 28.

[b] Missæ publicæ sunt, ad quas fideles omnes vocari et convenire solent. Pelagius sancti Gregorii, decessor proximus, ut monachorum tranquillitati cautum esset, neve fieret in monasterio de quo hic agitur magnus populi concursus, prohibuerat ibi missas publicas ab episcopo celebrari. Episcopum secus facientem reprehendit sanctus pontifex.

[c] Episcopo non licet collocare cathedram in monasterio, ne injuria fiat libertati et exemptioni monasterii cathedra posita, quæ est insigne et argumentum jurisdictionis episcopalis, inquit Alteserra ad hanc epistolam.

[d] Calicem vero quem sibi a fraternitate vestra ablatum innotuit, ei, si ita est, restituere festinate. Hæc ergo sanctitas vestra ita studeat adimplere, ut denuo ad nos prædictus portitor pro hac causa necessitatem remeandi non habeat.

## EPISTOLA XLVII.

AD LEONEM EPISCOPUM.

*Reversum ab Histricorum schismate Joannem tueatur, et annuo refoveat subsidio.*

Gregorius Leoni episcopo [a] Fanensi.

Sicut schismatici pravo studio perdurantes, objurgandi detestandique sunt, sic, ad sinum matris Ecclesiæ redeuntes, consolandi, et nihilominus refovendi. Quia igitur Joannes religiosus **827** præsentium lator, recepta ratione, ad unitatem sanctæ Ecclesiæ ab errore Histricorum Deo miserante conversus est; ea propter fraternitatem vestram hortari prævidimus, ut eum salva ratione habere debeat in omnibus commendatum, atque suo favore protegere. Cui etiam ne possit post conversionem alicui necessitati succumbere aliquid de Ecclesia illi prævidimus annis singulis consulendum. Quia ergo vestræ sanctitati se summopere petiit commendari, providendum vobis pro vestra mercede est ut, sicut diximus, vestris in omnibus solatiis fulciatur.

## EPISTOLA XLVIII.

AD URBICUM ABBATEM.

*Agathonem in monasterio suscipiat, si illius uxor similiter converti voluerit.*

Gregorius [a] Urbico abbati monasterii sancti Hermetis, [b] quod in Panormo situm est.

Quisquis divina inspiratione compunctus, relictis sæculi hujus actionibus, ad Deum converti festinat, ita et cum charitate suscipiendus est, et blandis per omnia consolationibus refovendus, ut in ea quam elegit, Deo adjuvante, delectetur modis omnibus conversatione persistere. Quia igitur [c] Agatho præsentium lator in monasterio dilectionis tuæ converti desiderat, hortamur ut cum omni eum dulcedine dilectioneque suscipias, atque ad æternam vitam ejus desirium assidua adhortatione succendas, et circa animæ ipsius salutem diligenter studeas esse sollicitus, quatenus dum in Dei nostri servitio, te admonente, devota mente perstiterit, et illi prosit sæculum reliquisse, et tibi ejus conversio proficiat ad mercedem. Quem tamen ita suscipiendum esse cognosce, si et uxor ipsius similiter converti voluerit. Nam dum unum utrorumque corpus conjugii copulatione sit factum, incongruum est partem converti, et partem in sæculo remanere (*Cf. Grat.* 27, *q.* 2, *c.* 25).

## **828** EPISTOLA XLIX.

AD PALLADIUM EPISCOPUM.

*Mittit reliquias ad dedicationem quatuor altarium in basilica quam Palladius construxerat.*

Gregorius Palladio [a] episcopo Santonis [b] Galliæ.

Veniens lator præsentium Leuparicus presbyter vester insinuavit nobis fraternitatem vestram ecclesiam in honorem beati Petri et Pauli apostolorum, necnon Laurentii atque Pancratii martyrum construxisse, atque illic tredecim altaria [c] collocasse, ex quibus quatuor necdum dedicata comperimus remansisse, ob hoc quod suprascriptorum sanctorum reliquias illic collocare Deo annuente disponitis. Et quia reliquias sanctorum Petri et Pauli, necnon Laurentii atque Pancratii martyrum cum veneratione præbuimus, hortamur ut eas cum reverentia suscipere, et collocare, auxiliante Domino, debeatis : provisuri ante omnia ut [d] servientibus ibidem non debeant alimoniarum deesse suffragia [e].

[d] In Norm., Reg. et nonnullis, *calcem vero quam... oblatam.*

EPIST. XLVII. — [a] Fanum seu Fanum fortunæ, vulgo *Fano*, urbs olim Umbriæ, nunc ducatus Urbinatis, in ora maris Adriatici, Ariminum inter et Senogalliam, adhuc episcopalis, immediate subjecta Romano pont. in cujus dominio est. GUSSANV.

EPIST. XLVIII. [*Al.* 49]. — [a] De Urbico et monasterio sancti Hermetis, supra epist. 41. GUSSANV.

[b] In Norm. et plerisque Mss. quæ sequuntur minime leguntur. In Vatic. A tantum occurrit, *quod est in Panhormo constitutum.*

[c] Putat Alteserra Agathonem hunc fuisse Rom. pontificem, quod apud Anastasium legatur, : *Agatho natione Siculus, ex monachis, sedit*, etc. Verum cum Agatho non ante annum 679 in pontificem fuerit electus, hunc ab illo censemus diversum.

EPIST. XLIX [*Al.* 50]. — [a] Fuit decimus episcopus Santonensis, prosapia nobilis. Hunc Guntchramnus rex odio habuit atque vexavit, quod Gundobaldum regnum affectantem urbe sua palam, et Fredegundis nuntios clam tecto recepisset; de qua re vide Gregorium Turon., lib. VII Historiæ, cap. 31, et lib. VIII, cap. 2, 7 et 43. De eo etiam agit lib. de Gloria confessorum, cap. 57 et 60, et lib. IV de Miraculis sancti Martini, c. 8. A Fortunato lib. I, carm. 3, laudatur ob ædificatam sancti Stephani ecclesiam. Ante fuit concilio Paris. IV, anno 573, et Matiscon. II, an. 585. Ejus nomen in Ecclesiæ fastis legitur.

[b] Santones seu Mediolanum Santonum, vulgo *Saintes*, urbs episcopalis Galliæ, sub archiepiscopo Burdigalensi Aquitaniæ II metropolitano, Santoniæ provinciæ caput. Restituimus titulum ex Mss. Colbert., Vatic., Norm. In Vulgatis autem legitur *episcopo de Santonibus.*

[c] In Vatic. B et nonnullis legitur, *duodecim altaria.* Altare unicum intra singulas ecclesias habent Græci, ut observat Card. Bona *de Rebus liturgicis*, l. I, cap. 14, n. 3. Aliam Latinorum consuetudinem ostendit hæc Gregorii Mag. epist., sed et Ambrosius epist, 20, ad Marcellinam sororem, n. 26, scribens de pace a Valentiniano Catholicis data : *Nec mora*, inquit, *nuntiatur imperatorem jussisse ut recederent milites de basilica..... certatim hoc nuntiare milites irruentes in altaria, osculis significare pacis insigne.* Rationem reddit Baronius, cur plura quandoque ædificarentur altaria : *Erant*, inquit, *sepulcra martyrum altaria, et ubi condebantur martyres, altare consueverat erigi.* Id constat ex Prudentio lib. περὶ Στεφάνων, hym. 3, 4, 5; sancto Augustino, serm. 5 de sancto Stephano, lib. VIII de Civitate, cap. 27; Gregorio Turon., Hist. lib. V, c. 49; lib. I de Gloria martyrum, c. 33 et 91; Paulino, Poem. 4. Imo ex ejusdem Paulini epist. 32, novæ Edit., certum est illius jam ætate super sepulcra et reliquias confessorum altaria fuisse condita. In capitular. I Caroli Mag., an. 805, n. 6, cavetur de altaribus ut non superabundent in ecclesiis.

[d] In Agathen., can. 36 : *Clerici omnes qui Ecclesiæ fideliter vigilanterque deserviunt, stipendia sanctis laboribus debita, secundum servitii sui meritum, vel ordinationem canonum, á sacerdotibus consequantur*, id est, ab episcopo. Aurea plane verba. GUSSANV.

[e] Gall., *assistance.* Suffragor per translationem,

## EPISTOLA L.

### AD BRUNICHILDEM REGINAM.

*Reliquias mittit, quas postulabat. Hortatur ut eorum qui his deservient quieti prospiciat.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Epistolarum vestrarum series, quæ religiosum animum et piæ mentis studium continebat, non solum voluntatis vestræ fecit nos laudare propositum, sed etiam libenter invitavit postulata concedere. Nec enim nos negare decuit, quod Christiana devotio et recti cordis desiderium flagitabat, præsertim dum illa postulari et tota amplecti mente cognovimus quæ et credentium fidem valde protegere et animarum salutem operari **829** nihilominus poterunt ac servare. Atque ideo congruo honore vestram excellentiam salutantes, indicamus latori præsentium Leuparico, quem vos esse presbyterum scripsistis, per quem eloquia vestrarum suscepimus litterarum, [a] reliquias nos beatorum apostolorum Petri et Pauli, juxta excellentiæ vestræ petitionem, cum ea veneratione qua dignum est præbuisse. Sed ut in vobis magis magisque laudabilis et religiosa possit clarere devotio, providendum vobis est ut sanctorum beneficia cum reverentia et debito honore condantur, et [b] servientes ibidem nullis oneribus nullisque molestiis affligantur, ne forsitan, necessitate exterius imminente, in Dei servitio inutiles segnesque reddantur, et injuriam, quod absit, neglectumque beneficia sanctorum [c] collata sustineant. Quieti ergo eorum excellentia vestra prospiciat, quatenus dum vestro beneficio liberi ab omni fuerint inquietudine custoditi, et illi Deo nostro secura mente laudes exsolvant, et vobis in æterna vita merces accrescat.

faveo, auxilior. Suffragium pro alimonia et sustentatione; vide conc. Tolet. III, cap. 3.

Epist. L [*Al.* 51]. — [a] Gregorii pontificatu vix audebant Latini sanctorum corpora contingere, aut e tumulis levare. Reliquias sanctorum appellat passim Gregorius Tur. velum sepulcri alicujus sancti, aut pallium ejusdem tumulo impositum, ceram aut oleum ex lampadibus et cereis qui ibi ardere solebant; item pulverem exinde collectum, herbulas aut flores ibi appositas, aliaque ejusmodi. Lib. II Dialog., c. 38: *In ipsis quoque patrociniis martyrum sic esse sentimus, ut non tanta per corpora sua, quanta beneficia per reliquias ostendant.*

[b] Juge servitium causam dedit immunitatibus clericorum; fucos ignavum pecus illis gaudere dolendum est. Gussanv.

[c] In Reg., quem sequuntur recent. Ed., *collocata*. In Vatic. B, *collecta*. Sequimur Corb., Norm., tres Vatic., etc.

Epist. LI [*Al.* 57, indict. 13]. — [a] Hanc et sequentes septem epist. eodem fere tempore datas inde constat quod in singulis Augustinus legitur *præsentium lator aut portitor*. Tempus quo redditæ sunt noscitur ex itineris serie. Illam exhibet Cointius Annal. Eccles. an 596 et 597, non tamen audiendus ubi, pag. 443, Augustinum Turonensem diœcesim adiisse negat. Iter Augustini fuit Roma Lerinum, Lerino Massiliam, Aquas, Arelatem, Viennam, Lugdunum, Augustodunum; inde ad reges Theodericum Burgundiæ, ac Theodebertum Austriæ. Theodebertus Mettis sedebat, Cabilloni Theodericus. Etsi nullam

## [a] EPISTOLA LI.

### AD FRATRES IN ANGLIAM EUNTES.

*Hortatur Augustini socios ut cœptum in Angliam peragant iter. Augustino quem illis abbatem constituit obediant.*

Gregorius servus servorum Dei, servis Domini nostri Jesu Christi.

Quia melius fuerat bona non incipere quam ab his quæ cœpta sunt cogitatione retrorsum redire, summo studio, dilectissimi Filii, oportet ut opus bonum quod auxiliante Domino cœpistis impleatis. Nec ergo vos labor itineris, nec maledicorum hominum linguæ deterreant; sed omni instantia omnique fervore quæ inchoastis Deo auctore peragite, scientes quod laborem magnum æternæ retributionis gloria sequitur. Remeanti autem Augustino præposito vestro, quem et abbatem vobis constituimus, in omnibus humiliter obedite. Scientes hoc vestris animabus per omnia profuturum, quidquid in vobis fuerit in ejus admonitione completum. Omnipotens Deus sua vos gratia protegat, et vestri laboris fructum in æterna me patria videre concedat. Quatenus et si vobiscum laborare nequeo, simul in gaudio retributionis inveniar, quia laborare scilicet volo. **830** Deus vos incolumes custodiat, dilectissimi Filii. Data die decima Kalendarum Augustarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto, anno decimo quarto, post consulatum ejusdem domini nostri anno decimo tertio, indictione 14.

## EPISTOLA LII.

### AD PELAGIUM ET SERENUM EPISCOPOS.

*Commendat Augustinum in Angliam euntem cum sociis, et Candidum rectorem patrimonii.*

Gregorius [a] Pelagio de Turnis, et [b] Sereno de Massilia, episcopis Galliarum a paribus.

Licet apud sacerdotes habentes Deo placitam cha-

habemus pro Augustino epistolam Gregorii ad Clotarium Neustriæ regem, Augustinum tamen ab ipso rege Clotario benignissime exceptum et adjutum liquet ex epist. 61 l. XI. Salutatis regibus, cum ad mare pergeret trajecturus in Angliam, certe Pelagium Turon. potuit invisere; deinde Pontem Sai (alias *pontem Cæsaris*, vulgo *le pont de Cé*) in Andegavensi provincia super Ligerim fluvium transiit; ut in ejus Vita scribit Gotselinus. Cæterum etsi hæc ad Augustinum epistola in Registro epistolarum sancti Gregorii minime reperiatur, eam tamen exhibent Beda, lib. I Historiæ Eccl. gentis Anglic., c. 23, et Joan. Diac., lib. II Vitæ, c. 54.

Epist. LII. — [a] Non conveniunt mss. Codd. in epistolæ hujus inscriptione. In duobus Teller., in Rhem., Vatic. D, et apud Bedam, mendose legitur, *Ætherio Arelat. archiep.*, cum Ætherius esset episc. Lugdunensis. In tribus Vatic., in omnibus Norm. et Reg., ad Pelagium tantum et ad Serenum scripta est. In Colbert., pro *Turnis*, habes *Turonis*. Quid significet *a paribus*, jam dictum ad epist. 25, lib. I.

[b] Serenus Theodoro successerat in Ecclesia Massiliensi. Cæterum hoc eodem exemplo missa est etiam ad Ætherium Lugdunensem epistola quam refert Beda lib. I, cap. 24: *Reverentissimo fratri Etherio Coepiscopo Gregorius servus servorum Dei.* Licet apud sacerdotes, etc. Deus te incolumem custodiat, reverentissime frater. *Data die* X *Kalend. August., imperante D. N. Mauritio Tiberio piissimo Augusto, an.* 14, *post consulatum ejusdem D. N. an.* 13, *indict.* 14. Ubi tamen fallitur Beda dum Etherium Arelatensem

ritatem religiosi viri nullius commendationis indigeant, quia tamen aptum se scribendi tempus ingessit, fraternitati vestræ nostra mittere scripta curavimus, insinuantes latorem præsentium, Augustinum servum Dei, de cujus certi sumus studio, cum aliis servis Dei illuc nos pro utilitate animarum, auxiliante Domino, direxisse. Quem necesse est ut sacerdotali studio sanctitas vestra adjuvare et sua ei solatia præbere festinet. Cui etiam ut promptiores ad suffragandum possitis existere, causam vobis injunximus subtiliter indicare, scientes quod ea cognita, tota vos propter Deum devotione ad solatiandum, quia res exigit, commodetis.

Candidum præterea presbyterum communem filium, quem ad gubernationem patrimonioli Ecclesiæ nostræ transmisimus, charitati vestræ in omnibus commendamus. [c] Data die x Kalend. Aug. indictione 14.

## EPISTOLA LIII.

### AD VIRGILIUM EPISCOPUM.

*Commendat Augustinum ac simul Candidum presbyterum; monetque ut huic patrimonii pensiones restituat, quas collegerat ipsius decessor.*

Gregorius Virgilio episcopo Arelatensi metropolitæ.

Quamvis fraternitatem vestram bonis esse intentam operibus, et sponte se exhibere in causis Deo placitis confidamus, verumtamen utile esse **831** fraterna vos alloqui charitate credimus, ut solatia, quæ vos ultro decet impendere, nostris quoque provocati epistolis augeatis. Atque ideo indicamus sanctitati vestræ Augustinum, servum Dei, præsentium portitorem, cujus zelus et studium bene est nobis cognitum, cum aliis servis Dei, pro animarum nos illuc compendio transmisisse, sicut ipse vobis coram positus poterit indicare. In qua re oratione vos cum et auxiliis adjuvare necesse est, atque, ubi opus exegerit, solatiorum vestrorum ei præbere suffragia et paterna ac sacerdotali illum consolatione sicut convenit refovere, quatenus dum sanctitatis vestræ fuerit solamina consecutus, si quid Deo nostro lucrifacere, sicut optamus, valuerit, et vos possitis pariter mercedem acquirere, qui ad bona opera suffragii vestri devote copiam ministratis.

Candidum autem presbyterum, communem filium, et patrimoniolum Ecclesiæ nostræ fraternitas vestra, quippe ut unanimis nobis, studeat habere commendatum, ut aliquid inde pauperum alimoniis sanctitate vestra valeat adjuvante proficere. Quia igitur patrimoniolum ipsum per annos plurimos prædecessor vester tenuit, et collectas apud se pensiones servavit, fraternitas vestra cujus sint res vel quibus erogentur consideret, atque eas animæ suæ respectu supra scripto filio nostro Candido presbytero nobis restituat dirigendas. Nam valde est exsecrabile ut quod [a] a regibus gentium servatum est, ab episcopis dicatur ablatum.

## EPISTOLA LIV.

### AD DESIDERIUM ET SYAGRIUM EPISCOPOS.

*Augustinum et Candidum commendat.*

Gregorius [a] Desiderio [b] Viennensi, [c] et Syagrio [d] Augustodunensi, episcopis Galliæ a paribus.

De fraternitatis vestræ sincera charitate bene confidimus [e] quod amore beati Petri apostolorum principis hominibus nostris vestra devote solatia commodetis, præsertim dum causæ qualitas exigat ubi etiam sponte concurrere, et laborare magis **832**

episcopum fuisse putat, et post ipsum Aimoinus. Melius Gregorius Turon., lib. x, c. 8, et Fredegarius in Chronico, c. 22, Etherium Lugdunensem fuisse episcopum agnoscunt.

[c] Ita præter Bedam duo Tell. et Vatic. D.

Epist. LIII. — [a] Per reges gentium intelligit haud dubie reges Gothorum qui Galliam Narbonensem et Aquitaniam diu occuparunt.

Epist. LIV. — [a] Fuit vigesimus octavus Viennensis episcopus, qui zelo episcopali cum Brunechildis depravatos mores reprehenderet, ab ea primum in exsilium pulsus est, tum in concilio Cabilonensi, præsidente Arigio Lugdunensi episcopo, reginæ consiliorum participe, anno 603 episcopali gradu privatus, et post aliquot annos lapidibus obrutus. Rem fuse narrat Ado Viennensis in litteris ad Ecclesiam Viennensem. Videndus etiam Fredegarius Scholasticus, Chronicon Besuense, et Vita sancti Columbani. Gussanv.

[b] Vienna urbs Galliarum celeberrima, de qua ita Eusebius, lib. v Hist. Eccl., c. 1 : *In hac* (Gallia) *duæ præ ceteris insignes præstantesque urbium matres celebrantur, Lugdunum ac Vienna, quarum utramque permeat Rhodanus.* Postea martyrum in his urbibus passorum acta subjicit, unde præcipua Ecclesiarum illarum dignitas. In auctoritate ecclesiastica Ecclesiæ Arelatensis aliquandiu æmula fuit, nunc sex tantum sedibus episcopalibus præest.

[c] Ex cive Augustodunensi factus est episcopus, vir summarum virtutum. Ipsi scribit Fortunatus lib. v, num. 5. *Domino sancto et apostolicæ sedis dignissimo Syagrio papæ.* Ab Adone Viennensi, in Chronico, *vir summæ sanctitatis*, et in concilio Matensi, can. 5, sanctus appellatur. Subscripsit concilio Lugdunensi II, ann. 567, Paris. IV, ann. 573, Matiscon. I, 580, Lugdunensi III, 583, Matiscon. II, 585. Interfuit celebrationi baptismi Clotarii junioris, Francorum regis, ex Gregorio Turonensi, lib. x, cap. 28, anno 591. Obiit ann. 600. Nam anno sequenti sanctus Gregorius pluribus episcopis Galliarum epistolas ad exstirpandam simoniacam hæresim direxit, nullam autem ad Syagrium; et in epistolis ad Senatorem Luponem et Thalassiam, Syagrium jam vita functum insinuat, cum eum *reverendæ memoriæ* appellat. Cæterum male a quibusdam dicitur frater Brunichildis, et nullo fundamento. Gussanv.

[d] Augustodunum, aliis Augustudunum, Augustidunum, vulgo *Autun*, Galliæ non ignota civitas in ducatu Burgundiæ, adhuc episcopalis sub archiepiscopo Lugdunensi. Ædui olim dicebantur populi, quorum erat primaria. Huic Syagrio ad postulationem reginæ Brunichildis pallium concessit sanctus Gregorius, ut patet ex epist. 5 lib. VII, indict. 1, nunc lib. IX undecima. Gussanv.

[e] Sancti Petri nomine aliquando intelligenda Ecclesia Romana, sancti Petri sedes. Hinc minus caute legentibus antiqua Ecclesiæ monumenta data est hallucinandi occasio. Quippe cum legerent prædicatores a sancto Petro in Gallias, Hispanias, aliasque provincias missos, continuo asseruerunt, ipsis apostolicis temporibus, Evangelium his in locis a sancti Petri discipulis promulgatum, cum debuissent intelligere per sanctum Petrum ejus successores Romanamque sedem a qua in omnes Occidentales provincias fides propagata. De his Quesnellius in notis ad sanctum Leonem, tomo II, pag. 887.

optetis. Indicamus itaque sanctitati vestræ, nos Augustinum servum Dei, præsentium portitorem, cujus zelus et studium bene nobis est cognitum, cum aliis servis Dei pro animarum illuc causa, disponente Domino, direxisse; cujus relatione quid sibi injunctum sit, subtiliter agnoscens, fraternitas vestra ei modis omnibus in quibus causa poposcerit impendat solatia, ut boni operis adjutores, sicut decet et convenit, possitis existere. Ita ergo fraternitas vestra in hac re se devotam studeat demonstrare, ut bona quæ de vobis opinione narrante didicimus, vera esse opere comprobemus. Dilectissimum vero communem filium Candidum presbyterum, cui patrimoniolum Ecclesiæ nostræ commisimus in illis partibus constitutum, vobis per omnia commendamus.

## EPISTOLA LV.

### AD PROTASIUM EPISCOPUM.

*Ut Virgilium Arelatensem de pensionibus Romam mittendis urgeat, et Candidum habeat commendatum.*

Gregorius Protasio [a] episcopo de Aquis [b] Galliæ.

Quantus in vobis beati Petri apostolorum principis amor excellat, non solum officii vestri prærogativa, sed etiam devotio, quam circa utilitates Ecclesiæ ipsius geritis, patefecit. Quæ quia Augustino servo Dei præsentium latore cognovimus referente, de affectu et veritatis studio quod in vobis est valde gaudemus, et gratias agimus, quia etsi corpore absentes, mente tamen et animo nobiscum vos esse monstratis; quippe erga quos charitatem fraternam, ut convenit exhibetis. Ut igitur bona quæ de vobis prædicavit opinio, rerum possit veritas confirmare, Virgilio fratri et coepiscopo nostro dicite ut pensiones quas prædecessor ejus per annos plurimos de patrimoniolo nostro percepit, et apud se retinuit, ad nos, quia pauperum res sunt, studeat destinare. Qui si forte aliquo se modo, quod non credimus, excusare voluerit, vos qui veritatem ipsam subtilius nostis, revera qui in Ecclesia ipsa tunc temporis curam vicedomini [c] gerebatis, qualiter se habeat causa disserite, et ne res sancti Petri et **833** pauperum ejus apud se retinere debeat imminere. Sed etsi fortasse hominibus nostris necessarium fuerit, vestrum in causa testimonium non negate; ut tam pro veritate quam pro voluntatis vestræ devotione beatus Petrus apostolus, cujus amore hæc facitis, sua vobis et hic et in futura vita intercessione respondeat. Candidum presbyterum communem filium, cui patrimoniolum ipsum commisimus, sanctitati vestræ magnopere commendamus. (*Vide sup. ep.* 53.)

## EPISTOLA LVI.

### AD STEPHANUM ABBATEM.

*Laudat de ordine congregationis, quem ut servet sollicite, hortatur. Gratias agit de cochlearibus ac ciculis.*

Gregorius Stephano [a] abbati.

Lætos nos relatio Augustini [b] servi Dei præsentium portitoris effecit, quod dilectionem tuam ut oportet vigilantem esse narravit; denique et presbyteros et [c] diaconos, cunctamque congregationem unanimes vivere ac concordes affirmat. Et quoniam præpositorum bonitas subjectorum salubris est regula, omnipotentem Dominum deprecamur ut in bonis te semper operibus gratia suæ pietatis accendat, et commissos tibi ab omni diabolicæ fraudis tentatione custodiat, et tecum in charitate et placita sibi vivere conversatione concedat.

Quia vero humani generis inimicus insidiari nostris actibus non quiescit, sed assidua calliditate hoc nititur, ut Deo servientes animas in qualibet parte decipiat; ideo, dilectissime Fili, hortamur ut sollicitudinem tuam vigilanter exerceas, et ita commissos tibi oratione et cura providendi custodias, ut lupus circumiens nullam dilaniandi occasionem inveniat; quatenus dum Deo nostro incolumes quorum susce pisti curam reddideris, et præmia labori tuo gratia

Epist. LV. — [a] Ex vicedomino Ecclesiæ Arelatensis factus est decimus episcopus Aquensis. Gussanv. In Corb., Anglic. et Norm. habetur *Protagio*.

[b] Aquæ Sextiæ, vulgo *Aix en Provence*, urbs Provinciæ Gallicæ clara, veterrima Provinciæ Narbonensis II metropolis, hodieque sede gaudet archiepiscopali. Gussanv. In Norm. et plur. desideratur, *de Aquis*. Est in Colb. Vatic., etc.

[c] Sub Sapaudo Arelatensi. ecclesiastici vicedomini cura in eo maxime posita fuit ut res Ecclesiæ aut episcopi temporales administraret ac tueretur. Vide lib. II, epist. 71.

Epist. LVI. — [a] In Colbert., *abbati de monasterio quod est Lirino*. In duobus Vatic. et in aliis legitur *de monasterio*, vel *de monte Quirilino*. Forte per transpositionem pro *qui* vel *quod Lirino*. In Corb. vero Norm. et plerisque tantum legitur, *Stephano abbati*. Fallitur autem haud dubie Gussanvillæus, cum negat intelligendum hic monasterium Lirin., *quod nullus*, inquit, *tunc legatur abbas Stephanus in Chronologia sanctorum Lirinensium auctore Barrali Salernitano, aut alibi*. Lirin. abbatum catalogum alibi frustra quæreres. Porro non omnes monasterii Lirin. abbates complectitur Vincentii Barralis Chronologia. Sanctos ut ipse ait pag. 186, et post ipsum Gussanvillæus et proceres laudat. Nullum habet ab anno 490 ad an. 579, quo floruit Marinus. Huic Chononum subjicit, ad quem scribit Gregorius infra, lib. XI, epist. 12. Nunquid eo Stephanum tacet quod in illo fuerit eximium nihil? Certe Stephani abbatis, quem ad vigilantiam et sollicitudinem hoc loco excitat, incautam remissionem perstringit in laudata mox epist. ad Cononem abbatem Lirinensem, Stephani successorem. Abbates non plus duodecim recenset Barralis, ab anno circiter 400 ad decimi sæculi finem, quos sanctorum fastis ascripsit Ecclesia. De aliis absque dubio pluribus, ne verbum quidem, si duos excipias aliunde celebres, scilicet Faustum Rhegiensem episcopum, et Leotmundum Caroli Mag. filium. Stephanum ipsum abbatibus Lirinensibus accenset Galliæ Christianæ fusioris index. Vide Mabillon. Annal. Bened., pag. 241.

[b] Stephanum abbatem Lirin., Protasium Aquensem episcopum, et Arigium Massil. Provinciæ rectorem, jam in prima profectione adierat Augustinus. Ex Aquensi diœcesi, sociis spe prorsus et animo cadentibus, Romam reversus, Stephani vigilantiam, Arigii bonitatem, mansuetudinem, charitatem, Protasii amorem erga beatum Petrum apud sanctum Gregorium laudaverat, ut patet ex epistolis ad singulos per Augustinum ipsum ad Gallias redeuntem missis.

[c] Ergo plures jam tum erant in monasterio presbyteri et diaconi; nec solum in Lirin. Vide epist. Hieron. 60 et 61, cap. 16.

sua rependat, et tibi æternæ vitæ desideria multiplicet.

[d] Cochleares vero et circulos quos direxisti suscepimus, et charitati tuæ gratias agimus, quia qualiter pauperes diligas ostendisti, qui ad usus eorum quæ sunt necessaria transmisisti.

## EPISTOLA LVII.

AD ARIGIUM PATRICIUM.

*Commendat Augustinum, ejusque socios, et Candidum.*

Gregorius Arigio patricio Galliæ.

Quanta in vobis bonitas, quantaque mansuetudo cum Christo placita charitate [a] resplendeat, **834** latore præsentium Augustino servo Dei referente comperimus; atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui hæc in vobis pietatis suæ dona concessit, per quæ inter homines valde laudabiles, et ante conspectum ipsius, quod est veraciter utile, gloriosi possitis existere. Oramus ergo omnipotentem Dominum, ut hæc in vobis quæ concessit dona multiplicet, et sua vos cum omnibus vestris protectione custodiat, et ita actionem gloriæ vestræ in hoc sæculo disponat, ut et hic vobis et in futura, quod magis optandum est, vita proficiat. Salutantes itaque gloriam vestram paterna dulcedine petimus ut lator præsentium, et servi Dei qui cum eo sunt, vestra in quibus necesse fuerit solatia consequantur, quatenus dum vestrum favorem invenerint, injuncta sibi melius, adjuvante Domino, valeant adimplere.

Præterea filium nostrum Candidum presbyterum, quem ad gubernationem patrimonii Ecclesiæ nostræ, quod illic est, transmisimus, vobis per omnia commendamus; confidentes a Deo nostro vos mercedis vicem recipere, si [b] rebus pauperum solatia sua gloria vestra devota mente præstiterit.

## EPISTOLA LVIII.

AD THEODERICUM ET THEODEBERTUM.

*Augustinum, cui injunxit ut aliquos secum e vicino presbyteros ducat in Angliam, commendat, et Candidum Ecclesiastici rectorem patrimonii.*

Gregorius Theoderico et Theodeberto [a] fratribus, regibus Francorum a paribus.

Postquam Deus omnipotens regnum vestrum fidei rectitudine decoravit, et integritate Christianæ religionis inter gentes alias fecit esse conspicuum, magnam de vobis materiam præsumendi concepimus, quod subjectos vestros ad eam converti fidem per omnia cupiatis in qua eorum nempe reges estis et domini. Atque ideo pervenit ad nos Anglorum gentem ad fidem Christianam Deo miserante desideranter velle converti, sed [b] sacerdotes e vicino negligere, et desideria eorum cessare sua adhortatione succendere. Ob hoc igitur Augustinum servum Dei, præsentium portitorem, cujus zelus et studium bene nobis est cognitum, cum aliis servis Dei illuc prævidimus dirigendum. Quibus etiam injunximus ut aliquos secum e vicino debeant presbyteros ducere, cum quibus eorum possint mentes agnoscere, et voluntates admonitione sua, quantum Deus donaverit, adjuvare. In qua re ut efficaces valeant atque idonei apparere, excellentiam vestram **835** paterna salutantes charitate quæsumus ut hi quos direximus favoris vestri invenire gratiam mereantur. Et quia animarum causa est, vestra eos potestas tueatur et adjuvet; ut Deus omnipotens qui vos in causa sua devota mente et toto studio solatiari cognoscit, causas vestras sua [c] propitiatione disponat, et post terrenam potestatem ad cœlestia vos regna perducat.

Præterea dilectissimum filium nostrum Candidum presbyterum, et patrimoniolum Ecclesiæ nostræ, quod in illis partibus est constitutum, ut commendatum excellentia vestra habere debeat postulamus, quatenus beatus Petrus apostolorum princeps sua vobis intercessione respondeat, qui mercedis intuitu tuitionem in rebus pauperum ejus impenditis.

## EPISTOLA LIX.

AD BRUNICHILDEM FRANCORUM REGINAM.

*Ut Augustino in Angliam eunti et Candido rectori patrimonii tuitionem et auxilium impendat.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Excellentiæ vestræ Christianitas ita nobis veraciter olim innotuit, ut de bonitate ejus nullatenus dubitemus; sed magis certum modis omnibus teneamus, quia in causa fidei devote et studiose concurrat, et religiosæ sinceritatis suæ solatia copiosissime subministret. Ex qua re bene confidentes, paterna charitate salutantes indicamus ad nos pervenisse Anglorum gentem, Deo annuente, velle fieri Christianam; sed sacerdotes, qui in vicino sunt, pastoralem erga eos sollicitudinem non habere. Quorum ne animæ in

[d] Scutellas, in quibus pultes apponuntur, ob formam rotundam circulos appellat. Vocem hanc Gallice reddit Gussanvil. *des porte-assiettes, des colliers de Maures.* At circuli de quibus hic Gregorius, erant ad usus pauperum.

EPIST. LVII. — [a] In Corb. et Norm., *respondeat.*

[b] In omnibus his epistolis ubi de patrimoniolo agit commendat illud quasi res pauperum. Idem communiter dicunt de bonis Ecclesiæ, quæ multi (proh dolor!) in alios sæpissime usus derivant. Si vindicanda sunt et asserenda, res sunt pauperum; si consumenda, clericorum. Ita pauperes illuduntur, sed Deus non irridetur. Vide lib. VIII. epist. 28. GUSSANV.

EPIST. LVIII. — [a] Theodoricum Theodoberto majori fratri et hic et semper alias collector epistolarum Gregorii præposuit, servato ordine temporis quo reddendæ erant litteræ. Roma enim vementibus ante Theodobertum Austrasiorum regem Theodoricus rex Burgundiæ erat adeundus; prius Cabillonum Theodorici regia quam Meltis Theodoberti sedes eis occurrebat, uti observavit Adr. Valesius, rerum Francicarum lib. XVI. GUSSANV.

[b] Sic Epistola seq. pastoralem sollicitudinem non habere. Non ita dormitavit zelus sancti Pauli, qui omnia omnibus fiebat, ut omnes lucrifaceret. Sic Patres Africani, ut supra notavimus, episcoporum carpebant incuriam, qui Donatistarum vicini cum essent non allaborabant ut circumquaque vicinos ad fidem catholicam allicerent. Sanctus Chrysostomus, hom. 34, in c. 1 Act. apost.: Ἂν εἷς μόνον ἀπέλθῃ ἀκήρυτος, οὐχὶ πᾶσαν αὐτοῦ κατέστρεψε τὴν σωτηρίαν. Id est, *si vel unus tantum decedat non initiatus, nonne totam ipsius subvertit salutem?* Quid dixisset de pastoribus qui pereuntibus in eorum parœciis tot hæreticorum millibus, dormiunt in utramque aurem? GUSSANV. Prius legebatur *sacerdotes vestros.* At ultima vox in Norman., Vatic. aliisque non legitur.

[c] Editi, *sua protectione.*

æterna damnatione valeant deperire, curæ nobis fuit præsentium portitorem Augustinum servum Dei, cujus zelus et studium bene nobis est cognitum, cum aliis servis Dei illuc dirigere, ut per eos potuissemus ipsorum voluntates addiscere, et de eorum conversione, vobis quoque annitentibus, in quantum est possibile, cogitare. Quibus etiam injunximus ut ad agenda hæc e vicino secum debeant presbyteros ducere. Excellentia ergo vestra, quæ prona in bonis consuevit esse operibus, tam pro nostra petitione, quam etiam divini timoris consideratione, eum dignetur in omnibus habere commendatum, atque ei tuitionis suæ gratiam vehementer impendat, et labori ejus patrocinii sui ferat auxilium ; et ut plenissime possit habere mercedem, ad supra scriptam Anglorum gentem sua tuitione securum ire provideat, quatenus Deus noster qui in hoc sæculo vos bonis sibi placitis decoravit, hic et in æterna requie cum suis vos sanctis faciat gratulari.

**836** Præterea dilectum filium nostrum Candidum presbyterum, et patrimoniolum Ecclesiæ nostræ, quod illic constitutum est, vestræ Christianitati commendantes, petimus ut tuitionis vestræ gratiam in omnibus consequatur.

## EPISTOLA LX.

### AD EULOGIUM EPISCOPUM.

*Speciali charitatis vinculo ambos ipsos constringi observat : hinc dolenti congemiscit ; ac ne illius dolorem augeat, reticet mala quæ a Langobardis patitur. Miratur quod epistolæ adversus Joannis Constantinopolitani superbiam non responderit. Mutua mittit munera.*

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino.

Mater et custos bonorum omnium charitas, quæ multorum corda uniendo constringit, absentem non æstimat eum quem oculis mentis habet præsentem. In hujus ergo radice cum, frater charissime, teneamur, nihil sibi in nobis corporalis absentia, nihil poterit regionum vindicare longinquitas ; quippe quia scilicet longe a nobis non sumus qui unum sumus. Hanc autem esse nobis cum cæteris fratribus communem semper optamus. Est tamen aliquid quod nos erga Alexandrinam Ecclesiam quadam peculiaritate constringit, et in ejus amore proniores existere speciali quodammodo lege compellit. Nam sicut omnibus liquet quod beatus evangelista [a] Marcus a sancto Petro apostolo magistro suo Alexandriam sit transmissus, sic hujus nos magistri et discipuli unitate constringimur, ut et ego sedi discipuli præsidere videar propter magistrum, et vos sedi magistri propter discipulum.

Ad hanc autem unitatem cordium etiam vestræ sanctitatis meritis ligamur, quos auctoris sui salubriter sequi instituta cognoscimus, et semper ad magistri sui gremium, [b] unde illic prædicatio salutis exorta est, tota se conferre devotione sentimus. Atque ideo sanctitatis vestræ susceptis apicibus, quantum cor nostrum de fraterna visitatione gavisum est, tantum de indictis quæ significastis oneribus tristitia premitur, et fraterna compassione vobiscum gemimus quod doletis. [c] Sed quia diversa se tendit ubique concussio, in communi necessitate minus est de propria dolendum, sed studendum magis est ut patienter tolerando vincamus quod omnino devitare non possumus.

Quanta autem nos a Langobardorum gladiis in quotidiana nostrorum civium deprædatione vel detruncatione atque interitu patimur, narrare recusamus, ne dum dolores nostros loquimur, ex compassione quam nobis impenditis vestros augeamus.

**837** Præterea ante aliquantum temporis communi filio Sabiniano diacono responsa Ecclesiæ in urbe regia facienti scripta nostra transmisimus, [d] quæ vestræ fraternitati dirigere debuisset. Quæ si suscepistis, miramur cur nobis ad ea minime respondistis. Et ideo quia cavendum est ne cujuslibet superbia scandalum Ecclesiis introducat, necesse est ut, eadem scripta subtiliter relegentes, omni studio et tota intentione quæ ad honorem vestrum et pacem Ecclesiæ pertinent conservetis.

Omnipotens autem Deus, qui pietatis suæ gratia sacerdotalem vobis animum et charitatem contulit, in suo vos servitio protegat, atque ab omni adversitate interius exteriusque custodiat, et converti ad se errantium animas vestra propitius prædicatione concedat.

Latorem autem præsentium Isidorum diaconum communem filium cum ea qua oportuit charitate suscepimus, [e] benedictionem nobis sancti Marci evangelistæ deferentem. Et vos quidem, bonæ vitæ merito resplendentes, ea quæ paradiso vicina sunt bene olentia nobis ligna transmisistis. Nos vero quia videlicet peccatores sumus, ab Occidente vobis ligna transmisimus, quæ, construendis apta navibus, nostræ mentis tumultum signantia, in marinis semper fluctibus agitantur : et quidem transmittere majora voluimus, [f] sed hæc navis angusta non recepit. Mense Augusto, indictione 14.

## EPISTOLA LXI.

### AD CASTORIUM NOTARIUM.

*Quod in pallii usu olim servatum juraverint Ravennates viri graves ac fideles, id Ravennæ servandum.*

Gregorius Castorio notario.

Vir magnificus, domnus Andreas, crebro mihi imminet de usu pallii secundum antiquam consuetudinem in Ravennati Ecclesia restituendo. Et scis quia Joannes episcopus mihi scripserit quod in litaniis solemnibus consuetudo fuit ejusdem Ecclesiæ

Epist. LX. — [a] Hinc apostolica nominatur sedes, ut supra notavimus, epist. 37 lib. IV, nunc lib. V, 39. Gussanv.

[b] Recent., *unde illi prædicatione.*

[c] Ed., *in diversa.* Expunximus *in*, suadentibus Mss.

[d] Significat epistolam 43 lib. V, ubi de Joannis Constantinop. superbia conqueritur. His autem scriptis non responderat Eulogius, vel quia vocem œcumenici benignius interpretabatur, vel quia tutius arbitrabatur ab illis contentionibus abstinere.

[e] Ab episcopo Ecclesiæ sancti Marci. Gussanv.

[f] Ita cum omnibus Vatic., Norm., etc. veteres Ed., ubi recent. habent *navis angustia.*

episcopos sed pallio. Hujus Ecclesiæ diaconus Adeodatus, cum me pro eadem causa fortiter rogaret, jurejurando satisfecit quia quater in anno uti in litaniis pallio ejusdem loci episcopi solebant. Prædictus autem domnus Andreas in epistolis suis dicit quia, præter Quadragesimam, omni tempore Ravennas episcopus in litaniis pallio utebatur. Et ipsas asserit litanias solemnes, quas non erubescit dicere quotidianas. Unde omnino miratus sum. Sed tua experientia nullius personam, nullius verba consideret; solum Dei timorem et rectitudinem ante oculos habeat, et seniores personas, et ejusdem Ecclesiæ archidiaconum, quem non suspicor pro alterius honore perjurare, et alios antiquiores, qui in sacris ordinibus ante Joannis episcopi tempora fuerant, requirat, vel si qui maturiores sunt extra sacros ordines; et veniant ante corpus sancti Apollinaris, et tacto ejus sepulcro jurent quæ consuetudo ante Joannis episcopi tempora fuerit, quia, sicut scis, idem vir multum præsumptor exstitit, et multa sibi per superbiam conabatur arrogare. **838** Et quidquid a fidelibus viris et gravibus juratum fuerit, secundum indiculum qui subter annexus est hoc volumus in eadem Ecclesia conservari. Sed vide ne negligenter agas, ne quis fidem tuam aut devotionem tuam in hac causa corrumpat, zelum enim tuum scio. Age sollicite, ita tamen ut prædicta Ecclesia contra justitiam non gravetur, sed usus qui ante Joannis episcopi tempora exstitit ei conservetur. Personas autem non duas, vel tres ad satisfaciendum tibi, sed quantas antiquiores et graviores inveneris require, ut neque quod usus fuit antiquior eidem Ecclesiæ denegemus, neque quod novo ausu appetitum est concedamus. Sed omnia age blande et dulciter, ut et actio tua districta sit, et lingua mitis. Spatam quæ illic dimissa est, sicut jam pridem scripsimus, tecum revoca, et hoc quod tibi filius noster Bonifacius diaconus, et vir magnificus Maurentius chartularius scripsit, sollicite attende.

Juro ego per Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, inseparabilem divinæ potentiæ Trinitatem, et hoc corpus beati Apollinaris martyris, me pro nullius favore personæ, neque commodo aliquo interveniente testari. Sed hoc scio, et per memetipsum cognovi, quia ante tempora Joannis quondam episcopi Ravennas episcopus, præsente apocrisiario sedis apostolicæ illo atque illo, illis atque illis diebus, consuetudinem utendi pallio habuit, et non cognovi quia hoc latenter, vel absente apocrisiario usurpasset. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 6.)

## EPISTOLA LXII.

AD PETRUM EPISCOPUM.

*Opportuno abbati sancti Leontii reliquias concedat.*

Gregorius Petro episcopo Hydruntino.

Opportunus abbas monasterii sancti [a] Leontii, quod in quinto Romanæ urbis milliario situm est, [b] sanctuaria ejusdem martyris quæ de Ecclesia nomini ipsius dicata, ut astruit, furto ablata sunt, sibi denuo postulat debere concedi, ut in loco eodem recondantur. Et ideo, frater charissime, quia ejusdem beatissimi martyris corpus in Brundusii Ecclesia, cui visitationis impendis officium, esse dignoscitur, præfati viri desideriis ex nostra te præceptione convenit obedire, ut in devotione quam postulat sortiatur effectum [c].

## EPISTOLA LXIII.

AD GENNADIUM PATRICIUM.

*Queritur impeditum Paulum episcopum ne Romam veniret. Se, ubi primum ex morbo convaluerit, in causæ illius cognitione versaturum.*

Gregorius Gennadio patricio Africæ.

Excellentiam vestram non ambigimus reminisci, quia ante biennium pro Paulo fratre et coepiscopo nostro scripsimus, ut ei ad nos venire **839** desideranti dignitatis vestræ suffragia præberetis, ob hoc quod a Donatistis insecutionis dicebatur molestiam sustinere, quatenus [a] postquam illic eum contra eos nuntiatum est habere subsidium non posse, cognita veritate, fraterna ei compassione potuissemus ferre consultum et salubri dispositione quid contra pestiferæ præsumptionis insaniam debuisset fieri tractaremus. Et quantum nobis prædictus frater innotuit, non solum nullum meruit cujusquam habere solatium, [b] sed ne immune ad Romanam potuisset urbem accedere, diverso est impedimento prohibitus. Cui tamen dum vestram relegi fecissemus epistolam, respondit se non quorumdam odio, quia, Donatistas cohibebat, laborare, sed magis pro defensione catholicæ fidei multorum perhibet ingratitudines sustinere; multaque alia retulit, quæ, quoniam aptum dicendi tempus non exstitit, [c] silentio retinere prævidimus.

Quia ergo non de rebus terrenis, sed de animarum salute tractatur, et vestra atque illius diversa existit assertio, nihil indiscussa veritate subtiliter respondere potuimus, quia tempore quo excellentiæ vestræ scripta suscepimus, corporis ægritudine tenebamur. Sed dum nos omnipotens Deus, si ei placuerit, pristinæ saluti reddiderit, veritatem diligenti ut possumus inquisitione rimabimur. Et secundum

Epist. LXII [*Al.* 73, ind. 4]. — [a] In Norm., Colbert. et tribus Vatic. A, D, E, *sancti Leucii*. In Vatic. B, *sancti Laurentii*.

[b] Hic per sanctuaria tum furto ablata, tum denuo concessa, velum aliquod seu brandeum forte intelligit. Vide lib. IV, epist. 50 et Mabillonii præfat. ad secundum sæc. Bened., observatione 8.

[c] In fine juxta alias Edit. legitur *data mense Augusti, indictione* 4. Quod unicus tantum Cod. e Vatic. exhibet, quatuor aliis tacentibus, imo omnibus, quibus usi sumus, si unus excipiatur Colbert., in quo tamen utrum hæc temporis nota ad sequentem epistolam, scilicet 74, indict. 4, juxta alias Editiones pertineat, an potius ad præsentem Petro scriptam, quæ prius indictioni 4 accensebatur, ambiguum.

Epist. LXIII [*Al.* 61]. — [a] Hic locus in aliis Excusis est corruptus, ubi legitur *postquam dum contra eos*, etc., in quibus explicandis quis non cæcutiat?

[b] Recent., *sed minime*. Duo Vatic., *sed ut minime*; quod etiam legitur in vet. Ed. Sequimur Rhem., Corb., Norm.

ea quæ valuerimus addiscere, ita causam Deo miserante disponemus, ut animarum quarum vos curæ pro vestra mercede studere dignamini salus non solum quæ ab errantibus jam amissa est reparetur, sed etiam quæ in veræ fidei cultoribus est Redemptoris nostri [d] gratia protegente servetur.

De suprascripto autem episcopo, quem communione privatum esse asseritis, valde mirati sumus cur nobis hoc non primatis ejus, sed excellentiæ vestræ epistola nuntiavit.

## EPISTOLA LXIV.

### AD DOMINICUM EPISCOPUM.

*Pastorale munus ex charitate exercendum. Quod illud ita exerceat Dominicus, ipsi gratulatur, ac de xeniis gratias agit.*

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi.

Vere mirabilis charitatis virtus est, dilecte frater, quæ adventu supernæ gratiæ postquam spiritalia inclinavit ad infima, postquam ipsum sibimet unumquemque carnalibus illecebris discordantem pacavit hominem, ita in humanis se dilatavit mentibus, ut sublimia inclinaret, humilia sublimaret, pacaret discordantia, ferocia mansuefaceret, dissociata conglutinaret, sarciret, divisas tot aquarum terrarumque spatiis climatumque diversitatibus hominum nationes, compaginatis ad unum mentibus, suæ vinculo suavitatis astringeret. Hujus amplitudinis præconia quando humanæ **840** infirmitatis exponere lingua sufficiat? Hujus autem laus in cœlis perfecta est, in terris vero forma ejus ostendenda potius est quam dicenda, ut qualis quantaque sit, postquam ore nostro plene non potest, ex nostra magis compassione monstretur. Quam etsi utcunque laudamus ore, simul necesse est [a] ut fateamur manu, ne si laudator ejus tantum est quisquam et non factor, sententiam sibi magis exacuat, quia in conspectu judicis hoc favoribus exaggerat quod omisit. Hanc nos, licet locorum intervallis disjuncti, atque corpore longe a vobis positi, auxiliante Dei potentia, erga vos studiosissime conservamus; hanc vos non solum circa nos, sed erga fratres filiosque vestros paternis fraternisque oportet visceribus exhibere. Nam quomodo hoc non studiosissime faciendum, quando ejus non tam in fratrum filiorumque est quam in inimicorum quoque dilectione perfectio? Quamobrem, charissime, nos quos pastoralis curæ constringit officium, diligamus fratres (*I Joan.* III, 14). Ipsos quoque adversarios nostros propter mandatum dominicum (*Matth.* V, 44), nostro circa nos copulemus affectu. Pacem sequamur cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum (*Heb.* XII, 14). In piis versemur operibus, virtutibus polleamus, fulgeat in nostro pectore rationale judicii cum superhumerali actione conjunctum (*Exod.* XXVIII, 28, *seq.*). Ita procedamus in conspectu Dei atque totius Israel. Hujusmodi commisso nobis gregi præbeamus exempla, ut videant nostra opera bona, et glorificent Patrem nostrum qui in cœlis est (*Matth.* V, 16). Sit in lingua sermo, sit zeli fervor in animo, ut vere de illorum dicamur numero, de quibus legitur: *Apparuerunt illis dispertitæ linguæ sicut ignis, sedit que supra singulos eorum* (*Act.* II, 3). Vere enim in nobis igneæ linguæ resident, si in fratrum filiorumque exhortatione divini fervore spiritus accendamur. Creditum nobis agrum dominicum exerceamus dum licet; seminemus in timore dum tempus est; bonum facientes non deficiamus; tempore enim suo metemus non deficientes (*Gal.* VI, 8, 9). Simus de illis de quibus Psalmista dicit: *Euntes ibant et flebant, mittentes semina sua* (*Psal.* CXXV, 6). Ad cujus rei fructum nos provocans, subdidit: *Venientes autem venient in exsultatione, portantes manipulos suos.* Vigilemus itaque, et relinquentes terrena negotia, cœlestibus anhelemus. Et quæ retro sunt obliviscentes, in ea quæ ante sunt nosmetipsos enixius extendamus (*Philip.* III, 13). Mens nostra in sæculari varietate non diffluat; sed tota in unum currat atque confluat finem, quem mira suavitate David respexerat, cum dicebat: *Unam petii a Domino, hanc requiram: ut inhabitem in domo Domini omnibus diebus vitæ meæ* (*Psal.* XXVI, 4). Hoc amore liquefiant boni corda rectoris. In his se mens tota suspendat. Dum adhuc in terris sumus positi, frequens a nobis lacrymarum imber in cœlo compunctionis nube fructificet. Tunc enim bene atque vere, dilecte mi frater, ad proximorum dilectionem descendimus, si in dilectione Dei ex toto corde, ex tota anima et mente, atque ex totis viribus persistimus.

**841** Xenia vero temporalia a vobis directa, licet nos talibus non egeamus, tamen cum debita charitate suscepimus. Egemus autem de vestra debita charitate atque commissi vobis regiminis sollicitudine gratulari. Multo enim nobis hæc dulcissima fiunt cum [b] sacerdotalis mentis atque piæ conversationis fuerint suavitate conditæ.

## EPISTOLA LXV.

### AD MAURICIUM IMPERATOREM.

*Africanos quosdam episcopos Roma Constantinopolim mittit, qui Mauricio ipsi testentur imperatori contra Donatistas leges negligi. Mauricii animum adversus legum suarum contemptores excitat.*

Gregorius Mauricio [a] Augusto.

Inter armorum curas et innumeras sollicitudines quas indefesso studio pro Christianæ reipublicæ regi-

[c] Al., *silentio relicere*, ut habent vet. Ed. et Vatic.

[d] Editi, *gratia disponente*.

EPIST. LXIV [*Al.* 62]. — [a] Magis placuit recent. Edit. *faciamus*, quod nullis in Mss. nobis occurrit.

[b] Ita Norm., Corb., Reg., Rhem., Vatic. D, et plur. In tribus tamen Vatic. legitur, *cum sacerdotali mente atque piæ conversationis*, etc. Nullis autem in Mss. observavimus quod habent Editi, *cum sacerdotum mentes piæ conversationis*.

EPIST. LXV [*Al.* 63]. — [a] In Ms. Cisterciensi additur, *et Tiberio*. Tiberius unus erat ex Mauricii Augusti filiis, sed nondum fuerat in consortium imperii assumptus. Qua vero ratione ad ipsum conjunctim et ad Mauricium ejus patrem scripsisset hanc epistolam sanctus Gregorius, neglecto ejus fratre Theodosio natu majore jam purpura donato? In tribus Vatic. et in Regio legitur *Mauricio Tiberio Au-*

mine sustinetis, magna mihi cum universo mundo lætitiæ causa est quod pietas vestra custodiæ fidei, qua dominorum fulget imperium, præcipua sollicitudine semper invigilat. Unde omnino confido quia sicut vos Dei causas religiosæ mentis amore tuemini, ita Deus vestras majestatis suæ gratia tuetur et adjuvat. Qualiter autem pietatis vestræ serenitas contra Donatistarum flagitiosissimam pravitatem consideratione justitiæ et sincerissimæ religionis zelo commota sit, directarum lucidissime tenor insinuat jussionum. Sed venientes viri reverendissimi ex Africana provincia episcopi asserunt ita esse incauta dissimulatione positas, ut nec Dei illic judicium haberetur in metu, nec principales hactenus jussiones sortirentur effectum : hoc etiam subjungentes, quod in præfata provincia, Donatistarum præmiis prævalentibus, fides catholica publice venundetur. At contra gloriosus vir Gennadius de uno eorum mihi similia questus est qui talia querebantur. Cui [b] etiam duo cæteri in re eadem testimonium ferebant. Sed quia in causa ipsa sæcularis judicis intererat, eosdem episcopos ad pietatis vestræ existimavi esse vestigia dirigendos, ut per semetipsos serenissimis auribus suggerant quæ se fatentur pro fide catholica pertulisse. Ea propter obsecro ut dominorum Christianitas pro salute animæ et vita piissimæ sobolis, sua eos quos tales esse cognoscit districta ulcisci jussione præcipiat, et ruinam pereuntium ereptionis manu suspendat, atque **842** insanis mentibus correptionis medicinam adhibeat, et errorum ab eis [c] morsus expellat; quatenus dum piæ provisionis vestræ remedio pestiferæ pravitatis fuerit caligo depulsa, et vera illic fides radios suæ serenitatis asperserit, cœlestis vos ante Redemptoris nostri oculos triumphus exspectet, quia quos exterius ab hoste defenditis, etiam interius a diabolicæ fraudis veneno, quod est gloriosius, liberatis.

A

B

C

## EPISTOLA LXVI.

### AD ATHANASIUM PRESBYTERUM.

*Ipsum ab omni hæreseos labe purum pronuntiat, idque se Constantinopolitano episcopo scripturum spondet.*

Gregorius [a] Athanasio presbytero de Isauria.

Sicut de eis quos ab unitate Ecclesiæ hæreticæ pravitatis error abscidit affligimur et dolemus, ita his quos intra sinum suum catholicæ fidei professio continet congaudemus. Et ut pastorali sollicitudine illorum nos oportet impietatibus obviare, sic piis horum professionibus congruit favorem impendere, et [b] sincera esse quæ sapiunt declarare. Atque ideo dum tibi Athanasio presbytero monasterii sancti Mile, cui est vocabulum Tamnaco, quod in [c] Lycaonia est provincia constitutum, contraria integræ fidei fuisset orta suspicio, ut professionis tuæ potuisset integritas apparere, ad apostolicam sedem cui præsidemus elegisti recurrere, asserens etiam te corporaliter verberatum aliqua injuste ac violenter fecisse. Et quanquam ea quæ vi impulsionis fiunt canonum minime censura recipiat, et jure habeantur infirma, quia ipse ea dissolvit qui injustum fateri fierique compellit, sed magis illa suscipienda est et amplectenda confessio quæ ex spontanea voluntate monstratur procedere, sicut apud nos fecisse dignosceris; ne quid tamen nobis ambiguum potuisset existere, sanctissimo [d] Joanni quondam fratri et coepiscopo nostro, Constantinopolitanæ civitatis antistiti, de te prævidimus scribendum, ut suis nos quid actum esset epistolis informaret. Qui, sæpe a nobis admonitus, rescribens innotuit Codicem apud te fuisse inventum in quo plurima continebantur hæretica, et ob hoc se adversus dilectionem tuam fuisse commotum. Quem quia ad nos studuit pro satisfactione transmittere, priores ejus partes sollicita lectione percurrimus. Et **843** quoniam manifesta in eo hæreticæ pravitatis venena reperimus, [e] ne denuo debuisset legi vetuimus. Sed quia hunc te simpliciter testatus es legisse, et ad amputandam ambiguæ suspicionis materiam libellum nobis manu tua porrexisti perscriptum, in quo, fidem tuam exponens, omnes generaliter hæreses, vel quidquid adversus catholicæ fidei vel professionis integritatem est apertissime condemnasti, et cuncta quæ sanctæ quatuor universales synodi recipiunt te semper recepisse ac recipere, et quæ condemnant condemnasse condemnareque professus es; eam quoque synodum quæ Justiniani imperatoris temporibus de tribus capitulis facta est et suscipere et custodire promisisti; et prohibitus a nobis codicem ipsum legere in quo pestiferæ fraudis virus innexum est libentissime consensisti; reprobans etiam atque condemnans ea omnia quæ contra catholicæ fidei integritatem in eo **844** dicta vel latenter advertere debebant qui titulum illum corruperunt. Idem error reperitur in Editis Joannis Diaconi, licet mss. Codices reclament. GUSSANV. Vide indicem Chronolog. Hist. monast. Orientalis, p. 65.

D

*gusto*. Eadem haud dubie erat inscriptio in Codice ex quo descriptus est Cisterciensis. At pro Mauricio Tiberio (cognomen erat Mauricii) scripsit amanuensis, *Mauricio et Tiberio*.

[b] Sic legitur in Vatic., Norm., Rhem., Corb., etc., ubi Editi habent, *duo alii certi*. Paulo post restituimus *in*, ante *causa*, ex omnibus Mss. In Beccensi, pro *sæcularis judicis intererat*, legitur *sæculares judices intererant*. Multa alia ex Mss. consensu mutavimus, de quibus non monemus, quod levia sint.

[c] Editi, *ab eis morbos*, etc., invitis Mss. Anglic., Norm., Vatic., Reg., Rhem., Corb.

EPIST. LXVI [*Al*. 74]. — [a] Antea legebatur *Anastasio* contra fidem plurimorum mss. Codicum et Editionum antiquarum. Id etiam constat ex contextu epistolæ in qua Mss. omnes et editi Codices legunt *Athanasio*, sicut et ex epist. 5 lib. VI, nunc lib. VII, in qua exemplaria omnia habent *Athanasium*, quod

[b] Ut in causa Joannis Chalcedonensis, supra, epist. 15. GUSSANV.

[c] Est regio Asiæ minoris, Cappadociæ pars, in austrum Ciliciam versus, ab ea Tauro monte divisa, inter Isauriam ad occasum, et Armeniam minorem ad ortum, cujus metropolis Iconium hodie, vulgo *Cogni*. GUSSANV.

[d] Cui ut Constantinop. patriarchæ suberat Lycaonia, juxta concil. Chalced., can. 9, 17, 28.

[e] Agnosce antiquam in Romanis pontificibus libros aliquos prohibendi potestatem et consuetudinem, cui parere tenebantur etiam Orientalis Ecclesiæ alumni Constantinop. patriarchæ aut alteri alioquin subditi.

inserta sunt, nec eum te legere denuo promisisti ; hac ratione permoti, postquam etiam [f] ex probati a te libelli pagina fides tua nobis catholica Deo custodiente perclaruit, ab omni te hæreticæ perversitatis macula juxta professionem tuam liberum esse decernimus atque catholicum, et sinceræ fidei in omnibus professorem atque sequacem, Christi Jesu Salvatoris gratia claruisse pronuntiamus, liberam quoque tribuimus licentiam ad tuum monasterium in tuo te loco vel ordine nihilominus remeare. De hoc A quoque et dilectissimo fratri nostro Constantinopolitanæ civitatis antistiti, qui in supradicti sancti Joannis loco ordinatus est, nostra volumus scripta transmittere. Sed quia [g] consuetudo non est ut prius quam ad nos ejus synodica deferatur debeamus scribere, idcirco distulimus. Sed postquam ea nobis delata fuerit, ei hæc, dum opportunum fuerit, indicabimus. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 56 *et n.* 25. *Vide ind.* 11 *ep.* 52, *ind.* 13 *ep.* 18.)

[f] Ita Mss. Corb. et unus Reg. Editi omnes habent *exprobrata.*

[g] Non tantum patriarchæ recens promoti synodicam ad Rom. pontif. mittere consueverant ; sed et ipse Romanus pontifex ad ipsos invicem statim a promotione sua litteras destinabat suæ fidei indices ac testes, quod sanctus Gregorius, epist. 24, nunc 25, lib. I, præstitit. Gelasii Papæ I verba, epist. 2, ad Laurentium, tam sunt aperta, ut nullis possint tenebris obscurari : *Mos est Romanæ Ecclesiæ sacerdoti noviter constituto formam fidei suæ ad sanctas Ecclesias prærogare*, etc.

# LIBER SEPTIMUS.

## Indictione XV, et anno ordinationis ejus septimo.

### 845 [a] EPISTOLA PRIMA.

AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*Uxorem, quæ libera approbata est, viro suo restituat ; neque hic de illa iterum abjicienda cogitet.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Cujus rei causa (*Grat.* 29, *q.* 2, *c.* 6) cum matre sua huc compulsa anno præterito præsentium venerit latrix, fraternitas tua [b] cautius novit. [c] Quam quia maritus suus, vester clericus, ob hoc quod de servili fuerat conditione pulsata, a suo noscitur removisse consortio, vosque hic positos asserunt promisisse ut si probare se liberam, adjuvante Domino, valuisset, suo eam vos conjugi reformare ; fraternitas vestra cognoscat quod, revelante Deo, libertatis auctore, approbata sit libera, [d] nullaque servilis in ea macula inventa. His ergo cognitis, sine mora aliqua, suo per vos eam volumus marito restitui, nec ulterius idem vir ejus [e] argumenta sibi occasionis exquirat quibus eam possit abjicere. Nam si a vobis, quod non credimus, minime fuerit adimpletum, eamque recipere forte distulerit, [f] nos illud cognoscatis cum districta vindicta correcturos.

### EPISTOLA II.

AD COLUMBUM EPISCOPUM.

*Dimissum jam in regiam urbem Paulum episcopum. Tardius ad se Columbum scripsisse. Ejus excusationem confutat.*

Gregorius [a] Columbo episcopo Numidiæ.

B Epistolam fraternitatis vestræ, horum latore diacono vestro deferente, suscepimus, in qua nobis de persona Pauli episcopi quæ apud vos acta sunt indicastis. Quod tam sero factum est, ut persona ipsa hic jam valuisset minime reperiri. Nam et vir excellentissimus filius noster Gennadius patricius suum ad nos pro causa eadem cancellarium **846** destinavit. Sed dum fecissemus inquiri utrum cum eo nobis coram positis vellet inire conflictum, respondit ad hoc se minime fuisse transmissum, sed solummodo tres quosdam huc de ejus Ecclesia deduxisse, qui contra eum plurima dicere debuissent. Dum ergo neque illum ad inferendas actiones paratum invenimus, neque personarum illarum nos qualitas movit quod [b] in accusatione episcopi valuissent idoneæ re- C periri, sæpe dicto Paulo episcopo ad urbem se regiam relaxari debuisse precibus speranti non potuimus contradictionis moras afferre ; sed mox cum secundum petitionem suam cum aliis duobus secum deductis episcopis ambulare permisimus. Si qua ergo fuere quæ contra eum dici rationabiliter poterant, mox eo huc veniente vestra debuit, quod nunc fecit, fraternitas cuncta subtiliter indicare. Quod enim multorum vos inimicitias ob hoc quod nostris vos frequentius visitamus epistolis pati signastis, dubium non est, reverendissime frater, bonos pravorum odia sustinere, divinisque intentos operibus perversorum adversitatibus lacerari. Sed quanto hæc quæ

LIBER VII. *Al.* LIBER VI.

EPIST. I. — [a] Hujc epistolæ præmittitur in Cod. Colbert. eodem minio quo libri inscriptio, *Mense Octobri, indictione* 15. Idem in Vatic. observatur.

[b] Vatic. B, *acutius novit.*

[c] Aliter legitur in recent. Ed., etsi integro sensu. Mss. consensus ab illis secedere nos coegit, scilicet, Vatic., Norm., Rhem., Corb., Reg.

[d] Vatic. A et B, *nullaque servitutis in ea.*

[e] Ita quatuor Vatic., Norm., etc., ubi Excusi habent, *argumenta sibi aliqua occasione exquirat.*

D [f] Vatic. Ed., reluctantibus Mss., *nos illum*, scilicet clericum.

EPIST. II. — [a] Multæ occurrunt sancti Gregorii ad hunc episcopum epistolæ, ex quibus quis qualisve fuerit explorare liceat.

[b] Lege caus. II, q. prima, can. 4, 5 et 7, qui desumptus est ex epist. 52 (apud Grat. 50) lib. XI, sancti Gregorii ; extra, tit. *de accusat.*, lib. V, c. 1, *Si legitimus non fuerit accusator, non fatigetur accusatus :* causa 3, q. 8, c. 1, *Accusationes episcoporum*, etc. ; idem, quæst. 5, in multis capitibus. GUSSANV

sunt prava circumstant, tanto in commissi vobis cura regiminis debetis instantius occupari, [c] et circa gregis Christi vigilare custodiam, quantoque iniquorum vos contrarietas premit, tanto alacriores ac de promissa remuneratione certissimos [d] pastoralis sollicitudinis cura debet accendere, quatenus Pastori summo lucrum de injuncto vobis opere valeatis offerre.

## EPISTOLA III.

### AD GENNADIUM PATRICIUM.

*Rogat ne occupato animo de Ruferio comite ac concivibus ad se vocatis ferat sententiam. Anastasium tribunum loco suo restitui petit.*

Gregorius Gennadio patricio Africæ.

Iis qui se apud excellentiam vestram nostris desiderant epistolis commendari, securi **847** de vestra benignitate, facimus quod petimur. Ruferius siquidem [a] comes cum aliis concivibus suis a vobis, ut cognovimus, ad Africanam evocati provinciam, petierunt [b] scriptorum nostrorum sibi apud vos prodesse suffragia. Quapropter, excellentiam vestram paterno salutantes affectu, petimus ut eos in nullo a quoquam patiamini apud vestros animos contra justitiam ingravari; sed sicut circa commissos vobis pia discretaque vos novimus invigilare cautela, ita et de his tranquille disponere, inspirante vobis Domino, de beatis, [c] atque de insulæ ipsius sollicitius tractare cautela; ne si illuc exercitus sine persona utili quæ hunc gubernare valeat [d] incauta dispositione transmittitur, adjumentum hostibus præbeatur. Quia autem Anastasium tribunum, quem illic excellentia vestra ordinaverat, bene secum egisse atque in nulla læsione eum asserunt miscuisse se provinciæ, quem etiam nunc et remotum graviter ferunt, præcipiat excellentia vestra illuc eum iterum destinari, suisque adhortationibus firmari; ut qui de bona actione jam placuit, nullius ad male agendum suasionibus incitetur; ne tantorum judicium, quod ex bona administratione habere meruit, deterius perdat, quod non optamus, agendo contraria. Ita ergo petimus ut vestra excellentia faciat quatenus bonum vestrum quod testatur Africa etiam Corsica cognoscat.

## [a] EPISTOLA IV.

### AD CYRIACUM EPISCOPUM.

*Appetendam quietem; sed pro multorum lucro aliquando postponendam. Curandum episcopo ne cogitationum perturbatio, quæ funditus repelli non potest, animum obruat. Vicaria fidei confessione, ac mutua ipsorum charitate, Ecclesiæ unitatem firmari. Abstinendum ab universalis episcopi titulo. Hæreticis accensendum non fuisse Eudoxium.*

Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano.

[b] Communes filios Georgium presbyterum et Theodorum diaconum vestrum ea qua decuit charitate suscepimus; vosque ab ecclesiasticarum rerum cura ad animarum regimen venisse gaudemus, quia, juxta Veritatis vocem: *Qui in modico fidelis est, et in majori fidelis erit* (*Luc.* XVI, 10). Et bene ministranti servo dicitur: *Quia in pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam* (*Matth.* XXV, 23). Cui etiam mox de æterna retributione subjungitur: *Intra in gaudium Domini tui.* In scriptis autem vestris (*Grat.* 8, *q.* 1, *c.* 9) vos magnopere requiem quæsisse narratis. Sed per hoc **848** ad pastoralem sollicitudinem vos congrue venisse ostenditis, quia sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus. Et sicut scriptum est: *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur a Deo tanquam Aaron* (*Hebr.* v, 4). Et rursus idem prædicator egregius dicit: *Si unus pro omnibus mortuus est, ergo omnes mortui sunt, et pro omnibus mortuus est Christus. Superest ut et qui vivunt jam non sibi vivant, sed ei qui pro eis mortuus est et resurrexit* (*II Cor.* v, 14, 15). Et pastori sanctæ Ecclesiæ dicitur: *Simon Joannis, amas me? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Ex quibus verbis colligitur quia si is qui valet omnipotentis Dei oves renuit pascere, ostendit se Pastorem summum minime amare. Si enim unigenitus Patris pro explenda utilitate omnium de secreto Patris egressus est ad publicum nostrum, nos quid dicturi sumus, si secretum nostrum præponimus utilitati proximorum? Quies itaque nobis et ex corde appetenda est, et tamen pro multorum lucro aliquando postponenda. Nam sicut toto desiderio debemus occupationem fugere, ita si desit qui prædicet, occupationis onus libenti necesse est humero subire. Quod ex duorum prophetarum opere docemur, quorum unus prædicationis officium vitare conatus est, et alter appetiit. Nam mittenti se Domino Jeremias respondit, dicens: *A, a, a, Domine Deus, nescio loqui, quia puer ego sum* (*Jerem.* I, 6) Et cum omnipotens Deus personam ad prædicandum quæreret, dicens: *Quem mittam, et* [c] *quis ibit nobis?* ultro se Isaias obtulit dicens: *Ecce ego, mitte me* (*Isai.* VI, 8). En ab utrisque exterius diversa vox prodiit, sed non a diverso fonte dilectionis emanavit.

Duo quippe sunt præcepta charitatis, Dei videlicet amor, et proximi. Per activam igitur vitam prodesse proximis cupiens Isaias, officium prædicationis appetit, per contemplativam vero Jeremias amori conditoris sui sedulo inhærere desiderans ne mitti ad prædicandum debeat, contradicit. Quod ergo laudabiliter unus appetiit, hoc laudabiliter alter expavit. Iste, ne tacitæ contemplationis lucra loquendo perderet, ille, ne damna studiosi operis tacendo sentiret.

[c] Tres Vatic., *et circa gregem Christi invigilare custodia.*

[d] In Norm. et Corb., *pastorali sollicitudini accedere.*

EPIST. III. — [a] Ea ætate comites singularum civitatum, duces vero universæ provinciæ fuisse præfectos observat Alteserra in hunc locum, idque multis probat ex Gregorio Mag. et Gregorio Turon.

[b] Ita Vaticani omnes, Norm., Corb., etc. Consentiunt vet. Ed. At in recent. legitur, *scriptorum nostrorum apices, sperantes sibi*, etc.

[c] Intelligit insulam Corsicam, ut ex fine epistolæ liquet. Vandalis Africam occupantibus parebant Sardinia, Corsica et aliæ insulæ. His devictis Justinianus voluit Sardiniam Africæ accenseri. Hinc in notitia Africæ Sardinia est septima provincia. Cui fortasse Corsica, vicina nimirum insula, tribuebatur. Unde ad Gennadium Africæ exarchum seu præfectum scribit Gregorius ut Corsicæ prospiciat.

[d] Norm. et Corb., *et cauta dispositione.*

EPIST. IV. — [a] In Mss. Norm., Colbert. et plur.,

Sed hoc in utrisque est subtiliter intuendum, quia et is qui recusavit plene non restitit, et is qui mitti voluit, ante se per altaris calculum purgatum vidit, ne aut non purgatus, adire quisquam sacra ministeria audeat, aut quem superna gratia eligit sub humilitatis specie superbe contradicat.

Magno autem desiderio vos in epistolis vestris invenio serenitatem mentis quærere, et repulsa perturbatione ad tranquillitatem cogitationis anhelare. Sed qua ratione ad hoc vestra fraternitas **849** pertingere possit ignoro. Qui enim regendam navem suscepit, tanto amplius necesse est vigilet, quanto amplius littus relinquit, ut aliquando futuras procellas ex signis prævideat; aliquando venientes, aut directo clavo, si parvæ sint, superet; aut si vehementer intumescunt, dato in obliquum latere, irruentes declinet; et sæpe solus vigilet, cum cuncti illi quibus nulla navis cura commissa est quiescunt. Quomodo autem, suscepto pastorali onere, habere serenitatem cogitationum potestis, cum scriptum sit : *Ecce gigantes gemunt sub aquis* (*Job.* XXVI, 5)? Juxta Joannis etenim vocem, *Aquæ, populi sunt* (*Apoc.* XVII, 15). Et gigantes sub aquis gemere est, quia quisquis in hoc mundo quasi quadam corporis mole ordine potestatis excreverit, tanto pondera majoris tribulationis sentit, quanto super se regendorum populorum curam susceperit. Sed si sancti Spiritus virtus afflictam mentem afflaverit, protinus hoc quod Israelitico populo corporaliter factum est nobis spiritaliter contingit. Scriptum quippe est : *Filii autem Israel ambulaverunt per siccum, per medium mare* (*Exod.* XV, 19). Et per prophetam Dominus pollicetur, dicens : *Cum transieris per aquas, tecum ero, et flumina non operient te* (*Isa.* XLIII, 2). Illos enim flumina operiunt, quos actiones hujus sæculi mentis perturbatione confundunt. Nam qui [d] sancti Spiritus gratia tenetur in mente, transit aquas, et tamen fluminibus non operitur, quia etiam inter medias populorum catervas sic peragit gressus sui itineris, ut non submittat actionibus sæculi caput mentis.

Ego quoque qui indignus ad locum regiminis veni, infirmitatis meæ conscius, secretiora loca petere aliquando decreveram; sed, superna mihi judicia adversari conspiciens, jugo conditoris subdidi cervicem cordis : hoc præcipue perpendens (*Grat. dist.* 40), quia quælibet occulta loca sine Dei gratia animam salvare non possunt; quod aliquando in ipsis quoque conspicimus erratibus electorum. Nam Lot in ipsa perversa civitate fuit justus, in monte peccavit (*Genes.* XIX). Sed ista cur dicimus, cum majora noverimus? Quid enim paradiso jucundius? quid cœlo securius? et tamen homo ex paradiso, et angelus de cœlo peccando cecidit. Illius ergo nobis virtus quærenda est, et gratia postulanda, sine quo nusquam [e] absque culpa, cum quo nusquam sine justitia. Curandum ergo est ut perturbatio cogitationum non exsuperet animum, nam repelli funditus nullatenus potest. Quisquis enim est in loco regiminis, aliquando necesse est habeat etiam terrena cogitare, et exteriorum quoque curam gerere, ut grex commissus valeat ad ea quæ sibi sunt explenda subsistere. Sed magnopere semper providendum est ne hæc eadem cura modum transeat, ut cum ad cor licenter admittitur, nimis excrescere non permittatur. Unde recte per Ezechielem prophetam dicitur : *Sacerdotes caput suum non radant, neque comam suam nutriant; sed tondentes attondeant capita sua* (*Ezech.* XLIV, 20). Quid enim per significationem sunt capilli in capite, nisi cogitationes **850** in mente? qui dum super cerebrum insensibiliter oriuntur, curas vitæ præsentis designant, quæ ex sensu negligenti, quia importune aliquando prodeunt, quasi nobis non sentientibus procedunt. Quia igitur cuncti qui præsunt habere quidem sollicitudines et exteriores debent, nec tamen eis vehementer incumbere. Sacerdotes recte et caput prohibentur radere, et comam nutrire, ut cogitationes carnales de vita *subditorum, nec a se funditus* amputent, nec rursus ad crescendum nimis relaxent. Ubi et bene dicitur : *Tondentes tondeant capita sua*, ut videlicet curæ temporalis sollicitudines, et quantum necesse est prodeant, et tamen recidantur citius, ne immoderatius excrescant. Dum igitur et per administratam exteriorem providentiam corporum vita protegitur, et rursus per immoderatam cordis [f] intentio impeditur, capilli in capite sacerdotis et servantur ut cutem cooperiant, et resecantur ne oculos claudant.

Præterea epistolas vestras directas plena fide suscepimus, atque omnipotenti Deo gratias agimus, qui inconsutilem tunicam desuper contextam, videlicet Ecclesiam suam, [g] vicaria confessione fidelium in unitate gratiæ ab omni erroris scissione custodit, et contra pereuntis mundi, ut ita dicam, tot culparum diluvium, ex multis lignis arcam construit, in qua omnipotentis Dei electi serventur ad vitam. Nam cum vicissim nobis fidei nostræ confessionem trans-

hæc epistola est quinta hujus libri, et quæ hic quinta est, quarto loco ponitur. Cyriacus Joanni nuper defuncto successerat. Quis autem qualisve esset Cyriacus disce ex epist. 6 seq.

[b] In Cod. Cisterciensi, consentientibus Norm. et duobus Vatic., *communem filium Georg.*

[c] In Excusis, contra Mss. Anglic., Norm., etc., fidem, invito etiam sacro textu, *quis ibit ex vobis?*

[d] Recent. Ed., *sancti Spiritus gratiam tenet in mente.*

[e] Ita restituimus ex Mss. Vatic., Norm., Anglic., etc., lectione. In Excusis legitur, *sine quo nusquam absque periculo et culpa, cum quo nusquam sine justitia esse non possumus.* Certe *non possumus* minime sensus patitur.

[f] Excusi, *intentio non impeditur.* Amovimus negationem, ex Mss. Norm., Rhem., etc., præscripto.

[g] Cyriacus in sede Constantinop. promotus mittit ex more epistolam, qua fidei suæ sinceritatem et tenendæ communionis studium testaretur. Hanc vocat sanctus Gregorius confessionem vicariam, quoniam, ut statim subdit, vicissim illam transmittebant initio episcopatus, ut supra notatum est. Hæc epistola refertur distinct. 40, can. 10, et citatur pro S. Gregorio. Cur citetur pro quinta, repete ex nota prima ad hanc epistolam.

mittimus, et charitatem nostram erga nos ostendimus, A quid aliud in sancta Ecclesia agimus, nisi arcam bitumine linimus; ne unda erroris intret, et vel spiritales quosque tanquam homines, vel carnales tanquam animalia occidat?

Sed cum sapienter a vobis recta fides prolata sit, restat ut procul dubio debeatis pacem cordium prudentius custodire, propter hoc quod Veritas dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Et Paulus apostolus admonet, dicens : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). Qui rursus ait : *Pacem sequimini cum omnibus et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII, 14). Quam videlicet pacem [h] tunc nobiscum veraciter habebitis, si profani nominis superbiam declinetis, juxta quod idem magister gentium dicit : *O Timothee, depositum custodi, devitans profanas vocum novitates* (*I Tim.* VI, 20). Nimis quippe iniquum est, si hi qui prædicatores humilitatis facti sunt, de vani nominis elatione glorientur, cum verus prædicator dicat : *Mihi autem absit gloriari nisi in cruce Domini nostri Jesu Christi* (*Gal.* VI, 14). Ille ergo vere gloriosus est, qui non de temporali potentia, sed pro Christi nomine de sua passione gloriatur. In hoc itaque vos medullitus amplectimur, in hoc sacerdotes vos esse recognoscimus, si, repulsa vanitate verborum, sanctitatis locum cum sancta humilitate teneatis. Ecce enim in [i] nefandi appellatione nominis scandalizati sumus, et non minimas querelas servamus in mente, et promimus in voce. Vestra autem fraternitas novit quia Veritas dicit : *Si* C *offers* **851** *munus tuum ante altare, et ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid adversum te, relinque ibi munus tuum, et vade prius reconciliari fratri tuo, et tunc veniens offeres munus tuum* (*Matth.* V, 23, 24). Qua in re pensandum est quia cum omnis culpa oblato sacrificio deleatur, tantum est malum scandali alieno corde generati, ut ab eo qui peccaverit nec ipsum sacrificium Dominus accipiat, quod delere peccatum solet. Curate ergo cordis vestri scandalum festine detergere, ut possit omnipotens Deus oblationis vestræ sacrificium acceptabile habere.

[h] Editi, *vobiscum*.

[i] Scilicet universalis, œcumenicus, quam forte appellationem in suis scriptis Cyriacus apposuerat. GUSSANV.

[k] De eodem infra, epist. 31, nunc 34, et lib. VII, epist. 30, indictione 1. Sibi tandem gaudet sanctus Gregorius largissime fuisse satisfactum prolatis ab Eulogio testimoniis Basilii, Gregorii atque Epiphanii. Addere libet Theodoretum, hæreticarum Fabularum lib. IV, et in Historia eccles. lib. II, in pluribus capitibus. Fuerat iste Eudoxius episcopus Germaniciæ, postea ut aper insiluit in sedem Antiochenam, tum multis fraudibus Constantinopolitanum thronum conscendit. Ejus doctrina rivus erat Arianæ perfidiæ, de qua ille cum Aetio et Eunomio conveniebat. Ab eo dicti Eudoxiani, tum Eunomiani, quos in Constantinopolitano I concil., can. 1, damnatos legimus. Is Eudoxius, Theodoreto teste, lib. IV Histor., cap. 12, Valentem imperatorem ab ipsomet sacro baptismatis mysterio initiatum jurejurando obstrinxit ut in Ariano dogmate perseveraret, etc. Et cap. 32 ejusdem lib. refert eumdem Eudoxium Valenti persuasisse ut Gothos ad suam communionem pertraheret. GUSSANV.

Præterea cum recta a vobis fides veraciter et subtiliter sit prolata, inter eos quos per sanctissimas generales synodos damnandos esse censuistis, [k] Eudoxium quemdam vos damnasse reperimus : cujus nomen in Latina lingua neque in synodis, neque in libris beatæ memoriæ episcoporum [l] Epiphanii, Augustini, et Philastri, quos contra hæreticos præcipue disputasse novimus, positum reperimus. Quod si quis eum veraciter de catholicis Patribus damnat, ejus procul dubio sententiam sequimur. Vos tamen si in synodica vestra epistola eos quoque nominatim damnare voluistis, qui extra sanctas synodos per Patrum scripta damnantur multos scriptis suis vestra fraternitas minus posuit; si autem eos quos generales synodi respuunt, hunc unum amplius. Sed inter B hæc sciendum est quia ut nobis liceat rectam fidem libere fateri, et cuncta quæ agenda sunt concorditer in pace disponere, pro serenissimorum dominorum vita propria quoque sobole incessanter orandum est, ut omnipotens Deus eorum pedibus barbaras nationes subjiciat, longa eis et felicia tempora concedat, quatenus per Christianum imperium ea quæ in Christo est fides regnet.

## EPISTOLA V.

### AD CYRIACUM EPISCOPUM.

*Laudem tribuit, quod humiliter ac modeste de se sentiat; inde fortem illum esse conjicit. Amicissime hortatur, ut sublata occasione scandali, quæ pacis et dilectionis sunt custodiat. Commendat fidem Joannis et Athanasii.*

Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano.

Dudum dum in urbe regia responsa sedis apostolicæ facerem, bona vestræ sanctitatis agnovi. Et quia vobis animarum nunc cura commissa est, valde gaudeo. Et quamvis indignus, omnipotentem Dominum quibus valeo precibus exoro, ut in vobis suam gratiam semper augeat, vosque ad æternam patriam faciat animarum lucra congregare. Quia vero ad hoc opus ad quod **852** perducti estis, infirmos vos esse dicitis, scimus quia prima virtus est cognitio infirmitatis, atque ex eo colligimus posse vos bene susceptum ministerium implere, quia vos videmus [a] infirmitatem propriam ex humilitate cognoscere. Omnes enim infirmi sumus, sed ille est infirmior, qui suam consi-

[l] Male autumat Gussanvillæus Epiphanii nomen incaute in textum irrepsisse, quia, inquit, *Epiphanium nondum Romæ legerant*. Certe legitur hoc nomen omnibus in Mss. et ex epistola 30 lib. VIII discimus Eulogium ad nostrum Gregorium scribendo, ut ejus ea de re scrupulos removeret, quædam de Eudoxio Epiphanii testimonia protulisse.

EPIST. V. — [a] Grande pastoribus documentum : *Væ qui sapientes estis in oculis vestris, et apud vosmetipsos prudentes*. Charitati substernatur humilitas quasi fundamentum, aut accedat quasi condimentum : *Nos infirmi, vos fortes; vos nobiles, nos ignobiles*, inquit Paulus. Ubi vanitas, tumor, superbia reperitur, exsulat sacerdotalis charitas. Ipsi Ciceroni ethnico, *Inflatus ac tumens animus in vitio est; sapientis animus nunquam turgescit, nunquam tumet*. Auctor epistolæ ad Demetriadem apud Ambrosium, lib. IV,

derare non valet infirmitatem. Vos vero, beatissimi fratres, ideo fortes estis; quia de fortitudine propria diffidentes, omnipotentis Dei virtute confiditis.

Quantum vero mens mea charitati vestræ ligata sit, verbis epistolaribus explere non possum. Sed oro ut omnipotens Deus eamdem quæ inter nos est charitatem ex gratiæ suæ dono multiplicet, omnemque occasionem scandali auferat, ne sancta Ecclesia, confessione veræ fidei unita, et conjunctis fidelium cordibus constipata, detrimentum aliquod, quod absit sacerdotibus [b] inter se disceptantibus, sentiat. Quamvis ego in omne quod loquor, in omne quod superbis quorumdam actibus contradico, ex omnipotentis Domini largitate charitatis intimæ custodiam nunquam relinquo; sed sic ea quæ sunt justitiæ foris exsequor, ut ea quæ intus amoris et dilectionis sunt minime postponam. Vos autem semper mihi amoris mei vicem reddite, et ea quæ pacis et dilectionis sunt custodite, ut unum in mente permanentes, quo nullam dissensionem inter nos intrare permittimus, eo obtinere quæ petimus, apud Dominum ex ipsa melius cordium nostrorum unitate valeamus.

Præterea Joannem Chalcedonensem presbyterum et Athanasium Lycaoniæ sanctitati vestræ commendo, ut nullus vobis contra eos falsidica locutione subrepat, quia eorum fidem subtiliter discussi, eosque rectos in suis confessionibus, quæ et scripto datæ sunt, inveni.

Sancta autem Trinitas sua vos manu protegat, et circa animarum custodiam semper vos vigilantes et sollicitos reddat, quatenus in æterna retributione valeatis non solum de vestro opere, sed etiam de subditorum vestrorum melioratione coronari. (*Vide sup. l.* VI, *ep.* 14, 15, 16, 17.)

## EPISTOLA VI.

AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*De Cyriaci electione gratulatur.*

Gregorius Mauricio Augusto.

Omnipotens Deus, qui pietatem vestram pacis ecclesiasticæ fecit esse custodem, ipsa vos fide servat, quam vos in sacerdotali unitate servatis; cumque supernæ pietatis jugo cor humiliter subditis, [a] cœlesti gratia agitur ut hostes vestros **853** pede fortitudinis prematis. Non enim parvæ potuit esse mercedis quod, Joanne sanctæ memoriæ de hac luce subtracto, ad ordinandum sacerdotem pietas vestra diu hæsitavit, tempus paulo longius distulit, cum metu omnipotentis Domini consilium quæsivit, ut videlicet causa Dei cum magno debuisset timore disponi. Unde et aptum valde existere in pastorali regimine fratrem atque consacerdotem meum Cyriacum existimo, quem ad eumdem ordinem pietatis vestræ consilia longa genuerunt. Qui in administrandis dudum rebus ecclesiasticis quam sollicitus et quomodo fuerit [b] exercitatus cuncti novimus. Unde et superna gestum [c] dispensatione non ambigo ut qui bene minima gesserat congrue majora susciperet, atque a cura rerum ad animarum regimina transiret. Pro qua re totis precibus deprecamur ut bonum hoc omnipotens Deus serenitati dominorum piæque eorum soboli et in præsenti sæculo atque in perpetua remuneratione retribuat, et prædicto fratri et consacerdoti meo, qui dominico gregi prælatus est, animarum curam plena sollicitudine exhibere concedat; ut irreprehensibiliter possit subjectorum suorum et prava corrigere, et recta ad crescendum fovere; quatenus de eo pietatis vestræ judicium, non solum ante homines, sed etiam ante supernæ quoque Majestatis oculos convalescat.

Venerabiles autem viros Georgium presbyterum, et Theodorum diaconum pro jussione dominorum, atque pro imminentia hiemalis temporis, in hac urbe moras perpeti non permisi.

## EPISTOLA VII.

AD PETRUM, DOMITIANUM, ET ELPIDIUM.

*Illos reprehendit quod in Cyriaci ordinatione clamassent* : Hæc dies, quam fecit Dominus. *Pastorum culpas subjectis, subjectorum pastoribus nocere.*

Gregorius [a] Petro, Domitiano et Elpidio, episcopis.

Ordinationem viri sanctissimi Cyriaci fratris et consacerdotis mei cum magna vos lætitia suscepisse vehementer exsulto. Et quia Paulo apostolo prædicante didicimus : *Si gaudet unum membrum, congaudent cætera membra* (*I Cor.* XII, 26), pensare vos necesse est quanta vobis hac in re exsultatione congaudeo, in qua non unum membrum, sed multa Christi membra gavisa sunt. Sicut tamen scripta fraternitatis vestræ potui transcurrendo perpendere, magna lætitia in immoderatam **854** ejusdem fratris mei laudem vos rapuit. Nam hunc sicut solem in Ecclesia apparuisse dicitis, ita ut cuncti clamaretis : *Hæc dies quam fecit Dominus, exsultemus et lætemur in ea* (*Psal.* CXVII, 24). Et certe sequentis vitæ promissio est, quia dicitur : *Fulgebunt justi sicut sol* (*Matth.* XIII, 43; *Sap.* III, 7). Nam in hac vita adhuc quisque positus quantalibet virtute polleat, quomodo sicut sol fulget, in qua corpus quod corrumpitur aggravat animam, et deprimit terrena inhabitatio sensum

epistola 33, de humilitate et charitate loquens : *In nullo*, inquit, *hæ virtutes ab invicem dividuntur, et ambarum tam indiscreta connexio est, ut quisquis in una earum construitur, simul utraque potiatur. Sicut enim pars charitatis est humilitas, ita pars humilitatis est charitas*, etc. Videant itaque sacerdotes, ne dum in aliis operibus, eleemosynis, zelo, orationibus, obedientia, sibi de charitate blandiuntur; in veste, in supellectili, in mensa, in comitatu, Christi humilis dedignentur sequi vestigia. Vide Joan. Gerson. serm. in die Circumcisionis Domini, considerat. 4, ubi veritates quibusdam duras et quasi ferreas proponit.

GUSSANV.

[b] Recentiores, loco hujus vocis, quæ in omnibus Mss. nostris legitur et in vet. Edit., posuerunt *discrepantibus*.

EPIST. VI. [a] Vatic. B, *sup. potestatis*.

[b] In tribus Vatic., omnibus Norm. et Corb., *exertus*.

[c] In Vulgatis, reluctantibus Mss., *dispositione*.

EPIST. VII. — [a] Ita legitur in omnibus Norm., Corb., Rhem. et Vatic. D, aliisque vetustioribus. In Reg. et in nonnullis Vatic., *Mauricio patricio, Petro*, etc., addit Vatic. C *Græciæ*, post *episcopis*.

multa cogitantem (*Sap.* IX, 15); in qua videmus aliam legem in membris nostris repugnantem legi mentis nostræ, et captivos nos ducentem in lege peccati, quæ est in membris nostris (*Rom.* VII, 23); in qua et in nobismetipsis responsum mortis habemus, ut non simus fidentes in nobis (*II Cor.* I, 9); in qua etiam Propheta clamat : *Timor et tremor venerunt super me, et contexerunt me tenebræ* (*Psal.* LIV, 6)? Nam et scriptum est : *Sapiens ut sol permanet, fatuus ut luna mutatur* (*Eccli.* XXVII, 12) ; non ad claritatis fulgorem, sed ad perseverantiam boni operis comparatio est solis deducta. Bonum vero ordinationis ejus [b] initium necdum a vobis potuit de perseverantia laudari. Quod autem [c] *Hæc dies quam fecit Dominus* clamasse vos dicitis, de quo hoc dictum sit pensare debuistis. Præmissum quippe est : *Lapidem quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli. A Domino factum est illud, et est mirabile in oculis nostris* (*Psal.* CXVII, 22, 23). Atque de hoc eodem lapide protinus subditur : *Hæc dies quam fecit Dominus.* Ipse enim qui pro fortitudine constructionis dicitur lapis, pro illuminationis gratia appellatus est dies, qui etiam factus est quia incarnatus est. In quo exsultare, et lætari præcipimur, quia erroris nostri tenebras suæ in nobis virtutis luce superavit. [d] In creaturæ itaque laudem vox illa dari non debuit, quæ soli convenit Creatori.

Sed cur ista reprehendo, qui quantum gaudia mentem rapiant scio? Charitas etenim vestra magnam vobis lætitiam genuit, quam videlicet mentis lætitiam in favore lingua secuta est. Quod cum ita sit, laus ista culpa jam dici non potest, quam charitas invenit. Mihi vero de sanctissimo fratre meo dici breviter debuit quod sufficienter acciperem, quia scirem quis esset qui hanc mihi præcipue dudum suæ magnitudinis probationem dedit; quod, in tam multis dispensationis ecclesiasticæ causis occupatus, tranquillum cor inter turbulentas frequentias tenuit, seque ipsum semper sub mansuetudine restrinxit. Quod videlicet non parva laus magni et inconcussi est animi, inter causarum turbas non fuisse turbatum.

Præterea assiduis insistere fraternitas vestra **855** precibus debet, ut omnipotens Deus in prædicto fratre et consacerdote nostro bene cœpta custodiat, et semper ad meliora perducat. Hoc sanctissimis vobis, hoc subjecto ei populo semper orandum est. Nam ita sibi regentium merita connectuntur et plebium, ut sæpe ex culpa [e] præsidentium deterior fiat vita subjectorum, et sæpe ex merito plebium delinquat vita pastorum. Quia enim mala actio præsidentis valde noceat subditis, testantur Pharisæi, de quibus scriptum est : *Clauditis regnum cœlorum ante homines. Vos enim non intratis, nec introeuntes sinitis introire* (*Matth.* XXIII, 13). Et quia culpa plebium multum noceat vitæ pastorum, in David facto cognoscimus (*II Reg.* II, 24). Ille enim Deo attestante laudatus, ille supernorum mysteriorum conscius, tumore repentinæ elationis inflatus, populum numerando peccavit, et tamen vindictam populus, David peccante, suscepit. Cur hoc? quia videlicet secundum meritum plebium disponuntur corda regentium. Justus vero judex peccantis vitium ex ipsorum animadversione corripuit ex quorum causa peccavit. Sed quia ipse sua scilicet voluntate superbiens a culpa alienus non fuit, vindictam culpæ etiam ipse suscepit. Nam ira sæviens, quæ corporaliter populum perculit, rectorem quoque populi intimo cordis dolore prostravit. Hæc itaque considerate invicem, et sicut is qui vobis plebibusque prælatus est, intercedere pro omnibus, ita pro ejus conversatione et moribus orare omnes debetis, ut apud omnipotentem Deum, et vos illius valeatis imitatione proficere, et ille meritis vestris adjuvetur. Cuncti autem concorditer pro serenissimis dominis eorumque pia sobole cum magnis in quantum possumus assidue fletibus oremus, ut eorum vitam gratia protegens superna custodiat, et Christiano imperio gentium colla substernat.

## EPISTOLA VIII.

### AD STEPHANUM EPISCOPUM.

*Invitum laudanti laudes rependit pro assidua illius prædicatione, qua Maria patricia aliive multi ad Ecclesiam revocati. Hortandum Constantinum præfectum ut Dei judicium semper ante oculos habeat.*

Gregorius Stephano episcopo.

Scripta vestræ sanctitatis medullata mihi charitatis verba locuta sunt, ita ut per calamum sic in epistolas animus transiret, ac si mihi per semetipsam mens ipsa loqueretur. Qua de re magnas omnipotenti Deo

[b] Excusi, *initium potuit videri, sed nondum potuit de perseverantia a vobis laudari.*

[c] In electione et ordinatione episcoporum plebs acclamabat. In ordinatione Eraclii quem successorem sibi designavit Augustinus, acclamatum est a plebe : *dignus et justus est. Deo gratias. Christo laudes. Eraudi, Christe. Augustino vita.* Vide acta ordinationis ejus seu epistolam Augustini 213. Anastasius, in Sergio : *Exinde* electum *in Lateranense episcopium cum laudum acclamationibus deduxerunt.*

[d] Quotidie loca Scripturæ accommodatione quadam inflectuntur, et ad alias personas aut sensus detorquentur insolita usurpatione, quam modo ingeniosam vocant, modo blasphemam, aut certe temerariam, ut sunt affecti judices. Sic anno 1648, in propositione 14, Cellotius a sacra facultate Parisiensi reprehensus, quod monachis applicuisset hæc verba, *sanctus, innocens, impollutus*, etc., hac se tuetur exceptione : Applicationes quasdam frequenter in sanctis Patribus legimus, neque superbum est religiosos cum Christo conferre, cum ipsum audiamus dicentem : *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Et Christum : *Estote perfecti, sicut et Pater vester cœlestis perfectus est.* Item : *Ego dixi, dii estis*, etc. Et quod soli Christo convenit Ecclesia omnibus confessoribus pontificibus applicat : *Tu es Sacerdos in æternum*, etc. Hæc ille. Addo in Sacerdotali Rom. impresso Venetiis 1597 hæc haberi, cum ordo præscribitur ad recipiendum processionaliter prælatum, vel legatum : *Sacerdos et pontifex*, etc. *Ecce sacerdos magnus*, etc. *Benedictionem omnium gentium dedit illi*, etc. *Vos estis cives sanctorum*, etc. *Audite preces supplicum*, etc. *Respice in faciem Christi tui.* GUSSANV. In his observandum est sapientissimum concilii Trid. decretum, sess. 4.

[e] In Norm. et plur., *præcedentium* ; et paulo post, *subditorum.*

gratias refero, [a] quia et divisis corporibus nobisque a vobis recedentibus longe charitas inter nos permanet indivisa. Et quidem multum mihi, et ultra quam indignus audire debui, favorem in epistolis demonstratis. Et scriptum est : *Ne laudes hominem quandiu vivit* (*Eccli.* XI, 30). Tamen et si audire talia dignus non fui orationibus vestris peto, ut dignus efficiar, ut si bona in me non ideo dixistis quia sunt, ideo sint quia dixistis. **856** De gloriosa autem Maria patricia valde lætatus sum, quia in sancto Dei ovili aggregata est : quod ex vestra factum assidua prædicatione non dubito, quia ex ipso fructu ostenditis quantum pro fide catholica laboratis. Multos etiam per illam venire ad Ecclesiam suspicor, quod totum vestræ laudi proficit, quia scriptum est : *Ubi plurimæ segetes,* [b] *ibi manifesta fortitudo boum* (*Prov.* XIV, 4). Manifestatur enim virtus prædicantium, ubi surgit seges animarum. Communem vero filium excellentissimum dominum Constantinum præfectum quantum plus diligitis, tantum exhortari assidue debetis ut in causis in quibus mistus est semper omnipotentis Dei judicium ante oculos cordis habeat, eique soli placere studeat qui et in præsenti vita valet protegere et cœlestis patriæ præmia compensare. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 62.)

## EPISTOLA IX.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*De missa Romam eleemosyna gratias agit. In causis judicandis solum Deum consideret. Ne ad mensam scripta sua deinceps faciat legi.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Benedictionem quam pauperibus fraternitas vestra transmisit lator præsentium homo vester Candidus nobis dispensantibus suis manibus erogavit, quod vobis secundum animum vestrum fortasse parum visum est. Nos tamen secundum modum vestræ substantiæ esse nimium et ultra modum æstimamus, ut qui illic apud vos innumeros pauperes habetis, pro explenda largitate misericordiæ, etiam loca alia et longe posita requiratis. [a] De causis vero aliis, vobis scriptis prioribus jam respondisse memini, et nihil aliud debetis, nisi ut sub consideratione solius omnipotentis Dei cuncta faciatis, et nullius persona vos a vigore disciplinæ emolliat, neque [b] vehemens indignatio in rigore, quod absit, aliquo immoderatæ districtionis obduret.

Præterea audio quod aliqua de his quæ scripsisse me memini, fraternitas vestra [c] ad mensam suam coram extraneis legi faciat ; quod mihi non videtur esse faciendum, quia hoc quod vos pro charitate facitis, possunt quidam quantum ad me est vanæ gloriæ deputare. Ideoque coram extraneis antiquorum dicta legite, ex quorum auctoritate valeant qui audierint informari. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 76.)

## EPISTOLA X.

AD AGNELLUM ABBATEM.

*Præpositum ex vitæ merito eligat. Fratribus sollicite invigilet.*

Gregorius [a] Agnello abbati de Arimino.

Filio nostro [b] Secundo servo Dei renuntiante didicimus quod dilectio tua præpositum non habens omnino in regendis fratribus elaboret. **857** Si ergo qui vos ex ordine sequitur talis est ut circa cellæ ordinationem fratrumque custodiam, necnon et in lucrandis animabus, solers valeat inveniri, is debet ad hunc locum incunctanter accedere. Si vero talis non est qualem locus exposcit, de quolibet etiam ultimo gradu, si talis inter fratres, Domino protegente, fuerit repertus, qui vitæ meritis dignum conversationis suæ præbeat documentum, divinique in eo timoris vigor invigilet, [c] hujus profecto non locus, sed est utilitas providenda ; [d] ut talis exemplo ad bonæ imitationis normam cuncti se fratres extendant, nec eos adhuc locus inferior ad bene operandum tepidos reddat, dum in illo qui profecerit de præsenti quod imitentur aspiciunt. Dilectioni quapropter tuæ in hac ordinatione sit nulla dubietas quod non locus, sed actio apta perquiritur, quia et ante Deum ille prioris obtinet locum, qui in ejusdem oculis, etiamsi hic abjectus sit, bonæ actionis instrumento placuerit. [e] Circa fratres namque sollicita vos, sicut confidimus, decet invigilare custodia, ne a recto conversationis itinere per illicitas evagando cogitationes exorbitent, atque inimico per inertem custodiam irruptionis aditum præstent. Sed eos orationi decet instantius adhærere, quatenus pia cœpta eorum suæ propitiationis [f] Dominus dono perficiat, et imperfecta ad cumulum faciant perfectionis ascendere.

---

Epist. VIII. — [a] In Vatic. D, *quia et diversis corporibus*. In recent. Ed., *quia et divisi corporibus*.

[b] In Ed., *ibi maxima fortitudo*. Sequimur Norm., Anglic., Colb., Vatic., 2, etc. Ita etiam legitur loco in Proverbiis designato.

Epist. IX. — [a] Locum hunc corruperunt Editores, ac sensum everterunt, unius syllabæ adjectione, ac mutata interpunctione. Prius enim legebatur, *de causis vero aliis a vobis scriptis prioribus*, etc. Paulo post inseruerunt *quærere* ante *debetis*, quod in Mss. minime legitur.

[b] Male in superioribus Exc., *vehemens dedignatio*.

[c] Antiquorum dicta vult legi. In Mediolanensi I, titulo *De episcopi mensa. Adhibeatur vero in ejus mensa lectio sacrorum librorum, ut convivæ non solum corporis cibo, sed etiam epulis animæ recreari possint.* In Turon. III, can. 5 : *Episcopum non oportere nimium profusis incumbere conviviis, sed parco et moderato contentus sit cibo. Quandiu convivatur, potius sacra lectio ante mensam ejus recitetur, quam otiosa a susurronibus resonent verba.* Gussanv.

Epist. X. — [a] Male antea legebatur *episcopo*. Nam Castorius adhuc in vivis erat. Gussanv. Hanc Gussanvillæi observationem confirmant Mss. omnes Norm., Turon., Anglic., Vatic., etc.

[b] In Editis *Secundino ;* secus in omnibus Norm., Corb., Vatic. tribus.

[c] Scilicet non beneficia hominibus, sed homines beneficiis dari convenit, quia semper est utilitas communis attendenda, non privata. Gussanv.

[d] In Excusis, *ut tali exemplo*. Sequimur Norm., Vatic., Rhem., Corb., etc.

[e] Ostendit quam facile a recto conversationis itinere exorbitent monachi, si custodia non pervigilet ; summaque enitendum cura, ut ad cumulum cœptæ perfectionis ascendant. Gussanv.

[f] Sic restituimus ex Anglic., Vatic., Norm., Corb., Rhem., cum prius legeretur : *suæ propitiationis dono perficiant, et imperfecta ad cumulum faciant perfectionis ascendere.*

perfecta eorum ad cumulum faciat perfectionis accedere.

## EPISTOLA XI.

### AD RUFINUM EPHESINUM EPISCOPUM.

*Commendat clericum quemdam litteras nescientem.*

Gregorius Rufino [a] episcopo Ephesi,

Amicitiarum vestrarum antiqua nos charitas movit fraternitatem vestram scriptis præsentibus visitare. Magno etenim sumus gaudio relevati quod de vestræ salutis indicio prospera cuncta cognovimus; sed in his omnipotentem Dominum deprecamur, ut sicut vos in præsenti vita, quæ quodammodo umbra futuræ est, de transitoria præstitit corporis incolumitate gaudere, **858** ita in illa cœlesti patria, in qua vita vera est, de perfecta animæ salute gratulari communique faciat exsultatione gaudere. Harum itaque lator nostris se apud vos desiderans epistolis commendari, a nobis inquisitus [b] utrum, sicut decet clericum, litteras didicisset, eas se ignorare respondit. Quid ergo commendationis de eo apud fraternitatem vestram amplius agamus ignoro, nisi ut de ejus anima debeatis esse solliciti, ac circa eum [c] pastorali invigilare studio, ut qui nescit legere, lingua vestra illi sit codex, ut in bono prædicationis vestræ vel operis quod imitetur aspiciat. Solet enim plerumque strictius cor viva vox trahere quam lectio dicta per transitum. Sed dum hæc ei interius spiritalis a vobis magisterii doctrina tribuetur, exterior quoque sollicitudo non desit; ut ejus adjumento ad spiritalia appetenda [d] perveniat; ne si hoc despicitur, desit cui prædicatio ministretur.

## EPISTOLA XII.

### AD RESPECTAM ABBATISSAM.

*Monasterium sancti Cassiani privilegiis donat.*

Gregorius [a] Respectæ abbatissæ.

Piæ postulatio voluntatis effectu debet prosequente compleri, quatenus et devotionis sinceritas laudabiliter enitescat, et utilitas postulata vires indubitanter assumat. Proinde monasterio quod [b] in honorem sancti Cassiani est consecratum, in quo præesse dignosceris, juxta petitionem filiorum nostrorum [c] Dynamii atque Aurelianæ, qui id religiosa devotione domui sui juris junctis uniisse ædificiis comprobantur, hæc privilegia prævidimus indulgeri: constituentes ut obeunte ante dicti monasterii abbatissa, non extranea, sed quam congregatio sibi de suis elegerit ordinetur; quam tamen si digna hoc ministerio judicata fuerit, ejusdem loci episcopus ordinet. In rebus autem vel in dispositione monasterii ejusdem, nec episcopum, neque ecclesiasticorum quemquam aliquam habere decernimus potestatem; sed hæc ad sollicitudinis tuæ, vel quæ post te in **859** eodem loco fuerit abbatissa, curam statuimus per omnia pertinere. [d] Die siquidem natalis vel dedicationis supradicti monasterii [e] episcopus illuc missarum sacra conveniat solemnia celebrare; a quo tamen ita est hoc officium exsolvendum, ut [f] cathedra ejus nisi prædictis diebus, dum illic missarum

Epist. XI. — [a] Ephesus Metropolis Asiæ minoris, Ioniæ maritima. Apud ethnicos olim celebris ob Dianæ templum; apud Christianos autem ob generale concilium III, anno 431 habitum. Sed maxime ob epistolam a Paulo ad Ephesios scriptam, ejusque prædicationem per triennium.

[b] Interpretor *legere*, ut ex sequentibus apparet: *Qui nescit legere, lingua vestra sit illi Codex.* Gelasius papa, epist. 9, ad episcopos Lucaniæ de reparandis cleri ruinis, inter plerasque conditiones quas ut monachus possit in clerum allegi, requirit, hæc est: *Si assecutus est litteras, sine quibus vix fortassis ostiarii possit implere ministerium.* Idem repetit de laicis ad officia ecclesiastica aggregandis: *Vel sine litteris*, inquit. Concilium Tridentinum, sess. 23, de reformatione, cap. 4, exigit ut qui insigniuntur tonsura, sciant legere et scribere. Vi (ut reor) illius decreti Ecclesia Meldensis, in capitulo generali congregata die 29 Decembris anno 1563, prohibuit ne qui in canonicorum numerum deinceps referrentur, nisi scirent legere, necnon Latine loqui et intelligere, scilicet ut sunt membra præcipua senatus Ecclesiæ, hoc saltem uno cæteris clericis gregariis antestare debuerunt. Gussanv.

[c] Recent. Ed., *pastorali invigilare custodia.*

[d] In Vulgatis, *perveniat. Transitoria quoque percipiat; ne si hoc*, etc., quæ sane desiderantur in omnibus Vatic., Norm., Rhem., Corb., Reg., etc.

Epist. XII. — [a] Ita Norm., Corb. et Vatic. D. In Vatic. A, *Abbatissæ de Gallia Massiliensi.* Non multum discrepant alii Ed., in quibus legitur, *abbatissæ de Gallis Massiliæ.* In Colbert. habes *de Gallis Massilianæ.*

[b] Sexto sæc. ad Massiliam vel in ipsa civitate quatuor fuisse monasteria, scilicet sancti Victoris, beatæ Mariæ de Yvelino (*ae Veaune*), sancti Salvatoris, et sancti Cassiani, asserit Joannes Baptista Guesnayus, in Cassiano illustrato, capp. 17 et 25, atque in Massilia religiosa, seu Annal. Massil., III parte, corollario 5, § 1 et 2. Primum erat vivorum, cætera puellarum. Cœnobia sancti Victoris et beatæ Mariæ de Yvelino extra Massiliæ muros, condidit ipsemet Cassianus. Aliud postea titulo sancti Salvatoris intra muros civitatis erectum est, nunc etiam celebre. Monasterium vero sub ipsius sancti Cassiani nomine a Dynamio et Aureliana exstructum aut restauratum privilegiis donat Gregorius Mag.

[c] De Dynamio jam diximus lib. III, epist. 33, indict. 11. In recent. legitur *Aureliano*, pro *Aurelianæ*, reluctantibus omnibus Vatic., Norm., Reg., Corb., etc., necnon vet. Editis. Aurelianam Dynamii sororem fuisse conjicere licet ex hac epistola, in qua communibus utriusque votis communis domus monasterio Massiliensi data legitur. Ne dicamus Dynamii uxorem fuisse, obstat quod legamus patricii hujus conjugem fuisse Eucheriam, cum qua in basilica beati Hippolyti martyris sepultus fuit. Aliam autem uxorem post Eucheriam duxisse Dynamium minime legitur. Consule Adrianum Vales., Rerum Francic. lib. XI, p. 137.

[d] Per diem natalis dedicationem intelligit Gussanvillæus. Verum quinta linea sequenti distinguuntur duo illi dies; igitur sancti Cassiani dies natalis intelligendus. Lib. XI, epist. 76, de Anglorum Ecclesiis agens sanctus Gregorius, concedit ut die dedicationis vel natalitio sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, religiosis conviviis solemnitatem celebrent.

[e] Sic locum hunc mutarunt Editores: *Episcopo illic missarum sacra conveniat solemnia celebrare.* Præeunt nobis omnes Anglic., Norm., Rhem. et plerique ac potiores Mss.

[f] Consule si vis conc. Carthag. sub Reparato, an. 535; epist. Pontii episc. Arelat., tomo VI Spicilegii Acherian, pag. 453; et card. Bona, lib. I Rerum Liturgic., cap. 13, § 3.

solemnia celebrat, non ponatur. Quo discedente, A similiter etiam cathedra illius de eodem oratorio auferatur. Cæteris vero diebus, per presbyterum, qui ab eodem episcopo fuerit deputatus, missarum officia peragantur.

Prætera erga vitam actusque ancillarum Dei sive abbatissæ, quæ in suprascripto fuerit monasterio constituta, episcopo, secundum Dei timorem, sollicitudinem statuimus adhibere; ut si aliquam de illic habitantibus exigente culpa oportuerit ultioni submitti, ipse juxta sacrorum canonum vigorem modis omnibus debeat vindicare. His ergo a nobis statutis atque concessis, ita te in congregationis tuæ dispositione stude sollicitiorem enixius in omnibus exhibere, ut iniqui hostis malitia nihil ibi quod maculari possit inveniat. Hæc igitur omnia quæ hujus pagina B præceptionis amplectitur monasterio tuo in omnibus et ab omnibus in perpetuum servari, Christo protegente, censemus, quatenus indultorum privilegiorum beneficia in sua semper inviolabiliter firmitate permaneant. [g] Mense Novembri, indict. 15.

## EPISTOLA XIII.

AD FORTUNATUM EPISCOPUM.

*E sacris vasis tantum coram Joanne defensore vendat, quantum pro captivis redimendis erit opus.*

Gregorius Fortunato episcopo Fanensi.

Sicut reprehensibile et ultione dignum est sacrata [a] quempiam vasa, præterquam in his quæ lex et sacri canones præcipiunt, venundare, ita nulla est objurgatione vel vindicta plectendum, si pietatis causa pro captivorum fuerint redemptione distracta. Quia ergo fraternitate vestra indicante comperimus ad redemptionem captivorum mutuam se fecisse pecuniam, et eam [b] unde solveret non habere, atque ob hoc cum nostra vos auctoritate sacrata velle vasa distrahere, in hac re, quia et legum et canonum decreta consentiunt, nostrum consensum præbere curavimus, et in distrahendis sacratis vasis vobis licentiam indulgemus. Sed ne eorum venditio ad vestram possit invidiam pertinere, oportet ut in Joannis defensoris nostri præsentia usque ad quantitatem debiti distrahi, et eorum solvi pretium creditoribus debeat, quatenus dum hæc res hujusmodi fuerit observatione completa, nec creditores [c] mutuæ pecuniæ **860** damna sentiant, nec fraternitas vestra invidiam nunc vel quandoque sustineat.

## EPISTOLA XIV.

AD CONSTANTIUM EPISCOPUM.

*Obtrectationibus non moveatur. Depositi a se episcopi loco alium intra tres menses ordinet.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

[a] Antiquus humani generis inimicus quibus vos linguarum jaculis et malorum cordium insidiis existimavit impetendos, relatione multorum jam dudum me audisse cognoscite. Sed [b] in cunctis (*Grat.* 11, *q.* 3, *c.* 52) quæ in hac vita adversa proveniunt, sola est, sicut nostis, omnipotentis Dei districtio pensanda, atque ad cor semper proprium recurrendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat. Quem enim conscientia defendit, et inter accusationem liber est; et liber vel sine accusatione esse non potest, si sola quæ interius addicit, conscientia accusat. De vestra igitur sanctitate absit a Christianorum judicio [c] ea quæ maledicorum hominum rumoribus conficta credimus in qualicunque modulo suspicionis adduci, quia et sacri eloquii testimonium tenemus, ut majora mala cum forsitan dicuntur, nisi probata credi non debeant, sed probata citius ulcisci. Nam ipse qui omnia creavit, et cuncta quæ condidit intuetur Deus, malorum gravium ultione commotus, ait: *Clamor Sodomæ et Gomorrhæ ascendit ad me;* [d] *descendo ut videam utrum clamorem quem audivi, opere compleverint, et ulciscar; an non est ita ut sciam* (*Genes.* XVIII, 20, *seq.*)? Quo enim descenderet Deus ut quæ essent facta cognosceret? Aut quid non is qui ubique est sciret? Sed ut nostræ ignorantiæ exemplum discretionis daret, quatenus deberemus mala gravia audita non credere, ipse se dicit ad cognoscendum descendere, de quo omnibus liquet quia et non descendens omnia sciret. Hæc igitur dixi, ut nimiæ esse levitatis ostenderem, si quis C mala gravia credere studeat quæ probari non possunt. Unde sanctitas vestra debet mentem suam a maledicorum hominum rumoribus atque obtrectatione disjungere, et sola quæ [e] æternæ vitæ sunt, atque ad utilitatem subditorum proficiunt, cogitare quia et ad hoc fortasse antiquus hostis tali cura implicari vos voluit, ut dum fraternitatis vestræ animus erga ea quæ sua sunt indesinenter occupatur, aliena minus cogitet, et nullum verbi solatium subditis inferat, atque perverse agentibus nulla districtione contradicat. Sic namque in corporali prælio fieri solet, ut is qui in certamine vexillum portat, ipsum hostis vehementer impetat; quatenus si ipse qui a cæteris attenditur, **861** vulnus acceperit, multitudo omnis citius dispersa capiatur. Hoc igitur [f] opinionis illatæ D vulnus sentire vestra fraternitas non debet, sed vitam atque meliorationem sibi commissorum curare, quatenus venturo judici bonam possitis et de vestra innocentia et de subjectorum melioratione ponere rationem. Cætera autem quæ ad utilitatem temporis

[g] Ita in Colbert. vet. et in Turon. S. Gat., ubi inscribitur hæc epist. *Respecto abbati.*

EPIST. XIII. — [a] In Editis rec., *quæpiam vasa.* In Norm. et al. legitur *quemquam.*

[b] Idem recent., *unde solvere possitis.*

[c] Ibid., *mutuatæ pecuniæ.*

EPIST. XIV. — [a] Ex hac epist. desumpta legimus extra. *de accusationibus*, ac præsertim in capitibus *Qualiter* et *Quando*, ex epist. Innocentii III, et ex concil. Lateranensi. GUSSANV.

[b] De eodem argumento lege plures textus, causa 11, q. 3, a cap. 49 ad 59. Hinc videre est quantum sit in prælatis malum credulitas, qua lætantur calumniatores, viri boni fatiscunt. Noverat Gregorius, et hac medetur epistola. Ea de re Lucianus librum edidit, quem videsis. AUGET.

[c] Sic restituimus ope Mss. Vatic., Norm., Rhem., Corb., Reg. In nonnullis tamen Vatic. et Reg. legitur, *adducere* pro *adduci*. Prius legebatur in Excusis: *ut ea quæ..... conficta sunt credamus in qualicunque modulo suspicionis adducere.* Nostræ lectioni suffragatur Gratianus hunc locum referens.

congruunt, per Marinianum defensorem vestrum vobis verbo intimanda mandavimus.

Illum vero episcopum quem a fraternitate vestra invenimus esse [g] depositum, postquam sacri canones, sicut nostis, [h] ultra tres menses Ecclesiam præcipiant non vacare, si manifestum in eo crimen apparuit, loco ejus episcopum studii vestri sit modis omnibus ordinare, quia diu sine proprio rectore esse non debet Ecclesia. [i] Mense Martio, ind. 15.

## EPISTOLA XV.

### AD GEORGIUM PRESBYTERUM.

*Descendentem ad inferos Jesum Christum, solos illos liberasse, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerant.*

Gregorius [a] Georgio presbytero, et Theodoro diacono Ecclesiæ Constantinop.

Memor bonitatis vestræ atque charitatis, memetipsum valde reprehendo, quod vos ad remeandum citius relaxavi; sed quia semel ac secundo importune mihi de relaxatione vestra vos insistentes vidi perpendi ne grave esset si vestra apud nos dilectio moraretur. Postquam vero cognovi vos propter hiemis tempus tam longo tempore in itinere remansisse, fateor, citius dimissos esse vos dolui. Si enim iter propositum vestra dilectio peragere [b] non valebat, melius fuerat ut apud me moram quam extra me faceret.

Præterea post discessum vestrum, dilectissimis filiis meis diaconis narrantibus, agnovi quod dilectio vestra dixisset omnipotentem Dominum salvatorem nostrum Jesum Christum ad inferos descendentem, omnes qui illic confiterentur eum Deum, salvasse, atque a pœnis debitis liberasse. De qua re volo ut charitas vestra longe aliter sentiat. Descendens quippe ad inferos, solos illos per suam gratiam liberavit, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerunt. Constat autem quia post incarnationem Domini nullus etiam ex his salvari potest, qui fidem illius tenent, et vitam fidei non habent, quia scriptum est: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant* (*Tit.* I, 16). Et Joannes ait: *Qui dicit quia novit eum, et mandata ejus non custodit, mendax est* (*I Joan.* II. 4). Jacobus quoque frater Domini scribit, dicens: *Fides* **862** *sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 20). Si ergo fideles nunc sine bonis operibus non salvantur, et infideles ac reprobi sine bona actione Domino ad inferos descendente salvati sunt, melior illorum sors fuit, qui incarnationem Domini minime viderunt, quam horum qui post incarnationis ejus mysterium nati sunt. Quod quantæ fatuitatis sit dicere vel sentire, ipse Dominus testatur discipulis, dicens: *Multi reges et prophetæ cupierunt videre quæ vos videtis, et non viderunt* (*Matth.* XIII, 17; *Luc.* X, 24). Sed ne dilectionem vestram in mea disputatione immorer, quid de hac hæresi [c] Philaster in libro quem de hæresibus scripsit dixerit cognoscat. Cujus hæc verba sunt: « Sunt hæretici qui dicunt Dominum in infernum descendisse, et omnibus post mortem jam ididem se nuntiasse, ut confitentes ibidem salvarentur; cum hoc sit contrarium dicenti prophetæ David: *In inferno autem quis confitebitur tibi* (*Psal.* VI, 6)? Et Apostolo: *Quotquot sine lege peccaverunt, sine lege peribunt* (*Rom.* II, 12). » Cujus verbis beatus quoque Augustinus in eo libro concordat, quem de hæresibus scripsit.

Hæc itaque omnia pertractantes, nihil aliud teneatis nisi quod vera fides per catholicam Ecclesiam docet: quia descendens ad inferos Dominus illos solummodo ab inferni claustris eripuit quos viventes in carne per suam gratiam in fide et bona operatione servavit. Quod enim per Evangelium dicit: *Cum exaltatus fuero a terra, omnia traham ad me ipsum* (*Joan.* XII, 32), [d] omnia videlicet electa. Nam trahi ad Deum post mortem non potuit, qui se a Deo male vivendo separavit. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, ut ubicunque estis, et in anima et in corpore gratiæ ejus auxilium sentiatis [e].

## [a] EPISTOLA XVI.

### AD ANGNELLUM EPISCOPUM.

*Formiensis Ecclesiæ visitationem delegat.*

Gregorius Agnello episcopo Terracinensi.

Obitum Bacaudæ antistitis directa relatio patefecit; quapropter visitationis [b] Ecclesiæ destitutæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus: quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, vel ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem a quoquam

[g] Adjunctis collegis. Nam ut episcopos ab uno promoveri non oportet, ita nec deponi. Si rationem exposcis, invenies in Aquisgran. an. 816, c. 9: *Quod episcopus non ab uno, sed a cunctis provincialibus episcopis ordinatur, ideo institutum est ne aliquid contra fidem Ecclesiæ, unius auctoritas tyrannica moliretur*, etc. AUGET.

[h] Id dictum supra, et dicetur inferius epist. 39, nunc 42, ἐντὸς τριῶν μηνῶν, Chalcedon. concil., c. 25. GUSSANV.

[i] In Excusis, *mense Maio*. Mensis Martius notatur in Vatic., in Colb. vet. et in Turon. S. Gat.

EPIST. XV. — [a] In Vatic., *Gregorio*.

[d] Excusi, *descendam*.

[e] In Norm., Corb. et plur. Vatic., *internæ*.

[f] Id quidem difficillimum; *nam sapientem etiam turbat calumnia*. Eccle. VII. Recte Theodoret. in Psal. CXVIII: *Non calumnientur me superbi. Tristis res calumnia, dura est calumnia, licet magnam mercedem habeat*, etc. GUSSANV.

[b] Turon., Norm. et plur., *non valet*.

[c] Verba quæ refert fere eadem habentur in Philastri libro *de hæresibus*, in cap. cui titulus est: *Hæresis de Christi descensu ad inferos*. Sed multa sequuntur quæ supprimit sanctus Gregorius. Hunc vero Philastrum indiligentem fuisse testatur sanctus Augustinus, lib. de Hæresibus ad Quodvultdeum, in epistola tractatui præfixa; nec hanc hæresim nisi ex Philastro refert. GUSSANV.

[d] Convenit Augustino multis in locis. GUSSANV.

[e] In Turon. S. Gat. subjicitur, *mense Aprili, indict.* 15.

EPIST. XVI. — [a] Hæc epistola omittitur in Norm, Anglic., Corb., Rhem., fortasse quod formulam injungendæ visitationis contineat jam plurimis in epistolis repertam. Exstat in Codd. Reg., Colbertino et Vaticanis, si unum excipias, notatum D, qui ut plurimum convenit cum Norm. et Anglic.

[b] Scilicet Formiensis, ut patet ex epist. 8 libri primi, ubi de Formiis diximus.

præsumatur. Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetat sacerdotem, qui tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit **863** postulatus, eum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandus occurrat: [d] commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittatis Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis impendis officium nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Provisurus ante omnia [e] ne ad hoc cujuslibet conversationis vel meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.

A

B

## EPISTOLA XVII.

### AD SABINIANUM EPISCOPUM.

*Exposita Maximi contumacia, Sabinianum ab illo jam dissentientem aliosve Maximo adhærentes Romam vocat; quibus securitatem omnem, necnon, si id justitia patitur, absolutionem spondet.*

Gregorius [a] Sabiniano episcopo Jadertino.

Si dispensationis ecclesiasticæ regulam, et antiquæ consuetudinis ordinem sollicita studuisses consideratione pensare, nec tibi aliqua illicitæ præsumptionis culpa subriperet, nec alii occasione tui peccati discrimen incurrerent. Itaque cognovisse te non est ambiguum quia dum ad nos quædam de Maximo pervenissent quæ sacerdotii provectum non leviter impedirent, nostrum in ejus persona non fuisse consensum, nec prius eum nos voluisse ad hoc quod nitebatur accedere quam digna de his quæ dicta erant satisfactio proveniret. Quod cum servare et tu omnino debuisses, actum magis est ut antedictus Maximus, cæcæ mentis aviditate episcopatum arripiens, ad suam te incaute voluntatem contra nostrum vetitum inclinaret. Sed ne vel tunc irrequisita quæ ad nos perlata fuerant remanerent, nostris ut huc veniret epistolis est accersitus. Quem etiam pravo studio differentem curæ nobis fuit sub interdictione communionis iteratis epistolis admonere, ut ad nos pro sui purificatione venire, excusatione postposita, properaret; sed elegit excommunicationi succumbere, quam obedientiam exhibere. Unde contingit ut perversæ ipsius mentis pravitas in sua alios secum, quod dici nefas est, perditione convolveret. Nunc autem quia ab ejus te nequitia cognovimus dissentire, denique ut nec ei communices, nec nominis ipsius facias inter sacra missarum solemnia mentionem, ut animæ tuæ vel sero te ab eo discordasse **864** proficiat, scriptis te præsentibus adhortamur; quatenus ad nos mora submota venire non differas, sed et alios tecum, quos tamen potueris, episcopos cæterosque religiosos festines adducere: ut causa subtilius examinata, [b] et vestra, si res exegerit, congrue decenterque debeat absolutio provenire, et hi qui in peccato ejusdem temeritatis collapsi sunt ad viam salutis, auxiliante beato Petro apostolorum principe, dispositione Christo placita revocentur. Sciat autem quisquis ad nos episcopus vel religiosus venerit, nullum se præjudicium vel injustitiam sustinere; [c] sed ita interius cognita veritate, quæ Redemptori nostro placuerint ordinari; quatenus ex ipsa nostra dispensatione, Domino suffragante, cunctis appareat non nos proprio odio contra aliquem, sed Dei zelo et ecclesiastici ordinis libramine commoveri.

C

## EPISTOLA XVIII.

### AD MARTINUM DIACONUM.

*Illum de objectis criminibus canonice purgatum loco suo et ordini restituit.*

Gregorius [a] Martino diacono et abbati.

Sicut veraciter adversus religiosos dicta crimina digna sunt ultione plectenda, ita ab illlatis sunt nihilominus absolvendi, quando nullus eos culpæ reatus astringit. Quia igitur aliqua nobis de te fuerant nuntiata, quæ officii tui propositum non leviter macularent, curæ nobis fuit ea diu ac subtili investigatione perquirere. Et quoniam nil quod tibi noceret invenimus, ne qua de his quæ dicta fuerant suspicio remaneret, ad plenissimam te satisfactionem quod ab eis insons exstiteris, ad sacratissimum corpus beati Petri apostolorum principis [b] districta fecimus

D

[c] In Turon., *quidquid illic est.*
[d] Ibid., *commonemus etiam.*
[e] Ita Turon. In Vatic., *ne ad cujuslibet conversationis meritum.* In Excusis, *ne ad hoc cujuslibet conversationis meritum.*

EPIST. XVII. — [a] In Vatic. B, *Savino episcopo Tyburtino.* In Reg., *Sabino episcopo Tudertino.* In Colb., *episcopo Tabtino;* fortasse legendum *Tibtino* compendiose pro *Tiburtino.*

[b] In Excusis, *et nostra*, reluctantibus Mss. Anglic., Norm., Vatic., etc.

[c] Recent., *sed ita interim cognita.*

EPIST. XVIII. — [a] De titulo duo faciunt ut dubitem, 1° series epistolæ, quæ clerico melius aptatur quam monacho, cum de Ecclesia agat, non de monasterio; 2° quia diaconum illum in eo loco et ordine vult stare quo fuerat, quod interpretor divinum officium implere, non abbatis sustinere personam: scilicet vix tribueremus abbati locum, ordinem, ministerium diaconi in suo monasterio. Exscriptorem forte fefellit vox *religiosos*, quam de solis monachis dici existimaverat. GUSSANV. Hanc Gussanvillæi conjecturam nulla adjuvant exemplaria; in omnibus enim Mss. constanter Martinus hic sive Martianus abbas dicitur. De hujus epistolæ corruptela aliam conjecturam idem proponit adhuc leviorem.

[b] Olim de infami crimine accusatus presbyter purgare se debebat præstito juramento, et tactis sacrosanctis Evangeliis, vel sanctorum reliquiis, ut hic et lib. II, indict. 10; epist. 23, nunc 33, lib. VII, indict. 2; epist. 80, nunc 79, lib. IX; lib. XI, epist. 8, nunc lib. XIII, epist. 6, et alibi; et in Capitularibus Caroli Magni, an. 779, c. 10: *Stent ad crucem, et si jurator vicerit, legem suam accusator emendet.* Posterioribus sæculis exigebantur purgatoria illa sacramenta a clericis infamatis, *cum tribus, aut quinque aut septem collegis sui ordinis*, ut loquitur Ivo Carnot., epist. 54 et 206. Qui propterea appellabantur *testes sacramentales, conjuratores, compurgatores*, ut videre est in legibus antiquis Alemannorum et Bajoariorum. Et hoc est quod dicitur, *purgare se in tertia, vel in quinta, vel in septima manu.* Manum enim semper fidei symbolum

sacramenta præbere. Et ideo postquam nobis, ut oportuit, satisfactum est, dilectionem tuam prævidimus modis omnibus absolvendam, atque ad tuam te Ecclesiam, in eo videlicet quo fuisti loco et ordine, per omnia statuimus remeare, et nullam te a quoquam contradictionem vel inquietudinem de his quæ ad nos perlata fuerant sustinere : admonentes ut ita te de cætero cautum sollicitumque debeas exhibere, quatenus et officio tuo moribus et actione respondeas ut omnis contra te penitus adversæ opinionis dicendi subtrahatur occasio. [c] Mense Maio, indictione 15.

## 865 EPISTOLA XIX.

### AD MARINIANUM ARCHIEPISCOPUM.

*Deprecante onus episcopale ob infirmitatem Castorio, alium Ariminensibus ordinandum episcopum. Hunc a clero et plebe eligi, a Ravennate episcopo examinari, atque, ut consecretur, Romam mitti jubet.*

Gregorius Mariniano archiepiscopo Ravennæ.

Qualiter (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 13) ordinati a nobis sacerdotis, [a] corporis qua notum est impediente molestia, Ariminensis Ecclesia pastorali hactenus sit regimine destituta dudum fraternitas vestra cognovit. Quem dum, habitatorum loci illius precibus permoti, sæpius hortaremur ut si de eadem capitis, qua detinebatur molestia melioratum se esse sentiret, ad suam, auxiliante Domino, reverteretur Ecclesiam, datis induciis in hoc quadriennio exspectatus est. Quem dum monitu cleri civiumque illinc venientium, nosque [b] precibus urgentium, instantius hortaremur ut si valeret cum eis auxiliante Domino remearet, data scriptis supplicatione, nos petiit ut, quia ad ejusdem Ecclesiæ regimen vel susceptum officium pro eadem qua detinetur molestia assurgere nullatenus posset, Ecclesiæ ipsi ordinare episcopum deberemus. Unde quia cunctarum Ecclesiarum injuncta nos sollicitudinis cura constringit, ne diutius gregi fidelium desit custodia pastoralis, illorum precibus hujusque ex sui impossibilitate renuntiatione compulsis, visum nobis est eidem Ariminensi Ecclesiæ debere episcopum ordinari; et datis ex more præceptis, clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ non destitimus admonere, quatenus ad eligendum sibi antistitem concordi provisione concurrant. Hortamur igitur ut fraternitas vestra eum quem uno consensu omnes elegerint, sicut et ipsi a nobis popo- A scisse noscuntur, ad se faciat evocari; quem cauta ex omnibus examinatione discutite. Et si ea in eo quæ [c] in textu Heptatici morte mulctata sunt minime Domino fuerint opitulante reperta, atque fidelium personarum relatione ejus vobis quidem vita placuerit, ad nos eum cum decreti pagina, vestræ quoque addita testificationis epistola destinate, quatenus ejusdem a nobis Ecclesiæ, disponente Domino, consecretur antistes. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 39.)

## EPISTOLA XX.

### AD CLERUM ET PLEBEM ARIMINENSEM.

*Propter episcopi sui infirmitatem alium qui dignus sit, eligant.*

Gregorius clero et plebi consistenti Arimino.

B Pastoralis nos cura constringit Ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis sollicita consideratione concurrere. Et ideo quia Ecclesia vestra diu sacerdotis proprii, corporis qua nostis impediente molestia, pastorali est regimine destituta, vestris precibus permoti, eumdem episcopum non destitimus admonere, ut si ex eadem molestia se melioratum esse sentiret, ad suscepti sacerdotii debuisset remeare ministerium. Qui semel a nobis sæpiusve commonitus, eadem urgente molestia, nunc scriptis nobis supplicatione porrecta noscitur intimasse nullatenus se ad regimen ejusdem Ecclesiæ **866** vel susceptum officium, impediente molestia, assurgere posse. Qua personæ ejusdem desperatione compulsi, necessarium duximus de ordinatione nos vestræ Ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo ut uno omnes eodemque consensu, remoto strepitu, talem vobis præficiendum eligatis auxiliante Domino sacerdotem, qui et a venerandis canonibus nullatenus respuatur, et tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti, omnium subscriptionibus roborati, et visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus, quatenus Ecclesia vestra, disponente Domino, proprium habere valeat sacerdotem. Volumus autem ut eum quem unanimitas vestra elegerit ad fratrem et coepiscopum nostrum Marinianum Ravennam sine dilatione aliqua perducatis, ut ab eo subtiliter inquisitus atque perspectus, ipsius quoque ad nos veniens testimonio roboretur.

fuisse constat. Unde et etiamnum in judiciis adhibetur. Concil. Agath., c. 3, ait presbyterum infamatum *cum septem sociis sui ordinis.* Ilerdense, c. 10, *cum septem collegis se expurgare debere;* caus. 2, q. 4, c. 12 et 13. Similiter Hildebertus Cœnoman., epist. 69, ait decanum suspectum debere purgari, *et in septima manu ordinis sui suam jurejurando declarare innocentiam.* Idem legitur in epist. 30 Hincmari, ubi presbyter infamatus *debet se per septem testes purgare.* Ex decreto Lucii III, cap. *Ex tuarum*, de purgatione canonica, presbyter infamatus *debet cum septima aut quinta manu sui ordinis per purgationem canonicam innocentiam suam ostendere.* Titulo 6 legis Alemann. legitur *in sexta manu jurare.* In lege Frisionum *in decima secunda manu.* De purgatione canonica vide quæ diximus ad epist. 23 lib. II, indict. 10. Gussanv.

[c] In Turon. S. Gat., prima manu, *mense Martio,* D *indict.* 15. At secunda, *mense Maio,* ut etiam legitur in Colb. vet. et in tribus Vatic.

Epist. XIX [*Al.* 50]. — [a] Recent. Ed., *capitis, ut notum est.* Nostram lectionem exhibent Mss. Norm., Vatic., etc., necnon Gratianus. Paulo post ab iisdem additum *qui*, ante *datis*, unde sensus hærebat, expunximus.

[b] Vitiose in Excusis, *precibus arguentium.* In plerisque Mss. deest *monitu.*

[c] Sic epistola 30 lib. XII, nunc 32 lib. II. Ita etiam appellatur ab Hincmaro : aliis dicitur *heptateuchus*, et apud sanctum Hieronymum, epist. 7, ad Lætam, et epist. 28, ad Lucinum, et apud Sidonium Apollinarem, lib. V, epist. 15. Significantur autem hac voce quinque libri Moysis, et duo alii Josue et Judicum. Gussanv.

## EPISTOLA XXI.

AD SEBASTIANUM EPISCOPUM.

*Ut clerum et plebem Ariminensem ad idonei antistitis electionem urgeat.*

Gregorius Sebastiano episcopo.

Pastoralis nos cura constringit Ecclesiis sacerdotis moderamine destitutis sollicita consideratione concurrere. Et ideo quia Ariminensis Ecclesia cui fraternitas vestra visitationis impendit officium, diu sacerdotis proprii, corporis qua nostis impediente molestia, pastorali est regimine destituta, cleri vel civium precibus permoti, eumdem episcopum non destitimus admonere ut si ex eadem molestia se melioratum esse sentiret, ad suscepti sacerdotii debuisset ministerium remeare. Qui semel a nobis sæpiusve commonitus, eadem urgente molestia nunc scriptis nobis supplicatione porrecta noscitur intimasse nullatenus se ad regimen ejusdem Ecclesiæ vel susceptum officium, impediente molestia, assurgere posse. Qua personæ ejus desperatione compulsi, necessarium duximus de ordinatione nos ejusdem Ecclesiæ cogitare. Hortamur ergo ut clerum, plebemque Ecclesiæ ejusdem sollicita debeatis admonitione compellere, ut sibi cum Domini auxilio talem præficiendum eligant sacerdotem, qui et aptus tanto ministerio valeat inveniri, et a venerandis canonibus nullo modo respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, vestrarum quoque testimonio litterarum, huc sacrandus occurrat, quatenus Ecclesia ipsa proprium, auxiliante Domino, habere valeat sacerdotem. [a] Mense Maio.

## EPISTOLA XXII.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Siciliæ episcopos olim tertio quoque anno, jam quinto Romam proficisci solitos, ad Natale sancti Petri convenire sic procuret, ut inde nulla prætori oriatur suspicio. Moneat quoque Liparitanum et Regitanum episcopos. Libertinum consoletur.*

Gregorius Cypriano diacono.

Novit dilectio tua hoc olim consuetudinem tenuisse, ut fratres et coepiscopi nostri Romam **867** semel in triennio de Sicilia convenirent, sed nos, eorum labori consulentes, constituisse ut suam huc semel in quinquennio præsentiam exhiberent. At quia jam diu est quod huc minime convenerunt, eos hortari te volumus ut Natale sancti Petri hic, Deo perducente, nobiscum debeant celebrare. Sed ne A forte prætori aliqua possit nasci suspicio, si eos huc admonitos venire cognoverit, voluntatem nostram intelligens, ita hoc ex te facere stude, ut et ipsi, sicut prædiximus, ad diem constitutum huc veniant, et nulla de eis prætori possit esse suspicio. Liparitanum vero et Regitanum episcopos, ut huc veniant pariter commonebis.

Circa Libertinum vero virum magnificum esto sollicitus, ut nullus illum dolus decipiat, quia aliqua nobis de Ravennati urbe scripta sunt, ipsamque ad te epistolam misimus, ut ex ea qualiter te erga eum debeas exhibere possis addiscere. Consolare autem eum, ut se non affligat, quia credimus quod nos excellentissimus filius noster exarchus non contristet. Nam de persona ipsius scribere non dibStulimus. Sed quia in Pado idem exarchus occupatus est, minime scripta ejus suscepimus. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 24.)

## EPISTOLA XXIII.

AD FORTUNATUM ET ANTHEMIUM.

*Stephanum, ut desponsatæ sibi monasterium ingressæ res ablatas restituat, hortentur. Si renuat, indicent, ut reddere cogatur.*

Gregorius Fortunato episcopo, et Anthemio [a] defensori.

Catellus præsentium lator nobis innotuit sororem suam, quæ Stephano cuidam fuerat desponsata, divinæ propitiationis instinctu Neapoli in monasterio fuisse conversam, atque eumdem Stephanum [b] domum et res ejus aliquas indebite detinere. At quia decreta legalia (*Caus.* 27, *q.* 2, *c.* 28) desponsatam si converti voluerit nullo omnino [c] censuerunt damno mulctari, fraternitas tua una cum Anthemio subdiacono veritatem diligenti curiositate studeat perscrutari. At si, ut edocti sumus, domum vel quid aliud suprascriptum Stephanum injuste tenere cognoscitis, eum adhortatio vestra instanter admoneat, ut quæ indebite detinet sine **868** aliqua mora vel altercatione restituat, ne rerum alienarum restitutionem sub qualibet excusationis specie differat. Quem si adhortationem vestram negligere fortasse cognoscitis, nobis tam hoc quam etiam qualiter se causæ veritas habeat, subtiliter indicate; quatenus cognito negotii merito, aliter cogatur, æquitate suadente, restituere quod facere propria sponte honestatis consideratione contemnit. Latorem vero præsentium fraternitati tuæ commendantes, horta-

Epist. XXI [*Al.* 52, ind. 2]. — [a] Nullis in Mss. hæc legimus.

Epist. XXII [*Al.* 29]. — [a] Ex epistola sancti Leonis 16, ad Siciliæ episcopos, consuetudinis istius epocha atque causa colligitur, scilicet ut interessent concilio sub Romano pontifice metropolitano suo, ex priscorum canonum vi, quibus habendas singulis annis synodos fuerat decretum, ut *communi tractatu omnia instituta canonumque decreta apud omnes Domini sacerdotes inviolata permanerent*. Volebat autem sanctus Leo ternos singulis annis convenire. Itaque si semel quolibet triennio Romam pergebant singuli, novem tunc fuisse in Sicilia episcopos planum est. Intercciderat autem ista consuetudo, quam reparat, dilato anno, mutata die. Vide epist. 1 libri primi.

Epist. XXIII [*Al.* 20]. — [a] In duobus Vaticanis additur *per Campaniam*.

[b] In Codice *de Episcopis et Clericis*, lege 56, *cognitum nobis est quod si quis sponsus vel sponsa post datas et acceptas arrhas voluisset se divino deputare servitio, et a sæculari conversatione recedere, ac sanctimonialem vitam vivere, atque in Dei timore permanere, compellebatur vir quidem..... sponsa vero in duplum id quod acceperat reddere; quod nostræ mansuetudinis religioni contrarium esse visum est. Unde per præsentem legem..... sponsa autem non duplum sicuti hactenus, sed hoc tantummodo sponso restituat, quod arrharum nomine acceperat, et nihil amplius reddere compellatur, nisi quod probata fuerit accepisse*, etc. Gussanv.

[c] Vatic. A, *consueverunt damno multare*. Quam lectionem probamus.

mur ut eum illic moras pati hac pro causa diutius non permittas.

## EPISTOLA XXIV.

AD CANDIDUM PRESBYTERUM.

*Christianos quatuor redimat, qui in Judæorum servitio Narbonæ detinebantur.*

Gregorius Candido presbytero [a] nostro per Gallias.

Dominicus præsentium portitor lacrymabiliter nobis innotuit quatuor fratres suos de captivitate a Judæis redemptos esse, atque eos nunc Narbonæ [b] in eorumdem Judæorum servitio [c] detineri. Et quia omnino grave exsecrandumque est Christianos esse in servitio Judæorum, dilectionem tuam scriptis præsentibus adhortamur, ut cum omni subtilitate et sollicitudine studeat perscrutari. Et si revera ita est, atque manifesta tibi veritate constiterit quia neque ipsi unde se redimant, neque suprascriptus portitor habet, eos studii tui sit redimere, sciens quia quidquid in eis dederis, tuis sine dubio rationibus imputabitur. [d] Mense Junio, indictione 15. (*Cf. Joan. Diac. l.* VI, *n.* 44.)

## EPISTOLA XXV.

AD GREGORIAM.

*Peccata sua confessam, at de illorum remissione anxiam, consolatur, allato peccatricis, quam Marthæ sororem putat, exemplo. Divinam veniæ revelationem frustra postulari ostendit.*

Gregorius Gregoriæ [a] cubiculariæ Augustæ.

Desiderata dulcedinis vestræ scripta suscepi, in quibus vos omnino de peccatorum multitudine studuistis accusare; sed scio quia omnipotentem **869** Dominum ferventer diligitis, atque in ejus misericordia confido quia illa de vobis sententia ex ore Veritatis procedit, quæ de quadam sancta muliere dicta est: *Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum* (*Luc.* VII, 47). Quomodo autem fuerint dimissa, in hoc etiam monstratum est quod postmodum est secutum, quia ad pedes Domini sedebat, et verbum ex ore illius audiebat (*Luc.* X, 39). In contemplativa enim vita suspensa, jam activam transcenderat, quam adhuc Martha illius soror tenebat (*Ibid.*, 40). Sepultum quoque Dominum studiose quæsivit, ad monumentum inclinata corpus illius non invenit. Sed etiam recedentibus discipulis ipsa ante januam monumenti plorans perstitit, et quem mortuum quærebat, viventem videre meruit, et quia resurrexisset discipulis nuntiavit (*Matth.* XXVIII, 1; *Luc.* XXIV, 1, *seq.*). Et hoc mira dispensatione pietatis Dei fuit, ut ex ore mulieris nuntiaretur vita, quia ex ore mulieris mors fuerat in paradiso propinata. Quæ alio quoque tempore cum Maria altera Dominum post resurrectionem vidit, et accedens pedes ejus tenuit. Duc, rogo, ante oculos, quæ manus, cujus tenuerunt pedes. Illa mulier quæ fuerat in civitate peccatrix, illæ manus quæ fuerant iniquitate pollutæ, illius tetigerunt pedes qui ad Patris dexteram super angelorum verticem sedet. Pensemus, si possumus, quæ sint ista supernæ pietatis viscera, ut mulier, quæ in profundum voraginis fuerat demersa per culpam, ex amoris penna sic in altum levaretur per gratiam. Impletum est, dulcis filia, impletum quod de hoc sanctæ Ecclesiæ tempore prophetica nobis voce promissum est: [b] *Et in die illo erit domus David fons patens in ablutionem peccatoris, et menstruatæ* (*Zach.* XIII, 1). Domus enim David nobis peccatoribus fons patens in ablutionem est, quia ab iniquitatum nostrarum sordibus per David filium Salvatorem nostrum aperta jam misericordia lavamur.

Quod vero dulcedo tua in suis epistolis subjunxit importunam se mihi existere, quoadusque scribam mihi esse revelatum quia peccata tua dimissa sunt, rem difficilem etiam et inutilem postulasti: difficilem quidem, quia ego indignus sum cui revelatio fieri debeat; inutilem vero, quia secura de peccatis tuis fieri non debes, nisi cum jam in die vitæ tuæ ultimo plangere eadem peccata minime valebis. Quæ dies quousque veniat, semper suspecta, semper trepida metuere culpas debes, atque eas quotidianis fletibus lavare. Certe Paulus apostolus jam ad tertium cœlum ascenderat, in paradisum quoque ductus fuerat, arcana verba audierat, quæ homini loqui non liceret (*II Cor.* XII, 2, 3, 4), et tamen adhuc trepidans, dicebat: *Castigo corpus meum, et servituti subjicio, ne forte aliis prædicans, ipse reprobus efficiar* (*I Cor.* IX, 27). Adhuc timet qui jam ad cœlum ducitur, et jam timere non vult qui adhuc in terra conversatur? Perpende, dulcissima filia, quia mater negligentiæ solet esse securitas. **870** Habere ergo in hac vita non debes [c] securitatem, per quam negligens reddaris. Scriptum est enim: *Beatus vir qui semper est pavidus* (*Prov.* XXVIII, 14). Et rursus scriptum est: *Servite Domino in timore, et exsultate ei cum tremore* (*Psal.* II, 11). In pauco ergo hujus vitæ tempore mentem vestram necesse est ut tremor

EPIST. XXIV [*Al.* 21]. — [a] Omittitur *nostro per Gallias* in omnibus pene Mss., legitur tamen in Vatic. A.

[b] Narbona, seu potius Narbo, antiquis Narbo Martius, olim Galliæ Narbonensis seu Braccatæ primaria. Nunc adhuc urbs ampla provinciæ Occitaniæ archiepiscopali titulo insignita. GUSSANV.

[c] De Christianis in Judæorum servitio detentis supra, lib. III, epist. 38, et lib. IV, epist. 21.

[d] Id habent tantum Turon. S. Gat. et Colbert. vet.

EPIST. XXV [*Al.* 22]. — [a] Cubicularius, Gallice *Camérier*, qui assidet cubiculo vel ad limina; aliquando videtur usurpari pro secretario secretorum, Novel. 8, 24, 26, 27; aut chartario. GUSSANV. In Vatic. B legitur, *Gregorius Theotistæ Patriciæ*. In Reg., *Gregoriæ Bubalariæ Augustæ*.

[b] Hic ut sæpe alias sensum usurpat non verba. Unde textus Zachariæ non convenit cum Vulgata, nec cum aliis versionibus. Vulgata et sancti Hieronymi ex Hebræo versio sic habent: *In die illa erit fons patens domui David et habitantibus Jerusalem in ablutionem peccatoris et menstruatæ*. Hebraica interlinearis: *In die illa erit vena patens domui David et habitatoribus Jerusalem in peccatum et in menstruum*. LXX Interpr.: *In die illa erit omnis locus apertus domui David et habitantibus Jerusalem in transmutationem et separationem*. Paulo aliter etiam Chaldaica, Syriaca et aliæ versiones, sed nihil ad rem nostram. GUSSANV.

[c] In Corb., Rhem. et Norm., *spem per quam*.

teneat, quatenus per securitatis gaudium sine fine postmodum exsultet. Omnipotens Deus sancti Spiritus sui gratia mentem vestram repleat, et post fletus, quos quotidie in oratione funditis, ad gaudia vos æterna perducat [d]. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 60.)

## EPISTOLA XXVI.

### AD THEOCTISTAM PATRICIAM.

*Gratulatur quod inter hominum tumultus studeat tectioni, atque ad æterna suspiret. Utrum eadem sint Augustæ studia quærit. De compunctione duplici agit fusius. Theoctistam hortatur ut regiorum puerorum institutioni studiose invigilet, mutuamque illis inspiret charitatem et mansuetudinem in subjectos. Pecuniæ, quam Theoctista miserat, dimidia parte captivos redemit; reliqua fovet moniales, quarum sanctitate servatum censet Romam. Mittit clavem a corpore sancti Petri, de qua miraculum narrat.*

Gregorius [a] Theoctistæ patriciæ.

Quod in tanto tumultu causarum vestra excellentia posita sacri verbi ubertate plena est, atque ad æterna incessanter gaudia suspirat, magnas omnipotenti Deo gratias ago, quia hoc in vobis esse impletum video quod de electis patribus scriptum est : *Filii autem Israel ambulaverunt per siccum per medium mare* (*Exod.* XV, 19). At contra : *Ego veni in altitudinem maris, et tempestas demersit me* (*Psal.* LXVIII, 3). Vos vero ad repromissionis patriam inter undas causarum sæcularium siccis, ut video, gressibus ambulatis. Agamus ergo gratias ei spiritui qui corda quæ implet levat, qui inter tumultus hominum [b] solitudinem in mente facit. In cujus præsentia [c] nullus locus cumpunctæ animæ non est secretus. Æternæ enim suavitatis odorem trahitis, atque ideo sponsum animæ ardenter amatis, ita ut cum cœlesti sponsa ei dicere possitis : *Trahe me post te,* [d] *in odore unguentorum tuorum currimus* (*Cant.* I, 3). In epistolis autem excellentiæ vestræ hoc minus reperi, [e] quia mihi de serenissima domina indicare noluit quam studiose legat, vel in lectione qualiter compungatur. Prodesse quippe ei multum debet vestra præsentia, ut inter causarum fluctus, quos assidue patitur, ex quibus, velit nolit, foras trahitur, semper ad amorem cœlestis patriæ interius revocetur; et hoc quoque investigare debetis, quoties ei pro sua anima lacrymæ dantur, utrum adhuc ex timore an jam ex amore compungatur.

Duo quippe sunt compunctionis genera, sicut scitis. Unum quod æternas pœnas metuit, aliud quod de cœlestibus præmiis suspirat, quia Deum sitiens anima, prius timore compungitur, post amore. **871** Ante enim semetipsam in lacrymis afficit, quia dum malorum suorum recolit, pro his perpeti supplicia æterna pertimescit. At vero cum longa mœroris anxietate fuerit formido consumpta, quædam jam de præsumptione veniæ [f] securitas nascitur, et in amore cœlestium gaudiorum animus inflammatur. Et qui prius flebat ne duceretur ad supplicium, postmodum flere amarissime incipit, quia differtur a regno. Contemplatur etenim mens qui sint illi angelorum chori, quæ ipsa societas beatorum spirituum, quæ visio internæ claritatis Dei; et amplius plangit quia a bonis perennibus deest quam flebat prius cum mala æterna metuebat; sicque fit ut perfecta compunctio formidinis trahat animum ad compunctionem dilectionis. Quod bene in sacra veracique historia figurata narratione describitur, quæ ait : *Axa filia Caleph sedens super asinam suspiravit. Cui dixit pater suus : Quid habes? At illa respondit : Da mihi benedictionem. Terram Australem et arentem dedisti mihi, junge et irriguam. Et dedit ei pater suus* [g] *irriguum superius. et irriguum inferius* (*Jos.* XV, 18, 19). Axa quippe quidem super asinam sedet, cum irrationabilibus carnis suæ motibus anima præsidet. Quæ suspirans a patre terram irriguam petit, quia a Creatore nostro cum magno desiderio quærenda est lacrymarum gratia. Sunt namque nonnulli qui jam in dono perceperunt libere pro justitia eloqui, oppressos tueri, indigentibus propria tribuere, ardorem fidei habere, sed adhuc gratiam lacrymarum non habent. Hi nimirum terram Australem et arentem habent, sed adhuc irrigua indigent, quia in bonis operibus positi, in quibus magni atque ferventes sunt, [h] oportet valde ut aut timore supplicii, aut amore regni cœlestis peccata, sine quibus vivere non possunt, quotidie plorent. Sed quia, ut dixi, duo sunt compunctionis genera, dedit ei pater suus irriguum superius, et irriguum inferius. Irriguum quippe superius accipit anima, cum se in lacrymis regni cœlestis desiderio affligit; irriguum vero inferius accipit, cum inferni supplicia flendo pertimescit. Et quidem prius inferius, et post irriguum superius datur. Sed quia compunctio amoris magna dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius diceretur. Vos ergo, quæ, operante omnipotente Domino, utraque compunctionis genera experimento nostis, quantum per verba serenissimæ dominæ

[d] In Vatic. B et C legitur hæc epist. scripta *mense Junio, indict.* 15. In Vatic. A, *mense Julio.*

EPIST. XXVI [*Al.* 23]. — [a] In Excusis, *Theotistæ pariter et Andreæ.* In Reg. Cod., *Theotistæ patriciæ et Andreæ;* consentiunt Vaticani A, B et C. Prætulimus inscriptionem aliorum Mss., scilicet Anglic., Norm., Corb., Rhem., Colb.

[b] In Corb., Norm. et Vatic. A et C., *sollicitudinem.*

[c] In Vulgatis contra sancti Gregorii mentem, reluctantibusque Mss., *nullus locus... est secretus*, sublata negatione. In Vatic. D legitur, *non est securus.*

[d] Ita Mss. Norm., Corb., etc., non *in odorem.* Ita quoque scribebat Bernardus, serm. 21 in Cantica; idque a Mabillonio ibi observatum.

[e] Gussanv., *quia nihil de... noluit*, mendose.

[f] Ne quis cavilletur in verbis hancque epistolam præcedenti suspicetur contrariam, ut præsumptionem certitudini opponit Gregorius, ita securitatem quamdam integræ securitati ac intrepidæ, quam priore epistola damnaverat.

[g] In Edit. *irriguum inferius, et irriguum superius.* Lectionem nostram esse optimam, Gregoriumque sic legisse hunc Josue textum, probant sequentia verba: *sed quia compunctio amoris magna dignitate præeminet, necesse fuit ut prius irriguum superius, et post irriguum inferius diceretur.*

[h] Excusi, *optant valde.* Multa alia emendavimus hac in epistola, ducibus Mss. Anglic., Norm., Vatic., Corb., etc., de quibus correctionibus non præmonuimus, quia levioris sunt momenti.

vestræ prodestis quotidie sollicite perserutari debetis.

Peto autem ut parvulos dominos quos nutritis præcipue moribus instruere curetis, et gloriosos eunuchos qui eis deputati sunt admonere ut ea illis loqui debeant quæ eorum mentes in charitate circa se invicem et erga subjectos in mansuetudine compungant, ne si quid odii modo inter se conceperint, in aperto postea erumpat. Verba siquidem nutrientium aut lac erunt, si bona sunt, aut venenum, si mala. Talia ergo nunc eis suggerant quæ postmodum ostendant quam bona fuerint quæ a nutritorum suorum ore suxerunt.

**782** Præterea triginta auri libras dilectus filius meus Sabinianus diaconus ab excellentia vestra transmissas in redemptionem captivorum dandas atque pauperibus erogandas detulit, de quibus gaudeo, sed mihi pertimesco, quia apud *tremendum* judicem non solum de sancti Petri apostolorum principis substantia, sed etiam de vestris rebus rationem redditurus vado. Vobis autem omnipotens Deus pro terrenis cœlestia, pro temporalibus æterna restituat. Indico vero quia ex Crotonensi civitate, quæ, super Adriaticum mare in terra Italiæ posita, transacto anno a Langobardis capta est, multi viri ac multæ mulieres nobiles in prædam ductæ sunt, et filii a parentibus, parentes a filiis, et conjuges a conjugibus divisi, ex quibus aliqui jam redempti sunt. Sed [i] quia gravia pretia eis dicunt, multi apud nefandissimos Langobardos hactenus remanserunt. Mox autem medietatem pecuniæ quam transmisistis, in eorum redemptionem transmisi. De medietate vero ancillis Dei, quas vos Græca lingua [k] monastrias dicitis, lectisternia emere disposui, quia in lectis suis gravi nuditate [l] in hujus hiemis vehementissimo frigore laborant, quæ in hac urbe multæ sunt. Nam juxta notitiam qua dispensantur tria millia reperiuntur. Et quidem de sancti Petri apostolorum principis rebus octoginta annuas libras accipiunt. Sed ad tantam multitudinem ista quid sunt, maxime in hac urbe, ubi omnia gravi pretio emuntur? Harum vero talis vita est, atque in tantum lacrymis et abstinentia districta, ut credamus quia si ipsæ non essent, nullus nostrum jam per tot annos in loco hoc subsistere inter Langobardorum gladios potuisset. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 27.)

Præterea benedictionem sancti Petri apostoli clavem a sacratissimo ejus corpore transmisi, de qua videlicet clavi hoc est gestum quod narro miraculum. Dum eam quidam Langobardus civitatem ingressus in Transpadanis partibus invenisset, quia sancti Petri clavis esset despiciens, sed pro eo quod eam auream vidit facere sibi ex illa aliquid aliud volens, eduxit cultellum ut eam incideret. Qui mox cultellum cum quo eam per partes mittere voluit, arreptus per spiritum, sibi in gutture defixit, eademque hora exstinctus cecidit. Et dum illic rex Langobardorum Autharith atque alii multi ejus homines adessent, et is qui se percusserat, seorsum mortuus, clavis vero hæc seorsum jaceret in terra, factus est omnibus vehementissimus timor, ut eamdem clavem de terra levare nullus præsumeret. Tunc quidam Langobardus catholicus, qui sciebatur orationi et eleemosynis deditus, Minulfus nomine, vocatus est, atque ipse hanc levavit de terra. Autharith vero pro eodem miraculo aliam clavem auream fecit, atque cum ea pariter ad sanctæ memoriæ decessorem meum transmisit, indicans quale per eam miraculum contigisset. Ipsam ergo vestræ excellentiæ transmittere studui, per quam omnipotens Deus superbientem et perfidum hominem peremit, ut per eam vos qui eum timetis et diligitis, et præsentem salutem et æternam habere valeatis.

## 873 EPISTOLA XXVII.

AD ANASTASIUM EPISCOPUM.

*Universalis vocabulum a Constantinopolitano episcopo usurpari, non magni interesse sentiebat cum imperatore Anastasius. Gregorius hocce vocabulo universam Ecclesiæ fidem corrumpi contendit.*

Gregorius Anastasio episcopo Antiocheno.

Desideratam suavissimæ vestræ sanctitatis epistolam communi filio Sabiniano diacono deferente suscepi, in qua non linguæ, sed animæ verba profluebant. Et non mirum si bene loquitur qui perfecte vivit. Quia enim per magistrum spiritum in schola cordis [a] præcepta vitæ didicistis, terrena cuncta despicere, ad cœlestem patriam festinare, quantum vos in bono profecistis, tantum bona etiam de aliis sentitis. Dum vero in scriptis vestræ beatitudinis multa de me dici laudabilia audirem, intellexi studium, quia commemorare voluistis non quid sum, sed quid esse debeam. Illud vero quod me dicitis morum meorum debere reminisci, et maligno spiritui quærenti animas cribrare pro nulla causa locum dare, ego quidem me semper malis moribus fuisse recolo, atque eosdem in me mores si possum vincere ac delere summopere festino. Si tamen, ut vos creditis, aliquid boni habui, in omnipotentis Dei adjutorio confido quia oblitus non sum. Sed sanctitas vestra, ut video, in præmissis verbis dulcedinis, et subsequenti hoc verbo epistolam suam api esse similem voluit, quæ mel simul et aculeum portat, ut me et melle satiaret, et aculeo pungeret. Sed inter hæc ego ad meditandam Salomonis vocem redeo : *Quia meliora sunt vulnera diligentis, quam inimici blandientis oscula* (*Prov.* XXVII, 6).

Quod vero dicitis pro nulla causa dare nos locum scandalo debere, hæc mihi et piissimus Dominus filius vester, pro cujus vita incessanter orandum est, jam sæpius scripsit; et quod ille ex potestate, scio quia hoc vos ex amore dicitis. Nec miratus sum vos in vestris epistolis imperialia verba posuisse, quia habent inter se maximam cognationem amor et po-

[i] Norm., Corb., Reg, Turon. et tres Vatic., *gravibus eos pretiis dicunt.*

[k] Vox Græca omnibus nota, idem quod Latine sanctimonialis. Dicuntur et Ascetriæ. GUSSANV.

[l] In tribus Vatic., Norm., Corb., *in hujus urbis vehementissimo.*

EPIST. XXVII [*Al.* 24]. — [a] Excusi, *per præcepta*

testas. Nam utraque [b] principaliter præsumunt, utraque per auctoritatem semper loquuntur.

Et quidem in suscipienda fratris et consacerdotis nostri Cyriaci synodica epistola dignum non fuit ut pro causa profani vocabuli moras facerem, ne unitatem sanctæ Ecclesiæ perturbarem; sed tamen de eodem superstitioso et superbo vocabulo eum admonere studui, dicens quia pacem nobiscum habere non posset, nisi elationem prædicti verbi corrigeret, quam primus apostata invenit. Vos tamen eamdem causam nullam esse dicere non debetis, quia si hanc æquanimiter portamus, universæ Ecclesiæ fidem corrumpimus. Scitis enim quanti non solum hæretici, sed etiam hæresiarchæ de Constantinopolitana Ecclesia sunt egressi. Et ut de honoris vestri injuria taceam, si unus episcopus vocatur universalis, universa Ecclesia corruit, si unus universus cadit. Sed absit hæc stultitia, absit hæc levitas ab auribus meis. **874** In omnipotente autem Domino confido, quia quod promisit citius impleturus est : *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV, 18, 11).

Hæc occupatus in multis ad epistolarum vestrarum dicta in brevitate respondi; nam quæ modo loqui per scripta non debeo, in animo signata manent. Peto ut me beatitudo vestra in suis sanctis orationibus semper ad memoriam reducat, quatenus a malis me temporalibus et æternis vestræ intercessiones eripiant. Pro serenissimo autem domino imperatore studiose et ferventer orate, quia valde est ejus vita mundo necessaria. Cesso autem amplius dicere, quia et vos non dubito scire.

## EPISTOLA XXVIII.

AD THEODORUM MEDICUM.

*Missas in captivos et pauperes eleemosynas laudat. Clavem a corpore sancti Petri vicissim mittit.*

Gregorius Theodoro medico Constantinopolitano.

Dilectissimus filius meus Sabinianus diaconus ad me reversus nulla mihi gloriæ vestræ scripta detulit, sed ea quæ transmissa sunt captivis et pauperibus deportavit, unde et intellexi causam. Ideo enim homini loqui per epistolas noluistis, quia omnipotenti Deo verbum in bona operatione feceratis. Habet enim hæc eadem vestra operatio vocem propriam, quæ [a] ad aures Dei secretas clamat, sicut scriptum est : *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et hæc* [b] *pro te exorabit* (*Eccli.* XXIX, 15). Et quidem mihi, fateor, triste est aliena expendere, et super eas quas de substantia ecclesiastica habeo adhuc etiam de rebus suavissimi filii mei domni Theodori rationes ponere. Vestræ tamen benignitati congaudeo, quia sollicite attenditis, atque custoditis hoc quod Veritas dicit : *Date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41). Et hoc quod scriptum est : *Sicut aqua exstinguit ignem, sic eleemosyna exstinguit peccatum* (*Eccli.* III, 33). Paulus quoque apostolus ait : *Vestra abundantia illorum inopiam suppleat, ut et illorum abundantia vestræ sit inopiæ supplementum* (*II Cor.* VIII, 14). Tobias filium admonet, dicens : *Si multum tibi fuerit, abundanter tribue; si autem parum, etiam de exiguo libenter impertire* (*Tob.* IV, 9). Vos itaque hæc omnia præcepta servatis; sed pro nobis ut oretis petimus, ne laborum vestrorum fructus indiscrete et non sicut necesse est dispensemus, ne unde vos peccata minuitis, nos inde cumulemus. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, sicque vobis in terreno palatio humanam gratiam tribuat, ut post longa vos tempora ad cœlestis palatii gaudia æterna perducat.

Benedictionem vero sancti Petri apostolorum principis, quem multum diligitis, clavem a sacratissimo ejus corpore vobis transmisimus, in qua ferrum de catenis ejus clausum est, ut quod illius collum ligavit ad martyrium, vestrum ab omnibus peccatis solvat.

## **875** EPISTOLA XXIX.

AD ANDREAM.

*Contemnendas sæculi dignitates, ut cœlestibus liceat studiis vacare.*

Gregorius [a] Andreæ.

Magnitudinis vestræ scripta suscipiens, cognita salute vestra, gavisus sum, et de benignitate piissimæ domnæ, quæ erga vos suam gratiam ostendere dignata est, valde lætatus. Et quod domna Constantina, clarissima puella, priusquam nuptias faceret, ab hujus mundi illecebris est erepta, vehementer exsulto. Illud autem quod vos in militiam sponsi ejus intrasse dixistis, et quod serenissimo domno imperatori commendari voluistis, ut vobis aliqua injungat, ubi vos utiles esse existimat, mentem meam non modico mœrore tetigit, quia ego bonitatem morum vestrorum in aliud tendere semper existimavi. [b] Multos autem novi qui in servitio reipublicæ positi vehementer affliguntur, quia eis non licet vacare et peccata sua plangere; et vos [c] quare, nescio, implicari desideratis? Cur enim, magnifice fili, non consideras quia mundus in fine est? Omnia urgentur quotidie, ad reddendas rationes æterno et tremendo judici ducimur. Quid ergo aliud nisi de adventu illius cogitare debemus? Vita enim nostra naviganti est similis : [d] is namque qui navigat

[b] Turon., Norm., Corb., Vatic., etc., ita habent, consentiuntque vet. Ed. At in recent. legitur *principaliter præsunt.*

EPIST. XXVIII [*Al.* 25]. — [a] Editi, *ad aures Dei secreta.*

[b] Excusi, *orabit*, quod minus est quam *exorabit.*

EPIST. XXIX [*Al.* 26]. — [a] In Vulgatis additur *Scholastico*, quod minime legitur in Vatic. Anglic., Corb., Colbert., etc.

[b] Hæc epistola Andream a fluctibus mundanis ad quietis Christianæ littus revocat. Idipsum fere reperio apud sanctum Augustinum, lib. de catechizand. Rudibus, cap. 16 : *Nam in hac vita homines magnis laboribus requiem quærunt et securitatem, sed pravis cupiditatibus non inveniunt; volunt enim requiescere in rebus inquietis, et non permanentibus*, etc. Pergat lector ad finem usque capitis. GUSSANV.

[c] In Vulgatis, *quare nescio occupari.*

[d] Ita melius Mss. Vatic., Norm., Anglic., Reg., Corb., etc., quam Excusi, ubi legitur, *is namque qui navigat stat, sedet, jacet, vadit.* Sensus hic est : Qui navigat, sive stet, sive sedeat, sive jaceat, semper vadit, et ad portum properat, navi qua vehitur ventis abrepta. Quæ subjiciuntur, *ita ergo et nos sumus*, etc., mentem piissimi doctoris satis ostendunt.

stet, sedeat, jaceat. Vadit, quia impulsu navis ducitur. Ita ergo et nos sumus, qui sive vigilantes, sive dormientes, sive tacentes, sive loquentes, sive ambulantes, sive volentes, sive nolentes, per momenta temporum quotidie ad finem tendimus. Cum igitur finis nostri dies advenerit, ubi nobis erit omne quod modo cum tanta cura quæritur et cum sollicitudine congregatur? Non ergo honor, non divitiæ quærendæ sunt, quæ dimittuntur. Sed si bona quærimus, illa diligamus quæ sine fine habebimus. Si autem mala pertimescimus, illa timeamus quæ a reprobis sine fine tolerantur.

Hoc ipsum vero esse in obsequio piissimi principis, quanta est mentis occupatio in appetitu terrenæ gratiæ, et quantus est timor ne hæc eadem gratia perdatur, si adepta fuerit? Perpende ergo quæ pœna sit, aut prosperitatis desiderio fatigari, aut adversitatis timore pavescere. Unde magis suadeo ut magnitudo vestra in suo proposito quondam, in pauco tempore delectabili [e] receptaculo peregrinationis vivere studeat, et quietam ac tranquillam vitam ducere, sacris lectionibus vacare, cœlestia verba meditari, in æternitatis amore se accendere, de terrenis rebus secundum vires bona opera agere, et regnum perpetuum in **876** eorum remuneratione sperare. Sic autem vivere, jam in æternitatis vita partem habere est.

Hæc, magnifice fili, loquor, quia multum te diligo. Et quia in procellas [f] et fluctus tendis, verborum meorum funibus te ad littus revoco; et si trahentem sequi volueris, quæ pericula evaseris, quæ gaudia inveneris, in ipso quietis tuæ littore positus agnosces.

Præterea gratias ago quia me de duabus personis quæ [g] cum glorioso Callicino venerunt cautum reddere studuistis quamvis personæ ejus quam prius magnitudo vestra nominavit, jam in malis non modicum experimentum tenemus. Sed quia mala sunt tempora, omnia cum gemitu portamus. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, detque vobis et hic bene agere, et apud se in perpetuum [h] in æterna gloria gaudere.

## EPISTOLA XXX.

### AD NARSAM RELIGIOSUM.

*Afflictum consolatur. A Christiano adversa non recusanda ostendit. Cur monasteriorum incolis, aliisve Constantinopoli degentibus non scribat. Gaudet de Esychiæ transitu. Domnæ Dominicæ quid agendum. Mittit munuscula. Anatolium commendat.*

Gregorius Narsæ religioso.

Cum Romanum defensorem ad urbem regiam mitterem, diu scripta vestra [a] requisivit, sed inveniri minime potuerunt : postmodum vero inter multas aliorum epistolas sunt inventa, in quibus mihi dulcedo vestra suas afflictiones et tribulationes spiritus indicat, et adversitates malorum hominum manifestat. Sed, rogo, in his omnibus revoca ad mentem hoc quod et credo, quia nunquam oblivisceris : *Quia omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur* (*II Tim.* III, 12). Qua in re ego fidenter dico quia minus pie vivis, si minus persecutionem pertuleris. Idem quoque doctor gentium quid aliud discipulis dicat audiamus : *Ipsi scitis, fratres, nostrum introitum ad vos, quia non inanis fuit, sed ante passi et contumeliis affecti* (*I Thess.* II, 1). Ecce, dulcissime fili, prædicator sanctus ingressum suum vacuum fuisse perhibuit, si contumelias non pertulisset; et tua charitas [b] dicere bona vult, sed mala perpeti recusat. Unde necesse est ut [c] inter adversa se strictius accingat, ut desiderium ad amorem Dei atque studium [d] bonæ operationis ipsa plus adversitas augeat. Sic semina messium gelu cooperta fertilius germinant, sic ignis flatu premitur ut crescat. Scio quidem quia ex tot malarum linguarum sermonibus perversis tempestatem validam pateris, in mente contradictionum fluctus sustines. Sed redeat ad animum quod per Psalmistam Dominus dicit : *Exaudivi te* **877** *in abscondito tempestatis, probavi te ad aquas contradictionis* (*Psal.* LXXX, 8). Si enim inter contradicentes ea quæ Dei sunt egeris, tunc verus operator probaris.

Dulcissima autem vestra charitas mihi scripsit, ut monasteriis quæ per orationes et magisterium vestrum a filio nostro domno Paulo instituta sunt, aliquid admonendo scriberem. [e] Sed si Dei sunt vasa, scio quia per compunctionis gratiam fontem sapientiæ intus habent, et meæ siccitatis guttas parvulas suscipere non debent. Perfecta vero vestra sapientia recolit quia in paradiso pluvia non fuit, sed fons ascendebat de medio paradisi, qui irrigaret faciem terræ. Illæ ergo animæ quæ per compunctionis gratiam fontem in semetipsis habent, de aliena lingua pluviam necessariam non habent.

Per scripta autem vestra mihi transitum domnæ Esychiæ nuntiastis; et magna exsultatione gavisus sum, quia illa bona anima feliciter ad suam patriam pervenit, quæ in patria laborabat aliena. Gloriosas autem filias meas domnam Dominicam, et domnam Eudochiam mea vice salutate. Sed quia prædictam domnam Dominicam jam diu est quod audio præpositam factam, in hoc circa eam vestra charitas vigilet, ut quia jam servire in labore terreni palatii non compellitur, omnes mundi hujus strepitus perfecte fugiat, totam se Deo conferat, nihil de se extra se relinquat; sed et quantas valet animas in Creatoris sui servitium colligat, ut earum mentes per verbum ejus gratiam compunctionis accipiant, et tanto celerius ipsa ab omnibus peccatis suis absoluta sit, quanto per ejus

[e] Norm., Reg., Corb. et tres Vatic., *acceptaculo*.
[f] Editi, *et fluctus cordis tendis*.
[g] In tribus Vatic. et Reg., *Gallinico*. In Editis *Gallitio*. Fortasse Callinicus est quem Italiæ exarchum fuisse discimus ex epist. nona lib. IX, indict. 11, et ex aliis plurimis monumentis; verum nomina in Mss. varie torquentur; idemque potuit scribi *Callinicus* et *Callicinus*, per levem transpositionem.
[h] Vulgati, *in æterna vitæ*.

EPIST. XXX [*Al.* 27]. — [a] Ita Mss. Vatic., Norm., Corb., etc., ubi Editi habent, *requisivi*.
[b] Al., *dici bona*, ut legitur in Norm., Corb., Vat. D, etc.
[c] Vatic. A, *inter adversariis se strictius*.
[d] Turon., Reg. et tres Vatic., *bonæ admonitionis*.
[e] In Aud., Pratell., Reg. et tribus Vatic., *sed si de via sunt*. In Vatic. B, *sed si de via sunt Dei*.

vitam et linguam etiam aliarum animæ peccatorum suorum nexibus eruperint. Quia autem nemo hominum in hoc mundo sine peccato est, et quid est aliud peccare nisi a Deo fugere? fiducialiter dico etiam eamdem filiam meam peccata aliqua habere. Ut ergo dominæ suæ, id est æternæ sapientiæ perfecte satisfaciat, quæ sola fugit, cum multis redeat. Aversionis enim suæ culpa nulli imputabitur, quæ revertens lucrum reportat.

Domnum autem Alexandrum et domnum Theodorum mea per vos peto vice salutari. Quod vero scribitis, ut excellentissimæ filiæ meæ [f] domnæ Gurdiæ, et sanctissimæ filiæ ejus domnæ [g] Theoctistæ, et magnificis earum hominibus domno Marino, et domno Christidoro scribere debeam, eosque aliquid de anima sua admonere, bene scit dulcissima vestra magnitudo quia hodie in Constantinopolitana civitate [h] qui de Latino in Græcum [i] dictata bene transferant non sunt. Dum enim verba custodiunt, et sensus minime attendunt, nec verba intelligi faciunt, et sensus frangunt. Pro qua re prædictæ filiæ meæ domnæ Gurdiæ breviter scripsi, nam cæteris tacui. Duas autem [k] camisias, et quatuor [l] oraria vobis transmisi, quæ prædictis viris ex benedictione sancti Petri peto humiliter offerri. Præterea quidam moriens unum mihi puerulum dimisit : de cujus anima cogitans, eum dulcedini vestræ transmisi, ut in ejus vivat in hac terra servitio per quem ad libertatem cœli valeat pervenire. Dilectissimum autem filium meum Anatolium diaconum, quem ad facienda responsa Ecclesiæ in urbem regiam transmisi, peto ut frequenter dulcissima vestra charitas visitet, ut post labores quos in causis sæcularibus patitur, in verbo Dei vobiscum requiem inveniat, et quasi quodam candido linteo ejusdem laboris terreni sudorem detergat. Quem personis omnibus quæ vobis notæ sunt commendate, quamvis scio quia si perfecte cognoscitur, commendatione non eget. Vos autem quantum sanctum Petrum apostolum, quantum me diligitis, in ipso monstrate. Omnipotens autem Deus dulcissimam mihi charitatem vestram ab interioribus hostibus exterioribusque custodiat; et quando ei placuerit, ad cœlestia vos regna perducat. (*Vide l.* I, *ep.* 6.)

## EPISTOLA XXXI.

### AD CYRIACUM EPISCOPUM.

*De submovendo profano vocabulo, ut pax Ecclesiæ conservetur, et scandala multorum auferantur.*

Gregorius Cyriaco episcopo Constantinopolitano.

Scripta beatitudinis vestræ suscepimus, quæ nobis [a] non linguæ, sed animæ verba loquebantur. Aperiebant etenim mentem, quæ tamen mihi clausa non erat, quia per memetipsum suavitatis ipsius experimentum tenebam. Unde omnipotenti Deo incessanter gratias refero, quia si erga nos in corde vestro virtutum mater charitas permanet, bonorum operum ramos nunquam amittitis, qui ipsam bonitatis radicem tenetis. Oportet ergo ut mihi atque omnibus fratribus vestris ejusdem charitatis pulchritudinem in hoc primum opere monstretis, ut verbum superbiæ, per quod grave scandalum in Ecclesiis generatur, auferre festinetis, hoc modis omnibus implentes quod scriptum est : *Solliciti servare unitatem spiritus in vinculo pacis* (*Ephes.* IV, 3). Et rursus : *Nullam occasionem dare adversario maledicti gratia* (*I Tim.* V, 14). Tunc enim ostensa charitas vera est, si [b] per typum superbiæ inter nos schisma non fuerit. Ego enim Jesum testem invoco in anima mea, quia a summo **879** usque ad ultimum nulli hominum dare scandali occasionem volo. Omnes magnos esse et honorabiles cupio, quorum tamen honor honori omnipotentis Dei non detrahat. Nam quisquis se contra Deum honorari appetit, mihi honorabilis non est. Sed ut cognoscatis quam erga vestram beatitudinem habeam voluntatem, dilectissimum filium meum Anatolium diaconum ad piissimorum dominorum vestigia transmisi, qui eorum pietati ac vestræ fraternitati satisfaciat, quia nulli in hac causa nocere appeto, sed humilitatem Deo placitam, et sanctæ Ecclesiæ concordiam custodire. Et quia hostis omnipotentis Dei Antichristus juxta est, studiose cupio ne proprium quid inveniat non

[f] Mauricius imperator sororem habuit nomine Gurdiam sive Gordiam, quæ ex Simocatta, lib. VIII, c. 13, Philippo duci Orientis nuptui data est, post Mauricii necem a Phoca Chrysopolim relegato. Num eadem sit Gurdia quæ Marino primum, deinde Philippo nupserit, inquirant alii.

[g] Theoctista hæc alia a Theoctista sorore Mauricii imper. Nam quæ hic commemoratur filia fuit Gurdiæ; Theoctista vero Mauricii soror, ad quam epistola 26 libri hujus, et quinta libri primi matrem habuit Joannam. Vide Moschum, cap. 128.

[h] In recent., *qui de Græco in Latinum, et de Latino in Græcum.*

[i] De interpretibus et translatione vide Lipsium, Centuria 1, epistola 72 : *Vellem plus aliquid tibi permitteres, nec vestigia usquequaque sermonis Latini premeres pede tam certo; arcta per hanc curam versio, astricta, tenuis, sæpe obscura. Est suus videlicet cuique linguæ genius, quem non avellas, nec temere migrare jusseris in corpus alienum. Quam multa*, etc. Studiosus totam perlegat epistolam, ut noverit esse in versionibus exorbitandum, et hoc esse rectam in vertendo viam tenere, viam non tenere. GUSSANV.

[k] Græci recentiores hanc vocem usurpant pro veste, ὁ ἐπὶ καμάτων χιτών. Codinus de Lectoribus loquens : Μετὰ τῶν ἱματίων καὶ ἐπιῤῥιπταρίων αὐτῶν φοροῦντες καὶ καμίσια ἐπάνω τῶν ἱματίων. Et alibi de Psaltis : Εἰσέρχονται καὶ οἱ ψάλται μετὰ τῶν ἐπιῤῥιπταρίων καὶ καμισίων αὐτῶν, etc. In dialogis sancti Gregorii legimus ὑποκαμίσιον, pro tunica interiori. Victor Uticensis, de persecutione Vandalica, camisias memorat. GUSSANV. Vide card. Bona, de Rebus liturgicis, lib. I, c. 24, § 4.

[l] Orarium hic sudarium est seu linteum quo facies abstergitur. Longum erat magis quam latum, instar fasciæ. Ex hac autem forma oblonga translatum hoc vocabulum in Ecclesiam et sacræ stolæ tributum suspicatur card. Bona, lib. I, de Rebus Liturgicis, c. 24, §, 6, ubi de orario plura. De ipso ut stolam significat vide notam 755, ad Librum Sacram.

EPIST. XXXI [*Al.* 28]. — [a] Idem, epist. 24, nunc 25, lib. I. GUSSANV.

[b] In Norm. et aliis, *per typhum*. De hac voce lib. XXIII, Moral., num. 25

solum in moribus, sed etiam in vocabulo sacerdotum. Ea ergo quæ novo modo introducta sunt ipso ordine quo illata sunt auferantur, et pax nobis illibata in Domino permanebit. Nam quæ erit inter nos dulcedo, quæ charitas, si nosmetipsos voce refovemus, et rebus pungimur? Hoc ergo vestra sanctitas agat, ut bona quæ dicitis nos in cordis medulla sentiamus quatenus dum in unanimitate corda fuerint sacerdotum, pro piissimorum dominorum vita deprecantes, tanto citius exaudiri mereamur, quanto et orationes vestras ante Dei oculos pax illuminat, et discordiæ macula non obscurat.

## EPISTOLA XXXII.

AD ANASTASIUM PRESBYTERUM.

*De contentione tollenda quæ inter patrem monasterii, quod Neas dicitur, et Jerosolymorum episcopum exorta erat.*

Gregorius [a] Anastasio presbytero.

Quia bonus homo de bono thesauro cordis sui bona proferat (*Matth.* XII, 35; *Luc.* VI, 45), hoc tua charitas et [b] semper vivendo, et modo mihi in epistola sua loquendo monstravit; in qua inveni duos quosdam de virtutibus litigantes, te videlicet pro charitate, atque alium pro timore et humilitate contendere. Et quamvis in multis occupatus, quamvis Græcæ linguæ nescius, in contentione tamen vestra judex resedi; sed, requisita veritate, in meo judicio contradictorem tuum ipse vicisti per apostolicam sententiam, quam vobis contendentibus protuli : *Quia timor non est in charitate, sed perfecta charitas foras mittit timorem. Quoniam timor pœnam habet; qui autem timet, non est perfectus in charitate.* Tua itaque fraternitas quantum in charitate perfecta sit scio. Et quia omnipotentem Deum multum diligit, oportet ut de proximo multum præsumat. Non enim loca vel ordines Creatori nostro nos proximos faciunt, sed ei nos aut merita bona jungunt, aut mala disjungunt. Quia ergo adhuc incertum est quis interius qualis sit, cur non audebas scribere, dum inter me et te quis sit superior ignores? Et quidem bene te vivere scio, me autem multis oneratum peccatis novi. Sed etsi ipse peccator es, me tamen multo melior, quia tu tua tantummodo, ego vero et eorum qui mihi commissi sunt peccata porto. In hoc ergo te altum, in hoc te magnum aspicio, **880** quia ante humanos oculos in magno atque in alto loco minime profecisti; in quo sæpe dum exterius ab hominibus honor tribuitur, ad ima animus mergitur, quia curis discerpentibus gravatur. Tibi autem omnipotens Deus juxta hoc quod scriptum est : *Ascensus in corde disposuit, in convalle lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII, 6). Multo autem me altior, multo sublimior videri poteras, si neque ducatum monasterii, quod Neas dicitur, susceptisses, quia in eodem monasterio, sicut audio, monachorum quidem species tenetur, multa vero sub sanctitatis habitu sæcularia aguntur. Sed etiam ad hoc te existimabo cœlesti gratia pervenisse, si ea quæ in loco illo omnipotenti Deo displicent te fuerint duce correcta.

Sed quia inter patrem ejusdem monasterii, et pastorem Jerosolymorum Ecclesiæ semper esse jurgia consueverunt, credo quod omnipotens Deus idcirco dilectionem tuam et sanctissimum fratrem et consacerdotem meum Amos esse uno tempore Jerosolymis voluit, ut ea quæ prædixi jurgia tolerentur. Nunc ergo ostendite quantum vos prius amastis. Scio quia utrique abstinentes, utrique docti, utrique humiles estis; unde necesse est ut Salvatoris nostri gloria juxta vocem Psalmi in tympano et choro laudetur (*Psal.* CL, 4). [c] In tympano etenim sonus ex pelle sicca est, in choro vero vocum concordia. Quid igitur per tympanum nisi abstinentia, quid per chorum nisi unanimitas designatur? Quia ergo per abstinentiam Dominum laudatis in tympano, peto per unanimitatem laudetis in choro. Per semetipsam quoque Veritas dicit : *Habete sal in vobis, et pacem habete inter vos* (*Marc.* IX, 49). Quid per sal nisi sapientia designatur, Paulo attestante qui ait : *Sermo vester in gratia semper sale sit conditus* (*Coloss.* IV, 6). Quia ergo per doctrinam verbi cœlestis sal habere vos novimus, restat ut per charitatis gratiam etiam inter vos pacem toto corde teneatis. Hæc, charissime frater, dico, quia utrosque vos multum diligo, atque omnino pertimesco ne orationum vestrarum sacrificia ex aliqua inter vos dissensione maculentur.

Benedictionem vero quam et prius per Exhilaratum [d] Secundicerium, et postmodum per Sabinianum diaconum transmisistis, cum gratiarum actione suscepi, quia de sancto loco decuit vos sancta transmittere, et cui assidue ministratis, ex vestro ipso munere demonstrare. Omnipotens Deus sua vos dextera protegat, atque a malis omnibus servet illæsos. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 61.)

EPIST. XXXII [*Al.* 29]. — [a] In Edit. Guss., *Athanasio*, reluctantibus Mss. et aliis super. Excusis. Fefellit Gussanvillæum quod in Vulgatis legitur, *presbytero Isauriæ.* Nempe non dubitavit quin is esset Athanasius, Isauriæ presbyter, ad quem exstat epist. 67, l. b. VI. At ille in Mss. constanter appellatur *Athanasius*, eratque Isauriæ presbyter; iste vero de quo nunc agimus nitro Mss. consensu appellatur *Anastasius*; et quidem Ecclesiæ Jerosolymitanæ potius presbyter quam Isauriæ censendus videtur.

[b] Recent. Ed., *spiritualiter vivendo*, contra Mss. fidem, et sancti Scriptoris scopum, qui opponit *semper* et *modo*; piam vitam qua semper loquebatur Anastasius, et epistolam qua nuper Gregorium allocutus fuerat.

[c] Præivit sanctus Augustinus in Psalm. LXVII : *Tympana fiunt ex corio siccato et extento.* Et in Psalm. CXLIX : *In tympano corium extenditur, in psalterio chordæ extenduntur, in utroque organo caro crucifigitur.* Et infra : *Extendatur in ligno, et siccetur concupiscentia carnis; nervi quanto plus fuerint extenti, tanto acutius sonant*, etc. GUSSANV.

[d] Supra diximus de primicerio, scilicet, l. III, epist. 22, nota *b*. Alii dicunt secundocerium. Occurrit ea vox in Codino pluries, et in notitia imperii. GUSSANV.

## EPISTOLA XIII.

AD MAURICIUM AUGUSTUM.

*Contendit se temere indiscretum nominatum fuisse, quod Cyriacum episcopum Constantinopolitanam, qui universalem se nominat, reprehenderit.*

Gregorius Mauricio Augusto.

Dominorum pietas provida, ne quid fortasse scandali in unitate sanctæ Ecclesiæ ex sacerdotum dissensione generari potuisset, semel ac bis **881** me admonere dignata est ut responsales fratris et consacerdotis mei Cyriaci benigne susciperem eosque ad remeandum citius relaxarem. Et licet, piissime domine, apte et provide cuncta præcipiatis, ego tamen invenio quia eorum judicio indiscretus esse ex hac tali admonitione reprehendor. Nunquidnam si ex superbo ac profano vocabulo meus non in modico est animus vulneratus, tantæ indiscretionis esse potui ut nescirem [a] quid unitati fidei, quid concordiæ ecclesiasticæ deberem, et fratris mei responsales et synodicam epistolam suscipere cujuslibet causæ amaritudine interveniente recusarem? Absit hoc. Nimis mihi fuerat desipuisse sic sapere. Aliud namque est quod conservandæ unitati fidei, atque aliud quod debemus compescendæ elationi. Distinguenda ergo erant tempora, ne prædicti fratris mei ex quolibet articulo [b] novitas turbaretur. Unde et responsales ejus cum magno affectu suscepi. Quidquid debui charitatis exhibui, meliusque eos quam consuetudo prisca fuerat honoravi, et mecum feci eos sacra missarum solemnia celebrare, quia sicut meus diaconus ad exhibenda sancta mysteria illi non debet ministrare, qui elationis culpam aut commisit, aut commissam ab aliis ipse non corrigit, ita ministri illius in celebratione missarum mihi adesse debuerunt, qui, custodiente Deo, in superbiæ errorem non cecidi. Eumdem vero fratrem et coepiscopum meum studiose admonere curavi, ut si habere pacem omnium concordiamque desiderat, ad stulti vocabuli se appellatione compescat. De qua re mihi in suis jussionibus dominorum pietas præcepit, dicens, ut pro appellatione frivoli nominis inter nos scandalum generari non debeat. Sed rogo ut imperalis pietas penset quia alia sunt frivola valde innoxia, atque alia vehementer nociva. Nunquid non cum se Antichristus veniens Deum dixerit, frivolum valde erit, sed tamen nimis perniciosum? Si quantitatem sermonis attendimus, quæ sunt syllabæ; si vero pondus iniquitatis, universa pernicies. Ego autem fidenter dico quia quisquis se universalem sacerdotem vocat, vel vocari desiderat, in elatione sua Antichristum præcurrit, quia superbiendo se cæteris præponit. Nec dispari superbia ad errorem ducitur, quia, sicut perversus ille, Deus videri vult super omnes homines ita quisquis iste est, qui solus sacerdos appellari appetit, super reliquos sacerdotes se extollit. Sed quoniam Veritas dicit: *Omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11; XVIII, 14), scio quia quælibet elatio tanto citius rumpitur, quanto amplius inflatur. Illis ergo pietas vestra præcipiat ne quod [c] per appellationem frivoli nominis scandalum gignant, qui in superbiæ [d] typum ceciderunt. Nam peccator ego, qui auctore Deo humilitatem teneo, admonendus ad humilitatem non sum. Omnipotens autem Deus serenissimi nostri vitam et ad pacem sanctæ Ecclesiæ et ad utilitatem reipublicæ Romanæ per **882** tempora longa custodiat. Certi etenim sumus quia si vos vivitis, qui cœli Dominum timetis, nulla contra veritatem superba prævalere permittetis.

## EPISTOLA XXXIV.

AD EULOGIUM EPISCOPUM.

*Romæ susceptos et ad communionem admissos Cyriaci responsales; suum vero Diaconum Cyriaco, intolerabilis superbiæ reo, communicare non debuisse. Orthodoxam quidem ejus synodicam; sed in ea damnari Eudoxium quemdam, hactenus, ut ipse putat, indamnatum. Isauriæ monachos, sub Joanne Cyriaci decessore, de hæresi inique damnatos ostendit.*

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino, et Anastasio episcopo Antiocheno [a].

Charitas qua vobis valde constrictus sum tacere me minime permittit, ut sanctitas vestra quæcunque apud nos aguntur agnoscat, et, falsis rumoribus non decepta, suæ justitiæ atque rectitudinis viam, sicut perfecte cœpit, perfectius teneat. Responsales siquidem fratris et consacerdotis nostri Cyriaci venientes, ejus ad me synodicam detulerunt epistolam. Et quidem inter nos et ipsum, sicut vestra beatitudo novit, propter appellationem profani nominis est gravis discordia, sed in causa fidei transmissos responsales ejus existimavi esse suscipiendos, ne culpa elatonis quæ in Constantinopolitana Ecclesia pene contra omnes sacerdotes exorta est, dissensionem fidei et rixam ecclesiasticæ faceret unitati. Eosdem vero responsales, quia hoc omnino humiliter precabantur, missarum solemnia [b] mecum celebrare feci, quia sicut et serenissimo domno imperatori intimare studui, responsales fratris et consacerdotis nostri Cyriaci mihi communicare debuerunt, quia auctore Deo in elationis errorem non cecidi. Meus vero diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco missarum solemnia celebrare non debet, quia per profanum vocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur; ne si, quod absit, [c] procedit ei in tali elatione posito, vanitatem stulti nominis confirmare videa-

EPIST. XXXIII [*Al.* 19]. — [a] In Vatic. B. *quid universitati fidei.* Hæc epistola et sequens omittuntur in Vatic. C, exstant in omnibus nostris.

[b] Ita vet. Editi et Mss. pene omnes. Novitas autem hic dicitur propter recens factam Cyriaci provectionem ad episcopatum. In recent. Ed., pro *novitas*, legitur *charitas*.

[c] Vatic. A, et omnes Vatic., *per elationem frivoli nominis*.

[d] Aliter *typhum*, de qua voce supra dictum ad epist. 31.

EPIST. XXXIV [*Al.* 31]. — [a] In Norm., Corb., Reg. et aliis, additur *a paribus*.

[b] Abest *mecum* a Corb. Vatic. D, et Norm. pene omnibus.

[c] De hujus verbi sensu jam alibi diximus. Consule notam 471, ad lib. Sacram.

mur. Eumdem vero fratrem admonere studui, ut sese a tali elatione corrigat, quia si hanc non correxerit, pacem nobiscum nullo modo habebit.

Præterea idem frater noster omnia in suis synodicis catholice, Deo auctore, locutus est. Quemdam vero [d] Eudoxium damnavit, quem neque in synodis damnatum invenimus, neque a decessoribus ejus in suis synodicis reprobatum. Et canones quidem Constantinopolitani concilii Eudoxianos damnant; sed quis fuerit eorum auctor Eudoxius, minime dicunt. Romana autem Ecclesia eosdem canones vel gesta synodi illius hactenus non habet, nec [e] accepit; in hoc autem eamdem synodum accepit, quod est per eam contra Macedonium definitum. Reliquas vero **883** hæreses quæ illic memoratæ sunt, ab aliis jam Patribus damnatas reprobat. [f] De Eudoxianis vero nihil hactenus agnovit. In historia autem Sozomeni de quodam Eudoxio qui Constantinopolitanæ Ecclesiæ episcopatum arripuisse dicitur, aliqua narrantur. Sed ipsam quoque historiam sedes apostolica suscipere recusat, quoniam multa mentitur, et Theodorum Mopsuestiæ nimium laudat, atque usque ad diem obitus sui magnum doctorem Ecclesiæ fuisse perhibet. Rectat ergo ut si quis illam historiam recipit, synodo quæ piæ memoriæ Justiniani temporibus de tribus capitulis facta est contradicat. Qui vero huic contradicere non valet, illam historiam necesse est ut repellat. In Latina vero lingua de hoc Eudoxio nunc usque, neque in Philastro, neque in beato Augustino, qui multa de hæresibus conscripserunt, neque in aliis Patribus aliquid invenimus. Charitas igitur vestra si quis apud Græcos probatorum Patrum de eo sermonem fecit, suis mihi epistolis [g] innotescat.

Præterea ante triennium, cogente causa monachorum Isauriæ, qui hæretici accusabantur, satisfaciens mihi quondam frater et consacerdos meus domnus Joannes litteras misit, quibus nitebatur ostendere eos Ephesinæ synodi definitionibus contradixisse; et velut ex eadem synodo certa nobis quibus ipsi obsisterent [h] capitula destinavit. Inter alia autem scriptum illic continebatur de Adæ anima, quia in peccato mortua non fuerit, eo quod diabolus in cor hominis non ingrediatur; et si quis hoc dixisset, anathema esset. Quæ cum mihi relecta fuissent, valde contristatus sum. Si enim Adæ, qui primus peccavit, anima in peccato mortua non est, quomodo de ligno vetito ei dictum est : *In quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini* (*Genes.* II, 17) ? Et certe comedit Adam et Eva de ligno vetito, et tamen in carne sua ultra nongentos annos postmodum vixerunt. Constat itaque quia in carne non est mortuus. Si ergo in anima mortuus non est, quod dici nefas est, falsam sententiam de illo protulit Deus, qui dixit quia qua die comederet moreretur. Sed absit hic error, absit a vera fide. Nos enim primum hominem qua die peccavit, anima mortuum dicimus, atque per hunc omne genus humanum in hac mortis et corruptionis pœna damnatum. Per secundum vero hominem, et modo a morte animæ, et postmodum ab omni corruptione carnis in æterna resurrectione liberari nos posse confidimus. [i] Sicut autem et prædictis responsalibus diximus : Adæ animam peccato mortuam dicimus, non a substantia vivendi, sed a qualitate vivendi. Quia enim aliud est substantia, atque aliud qualitas, non est ejus anima ita mortua, ut non esset; sed ita mortua, ut beata non esset. Qui tamen Adam postmodum per pœnitentiam ad vitam rediit.

**884** Quod vero diabolus cor hominis ingrediatur, si Evangelio creditur, non negatur. Ibi enim scriptum est : *Et post buccellam introivit in eum Satanas* (*Joan.* XIII, 27). Et rursus ibi dicitur : *Cum diabolus jam se misisset in cor Judæ, ut traderet eum Judas* (*Ibid.*, 2). Hoc autem qui negat, in Pelagianam hæresim cadit. Quia ergo perscrutantes Ephesinam synodum, nihil in ea tale invenimus contineri, de Ravennati quoque Ecclesia vetustum valde Codicem ejusdem synodi ad nos deferri fecimus, et synodo quam habemus eum ita concordare invenimus, ut in nullo discreparet, et nihil aliud contineret in definitione anathematis et reprobationis, nisi quod duodecim capitula beatæ memoriæ Cyrilli reprobant. Hanc autem totam rationem multo latius subtiliusque prædictis responsalibus ejus in præsenti positi reddidimus, atque eis plenissime satisfecimus. Igitur ne vel hæc, vel aliqua similia illic subrepant, quæ sanctam Ecclesiam scandalizent, necesse nobis fuit hæc ipsa sanctitati vestræ indicare. Et quamvis fratrem et coepiscopum nostrum Cyriacum noverimus orthodoxum, tamen propter alios cauti esse debemus, ut antequam ad publicum prodeant, errorum semina conculcentur.

Scripta autem vestræ sanctitatis communi filio Sabiniano diacono veniente suscepi. Sed quia horum Græcam mutuabimus historiam, nisi a Græcis hominibus? Id quidem fecerat Cassodorus qui tripartitam historiam multis ante sanctum Gregorium annis Latine ediderat, ex Socrate, Sozomeno, ac Theodoreto compactam, Epiphanii scholastici versione adjutus, quam legere potuerant Romani.

[d] De eo supra, epist. 4, ad Cyriacum.

[e] Constantinopolitanos canones ad disciplinam spectantes et præsertim tertium non acceperat Romana Ecclesia, quod illo canonem Nicænum 6 violari censeret. Eadem de causa Chalcedonenses canones impugnaverat Leo I, quod nempe octo et viginti primarum sedium termini a Nicænis Patribus constituti convellerentur. Vide epist. illius 78, 79, 80, *Edit. Quesnel.*

[f] Mirum sane quandoquidem, præter Sozomenum, Socrates ac Theodoretus, qui ab Eusebio Græcam historiam scripserunt, Eudoxii et Eudoxianorum non semel meminerint : imo (ut de Basilio, Gregorio Nazian. atque Epiphanio taceamus) Athanasius, orat. 1, contra Arian., lib. de Synodis. A quibusnam vero

[g] Id præstitit Eulogius, scilicet Eudoxium a Basilio, Gregorio Naz. atque Epiphanio damnatum ostendit, ut videre est lib. VIII, epist. 30.

[h] Ex pseudoephesina synodo, a Joanne Antiocheno et aliis tum Nestorii tum Pelagii et Cœlestii fautoribus celebrata, desumpta fuisse capitula hæc, docet epist. 49, lib. IX. Vide lib. VI, indict. 14, epist. 14.

[i] Excusi, minus congrue, *sic autem.*

lator jam ad egrediendum paratus retineri non potuit, ad hæc responsali meo diacono veniente respondebo. (*Vide sup. ep.* 31.)

## EPISTOLA XXXV

### AD DOMINICUM EPISCOPUM.

*Corripiat monachos regularem disciplinam fuga eludentes atque impune vagantes. Episcopos ab illis defensandis deterreat.*

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi.

Licet fraternitatem tuam erga monasteriorum curam pastorali vigilantia credamus esse sollicitam, ea tamen quæ de monasterio in Africana provincia posito cognovimus, vobis necessario prævidimus indicare. Queritur autem [a] Cumquodeus abbas lator præsentium, quia si quando monachos quibus præesse dignoscitur sub regulari voluerit disciplina restringere, monasterium temere deferant, et licite quocunque voluerint vagantes existant. Quia ergo hoc et ipsis omnino perniciosum est, et aliis perditionis monstrat exemplum, hortamur fraternitatem vestram, ut si ita est, ecclesiasticam in illos correptionem exerceat, et congrua eos ultione a tali procul dubio præsumptione [b] suspendat; atque ita ad obediendum salubri provisione superbientes animos jugo disciplinæ subjiciat, ut quos ad hujus pravitatis excessum eorum poterat imitatio provocare, emendatio a culpa revocet, et suis, ut dignum est, **885** doceat præpositis obedire. Quia vero a quibusdam episcopis excedentes monachos perhibet defensari, fraternitas vestra in hoc studeat esse sollicita, et eos a tali defensione, sua modis omnibus interminatione compescat. [c] Mense Julio, indictione 15.

## EPISTOLA XXXVI.

### AD DYNAMIUM ET AURELIAM.

*Orationi, lectioni, et operibus bonis semper intenti, ad meliora proficiant. Codicem pollicetur.*

Gregorius [a] Dynamio et Aureliæ per Franciam.

Scriptorum vestrorum pagina lectione percussa magnam nobis studio vestro contulit indicato lætitiam, quia per hoc quod vos sacræ lectionis pabula quærere et supernæ patriæ desiderare gaudia nuntiavit, dilectionem vestram religiosam conversationem non solum amare nomine, sed etiam tenere vita monstravit. Et quoniam desiderata vos adepturos esse confidimus, vehementi vobis cor nostrum exsultatione congaudet. Nam quia hujusmodi desiderium gratia divina non deserat, ipsa nos Veritas testimonio suæ vocis informat, dicens : *Omnis qui quærit invenit, qui petit accipit, et pulsanti aperietur* (*Matth.* VII, 8; *Luc.* XI, 12). Hac itaque fulti certitudine, de ejusdem Redemptoris nostri misericordia nihil ambigere, sed spe debemus indubitata præsumere. Nec enim muneris sui largitate frustrabitur, sed vires obtinendi prorsus indulget, qui velle concessit. Nam jam hoc ipsum desideranter appetere donum est. Quia tamen ita de gratia debemus superna præsumere, ut non simus negligentes in oratione vel opere, voce ejusdem Veritatis exprimitur : *Oportet semper orare, et non deficere* (*Luc.* XVIII, 1). Petamus igitur orando, quæramus legendo, pulsemus operando. Sit igitur mens vigilans, sit undique suspecta, sit ubique sollicita, ut insidiantis possit semper laqueos præcavere. Sed quia quanto hostis noster cautum contra se unumquemque cognoscit, tanto corda sibi resistentium subtili molitur arte subvertere, omnipotentem Dominum assiduis lacrymis et deprecatione poscamus, ut nos veneni ejus non sinat infectione corrumpi; sed contra certamina et latentes suggestiones quas ingerit potentiæ suæ nos scuto circumtegat; in quo jacula illius illisa frangantur, et cor nostrum percussionis ipsius contactus non vulneret, sed gratiæ suæ dono ejus nobis insidias et intelligere donet et vincere. Codicem vero quem dirigeremus, talem qui vos, ut petistis, instrueret, minime paratum habuimus, sed in subsequenti transmittemus.

## **886** EPISTOLA XXXVII.

### AD DOMINICAM.

*Quod ad Ecclesiæ unitatem redierit congaudet. Hortatur ut Romam ad virum suum veniat.*

Gregorius Dominicæ uxori Joannis.

Lætos nos vestræ nimis epistolæ reddiderunt, quod vos unitati Ecclesiæ sociatas Deo protegente cognovimus. Et quidem sicut et ipsæ scribitis, ante hoc facere debuistis, quia talis viri conjugem, nec ad modicum esse decuit a communionis unitate disjunctam. Considerare enim debuistis, gloriosa filia, quanta multitudo fidelium in matris Ecclesiæ sinu consistat, quantisque virtutibus sacerdotes, qui in ista fide defuncti sunt, coruscarunt, vel [a] quanta ad corpora sua miracula faciant, atque eos nos non dijudicare, sed plus tantis viris ac sacerdotibus quam tibi credere debuisti. Inter hæc tamen omnipotenti Deo gratias agimus, quia ita cordi vestro lumen suæ veritatis infudit, ut, erroris sui pulsa caligine, rectam vobis viam, quam sequi et tenere debeatis,

Epist. XXXV [*Al.* 52]. — [a] Similia nomina a Deo desumpta familiaria erant Afris, ut patet ex Augustino et ex notitia Africæ, in qua plurimi recensentur episcopi *Quodvultdeus* appellati. Consule nostrum Theod. Ruinart, in Hist. Vandalicæ persecut.

[b] Excusi, *coerceat*. Sequimur omnes Vatic., Norm., etc.

[c] Id non legimus nisi in Turon. S. Gat. et in Vatic. A et B.

Epist. XXXVI [*Al.* 33]. — [a] Sic legitur in omnibus pene Mss. In Vatic. D tamen et in duobus Teller., pro *Dynamio*, legitur *Dynamiæ*. Dynamius jam notus ex epist. 33 lib. III, et 12 hujusce libri VII, ubi Dynamius jungitur *Aureliano*, vel *Aurelianæ* ut exhibent Mss. fere omnes. An eadem est *Aurelia* de qua hic, et ista *Aureliana?* An pro *Aureliæ* legendum *Aurelio?* Certe lib. XI, epist. 75, inscribitur *Aurelio*, quem sanctus Gregorius de morte fratris Dynamii, ut conjicit Gussanvillæus, consolatur. Conjecturæ Gussanvillæi suffragatur Adr. Vales. Rerum Francicarum lib. XI, p. 137. Attamen in laudata epist. 75 Dynamii nomen dissimulatur; et fortasse legendum *Aureliæ*, non *Aurelio*. Verum ne nodum hunc solvamus obstat Mss. Codicum penuria, nam in solo pene Vatic. A epistola hæc nobis occurrit.

Epist. XXXVII [*Al.* 34]. — [a] Ed. recent., *vel quanta adhuc*.

ostenderet. Gloriosum autem conjugem vestrum quousque vivimus a nobis dimittere nolumus, et ideo eum ad vos reverti nullatenus confidatis. Et quidem ipse ad vos venire desiderat, sed postquam in civitate Romana est, non potest, non ei licet, quia amoris nostri omnino tenetur vinculis alligatus. Melius est ergo ut vos ad eum venire modis omnibus festinetis, quia caput suum potius membra et sequi debent, et [b] quocunque fuerit comitari.

## EPISTOLA XXXVIII.

### AD DONUM EPISCOPUM.

*Faustino quindecim argenti libras, aut ex Ecclesiæ pecunia, aut e sacratis vasis, in filiarum redemptionem tribuat.*

Gregorius [a] Dono episcopo Messanensi.

Et sacrorum canonum (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 14), et legalia statuta permittunt ministeria Ecclesiæ pro captivorum esse redemptione vendenda. Et ideo quoniam Faustinus lator præsentium, ut filias suas de jugo potuisset captivitatis exuere, trecentorum triginta solidorum probatur debitum contraxisse, ex quibus triginta redditis, ad reliquæ quantitatis restitutionem eum certum est non posse sufficere, fraternitatem tuam his hortamur affatibus ut de argento Meriensis Ecclesiæ, [b] cujus miles esse dignoscitur, quod apud vos est, quindecim ei libras accepto ab eo [c] desuscepto dare modis omnibus debeatis, ut eo venundato, et restituto debito, **887** necessitate valeat obligationis absolvi. Sed et illud fraternitas vestra debet esse sollicita, ut siquidem de prædicta Ecclesia [d] usuale argentum est, suprascriptam quantitatem accipiat; alioquin de sacratis vos vasis hac in re eam quam prædiximus quantitatem præbere necesse est. Nam (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 16) sicut omnino grave est frustra ecclesiastica ministeria venundare, sic iterum culpa est, imminenti hujusmodi necessitate, res maxime desolatæ Ecclesiæ captivis suis præponere, et in eorum redemptione cessare.

## EPISTOLA XXXIX.

### AD JOANNEM EPISCOPUM.

*Exortam inter abbates duos de agrorum finibus contentionem, ipso præsente, agrimensore adhibito finiendam.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Ne religiosorum virorum corda sæcularium rerum [a] intentio a mutua, quod absit, charitate disjungat, magna est sollicitudine studendum, ut facillimum finem res possit in altercationem deducta percipere. Quia, ergo, indicante Cæsario, abbate monasterii sancti Petri, quod in loco est qui Baïas dicitur constitutum, comperimus inter eum et Joannem abbatem monasterii sanctæ Luciæ, in Syracusana civitate constituti, gravem esse exortam de quibusdam finibus quæstionem, ne ipsa inter eos valeat contentio prolongari, certamina eorum [b] agrimensoris definitione prospeximus finienda. Et ideo scripsimus Fantino defensori, ut Joannem agrimensorem, qui de Romana urbe Panormum profectus est, illuc ad fraternitatem vestram debeat destinare. Hortamur ergo ut cum eo ad loca de quibus est contentio debeatis accedere, et utraque parte cominus constituta, loca quæ in lite sunt vestra faciatis præsentia terminari, [c] quadraginta tamen annorum utrique parti præscriptione servata. Quæcunque vero definita fuerint, ita servari fraternitas vestra sollicite studioseque provideat, ut denuo nec jurgium exinde aliquod excitari, nec querela aliqua ad nos valeat pervenire.

Cæsarius abbas venerabilis, quia noster olim fuerit, fraternitatem vestram credimus non latere, et ideo eum vobis salva æquitate in omnibus commendamus. Et quia in sæcularibus causis omnino inexpertus est, vestra eum sollicitudine necesse est adjuvari; sic tamen, ut in cunctis, sicut decet, rationem et justitiam conservetis.

## EPISTOLA XL.

### AD EULOGIUM EPISCOPUM.

*Sancti Petri sedem Romæ, Alexandriæ, et Antiochiæ, unius esse atque unam; inde singularem episcoporum ibi sedentium unionem. Laudat quod hæreticos oppugnet. Ligna offert. Mittit vicissim munera.*

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino.

Suavissima mihi sanctitas vestra multa in epistolis suis de sancti Petri apostolorum principis **888** cathedra locuta est, dicens quod ipse in ea nunc usque in suis successoribus sedeat. Et quidem ego indignum me esse non solum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium agnosco. Sed cuncta quæ dicta sunt in eo libenter accepi, quod ille sario; maxime vero sequentis libri epist. tertiam, in qua fit mentio *cujusdam Ecclesiæ in possessione* Faustini *positæ diœceseos Consentinæ*. Hæc, ut videtur, ipsa erat Ecclesia Meriensis, quam etsi non in Sicilia, sed in Brutiis fuisse inde appareat, male intulit Pirrus non ad Messanensem diœcesim, sed ad Misenatem pertinere. Neutrius erat; sed Miseno quam Messana distabat longius. Immerito tamen arguit Pirrhum Gussanvillæus, quod ad nonnullas sancti Gregorii epistolas non attendit. Eas enim sibi objicit Pirrhus, pag. 289.

[b] Excusi, *quocunque iverit*.

Epist. XXXVIII [*Al.* 35]. — [a] Non fuisse Donum hunc episcopum Messanensem, sed Misenatem aut Mesenatem, contendit Rochus Pirrus in notitia Siciliæ, et successisse Benenato, de quo epist. 31 lib. II, indict. 10, et lib. XI, epist. 32 et 33. Id autem probat multis rationibus, et maxime ex eo quod in hac epistola sit mentio Ecclesiæ Meriensis, quæ non est in Sicilia. Non advertit tamen Rochus Pirrus epistolam 22 lib. XI, quæ scripta est ad episcopos Siciliæ, in quorum numero est Donus ille, nec Donum potuisse succedere Benenato, de quo longe post fit mentio bis, scilicet epistolis 32 et 33, l. XI. Sed et omnes tam mss. quam editi Codices in quatuor epistolis legunt *Messanensi*, aut *Messano*, quod idem est. Gussanv.

[b] Apud Gregorium passim Ecclesiæ miles clericum denotat; hic forte dominum. Vide Cangium, in Glos-

[c] Supra epist. 40 lib. IV, nunc 34 lib. IV.

[d] Quod nos Galli dicimus, *argent monnayé*. Gussanv.

Epist. XXXIX [*Al.* 36]. — [a] Recentiores Ed., neglectis Mss. et vet. Excusis, *contentio*.

[b] In Vatic. D, Pratell., Audoeno, et nonnullis, *agrimessoris*, hic et deinceps, sed corrupte. Obser-

mihi de Petri cathedra locutus est [a] qui Petri cathedram tenet. Et cum me specialis honor nullo modo delectet, valde tamen lætatus sum quia vos, sanctissimi, quod mihi impendistis, vobismetipsis dedistis. Quis enim nesciat sanctam Ecclesiam in apostolorum principis soliditate firmatam, qui firmitatem mentis traxit in nomine, ut Petrus a petra vocaretur? cui Veritatis voce dicitur : *Tibi dabo claves regni cœlorum* (*Matth.* XVI, 19). Cui rursus dicitur : *Et tu aliquando conversus, confirma fratres tuos* (*Luc.* XXII, 32). Iterumque : *Simon Joannis, amas me ? Pasce oves meas* (*Joan.* XXI, 17). Itaque cum multi sint apostoli, pro ipso tamen principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, quæ in tribus locis unius est. Ipse enim sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et præsentem vitam finire dignatus est. Ipse decoravit sedem, in qua evangelistam discipulum misit. Ipse firmavit sedem. in qua septem annis, quamvis discessurus, sedit. Cum ergo unius atque una sit sedes, cui ex auctoritate divina tres nunc episcopi præsident, quidquid ego de vobis boni audio, hoc mihi imputo. Si quid de me boni creditis, hoc vestris meritis imputate, quia in illo unum sumus, qui ait : *Ut omnes unum sint, sicut et tu, Pater, in me, et ego in te, ut et ipsi in nobis unum sint* (*Joan.* XVII, 21). Debitum autem salutationis alloquium persolvens, indico qua magno gaudio exsulto, quod vos contra hæreticorum latratus assidue laborare cognovi; atque omnipotentem Dominum deprecor ut beatitudinem vestram sua protectione adjuvet, quatenus per linguam vestram de sinu sanctæ Ecclesiæ omnem radicem amaritudinis evellat, ne rursum germinans impediat multos, et per illam coinquinentur multi. Accepto etenim talento cogitatis quod præceptum est : *Negotiamini dum venio* (*Luc.* XIX, 13). Ego itaque etsi negotiari nihil valeo, lucris tamen negotii vestri congaudeo, hoc videlicet sciens, quia et si me participem operatio non facit, laboris vestri me participem charitas facit. Quia, sicut æstimo, bonum proximi etiam otioso commune fit, qui de alterius actibus gaudere communiter scit.

Præterea ligna transmittere volui ; sed beatitudo vestra si essent necessaria non indicavit, et majora multo mittere possumus, sed nequaquam talis navis huc mittitur quæ hæc capere valeat. Minora autem mittere verecundum puto. Quid tamen facere debeam, beatitudo vestra suis mihi epistolis innotescat.

Parvulam vero benedictionem de amatoris vestri sancti Petri Ecclesia sex minora [b] Aquitanica pallia, et duo oraria transmisi, quia enim multum diligo, etiam de parvis præsumo. Habet enim ipsa dilectio auctoritatem suam, et omnino certa est quia injuria non erit in omne quod amando præsumpserit.

Suscepi autem benedictionem sancti Evangelistæ Marci, **889** [c] juxta brevem vestris epistolis insertum. Sed quia [d] colatum ac viritheum non libenter bibo, præsumens cognidium requiro, quod in hac urbe post multa tempora vestra innotescere transacto anno sanctitas fecit. Nam nos hic a negotiatoribus nomen cognidii, et non substantiam comparamus. Peto autem ut contra omnes amaritudines quas in hac vita patior vestræ me sanctitatis oratio fulciat, atque ab his apud omnipotentem Dominum suis intercessionibus defendat.

vat Alteserra ad hanc epist. quæstionem de finibus dirimi per agrimensorem, nec desiderare cognitionem præsidis, quod adductis multis legibus probat.

[c] De ea supra, lib. I, epist. 9. GUSSANV.

EPIST. XL [*Al.* 37]. — [a] Nempe quia Ecclesia Alexandrina per beatum Marcum sancti Petri discipulum est fundata. GUSSANV. In Rhem. et Vatic. D sic legitur hæc periodus : *Indignum me esse non solum agnosco, sed et cuncta quæ dicta sunt in eo libenter accepi, quod ille mihi de Petri cathedra locutus in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium est qui Petri cathedram sedet*; Vatic., *tenet.*

[b] Bigerrigas forte vestes a Bigerrionibus Aquitaniæ populis sic dictas intelligit. At illæ vestes vilissimæ erant, ut ex Sulpicii Severi dialogo 2, *De virtutibus beati Martini*, c. 1, liquet, ac pauperibus magis conveniebant quam Alexandrino patriarchæ; nam clericus seu archidiaconus cui pauperem vestire præceperat Martinus, *a proximis tabernis bigerrigam vestem..... quinque comparatam argenteis rapuit, atque ante Martini pedes iratus exposuit.* Verum forsitan pauperibus vestiendis destinabantur pallia hæc ad Eulogium missa. In Vatic. A legitur *Equitanica.* Inter Aquitanos, Santones etiam sunt, apud quos quædam vestes bardocuculli dictæ olim notissimæ. Hinc Martialis, lib. IV, epigram. 128 :

Gallia Santonico vestit te bardocucullo

[c] Editi, *juxta breve*, invitis Mss. Nostram lectionem firmat Gregorius Turon., de vita Pat., c. 9 : *Tunc pro auspicio quoddam brevibus conscriptis posuit supra altare.* Et infra, *brevem illum accipere iubet.* Schedulam hic significat.

[d] Multa exemplaria legunt *collatum*, melius tamen *colatum*, quod succum interpretantur per colum seu colatorium expressum, eliquatum et elutriatum, ut loquuntur medici; de quo videndus Raderus, in Martialem. Juritheum forte julus voce Arabica significante syropum, seu Syrum opum, id est Syrium succum, cum additamento Græco θεῖον, id est divinum, sive juris divini pretiosi vasculum. Cognidium, quasi conditicium vinum vel aromatites. Herbelotius doctissimus et linguarum Orientalium peritissimus conjectabat piperatum ex jacuth et lara in Onomastico vocum obscuriorum. Hanc interpretationem viro doctissimo acceptam refero. Qui plura volet, legat varias lectiones Hieronymi, Mercurialis, lib. VI, c. 29, Editionis Venet. an. 1644, ubi de his tribus potionum generibus fuse, curiose et ex professo tractat, sumpta occasione ex hac sancti Gregorii epistola. GUSSANV. Legendum esse *viritheum* probant tres Vatic., quatuor Norm., Rhem. et tres Colb. In duobus tamen Norm., scilicet Aud. et Lyr., necnon in Regio, legitur *juritheum*. In antiquiori Colbertino vero *viritheum*, vel *vitreum*. Quid per *colatum*, vel *collatum*, vel *collactum* (sic enim varie scribitur) *viritheum*, et *cognidium*, intelligere debeamus, facile assequi non possumus. Potionis apud Ægyptios aut Alexandrinos exquisitæ genus fuisse, docet ex Papia Cangius. Vina fortasse erant quæ ex variis locis ubi abundabant, nomina diversa sortiebantur, ut apud Italos olim *Falernum*, *Calenum*, etc., a poetis celebrata; et apud nos longe plura quæ in poetarum nostrorum cantilenis laudantur. Apud Epiphanium κόλλαθον est quædam liquidorum mensura Syris cognita,

## EPISTOLA XLI.

AD CYPRIANUM RECTOREM.

*Ecclesiæ Locrensi idoneum episcopum ordinari procuret.*

Gregorius [a] Cypriano rectori nostro per Siciliam.

Habitatores [b] Locrensis civitatis quemdam ad nos presbyterum adduxerunt, qui eis debuisset episcopus ordinari. Sed quia minime dignus inventus est, ne diu sine proprio possint consistere sacerdote, a nobis admoniti [c] in scrinio promiserunt alium studiose se quærere, et ad nos consecrandum Deo adjutore perducere. Et ideo ad dilectionem tuam latore præsentium veniente, Marcianum presbyterum diœceseos Taurianensis Ecclesiæ, qui nunc habitat in Ecclesia quæ est [d] in Massalargia constituta, diœcesis Catanensis Ecclesiæ, ad te facito modis omnibus evocari; atque eum studii tui sit de criminibus, quæ ad episcopatum accedere non permittunt cum omni subtilitate requirere. Et si eorum se expertem esse responderit, cum præsentium portitore eum festina dirigere, ut facto in eum decreto, ad nos veniat Deo protegente ordinandus. Si vero est aliquid quod ei possit obsistere, hunc qui ad dilectionem tuam venit, cum omni cura et celeritate dimitte, ut, eo ad loca sua remeante, alter secundum ea quæ præmissa sunt requiratur. [e] Datum mense Augusti, indictione 15.

## EPISTOLA XLII.

AD MARINIANUM EPISCOPUM.

*Cum neque lapsum episcopum loco suo restitui, neque ultra tres menses Ecclesiam vacare permittant canones, Cornelii ordinet episcopum.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Fraternitatis vestræ epistola nuntiante, comperimus [a] Corneliensis Ecclesiæ filios assidua **890** supplicatione [b] in loco lapsi quondam episcopi sui consecrandum sibi a vobis poscere sacerdotem, atque vos quid de ea re fieri debeat dubitare, et nostrum evidens exspectare mandatum. Postquam ergo (*Grat. dist.* 50, *c.* 11) quemquam criminaliter abscedentem in locum de quo lapsus est nulla permittit ratio revocari, et ultra tres menses Ecclesiam vacare pontifice statuta sacrorum canonum non permittunt, ne, cadente pastore, dominicum gregem antiquus, quod absit, hostis insidiando dilaniet, fraternitas vestra deprecationi eorum consentire, et loco lapsi debet episcopum ordinare. Nam dum non petentes eos etiam ante vestris ad hoc debueratis adhortationibus admonere, postulantes nulla vos oportet excusatione differre, quia Ecclesia Dei diu viduata proprio episcopo remanere non debet.

Epist. XLI [*Al.* 38]. — [a] In Vatic. B, *Cyriaco notario nostro per Siciliam.* In Rhem., *Cypriano.* In Reg., *diac. regente per Siciliam.*

[b] Locri a Zephyrio promontorio Epizephyrii dicti, urbs olim ampla et episcopalis Brutiorum, in magna Græcia ad mare Ionium. Ex ipsius ruinis crevit Hieracium, urbs episcopalis Calabriæ ulterioris, vulgo *Girace*, in Regno Neapolit. Gussanv. In Vatic. A, B, D, *Lutrensis civitatis.*

[c] Vatic. A, *in secreto.*

[d] Vatic. A et D, *in Massa Largia.* Vatic. B, *in Massalaria.*

[e] Ita cum Vatic. Turon. S. Gat. et Colb. vet.

## EPISTOLA XLIII.

AD MARINIANUM EPISCOPUM.

*De submovendo clericorum dominio in monasteriis.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Dudum (*Grat.* 18, *q.* 2, *c.* 27) ad nos multorum relatione pervenerat monasteria in Ravennatibus partibus constituta omnino clericorum vestrorum dominio prægravari; ita ut occasione quasi regiminis ea, quod dici grave est, velut in proprietate possideant. Quibus non modicum condolentes, decessori vestro epistolas misimus, ut hoc emendare per omnia debuisset. Sed quoniam vitæ est termino citius occupatus, ne hoc onus monasteriis remaneret, fraternitati vestræ hæc eadem nos scripsisse recolimus. Et quia, ut comperimus, in hujus rei hactenus correctione cessatum est, hæc ad vos iterum prævidimus scripta dirigere. Hortamur ergo ut omni mora, omnique excusatione submota, ita monasteria ipsa ab hujusmodi studeatis gravamine relevare; quatenus nullam deinceps in eis clerici, vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, ob aliud habeant, nisi orandi tantummodo causa, accedendi licentiam, aut si forte ad peragenda sacra missarum fuerint invitati mysteria. Sed ne vel per cujuslibet monachi (*Grat.* 16, *q.* 1, *c.* 37) aut abbatis promotionem aliquod onus monasteria fortasse sustineant, studendum vobis est ut si quispiam abbatum aut monachorum ex quocunque monasterio ad clericatus officium vel ordinem sacrum accesserit, non illic aliquam habeat ulterius, ut diximus, potestatem, ne monasteria hujus occasionis velamine, quæ prohibemus, sustinere onera compellantur. Hæc itaque omnia **891** vigilanti cura emendare jam secundo commonita sanctitas vestra non differat; ne si post hæc negligentes vos esse, quod non credimus, senserimus, aliter monasteriorum quieti prospicere compellamur. Nam vobis notum sit quia tantæ necessitati servorum Dei congregationem amplius subjacere non patimur. Ne vero aliqua vobis excusatio de monachis oriatur, personam huc quam præviderit utilem ex opere fraternitas vestra transmittat, et ei nos qui cum eo ad vos venire possint monachos deputabimus; quos ut prospexeritis, debeatis in monasteriis ordinare, si tamen talia loca sunt ut sit unde ibi subsistere valeant.

## EPISTOLA XLIV.

AD CYPRIANUM DIACONUM.

*Curet ne Theodorus maleficus, aut Messanensium clericorum aliquis Paulæ adversetur.*

Gregorius Cypriano diacono.

Questa nobis est Paula præsentium latrix, quem-

Epist. XLII [*Al.* 39]. — [a] Cornelium seu forum Cornelii, vulgo *Imola*, urbs Italiæ, olim Senonum in Æmilia, nunc Romandiola dicta, ad fluvium Vatrenum, vulgo *Santerno*, inter Bononiam et Ravennam; subest dominio summi pontificis, adhuc episcopalis sub archiep. Ravennate. Gussanv.

[b] De lapsis supra, lib. iv, epist. 26; lib. v, epist. 3, 4.

Epist. XLIII. [*Al.* 40].

dam Theodorum [a] ex Judæo sibi nimis frustra inimicum existere; in tantum, ut, quod dici nefas est, [b] iniquitate maleficiorum eam lædere moliatur, atque ab hominibus Ecclesiæ Messanensis eumdem Theodorum contra hoc facinus [c] fortius vindicari. Dilectio igitur tua studeat ut nullus ecclesiasticorum prædictæ mulieri in hac causa tentet adversus existere. Sed ad investigandum hoc ipse, ut potueris, esto sollicitus. Et si **892** suprascriptus Theodorus tantæ iniquitati obnoxius esse patuerit, [d] ita hoc districta ultione per hos quorum interest facias vindicari, ut et Deus placari possit, et aliis exemplum coercitionis sit.

## EPISTOLA XLV.

AD CLAUDIUM ABBATEM.

*Romam quantocius veniat.*

Gregorius Claudio abbati.

Veniente [a] viro reverendissimo Severo episcopo, tuam quoque dilectionem credidi ad beati Petri apostolorum principis limina pariter venire, quia et ita mihi fuerat nuntiatum, et valde ex eodem nuntio lætabar. Sed credo te [b] occupationibus monasterii præpeditum, et idcirco ad me minime venisse. Epistolas vero quas dilectio tua ante hoc tempus transmiserat accipiens, sicut voluisti, secreto relegi. Sed de tribus personis de quibus scripseras, nihil vidi esse possibile; de ea maxime persona, quæ hic apud me fuit non suspicor posse aliquid tale utiliter fieri, quæ aut naturæ simplicitate, aut negligentia torpere mihi visa est. Et ideo dilectio tua si quid valet illic requirat, et sollicite disponat, atque ad me veniat. Si vero venire non valet, vel post aliquantum temporis venire debet, ut usque ad quinque vel sex menses, si vita comes fuerit, mecum faciat, et postea ad propria revertatur. Omnipotens Dei gratia ab omni te adversitate custodiat.

EPIST. XLIV [*Al.* 41]. — [a] Beccensis Codex, *ex judæum*.

[b] Vatic. B et Norm., *maleficorum*.

[c] Ita Mss. et vet. Ed. At recent., *fortius instigari*.

[d] Vatic. D ac Norm., *in hoc..... faciat* (sc. dilectio tua) *vindicari*.

EPIST. XLV [*Al.* 41, ind. 4]. — [a] Vatic. A, *viro clarissimo*. Abest a cæteris Vatic., a Norm., Anglic. et plerisque Mss. hæc epistola.

[b] Idem Cod. Vatic., *operationibus*.

# LIBER OCTAVUS.

**Indictione prima, mense Septembri.**

## EPISTOLA PRIMA.

AD PETRUM EPISCOPUM.

*Hortatur ut ab idolorum cultu incolas pergat avertere. Pro baptizandorum vestimentis mittit solidos quinquaginta.*

Gregorius [a] Petro episcopo Corsicæ.

**893** Susceptis epistolis fraternitatis vestræ, magnas omnipotenti Deo gratias retulimus, quia de congregatione multarum animarum nos dignatus es relevare. Et ideo fraternitas vestra sollicite studeat opus quod cœpit, auxiliante Domino, ad perfectionem deducere. Et sive [b] eos qui aliquando fideles fuerunt, sed ad cultum idolorum negligentia aut necessitate faciente reversi sunt, festinet cum indicta pœnitentia aliquantorum dierum ad fidem reducere, ut reatum suum plangere debeant, et tanto firmius teneant hoc ad quod, Deo adjuvante, revertuntur, quanto illud perfecte defleverint unde discedunt; sive eos qui necdum baptizati sunt admonendo, rogando, de venturo judicio terrendo, rationem quoque reddendo, quia ligua et lapides colere non debent, festinet fraternitas tua omnipotenti Domino congregare; ut in adventu ejus, cum districtus dies judicii venerit, in numero sanctorum possit tua sanctitas inveniri. Quod enim opus utilius et sublimius acturus es, quam ut de animarum vivificatione et collectione cogites, et tuo Domino, qui tibi locum prædicandi dedit, immortale lucrum reportes?

Transmisimus autem fraternitati tuæ quinquaginta solidos [c] ad vestimenta eorum qui baptizandi sunt comparanda; presbytero quoque Ecclesiæ quæ in Negeugno monte sita est possessionem quam tua fraternitas petiit, dari fecimus, ita ut quantum præstat, tantum de solidis quos **894** accipere consueverat minus accipiat.

Vestra autem fraternitas petiit [d] ut sibi episcopum

LIBER VIII. *Al.* LIBER VII. Indict. I.

EPIST. I [*Al.* 2]. — [a] In quibusdam Mss. et in antiquis Editionibus titulus iste sic habet: *Chrysantho episcopo Spoletano*. GUSSANV. Petrus hic erat episcopus Aleriæ in Corsica, ex epist. 22, lib. VI, ubi ejusdem montis *Negeugni* fit mentio. In Vatic. F inscribitur mendose *Anastasio episcopo Antiochiæ*. Deinceps epistolæ Gregorii collatæ sunt ad sex Vatic. Mss. A, B, C, D, E, F.

[b] His indicit sanctus Greg. aliquantorum dierum pœnitentiam, sanctus Leo, epist. 92, in resp. 19 ad Rusticum Narb., est paulo austerior, pœnitentiam publicam imponens. Aurel. II, can. 20, eos arcet ab Ecclesiæ cœtibus. Rhemense 630, can. 14, statuit ut sese idololatris immiscentes pœnitentiæ dignum tempus exsolvant. Si placent veteres, lege sanctum Cyprianum, de Lapsis, passim. GUSSANV. Quid vetat dicere indictam a sancto Gregorio pœnitentiam publicam fuisse? Quod probat temere Gussanvillæum asseruisse sanctum Doctorem a sancti Leonis severitate deflexisse.

[c] Baptizandos suis vestibus omni ex parte olim nudatos, ac post emersionem atque unctionem candida veste quæ totum corpus tegeret indui solitos, notius est quam ut probatione egeat. Vestem hanc pro egenis baptizandis Ecclesiæ sumptibus comparari jubet sanctissimus pontifex infra, epist. 23, cum illam sibi cæteri propriis sumptibus emerent. Vide Gregorium Nazianz., orat. 39, in sancta lumina, Ambrosium, lib. de iis qui mysteriis initiantur, c. 7. Consule quoque notam 327 ad Lib. Sacramentorum.

[d] Omnes quos videre licuit Codices ita legunt; le-

in Ecclesia quæ non longe ab eodem monte est facere debeat; quod omnino libenter accepi, quia quantum vicina fuerit, tantum prodesse animabus illic consistentibus amplius poterit.

Laterem vero præsentium (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 121) pro intercessione sanctitatis vestræ acolythum fecimus; quem ad obsequia vestra retransmisimus, ut si in lucrandis animabus amplius servierit, proficere amplius possit. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *n.* 49.)

## EPISTOLA II.

### AD ANASTASIUM EPISCOPUM ANTIOCHENUM.

*Ipsi adversus hæreses animos addit. Laudato mutuæ charitatis vinculo, et commemoratis amici muneribus, diuturnam illi precatur vitam.*

Gregorius Anastasio patriarchæ Antiocheno.

Suscepi epistolas suavissimæ beatitudinis vestræ, quæ pro verbis lacrymas [a] fluebant. Vidi namque in eis nubem more suo in altum volantem, sed quamdam caliginem tristitiæ ferentem, nec penetrare in ipso exordio facile valui unde et quo iret, quia, pro ipsa quam dixi caligine, ad plenum causas non intellexi. Hoc tamen sanctissimos vos semper, sicut et facitis, reducere ad mentem decet quod prædicator gentium dicit : *In novissimis temporibus instabunt tempora periculosa, et erunt homines seipsos amantes, cupidi, elati* (*I Tim.* IV, 1), et cætera, quæ mihi labor est dicere, et vobis non est necessarium audire. Ecce in sancta senectute beatitudo vestra multis tribulationibus laborat, sed perpendat cujus [b] sedem sedeat. Nunquid non illius cui voce Veritatis dictum est : *Cum senueris,* **895** *alius te cinget, et ducet quo tu non vis* (*Joan.* XXI, 18)? Sed hæc dicens recolo quod sanctitas vestra in multis adversitatibus etiam a juventute desudavit. Cum bono ergo rege dicat : *Recogitabo omnes annos meos in amaritudine animæ meæ* (*Isa.* XXXVIII, 15). Sunt autem multi qui delectationem suam, sicut scribitis, de nostris sibi vulneribus faciunt; sed scimus qui dixit : *Plorabitis, et flebitis vos; mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini* (*Joan.* XVI, 20). Ubi et protinus adjunxit : *Sed tristitia vestra vertetur in gaudium.* Quia vero jam prædicta patimur, restat ut etiam promissa sperare debeamus. Ili enim de quibus dicitis quia ipsi addunt onera qui sublevare debuerunt, scio quia illi sunt qui veniunt in vestitu ovium, et intus sunt lupi rapaces (*Matth.* VII). Sed tanto magis tolerandi sunt, gendum tamen conjicio *episcopium*, et textus favet; nam eo plus proderit Petrus, quo populis istis erit vicinior commoratione. Observa vix licuisse episcopo hospitium mutare, relicto quod ad matricem Ecclesiam esse solebat Episcopio, quod hodiernis moribus episcopi vocant palatium. De hac sedis mutatione sanctus Gregorius, lib. V, nunc lib. VI, epist. 23, Anthemio. Carthag. III, can. 5, *Placuit*, etc.; Carthag. IV, c. 14; Meldense, c. 25, 26, 28, 36. GUSSANV. Ejus conjecturam de legendo potius *episcopium* quam *episcopum*, juvant Mss. plerique, ubi legitur *episcopium*; quæ litteræ possunt æque significare *episcopium* ac *episcopum*.

EPIST II [*Al.* 3]. — [a] Excusi, *pluebant*.

[b] Ll Editoribus displicuit, et invitis Mss. maluerunt *sedem teneat*. Vide notam *i*, lib. I Moral., num. 23, ex qua disces hunc loquendi modum Gregorio et aliis Patribus non insolitum. Revolve quoque, lib. I, dialog., c. 4.

A quanto nos non solum per malitiosam mentem, sed etiam per religiosum habitum persequuntur. In hoc autem quod soli præ aliis habere appetunt quod dignum non fuerat ut vel cum fratribus haberent, nullo modo turbamur, quia in omnipotenti Deo confidimus quod hi qui aliena appetunt etiam suis citius privantur. Scimus enim qui dixit : *Quia omnis qui se exaltat humiliabitur* (*Luc.* XIV, 11). Et rursum scriptum est : *Ante ruinam exaltatur cor* (*Prov.* XVI, 18).

His autem diebus, sicut invenio, nova hæreticorum bella consurgunt, de quibus vestræ beatitudini jam antea scripsi, ita ut prophetas, Evangelia, et dicta Patrum omnia evacuare moliantur. Sed permanente vita vestræ sanctitatis, in protectoris nostri B gratia speramus quod eorum ora citius obmutescant, quæ contra soliditatem veritatis aperta sunt, quia et quamlibet acuti gladii immittantur, cum saxum feriunt, fracti resiliunt. Hoc autem magna Dei omnipotentis est gratia, quod in ipsis qui a sanctæ Ecclesiæ doctrina divisi sunt [c] unitas non est quoniam omne regnum in se divisum non stabit (*Luc.* XI). Et sancta Ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum quæstionibus impugnatur; ita ut aperte impleatur quod per Psalmistam contra hæreticos de Deo dictum est : *Divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius* (*Psal.* LIV, 22). Nam dum ipsi in suo pravo errore dividuntur, cor nobis Deus appropiat, quia eruditi adversitatibus, intellectum ejus subtilius invenimus.

C Quæ autem mala a barbarorum gladiis, quæ a perversitate judicum patimur, beatitudini vestræ narrare refugio, ne ejus gemitum augeam, quem minuere consolando debueram. Sed in his omnibus auctoris nostri me præcepta consolantur, dicentis : *Hæc locutus sum vobis, ut in me pacem habeatis. In mundo pressuram habebitis* (*Joan.* XVI, 33). Pensо enim quibus dictum est : *Hæc est hora vestra, et potestas tenebrarum* (*Luc.* XXII, 53). Si ergo potestas lucis postea erit, quia electis dictum est : *Vos estis lux mundi* (*Matth.* V, 14); et sicut scriptum est : [d] *Obtinebunt eos justi in matutino* (*Psal.* XLVIII, 15); omne quod in hora et potestate tenebrarum patimur lugendum non est.

**896** Indicat autem mihi suavissima sanctitas vestra quod mecum, si potuisset fieri, sine charta et

D

[c] Scilicet una fides, una charitas. Extra Ecclesiam autem, nec fides est vera, nec charitas. Sic facile in alias scissuras abeunt. GUSSANV.

[d] Psalterium Romanum legit, *obtinebunt*. Versio Vulgata : *Et dominabuntur eorum justi in matutino*. Psalterium vetus : *Et dominabuntur eis recti mane*. Ita etiam LXX Interpretes, et vers. Syriaca, Arabica, Æthiopica. Hebraica : *Et subjicient eos justi in matutino*. Hieronymus pro *justi*, habet *recti*. Sic autem locum hunc interpretatur Estius : *Et dominabuntur*, etc., *quasi dicat : Mature et brevi futurum est, ut justi eorum dominentur. Est enim phrasis Hebraica, mane seu in matutino, pro eo quod est mature ac propere*. GUSSANV. Hæc observat vir doctus, ut priorem lectionem *obtinebant* emendet, certe Mss. pene omnibus contrariam.

calamo loqui voluisset, et dolet quod nobis Orientis pene et Occidentis spatium interjacet. Sed hoc quod sentio, verum dico, et in charta mihi mens vestra sine charta loquitur, quia in verbo vestræ sanctitatis sola charitas sonat, et divisi locis non sumus, qui ex dono omnipotentis Domini dilectionis vinculo conjuncti sumus. Cur igitur accipere pennas columbæ deargentatæ quæritis (*Psal.* LXVII, 14), quas jam habetis? Pennæ quippe ejus sunt charitas Dei et proximi. Per ipsas enim sancta Ecclesia evolat, per ipsas terrena omnia transcendit; quas si vestra sanctitas non haberet, ad me cum tanta charitate per epistolas non venisset.

Rogo autem ut pro mei cordis infirmitate enixius oretis, quatenus omnipotens Deus mentem meam a malis omnibus pro vestra intercessione tueatur, et citius me de tot procellis hujus tempestatis eripiat, atque in æternæ quietis littora perducat.

Benedictiones vero locupletissimas omnes quæ directæ sunt suscepi, quæ mihi vir Dei pauper spiritu transmisistis, de quibus dicitis : [e] Quid enim det pauper nisi ea quæ paupera sunt? Sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestræ locupletes non fuissent. Omnipotens Deus sua vos a malis omnibus protectione custodiat; et quoniam vita vestra bonis omnibus valde est necessaria, post longa adhuc tempora vos ad cœlestis patriæ gaudia perducat [f]. (*Cf. Joan. Diac., l.* III, *n.* 49; *l.* IV, *n.* 67.)

## EPISTOLA III.

AD DONUM EPISCOPUM MESSANENSEM.

*Nusquam vendendum humandi corporis locum. Restituenda quædam mancipia.*

Gregorius Dono episcopo Messanæ.

Filius noster Faustinus, vir eloquentissimus, ad nos veniens questus nobis est, quod pater ejus quondam Peltrasius aliqua vestræ Ecclesiæ sepulturæ suæ gratia juris alieni reliquerit. Et quidem quid de hac re sæculi leges habeant [a] et ipse novit, et nos audivimus, quia hæres ad solvendum cogitur, si auctor ejus [b] aliena legaverit. (*Vide Leg.* CUM ALIENAM, *de Legatis.*) Sed quia fraternitatem vestram lege Dei, non autem lege sæculi novimus vivere, valde mihi injustum videtur ut calix electrinus, et puer qui cujusdam Ecclesiæ in possessione ejus positæ diœceseos Consentinæ Ecclesiæ esse perhibetur, a tua fraternitate teneatur. Cum enim et vir reverendissimus Palumbus, nunc episcopus, tunc vero archidiaconus, ita fuisse testatus est, vos omnino ejus fidei credere, et aliena restituere debuistis. [c] Fibulam vero auream, quam prædictus vir moriens pariter reliquit, considerare, ut arbitror, debuistis, quæ esset summa ejus substantiæ, si quid esset unde hi quos reliquerat sustentari **897** debuissent, et tunc pro sepultura ejus accipere. [d] Quamvis nostrum institutum noveris, nos antiquam consuetudinem nostram a nostra Ecclesia omnino vetuisse, nec cuiquam assensum præbere [e] ut loca humandi corporis pretio possint adipisci. Nam si gentiles, ut arbitramur, viri Sichimitæ Abrahæ pro Sara mortua atque in loco proprio humanda sepulturam gratis obtulerunt, et vix magna ejus importunitate coacti sunt ut pretium de loco sepulturæ perciperent (*Genes.* XXIII, 6), nos qui episcopi dicimur de humandis fidelium corporibus pensa facere quid debemus. Hoc ergo fraternitatis vestræ judicio committimus.

Et hoc quoque nobis prædictus eloquentissimus vir questus est Sisinnium defensorem Ecclesiæ tuæ irrationabiliter juri suo mancipia competentia detinere. De quibus etiam judicio sanctæ memoriæ Maximiani episcopi ut ea [f] detentor redderet esse asserit definitum, sed eorum restitutionem hactenus voluntarie distulisse. Hortamur ergo fraternitatem tuam ut si manifeste causa jam judicata est, quæ statuta sunt compleantur; alioquin, [g] deputato exsecutore ad fratris et coepiscopi nostri Secundini partes facere judicium convenire, ut dum cujus sint juris mancipia de quibus quæstio vertitur ejus fuerit sententia declaratum, nec hic præjudicium, nec ille videatur [h] invidiam sustinere.

## [a] EPISTOLA IV.

AD VENANTIUM EPISCOPUM.

*Ut monasterium consecret concedit.*

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

Fraternitatis vestræ insinuatione didicimus, quæ habetur in subditis, intra civitatem Lunensem in domo te propria monasterium ancillarum Dei pro vestra devotione fundasse, quod in honore beati Petri apostolorum principis, et sanctorum martyrum Joannis et Pauli, atque Hermæ et Sebastiani, deside-

[e] Ita quinque Vatic., Norm. omnes, Colb., etc., quibus consentit vet. Ed. Recentiores habent *quid enim debet.*

[f] In duobus Teller. additur *mense Novemb., indict.* 1.

EPIST. III [*Al.* 4]. — [a] Ita Vatic., Norm., etc., dissentientibus Excusis, ubi legitur, *et ipsi nostis.*

[b] In recent., *vel testator aliena legaverit.*

[c] Male plerisque in Excusis, *tabulam.* Erat fibula aurea magni pretii, munus quod imperatores largiebantur, ut observat Gussanvillæus.

[d] Ita restituimus ex Vatic., Norm., Anglic., Rhem., Corb., Colb. Consentiunt vet. Edit. in quibus tamen legitur *illicitam antiquam consuetudinem;* quod etiam exhibet Vatic. D. In recent. legimus : *quamvis cum secundum nostrum institutum noveris nos illicitam.*

[e] Infra idem prohibetur epistola 56, nunc 3, indict. 2, Januario Caralitano, et refertur causa 13, canone 12, ubi vide tres sequentes canones, et extra. *de sepulturis, c. Abolendæ*, ex Innocentio III, *de simonia*, c. 2. Plura videsis apud Thomassinum, part. III, lib. I, capp. 65, 66, 67, 68.

[f] Editi cum Colb. vet. et Reg., *detentator.* Nostra lectio est in aliis omnibus Mss.

[g] Editores hic, rejecto *exsecutore*, maluerunt *defensore.* Fatetur tamen Gussanv. *exsecutore* in omnibus fere Codd. mss. legi. De hac voce vide lib. I dialog., c. 4, et epist. 57 lib. V.

[h] Restituimus *invidiam*, suadentibus omnibus Mss. quibus inconsultis Editores prætulerunt *injuriam.*

EPIST. IV [*Al.* 6]. — [a] Hæc epist. desiderantur in Mss. Anglic., Norm., Corb. et plur. Exstat in Rhem. Reg., Colbert. vet. et quinque Vatic.

ras consecrari. Et ideo, frater charissime, [b] si nullum corpus ibidem constat humatum, data primitus a fraternitate tua donatione legitima, id est calicem argenteum unum habentem uncias sex, [c] patenam argenteam habentem libras duas, syndones duas, coopertorium **898** super altare unum, lecta strata numero decem, in æramentis [d] capita viginti, in ferramentis capita triginta, in cæspite fundum Faborianum, et Lumbricata in integro constitutum in territorio Lunensi milliario ab urbe eadem plus minus secundo, juxta [e] fluvium Macram, cum servis duobus, id est Mauro et Joanne, [f] et boum paria duo tantum, gestisque municipalibus alligatis, prædicti monasterii oratorium absque missis publicis solemniter consecrabis, *et cætera secundum morem.* Mense Novembrio, indictione prima.

## EPISTOLA V.

AD PLURIMOS METROPOLITAS ET EPISCOPOS.

*Publicis rationibus obligatos, neque in clero, neque in monasterio suscipiendos; milites vero per triennium prius probandos quam monachicum habitum induant.*

Gregorius Eusebio [a] Thessalonicensi, Urbitio [b] Diracitano, Constantio Mediolanensi, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthi, Joanni primæ Justinianæ, Joanni Cretensi [c] Scoritano, Joanni Larissæ, Mariniano Ravennæ, Januario Caralis Sardiniæ, [d] et omnibus episcopis Siciliæ.

Legem quam piissimus imperator dedit (*Grat. dist.* 52, *c.* 1), ne fortasse hi qui militiæ vel rationibus sunt publicis obligati, dum causarum suarum periculum fugiunt, ad ecclesiasticum habitum veniant, vel in monasteriis convertantur, vestræ studui fraternitati transmittere : hoc maxime exhortans, quod hi qui sæculi actionibus implicati sunt in clero Ecclesiæ propere suscipiendi non sunt, quia dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerant vivunt, nequaquam student sæculum fugere, sed mutare. Quod si etiam tales quique monasterium petunt, suscipiendi nullo modo sunt, nisi prius a rationibus publicis fuerint absoluti. Si qui vero ex [e] militaribus numeris in monasteriis converti festinant, non sunt temere suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita. Et juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, et tunc monachicum habitum Deo auctore suscipere. Qui si **899** ita sunt probati atque suscepti, et pro anima sua pœnitentiam de perpetratis culpis agere student, pro eorum vita et lucro cœlesti, non est eorum conversio renuenda. Qua de re etiam serenissimus et Christianissimus imperator, mihi credite, omni modo placatur, et libenter eorum conversionem suscipit quos in rationibus publicis implicatos non esse cognoscit. [f] Mense Decembri, indictione prima.

## EPISTOLA VI.

AD AMOS JEROSOLYMITANUM PATRIARCHAM.

*Petrum Romanæ Ecclesiæ acolythum fugitivum jubeat comprehendi, ipsumque sacra communione privatum Romam mittat.*

Gregorius [a] Amos episcopo Jerosolymitano.

Cum fraternitatem vestram confidamus canonum statuta et vigorem diligere disciplinæ, ne clerici nostri vobis [b] ad evitandam districtionem ecclesiastici ordinis falsitas surripere valeat, ejus culpam sanctitati vestræ indicare prospeximus, ut sollicitudine vestra disciplinæ possit submitti quam refugit. Comperimus autem quod Petrus acolythus, quem dilectissimo filio nostro Sabiniano diacono responsa ecclesiastica facienti [c] observare in urbe regia fece-

[b] De hac conditione jam superius dictum ad epist. 54 libri I.

[c] Vide quæ fuerit proportio calicis ad patenam. Citant ex Columella, lib. XII, c. 43, locum, ubi per patenas intelligit lata vasa quæ habent labra grandia. Et certe oportebat primis sæculis patenam esse grandem, quæ plures oblationum coronas contineret, non tenuissimas ut nunc, sed longe spissiores, et ad panis communis formam proprius accedentes. GUSSANV. Superiias patenas etiam fiebat oblationum contractio. Vide Mabillon., comment. in Ord. Rom., pag. 55.

[d] Turon., *capitella viginti.....capitella triginta.*

[e] Hic fluvius in Vatic. F. *Macha* dicitur; in tribus aliis *Marra.*

[f] In Excusis, *et boum parium undecim tantum.* Fortasse quod ita), cum duo tantum significarent. Editores pro undecim sumpserunt. Sequimur Vatic., Colbert., Rhem.

EPIST. V [*Al.* 11]. — [a] Thessalonica, vulgo *Salonichi*, urbs hodieque clarissima ad sinum maris Ægei Thermaicum, Italis *Golfo di Salonichi*, Macedoniæ olim metropolis non modo civilis, sed et ecclesiastica, sedesque vicarii sedis apostolicæ per Illyricum Orientale a temporibus Damasi usque ad tempora Vigilii, qui istud privilegium precibus Justiniani imperatoris episcopo Justinianæ I concessit ex parte. GUSSANV.

[b] Dyrrachium et Epidamnus, vulgo *Durazzo*, Gall. *Duras*, urbs Macedoniæ celeberrima in provincia Albaniæ, maritima, ad ostia fluvii *Argentaro*, in mare Adriaticum decurrentis : olim metropolis Epiri novæ, subdita nunc dominio Turcarum. A Dyrrachio fit Dyrrachinus et Dyrrachitanus, non Dyrracitanus.

[c] Num potius scribendum *Scodritano*, ab urbe *Scodra*, olim Dalmatiæ episcopali quæ nunc Albaniæ caput est, vulgo *Scutari?* at nulli favent Mss.

[d] Si metropolitanum habuissent Siciliæ episcopi, ad eum singulariter Gregorius epistolam hanc direxisset, ut ad alios supra memoratos metropolitas, non ad omnes episcopos. Hinc itaque arguitur (quod aliunde multis argumentis probatum) Siciliam tunc metropolitano caruisse.

[e] Numeri militares sunt cohortes, turmæ, catervæ militum. Vide Dialog. lib. IV, c. 35, nota *a*.

[f] In Vatic., Colbert. vet. et Corb., hoc legitur, non in aliis.

EPIST. VI [*Al.* 7]. — [a] Hic, ordine 58 præfuit Ecclesiæ Jerosolymitanæ annis octo, ex Nicephoro patriarcha Const., in Chronographia. GUSSANV.

[b] In Cod. Vatic. D, *ad debilitandam;* at superscriptum legitur, *ad devitandam.*

[c] Apud auctores ecclesiasticos, circa tempus sancti Gregorii, est suo fungi munere suum officium exercere, suum obire ministerium. Sic in concil. Andeg. an. 453, can. 8 : *De monachis qui cœptam observationis viam relinquunt.* Can. 10 : *De laicis vel clericis qui ministri ordinati observare noluerint.* In Epaon., can. 5 : *Ne presbyter præsumat..... observare, nisi*, etc. In Aurel. III, 558, c. 5 : *ad reparationem basilicæ aut observantium ibi substantiam deputetur.* In Aurel. IV, can. 4 : *De clericis peregrinis, qui prohibentur mini-*

ramus, fugiens ad vestram Ecclesiam venerit. Quod si verum est, in tuto eum facere fraternitas vestra et inventa huc studeat occasione remittere. Aut si forte hoc metuens a vestra discesserit Ecclesia; et per diversa loca, ne comprehendi valeat, latitet, in omnibus parochiis vestris, ut diligenter requiratur, injungite, et inventum ad nos, sicut præfati sumus, transmittite; quem etiam volumus per vos quia sit communione privatus agnoscere; nec dominici corporis ac sanguinis quousque ad nos redeat audeat mysteria sumere, nisi forte vicino mortis insistente periculo.

## EPISTOLA VII.

AD LEONEM EPISCOPUM.

*Segregatam ex ecclesiæ suæ redituum quartam portionem clericis juxta laboris meritum dividat.*

Gregorius Leoni episcopo Catanensium.

Ad hoc locorum (*Grat.* 16, *q.* 1, *c.* 63) gradus rationis ordo distinxit, et judicia esse constituit, ut nec præpositi in opprimendos se frustra valeant occupare subjectos, nec subjectis iterum contra suos præpositos effrenata sit resultandi licentia. Et ideo quia per decimam quintam nuper indictionem elapsam ecclesiæ tuæ acolythi, dato contra te capitulari, **900** quædam conquesti sunt, ne aut in tuæ fraternitatis invidia remanerent, aut illos in suis videremur petitionibus non audire. dilectissimo filio nostro Cypriano diacono ea subtiliter inquirenda mandavimus. Qui injuncta cognoscens, quid de capitulo unoquoque decreverit, inquisitioni nostræ est subtilius patefactum. Et quia inter alia de quarta portione [a] clerus hoc tenendum statuit, ut unam portionem hi qui in sacro loco sunt positi, et reliquas duas clerus accipiat, et latores præsentium Donatus presbyter, necnon et Theodosianus atque Viator diaconi, aliorum quoque qui in sacrato sunt ordine constituti relationem ad nos deferentes, conquesti sunt hoc contra antiquam consuetudinem in suo gravamine præjudicialiter statutum; quippe quia de eadem quarta semper se duas partes et tertiam clerum perhibent consecutum, et petiverunt ne hæc definitio in suo præjudicio permaneat; nos hoc fraternitatis tuæ dispositioni oportere prævidimus committendum.

Volumus ergo (*Grat. ibid.*) ut quidquid Ecclesiæ tuæ ex reditu vel quolibet alio titulo fortassis accesserit, quartam exinde portionem sine diminutione aliqua debeas segregare, atque eam secundum Dei timorem presbyteris, diaconis, ac clero, ut tibi visum fuerit, discrete dividere; ita sane ut unicuique, sicut meritum laboris exegerit, libera tibi sit, juxta quod prævideris, largiendi licentia, quatenus et hi qui merentur etiam temporali se sentiant hoc commodo consolari, et alii adjuvante Domino eorum ad melius contendant imitatione proficere.

## EPISTOLA VIII.

AD VITALIANUM EPISCOPUM.

*Tulliani magistri militiæ filiam ad religiosum habitum revocet; detrudat in monasterium; obsistentes a sacra communione suspendat.*

Gregorius Vitaliano episcopo Sipontino.

Si custos religiosi habitus aut esse nosses episcopus (*Grat.* 20, *q.* 1, *c.* 18), filiæ gloriosæ memoriæ Tulliani, magistri militiæ, te illic posito, nec projectis religiosis vestibus ad sæcularem reverti habitum, nec ad nos licuisset perversam epistolam destinare. Sed quia nimia desidia ac torpore deprimeris, in tuo dedecore res ad præsens illicita impune commissa est. Nam, sicut præfati sumus, si sollicitus exstitisses, [a] prius ad nos ultio mulieris pravissimæ quam culpa debuit pervenire. Quia ergo tantum hebes, tantumque es negligens, ut nisi canonicam in te fueris coerctionem expertus, in aliis districtionem et disciplinam nescias custodire, **901** qualiter debeas esse sollicitus, congruo tibi, si Domino placuerit, tempore demonstrabimus. Præsentia igitur scripta suscipiens evigila, et excitatus saltem exsequere, quod pressus usque nunc ignavia distulisti. Instantiæ ergo tuæ sit prædictam mulierem una cum Sergio defensore nostro comprehendere, et statim non solum ad male contemptum habitum sine aliqua excusatione revocare, sed etiam in monasterium, ubi omnino districte valeat custodiri, detrudere; et ita omnem circa illam sollicitudinem exhibere, ut quam sit nefarium quod commisit ex tua possit districtione cognoscere. Qua in re si quis, quod non credimus, [b] laicorum aliquo tibi ingenio tentaverit obsistendum, a sacratissimæ eum communionis participatione suspendere nobisque renuntiare festina, ut quantum sit exsecrabile quod præsumpserit, postquam consideratione propria non advertit, emendationis qualitate cognoscat. In his autem omnibus ita te cautum stude ac vigilantem ostendere, ut culpam tuam non geminare neglectus, sed aliquantisper valeat sollicitudo minuere. [c] (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 39.)

*strare, nisi eos probatos districtio pontificis observare præceperit.* Ejusdem conc. can. 26: *De clericis qui in potentum domibus observantes negligunt implere quod Ecclesiæ debent.* GUSSANV. *Observare* hic est assidue cum aliquo esse officii honorisque causa, eique ministrare. Acolythus idem sonat ac pedisequus, apparitor. Liquet tamen ex epist. 1 hujus libri acolythos aliquando magis spiritualibus officiis defunctos esse: *quem* (acolythum) *ad obsequia vestra retransmisimus, ut si in lucrandis animabus amplius servierit.*

EPIST. VII [*Al.* 8]. — [a] In Vatic. B, *clero hoc tenendum*. De bonorum Eccles. partitione et divisione vide lib. v, epist. 44.

EPIST. VIII [*Al.* 11]. — [a] Id desumptum videtur ex lege 3, de officio præfecti prætorio Orientis et Illyr., ubi imperatores de judicibus *inutilibus* sciscunt *ab administratione* removendis, aliisque vice ipsorum subrogandis: *Ad nostræ*, inquiunt, *mansuetudinis sententiam, non crimina, sed vindicta referatur.*

[b] In recent. Edit. *clericorum vel laicorum.*

[c] In duobus Tellerianis ad calcem epistolæ legitur *mense Februario, indict.* 1, quod in nullis aliis Mss. nobis occurrit.

## EPISTOLA IX.

AD SERGIUM DEFENSOREM.

*De filia Tulliani magistri militiæ ad religiosum habitum resumendum cogenda.*

Gregorius Sergio defensori.

Si homo esses (*Grat.* 27, *q.* 1, *c.* 19), [a] aut districtionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea quæ illicite illic committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos eorum nuntius perveniret. Sed dum nimia te facit stultitia negligentem, non solum de illis offendimur, sed etiam ad ulciscendam desidiam tuam nihilominus provocamur. Omni ergo dilatione omnique excusatione postposita, filiam gloriosæ memoriæ Tulliani, [b] magistri militiæ, quæ, projectis, quas sponte assumpserat, religiosis vestibus, indumentis se laicis deturpavit, una cum fratre et coepiscopo nostro Vitaliano festina comprehendere, atque ad religiosum rursus habitum revocare, ac in monasterium mittere, ubi stricte omnino valeat custodiri. Nec ejus custodiam aliquatenus relevari permittas, quousque nostra denuo scripta susceperis. Nam si quolibet modo in hac re negligens vel lentus exstiteris, ita in te noveris districtissime vindicandum, ut quod ex te nescis, pœna possis [c] resecante cognoscere; quia, sicut diximus, si intellectum hominis habuisses, hæc quæ modo facere præciperis a te debueramus etiam cum ultione facta cognoscere. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *n.* 40.)

## EPISTOLA X.

AD SABINIANUM JADERÆ EPISCOPUM.

*Se quantum illius cum Maximo communione offensum, tantum pœnitentia mitigatum. Commendatam responsali suo illius in urbe regia causam. Hortatur ad pastoralem sollicitudinem. Ipsi de Florentii episcopi causa inquisitionem mandat.*

Gregorius Sabiniano episcopo Jadertino.

Sicut perseveranti culpæ debetur jure vindicta, ita resipiscentibus est venia concedenda. Nam **902** ut res illa contra se merito iracundiam excitare, sic hæc in sua prorsus dilectione solet concordiam propagare. Et ideo quia fraternitatem tuam a consortio et communione [a] Maximi, ubi te prius neglectus impulerat, in tantum postea gravitas sacerdotii ad animum reducta suspendit, ut ejus sola nullatenus patereris esse segregatione contentus, nisi et in monasterii te claustra recipiens dudum commissa defleres, eapropter [b] in nostram te gratiam ac communionem receptum esse non dubites; nam quantum nos prius culpa tuæ charitatis offenderat, tantum pœnitentia mitigavit. Hortamur igitur, dilectissime frater, ut gregi dominico pastoralem sollicitudinem instanter impendas, lucrumque de commissis ovibus facere diligenter invigiles; ut tanto tibi copiosæ retributio mercedis exuberet, quanto in adventu æterni judicis multiplices laboris fructus obtuleris. Stude itaque [c] in culpa lapsos eruere, stude errantibus regrediendi viam ostendere, stude communione privatos ad communionis salubriter gratiam revocare. Sit cæteris charitatis vestræ reversio ereptionis officium, sit salutis exemplum; quatenus dum errantes gressus ovium ad septa summi pastoris sollicitudinis vestræ cura direxerit, nec ipsæ luporum dentibus relinquantur expositæ, et te in æterna vita, quod summopere petendum est, dignæ compensatio retributionis excipiat.

De causa vero quam nobis scripsistis, ut debeamus, ne in urbe regia contra vos subripiatur esse solliciti animos vestros res ista non turbet. Nam responsali nostro omnino studiose mandavimus ut sollicitum cautumque se debeat exhibere. Et confidimus de Dei nostri potentia quia id agitur, ut vos nullius contra rationem aut turbare quoquo modo aut premere possit adversitas.

Præterea habitatores Epidauriensis civitatis [d] Florentium, quem suum esse dicunt episcopum, sibi a nobis restituendum studiosissime poposcerunt, asserentes frustra eum ad solam tantummodo voluntatem Natalis episcopi detrusum exsilio. Et ideo, si quid de ejus causa fraternitas vestra cognovit, nobis suis subtiliter epistolis innotescat. Si autem necdum cognovit, requirat, nobisque renuntiet, ut quidquid de eo statuendum sit, certi deliberare adjutore Domino valeamus. [e] Mense Februario, indictione prima. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 11.)

## EPISTOLA XI.

AD CANDIDUM S. ANDREÆ ABBATEM.

*Confirmat concordiam et transactionem inter monasterium sancti Andreæ, et Maurentium magistrum militiæ.*

Gregorius Candido abbati monasterii [a] sancti Andreæ ad clivum Scauri.

Sicut loci nostri consideratio providere nos admonet ut monasteriorum negotia pacis intentio salubri fine distinguat, sic iterum ratione constringimur consensus nostri auctoritate quæ utiliter decisa fuerint roborare, ne forte [b] cujusquam excusationis objecta, quod a religioso proposito et æquitate valde dissentit, aliquid in dubium contentio recidiva perducat, et gignat ex pace litigium. Proinde quoniam inter te Candidum abbatem monasterii sancti Andreæ apostoli, positi in hac urbe Romana, in clivo Scauri,

Epist. IX [*Al.* 10]. — [a] In Editis, *aut discretionem*, reluctantibus omnibus Vatic., Norm., Turon., Corb., etc.

[b] In Vatic. B, *magistri militum*

[c] Aliter, *reserante*. Lectionem nostram exhibent quinque Vatic., plerique Norm.

Epist. X [*Al.* 12]. — [a] Agitur eadem de re epist. 17 lib. VII, et epist. 28, in fine; necnon lib. VI, epist. 27, suppresso episcopi nomine. Gussanv.

[b] Recent. Ed., *in nostra te gratia ad communionem receptum*.

[c] Ita Vatic., Norm., etc., consentientibus vet. Editis. His spretis, recentiores habent *erigere*.

[d] De causa Florentii vide Epist. 8 et 9 lib. III, indict. 11.

[e] Sic legimus in Vatic. A, B, C, et in Colb. vet.

Epist. XI [*Al.* 13]. — [a] Hoc est monasterium quod ex domo sua sanctus Gregorius exstruxerat in urbe, et in quo primum monachus, tum abbas fuit. Joannes Diaconus, in ejus vita, lib. I, cap. 6. Gussanv.

[b] Ita Corb., Norm. et plerique Vatic.; in Vatic. D tamen legitur, *excusatione* pro *excusationis*. Editi habent *objectu*.

**903** agentem utilitates ejusdem monasterii, et Maurentium gloriosum, [c] magistrum militiæ, causa successionis hæreditatisque Joannis, fratris consanguinei prædicti viri, qui in suprascripto monasterio conversus est ac defunctus, cum nostro quoque consensu commodæ sollicitæque transactionis pagina interveniente decisa est; [d] denique ut cum fidei memorati gloriosissimi magistri militiæ sinceritas olim nobis veraciter nota sit et bene comperta, ad satisfactionem posset omnino sufficere, etiam dato corporaliter sacramento, firmaret nihil se in fraude versatum, aut aliquid occultasse, sed omnia integre prodidisse; idcirco hujus decreti præceptique nostri serie transactionem decisionemque inter te et præfatum Maurentium gloriosum habitam, ratam habentes, per omnia confirmamus, nec in totum partemve aliqua ratione convelli, sed eam habere perpetuam decernimus firmitatem. Cui rei si quis, quod non credimus, contrariam afferre quoquo modo tentaverit voluntatem, ille quidem reum se ante Deum esse noverit, qui nititur ea quæ utiliter sunt finita rescindere; nam eidem decisioni transactionique nihil se derogare cognoscat. Ut ergo et sæpe dicti gloriosi Maurentii maneret illibata securitas, et tu nihil de his quæ decisa sunt valeas dubitare, simile ei præceptum pro utraque partium munitione concessimus.

## EPISTOLA XII.

AD ADEODATUM ET MAURENTIUM EPISCOPOS.

*Illorum de ecclesiastico ordine ac rectitudine curam laudat; ut perseverent hortatur. Commendat Paulum episcopum.*

Gregorius Adeodato et Maurentio episcopis Africæ a paribus.

Multum, [a] frater charissime, sinceritatis tuæ bono congaudeo, quod gravitatem qua præditum te dudum audieram præsentium portitoris Pauli fratris et coepiscopi nostri testificatio confirmavit. Qui tanto latius quanta in vobis sollicitudo ecclesiastici ordinis quantaque cura sit rectitudinis indicavit, quanto hoc et præsens comperit, et in sua amplius defensione cognovit. Quia ergo magnum, sicut nostis, coram Deo nostro est in bonis quemquam indesinenter operibus permanere, fraternitatis vestræ se sollicitudo ad fovendas partes justitiæ decenter exacuat, et contra ecclesiastici vigoris moderamina, [b] prout possibile fuerit, fieri nihil permittat. Nec vos res aliqua ab hujusmodi intentione removeat; sed si qua sunt quæ dilectionis vestræ sinceritatem offendunt, et regulas canonicæ discretionis **904** excedunt, vigilantem studete curam impendere; atque ea hortando, suadendo, terrendo emendare, [c] charitatis unitate servata, in quantum vires suppetunt, Deo adjuvante, contendite; et excessus auctorem coercitionis freno sacerdotali constringite, atque eum ab invio itinere [d] lingua duce et actione reducite; et ita vestram in omnibus efficaciam exhibete, ut Deus omnipotens qui bonæ voluntatis auctor et intentionis inspector est, velle vestrum et hic adjuvet, et in futura vita remuneret. Suprascriptum vero Paulum fratrem et coepiscopum nostrum fraternitati vestræ commendantes, hortamur ut idonee charitatem vestram debeat experiri quam prædicat.

## EPISTOLA XIII.

AD COLUMBUM.

*Paulum episcopum commendat.*

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.

Qualiter de fraternitatis vestræ debeamus charitate præsumere, ex mentis nostræ quam circa vos habemus qualitate colligimus. Nec aliter vos apostolicam sedem diligere quam ipsa vos diligit arbitramur. Unde necesse est ut eos quos in Ecclesia beati Petri apostolorum principis, ut oportet, devotos esse cognoscimus, vobis, cujus vitam et actio sacerdotis ornat et dignitas, peculiarius commendemus, de cujus scilicet sinceritate firmum experimentum de præteritis jam tenemus.

Frater igitur et coepiscopus noster Paulus, præsentium portitor, quantis illic fluctibus, quantisque adversitatibus quatiatur, sanctitatem vestram memorat non latere. Qui quoniam querelas quas de eo ad vos pervenisse signastis non veras esse, sed instigatione adversantium contra se asserit excitari, et omnia se fidit, patrocinante veritate, vobis cognoscentibus, adjutore posse Domino superare, hortamur, dilectissime frater, ut ei in quibus fuerit justitiæ ratio manifesta, manum decenter præbere solatii atque sacerdotali cum compassione deneas adjuvare. Nulla ergo vos res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum. Sed innitens præceptis dominicis, omnia quæ sunt rectitudini adversa contemne. In defendendis partibus justitiæ constanter insiste. Odia pro veritate, si qua sunt, sustinere non renuas; ut tanto majorem in adventu Redemptoris nostri fructum mercedis invenias, quanto ejus mandata non negligens, in favorem te justitiæ et defensionem impenderis. [a] Mense Martio, indictione prima. (*Vide sup. l.* VI, *ep.* 61; *l.* VII, *ep.* 2; *et hujus lib. ep.* 12.)

[c] Vatic. B, *magistrum militum.*

[d] Hoc loco expunximus *quia*, suadentibus Mss. pene omnibus, et sensum restituimus. Quid enim sensus inerat huic verborum contextui: *Denique quia cum fidei*, etc. Secuti sumus Vatic., Norm., Corb., etc.

EPIST. XII [*Al.* 14]. — [a] In Vatic. D et nonnullis aliis Mss., *fratres charissimi.... quæ præditos vos.*

[b] Editi, *prout possibile fuerit provisionis suæ solatio fieri*, etc.

[c] Ita cum Mss. vet. Excusi, etsi in recentioribus legatur: *charitatis unitatem servare.*

[d] In iisdem recentioribus, etsi contradicant Mss., *lingua ducite et actione reducite.*

EPIST. XIII [*Al.* 16]. — [a] In Vatic. A, B, D, F, et in Colb. vet., sic legitur.

## 905 EPISTOLA XIV.

AD BONIFACIUM PRIMUM DEFENSOREM.

*Defensores septem honore regionariorum decorandos statuit.*

Gregorius [a] Bonifacio de privilegiis defensorum.

Ecclesiasticis utilitatibus fideliter insudantes congruæ remunerationis sunt beneficio prosequendi, ut et nos respondisse eorum digne obsequiis videamur, et illi ex indulta consolationis gratia utiliores existant. Quia igitur defensorum officium in causis Ecclesiæ et obsequiis nosciur laborare pontificum, hac eos concessa prospeximus recompensationis præ- A rogativa gaudere : constituentes ut sicut in [b] schola notariorum atque subdiaconorum per indultam longe retro pontificum largitatem sunt regionarii constituti, ita quoque in defensoribus septem qui ostensa suæ experientiæ utilitate placuerint honore regionario decorentur. Quos quolibet per absentiam pontificis et sedendi *in conventu clericorum* habere licentiam, et honoris sui privilegia in omnibus statuimus obtinere. Præterea si quis ad prioris locum veniens in alia fortasse provincia propter utilitatem propriam degit, hunc necesse est primatus locum per omnia curare, ut ille prior defensorum omnium possit existere, qui et ante prioratus locum in ecclesiasticis utilitatibus obsequiisque pontificis non destitit per sedulam præsentiam permanere. Hæc itaque constitutionis nostræ decreta (*Grat.* 25, *q.* 2, *c.* 7) quæ pro defensorum sunt privilegiis et ordinatione dispo- B sita, perpetua stabilitate et sine aliqua constituimus refragatione servari, sive quæ scripto decrevimus, seu quæ in eis in nostra præsentia videntur esse disposita, nec a quoquam pontificum in totum partemve qualibet occasione convelli decernimus vel mutari. Nam nimis est asperum, et præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum, niti quempiam quacunque rationis excusatione, et quæ bene sunt ordinata rescindere, et exemplo suo docere cæteros sua quandoque post se constituta dissolvere. [c] Mense Aprili, indictione prima.

## EPISTOLA XV.

AD MARINIANUM RAVENNÆ EPISCOPUM.

*Monasterio sanctorum Joannis et Stephani multa concedit privilegia.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennati.

[a] Quam sit necessarium monasteriorum quieti prospicere, et de eorum perpetua securitate tractare, ante actum vos officium, quod in **906** regimine monasterii exhibuistis, informat. Et ideo quia monasterium beatorum Joannis et Stephani, quod [b] in Classitana est civitate constitutum, cui communis filius [c] Claudius abbas præesse dignoscitur, [d] multa a decessoribus vestris præjudicia atque gravamina pertulisse cognovimus, oportet ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futuro quietem salubri ordinatione disponat; quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine quisquam illic quolibet tempore quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumeranda curavimus ita fraternitatis vestræ studio debeant custodiri, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. [e] Nullus igitur ultra audeat de reditibus vel chartis prædicti monasterii, vel de C loco aliquo qui ad ipsum pertinet quocunque modo, qualibet exquisitione, minuere, [f] nec immissiones vel dolos aliquos facere. Sed si qua forte causa inter Ravennatem Ecclesiam et præfatum monasterium evenerit, et pacifice non potuerit ordinari, apud delectos a partibus timentes Deum, sine voluntaria dilatione, [g] mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur.

Epist. XIV [*Al.* 17]. — [a] Varius est hic titulus tam in Mss. quam in Editis exemplaribus. Quædam ita legunt : *Bonifacio de privilegiis defensorum.* Alia sic : *Bonifacio defensori de privilegiis primicerii defensoris.* In aliis habetur hoc modo : *Bonifacio primicerio defensori privilegii primicerii defensoris.* De defensoribus regionariis vide supra, ad epist. 26 lib. I. Gussanv. Quod hic dicitur de Mss. pugna in epistolæ hujus inscriptione, veteres Codices legenti dubium esse non potest. Attamen Normanni omnes, Anglic., Corb., consentiunt in titulo quem cæteris ea ratione duximus anteponendum. Variæ lectiones a Gussanvillæo prolatæ reperiuntur in Vatic. et in Colb.

[b] Est collegium, sive ordo, sive corpus. Jam notavimus officialium sive ministrorum imperialium undecim præcipuas scholas fuisse, aliis decem, etc., Vide Gregorium Turonensem, Historiæ lib. x, cap. 25, de episcopo qui scholam omnem sui decessoris abjecerat. Gussanv. D

[c] In tribus Vatic. et in Colbert. vet. hæc habentur.

Epist. XV [*Al.* 18]. — [a] Privilegium hoc quod sanctus Gregorius pro monasterio Classitano condiderat, postea ad omnia monasteria transfudit in concilio Romæ habito apud Lateranum, ind. 4. Habetur illud decretum in tomis Conciliorum post epistolas sancti Gregorii. Gussanv. In duobus Teller. sic incipit : *Quanti sit pretii, quamve necessarium.*

[b] Classis oppidum, sive novus portus, vulgo *Classe*, tribus mill. ab urbe Ravenna distans versus Arimi-num. Novum hunc portum exstruxit Augustus Cæsar ad classem in eo locandam, unde ei nomen. Alii a Pompeio exstructum volunt. De eo Procopius, Agathias, Evagrius, Paulus Diaconus, etc. Gussanv.

[c] Hic præerat cœnobio sanctorum Joannis et Stephani in civitate Classe, vir insignis divo Gregorio charissimus, quique apud eum diu Romæ fuit, eo quod sanctus pontifex ejus maxime consolatione in verbo Dei leniretur, ut ipse testatur epist. sequenti; obiit an. 602. Gussanv. Vide admonitionem ad commentarios in lib. Regum, et Cant. cantic. quos præsertim huic Claudio debemus.

[d] Hinc origo exemptionum. Gussanv.

[e] Hic deseruimus recent. Ed., ubi legitur, invitis sinceris Mss. omnibus Norm., Vatic., utroque Rhem., Corb., Anglic., etc. : *interdicimus igitur ut nullus episcoporum aut sæcularium ultra audeat.* Infra habetur *occasione minuere*, pro, *exquisitione minuere.*

[f] Vox juris quam hic per usurpationem exprimerem. Gall., *une entreprise sur les biens d'autrui.* Gussanv.

[g] Idem jubet lib. IX, epist. 47. Vide in Cod. de judiciis, leg. 14, *rem non novam.* In decret., Caus. 3, q. 9, c. *hortamur*, extr. de purgat. canon., c. 5; in Clement. 1, de hæreticis, § *Porro.* Hujusce ritus meminit Auctor Op. imperf. in Matth., hom. 12 et 44, necnon sanctus Chrysostomus, hom. 9, in Acta; unde concluditur non eodem sæculo utrumque vixisse. Auget.

Defuncto vero abbate, [h] non extraneus nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate [i] congregatio elegerit, et qui electus fuerit sine dolo vel venalitate aliqua, ordinetur; quod si aptam inter se personam invenire nequiverint, solerter de aliis monasteriis sibi similiter eligant ordinandum. [k] Neque venienti abbati quæcunque persona qualibet occasione in suo monasterio præponatur, nisi forte exstantibus, quod absit, criminibus quæ sacri canones punire monstrantur. Pariter autem custodiendum est ut invito ejusdem monasterii abbate ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros vel clericatus officium, tolli exinde monachi non debeant. Sed si abundantes fuerint, et ad celebrandas Deo laudes vel utilitates monasteriorum complendas sufficiant, abbas cum devotione de his qui superfuerint offerat, quos dignos [l] coram Deo invenire potuerit. Quod si sufficienter habens dare noluerit, tunc Ravennas episcopus ad ordinanda alia monasteria de his qui supersunt tollat. Ad ecclesiasticum tamen officium nullus exinde producatur, nisi quem abbas loci admonitus propria voluntate obtulerit (*Grat. dist.* 58, *c.* 1). Quisquis autem ex prædicto monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, [m] ulterius illic nec aliquam potestatem, nec licentiam habeat habitandi.

Observandum quoque est ut descriptio rerum aut chartarum ejusdem monasterii ab ecclesiasticis fieri non debeat, si quando res exigit : **907** sed abbas loci cum abbatibus aliis [n] rerum inventarium faciat.

Quoties autem pro utilitate monasterii sui ad Romanum pontificem abbas venire vel transmittere forte voluerit, ei modis omnibus liceat.

Præterea cum episcoporum adventus desideranter a monasteriis debeat exspectari, quia tamen hospitandi occasione prædictum monasterium temporibus decessoris vestri nobis fuisse nuntiatum est prægravatum, oportet ut hoc sanctitas vestra decenter debeat temperare, ut visitandi (*Grat. c.* 18, *q.* 2, *c.* 28) exhortandique gratia ad monasterium, quoties placuerit, ab ejusdem civitatis antistite accedatur. Sed sic charitatis officium illic episcopus impleat, ut gravamen aliquod monasterium non incurrat. Vestram vero fraternitatem prædictus abbas non solum [o] non metuit ad monasterium frequenter accedere, sed etiam desiderabiliter concupiscit, sciens quod per vos substantia monasterii omnino gravari non possit. [p] Data mense Aprili, indictione prima.

## EPISTOLA XVI.

AD MARINIANUM RAVENNÆ EPISCOPUM.

*Redeuntem Roma Claudium abbatem impense commendat.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennati.

Quod communem filium Claudium abbatem latorem præsentium longa apud nos hactenus mora retinuit, res illa fecit quod magnum nobis, sicut nostis, erat in verbo Dei solatium; quem etiam hic adhuc volueramus diutius retinere, [a] si et ipse non festinasset ad suum monasterium, et nos congregationi fratrum ejus præsentiam esse omnino necessariam sciremus. Et ideo quia illum sicut petiit et exigebat utilitas relaxandum esse prospeximus, commendantes eum, hortamur ut sanctitas vestra sacerdotali eum affectione suscipiat, paternam illi [b] monasteriisque ipsius charitatem, sicut decet, impendat benignitatis suæ eum consolatione refoveat, in ejus se tuitionem instanter accommodet, et præsidii sui beneficio liberum ab omni inquietudine redditum quieti et utilitatibus fratrum vacare permittat, atque peculiariter sicut a nobis eum scit diligi diligat; quatenus et charitatis vestræ affectum quem olim expertus est, in se multiplicius recognoscat, et nos in vobis invenisse se gaudeat.

## **908** [a] EPISTOLA XVII.

AD MAURENTIUM.

*De sacræ lectionis studio gratulatur. Sic studentium deflet raritatem; se collegam spondet.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Dilectissimus filius meus Cyprianus diaconus revertens mihi valde placuerat, si ad me totus rediisset. Sed postquam gloria vestra in Sicilia sese retinuit, certissime scio quia prædictus filius meus ad me quidem corpore rediit, sed mente in Sicilia remansit. Hæc tamen dicens, tantum quieti vestræ congaudeo, quantum de meis occupationibus inge-

[h] Placuit recentioribus Ed. inserere *cujuscunque congregationis*, contra Mss. Vatic., Norm., Corb., etc.

[i] Vulgati, *concors fratrum societas elegerit*, reluctantibus Mss. Vatic., Corb., Rhem., etc.

[k] Ad hanc lectionem præferendam nos coegit summus Mss. Norm., Rhem., Corb., Colbert., quibus duo Vatic. et vet. Ed. conciunt, consensus; etsi lectio recent. Vulgatorum magis convenire videatur, *neque viventi abbati*.

[l] Norm. et Corb., *coram Deo putaverit*. Vatic. B, *coram Deo viderit*. Vaticani A, E, F, *coram Deo potuerit*.

[m] Olim duplici ex causa monachi ordinabantur sacerdotes, vel pro monasteriis, vel pro ecclesiis sæcularibus aut parochiis, ut habetur 16, q. 1, in pluribus capitibus. Non ergo hic agit Gregorius de monachis qui pro suis monasteriis ordinantur, sed de iis duntaxat qui ab episcopo e monasterio tollebantur, permittente abbate, ad officium ecclesiasticum administrandum, ut patet ex præcedentibus verbis ejusdem epistolæ. Legenda sancti Augustini epist. 48, al. 81, in qua hortatur monachos ad Ecclesiæ munia obeunda. GUSSANV.

[n] In Excusis, *rerum inventarum attestationem faciet*.

[o] Editi, *non metuat*. Et infra, *concupiscat*. Sequimur Mss. unanimem consensum.

[p] Hæc legimus tantum in Vatic. et Colbert.

EPIST. XVI [*Al.* 19]. — [a] Vulgati recent., *Nisi et ipsum ad suum monasterium festinare, et..... præsentiam esse omnino necessariam sciremus.*

[b] Ita in quatuor Vatic., omnibus Norm., Corb., Colbert., Rhem., non, ut habent Excusi, *monasterioque ejus*. Hinc patet Claudium abbatem plurimis monasteriis fuisse præpositum.

EPIST. XVII [*Al.* 25, lib. XII, ind. 7]. — [a] Hæc epistola desideratur in Anglic. Norman. et plerisque Mss. In antiq. Edit. legebatur, *Luvino Cathanensi episcopo*. Sed lectio hæc, etsi ei suffragetur Vatic A, mendosa est, ad episcopum enim non scripsisset sanctus Gregorius *gloria vestra*.

misco. Atque hoc summopere exhortor, ut si palatum cordis dulcedo tetigit intimæ suavitatis, ita introrsus rapiatur animus, ut triste sit omne quod foris sonat, omne quod foris delectat. Laudo autem quod humana conventicula cavetis, quia sæpe animus qui renovari in Deo per compunctionis gratiam desiderat, per prava colloquia atque verba iterum veterascit. Quæsivi autem qui vobis adhæreant in lectionis sacræ collegio, et neminem reperi, et vehementer ingemui paupertatem boni. Et quamvis peccator ego valde occupatus sum, tamen si ad beati Petri apostoli limina venire volueritis, in sacro eloquio strictum poteritis me habere collegam. Omnipotens Deus cœlesti vos protectione custodiat, atque ab antiqui hostis insidiis munitos permanere concedat.

## EPISTOLA XVIII.

AD AGNELLUM TERRACINENSEM EPISCOPUM.

*Perquisitos idolorum cultores puniat; a murorum vigiliis neminem patiatur excusari.*

Gregorius Agnello episcopo Terracinensi.

Pervenit ad nos quosdam illic, quod dici nefas est, [a] arbores colere, et multa alia contra Christianam fidem illicita perpetrare. Et miramur cur hoc fraternitas vestra districta emendare ultione distulerit. Ea propter scriptis vos præsentibus adhortamur, ut hos diligenti investigatione perquiri, et, veritate cognita, talem in eis facialis exerceri vindictam, quatenus et Deus placari possit, et aliis eorum ultio correptionis exemplum sit.

**909** Scripsimus autem et Mauro [b] vicecomiti, ut fraternitati vestræ in hac re debeat adhibere solatia, dummodo ad comprehendendos eos invenire excusationem aliquam non possitis. Quia vero comperimus multos se a murorum vigiliis excusare, sit fraternitas vestra sollicita ut nullum neque per nostræ vel Ecclesiæ suæ nomen aut quolibet alio modo [c] defendi a vigiliis patiatur, sed omnes generaliter compellantur; quatenus, cunctis vigilantibus, melius auxiliante Domino civitatis valeat custodia procurari.

## [a] EPISTOLA XIX.

AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

*Comitiolo de Romana Ecclesiâ bene merito pristinum impendat favorem.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Veniens dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus laudabile Comitioli studium, et quam nobis utilitatem [b] Urminati castro fecerit, indicavit. Sed et multa de eo bona diversis testificationibus olim cognovimus. Et quia eum apud vos, sicut ante fuit, modo non esse audivimus, gloriam vestram petimus ut si quid est unde juste vestros animos fortassis offendit, nobis, quidquid illud est, remittatis, eique plenam gratiam reddere, atque illum in ea qua apud vos dudum fuit familiaritate recipere debeatis, et vestrum illi favorem, sicut revera proprio, salva ratione quocunque usus exegerit, impendatis. Ita ergo facite ut de integro ei gratia restituta, aut ipso renuntiante, aut aliis referentibus possimus agnoscere.

## EPISTOLA XX.

AD MARINIANUM EPISCOPUM RAVENNÆ.

*Commendat uxorem Joannis, quæ in controversiam suæ conditionis vocabatur.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Joannes præsentium portitor queritur uxorem suam, molestias Georgii cujusdam refugientem, [a] diu in septis venerabilibus residere, et nullum hactenus invenire solatium. Cujus quia de conditione esse controversiam asserit, et vestræ eam fraternitati petiit commendandam, his **910** vos hortamur affatibus ut eidem mulieri, servata æquitate, debeatis tuitionem impendere, et a nullo eam contra rationis ordinem gravari aliquo modo permittatis. [b] Sed si de statu ejus quæstio perseverat,

Epist. XVIII [*Al.* 20]. — [a] In Arelat. an. 452, can. 23: *Si in alicujus episcopi territorio infideles aut faculas accendunt, aut arbores, fontes, vel saxa venerantur, si hoc eruere neglexerit, sacrilegii reum se esse cognoscat*, etc. Vide etiam Antissiod. an. 578, can. 1 et 3; sancti Augustini de temp. serm. 241. Gussanvil. In pœnitentiali Halitgarii Cameracensis episcopi, Ludovici Pii temporibus, quem exhibet doctissimus noster Menardus in notis ad Lib. Sacramentorum, col. 467, assignantur canones sex pœnitentiæ pro iis qui sectantur auguria, aruspicia, divinationes, aut quibusdam idololatricis superstitionibus vacant, quales sunt ad arbores, ad fontes, ad cancellum vota vovere et exsolvere. Hæc potissimum desumpta fuisse ex conc. Antissiodor., c. 1, notat Menardus, qui etiam consulendus est ad Concord. Reg., p. 746 et seq. Inde certissimo argumento probatur diu etiam post Gregorii Magni tempora superstites fuisse in Galliis Idololatriæ reliquias. Imo vero cum Halitgarius repræsentet Pœnitentialem Romanum, inde liquet in Italia et aliis in locis ubi Ordo Romanus observabatur nondum tunc radicitus exscisam fuisse idololatriam.

[b] Vicecomes est qui in civitate jurisdictionem comitis loco exercet. Nam, ut observatum supra, duces provinciis, civitatibus comites erant præfecti. Nomen adhuc retinent quidam judices in Normannia, de quibus vide Cangium, in Glossar.

[c] Hæc pars epistolæ refertur extra. de immunit. Eccles., c. 2 (citant ex Gregorio IX, sed male). Sic autem habet; *Fraternitas tua nullum per nostræ vel Ecclesiæ suæ nomen, aut alio modo excusari a murorum vigiliis patiatur, sed omnes ad hoc generaliter compellantur, quatenus cunctis vigilantibus melius valeat civitatis custodia procurari.* Addo neque etiam clericos a legitima tutela, cura pupillorum, orphanorum, viduarum, esse immunes, dist. 86, c. fin. Gussanv.

Epist. XIX [*Al.* 20, lib. x, ind. 5]. — [a] Hæc epistola in omnibus fere Mss. desideratur; exstat in Vatic. A.

[b] Vat. A, *in Minati.*

Epist. XX [*Al.* 21]. — [a] De illis sup., epist. 37, olim. 35, lib. I. Cæterum istud immunitatis genus non eodem semper modo observatum est; de prisco usu nonnulla colligimus ex Cod., tit. *de his qui ad Ecclesiam confugiunt.* Antiquiorem vix reperies. In Galliis quid fuerit factitatum docent Gallicani canones, et nostrorum regum Capitularia.

[b] Quæstio de statu, id est de libertate, an quis sit liber vel servus, requirit majores judices, l. ult., c. *ubi causa status.* Ideo non potest compromitti in arbitros, l. Non distinguemus, § de liberali., de recep. arbitr. Altesserra.

studii vestri sit ut sine oppressione aliqua, legali modo, ad judicium veniatur; quatenus, dum, veritate cognita, quod juris ordo suaserit fuerit definitum, neutra se pars aliquod doleat præjudicium pertulisse. [c] Mense Maii, indictione prima.

## EPISTOLA XXI.

AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Felicem Christianis parentibus natum a Samaræi servitio liberet.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Felix præsentium portitor questus nobis est, cum sit de Christianis natus parentibus, a quodam Christiano, [a] Samaræo, quod dici scelus est, esse donatum. Et dum hujusmodi superstitionis homines Christiana quolibet modo mancipia possidere nec ratio legis, nec reverentia religionis admittat, se tamen per decem et octo annos in ejus asserit servitio permansisse; sed cognoscente hoc sanctæ memoriæ decessore vestro Maximiano, ab eo se, zelo, sicut decuit, sacerdotali commoto, de Samaræi servitio nefario dicit liberatum. Sed quia ejusdem Samaræi filius post quinque annos factus dicitur Christianus, et supradictum Felicem in ejus servitium, quantum ipse dicit, quidam nituntur redigere, sanctitas vestra hæc quæ edocti sumus diligenter inquirat; et si ita ei esse constiterit, eum tueri studeat, et a nullo sub qualibet occasione gravari permittat, quia dum superstitiosæ sectæ mancipia dominos suos ad fidem præcedentia servitio eorum aperte redigi jura prohibeant, quanto magis hic de Christianis parentibus natus; et factus a parvulo Christianus, hanc non debet quæstionem aliquo modo sustinere, maxime quia nec patris ejus esse servus potuit, quem liquet ex prava potius præsumptione pœnam posse venientem de legibus sustinere? Et ideo, sicut diximus, ita eum sanctitatis vestræ defensio rationabiliter tueatur, ut nulli eum sub quolibet argumento sit aliquatenus affligendi licentia. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *n.* 47. *Vide lib.* VI, *ep.* 33, *indict.* 14.)

## 911 EPISTOLA XXII.

AD RUSTICIANAM PATRICIAM.

*Ut Romam veniat hortatur. Gratias agit pro decem auri libris in captivorum redemptionem expendendis.*

Gregorius [a] Rusticianæ patriciæ.

Jam dudum vestræ excellentiæ me scripsisse, et sæpius [b] imminuisse reminiscor, ut beati Petri apostolorum principis limina revidere festinet. Et quæ tanta sit Constantinopolitanæ civitatis delectatio, quæve Romanæ urbis oblivio, ignoro; obtinere apud vos hac ex re nunc usque nihil merui. Quantum enim ad colligendas æternæ vitæ mercedes vestræ animæ expedire possit; quantum etiam gloriosæ filiæ vestræ dominæ Eusebiæ in omnibus congruat, et nos subtiliter attendimus, et vos considerare subtilius potestis. Filium vero meum Petrum, hominem vestrum, quem ultra ætatem suam sapere, et maturitati studere cognovi, si requiritis, invenietis quantus hic omnium habitantium circa excellentiam vestram amor sit, quantumque desiderium ut vos revidere mereantur. Et si, præcipiente Domino, sacris eloquiis admonemur ut etiam inimicos diligere debeamus, pensandum nobis est quantæ culpæ sit etiam amantes minime amare. At si forte dicitur quod amamur, nos certissime scimus quia nemo potest diligere quos non vult videre. Sin vero gladios Italiæ ac bella formidatis, sollicite debetis aspicere quanta beati Petri apostolorum principis in hac urbe protectio est, in qua sine magnitudine populi, et sine adjutoriis militum tot annis inter gladios illæsi, [c] Deo auctore, servamur. Hæc nos, quia amamus, dicimus. Sed omnipotens Deus quidquid animæ vestræ in perpetuum, quidquid opinioni domus in præsenti conspicit expedire, concedat.

Decem vero auri libras, quas in captivorum redemptionem excellentia vestra transmisit, præfato filio meo deferente suscepi. Sed peto ut superna gratia, quæ vobis concessit eas pro animæ vestræ mercede tribuere, mihi etiam concedat, sine aliquo peccati contagio dispensare: **912** ne unde vos peccata detergitis, nos inde maculemur. Omnipotens Deus qui debilitatem corporis vestri et peregrinationem vestram conspicit, de sua semper gratia, et dulcissimi filii mei domni Strategii vos vita et salute consoletur; quatenus eum et vobis per longa tempora, et sibi ad æternitatem nutriat, vosque cum omni domo vestra et bonis præsentibus repleat, et supernam gratiam habere concedat. Gloriosum vero domnum Eudoxium nostra petimus vice salutari.

## EPISTOLA XXIII.

AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Ut Judæos ad Christianam fidem accedentes juvet, pergat Agrigentum.*

Gregorius [a] Fantino defensori.

[b] Domna abbatissa [c] monasterii sancti Stephani, quod in Agrigentino est territorio constitutum, indicante, comperimus multos Judæorum ad Christianam fidem, divina gratia inspirante, velle converti; sed esse necessarium ut aliquis illuc ex nostro mandato debeat proficisci. Proinde hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus, ut omni excusatione submota,

[c] Ita legimus in solo Colbert. vet. et in quatuor Vatic.

EPIST. XXI [*Al.* 22]. — [a] Per Samaræum hic Judæum intelligendum esse censemus. Vide lib. VI, epist. 33, indict. 14. Ex epist. 32 ejusdem libri liquet quod infra legitur, scilicet jura prohibere ne Christiani Judæis serviant.

EPIST. XXII [*Al.* 23]. — [a] De ea jam epist. 21 lib. II, indict. 10. GUSSANV.

[b] Excusi, *monuisse*. Obsequimur Mss. Vatic., Norm., Rhem., Corb., Colb., etc. Gregorius non raro utitur verbo *imminere*, pro *urgere*. Vide lib. IV Dialog., c. 38.

[c] In Vatic. B et D, *Deo adjutore*.

EPIST. XXIII [*Al.* 24]. — [a] Ita mss. Codices, vel *Fandino*. In Excusis, *Faustino*.

[b] In Mss. legitur modo *Domina*, modo *Dominica*, In pluribus tamen et potioribus, *domna*.

[c] Fuit hoc monasterium ab urbe Agrigento ad mille passus dissitum, cujus quædam adhuc exstant vestigia. Inibi visitur vetustissimum templum sanctæ Mariæ. Hæc Rocchus Pirrus in notitia Agrigentina GUSSANV.

ad prædictum locum pergere, et desiderium eorum tuis, Deo propitio, adhortationibus adjuvare festines. Quibus tamen (*Grat. de consec. dist. 4, c. 98*) si longum vel triste videtur [d] solemnitatem sustinere Paschalem, et eos nunc ad baptisma festinare cognoscis, ne, quod absit, longa dilatio eorum retro possit animos revocare, cum fratre nostro episcopo loci ipsius loquere, ut [e] pœnitentia ac abstinentia quadraginta diebus indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas fortassis occurrerit, eos omnipotentis Dei misericordia protegente baptizet, quia et temporis qualitas, propter eam quæ sibi imminet cladem, impellit ut desideria eorum nulla debeant dilatione differri. Quoscunque vero ex eis pauperes et ad vestem sibi emendam non sufficere posse cognoscis, te eis [f] vestem quam ad baptisma habeant comparare volumus ac præbere, in quibus pretium quod dederis tuis noveris rationibus imputandum. Si vero sanctum Pascha **913** elegerint exspectare, iterum cum episcopo loquere, ut modo quidem catechumeni fiant, atque ad eos frequenter accedat, geratque sollicitudinem, et animos eorum admonitione suæ adhortationis accendat; ut quanto quæ exspectatur elongatur festivitas, tanto se præparare et eam desiderio ferventi debeant sustinere.

Præterea cum omni studio ac diligentia studii tui sit perscrutari utrum supradictum monasterium, cui ante dicta domna præest, sufficiens sibi sit, an necessitatem aliquam patiatur. Et quidquid in veritate cognoveris, vel quid de his qui baptizari desiderant, actum fuerit, nobis subtiliter indicare festina. [g] Mense Junio, indictione prima. (*Cf. Joan. Diac., l. II, n. 49.*)

[d] In solemnitat. Epiph., Pasch. et Pentec., baptisma apud Græcos conferri solitum docent Gregorius Nazianz., orat. 39 et 40; Chrysostomus, orat. de Bapt. Christi, etc. Apud Latinos etsi id sibi sumpsere non pauci, quos ideo carpit Siricius Pont., epist. ad Himerium Tarracon., cap. 2, ut in Natalitiis Christi, Epiph. et apost. festivitatibus baptismum conferrent; etsi quoque, quod ad Epiph. attinet, id etiam præstarent episcopi Siciliæ, quos ideo graviter sanctus Leo, epist. 16, reprehendit, etsi alii, adhuc ultra progressi (quibus deo succenset conc. II Matiscon. an. 585, cap. 5) pene per singulos martyrum natales filios suos baptizarent; etsi denique id etiam viri gravissimi olim in Christi Natali usurparent; quo die baptizatum Clodoveum regem perhibet Avitus Vienn. in quadam ad ipsum epistola; quo etiam die baptizatos Anglos legimus, infra, epist. 30. Ea tamen fuit Romanæ Ecclesiæ consuetudo, ut in Pascha, Pentecosteque, et quidem solis, baptismus administraretur. Hæc duo solum tempora notant Tertullianus lib. de Bapt., c. 19; Siricius mox laudatus, Leo I, epist. 16 et 136; Gelasius, epist. 3, ad episcopos Lucaniæ; Gregorius II, epist. 3, ad universum clerum et plebem Thuringiæ; Nicol. I, ad Consulta Bulgar., c. 69. Idem plurima sanxere concilia, Gerund. an. 517; Matiscon. II, supra citatum; Mogunt. I an. 813; Paris. VI an. 829; Wormat. an. 868; et Tribur. an. 895. Eam denique suis temporibus consuetudinem observatam perhibent sæculi IX auctores qui de divinis offic. scripsere. Atque intra tempus istud et Ruperti ætatem, qui an. 1135 decessit, desiit paulatim hæc consuetudo.

[e] Nefas est baptizato pœnitentiam imponere. Inde dicebatur baptizando, ut vel sic desuesceret peccare, Christianis moribus assuesceret. Vide Tertullianum, lib. de Baptismo, cap. 20: *Ingressuros baptismum orationibus crebris, jejuniis, et genuflexionibus, et pervigiliis orare oportet*, etc. Rationem statim addit: *Simul enim et de pristinis satisfacimus conflictatione carnis et spiritus, et subsecuturis tentationibus munimenta præstruimus.* Idem auctor, lib. de Pœnitentia, cap. 6, notat pendente adhuc venia pœnam prospici. *Peccator*, inquit, *ante veniam deflere se debet, quia tempus pœnitentiæ idem quod periculi et timoris; neque ego renuo divinum beneficium, id est abolitionem delictorum inituris aquam omni modo salvum esse, sed ut eo pervenire contingat elaborandum est*, etc. Istum, quæso, locum consulant presbyteri in absolutionibus concedendis faciles. Cæterum de Quadragesima prævia baptismo, vide Laodicenum, canonem 45, quo cavetur ne quis ad baptismum admittatur, si jam duæ hebdomades Quadragesimæ effluxerint. Gussanv. Cyrillus Jerosol., præfat. in Catecheses mystagog., catech. 1: *Tempus*, inquit, *præscriptum tibi multum, quadraginta dierum pœnitentiam habens.* Id vero catechesi 5 *cursum jejunii* vocat. Sanctus Augustinus, serm. 13, ad Neophytos: *Per omnem Quadragesimam vacaverunt* (Competentes seu catechumeni in tertia jam statione positi) *orationibus et jejuniis*, etc. Ita quoque Siricius, epist. 1, ad Himerium Tarracon., cap. 2. Vide plura in notis ad Libr. Sacram., col 379, 380 et 381.

[f] Vide notas ad epist. 1 hujus libri.

[g] Id legitur in Vatic. A, B, D, F, et in vet. Colb

## EPISTOLA XXIV.

AD SABINIANUM JADERÆ EPISCOPUM.

*Gratulatur quod ubi obediendum est, obediat; ubi resistendum, resistat. Ipsius animum firmat adversus Maximi odium. Presbyterum nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse declarat.*

Gregorius [a] Sabiniano episcopo Jadertino.

Satis, frater charissime, de sinceritate tua lætificor, quod eam solliciti discretione judicii, et ubi obediendum est obedire, et ubi resistendum est resistere, studio sacerdotali cognosco. Cum quanta namque te devotionis alacritate submiseris his quæ ob culpam præteriti excessus indiximus, litterarum tuarum quas per latorem præsentium direxisti, pagina reseravit. Nec enim poterat aliter a dilecto fratre suscipi, quam a diligente mandatum est. Unde in omnipotentis Dei miseratione confido quia ita ejus te gratia protegit, ut per hoc etiam ab aliis absolutus, salubriter paruisse te gaudeas. De hoc vero quod se contristari charitas tua Maximi prævaricatoris et excommunicati æmulatione signavit, turbari non debet, sed decet ut ad modicum tumentes inaniter fluctus patienter tolerando sustineas, et undarum spumas perseverantiæ virtute substernas. Novit enim patientia levigare quod grave est, et constantia superare quod sævit. Animos ergo tuos adversitas non dejiciat, sed accendat. Audentiorem te in omnibus vigor sacerdotalis ostendat. Nam vera documenta veritatis sunt, promptiorem in duris, et fortiorem se quemquam in contrariis exhibere. Ut igitur rectitudinis robur a bono deliberationis suæ nulla valeat impulsione convelli, mentis gressus in ejus petræ soliditate, sicut cœpistis, dirigite, in qua Redemptorem nostrum per

[a] De Sabiniano vide supra, epist. 10.

Epist. XXIV [*Al.* 25]. —

totum mundum fundasse nostis Ecclesiam, quatenus recta sinceri cordis vestigia in devio itinere non offendant.

Ea vero quæ nobis scripsistis, vel præsentium lator coram positus explicavit, nos non credatis negligenter omittere, sed de his omnino sollicite cogitamus.

Dilectissimo autem filio nostro Anatolio diacono jam et prius et nunc iterum omnia subtiliter indicavimus : hortantes ut quidquid ad utilitatem ac quietem charitatis vestræ vel filiorum vestrorum **914** pertinet, Creatoris nostri auxilio suffragante, [b] agere stricte ac studiose festinet. Et ideo fraternitatem vestram nec mœror afficiat, nec inimicitia cujuslibet affligat. Nam divinitatis gratia opitulante, in proximo adesse confidimus ut et præfati prævaricatoris et excommunicati præsumptio districtius reprimatur, et vestra quies, sicut desideratis, adveniat. Excellentissimo quoque filio nostro Exarcho, qui nobis eum studet commendare, de pravitate ipsius scribere nequaquam omisimus.

Presbyterum vero (*Grat., dist.* 50, *can.* 3) de quo nos fraternitas tua latoris præsentium relatione consuluit, nulla ratione in sacro ordine [c] post lapsum aut permanere, aut revocari posse cognoscas. Circa quem tamen mitius agendum est, propterea quod commissum facinus facili dicitur professione confessus.

Præterea pariter hic portitor quædam Ecclesiæ vestræ privilegia a nostris concessa prædecessoribus intimavit. De quibus scriptis charitatis vestræ nos subtilius volumus informari ; vel si qua ex eis scripta in Ecclesiæ vestræ scrinio rejacent, eorum huc exemplaria transmitti necesse est ; ut quidquid ad honoris vestri reverentiam [d] vel genium præfatæ Ecclesiæ pertinet, libenti animo reparare possimus.

Glorioso autem communi filio domno Marcello, si huc venire voluerit, instantius suadete, quia omnino eum videre desidero. Si vero illic stare elegerit, ita vos ei in charitate qua convenit exhibete, ut affectui ipsius quem circa vos habet, respondere, sicut decet, valeatis. Omnipotens Deus gratiæ suæ dono [e] vos custodiat, protegat, et cor vestrum in ea quæ ei sunt placita semper accendat.

## EPISTOLA XXV.

AD VICTOREM EPISCOPUM PANORMITANUM.

*Judæos in his quæ ipsis concessa sunt nullo incommodo afficiendos.*

Gregorius Victori episcopo Panormitano.

Sicut Judæis non debet esse licentia quidquam in synagogis suis ultra quam permissum est lege præsumere, ita in his quæ eis concessa sunt nullum debent præjudicium sustinere. Quæ autem nobis in hac urbe Roma habitantes Hebræi pro his qui Panormi degunt, conquesti sunt, data vos ab eis petitio quæ in subditis tenetur informat. Si igitur querimonia eorum veritate fulcitur, oportet ut fraternitas vestra, legis serie diligenter inspecta, ita eis quidquid hac de re decretum est custodire debeat ac servare, ut nec ipsa aliquid injustum facere, nec illi pati præjudicium videantur. Si vero est aliquid quod ad restituendum ea quæ sunt postulata rationabiliter possit obsistere, judices a partibus eligantur, qui ea quæ æquitati conveniunt valeant definire. Quod si forte illic contentio ipsa finiri nequiverit, ad nos venire causam necesse est ; quatenus [a] sine vestra invidia quæ amica justitiæ visa fuerint **915** decernantur. Quousque ergo causa ipsa finem accipiat, a consecratione locorum quæ ablata dicuntur fraternitas se vestra suspendat.

## EPISTOLA XXVI.

AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Quæ clerici vasa sacra vendiderant Pantaleo notarius requirat.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Quia pervenit ad nos quod quidam [d] ex Italiæ Ecclesia clerici vasa sacra in Sicilia venundarunt, idcirco Pantaleonem notarium nostrum direximus, ut eadem vasa sollicita investigatione requireret. Qui postquam in vestræ sanctitatis est obsequio occupatus, eamdem causam eum cognovimus neglexisse. Oportet ergo ut fraternitas vestra congrua debeat sollicitudine providere, ut, tempore quo utile esse crediderit, eum ad peragenda ea ipsa debeat relaxare ; quatenus et ipsa de illo possit habere solatium, et ipse salubriter valeat quæ sibi sunt mandata Deo adjuvante peragere ; quia necesse est ut indictione subsequenti huc veniat, et subtiliter nos coram positus de cunctis informet.

## EPISTOLA XXVII.

AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Ne Catanenses diaconi campagis calceati procedere præsumant.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Ecclesiastici vigoris ordo confunditur, si aut temere illicita præsumantur, aut impune non concessa tententur. Pervenit itaque ad nos (*Grat., dist.* 93, *c.* 21) diaconos Ecclesiæ Catanensis [a] calciatos campagis procedere præsumpsisse ; quod quia nulli hactenus per totam Siciliam licuit, nisi solis tantum-

[b] Mendose in recent. Ed. irrepsit *augere*, pro *agere*.

[c] De lapsis nequaquam ad ordinum functiones recipiendis epist. 18 lib. I, et epist. 26 lib. III, nunc lib. IV, etc.

[d] Ornatum intellige, splendorem, decus sive privilegium jam ab antiquo concessum, atque adeo legitime expetitum. Vide Henricum Steph., Schediasm. c. 18 ; Joan. Brodæi, Miscel. lib. IX, c. 20. Syagrius Augustodun. episcopus, *pro genio et honore suæ Ecclesiæ pallium postulat*, infra, lib. IX, epist. 108.

[e] Vulgati, *vos et custodia protegat*.

EPIST. XXV [*Al.* 26]. — [a] In Rhemensi et Vatic. D, *sine scrupulo vestræ invidiæ*. In Vatic. F, *sine peste invidiæ*. Lectionis quam retinemus sensus est : Ita res transigatur et nullius odium incurratis. Quod quidem pastoribus utilissimum ; nam vix prosunt, nisi eorum quibus præsunt animos sibi conciliant.

EPIST. XXVI [*Al.* 27]. [a] Editi, *ex Italiæ Ecclesiis* ; quam lectionem sequi prohibent mss. Codices.

EPIST. XXVII [*Al.* 28]. — [a] Editi, mendose, *compagis*. Campagus est calceamentum quo prælati

modo diaconis Ecclesiæ Messanensis, quibus olim a præcessoribus nostris non dubitatur esse concessum, bene recolitis. Quia ergo tantæ temeritatis ausus non est leviter attendendus, cum omni hoc fraternitas vestra subtilitate perquirat; et si ita sicut ad nos pervenit invenerit, utrum a se, vel alicujus hoc auctoritate præsumpserint, nobis subtiliter innotescat, ut, cognita veritate, quid fieri debeat, disponamus. Nam si negligenter ea quæ male usurpantur omittimus, excessus viam aliis aperimus. [b] Mense Junio, indictione prima. (*Joan. Diac., lib.* IV, *c.* 8.)

## EPISTOLA XXVIII.

### AD VICTOREM ET COLUMBUM EPISCOPOS.

*Valentionem episcopum occupatas ex Crisconii parochia Ecclesias, necnon ablatas defuncti parochiæ hujus episcopi res, Crisconio restituere compellant.*

Gregorius Victori et Columbo episcopis Africæ, a paribus.

Quanto cordi nostro lætitiam Ecclesiæ ordo inculpabiliter custoditus infundit, tanto rescissus **916** tædium doloris imponit, quod pravitatis temeritas in eversionem disciplinæ tentat et quæ sunt olim laudabiliter statuta dissolvere, et quæ fortius punienda præsumere. Præsentium itaque portitoris Crisconii fratris et coepiscopi nostri querela ad nos insinuante pervenit quod, nulla exigente culpa, vel concilii definiente sententia, Ecclesiæ ejus parochiæ antiquitus deputatæ [a] a Valentione fratre et coepiscopo nostro ante fere quindecim annos sint irrationabiliter occupatæ, atque eum insuper res decessoris ipsius ad suum, quod dici grave est, arbitrium abstulisse. Quod si ita veritas se habet, quam perversum, quamve sit exsecrandum, præcipue [b] religioso proposito, dicere non valemus. Hac igitur in re, quia nec lenitas, nec aliqua debet esse dilatio, fraternitatem vestram præsenti epistola commonemus, ut sollicitius requiratis. Et si querela ejus manifesta esse constiterit, ablatarum rerum et occupatarum parochiarum restitutione dilectio vestra sine mora succurri provideat, et ita omnia, vobis solatiantibus, cessante excusatione, justitia favente, recipiat, ut nec hunc labor observationis afficiat, nec de ejus damno aliquid lucri invasor acquirat. Accendat ergo vos zelus æquitatis, accendat justitiæ rectitudo. [c] Ad custodiendam in cunctis antiquam ecclesiastici ordinis dispositionem, operam instanter impendite, districtos sollicitosque vos inter culpas et innocentiam exhibete, quatenus et justitiam habentibus magna de rectitudinis vestræ sit zelo fiducia, et inquietis de futuro omnis excedendi amputetur occasio [d].

## EPISTOLA XXIX.

### AD EULOGIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

*Ignotum sibi, quem postulabat Eulogius, Eusebii librum de martyrum gestis. Cur brevia ligna miserit. Spondet longiora ; pretium recusat.*

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino.

Utilis semper est docti viri allocutio, quia aut discit audiens quod nescire se noverat, aut cognoscit, quod est amplius, id quod se et nescisse nesciebat. Qua in re ex audientium numero ego nunc factus sum, cui sanctissima vestra beatitudo scribere studuit, ut cunctorum martyrum gesta quæ piæ memoriæ Constantini temporibus ab Eusebio Cæsariensi collecta sunt transmittere debeam. Sed hæc neque [a] si collecta sint, neque si non sint, ante vestræ beatitudinis scripta cognovi. Ago ergo gratias, quia sanctissimæ vestræ doctrinæ scriptis eruditus cœpi scire quod nesciebam. [b] Præter illa enim quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanctorum martyrum

---

in missa utuntur, a græca voce *καμτὴ*, *flexura*. Lege Saussaium Panopliæ episc. lib. VII, c. 1, art. 4. Campagos eosdem fuisse cum calceis antiquis patriciis contendit Salmasius in Trebellium. Patricios hosce calceos decussatim adnecti consuevisse ait Isidorus, illos Hesychius *cavum et profundum calceamentum* appellat, quod usque ad medias tibias ascenderent. Rubenius, de Re vestiaria, lib. II, c. 15, sandaliis vult similes fuisse campagos. Amalarius, lib. II de Eccles. officiis, c. 18 : *Quia*, inquit, *usque ad pedes Beda pervenit, disserendo de lineis vestibus, ut nosmetipsi absolvamus de sandaliis, sive alio nomine campagis, qui supersunt in pedibus*. Ita legendum, non *campobis* ut editum est. Honorius Augustod., in Gemma animæ, lib. I, c. 210, de campagis seu sandaliis episcoporum : *est*, inquit, *genus calceamenti incisi, quo pes partim tegitur, partim nudus cernitur*.

[b] Ita in Colbert. vet. et in tribus Vatic., scilicet A, D, E. In Vatic. B, quem sequuntur Excusi, *mense Junio*.

EPIST. XXVIII [*Al.* 15]. — [a] In tribus Vatic. et omnibus Norman., *ab Avalentione*. In Vatic. B, *a Valentio*.

[b] In Ed. Vatic. *religioso præposito*.

[c] Ad fontes disciplinæ canonicæ recurrendum censet. Ita fere, concilia omnia in Spiritu sancto congregata, nec enim sine regulis vivere conceditur, aut proprias in unaquaque diœcesi pro libito statuere. Utinam qui minutarum cæremoniarum uniformitatem tam importune clamitant necessariam, de præcipuis disciplinæ capitibus inter se convenirent, nec statutis novis invicem collidentibus vacarent. GUSSANV.

[d] In duobus Teller. epistola sic clauditur, *mense Julio indict.* 1.

EPIST. XXIX. — [a] In tribus Mss. Vatic., Norman. omnibus, Corb., Colb. et Rhem. legitur, *neque si collecta sint, neque si sint*. Sed cum sensu hæc careant, secuti sumus Vatic. B. et F. in quibus exstat, *neque si non sint*. In excusis, *neque si collecta non sint*.

[b] Præter ea quæ de sanctis martyribus in Hist. Eccles. refert Eusebius, duos de illorum gestis singulares libros edidit. Prior quem *Ἀρχαίων μαρτύρων συναγωγήν* appellat veterum martyrum acta genuina complectebatur, quantum ex iis quæ de hoc libro in Historia habet, lib. IV, c. 15, sub finem lib. V, etc., colligere fas est. In posteriori autem quem de martyribus Palæstinæ inscripsit, narrat ea quæ de suæ provinciæ martyribus ipse rebus gestis præsens viderat et audierat. Hunc Eusebii librum habemus post Eccles. ipsius Historiæ librum VIII. At prior, si penitus non exciderit, ita latet, ut a nemine prorsus hactenus potuerit inveniri. Diocletianææ persecutionis tempore ita sævitum in sacros Christianorum Codices, ut infinitorum pene librorum vix nomen pervenerit ad posteros. Has forte vices expertus est liber Eusebii de Gestis martyrum. Consule vitæ sancti Gregorii a nobis scriptæ indicem, ad vocem *Martyrologium*.

rum continentur, [c] nulla in archivo hujus nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius Codicis volumine collecta. [d] Nos autem pene omnium martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno Codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine quis qualiter sit passus **917** indicatur, sed tantummodo nomen, locus, et dies passionis ponitur. Unde fit ut multi ex diversis terris atque provinciis per dies, ut prædixi, singulos cognoscantur martyrio coronati. Sed hæc habere vos beatissimos credimus. Ea vero quæ transmitti voluistis quærentes quidem non invenimus, sed adhuc non invenientes quærimus, et si potuerint inveniri, transmittimus.

De lignis autem quod scribitis quia brevia fuerint, navis per quam transmissa sunt qualitas fecit, quia si major navis venisset, potuimus ligna etiam majora transmittere. Quod autem dicitis, quia si majora transmittimus, pretium dabitis, largitati quidem gratias agimus, sed accipere pretium, Evangelio interdicente, prohibemur. Nos enim ea quæ transmittimus ligna non emimus, et quomodo possumus pretium accipere, cum scriptum sit : *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8)? Nunc ergo juxta modum navis per nauclerum parva ligna transmisimus, quorum notitia subter annexa est. Sequenti vero anno, si omnipotenti Deo placuerit, majora præparamus. (*Cf. Joan. Diac. lib.* III, *c.* 26.)

[c] Benedictionem autem sancti Marci evangelistæ, imo, quod est verius, sancti Petri apostoli, in ea dulcedine qua est transmissa suscepimus, et salutationis alloquium persolventes, petimus ut beatitudo vestra pro nobis orare dignetur, quatenus et a malis præsentibus mereamur citius eripi, et a futuris gaudiis non excludi.

## EPISTOLA XXX.

### AD EULOGIUM EPISCOPUM ALEXANDRINUM.

*De Alexandrinæ urbis hæreticis conversis atque de fidelium concordia gratulatur. Scribit vicissim de Anglorum conversione. De Eudoxio hæretico aliisve fatetur sibi ab Eulogio factum satis. Universalis papæ titulum a synodo Chalcedonensi suis decessoribus oblatum, sed rejectum, respuit.*

Gregorius [a] Eulogio episcopo Alexandrino.

Communis filius, præsentium lator, sanctitatis vestræ scripta deferens, ægrum me reperit, **918** ægrum reliquit; qua ex re contigit ut ad largum vestræ beatitudinis fontem brevis epistolæ meæ vix parva potuisset aqua resudare. Superni autem muneris fuit ut in dolore corporis positus suavissimæ vestræ sanctitatis scripta susciperem, quæ me [b] de doctrina Alexandrinæ urbis hæreticorum et de concordia fidelium sublimiter lætificaret; quatenus ipsa mentis lætitia immanitatem mihi molestiæ temperaret. Et quidem de bonis vestris nova semper exsultatione gaudemus, sed tamen ita vos perfecte agere novum esse nullo modo deputamus. Quod enim crescit sanctæ Ecclesiæ populus, quod ad cœleste horreum spiritales segetes multiplicantur, hoc de omnipotentis Dei gratia quæ in beatissimis vobis large influit nunquam habuimus incertum. Gratias itaque omnipotenti Deo solvimus, quia impletum videmus in vobis esse quod scriptum est : *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum* (*Prov.* XIV, 8). Si enim bos fortis aratrum linguæ in terra cordis audientium non traxisset, tanta fidelium seges minime surrexisset.

[c] Quoniam vero in bonis quæ agitis scio quod et aliis congaudetis, vestræ vobis gratiæ vicem reddo, et non dissimilia nuntio, quia dum gens Anglorum in mundi angulo posita in cultu lignorum ac lapidum [d] perfida nuncusque remaneret, ex vestræ mihi orationis adjutorio placuit ut ad eam monasterii mei [e] monachum in prædicationem transmittere Deo auctore debuissem. Qui data a me licentia, [f] a Germaniarum episcopis episcopus factus, cum eorum quoque solatiis ad prædictam gentem in finem mundi perductus est, et jam nunc de ejus salute et opere ad nos scripta pervenerunt, quia tantis miraculis vel ipse, vel hi qui cum eo transmissi sunt, in gente eadem coruscant, ut apostolorum virtutes in signis quæ exhibent imitari videantur. In solemnitate autem dominicæ nativitatis, quæ hac prima indictione transacta est, plus quam decem millia Angli ab eodem nuntiati sunt fratre et coepiscopo nostro baptizati. Quod idcirco narravi, ut cognoscatis quid in Alexandrino populo loquendo **919** et quid in mundi finibus agitis orando. Vestræ enim orationes sunt in eo loco ubi non estis, quorum operationes sanctæ monstrantur in eo loco in quo estis. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 39.)

[c] Budæus : archivum ex Græco factum, est ἀρχεῖον, ἀρχειῶται custodes tabularii. Archivum autem magistratuum ædes significat, et regiam, et palatium, et judiciale forum. Ex quo factum est ut archium, et, interposito *v*, archivum significet chartophylacium. Id quidem levioris momenti. At Romæ nulla vel pauca tunc fuisse martyrum gesta, nullas de martyrum passionibus narrationes, id certe est mirabile. GUSSANV. Et novis auctoribus, qui Vaticanos Codices passim ingerunt, incommodum.

[d] Putant aliqui hunc locum intelligendum esse de Martyrologio illo Romano quod vetus appellatur. Verum id luculenter confutavit vir clarissimus Henricus Valesius πολυμαθέστατος in dissertatione ad calcem Eusebii, ubi contendit ante Usuardum nullum omnino exstitisse Martyrologium Romanum; istud autem de quo hic Gregorius, fuisse commune cum reliquis Occidentalibus, scilicet Martyrologium quod sub Hieronymi nomine editum est; nec tamen aut ab ipso Hieron. collectum, aut ex Eusebio translatum satis probatur. Plura videsis apud eumdem Valesium, et in Bolland., præfat. generali ad Acta sanctorum, c. 4, § 4. Partim ex GUSSANV.

[e] Benedictio hic et passim his in epistolis sumitur pro munere; quo etiam sensu in Scriptura sacra non raro accipitur, ut Genes. XXXIII Jacob ad fratrem ait : *accipe munusculum..... esto mihi propitius, et suscipe benedictionem quam attuli*, vers. 10 et 11. Idem eulogiæ nomine apud Græcos intelligitur, imo et apud Latinos. Reg. S. P. Benedicti, c. 54, *nullatenus liceat..... aut eulogia vel quælibet munuscula accipere.*

EPIST. XXX. — [a] In Norm., Corb. et Anglic., *patriarchæ.*

Præterea [g] de Eudoxii hæretici persona, de cujus errore in Latina lingua nihil reperi, mihi a vestra beatitudine largissime gaudeo satisfactum. Virorum quippe fortissimorum Basilii, Gregorii, atque Epiphanii testimonia protulistis, et manifeste peremptum cognoscimus eum in quem heroes nostri tot jacula dederunt.

De his vero erroribus qui nunc in Constantinopolitana Ecclesia probantur exorti, doctissime omnia, et ut judicium tantæ sedis proferre decuit, respondistis. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia adhuc arcæ Dei insunt tabulæ testamenti. Quid est enim sacerdotale cor, nisi arca testamenti? in qua quia spiritalis doctrina viget, procul dubio tabulæ legis jacent.

Indicare quoque vestra beatitudo studuit, jam se quibusdam non scribere [h] superba vocabula, quæ ex vanitatis radice prodierunt, et mihi loquitur, dicens : *Sicut jussistis.* Quod verbum jussionis peto a meo auditu removete, quia scio qui sum, qui estis. Loco enim mihi fratres estis, moribus patres. Non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt, indicare curavi. Non tamen invenio vestram beatitudinem hoc ipsum quod memoriæ vestræ intuli, perfecte retinere voluisse. Nam dixi, nec mihi vos, nec cuiquam alteri tale aliquid scribere debere ; et ecce (*Grat. dist.* 99, *c.* 5) in præfatione epistolæ quam ad me ipsum qui prohibui direxistis, [i] superbæ appellationis verbum universalem, me papam dicentes, imprimere curastis. Quod peto dulcissima mihi sanctitas vestra ultra non faciat, quia vobis subtrahitur quod alteri plus quam ratio exigit præbetur. Ego enim non verbis quæro prosperari, sed moribus. Nec honorem esse deputo, in quo fratres meos honorem suum perdere cognosco. Meus namque honor est honor universalis Ecclesiæ. Meus honor est fratrum meorum solidus vigor. Tunc ego vere honoratus sum, cum singulis quibusque honor debitus non negatur. Si enim universalem me papam vestra sanctitas dicit, negat se hoc esse quod me fatetur universum. Sed absit hoc. Recedant verba quæ vanitatem inflant, et charitatem vulnerant.

Et quidem in sancta Chalcedonensi synodo, atque post a subsequentibus Patribus hoc decessoribus meis oblatum vestra sanctitas novit. Sed tamen nullus eorum uti hoc unquam vocabulo voluit ; ut dum in hoc mundo honorem sacerdotum diligerent omnium, apud omnipotentem Deum custodirent suum. Proinde debitum salutationis alloquium solvens peto, ut in sanctis orationibus vestris mei memores esse dignemini, quatenus a peccatorum meorum nexibus, quia meis meritis non valeo, vestris intercessionibus me Dominus absolvat. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 60.)

## 920 EPISTOLA XXXI.

AD SECUNDINUM.

*Ne patiatur Monasterium in laicæ personæ potestatem venire.*

Gregorius Secundino episcopo Tauromenitano.

Querimoniam monachorum [a] monasterii Castelliensis oblata ab eis petitio quæ tenetur in subditis patefecit. Proinde fraternitas vestra hæc quæ asserunt, sollicita perscrutari cura studeat. Et si ea invenerit veritate subsistere, tuitionem illis impendat, et monasterium quod monasterio eorum unitum est secundum consuetudinem deputatis de congregatione eorum illic monachis provideat ordinari. Quia rationis ordo non patitur ut monasterium ipsum, et maxime contra voluntatem fundatorum, ab eorum dispositione ad arbitrium suum præsertim laica persona subducat, aut aliquis sibi in id jus debeat vendicare (*Grat.* 16, *q.* 7, *c.* 34).

## [a] EPISTOLA XXXII.

AD SCHOLASTICUM DEFENSOREM.

*Ecclesiæ colono mercedem juxta laboris modum solvat.*

Gregorius Scholastico defensori.

Alexander Frix, præsentium portitor, colonus Ecclesiæ nostræ, questus est nobis in domo, id est ecclesia quæ Catanæ a dilecto filio nostro Cypriano diacono fabricata est, triennii se tempore laborasse, et mercedem non ut dignum est accepisse. Et quanquam per tempora ipsa dicatur ad plurimos laborasse, unde etiam dum hic esses notitiam accepisti, hac tibi tamen auctoritate præcipimus ut diligenter inspicias ; et si plus in eadem domo quam mercedis acceperit operatus est, volumus ut secundum laboris modum, si quid super quatuor solidos et tremisses duos quos a memorato diacono accepisse dictus est meritus sit, addere ei quod justum videris debeas sciens tuis rationibus imputandum.

## EPISTOLA XXXIII.

AD DOMINICUM.

*Modestiam illius, charitatem, atque apostolicæ sedis reverentiam laudat.*

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi.

Scripta sanctitatis vestræ, quæ latore præsentium

[b] Ita Anglic., Norm., Corb., cum in aliis Excusis legatur : *de doctrina Alexandr. Ecclesiæ, de conversione hæreticorum, de concordia*, etc.

[c] In recent., *sed quoniam vere in bonis quæ agitis accrescit quod et aliis*, etc.

[d] In eosdem recent. irrepsit, Invitis Mss., *perfidia.*

[e] Sanctum Augustinum monasterii sancti Andreæ præpositum intelligit.

[f] Innuit Franciæ episcopos. Franci, quod a Germanis orti essent, Germani quoque sunt appellati. Apollinaris Sidon., lib. v, epist. 7, appellat provinciam Lugdunensem a Burgundionibus, origine Germanis, *Lugdunensem Germaniam.*

[g] De Eudoxio hæretico vide quæ diximus ad epist. 4 lib. VI, nunc lib. VII. GUSSANV.

[h] Vatic. A, *superflua vocabula.* Ita etiam infra.

[i] Vatic. B, *superstitionis verbum.*

EPIST. XXXI. — [a] Castelliense monasterium a Cassiodoro exstructum et tanti viri secessu nobilitatum prope Squillacium erat. De quo consule Vitam Cassiodori ejus operibus præmissam in novissima Editione, parte II, § 6 et seq. Vide etiam Cassiodorum de institutione divinarum litterarum, c. 29.

EPIST. XXXII [*Al.* 15, *lib.* IX, *ind.* 4]. — [a] A plerisque Mss. abest hæc epistola. Ex omnibus Vaticanis solus eam exhibet Codex A. Legitur quoque in San Victorino.

deferente suscepimus, ita sacerdotalem modestiam loquebantur, ut auctoris sui corporalem nobis quodammodo præsentiam blandirentur. Nec enim sermo rarus aliquid officit, ubi manet in animis continuus dilectionis affectus. **921** Magna autem charitatis virtus est, dilecte frater, quæ sinceritatis suæ vinculo alterna mutuo affectu corda constringit, et ea a gratiæ non sinit compage dissolvi : disjuncta conjungit, unita custodit, et ignotos sibi imagine reddit cognitos per amorem. Quisquis igitur in hujus cardine mentem figit, eum de supernæ patriæ habitaculo cujuslibet adversitatis impulsio non evellit, quoniam quocunque se verterit, [a] a mandatorum limine non excedit. Unde et in ejusdem charitatis laude per egregium prædicatorem dicitur : [b] *Quæ est vinculum perfectionis* (*Coloss.* III, 14). Quantæ itaque sit laudis aspicimus, quæ perfectionem non solum in mente generat, sed etiam ligat. Quia igitur hujus virtutis igne succensum tuarum te prodit locutio litterarum, uberi in Domino exsultatione lætificor, atque opto ut hæc in te magis magisque resplendeat, quia lux gregis est, pastoris flamma. [c] Decet enim, decet dominicum sacerdotem moribus et vita clarescere, quatenus in eo tanquam in vitæ suæ speculo plebs commissa et eligere quod sequatur, et videre possit quod corrigat.

Scientes præterea unde in Africanis partibus sumpserit ordinatio sacerdotalis exordium, laudabiliter agitis quos sedem apostolicam diligendo ad officii vestri originem prudenti recordatione recurritis, et probabili in ejus affectu constantia permanetis. Certum quippe est quia vestro honori additis [d] quidquid ei reverentiæ ac devotionis sacerdotaliter exhibetis, quia per hoc ut vicaria erga vos dilectione astringi debeat, invitatis.

Quod superest, charissime frater, omnipotentem Dominum assidua oratione poscamus, quatenus cordis nostri gressus in veritatis suæ tramitem dirigat; et ut ad cœlestia regna perducat, nominis officium protectionis suæ gratia operibus nos exhibere concedat. [e] Mense Augusto, indictione prima.

## EPISTOLA XXXIV.

AD JOANNEM EPISCOPUM SCILLITANUM.

*Castelliensis monasterii privilegia servet illæsa. Quædam sub xenii specie ablata reddat. Monachorum actibus invigilet. Monasterii jura tueatur. Donatum sibi ab Abbate agrum restituat.* (*Vide sup. ep.* 31.)

Gregorius Joanni Episcopo Scillitano.

Grave nimis et contra sacerdotale constat esse A propositum, velle cujusquam monasterii privilegia olim indulta confundere, et ad irritum quæ sunt pro quiete disposita niti deducere. Questi itaque nobis sunt Monachi Castelliensis monasterii quod in fraternitatis vestræ civitate **922** est constitutum quia eidem monasterio quædam contra ea quæ a prædecessoribus vestris permissa ac consuetudine longa servata sunt festinetis inducere, et antiquam ordinationem quadam præjudicii novitate turbare. Proinde his fraternitatem vestram hortamur affatibus ut, si ita est, ab ejus molestia se sine aliqua excusatione contineat, et quæ ei sunt diutius custodita nullius occasionis tentet usurpatione convellere; sed cuncta illibate et sine aliqua studeat refragatione servare, et plus sibi in eodem monasterio quam prædecessoribus suis licuit, B noverit non licere.

Quia vero pariter questi sunt fraternitatem tuam quædam de monasterio [a] sub xenii quasi specie abstulisse, necesse est si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritiæ te graviter culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare. Servatis itaque omnibus quæ a tuis, sicut diximus, prædecessoribus permissa sunt ac servata, curæ tuæ sit circa actus ac vitam consistentium illic monachorum te vigilantem insistere; et si quempiam illic prave conversari, aut in aliqua immunditiæ, quod absit, culpa inveneris, districta ac regulari emendatione corrigere. Nam sicut ab iis quæ incongrue usurpantur fraternitatem vestram volumus abstinere, C ita in his quæ ad disciplinæ rectitudinem vel animarum custodiam pertinent esse sollicitam modis omnibus admonemus.

Indicaverunt etiam prædicti monasterii monachi castrum quod Scillacium dicitur in solo juris monasterii eorum esse fundatum, atque ob hoc habitantes illic factis libellis [b] solatium annis singulis spopondisse persolvere, sed postea contempsisse, et ab eadem se præstatione supervacue suspendisse. Fraternitas ergo vestra subtiliter veritatem curet addiscere ; et si ita repererit, instanter studeat ut ea quæ promiserunt, quia et ratio exigit, præbere non differant, quatenus et illi quiete quod tenent possideant, et monasterii jura præjudicium non incurrant.

Præterea (*Grat.* 17, *q.* 4, *c.* 41) questi nobis sunt D prædicti monasterii monachi abbatem suum terram intra Scillitanum castrum, quæ in sexcentos pedes extenditur, sub prætextu fabricandæ Ecclesiæ frater-

EPIST. XXXIII [*Al.* 32]. — [a] Excusi recent., *a mandat. limite*, contradicentibus omnibus Vatic., Norm., Colb., etc. Et certe limen convenit cardini, non limes. Ut igitur in instituta comparatione Gregorius maneat, postquam dixit, *quisquis in hujus cardine mentem figit;* debuit addere : *a mandatorum limine non excedit.*

[b] Vatic. B. *quod est vinculum perfectionis.*

[c] Recent., *decet enim pastorem, decet dominicam.*

[d] In recent Ed., contra Mss. fidem, *quidquid reverentiæ ac devotionis ordini sacerdotali exhibetis.*

[e] In hac temporis nota consentiunt Vatic., Colbert. et Teller.

EPIST. XXXIV [*Al.* 33]. — [a] In Mss. passim, *sub exenii.* In Vatic. D, interjecta hæc verba leguntur : *sub præstatus quasi specie.*

[b] Alias, *solatium.* Hæc vox sæpissime occurrit, nec idem significat. Hic usurpatur pro pensione vel reditu qui persolvitur domino, seu proprietario ratione fundi sive soli. Sæpe etiam solatium pro stipendiis occurrit. GUSSANV. Cæterum ex hac epistola patet monasteria olim dominiis amplissimis potita esse: ita ut ab ipsis penderent castella et vici integri. Nam quod de monasterio Castelliensi Cassiodori munificentia ditato hic legitur, de aliis quæ reges et imperatores fundatores habuerunt, quis facile non credat?

nitati tuæ donationis titulo concessisse; et ideo volumus quantum parietes possunt ædificatæ ecclesiæ circumdare, juri ecclesiæ vindicari. Quidquid vero extra parietes ejusdem ecclesiæ esse potuerit, ad jura monasterii sine difficultate aliqua revertatur, quia nec mundanarum *legum*, nec sacrorum canonum statuta permittunt, res monasterii de jure ejus quolibet titulo segregari. Eapropter donationem ejusdem terræ, quæ contra rationem facta est, sine aliqua dilatione restitue.

## 923 EPISTOLA XXXV.

AD LEONTIUM EXCONSULEM.

*Jerusalem cives nonnunquam Babyloniæ servire, et vicissim. Laudat Leontii mansuetudinem, humilitatem, justitiam. Ipsi pro muneribus gratias agit, et de catenis sancti Petri scobem clave inclusam largitur.*

Gregorius Leontio exconsuli.

Quia in magna domo non solum sunt vasa aurea et argentea, sed et lignea et fictilia, et quædam quidem in honorem, quædam autem in contumeliam (*II Tim.* II, 20), quis ignoret quod et in universæ Ecclesiæ sinu alii velut vasa contumeliæ rebus deputantur infimis, alii vero ut honoris vasa rebus aptantur mundis? Et tamen plerumque contingit ut et [a] cives Babyloniæ in [b] angaria serviant Jerusalem, et cives Jerusalem, id est cœlestis patriæ, in angaria deputentur Babyloniæ. Cum enim electi Dei magnis moribus prædi.ti, modestia ornati, lucra propria non quærentes, terrenis deputantur rebus, quid aliud quam sanctæ Jerusalem cives in Babyloniæ opere serviunt? Et cum quidam in pravis moribus effrenati locum sancti honoris tenent, atque in ipsis quæ bene facere videntur propriam laudem quærunt, quid aliud quam cives Babyloniæ supernæ Jerusalem angarias exsolvunt? Sic enim Judas apostolis admistus diu Redemptorem humani generis prædicavit, signa cum cæteris fecit; sed quia Babyloniæ civis fuerat, Jerusalem cœlesti opus suum in angaria persolvit. At contra Joseph in Ægyptum ductus terreno palatio servivit, curam ministerii in rebus temporalibus gessit, quidquid [c] juste regno transitorio debebatur exhibuit. Sed quia sanctæ Jerusalem civis exstitit, servitium Babyloniæ in sola, ut prædictum est, angaria ministravit. Hujus ergo, bone vir, esse te sequacem credo, quem terrenis actibus implicatum, mansueto spiritu agere, humilitatis arcem per omnia custodire, et singulis quæ justa sunt tribuere cognosco. Tanta enim de vestra gloria a multis bona referuntur, **924** ut mihi hæc non libeat audire, sed cernere; ejus tamen quem videre me non licet, bona me pascit opinio. Sanctæ autem Ecclesiæ, id est omnium electorum typum tenens mulier, quæ alabastrum fudit, domum replevit unguento (*Luc.* VII). Et nos quoties de bonis aliquid audimus, suavitatis auram quasi per narem trahimus. Et Paulus apostolus cum dicebat: *Christi bonus odor sumus Deo* (*II Cor.* II, 15), patenter datur intelligi, quia saporem se quidem præsentibus, sed odorem absentibus exhibebat. Nos itaque qui per præsentiæ saporem non possumus, per odorem vestræ absentiæ nutrimur.

De hoc etiam valde gaudemus, quod munera quæ transmisistis vestris moribus dissimilia non fuerint. [d] Oleum quippe sanctæ crucis et aloes lignum suscepimus. Unum quod tactum benedicat, aliud quod per incensum bene redoleat. Decebat igitur ut bonus vir ea transmitteret, quæ iram nobis Domini placare potuissent. Alia quoque [e] in cellariis multa misistis, quia sicut mente et carne subsistimus, necessarium fuit a vobis in utroque contineri deberemus. De quibus transmissis tamen dulcissima mens vestra valde se erubescere fatetur, atque eidem verecundiæ scutum charitatis opponere. Sed in his ego verbis omnimodo gaudeo, quia in tali mentis attestatione cognosco quod nunquam possit aliena tollere, qui et hoc ipsum erubescit quod propria largitur. Parva vero appellatis munera vestra, quæ magna sunt; sed, credo, ut adhuc amplius ex ipsa gloriæ vestræ humilitate proficiant. Et petitis ut hæc bona mente suscipiam. Sed inter ista ad memoriam cujusdam viduæ duo minuta reducite (*Luc.* XXVII). Si enim illa Deo placuit, quæ bono animo pauca obtulit, cur non hominibus placeat, qui mente humili multa dedit? Præterea benedictionem vobis sancti Petri apostolorum principis, clavem sacratissimi sepulcri ejus, in qua benedictio de catenis illius est inserta, transmisimus, ut quod ejus collum ligavit ad martyrium, hoc vestrum ab omnibus peccatis absolvat [f].

EPIST. XXXV. [*Al.* 34]. — [a] Phrasis usitata sancto Augustino. GUSSANV.

[b] Servitium, ministerium, vel debitum ministerii. GUSSANV.

[c] Mutarunt recent. edit. ad libitum *juste*, quod in omnibus Mss. legitur, *injuste*.

[d] Pauca de oleo annotavit ex Baronio Binius, plura longe Gretserus lib. I de sancta Cruce, c. 79, et explicat sancti Gregorii locum de oleo quod ex dominicæ crucis ligno manaret. GUSSANV. Beda, de Locis sanctis cap. 20: *de nodis enim ligni sancti liquor odorifer oleo similis profluit, cujus si etiam modica particula contingat, omnem ægritudinem sanat.*

[e] De cellariis supra, lib. I, epist. 42, nunc 44. GUSSANV.

[f] In Norm., Colb. et plerisque Mss., superioribus epistolis indict. I subjiciuntur duæ aliæ, una *Adeodatæ illustri*, quæ nunc est libri X, 49, altera *Januario Carat. episc.*, quæ libri noni sequentis ordine tertia est.

# LIBER NONUS.

## Mense Septembri, indictione II.

### 925 [a] EPISTOLA PRIMA.

AD JANUARIUM EPISCOPUM CARALITANUM.

*Illum increpat quod dominico die, ante missarum solemnia, cujusdam messem invertisset sulcis, et, peracto sacro, terminales lapides ipse effodisset.*

Gregorius Januario episcopo Caralis.

Prædicator omnipotentis Domini, Paulus apostolus (*Grat. c.* 2, *q.* 7, *can.* 28), dicit : *Seniorem ne increpaveris* (*I Tim* v, 1). Sed hæc ejus regula in ea re servanda est, cum culpa senioris, exemplo suo non trahit ad interitum corda juniorum. Ubi autem senior juvenibus exemplum ad interitum præbet, ibi districta increpatione feriendus est. Nam scriptum est : *Laqueus juvenum omnes vos* ( *Isai.* XLII, 22 ). Et rursus propheta dicit : [b] *Et peccator centum annorum maledictus est* (*Isai.* LXV, 20). Tanta autem nequitia (*Grat. dist.* 86, *c.* 24, *et* 1, *q.* 7, *c.* 11) ad aures meas de tua senectute pervenit, ut eam nisi adhuc humanitus pensaremus, fixa jam maledictione feriremus. Dictum quippe mihi est quod dominico die, priusquam missarum solemnia celebrares, ad exarandam messem latoris præsentium perrexisti, et post exarationem ejus missarum solemnia celebrasti. Post missarum solemnia etiam terminos possessionis illius eradicare minime timuisti. Quod factum quæ pœna debeat insequi omnes qui audiunt sciunt. Dubii autem de tanta hac perversitate fueramus; sed filius noster Cyriacus abbas a nobis requisitus, dum esset Caralis, ita se cognovisse perhibuit. Et quia adhuc canis tuis parcimus, hortamur, aliquando resipisce, senex, atque a tanta te levitate morum, et operum perversitate compescas. Quanto morti vicinior efficeris, tanto fieri sollicitior atque timidior debes. Et quidem pœnæ sententia in te fuerat jaculanda; sed quia simplicitatem tuam cum senectute novimus, interim tacemus. Eos vero, quorum consilio hæc egisti, in duobus mensibus excommunicatos esse decernimus; ita tamen ut si quid eis intra duorum mensium spatium **926** humanitus evenerit, benedictione viatici non priventur. Deinceps autem ab eorum consiliis cautus existe; te quoque sollicite custodi, ne si eis in malo discipulus fueris, quibus in bono magister esse debuisti, nec A simplicitati tuæ ulterius, nec senectuti parcamus [c]. ( *Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 32, 44. )

### EPISTOLA II.

AD VITALEM SARDINIÆ DEFENSOREM.

*Decretam adversus Januarii consiliarios excommunicationem exsequatur. Restituat integrum xenii pretium.*

Gregorius Vitali defensori Caralitano.

Quid de fratre nostro Januario episcopo agnovimus, et lator præsentium, et exemplaria scriptorum nostrorum te poterunt informare; atque ideo excommunicationem quam super perversos ejus consiliarios dari decrevimus, tua experientia solerter exsequatur, ut cadentes discant quatenus incaute ambulare non debeant.

Præterea pretium tritici quod nobis xenii nomine B fuerat transmissum, per latorem præsentium [a] Redemptum defensorem transmisimus. Videat experientia tua, ne vel tu, vel ipse qui detulit, aliquid ex eo in pretio commodi participare præsumat, sed totum singulis vel simul omnibus illibatum restituat, eorumque mihi scripta de eodem pretio transmittat, quia si aliter quam admoneo factum cognovero, vindictam ex eadem causa non mediocriter exercebo.

### EPISTOLA III.

AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Pro concesso sepulturæ loco exigendum nihil. Si vero pro luminaribus aliquid offeratur, licet accipere.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Questa est nobis Nereida clarissima femina, quod ab ea centum solidos pro filiæ suæ sepultura **927** C fraternitas vestra non erubescat exigere, atque ei super doloris gemitum majorem dispendii studeat inferre molestiam. Quod si ita se veritas habet, quia grave nimis et procul est a sacerdotis officio pretium de terra concessa putredini quærere, et de alieno velle facere luctu compendium, ab hac se petitione fraternitas vestra contineat, et molesta ei de cætero non existat, maxime quia et Hortulanum quondam, de quo seipsam asserit filiam suscepisse, Ecclesiæ vestræ non in parva quantitate munificum memorat exstitisse. Hoc autem vitium et nos postquam, Deo auctore, ad episcopatus honorem accessimus, de

LIBER IX. *Al.* LIBER VII. Indict. II.

EPIST. I. — [a] In Colbert. et Regio præcedit : *Levatus est Maximus*, etc., ut legitur in aliis Excusis, initio libri VII, indict. 1, seu octavi. Hæc ad calcem D amandanda duximus. In Vatic. A præmittitur quoque epist. 1 lib. IX, *De pœnitentia et satisfactione Maximi prævaricatoris.* In Vatic. D tantum legitur : *De Maximo præsumptore. Levatus est*, etc. In Vatic. E : *De Maximi præsumptione et pœnitentia.* In Vatic. F. *De pœnitentia Maximi episcopi.*

[b] Ita in plurimis Mss. et editis antiquioribus Codd., et apud Joan. Diaconum, licet in quibusdam, sed paucis, legatur : *et puer centum an.*, etc. Favet autem nostræ lectioni ipse contextus epistolæ, necnon et variæ versiones. Vulgata : *Et peccator centum annorum maledictus erit.* Hebraica : *Et peccator filius centum annorum maledicetur.* LXX Interpretes : *Et peccator centenarius etiam maledictus erit.* Syriaca : *Quicunque peccaverit centesimum annum agens maledicetur.* Eodem modo Chaldaica et Arabica. GUSSANV. In Vatic. D, ubi legitur, ut in aliis Mss., *peccator centum annorum*, hæc varia lectio additur, *et puer centum annorum.* Sic quoque legit Gratianus, causa 2, q. 7, can. 28. PAULUS.

[c] In quatuor Vatic. subditur *mense Octobri, indict.* 11. Sed in Colbert. præmittitur huic epist. *mense Septembri, indict.* 11.

EPIST. II [*Al.* 53, *lib.* IX, *indict.* 6]. [a] Aliis in Editis, *Redemptorem.* Legendum *Redemptum* suadet Epistola sequens, ubi de eodem defensore agitur.

Ecclesia nostra omnino vetuimus, et pravam denuo consuetudinem nequaquam usurpari permisimus; memores quia dum Abraham a filiis Emor, hoc est Ephron filio Seor, sepulcrum pretio ad humandum corpus conjugis postularet, pretium accipere renuit, ne commodum videretur de cadavere consecutus (*Genes.* XXIII). Si ergo tantæ considerationis paganus vir fuit, quanto magis nos, qui sacerdotes dicimur, hoc facere non debemus? Unde ne hoc avaritiæ vitium, ne vel in alienis denuo tentari præsumatur admoneo. Sed si quando aliquem [a] in Ecclesia vestra sepeliri conceditis, siquidem parentes ipsius, proximi, vel hæredes [b] pro luminaribus sponte quid offerre voluerint, accipere non vetamus. Peti vero aut aliquid exigi omnino prohibemus : quod valde irreligiosum est, ne aut venalis fortasse, quod absit, dicatur Ecclesia, aut vos de humanis videamini mortibus gratulari, si ex eorum cadaveribus studeatis quærere quolibet modo compendium. (*Vide l.* VIII, *ep.* 3.)

Alias vero causas quas prædictæ Nereidæ est complexa petitio hortamur ut aut pacifica, si fieri potest, ordinatione definias, aut certe in deputatum a nobis judicium personam instructam dirigere non omittas, quia ad hoc Redemptum defensorem nostrum præsentium portitorem illic direximus, ut et partes in judicio [c] observare compellat, et exsecutionis suæ instantia ad effectum quæ fuerint judicata perducat [d].

## EPISTOLA IV.

### AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Donec ordinata cum Agilulpho pax confirmetur, cavendum ab iterata in Sardiniam incursione. Januarium de exarata messe iterum ex fraterna dilectione objurgat.*

Gregorius Januario episcopo [a] Sardiniæ.

Quid in Sardinia hostes nostri fuerint operati, priusquam fraternitatis vestræ epistola **923** ad nos perveniret agnovimus. Et quia hoc futurum dudum metuimus, evenisse quod prævidimus vobiscum nunc gemimus. Quod si secundum ea quæ tam vobis quam excellentissimo filio nostro Gennadio hoc fore nuntiantes scripsimus sollicitudo fuisset adhibita, inimici illuc aut non accederent, aut accedentes periculum quod fecerunt incurrerent. Vel nunc ergo ea quæ contigerunt vigilantiam vestram in futura exacuant. Nam et nos quidquid prodesse possumus, facere, Domino auxiliante, nequaquam omittimus.

Cognoscatis autem abbatem, quem ad Agilulphum ante multum jam tempus transmisimus, pacem cum eo, Deo propitio, quantum nobis ab excellentissimo exarcho scriptum est, ordinasse. Et ideo quousque pacta de confirmatione pacis ipsius conscribantur, ne forte hostes nostri in hac dilatione ad partes illas iterum velint accedere, murorum vigilias et sollicitudinem in locis facite omnibus adhiberi. Et confidimus in Redemptoris nostri potentia quia adversariorum vobis incursus vel insidiæ denuo non nocebunt.

Hoc vero quod scripsistis, multos contra vos nobis querelas deponere, verum est; sed inter diversa non nos sic res alia contristavit, quomodo id quod nobis dilectissimus filius noster Cyriacus abbas retulit, quia die dominico ante missas messem de agro quem Donatus possidebat feceris exarari. Quod ne parum esset, expleto sacrificio, per temetipsum illuc accedens terminos effodisses. Ob quam rem hortor ut officium quod geris sollicita mente consideres, et quidquid gravare potest aut opinionem tuam aut animam omnino refugias, et te committere illud nullius suasione consentias. Nam non terrenarum rerum curam, sed animarum te ducatum suscepisse cognoscas. Ibi ergo cor figere, ibi sollicitudinem, ibi totum debes studium adhibere, atque de earum lucro diligentius cogitare, ut dum venienti Domino multiplicata quæ tradidit talenta reddideris, retributionis ab eo fructum consequi et inter fideles famulos in æterna merearis gloria exaltari. Hoc autem quod objurgo vel increpo, non ex asperitate, sed ex fraterna scito dilectione descendere, quia sacerdotem te apud omnipotentem Deum non nomine, quod solum ad pœnam est, sed etiam meritis, quod ad mercedem respicit, inveniri desidero. Nam dum unum in Redemptoris nostri corpore membrum sumus, sicut in culpa tua dilaceror, ita quoque et in bona actione lætificor. (*Vide sup. ep.* 1.)

Illud præterea quod vultis, ut personam [b] a nostro

Epist. III [*Al.* 56]. — [a] De sepultura in ecclesiis jam dictum est in nota ad cap. 50 lib. IV Dialog., Veterem hunc usum esse satis docet sanctus Ambrosius, lib. I de Abraham, c. 9, n. 80. *Nondum*, inquit, *erant hujusmodi Dei templa in quibus fidelium Domino reliquiæ condantur;* novæ edit. col. 508.

[b] Nota hic luminaria in defunctorum exsequiis. De luminaribus in ecclesiis multa occurrunt apud Gregorium, maxime in Dialogis. Consule notas ad librum Sacramentorum 577 et 1060.

[c] Id est, causæ adesse. Reperitur illa vox in epistola Plinii ad Rufum, lib. V, *Sedebant judices, centumviri venerant, observabantur*, id est causæ apud eos agebantur. *Advocatis silentium longum*, etc., nempe silentiariis audientiam facientibus et murmur comprimentibus. Auget.

[d] In duobus Tell. r. legitur, *mense Martio, indict.* 11.

Epist. IV. [*Al.* 2]. — [a] In Vulgatis, *episcopo Caralit.* Erat quidem Januarius Caralit. episcopus. Quia tamen in omnibus Mss. Vatic., Norm., Rhem., Corb., Reg., etc., legitur *episcopo Sardis* vel *Sardiniæ*, eos sequendos duximus.

[b] Hinc legati a latere ex eorum numero assumpti qui sunt in summi pontificis ministerio assidui, de quibus c. *Ad eminentiam*, extra *de excomm.* Alii sunt legati simpliciter, de quibus est titulus *de officio legati*, extra. lib. I, ubi etiam interseruntur quædam capita de legato a latere. Alii tandem sunt legati nati ratione suarum Ecclesiarum, ut Rhemensis archiepiscopus, et similes, de quibus vide can. 1 de Legato, in 6. Totam de legatis doctrinam Conradus Brunus copiose quinque libris complexus est anno 1548. Apud Gregorium Turonensem lib. V Historiæ, cap. 29. Rex mittit personas de latere suo. Gussanv. Vide notas ad epist. 51 lib. V. Concil. Carthag., sub Bonifacio, an. 419, can. 5 : *Quod si is qui rogat causam suam iterum audiri, deprecatione sua moverit episcopum Romanum, ut e latere suo presbyterum mittat.* Ex hoc loco confirmatur antiquitas *legatorum a latere*, alibi jam asserta.

latere deputemus, cui causas vestras insinuare **929 A** nobis referendas subtiliter debeatis, dilectissimo filio nostro Petro et Theodoro consiliario quæcunque vultis scribite, ut per eos nobis insinuata, quidquid de his ratio suaserit, Domino valeat revelante disponi. De fratre autem et coepiscopo nostro Marciniano, dum pax cum prædicto Agilulpho perfecte fuerit confirmata, erit cognitio, et fiet quidquid rationis ordo dictaverit.

## EPISTOLA V.

AD MARCELLUM DALMATIÆ PROCONSULEM.

*Illum redarguit ob præstitum Maximo favorem. Docet qua ratione in gratiam secum redire possit.*

Gregorius [a] Marcello proconsuli Dalmatiæ.

Epistolam magnitudinis vestræ suscepimus, in qua vos nostram incurrisse [b] ingratitudinem indicastis, atque ob hoc per directam satisfactionem habere nostram velle vos gratiam. Et quidem tanta ad nos de vestra magnitudine pervenerunt, quanta a fideli viro minime committi debuerant. Vos enim tanti mali de causa Maximi omnes astruunt auctores existere, per quos spoliatio illius Ecclesiæ vel tantarum animarum perditio, atque inauditæ præsumptionis audacia sumpsit initium. Et quidem quod nostram vos velle gratiam habere petitis, convenit ut Redemptori nostro pro his talibus satisfacere tota intentione mentis, ut dignum est, cum lacrymis debeatis, quia [c] si illi satisfactum non fuerit, quid nostra relaxatio vel gratia poterit certe conferre? Dum tamen adhuc in præsumptorum ruinis vel errantium defensionibus inesse vos cernimus, qualis vel Deo, vel hominibus vestra sit satisfactio non videmus. Tunc enim Deo et hominibus se satisfacere magnitudo vestra patenter evidenterque cognoscat, si et devia ad rectitudinem, et præsumptiva ad humilitatis normam [d] reducat. Quod si factum fuerit, per hoc vos et Dei percepturos et hominum gratiam cognoscatis.

## EPISTOLA VI.

AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Occupatam a Petro recens baptizato synagogam Judæis restituendam; hos ad fidem non cogendos. Conciliandos inter se hostium metu civium animos, ac muniendam fortius civitatem.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Judæi de civitate vestra huc venientes questi nobis sunt quod synagogam eorum quæ Caralis sita est, **930** Petrus qui ex eorum superstitione ad Christianæ fidei cultum Deo volente perductus est, adhibitis sibi quibusdam [a] indisciplinatis, sequenti die baptismatis sui, hoc est Dominico in ipsa festivitate paschali, cum gravi scandalo sine vestra occupaverit voluntate, atque imaginem illic genitricis Dei Dominique nostri, et venerandam crucem, et **B** [b] birrum album, quo de fonte resurgens indutus fuerat, posuisset. De qua re et filiorum nostrorum Eupaterii gloriosi magistri militum, [c] atque magnifici pii in Domino præsidis, aliorumque nobilium civitatis vestræ ad nos hæc eadem scripta attestantia cucurrerunt. Qui etiam adjecerunt a vobis hoc præsensum, et prædictum Petrum ne hoc auderet fuisse prohibitum. Quod cognoscentes, omnino laudavimus, quia sicut revera bonum decuit sacerdotem nil fieri unde justa esset reprehensio voluistis. Sed quia per hoc quod minime vos in his quæ prave acta sunt miscuistis, displicere vobis quod factum est demonstrastis; considerantes hac de re vestræ voluntatis intentum, ac magis judicium, his hortamur affatibus, ut sublata exinde cum ea qua dignum **C** est veneratione imagine atque cruce, debeatis quod violenter ablatum est reformare; quia sicut legalis definitio Judæos novas non patitur erigere synagogas, ita quoque eos sine inquietudine veteres habere permittit. Ne ergo supra dictus Petrus, vel alii qui ei in hac indisciplinationis pravitate præbuere solatium sive consensum, hoc zelo fidei se fecisse respondeant, ut per hoc quasi eis necessitas fieret convertendi, admonendi sunt atque scire debent quia hac

Epist. V [*Al.* 3]. — [a] Hanc epistolam non continent Mss. Reg., Norm., Anglic., Corb., Rhem., Colbert. E Vaticanis unus Codex A eam exhibet. Vide supra, lib. III, epist. 22. Prius legebatur *Marcellino*. Et quidem sic habetur in Vatic. in quo fere solo epistola hæc habetur, at ex aliis epistolis in quibus ejusdem viri fit mentio (quas continent Mss. omnes) legendum *Marcello*.

[b] Gall., *disgrâce*. Ptolemæus Flavius, in conjectaneis ait hanc vocem esse duriusculam et raram apud veteres. Certe in hac significatione videtur rarissime, si usquam videtur. Vulgo enim usurpant pro vitio animi ingrati, quod ἀχαριστίαν vocabat Cicero. Tertullianus, de Pœnitentia, cap. 1, vocat ingratiam. Gussanv.

[c] Sic sancti Patres : Christus ad vitam revocat Lazarum, apostoli solvunt vincula. Id adversus temerarias, si quæ dantur, absolutiones et indulgentias dictum puta. Gussanv.

[d] Rhemigianus Codex, qui epistolas in omnibus pene aliis Mss. prætermissas continet, *studeat revocare*.

Epist. VI [*Al.* 5]. — [a] Ciceroni exleges, qui legibus nolunt parere. Gussanv.

[b] Græcis βήριον, βίρρος, βίρριον, hinc βιρροφόροι. Legunt aliqui, sed mendose, *pyrrum album*, ut Jonas de Inst. imag., lib. I. Hæc vox sumpta quandoque pro veste servili, ut apud Suidam. Existimarem ego usurpatam pro quacunque veste. Lege Salmasium in Tertullianum de Pallio. Dixerunt aliqui byrrum aut burrum pro veste vili, Gallis *bure*, aut *bureau*. Hic pro pretiosa sumitur; sic apud Isidorum, in regula cap. 14 : *Birrus est vestis pretiosa, ac proinde monachis prohibitus*. Sunt qui censent birrum fuisse genus pallii brevioris, ecclesiasticis, etiam tempore Gangrensis concilii, usitatum; scilicet palliolum breve humeros tantum et brachia tegens. Gussanv. De birro **D** vide notam *h* epist. 42 lib. I, ubi ex Sulpicio Severo insignis locus profertur, in quo byrri mentio injicitur. Hunc locum explicans Salmasius censet byrrum, lacernam et chlamydem eamdem esse vestem solo nomine diversam. Byrrum ait coloris fuisse ut plurimum byrri, hoc est russei, unde et nomen; *nam burrum*, inquit, *byrrum Latini dixere, quod Græci* πυρρόν. *Sed et cujuslibet coloris lacernas byrros etiam* καταχρηστικῶς *appellabant. Cum apud Romanos togæ desiissent, byrris sive lacernis usi sunt.* Reliqua vide in Edit. ab Hornio accurata.

[c] Fortasse is erat ad quem lib. XI, epist. 22, ubi appellatur *Spesindeo*.

circa eos temperantia magis utendum est, ut trahatur ab eis velle non reniti, non ut adducantur inviti, quia scriptum est : *Voluntarie sacrificabo tibi* (*Psal.* LVIII, 8); et : *Ex voluntate mea confitebor illi* (*Psal.* XXVII, 7). Sanctitas ergo vestra gratiam inter civitatis suæ habitatores, adhibitis sibi filiis suis, quibus una vobiscum hæc displicent, sacerdotali adhortatione, sicut eam decet, studeat facere, quia hoc maxime tempore quando de hoste formido est, divisum habere populum non debetis. Quia vero non minorem de vobis quam de nobis sollicitudinem gerimus, hoc quoque pariter indicandum curavimus, quod [d] finita hac pace Agilulphus Langobardorum rex pacem non faciet. Unde necesse est ut fraternitas vestra, dum licet, civitatem suam vel alia loca fortius muniri provideat, atque immineat ut abundanter in eis condita procurentur, quatenus dum hostis illuc Deo sibi irato accesserit, non inveniat quod lædat, sed confusus abscedat. Sed et nos pro vobis quantum possumus cogitamus, et iis quorum interest, ut **931** se ad obsistendum Deo auctore præparare debeant, imminemus, quia sicut vos nostras tribulationes vestras attenditis, ita quoque nos vestras afflictiones nostras similiter reputamus.

## EPISTOLA VII.

### AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Etsi monachicam vestem non induerit abbatissa, irritum tamen ex imp. lege illius testamentum; reddenda proinde monasterio quæ aliis illicite donavit Sirica.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Quia ingredientibus monasterium (*Grat.* 19, *q.* 3, *c.* 7) convertendi gratia [a] ulterius nulla sit testandi licentia, sed res eorum ejusdem monasterii juris fiant, aperta legis definitione decretum est. Quod cum pene omnibus notum sit, in magnam nos Gaviniæ abbatissæ monasterii [b] sanctorum Gavini atque Luxorii insinuatio admirationem perduxit, quod Siricam monasterii sui abbatissam, postquam regendi suscepit officium, condito testamento legata quibusdam asseruit reliquisse. Et dum de sanctitatis vestræ sollicitudine quæreremus cur res monasterio competentes ab aliis pertulerit detineri, communis filius Epiphanius archipresbyter vester præsens inventus respondit, memoratam abbatissam usque ad diem obitus indui se monachica veste noluisse, sed in vestibus quibus loci illius utuntur [c] presbyteræ permansisse. Ad hæc replicabat prædicta Gavinia hoc pene ex consuetudine licuisse, adeo ut abbatissam quæ ante suprascriptam Siricam fuerat talibus usam fuisse vestibus allegaret. Cum ergo de qualitate vestium nec nos mediocriter cœpissemus ambigere, necessarium visum est, tam cum consiliariis nostris quam cum aliis hujus civitatis doctis viris, quid esset agendum de lege tractare. Qui tractantes responderunt, postquam solemni more abbatissa ab episcopo ordinata est, et in monasterii regimine per annos plurimos usque ad vitæ suæ transitum præfuit, vestis qualitatem ad culpam **932** forte episcopi respicere, qui eam sic esse permiserit, non tamen potuisse monasterio præjudicium irrogare, sed res ipsius eidem loco ex quo illuc ingressa et abbatissa constituta est manifesto jure competere. Et ideo quia ex dimissis illicite rebus xenodochium possessionem asserit indebite detinere, his vos hortamur affatibus, ut quia et monasterium et xenodochium

[d] Id est, his induciis. GUSSANV. Pacem tamen cum Langob. firmius postea sancitam liquet ex epist. 42 et 43 hujus libri.

EPIST. VII. — [a] Vitam monasticam profitentibus nulla unquam testandi potestas fuit, ut optime docet hic sanctus Gregorius, si divini juris sacrarumque legum habeatur ratio. Quippe non nisi de bonis propriis testari licet. At monachi nihil habent proprii, ut ex omnibus regulis monasticis probatur, scilicet Pachomii, Basilii, Augustini, Benedicti, etc. Consule Concordiam regularum, ad cap. 42; Reg. sancti Benedicti, pag. 612 et seq., et observationes nostri Hugonis Menardi. Verum juxta leges humanas aliquando monachi testari potuerunt; et si intestati decederent, suos habebant hæredes liberos, vel parentes, vel agnatos; his vero deficientibus, acquirebantur monasterio illorum bona, leg. unic. Cod. Theodos. de bon. cleric. et monach. Augustinus, epist. 239 : *Usque adeo autem eodem jure presbyteri Honorati est illud unde agitur, ut non solum alibi ordinatus, sed adhuc in Thugastensi monasterio constitutus, si re sua non vendita, nec per manifestam donationem in quempiam translata moreretur, nonnisi hæredes ejus in eam succederent, sicut frater Æmilianus in illos triginta solidos fratri Privato successit.* Postea monachis adempta testandi facultas, ita ut ingressu monasterii eorum bona acquirantur monasterio, Novel. Justiniani V, novel. 123, cap. 38; Gregorius, epist. olim 22, indict. 4, nunc in appendice, Probo abbati testandi licentiam concedit. Item Adeodato monacho, lib. XIII, epist. 3. Jure pontificio monachi testari possunt ex dispensatione summi pontificis, cap. Cum ad Monasterium, *de statu Monach.* Mabillonium videsis de testamentis abbatum, lib. I de Re diplomat. c. 2, num. 10.

[b] Sic legitur in tribus Mss. Vatic. et aliis plerisque, non *Gravini*, ut habent Excusi. Sanctum Gavinum seu Gabinum legimus Turribus in Sardinia martyrium passum tertio Kalendas Junii. Sanctus Luxorius etiam in Sardinia passus est duodecimo Kalendas Septembris. Utriusque martyris memoriæ dicatum credimus hoc Sardiniæ monasterium.

[c] Quibus uterentur vestibus presbyteræ, mihi non liquet. Vocat autem presbyteras eas feminas quæ converso marito et in presbyterum ordinato convertebantur, continentiæ in posterum emissa sponsione. Conversæ uxores dicuntur in concilio Arelat. II, can. 5. Vide Baronium, ad an. 405, num. 60; Aurelian. IV, can. 17; Turon. II, can. 20; Antissiod., can. 21. Aliquando etiam apud ecclesiasticos scriptores reperitur nomen *presbyteræ* pro viduis senioribus, Græcis πρεσβύτιδες, ut in Laodic. concil., can. ult., et apud Athanasium, ad virgines. Et fortasse de his loquitur sanctus Gregorius, utpote quæ peculiari quodam habitu dignoscebantur. Porro ut presbyterorum uxores presbyteræ, ita et uxores episcoporum vocabantur episcopæ, in Turon. II, can. 15. Vide etiam ejusdem concil. can. 19; Antissiod., can. 21 et 22, etc. GUSSANV. Monet Mabillonius, de Re diplomat., cap. 2, num. 10, in veteri membrana hujus epistolæ fragmentum continente quam ipsi communicavit Antonius Vion Herouvallius, pro *presbyteræ*, reperiri *plebeiæ*. Quam lectionem judicat præferendam, ut sit sensus Siricam plebeio amictu, quali utebantur loci illius laicæ mulieres, indutam fuisse. In nullum Ms. Codicem offendimus ubi non legeretur *presbyteræ*. Et sane huic abbatissæ minus conveniebat vestis plebeiæ mulieris quam presbyteræ.

ipsum in vestra est civitate positum, omni cura ac studio providere debeatis, quatenus si possessio ipsa ex nullo præcedenti contractu, sed ex memoratæ Siricæ legato descendit, ante dicto monasterio, postposito strepitu vel excusatione, reddatur. Si vero ex alio forte dicitur obvenisse contractu, aut fraternitas vestra, inter partes cognita veritate, quod legalis suaserit ordo definiat, aut mutuo sibi consensu arbitros eligant qui earum valeant allegationes [d] distinguere. A quibus quidquid fuerit statutum, ita vestra provisione servetur, ut nullum inter venerabilia loca jurgium remaneat, quæ magnopere alterna pacis sunt fovenda concordia. Alia igitur omnia quæ ex testamento prænominatæ Siricæ detinentur, quippe quod nullum esse legali sanctione permittitur, necesse est ut juri monasterii fraternitatis vestræ sollicitudine sacerdotali per omnia [e] studio reparentur, quia imperiali constitutione aperte [f] sancitum est ut ea quæ contra leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sint (*Grat.* 25, *q.* 2, *c.* 15).

## EPISTOLA VIII.

AD EPISCOPOS SARDINIÆ.

*Paschalem denuntiationem, ex more, a metropolitano suscipiant; nec absque illius licentia ex insula egrediantur.*

Gregorius [a] Vincentio, Innocentio, [b] Mariniano, Libertino, Agathoni, et [c] Victori Sardiniæ episcopis.

Cognovimus quod [d] mos vestræ sit insulæ post paschalem festivitatem, vobis euntibus, **933** aut directis responsalibus vestris [e] ad metropolitam vestrum, utrum sciatis an minime, ipse vobis de venturo Pascha scripta debeat denuntiatione mandare. Et quantum dicitur, quidam vestrum hoc facere secundum consuetudinem postponentes, aliorum quoque ad non obediendum corda pervertunt. Additur etiam quod ex vobis aliqui, pro Ecclesiæ suæ emergentibus causis transmarina petentes, sine prædicti metropolitani sui cognitione, vel epistolis, sicut canonum ordo constituit, audeant ambulare. Hortamur ergo fraternitatem vestram ut antiquam Ecclesiarum vestrarum consuetudinem exsequentes, tam de suscipienda paschali denuntiatione, quam etiam si quemquam vestrum pro causis propriis ubicunque compulerit ambulare necessitas, ab eodem metropolita vestro secundum indictam vobis regulam [f] petere debeatis, nec eum postponere in aliquo præsumatis; exceptò si, quod non optamus, contra eumdem metropolitam vestrum habere vos aliquid causæ contingat, [g] ut ob hoc sedis apostolicæ judicium ii qui petere festinant, licentiam habeant, quod scitis per canones etiam antiquorum patrum institutione permissum (*Grat.* 26, *q.* 7, *c.* 45).

## [a] EPISTOLA IX.

AD CALLINICUM ITALIÆ EXARCHUM.

*Gaudet de schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus. De hoc monendos imperatores. Id unum ab illis vetitum, ne schismatici ad unitatem compellantur. Conqueritur de majore domus Callinici. Hunc rogat ne Justinum schismaticum deinceps in consilium vocet.*

Gregorius Callinico exarcho Italiæ.

Inter hæc quod mihi [b] de Sclavis victorias nun-

[d] In Vatic. D, *dirimere;* in Norm., *discingere.* In Vulgatis, *discindere.* Sequimur quatuor Vaticanos.

[e] Vatic. A et B, *studio separentur*, hoc est ex xenodochii bonis, ut monasterio restituantur.

[f] Vide Cod. lib. I, tit. 19, 21, 22, 23, et in decret. dist. 10.

EPIST. VIII. — [a] Titulum istum sic restituimus ex multis mss. Codd, et ex antiquis et probatioribus Editionibus. GUSSANV.

[b] Episcopo Turris urbis Sardiniæ, de qua vide quæ diximus ad epist. 59, nunc 61, lib. I.

[c] Phausianensi episcopo. De Phausania vide quæ dicta sunt ad epist. 29 lib. III, nunc lib. IV. De quatuor aliis episcopis Sardiniæ nihil inveni. Obiter notandum hos sex episcopos fuisse suffraganeos episcopi Caralitani, qui et in hac epistola dicitur metropolitanus. GUSSANV.

[d] Quo die, quo tempore paschalis festivitas celebrari deberet, sæpius est in Ecclesia disputatum, acrioribus forsan studiis quam par esset. Sanctum Joannem evangelistam Quartadecimanis favisse antiqui auctores tradunt. Victor pontifex Romanus diem Dominicum pro Pascha celebrando additis censuris promulgavit, obtinentibus cum sancto Irenæo episcopis quamplurimis. Tandem in Arelat. I ann. 314, can. 1, statutum ut uno die et uno tempore per universum orbem Pascha observetur, litteræque ad omnes a Romano pontifice juxta consuetudinem dirigantur. Idem undecimo post anno in synodo Nicæna tractatum fuit et conclusum, cura cyclorum paschalium conficiendorum demandata episcopo Alexandrinæ Ecclesiæ, qui confectos Romam mitteret, ut vel hac ratione totius orbis episcopi in Pascha celebrando convenirent. Has porro futuri Paschatis denuntiationes in festo Epiphaniæ a diacono fieri solitas pauci sunt qui ignorent, cum fere ad nos usque mos iste descenderit, ut testantur libri officiales, seu, ut vocant, Rituales. In Sacerdotali Romano Venetiis impresso, ann. 1597, ista denuntiatio legitur et cantatur. Vide Aurelian. IV, can. 1; Antissiodor. can. 2. Advertte tamen ex Gregorio Turon., lib. V Historiæ cap. 17, dubitatum fuisse de die Paschatis, et aliquando non fuisse eodem tempore ubique celebratum. GUSSANV. Adi Cointium ad annum 539, num. 15.

[e] Jura metropolitani per canonum statuta conservari vult inviolata Nicænum, can. 4; Antiochenum, can. 9, 11, 12, 19, 20; Carthag., can 25. GUSSANV. In Vatic. D et E legitur *ad metropolitanam urbem;* consentit Rhemensis.

[f] Recent. Excusi, *petere licentiam eos culpam hanc.* Veteres post Vatic. D et Rhem., *petere cessionem.* Vatic. B, *petere epistolas.*

[g] Sic restituimus ex tribus Vatic., totidem Colbert. et Rhemensi. Prope accedunt Normanni, in quibus omittitur tantum *per canones.* In Editis legitur, *ut ob hoc sedis apostolicæ judicium requiratis. Nam iis qui petere festinant licentiam, quod scitis, per canones etiam antiquorum patrum institutione habere permissum est.* Porro per canones Sardicenses innuit, de quorum tamen sensu disputant theologi.

EPIST. IX. — [a] Vide infra epist. 95, ad eumdem exarchum. Is Romano in exarchatu successerat.

[b] Sclavos et Sclavinos vocant Latini, recentiores Slavos, Græci σθλάβους et σθλαβίνους. Reperitur et σκλάβους apud Simocattam, et alios recentiores. De iis ita scribit Helmodus, lib. I, cap. 1: *Slavorum nomen tam late patuit, ut pene careat æstimatione.* Effusi enim in Septentrionem et Orientem, provincias et amplas regiones suo asseruere imperio. Tandem a principibus sensim et variis subinde temporibus debellati, servire coacti sunt, eorumque nomen in con-

tiastis, magna me lætitia relevatum esse cognoscite quod latores præsentium, [c] de Capritana insula unitati sanctæ Ecclesiæ conjungi festinantes, ad beatum Petrum apostolorum principem ab excellentia vestra transmissi sunt. In hoc enim contra hostes vestros amplius prævaletis, si eos quos Dei esse hostes agnoscitis sub jugum veri Domini revocatis; tantoque vestras causas apud homines fortiter agitis, quanto Dei causas in hominibus sincera ac devota mente feceritis.

Quod autem exemplar jussionis quæ ad vos pro schismaticorum defensione transmissa est, mihi ostendi voluistis, pensare sollicite dulcissima mihi vestra excellentia debuit, quia quamvis jussio ipsa **934** subrepta est, non tamen in ea vobis præceptum est ut venientes ad unitatem Ecclesiæ repellatis, sed ut venire nolentes hoc incerto tempore minime compellatis. Unde necesse est ut hæc ipsa piissimis imperatoribus nostris suggerere festine debeatis, quatenus cognoscant quod eorum temporibus schismatici cum omnipotentis Dei solatio et labore vestro sua sponte reverti festinant. Quæ autem de insulæ Capritanæ ordinatione decreverim, per reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Marinianum vestra excellentia agnoscet. Illud vero cognoscite quia me non modice contristavit quod major domus vestræ qui petitionem episcopi volentis reverti suscepit, eam se perdidisse professus est, et postmodum ab adversariis Ecclesiæ tenebatur. Quod ego non negligentia, sed venalitate ejus factum arbitror. Unde miror [d] quia in eo culpam hanc minime vestra excellentia vindicavit. Sed tamen quia hoc miratus sum, memetipsum citius reprehendi. Nam ubi dominus Justinus consilium præbet, qui pacem cum catholica Ecclesia non habet, ibi non possunt [e] hæretici addici.

Præterea sancti Petri apostolorum principis natalitium diem in Romana civitate vos facere velle perhibetis. Et oramus omnipotentem Dominum ut sua vos misericordia protegat, et vota vestra implere concedat. Sed prædictus vir eloquentissimus, peto ut simul veniat; qui si non venerit, a vestris obsequiis recedat. Vel certe si vestra excellentia fortasse emergentibus causis venire nequiverit, ipse aut sanctæ Ecclesiæ unitati communicet, aut peto ut vestrorum consiliorum particeps non sit. Bonum enim virum audio, si pessimi non esset erroris. De causa vero Maximi, quia importunitatem dulcedinis vestræ jam ferre non possumus, quid decrevimus, Castorio notario suggerente cognoscetis. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 44).

## EPISTOLA X.

### AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Capritanæ insulæ ordinet episcopum, nisi Joannes, ab ipso admonitus, ad Ecclesiæ unitatem et ad propriam plebem revertatur. Maximi causam discutiat ac finiat, adhibito, si opus sit, Constantio Mediolanensi.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Latores ad nos præsentium, viri clarissimi Vicedominus, atque Defensor venerunt, asserentes **935** quia in castello [a] quod Novas dicitur episcopus quidam, Joannes nomine, de Pannoniis veniens fuerit constitutus, cui castello eorum insula, quæ Capritana dicitur, erat quasi per diœcesim conjuncta. Adjungunt autem [b] quod ab eodem violenter abstracto episcopo et expulso, alius illic fuerit ordinatus. De quo tamen hoc placuisse referunt, ut non in prædicto castro, sed in sua insula habitare debuisset. Qui dum illic cum eis degeret, in errore se schismatis detinere noluit, atque cum omni plebe sua excellentissimo filio nostro [c] Callinico exarcho petitionem dedit, ut catholicæ Ecclesiæ cum omnibus qui cum ipso erant, sicut prædiximus, uniri debuisset. Qui, ut aiunt, a schismaticis persuasus post semetipsum rediit, et nunc omnis ille populus qui in prædicta insula consistit sacerdotis protectione privatus est, quia dum sanctæ Ecclesiæ uniri desiderat, illum jam recipere non potest qui ad schismaticorum errorem reversus est, et petunt sibi ordinari alium debere. Sed nos quia cuncta necesse est districte ac subtiliter perscrutari, hoc ordinandum esse prævidimus, ut fraternitas tua ad eumdem episcopum mittat, eumque reverti ad Ecclesiæ catholicæ unitatem et ad propriam plebem admoneat. Qui si admonitus redire contempserit, grex Dei decipi non debet in errore pastoris. Et idcirco sanctitas tua illic episcopum ordinet, eamdemque insulam in sua diœcesi habeat, quousque ad fidem catholicam Histrici episcopi revertantur; ut et unicuique Ecclesiæ suæ diœceseos jura serventur, et destituto a pastore populo non desit protectio et cura regiminis. In his tamen omnibus fraternitatem tuam decet sollicite vigilare, ut plebs eadem quæ ad Ecclesiam venit studiosius admoneatur, quatenus constanter in sua reversione fixa sit, ne vagis cogitationibus in erroris iterum foveam relabatur. Excellentissimum vero exarchum petere studeat, ut hæc ipsa suis suggestionibus piissimis

temptum et probrum trahi cœptum, quo appellati servilis et obnoxiæ conditionis homines, Græce σθλαβογενεῖς, Gall., *esclaves*. GUSSANV. De Sclavis adhuc infra, lib. x, indict. 3, epist. 36. Interim consule Theoph., Chron., et Simocattam, lib. I, cap. 7.

[c] Parva est insula in intimo recessu sinus Adriatici, et littori Forojuliensis provinciæ proxima, urbs in ea adhuc episcopalis, de qua hic agitur, est Caprulæ, vulgo *Cahorle* et *Caorla*.

[d] Rhem., *quia in ejus culpam hanc*. Tres Vatic., *quia in eos culpam hanc*.

[e] In Excusis, *hæretici adduci*. Addici, quod habent quinque Anglic., totidem Vatic., Reg. et cæteri fere Mss. significat *condemnari*, ut alias ostendimus. Porro hæc lectio confirmat superiorem, trium Vaticanorum, *in eos*, scilicet in hæreticos, *culpam hanc minime.... vindicavit*.

EPIST. X. — [a] Novæ, sedes olim episcopalis in Venetis, nunc locus Marchiæ Tarvisianæ, Concordiam inter et Tarvisium, vulgo dictus *Citta nova distrutta*, subestque dominio Venetorum. GUSSANV.

[b] Ita Colb., Vatic. D et E, Rhem., Norm., etc. Locum hunc sic inverterunt Editores: *quod eodem episcopo violenter ab Histrico episcopo expulso*.

[c] Hic et in superioris epistolæ inscriptione plerique Mss. habent *Gallinico*.

imperatorum auribus innotescat, quia quamvis jussio quæ ad eum delata est subrepta esse videatur, non tamen in ea jussione ei præceptum est ut volentes ad Ecclesiam redire non permittat, sed ut invitos hoc interim tempore minime compellat. Hujus ergo causæ ordinationem in suam curam prædictus filius noster suscipiat, quatenus suis responsis agat ut quidquid ordinaverit dubium non fiat. Quod tamen et nos communi filio Anatolio scripsimus, ut hæc piissimis principibus subtiliter innotescat.

Excellentissimi filii mei domni Callinici exarchi **936** assidue et importune pro persona [d] Maximi scripta suscepi. Cujus importunitate victus, nihil habui quod amplius facere debuissem, nisi ut ejusdem Maximi causam tuæ fraternitati committerem. Si igitur ad fraternitatem vestram venerit idem Maximus, deducatur et Honoratus ejus Ecclesiæ archidiaconus, ut cognoscat sanctitas tua si recte ordinatus est, si in simoniacam hæresim lapsus non est, si ei de criminibus corporalibus nihil obviavit, si se non cognovit excommunicatum quando missas facere præsumpsit; et quidquid sub timore Dei tibi visum fuerit, decerne, ut nos dispositioni tuæ consensum Deo auctore præbeamus. Si autem tuam fraternitatem suspectam prædictus filius noster habuerit, etiam reverendissimus vir frater noster Constantius Mediolanensis episcopus Ravennam veniat, tecum resideat, et de eadem causa pariter decernite; et quod utrisque vobis placuerit, mihi placiturum esse certum tenete. Sicut enim obstinati esse humilibus non debemus, ita districti existere superbis debemus. Vestra ergo fraternitas sicut in Scripturæ sacræ paginis didicit, quidquid justum perpenderit, in ejus negotio decernat.

## EPISTOLA XI.

### AD BRUNICHILDEM REGINAM.

*Pallium Syagrio episcopo concedit. De sacris ordinibus præmio vel gratia non conferendis eam admonet, et ne ex laicis repente fiant episcopi. Laudat ejus erga Augustinum charitatem, hortaturque ut schismaticos ad concordiam revocare atque idololatriæ reliquias, et alia in regno suo vitia coercere studeat. De codice ad eam transmisso agit.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Quanta in omnipotentis Dei timore excellentiæ vestræ mens soliditate firmata sit, inter alia bona quæ agitis etiam in sacerdotum ejus laudabiliter dilectione monstratis; et magna nobis fit de Christianitate vestra lætitia, quoniam quos venerantes ut famulos revera Christi diligitis, augere honoribus studetis. Decet enim vos, [a] excellentissima filia, decet tales existere, ut subjectæ possitis esse dominatori. In eo enim regnum potestatis vestræ et subjectis gentibus confirmatis, in quo timori omnipotentis Domini mentis colla subjicitis; et unde vosmetipsas servitio Creatoris subditis, unde vobis vestros subditos ad servitium devotius obligatis. Susceptis itaque epistolis vestris, valde nobis excellentiæ vestræ studium placuisse signamus, atque fratri et coepiscopo nostro Syagrio [b] pallium dirigere secundum postulationem vestram voluimus. Propter quod et [c] serenissimi domni imperatoris, quantum nobis **937** diaconus noster qui apud eum responsa Ecclesiæ faciebat, innotuit, prona voluntas est, et concedi hoc omnino desiderat; atque multa de prædicto fratre nostro, tam vobis quam etiam aliis testificantibus, ad nos bona perlata sunt, maxime vitam ejus Joanne [d] regionario ad nos remeante cognovimus. Et quid in fratre nostro Augustino fecerit audientes, Redemptorem nostrum benedicimus, quia eum sacerdotis nomen etiam operibus implere sentimus. Sed res plurimæ restiterunt, quæ nos hoc interim facere minime permiserunt. Primum siquidem, quia is qui pallium ipsum venerat accepturus, [e] schismaticorum tenetur errore implicitus. Deinde quod non id ex vestra petitione, sed ex nobis transmissum voluistis intelligi. Extra hoc autem quia nec is qui eo uti desiderat, directa ad nos hoc sibi largiri speciali petitione poposcerat, et tantam causam nullo modo præbére sine ejus postulatione debuimus; maxime quia et prisca consuetudo obtinuit ut honor pallii nisi exigentibus causarum meritis et [f] fortiter postulanti dari non debeat (*Grat. dist.* 100, *c.* 2). Nos tamen ne vestræ excellentiæ desiderium sub prætextu cujusdam excusationis forsitan videremur velle differre, dilectissimo filio nostro Candido presbytero pallium prævidimus dirigendum, injungentes ei ut vice nostra congrua id debeat observatione tribuere. Unde necesse est ut ex opere suo suprascriptus frater et

[d] De causa Maximi cum Honorato jam sæpe actum est; vide, infra, epistolas 79, 80 et 81.

EPIST. XI. — [a] In omnibus Norm., tribus Vatic., Colb. et aliis, legitur, in plurali, *excellentissimæ filiæ*.

[b] Hic de pallio duo notatu digna occurrunt. Primo datur episcopo. Secundo accedit imperatoris voluntas. Primum pallii a Romano pontifice dati monumentum habemus in Symmachi epist. 11 ad Theodorum Laureacensem Pannoniæ metropolitam. Cæsarium Arelat. *concesso specialiter pallii decoravit privilegio* idem pontifex, ut in illius Vita, lib. I, num. 22, legimus. Exinde iis maxime concessus est pallii usus quibus apostolicæ vices delegatæ, atque etiam aliis, sive metropolitani essent, sive meri episcopi, a quibus in Ecclesiæ commodum multum opis sperabatur, quot aut virtutibus, aut nobilitate, aut magna apud reges gratia florerent. Eo nomine Syagrius a Gregorio Mag. pallium obtinuit. Hæc fere dandi pallii ratio fuit usque ad Zachariam pontificem. Scilicet ipsius jussu, an. 742, a Bonifacio Moguntino archiepiscopo convocata est synodus, in qua decretum *ut metropolitani deinceps pallium a sede Romana peterent, et in omnibus sancti Petri præceptis obsequerentur*, ut scribit Bonifacius ipse epist. 105, ad Cudbertum Cantuar. archiep. Quæ regula per Galliam primum universam, tum per Hispaniam aliasque regiones sensim propagata est, et ab omnibus servari cœpit.

[c] Citra consensum imperatoris pallium non fuisse concessum ex hac epistola constat, et ex prima et secunda Vigilii papæ, qui Auxanium Arelatensem, non nisi annuente Justiniano Augusto, pallio donavit. An quod ornamentum quoddam imperiale sit? Ea de re digladiati sunt eruditi, et in varias abiere sententias. Vide ill. de Marca, lib. de Concord. sacerdot. et imp.; Coinium, ad annum 599. At præ cæteris Cantelium, Hist. metropol. urbium tomo I, part. I, dissert. 3, cap. 2.

coepiscopus noster Syagrius, facta cum aliquantis suis episcopis petitione hoc sperare, atque eam prædicto debeat dare presbytero, quatenus digne ejusdem pallii usum cum Dei gratia valeat adipisci.

Ut ergo hæc vobis cura ante oculos Creatoris nostri in fructu sit, Christianitatis vestræ sollicitudo diligenter invigilet; et nullum qui sub regno vestro est ad sacrum ordinem ex datione pecuniæ, vel quarumlibet patrocinio personarum seu proximitatis jure patiatur accedere; sed ille ad episcopatus vel alterius sacri ordinis officium eligatur, quem dignum et vita et mores ostenderint; ne si, quod non optamus, honor venalis fuerit sacerdotii, simoniaca in illis partibus hæresis, quæ prima in Ecclesia prodiit, et [g] Patrum sententia damnata est, consurgat, et regni vestri, quod absit, vires imminuat. Nam grave omnino et ultra quam dici potest facinus est, Spiritum sanctum, qui omnia redemit, venundari.

Sed et hoc curæ vobis sit, ut quia, sicut nostis, **938** [h] neophytum egregius prædicator ad sacerdotii regimen omnino vetat accedere, nullum ex laico patiamini episcopum consecrari. Nam qualis magister erit, qui discipulus non fuit? Aut quemadmodum ducatum gregi dominico præbeat, qui disciplinæ pastoris subditus ante non fuit? Si cujus ergo vita talis constiterit ut ad hunc dignus sit ordinem promoveri, prius ministerio debet Ecclesiæ deservire, quatenus longæ exercitationis usu videat quod imitetur, et discat quod doceat; ne forte onus regiminis conversionis novitas non ferat, et ruinæ occasio de provectus immaturitate consurgat.

Qualiter autem se excellentia vestra erga fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum exhibuerit, quantamque illi sibi Deo aspirante charitatem impenderit, diversorum fidelium relatione cognovimus: pro quo gratias referentes, divinæ potentiæ misericordiam deprecamur ut et hic vos sua protectione custodiat, et sicut inter homines, ita quoque et post multorum annorum tempora in æterna faciat vita regnare.

Præterea hos quos ab unitate Ecclesiæ schismaticorum error dissociat, ad unitatem pro vestra mercede studete revocare concordiæ. Nam non ob aliud in ignorantiæ suæ hactenus cæcitate volvuntur, nisi ut ecclesiasticam fugiant disciplinam, et perverse habeant, ut voluerint, vivendi licentiam, quia nec quid defendant, nec quid sequantur intelligunt. Nos autem Chalcedonensem synodum, de qua illi sibi pestiferæ nebulas excusationis assumunt, per omnia veneramur et sequimur; et si quis de fide ejus minuere aut addere aliquid præsumpserit, anathematizamus. Sed ita illos erroris labes imbibit, ut ignorantiæ suæ credentes, universam Ecclesiam atque omnes quatuor patriarchas non ratione sed malitiosa mente tantummodo refugiant; ita ut is qui ad nos a vestra excellentia missus est, cum quæreretur a nobis cur ab universali Ecclesia separatus existeret, se ignorare professus sit. Sed neque quid diceret, neque quid aliud audiret, valuit scire.

Hoc quoque pariter hortamur ut et cæteros subjectos vestros sub disciplinæ debeatis moderatione restringere, ut idolis non immolent, cultores [i] arborum non existant, de animalium capitibus sacrificia sacrilega non exhibeant, quia pervenit ad nos quod multi Christianorum et ad **939** Ecclesias occurrant, et quod dici nefas est, a culturis dæmonum

[d] Regionarii diaconi septem Romæ præcipui censebantur; neque presbyteris titularibus, ut alii, sed archidiacono, qui primus inter illos septem erat, subjiciebantur. Illi sub cura sua singuli illas diaconias habebant quæ in sibi assignata regione erant sitæ. Vide Mabillonium, Comment. prævium in Ordinem Rom., c. 3. Sanctus Gregorius, lib. VIII, epist. 14, constituit *ut sicut in schola notariorum atque subdiaconorum per indultam longe retro pontificum largitatem sunt regionarii constituti, ita quoque in defensoribus septem, qui ostensa suæ experientiæ utilitate placuerint, honore regionario decorentur.*

[e] Illorum scilicet qui trium capitulorum patrocinium adversus quintam synodum pertinacius susceperant; id maxime obtendentes, quod, tribus illis condemnatis, læderetur Chalcedonensis synodi auctoritas, in qua et Ibas cum epistola sua ac Theodori Mopsuesteni commendatione probatus erat, et Theodoretus sedi suæ restitutus. Ipsam igitur Galliam agitabat illa contentio. De iisdem schismaticis paulo infra.

[f] Fortasse ut nullam imperator suspicandi causam haberet ne Græcam dominationem fastidiens Roma, vicinarum nationum auxilia pallio mercaretur, illud nemini offerebat pontifex, imo concedebat nemini nisi fortiter postulanti. Vide laudatum supra Cantelium.

[g] Recent. Edit. habent *Petri sententia*, reclamantibus mss. Codd. fere omnibus, necnon antiquioribus Edit. 1504, 1508, 1539, et aliis. Patrum nomine apostolos intelligit. Vide, infra, epist. 106, ubi simoniam sola Christi et apostolorum auctoritate impugnaturus, ita præfatur: *Fraternitatem vestram institutis apostolicis convenimus ut Patrum regulis et præceptis dominicis innitentes*, etc. Lib. XI, epist. 61, *Apostolorum*, inquit, *est auctoritate damnata simonia.*

[h] Qui sit neophytus, explicuit aperte sanctus Gregorius, epist. 50 l. IV, et adhuc infra, epist. 112, indict. 2, ubi ex laicali habitu in clerum ascitos cito fieri episcopos vetat. Jam id decretum fuerat in conc. Aurelian. V, can. 9, et postea in Arvernensi II, can. 9: *Nullus ex laicis absque anni conversione præmissa episcopus ordinetur; ita ut intra anni ipsius spatium a doctis et probatis viris, disciplinis et regulis spiritalibus plenius instruatur.* Exstat etiam de hac re canon Paschalis I apud Ivonem, Decret. part. II, c. 84. Legitur in Chronico sancti Albini Gaufridum Andegavensem episcopum post septem annos episcopatu se abdicasse, scilicet *accusantibus et conquerentibus plurimis apud Urbanum II PP, quod eo jubente neophytus et pene illitteratus fuisset ordinatus; qui, monitu ejusdem Urbani sedem deserens, monachus Cluniaco factus est.* GUSSANV.

[i] Plinius, tit. 16, cap. ultimo: *nihil habent Druidæ* (ita suos Galli appellant magos) *visco et arbore in qua gignitur* (*si modo sit robur*) *sacratius*, etc. De Alemannis, quibus Theodebertus Austrasiæ rex Brunichildis nepos ultra Rhenum imperabat, Agathias, lib. I: *Arbores quasdam colunt et fluminum lapsus, et colles et saltus, atque his, tanquam justa facientes, equos aliaque quamplurima resectis capitibus immolant.* Ne Christiani ad fontes et arbores sacrivos vota exsolvant prohibetur can. 22 concil. Turon. II, necnon can. 3 concil. Antisiod.: *fontes vel arbores quos sacrivos vocant succidite*, inquit Eligius apud Audoenum. Ex Vossio, lib. III de Vitiis sermonis, *sacrivus* idem est ac consecratus vel diis dicatus.

non abscedant. Quoniam vero omnino Deo nostro hæc displicent, et divisas mentes non possidet, providete ut ab his debeant illicitis salubriter coerceri; ne, quod absit, non eis ad ereptionem, sed ad pœnam sacri fiat baptismatis sacramentum. Si quos igitur violentos (*Grat.* 23, *q.* 4, *c.* 47), si quos adulteros, si quos fures vel aliis pravis actibus studere cognoscitis, Deum de eorum correctione placare festinate, ut super vos flagellum perfidarum gentium, quod, quantum videmus, ad multarum nationum vindictam excitatum est, non inducat; ne si, quod non credimus, divinæ ultionis iracundia sceleratorum fuerit actione commota, belli pestis interimat quos delinquentes ad rectitudinis viam Dei præcepta non revocant. Necesse est ergo ut omni studio et oratione assidua ad Redemptoris nostri converti misericordiam festinemus, ubi tutus omnibus locus est et magna securitas. Nam illic quemquam solide persistentem nec periculum conterit, nec metus exagitat.

Codicem vero, sicut scripsistis, prædicto dilectissimo filio nostro Candido presbytero vobis offerendum transmittimus, quia boni vestri studii esse participes festinamus. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atque a perfidis gentibus regnum vestrum sui brachii extensione defendat, vosque post longa annorum curricula ad gaudia æterna perducat. [k] Data mense Octobris, indictione prima.

## EPISTOLA XII.

### AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Se (ut querebantur nonnulli) in ordinandis missæ ritibus quibusdam Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines non fuisse imitatum.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Venieus quidam de Sicilia mihi dixit quod aliqui amici ejus, vel Græci vel Latini, nescio, quasi sub zelo sanctæ Romanæ Ecclesiæ, de meis dispositionibus murmurarent, dicentes: [a] Quomodo Ecclesiam Constantinopolitanam disponit comprimere, qui ejus consuetudinem per omnia sequitur? Cui cum dicerem: Quas consuetudines ejus sequimur? respondit: Quia [b] alleluia dici ad missas extra Pentecostes tempora fecistis; quia subdiaconos spoliatos procedere, quia [c] Kyrie eleison dici, quia orationem Dominicam mox post canonem dici statuistis. Cui ego respondi quia in nullo eorum aliam Ecclesiam secuti sumus.

Nam ut alleluia hic diceretur, de Jerosolymorum Ecclesia ex beati Hieronymi traditione tempore beatæ memoriæ Damasi papæ traditur tractum, et ideo magis [d] in hac re illam consuetudinem amputavimus quæ hic a Græcis fuerat tradita.

Subdiaconos autem ut spoliatos procedere facerem, antiqua consuetudo Ecclesiæ fuit. [e] Sed placuit cuidam nostro pontifici, nescio cui, qui eos vestitos procedere præcepit. Nam vestræ Ecclesiæ nunquid traditionem a Græcis acceperunt? Unde habent ergo hodie ut subdiaconi [f] lineis in tunicis procedant, nisi quia hoc a matre sua Romana Ecclesia perceperunt?

Kyrie eleison autem nos neque diximus, neque dicimus sicut a Græcis dicitur, quia in Græcis simul omnes dicunt, apud nos autem a clericis dicitur, et a populo respondetur, et totidem vicibus etiam [g] Christe eleison dicitur, quod apud Græcos nullo modo dicitur. In quotidianis autem missis aliqua quæ dici solent tacemus, tantummodo Kyrie eleison et Christe eleison dicimus, ut in his deprecationis vocibus paulo diutius occupemur. [h] Orationem vero Dominicam ideirco mox post precem di-

[k] Sic legitur in quatuor Vatic. et in Colbert. quos falli alibi demonstrabimus.

Epist. XII. [*Al.* 64]. — [a] Ita Mss. Vaticani quatuor, Norm. omnes, Rhem., Reg. et alii, consentientibus antiquis Editis. Recentiores, mutando *quomodo* in *quoniam*, occasionem errandi viris doctis præbuerunt. In his fuit noster Menardus, nota 6 ad lib. Sacramentorum, cujus opinioni minime quidem consensimus, ut liquet ex observatione ad ipsius notam a nobis facta; verum minori negotio retelli potuisset, genuinam lectionem ex Mss. et veteribus Excusis statuendo.

[b] De Alleluia sanctus Augustinus, epist. 119, c. 17, nunc epist. 55: *Ut autem alleluia per illos solos dies quinquaginta in Ecclesia cantetur, usquequaque non observatur. Nam et in aliis diebus varie cantatur alibi atque alibi. Ipsis tamen diebus ubique.* In Historia tripartita, c. 39, ex Sozomeno, *apud Romanos in unoquoque anno semel psallunt alleluia primo die Paschæ.* Plura de hac voce lege in libro quem edidit eminentissimus cardinalis Bona, *de divina psalmodia*, c. 16, § 7. Gussanv.

[c] De Kyrie eleison, can. 3 concil. Vasensis an. 529: *Et quia tam in sede apostol. quam etiam per totas Orientales atque Italiæ provincias dulcis et nimium salutaris consuetudo est intromissa ut Kyrie eleison frequentius cum grandi affectu et compunctione dicatur, placuit etiam nobis ut in omnibus Ecclesiis nostris ista tam sancta consuetudo et ad matutinos, et ad missas, et ad vesperam Deo propitio intromittatur.* Gussanv. Inde patet Gregorium consuetudinem hanc non induxisse.

[d] Vulgati, reluctantibus Mss., saltem plerisque et potioribus, *in hac sede.* Cæterum quæ sit ista consuetudo Græcorum Romæ prius accepta, postea antiquata, difficile est statuere. Fortasse usus erat cantici alleluia in exsequiis defunctorum, et tempore Quadragesimæ. Sane in exsequiis mortuorum *alleluia* quondam apud Romanos fuisse decantatum, testis est Hieron. in Epitaphio Fabiolæ. Idem colligit Menardus ex Codice Ratoldi, quibus adde Missale Mozarabum. Imo etiam in Quadragesima Hispanicæ quondam Ecclesiæ alleluia canebant ante concil. IV Tolet., cujus canon 10 hunc usum abrogavit.

[e] Recent. Ed., *sed quia.* Expunximus *quia*, tum quod absit a Mss., tum quod sensui officiat.

[f] Quatuor Vatic., Norm., Rhem. et plerique Mss.: *Subdiaconi in eis tunicis*, vel *in eis in tunicis.*

[g] Hoc clarum est ex antiquis Græcorum liturgiis in quibus *Christe eleison* non reperitur. Gussanv.

[h] Ex liturgiis omnibus constat morem fuisse Ecclesiæ universæ ante Gregorii ævum ut oratio Dominica in missa diceretur. Id quoque testantur Cyrillus Jerosol., Catech. mystagog. v; Hieronymus, lib. III adversus Pelag.; Augustinus, hom. 42, inter 50, serm. 227. *Post sanctificationem*, inquit, *sacrificii dicimus orationem Dominicam.* Idem de Gallicanis Ecclesiis colligitur ex Gregorio Taron., lib. II de Mirac. sancti Martini, c. 30, et de vitis Patrum, c. 16. Igitur nihil aliud a Gregorio Mag. statutum fuit quam ut oratio Dominica intra missas congruentiori loco diceretur. Hoc innuit tum murmurantium que-

cimus, quia mos apostolorum fuit ut ad ipsam [i] solummodo orationem oblationis hostiam consecrarent. Et valde mihi inconveniens visum est ut precem quam [k] scholasticus composuerat super oblationem diceremus, et ipsam traditionem quam Redemptor noster composuit **941** super ejus corpus et sanguinem non diceremus. Sed et Dominica oratio apud Græcos ab omni populo dicitur, apud nos vero a solo sacerdote. In quo ergo Græcorum consuetudines secuti sumus, qui aut veteres nostras reparavimus, aut novas et utiles constituimus, in quibus tamen [l] alios non probamur imitari? Ergo vestra charitas cum occasio dederit ut ad Catanensem civitatem pergat, vel in Syracusana Ecclesia, eos quos credit aut intelligit quia de hac re murmurare potuerunt, facta [m] collatione doceat, et quasi alia ex occasione eos instruere non desistat. Nam de Constantinopolitana Ecclesia quod dicunt (*Grat. Dist.* 22. *c. De Const.*), quis eam dubitet sedi apostolicæ esse subjectam? [n] quod et piissimus domnus imperator [o] et frater noster ejusdem civitatis episcopus assidue profitentur. Tamen si quid boni vel ipsa vel altera Ecclesia habet, ego et minores meos quos ab illicitis prohibeo in bono [p] imitari paratus sum. Stultus est enim qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit discere contemnat. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 21.)

## EPISTOLA XIII.

### AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Ecclesiæ ejus actores, cum Felice, absque dilatione, judices eligant.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Felix vir [a] memorandus suis nobis epistolis questus est fraternitatis vestræ actionarios possessiones quas tenuerat illicite et contra juris ordinem pervasisse, petens ablata sibi restitui, et se cum eis, si tamen causam voluerint dicere, paratum esse in judicio sine aliqua dilatione consistere. Quod si ita est, quia quid legalis ratio habeat non nescitis, oportet ut, omni mora postposita, actores vestræ Ecclesiæ deputetis, ut cum eo debeant eligere cognitores, quod *mox post canonem*, etc., tum ipsius Gregorii responsio: *Orationem vero Dominicam idcirco mox post canonem dicimus;* tum Joannes Diac. lib. II, c. 20: *Orationem Dominicam*, inquit, *mox post canonem* Gregorius *super hostiam censuit recitari.* Consule Hugonis Menardi notas 83 et 84 in librum Sacramentorum.

[i] Hæc verba orationes alias excludunt, sed non evangelica verba ad consecrationem semper adhibita. Imo a temporibus fere apostolicis longas preces in liturgiæ celebratione fuisse recitatas testatur Justinus Martyr, Apolog. 2, in fine: *Eucharistiam..... prolixe exsequitur*, inquit, *atque ubi ille preces et gratiarum actiones absolvit, populus qui adest omnis fausta approbatione acclamat dicens Amen..... Præsidem vero* (episcopus) *postquam gratiarum actionem perfecit* (Eucharistiam).... *qui apud nos vocantur diaconi atque ministri distribuunt.* De his uberius in Vita sancti Gregorii. Solam orationem Dominicam ad consecrandum Christi corpus et sanguinem sufficere, ex his Gregorii verbis intulerat Amalarius, *de Ecclesiast. offic.* lib. IV, c. 26, quod in retractatione hujus operis ab illo emendatum fuisse observat Mabillonius Comment. in Ord. Rom. c. 12. Scilicet totum illum locum sustulit, quo consecrationem orationi dominicæ ascripserat, ut nempe sibi ipse constaret, totamque consecrandi vini virtutem tribueret commistioni particulæ consecratæ.

[k] Id est, vir aliquis doctus et eruditus. De canonis auctore vide Card. Bona, de rebus Liturg., lib. II, c. 11, num. 2, ubi epistolam laudat Vigilii papæ ad Eucherium (alii vulgati, Eutherium) quam ad Profuturum scriptam ostendit clariss. Baluzius, tum in notis ad Gratianum, tum in nova Concil. Collectione.

[l] Ita Mss. Norm., Vatic., Reg., Corb., etc., quibus concinit Amalarius lib. IV de Eccles. Offic., c. 26, unde miror in ed. legi *comprobamur*.

[m] Al., *collocutione*, ut legitur in Norm., Reg. et Corb., necnon in vet. editis.

[n] In nonnullis exemplaribus Gratiani deest hæc clausula, scilicet in Edit. Paris. an. 1542, in Venet. 1588, et quibusdam aliis perpaucis; sed maxima pars tam Mss. quam Editorum Gratiani exemplarium eam continet; et merito, cum non aliter potuerit legere Gratianus quam legerat apud sanctum Gregorium. Nam in omnibus Mss. et Editis ipsius Registri hæc clausula continetur; et ita eam legerunt quotquot occasione data hanc epistolam retulerunt, ut infra memorabimus; imo et ipse Jamesius, qui nullam vellicandi Gratianum et correctores Romanos occasionem prætermittit, eamdem clausulam retulit, utpote quæ in sex Mss. Anglicanis reperiatur. Unde apposite, sed prudenter suo more, correctores Romani clausulam hanc quæ in corruptis quibusdam exemplaribus deerat restituerunt, ex incorruptis nimirum Gratiani Codicibus, et ex purissimis sancti Gregorii fontibus. Neque vero monendos ea de re lectores duxerunt, nempe quia corruptos illos Gratiani Codices aut non viderunt, aut, si viderunt, tanquam rem notis indignam contemnendos existimaverunt. Gussanv.

[o] In omnibus fere exemplaribus editis et in aliquibus Mss. legitur *et frater noster Eusebius ejusdem civitatis episcopus*. Hæc autem vox *Eusebius* librariorum oscitantia addita est, cum nullus tunc in civitate Constantinopol. fuerit episcopus nomine *Eusebius;* soli enim Joannes Jejunator et Cyriacus tempore sancti Gregorii sedem illam tenuerunt. Sed neque in melioris notæ Codd. mss. reperitur illa vox *Eusebius*, scilicet in Teller., Corb., Moiss., Rhem., Thuan., Reg., Lyr., Prat., Carn., Clun., Anglicanis sex, Vatic. numero 621 et 622, ex testimonio eminent. Card. Bona 9 Septemb. 1670. Idem etiam mendum irrepsit in Editiones Joannis Diaconi, lib. II Vitæ sancti Gregorii, c. 21, in quo refertur hæc epistola, in cujus fine legitur *Eusebius*, cum tamen in mss. Codd. ejusdem Joan. Diaconi non habeatur, ut in antiquissimo Codice monasterii sancti Petri ad montes Catalaunenses, in alio etiam antiquiss. sancti Theodorici Rhemensis, in alio item sanctæ Mariæ Rhemensis, in alio monasterii Caroli loci, vulgo *Chailly*, in alio sancti Germani a Pratis, in alio denique bibliothecæ congregationis Oratorii Trecensis. Neque etiam reperitur hæc vox apud Amalarium Fortunatum, qui totam hanc epistolam refert in libro IV de Officiis Eccles., c. 26, sed nec apud Flaccum Illyricum in refutatione invectivæ Bruni, pag. 64, ubi citat eamdem epistolam. Gussanv.

[p] Non omnes Ecclesiæ consuetudines ex Romana petendas esse, docet hæc epistola. Accedit lib. olim XII, epist. 51, nunc lib. XI, epist. 64, responsio ad interrogationem tertiam Augustini, per quam vel cæci vident alteram missarum consuetudinem esse in Romana Ecclesia, alteram teneri in Galliarum Ecclesiis: nec Anglos esse cogendos importune ad Romanorum imitationem, etc. Gussanv.

Epist. XIII [*Al.* 102]. — [a] In Vatic. B, *vir magnificus*. Consentiunt Norm. et alii.

res, [b] qui tam imminentis quam principalis rei quæstionem cognoscere valeant et finire; ne si qualibet occasione dilatum fuerit, et ipse pati præjudicium, et partes Ecclesiæ non habere justitiam videantur. Ita ergo agite ut sub omni celeritate judicium eligatur. **942** Nam nos sic causas Ecclesiæ vestræ fieri volumus, ut nec dispendium contra æquitatem sustineat, nec ad vestram [c] possit aliquid invidiam sustinere.

## EPISTOLA XIV.

AD FELICEM IN SICILIA.

*Se ad Joannem episcopum scripsisse, ut actores Ecclesiæ suæ deputet, qui cum Felice ipso sine mora judicium subeant.*

Gregorius Felici in Sicilia.

Susceptis magnitudinis vestræ epistolis, contristati sumus quod ab actoribus Ecclesiæ Syracusanæ quasdam possessiones, quas vos tenuisse dicitis, occupatas irrationabiliter indicastis. Sed credimus quia hoc ad fratris et coepiscopi nostri Joannis notitiam non pervenit. Nam absolute poterat, cognita veritate, si quid illicite factum est, emendari. Et ideo quia legali provisione decretum est [a] tam imminentis quam principalis rei causam in uno eodemque judicio cognosci, nec nos contra inauditam partem aliquid possumus definire, prædicto fratri nostro scripsimus ut actores Ecclesiæ suæ deputare debeat, qui vobiscum sine mora electorum possint subire judicium; ne aut vos res vestras sine cognitione, sicut querelam facitis, amittere, aut pars altera videatur præjudicium sustinere. Gloria ergo vestra nullas in eligendos [b] judices difficultates interserat, vel differat ad causam accedere. Nam omnino de supradicti fratris et coepiscopi nostri moribus certi sumus quia facere quidquid rationis ordo exegerit non recuset [c].

## EPISTOLA XV.

AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM SPOLETANUM.

*Martyrum reliquias in basilica Reatina collocet.*

Gregorius Chrysantho episcopo [a] Spoletano.

Paulus, [b] Ecclesiæ Reatinæ diaconus, petitoria nobis insinuatione poposcit ut ad fontes **943** in basilica beatæ Mariæ semper virginis genitricis Dei et Domini nostri Jesu Christi, quæ est intra civitatem Reatinam posita, reliquiæ beatorum martyrum Hermetis et Hyacinthi et Maximi debeant collocari. Et ideo, frater charissime, si in eodem loco nullum corpus constat humatum, sanctuaria prædictorum martyrum cum reverentia sine ambiguitate suscepta diligenter consecrabis.

## EPISTOLA XVI.

AD SERENUM ANCONITANUM EPISCOPUM.

*Severum diaconum suum de restituendo Firmanæ Ecclesiæ argento admoneat.*

Gregorius [a] Sereno episcopo [b] Anconitano.

Vir reverendissimus [c] Passivus, frater et coepiscopus noster, adveniens indicavit argentum Ecclesiæ suæ a decessore suo Fabio apud Serenum diaconum tuum pro temporis qualitate esse depositum. Cujus parte aliqua restituta, partem apud eum asserit rejacere, et restituere eam quadam excusatione differre. Proinde his fraternitatem tuam hortamur affatibus ut eum admonere studeat, quatenus quæ accepit sine contentione restituat. Aut si forte ab ejus restitutione aliqua se excusari ratione confidit, necesse est ut inter eum et actores Firmanæ Ecclesiæ, una cum Armenio fratre et coepiscopo nostro cognoscere debeatis, et, subtiliter veritate discussa, ita huic causæ finem imponere, ut nec ante dictus diaconus pati præjudicium, nec præfata injustedamnum videatur Ecclesia sustinere.

## EPISTOLA XVII.

AD DEMETRIANUM ET VALERIANUM.

*Statuit ne impensa in illorum redemptionem Ecclesiæ pecunia ab illis aliquando repetatur.*

Gregorius Demetriano et Valeriano clericis [a] Firmanis.

Et [b] sacrorum canonum (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 15) statuta et legalis permittit auctoritas, licite res ecclesiasticas in [c] redemptionem captivorum impendi. Et ideo quia edocti a vobis sumus, ante annos fere decem et octo, virum reverendissimum quondam Fabium episcopum Ecclesiæ Firmanæ pro redemptione vestra ac patris vestri Passivi, fratris et coepiscopi nostri, tunc vero clerici, necnon matris vestræ libras undecim argenti de eadem Ecclesia hostibus impendisse, atque vos ex hoc quamdam habere formidinem ne hoc quod datum est a vobis quolibet tempore repetatur : hujus præcepti auctoritate suspicionem vestram prævidimus auferendam, constituentes nullam vos exinde hæredesque vestros quolibet tempore repetitionis molestiam sustinere, nec

[b] Editi, reluctantibus multis Mss. *qui tam momenti quam principalis.*

[c] Restituimus *sustinere* pro *pertinere*, quod habent Excusi.

EPIST. XIV [*Al.* 101]. — [a] In Excusis contra plurimorum Mss. fidem, *tam momenti quam proprietatis causam.*

[b] Vulgati, *moras aut difficultates interserat.* In his emendandis adhibuimus præsertim Vaticanos, Anglic. et Norm. Codd.

[c] In Colb. vet. legitur data hæc epistola *Mense Octobri, indict.* 2.

EPIST. XV [*Al.* 12]. — [a] Spoletum, vulgo *Spoleto*, urbs adhuc episcopalis Umbriæ, ducatus Spoletini caput. GUSSANV.

[b] Reate, vulgo *Rieti*, urbs Umbriæ adhuc episcopalis in ducatu Spoletino sita. GUSSANV.

EPIST. XVI [*Al.* 13]. — [a] Prius legebatur *Severo;* quod emendavimus ex Mss. omnibus Norm., Vatic., Colb., etc.

[b] Ancona, vulgo adhuc *Ancona*, urbs olim Piceni suburbicarii, nunc adhuc episcopalis, et caput Marchiæ Anconitanæ, Romano pontifici immediate subjecta. GUSSANV.

[c] Hic erat episcopus Firmanus ex epistola sequenti. GUSSANV.

EPIST. XVII [*Al.* 14]. — [a] Firmum, vulgo *Fermo*, urbs olim Piceni suburbicarii, quæ Marchia Anconitana nunc dicitur. GUSSANV.

[b] Vide, causa 12, q. 2, c. 15, leg. *Sancimus* et Auth. *præterea*, c. de sacros. Eccles.

[c] De redemptione captivorum multoties. Vide 12, q. 2, in pluribus canonibus. GUSSANV.

a quoquam vobis aliquam objici quæstionem, quia ratio æquitatis exposcit, **944** ut quod studio pietatis impensum est, ad redemptorum onus vel afflictionem non debeat pertinere. (*Vide sup. ep.* 16.)

[a] EPISTOLA XVIII.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Patrimonium Ecclesiæ in Sicilia commendat*

Gregorius Romano defensori.

Propositi nostri cura nos admonet ecclesiasticas utilitates strenuis agendas mandare personis. Et ideo, quia te Romanum defensorem fidelem sollicitumque probavimus exstitisse, patrimonium sanctæ Romanæ, cui Deo miserante deservimus, Ecclesiæ, in partibus Syracusanis, Catinensibus, Agrigentinis, vel Milensibus constitutum, a præsenti secunda indictione gubernationi tuæ prævidimus committendum. Unde necesse est te illuc [b] indifferenter accedere, ut, divini consideratione judicii, nostræ quoque admonitionis memoria te efficaciter ac fideliter studeas exhibere, ut nullius neglectus vel fraudis, quod absit, inveniaris sustinere periculum. Magis autem id agas, quatenus de fide et industria tua divinæ possis gratiæ commendari. Ad familiam vero ejusdem patrimonii secundum morem præcepta direximus, ut nihil sit quod te ad peragenda ea quæ tibi injuncta sunt in aliquo valeat impedire.

[a] EPISTOLA XIX.

AD SYRACUSANI PATRIMONII COLONOS.

*Ut obediant Romano defensori.*

Gregorius colonis patrimonii Syracusani.

Cognoscatis volo quia ad sollicitudinem vos defensoris nostri dispositio nostra pertinere constituit. Et ideo præcipimus ut ea quæ vobis peragenda pro utilitatibus ecclesiasticis [b] præviderit et injunxerit, sine aliqua debeatis difficultate obedire. Cui talem dedimus potestatem, ut eos qui inobedientes vel attentaverint contumaces existere districta ultione corripiat. Pariterque illi demandavimus ut mancipia quæ foris latitant, vel a quoquam aliqui fines invasi sunt, sollicitudinis suæ instantia jure ecclesiastico revocare non differat. Noveritis etenim cum periculo suo fuisse commonitum, ut nullam aliquando violentiam rebus alienis vel raptum qualibet excusatione facere præsumat.

[a] EPISTOLA XX.

AD PETRUM IN SICILIA.

*Romano Syracusani patrimonii regimen adeunti auxilium ferat.*

Gregorius Petro Siciliensi.

Scientes devotionis affectum paternis commendationibus ampliari, necesse est ut ea **945** quæ agere vos sponte confidimus, gloriæ vestræ in his favorem nostris augere epistolis festinemus. Indicamus itaque Romano defensori latori præsentium, patrimonium Ecclesiæ nostræ, quod in Syracusanis, Catinensibus, et vicinis locis noscitur esse constitutum, Dei protegente gratia, credidisse. Et propterea salutantes paterno affectu, petimus ut vestra eum fovere providentia debeatis, atque ei in omnibus vestrum, sicut de vobis confidimus, auxilium commodetis; ut dum in gloriæ vestræ solatio vel favore subsidium consolationis habuerit, et vos qualem circa nos charitatem geritis, manifestius ostendatis, et nos voluntati vestræ respondere, dum necesse fuerit, per omnia festinemus.

EPISTOLA XXI.

AD LIBERTINUM EXPRÆFECTUM.

*Novum defensorem Romanum consiliis juvet.*

Gregorius [a] Libertino expræfecto.

Gloriæ vestræ et experta et cognita nos devotio provocat, epistolari vos alloquio causis ecclesiasticis exhibere adjutores. Et ideo quia Romano defensori præsentium portitori curam patrimonii Ecclesiæ nostræ, quod in Syracusano atque Catinensi territorio situm est, Deo auctore commisimus, salutantes gloriam vestram, petimus ut concurrere illi ac ferre solatium in omnibus debeatis. Et ne forsan de novitate minus aliqua quæ sunt utilia comprehendat, vestris eum subtiliter consiliis informate, atque ad agenda hæc vestram illi, sicut consuevistis, operam adhibete, quatenus dum vobis opitulantibus utiliter quæ ei injuncta sunt peregerit, et vos de bono vestro mercedem recipere valeatis, et nos pro gloriæ vestræ vita omnipotentis Dei misericordiam exorare enixius invitemur.

De capitulo autem de quo mihi lator præsentium est locutus, vel reverendissimus frater noster Joannes episcopus scripsit, interim vel tentari vel agi nil potuit, quia persona apud quam agi poterat, necdum est in potestate aliqua confirmata.

EPISTOLA XXII.

AD CIRIDANUM.

*Romano defensori faveat.*

Gregorius [a] Ciridano.

Gloriæ vestræ bonitas nuntio veraci diffusa tantam nobis de se certitudinem præbet, ut in nullo de ea diffidere, sed magis sicut revera sapienti filio Ecclesiæ nostræ debeamus specialiter causam commendare. Et ideo Romanum defensorem nostrum **946** præsentium portitorem ad gubernationem patrimonii Ecclesiæ nos-

Epist. XVIII [*Al.* 17]. — [a] Hæc epistola in Anglic. Mss. et in plerisque non reperitur. Ex Vaticanis unicus Cod. A eam exhibet. Exstat quoque in Remigiano, uti cæteræ quæ in aliis Codicibus desiderantur.

[b] Id est, *absque dilatione et mora.* Vide lib. I, epist. 68.

Epist. XIX [*Al.* 18]. — [a] Deest etiam hæc epist. plurimis in Mss. Exstat in Remig., et Vatic. A.

[b] In Remig., *præviderit injungenda, sine aliqua debeatis difficultate obedientiam. Cui.*

Epist. XX [*Al.* 19]. — [a] Hæc epist. cum tribus aliis immediate sequentibus in plerisque Mss. etiam omissa est; alioquin eas esse Gregorii stylus satis ostendit; verum ab amanuensibus forte fuerunt prætermissæ quod de eodem fere argumento scriptæ sunt; eas exhibent laudatus Codex Vatic. A, San Victorinus et Remig.

Epist. XXI [*Al.* 20]. — [a] Libertinus Siciliæ prætor erat an. 594, ex epist. 32 lib. v, Indict. 13.

Epist. XXII [*Al.* 21]. — [a] Vitiose prius legebatur in Excusis *Libertino Ciridano.* Primum nomen expunximus, suadente Ms. Vatic. A.

træ in Catanensibus vel Syracusanis partibus constituti, Deo protegente transmisimus. Salutantes igitur paterna dilectione gloriam vestram, petimus ut in cunctis affectum vestræ charitatis inveniat, et favoris vestri solatiis quocunque necesse fuerit potiatur, ut vobis præsentibus nos absentes esse non sentiat, quatenus cum injuncta sibi salubriter vestra ope expleverit, et nos vobis gratiarum possimus existere debitores, et beatus Petrus apostolorum princeps, in cujus causis vos impenditis, hic vobis et in futuro compenset.

## EPISTOLA XXIII.

AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Commissas Romano defensori causas Leontii adversus Leonem episcopum, et Archelaum medicum.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Filius noster gloriosus vir Leontius exconsule de fratre et coepiscopo nostro Leone graviter est questus nosque ejus querela omnimodo turbavit, quia ita præcipitanter et leviter ab episcopo agi non debuit. Quam causam subtiliter exsequendam venienti Romano defensori commisimus. De vestra autem fraternitate qui ab eo directus est queritur, quod [a] Archelai viri clarissimi medici defensione fratris et coepiscopi nostri [b] Domitiani metropolitæ utilitas gravetur. Et quidem tueri juste filios suos, vel, sicut est, forte sanctæ Ecclesiæ negotia, fraternitas vestra debet, et nullam occasionem dare adversariis maledicti gratia. Quod tamen vos per omnia custodire etiam ista loquendo non ambigo; eidem tamen Romano venienti etiam de hac causa injunximus, ut vobiscum debeat quæ sunt recta disponere.

## [a] EPISTOLA XXIV.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Neglectam per plurimos annos Rusticæ testatricis voluntatem tandem adimpleri curet.*

Gregorius Romano defensori.

Filius noster Theodosius, abbas monasterii a Liberio quondam patricio in Campaniæ parte constructi, nobis noscitur intimasse Rusticam quondam illustrem feminam [b] ante annos fere viginti et unum, primum condito testamento, Felicem jugalem suum hæredem instituisse, eique de construendo illic in Sicilia monasterio hac conditione interposita delegasse, ut si intra anni spatium omnia libertis dimissa legata non solveret, vel prædictum monasterium ita ut voluit **947** minime ordinaret, tunc sancta Romana Ecclesia portionem quam in fundo Cumas habere visa est, sibi deberet sine dubio vindicare, et ipsa ad persolvenda eadem legata, vel in constructionem ipsius monasterii solatia commodaret. Unde quia, quantum dicitur, dimissa res hactenus minime ipsi monasterio est completa, atque ab ejus nuncusque hæredibus possessionis pars aliqua detinetur, cum omni subtilitate experientia tua causam exquirat atque discutiat. Et primum quidem si in conditione testamenti hæres incidit per quod nostra habeat causas Ecclesia, investigare te volumus atque evidenter addiscere, et utilitatem pauperum, sicut rei ordo poposcerit, exsequi; et tunc pro ordinatione cellæ illius, vel redintegratione dimissæ rei instanter esse sollicitum, quatenus pia testatricis voluntas in utroque valeat adimpleri, et detentores injusti culpam retentionis indebitæ ex justa amissione cognoscant. Cum omni ergo vivacitate causam hanc et exquirere, et ad effectum te volumus, Domino auxiliante, perducere, ut pia ordinantis devotio tandem sortiatur effectum. Sed et monasterio ipsi in omnibus, salva justitia, solatiari te volumus, ut laicæ personæ, quasi ex conditoris nomine, quæ juvaminis debuerunt ferre solatium, lædendi non habeant, sicut asseritur, facultatem [c].

## EPISTOLA XXV.

AD JOANNEM SURRENTINUM EPISCOPUM, ETC.

*Gregorio expræfecto basilicam ædificare cupienti reliquias concedant.*

Gregorius Joanni episcopo Surrentino, Agnello episcopo Terracinensi, Felici episcopo [a] Portuensi, Fortunato episcopo Neapolis, Primærio episcopo Nuceriæ, Glorioso episcopo [b] Ostiensi, [c] Albino episcopo Formiæ.

Gloriosus filius noster Gregorius [d] expræfectus sanctuaria beatorum martyrum in diœcesis vestræ locis quiescentium sibi postulat debere concedi, in quorum honorem basilicam propriis sumptibus ædificare desiderat. Et ideo, fratres charissimi, præfati viri desideriis ex nostra vos præceptione convenit obedire, ut devotionis suæ in consecratione quam postulat potiatur effectu. [e] Mense Novembri, indictione 2.

## EPISTOLA XXVI.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Donatam ab Ammonia Romanæ Ecclesiæ domum, Calixeno illius nepoti, Stephaniæ filio, reddat.*

Gregorius Romano defensori.

Quanquam ea quæ ad Ecclesiæ jura perveniunt

Epist. XXIII [*Al.* 22]. — [a] Prius legebatur *Marchilai*, quod etiam habet Vatic. A. Verum in epist. 32, lib. v, indict. 13, ubi ejusdem medici meminit sanctus Gregorius scribitur *Archelai*, in Normannis Mss., in Vatic. et in collectione Pauli Diaconi ut alia vetera exemplaria missa faciamus; neque dissentiunt libri excusi.

[b] De illo lib. III epist. 67, lib. x epist. 50.

Epist. XXIV [*Al.* 16]. — [a] Abest a mss. Anglic. et plerisque; exstat in tribus Vatic. A, B, D.

[b] Prius legebatur *ante nos*, quod ex laudatis Codd. correximus.

[b] In Vatic. A. et B, Reg., duobus Colbert. ac totidem Teller. data legitur hæc epist. *Mense Junio, indict.* 2.

Epist. XXV [*Al.* 11]. — [a] Portus Romanus, seu Portus Augusti, vulgo *Porto*. Urbs olim Etruriæ, nunc adhuc episcopalis in Patrimonio sancti Petri, cujus episcopatus unus est e sex qui cardinalibus antiquioribus conferuntur. Gussanv.

[b] Ostia, vulgo etiam *Ostia*, Tiberina dicta; eo quod ad ostia Tiberis fluvii e regione portus sita sit, 12 mill. ab urbe Roma. Gussanv.

[c] Male in quibusdam editis et mss. Codicibus habetur *Formæ*, pessime in aliis *Fermiæ*. De hac urbe vide quæ dicta sunt ad epist. 8, lib. I. Gussanv. In Vatic. A et B legitur *Albino Formæ*, vel *Firmæ*.

[d] In Vatic. A et F, *Expræfectis*.

[e] Hæc exhibent Vaticani A, B, F, et duo Teller., necnon Colb. vet.

alienari legis ratio non permittat, **948** temperanda tamen interdum est censura districtionis, ubi misericordiæ respectus invitat maxime quando tanta est quantitas quæ nec dantem onerat, et accipientis pauperiem juxta aliquid consolatur. Et ideo quia Stephania præsentium latrix cum Calixeno filio suo parvulo quem de Petro quondam viro suo se suscepisse, et nimia asserit pauperie laborasse, huc veniens assidua obsecratione et lacrymis a nobis exegit ut domum possessionis in civitate Catinensium, quam Ammonia quondam socrus ejus Calixeni avia Ecclesiæ nostræ titulo donationis obtulerat, eidem Calixeno restitui faceremus; memoratam Ammoniam asserens alienandi eam non habere licentiam, sed ante fati Calixeni filii sui per omnia juris esse; cui rei dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus, qui causam cognitam habuit, contradictor exstitit, inquiens quod prædictæ mulieris querimonia non haberet justitiam, nec posset rationabiliter ad filii sui nomen domum ipsam vindicare sive repetere; sed ne suprascriptæ mulieris lacrymas inanes relinquere et plus sequi rigoris viam quam causas videamur pietatis complecti, hac tibi præceptione mandamus, ut memoratam domum sæpe fato Calixeno, simul et donationem ab Ammonia factam de domo ipsa, quæ illic in Sicilia esse noscitur, reddere debeas, quia, sicut diximus, melius est in dubiis non districtionem exsequi, sed ad benignas potius partes inflecti, præsertim dum ex parvæ rei cessione nec Ecclesia gravatur, et orphano atque pauperi misericorditer subvenitur. [a] Data mense Novembri, indictione 2.

## EPISTOLA XXVII.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Ecclesiastica patrocinia non omnibus indiscrete impendenda.*

Gregorius Romano defensori.

Pervenit ad nos quia quidam homines minorem omnimodo discretionem tenentes, in suis nos periculis implicari desiderant, atque ita volunt [a] ab ecclesiasticis personis defendi, ut ipsæ quoque personæ ecclesiasticæ ex eorum culpa teneantur. Idcirco præsenti te præceptione admoneo, et per te fratrem et coepiscopum nostrum domnum Joannem, vel cæteros qui interesse possunt; ut patrocinia ecclesiastica, sive mea suscipiatis scripta, sive etiam minime fuerint directa, sub tanto moderamine debeatis impendere, quatenus (*Grat.* 14, *q.* 6, *c.* 3) si qui in furtis publicis implicati sunt, a nobis non videantur injuste defendi ne opinionem male agentium ex indiscretæ defensionis ausu in nos ullo modo transferamus; sed quantum decet Ecclesiam, admonendo, verbum intercessionis adhibendo, quibus valetis succurrite, ut et illis opem feratis, et opinionem sanctæ Ecclesiæ non inquinetis [b]. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 56.)

## **949** EPISTOLA XXVIII.

AD ANTONIUM SUBDIACONUM, ET DOMETIUM ABBATEM.

*Concordiæ reconciliationem xenodochium inter et monasterium sua auctoritate firmat.*

Gregorius Antonio subdiacono, [a] et Dometio abbati atque presbytero a paribus.

Sicut grave et plenum vituperationis est inter personas omnipotenti Deo militantes de sæcularibus negotiis ortam diu controversiam permanere, ita laudabile et studio est religioso conveniens terrenis gratam Deo pacem præferre compendiis, et ex rebus transitoriis mansura semper charitatis lucra mercari. Et ideo quia de possessionibus Faiano, Nasoniano, et Libiniano positis in provincia Sicilia territorio Panormitano, de quibus inter præpositos monasterii sanctorum Maximi et Agathæ, quod [b] Lucuscanum dicitur, et e diverso administratores xenodochii in hac urbe Roma constituti, quod Valerii nuncupatur, longa se traxit contentio, nunc vero inter te Antonium subdiaconum nostrum memorati xenodochii præpositum, et e diverso dilectissimum filium nostrum Dometium abbatem atque presbyterum prædicti monasterii [c] pactis intervenientibus salubris processit, Deo auctore, decisio; necesse est ut omnis discordiæ possit occasio præveniri, et ea quæ gesta sunt interveniente auctoritate firmari. Proinde per hujus præcepti seriem hoc decernendum esse perspeximus, ut omnia instrumenta, vel quidquid est aliud quod partibus, quod absit, ad invicem contra se venire cupientibus, quoquomodo vel ex temporis præscriptione, seu aliter opem de lege aut quocunque privilegio poterat ministrare, sit, sicut et vos poscitis, vacuum, et omni virtute cassatum, et sola pactorum inter vos nunc habitorum pagina validum, perpetuumque robur obtineat. Cui si quid forte incuria vel imperitia minus firmitatis insertum est, vires *secundum mores legesque terrenas non restituantur aliena*, etc. GUSSANV.

[b] In quatuor Vaticanis et Colbert. vet., *Mense Decembri, indictione* 2. In uno e Teller. idem epistolæ præmittitur.

EPIST. XXVII [*Al.* 24]. — [a] Vide epistolam 132, inter epistolas sancti Augustini: *Officium sacerdotii vestri esse dicitis intervenire pro reis, et nisi obtineatis offendi, quasi quod erat officii vestri minime reportetis.* Huic quæstioni respondet Augustinus epist. 155, quam lector consulet, sicut et causam 23, q. 5, 4 et 5. Certe videtur hic sententiam sancti Augustini ipse sanctus Gregorius expressisse, quæ sic habet: *Illud vero fidentissime dixerim, eum qui pro homine ad hoc intervenit, ne mala ablata restituat, et qui ad se confugientem quantum honeste potest, ad restituendum non compellit, socium esse fraudis et criminis*, etc. Et versus finem epistolæ: *Sed tamen etiam hic non intercedimus, ut*

EPIST. XXVIII [*Al.* 27]. — [a] In recent., *Dometiano.* Sequimur quinque Anglic., quatuor Vatic., Reg., omnes Norm., Colbert., etc. Aliquando tamen hic abbas in laudatis Codicibus vocatur *Domitius.*

[b] Vel Lucusianum monasterium in civitate Panormitana situm, hodie appellatur monasterium sanctorum Maximi et Agathæ, ex Rocho Pirro. GUSSANV. Legitur *Luccucanum* in quinque Vatic. et omnibus Norm., Colbert., etc. In Remig. duæ sunt voces *Lucus canum.*

[c] Ex Norm., Gemetic., Audoen., Lyran., cum Colbert. vet. et quatuor Vatic., *factis intervenientibus.*

plenissimæ munitionis et soliditatis ex hac nostra auctoritate suscipiat, nec superesse aliquid valeat, unde ea quæ religioso studio provide, ut oportuit, ac pacifice terminata sunt, quocunque tempore quidquam dubietatis incurrant; sed omnia quæ in eisdem pactis tenentur ascripta, firma, illibata et sine aliqua refragatione persistant, quatenus, amota penitus totius altercationis materia, inter eos quos charitatis immutabiliter decet manere concordia, nulla queat deinceps litigiosæ contentionis occasio **950** generari. Pro munitione vero suprascripti monasterii memorato Dometio abbati atque presbytero præceptum simile dedimus. [d] Mense Januario, indictione 2.

## EPISTOLA XXIX.

AD VENANTIUM LUNENSEM EPISCOPUM.

*Fidentiam aut Adeodatæ filiæ recens conversæ facere satis suadeat, aut hanc apud judices adjuvet.*

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

Quæ sit Adeodatæ ancillæ Dei latricis præsentium adversus Fidentiam matrem suam querimonia, ex pagina petitionis oblatæ quæ tenetur in subditis fraternitas vestra cognoscet. Et quoniam æquitatis censura admonet ut maximum conversis salva ratione episcopale debeat adesse solatium, idcirco his fraternitatem vestram epistolis adhortamur, ut prædictam matrem ipsius ad se faciat evocari, et tranquilla ei adhortatione suadeat, ut facere sponte non desinat, ad quod legali potest ratione compelli, [a] quatenus nec illa affligi, nec hæc videatur præjudicium sustinere. Quæ si, quod non credimus, admonitionem vestram differe voluerit, prædictæ Adeodatæ religiosæ contra eam tuitionem impendite, atque vestris eam solatiis apud judicem, vel quocunque usus exegerit, instantius adjuvate. Et ita in exsequendam vos hanc causam impendite, ut, legali ratione constricta, invita urgeatur facere quod sponte postponit. Memoratam vero latricem fraternitas vestra ita servata æquitate habeat in omnibus commendatam, ut vobis ei tuitionem impendentibus, in eo quem assumpsit habitu, sine aliqua, Deo protegente, concussione permaneat.

## EPISTOLA XXX.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Monasterio sancti Marci Massam Veneris restituendam curet.*

Gregorius Anthemio subdiacono Neapolitano.

Æquitatis jus exigit ut hoc quod a prædecessoribus nostris cognita veritate est redditum, nostra indebite denuo Ecclesia tenere non debeat, ne quod omnino contra religiosum constat esse propositum, non vera, sed imaginaria ac magis dolosa fuisse restitutio videatur. Et ideo quoniam Stephanus abbas monasterii sancti Marci, quod constitutum juxta muros Spoletanæ civitatis esse dignoscitur, questus est nobis Massam Veneris **951** in provincia Campania sitam, territorio Minturnensi, quam ei beatæ memoriæ decessoris nostri Benedicti redditam præceptione cognovimus, ab Ecclesia nostra nunc indebite detineri: idcirco hac tibi auctoritate præcipimus, ut si manifeste ab Ecclesiæ nostræ hominibus detinetur, in jus eam prædicti monasterii sine aliqua mora vel altercatione restituas. Si vero non a nostris, sed a quibusdam forsitan extraneis detinetur, strenua te agere sollicitudine volumus, ut in jus modis omnibus memorati debeat monasterii reformari, quatenus et ipse quod suum est, te solatiante, sine aliqua fatigatione recipiat, et alter de dispendio monasterii injuste lucrum non habeat.

## EPISTOLA XXXI.

AD FAUSTUM.

*Ecclesiæ Vulturnæ ministeria apud Anthemium absque dubitatione deponat.*

Gregorius Fausto.

Sicut res ecclesiasticæ competentibus personis sine aliqua sunt dilatione reddendæ, ita restituentis attendenda cautela est, ut nulla ei possit postmodum ex ipsa nasci restitutione molestia. Et ideo, quoniam tempore quo quondam [a] Constantius defensor, pater gloriæ vestræ, commissi sibi patrimonii Campaniæ curam gessit, ministeria Ecclesiæ [b] Vulturnæ, quæ erat pro peccatis clero et pontifice destituta, apud se propter injunctam sibi sollicitudinem tulisse dignoscitur, quæ vos nunc reddere sine nostro consensu dubitare cognovimus; eapropter his vos hortamur epistolis ut ea Anthemio subdiacono [c] sub desuscepti emissione restituere sine aliqua difficultate debeatis, quatenus et res Ecclesiæ in toto apud eos quos convenit habeantur, et gloria vestra ab omni dubitatione sit libera.

## EPISTOLA XXXII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*A Fausto Ecclesiæ Vulturnæ ministeria suscipiat, in tuto habeat, et describat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Comperimus [a] ministeria Ecclesiæ Vulturnæ, quæ, Constantius defensor propter injunctam sibi sollicitudinem, deficiente clero vel episcopo ejusdem Ecclesiæ, tulerat, apud hæredem ipsius remansisse. Et quia gloriosum virum Faustum filium ipsius ea red-

[d] Consentiunt quatuor Vatic. et Colb. vet.

EPIST. XXIX [*Al.* 28]. — [a] Corruptus fuerat hic locus in præcedentibus Editionibus, sed castigatus est ope plurimorum mss. Codicum et antiquiorum Editionum. GUSSANV.

EPIST. XXX. *Al.* 29.

EPIST. XXXI [*Al.* 30].— [a] Editi reluctantibus Mss. *Consentius.*

[b] Vulturnum, vulgo *Castel del Vulturno*, fuit olim urbs Campaniæ Italicæ, episcopalis, ad fluvii Vulturni ostia, nunc Castrum exiguum. GUSSANV.

[c] Sic restituimus ex quinque Vatic., omnibus Norm., Reg., etc., ubi in Vulgatis legitur *sub depositi.* Desusceptum hic et alibi in his epistolis est chirographum rerum susceptarum indicem et recensionem continens. Vide lib. III, epist. 50. Infra, in Excusis legebatur *in tuto*, pro *in toto*, quod habent quinque Vatic., Norman., omnes Colbert., Reg., etc.

EPIST. XXXII [*Al.* 31]. — [a] Quid per ministerium intelligendum sit jam sæpe diximus. Lege notam 553 ad lib. Sacram.

dere sine nostro consensu dubitare cognovimus, nostris eum hortati sumus epistolis, ut experientiæ tuæ ministeria ejusdem Ecclesiæ reddere sine dubietate aliqua debuisset. Et ideo experientia tua ministeria ipsa sub desuscepti emissione **952** suscipiat, [b] atque in toto habere studeat, et modum ac qualitatem ipsorum nobis facta notitia omni subtilitate innotescat.

## EPISTOLA XXXIII.

AD ANDREAM.

*Ut illum de infirmitate consoletur, ipsam divini amoris pignus ac fructuosi palmitis purgamentum esse ostendit.*

Gregorius [a] Andreæ.

Audiens quod gloriam vestram vehementer afflixerit luctus et ægritudo, valde condolui. Sed protinus agnoscens [b] quod perfecte reliquerit, dolorem mox in lætitiam verti, magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, quia percussit ut sanaret, afflixit ut ad gaudia vera perduceret. Hinc enim scriptum est : *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII, 6). Hinc per semetipsam Veritas dicit : *Pater meus agricola est, et omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum ; omnem vero qui fert fructum, purgabit eum, ut fructum plus afferat* (*Joan.* I, 1, 2). Palmes enim infructuosus tollitur, quia peccator funditus eradicatur. Palmes vero fructuosus purgari dicitur, quia per disciplinam reciditur, ut ad uberiorem gratiam perducatur. Sic enim spicarum grana tribulis attrita, aristis et paleis nudantur. Sic olivæ prælo pressæ in olei pinguedinem defluunt. Sic botri vinearum tunsi calcibus in vinum liquescunt. Gaude igitur, bone vir, quia in hoc flagello tuo et provectu conspicis quod ab æterno judice amaris.

Præterea filiam meam Gloriosam, conjugem vestram, mea peto vice salutari. Omnipotens autem Deus cœlesti vos protectione custodiat, vosque et modo consoletur de largitate donorum, et postmodum de retributione præmiorum.

## EPISTOLA XXXIV.

AD VENANTIUM EPISCOPUM.

*Presbyteros vel diaconos in Aldionis civitate ordinet, atque ipsos ad infidelium conversionem adhortetur.*

Gregorius Venantio [a] episcopo.

Quoties ea quæ hortari nos convenit postulamur, moras ad concedendum facere non debemus ; ne differre bona desideria, quæ magis fovenda sunt, videamur. Et ideo quia gloriosus Aldio magister militum in civitate ipsius presbyteros vel diaconos omnino, sicut suis nobis epistolis indicavit, desiderat ordinari, A eos qui ad consecrandum eliguntur fraternitas vestra diligenter inquirat. Et si nihil est quod canonice eorum ordinationem impediat, Deo illos propitio studeat ordinare. Cum quibus etiam loqui **953** vos convenit, ut adhortationis suæ sollicitudine degentem illic populum ab infidelitate revocare, ac contendant [b] a gentilium cultu suspendere, atque eos in omnipotentis Dei doceant timore persistere, et præmia æternæ vitæ diligere, quatenus hæc consecratio et illis ante Deum ad gloriam, et habitanti illic populo proficiat ad salutem.

## EPISTOLA XXXV.

AD CONSTANTIUM MEDIOLANENSEM EPISCOPUM.

*Joannem præfecturæ vices acturum commendat ; ea tamen lege ut (quod contigerat in Vigilio) inde non gravetur Ecclesia.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Quamvis ita fraternitas vestra convenienti sibi gravitate discreta sit, ut non admonita, sed ex se quid cui sit impendendum intelligat, verumtamen quia lator præsentium Joannes, vir magnificus, qui præfecturæ vices illic acturus advenit, nostra se petiit epistola commendari, sanctitas ei vestra, dum necesse fuerit, salva ratione præsidium sui favoris impendat, et ita eum sacerdotaliter suis studeat solatiis adjuvare, quatenus vobis præsentibus nec aliorum debeat injuste oppressionibus laborare, nec ipse aliis contra rationem gravis existat. Quia vero pervenit ad nos quod Vigilius, qui vices illic ante hunc præfecturæ gessit, per scriptorum nostrorum occasionem, quibus eum petitione ejus compulsi commendavimus, mutuas a vobis, ut ita dicamus, pecunias exegisset, ægre si verum est sustinemus, ut hoc non ex se, sed quasi per nostram epistolam obtineret. Et ideo fraternitatem vestram scire necesse est ita sibi a nobis eos qui hoc exigant commendari, ut eis adesse in quantum possibile et justum est debeat, non tamen ut Ecclesiæ suæ hujus rei occasione aliquod gravamen imponat. [a] Data mense Februario, indictione 2.

## EPISTOLA XXXVI.

AD FORTUNATUM NEAPOLIT. EPISCOPUM.

*Reversis e Gallia Judæis negotiatoribus, Christiana quæ adduxerint mancipia aut iis tradantur qui emptionem injunxerant, aut Christianis intra quadragesimum diem venundentur. Caveat a Basilio Judæo filiis suis Christianis mancipia donante.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolis.

Cognoscentes qualis fraternitatem vestram zelus pro Christianis mancipiis, quæ Judæi de Galliarum finibus emunt accenderit, adeo nobis sollicitudinem vestram placuisse signamus, ut inhibendos eos ab

[b] In excusis legitur *in tuto*. At secus in Mss. Remig. et San Victorino, qui fere soli cum Vatic. A epistolam hanc exhibent. Præterea, in epist. 31, quæ eadem de causa scripta est, magno Mss. omnium consensu legitur *in toto*.

EPIST. XXXIII [*Al.* 32]. — [a] In recent. Excusis, *Andreæ Scholastico*. Abest *Schol.* a quinque Vatic. omnibus Anglic., Norm., etc.

[b] In iisdem recent., *quod te morbus perfecte reliquerit*, invitis Mss.

EPIST. XXXIV [*Al.* 33]. — [a] Additur in Vulgatis *Lunensi*, quod abest a Vatic., Norm., Rhem. Colbert., Reg., etc.. Non inficiamur tamen Venantium hunc Lunensem fuisse episcopum.

[b] Id est, avertere ; simili modo Plinius suspendere fluxiones oculorum, id est avertere, sistere. GUSSANV.

EPIST. XXXV [*Al.* 34]. — [a] In Vulgatis *Data mense Septembris*, quod in nullis legitur mss. Itaque sequendum censuimus vet. Colbert. Codicem in quo habes, *Mense Februario*, consentitque Remig.

hujusmodi negotiatione nostra etiam deliberatio judicaret. Sed Basilio Hebræo cum aliis Judæis veniente comperimus hanc illis a diversis judicibus reipublicæ emptionem injungi, atque evenire ut inter paganos et Christiani pariter comparentur. Unde necesse fuit **954** ita causam cauta ordinatione disponi, ut nec mandantes frustrari, nec hi qui contra voluntatem suam se inquiunt obedire, aliqua sustineant injuste dispendia. Proinde fraternitas vestra hoc vigilanti sollicitudine observari ac custodire provideat, ut revertentibus eis a præfata provincia, Christiana mancipia quæ ab ipsis adduci contigerit, [a] aut mandatoribus contradantur, aut certe Christianis emptoribus intra diem quadragesimum venundentur. Et transacto hoc dierum numero, nullus apud eos quolibet modo remaneat. Si autem quædam ex eisdem mancipiis talem ægritudinem fortassis incurrerint, ut intra statutos dies vendi non valeant, adhibenda sollicitudo est ut dum saluti fuerint pristinæ restituta, similiter modis omnibus distrahantur, quia rem quæ culpa caret ad damnum vocari non convenit. Quoniam vero quoties novum quid statuitur ita solet futuris formam imponere [b] ut multis dispendiis præterita non condemnet, si qua apud eos mancipia de emptione anni præteriti remanserunt, vel a vobis nuper ablata sunt, dum apud vos sunt posita, ea habeant alienandi licentiam, ne detrimentum ante prohibitionem possint ignorantes incurrere, quod eos dignum est postmodum vetitos sustinere.

Nuntiatum præterea nobis est suprascriptum Basilium filiis suis Deo propitio Christianis quædam mancipia ad hoc velle titulo donationis concedere, ut ei hujus occasionis obtentu, domini solummodo nomine ablato, deserviant; et post hoc si ad Ecclesiam confugiendum forte crediderint, ut fieri debeant Christiana, non in libertatem, sed eorum dominio quibus antea donata sunt vendicentur. In qua re fraternitatem vestram decenter convenit vigilare. Et si qua filiis suis mancipia donare voluerit, ut cuncta fraudis tollatur occasio, fiant modis omnibus Christiana, et in domo ejus non maneant; sed cum res exegerit ut eorum debeat uti solatiis, hoc illi jubeantur impendere quod etiam a suis filiis ei decet et propter Deum convenit exhiberi.

## EPISTOLA XXXVII.

AD CHRYSANTHUM SPOLETANUM EPISCOPUM.

*Ne confugientibus ad illius diœcesim monachis communionem indiscrete reddi patiatur. Mancipio ea lege manumisso ut monachus fieret, monasterium deserere non liceat.*

Gregorius Chrysantho episcopo Spoletano.

Cum sit proprium disciplinæ ab illicitis prohibere, et excessus culpas salubriter resecare, studiose ejus servanda censura est. Nam si negligitur, cuncta in confusionem deveniunt, dum alter destruit quidquid ea custodiendo alter ædificat. Valentinus itaque presbyter questus est nobis, quia si monachus monasterii ipsius exigente culpa [a] fuerit communione privatus, ad loca vestra se conferat, et communionem sine aliqua reservatione percipiat. Quod si ita se res habet, quoniam non solum regularis ordo dissolvitur, **955** sed etiam perditionis ex hoc materia ministratur, presbyteris qui sub vobis sunt districte ac sollicitius interdicere vos necesse est, ut hoc facere de cætero non præsumant. Sed si forte injuste se excommunicatum quis queritur, fraternitas vestra subtili indagatione cognoscat; et ita causam cognita veritate disponat, ut nec injustitia diu in insontis afflictionem prævaleat, nec disciplinæ vigor aut frangi, aut indiscreta valeat præsumptione dissolvi.

[b] Quia vero pariter suprascriptus presbyter nobis questus est diaconem quemdam duo juris sui sub hac conditione manumisisse mancipia, ut monachi fieri, et in eodem monasterio debuissent, ubi ipse fuerat, permanere, adjicientem ut si quis contra facere præsumpsisset, jugo iterum servitutis per omnia subderetur; atque unum ex eis hanc omnino conditionem despexisse, et monasterium temerario ausu deseruisse, atque se inter clericos sociasse; fraternitas vestra et hoc subtili indagatione discutiat, et si ita repererit, sic sacerdotali se zelo hac in re decenter exhibeat, ut nec illi monasterium deserendi facultas sit, et manumittentis voluntas nihilominus conservata aliqua præteriri excusatione non valeat.

## EPISTOLA XXXVIII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Apud Felicem agat, ut recepta a Mauro pretii sorte sit contentus.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Maurus præsentium portitor in quadringentis solidis quasdam merces a Felice viro magnifico se asserit suscepisse, [a] atque promisisse sex siliquas per solidum lucri causa persolvere pretii. [b] Qua lucri quantitate in uno congesta, duas se cautiones, id est unam de quadringentis quinquaginta, et alteram de quinquaginta solidis [c] emisisse, spondens certo tempore quod debeat exsolvere. Sed quia, ut perhibet, in eisdem mercibus passus est non leve dispendium, et restitutis quadringentis decem solidis, quod reliquum lucri est implere compellitur, atque ex hoc majori se necessitati ac potius desperationi ingemit subjacere, et propterea aliquo sibi subveniri petit auxilio; experientia tua, si ita est, apud prædictum

Epist. XXXVI [*Al.* 35]. [a] — Vox in jure varii significatus hic facile explicatur de judicibus qui emptionem injunxerant. Gussanv.

[b] Hic locus varie in Mss. legitur. In Vatic. A, *ut multa dispendii præterita non commodent*; cui aliquatenus succinunt Editi, ubi habes, *ut multis dispendiis præterita non commodent*. In Vatic B, E, F, *ut multa dispendiis præterita non commendent*. In Vatic. D, *ut multa dispendia præteritis commendet*, consentiente Rhemensi. Secuti sumus Normannos omnes.

Epist. XXXVII [*Al.* 36]. — [a] De excommunicatione monachorum pro culpis, vide regulam sancti Patris Benedicti, cap. 25, et quatuor sequentibus. Consule quoque Concordiam Regularum, cap. 30, ubi de hac communicatione omnium fere qui regulas monasticas promulgarunt consensus ostenditur.

magnificum filium nostrum una **956** cum reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Fortunato, ac glorioso filio nostro Maurentio magistro militum, quia et ipsi scribimus, agere studeat ut hac in re, sicut Christianum decet et nobilem, plus benignus quam rigidus, plus misericors esse debeat quam districtus, et lucrum de damno alterius non exspectet, sed [d] recepta pretii sit sorte contentus, quatenus quidquid pauperi cesserit, omnipotens ei Deus multiplicata sicut promisit restitutione compenset. Ita ergo studiose experientia tua agat, ut illi modis omnibus hoc pro mercede ipsius imponere et hunc ab afflictione possit obligationis exuere.

## EPISTOLA XXXIX.

AD ROMANUM IN SICILIA DEFENSOREM.

*Gaudioso inopi solidos sex singulis annis tribuat.*

Gregorius Romano defensori Siciliæ.

Divinorum nos admonent eloquia præceptorum necessitatem patientibus ecclesiasticum præbere subsidium. Quia ergo dilectissimus filius noster Cyprianus diaconus, Gaudiosum defensorem sedis nostræ, qui Syracusis degere comprobatur, pauperia is asserit inopia constringi, idcirco experientiæ tuæ præsenti auctoritate mandamus ut a præsenti secunda indictione sex solidos annis singulis ei dare non differas, ut et ille hujus remedii solatio potiatur, et tu quod dederis tuis sine dubio noveris rationibus imputandum. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## EPISTOLA XL.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Ut, omni cunctatione et excusatione abjecta, id exsequatur quod supra epist.* 25, *fuerat mandatum.*

Gregorius Romano defensori.

Mense Novembrio præsentis secundæ indictionis

[b] In Excusis, *et quia*. Multa alia leviuscula emendavimus, quibus sensus nihilominus obscurior videbatur.

Epist. XXXVIII [*Al.* 37]. — [a] Siliquas viginti quatuor habebat solidus. Centum igitur solidos lucri causa pro quadringentorum solidorum mercibus promiserat Felix, emissa seu scripto data cautione duplici, de quadringentis et quinquaginta una, altera de quinquaginta solidis.

[b] Vitiose in Excusis, *quam lucri quantitatem in uno congestam, duas*, etc.

[c] In Vatic. D et in Audoeno ac Lyrano *emisse*, sed perperam.

[d] Prohiberi jure divino, canonico et civili usuras nullus est qui non fateatur, quas et quibus non perinde conveniunt. In concil. III Aurel. an. 538, can. 27 : *Ut clericus a diaconatu et supra pecuniam non commodet ad usuras; nec de præstitis beneficiis quidquam amplius quam datur, speret; neve in exercendis negotiis, ut publici qui ad populi responsum negotiatores observant, turpis lucri cupiditate versetur, aut sub alieno nomine interdicta negotia audeat exercere. Quod si quis adversum statuta venire præsumpserit, communione concessa, ab ordine degradetur.* Idem fere legitur can. apostol. 44, nec abludit Nicænum, c. 17. Duo sunt quæ observo, *a diaconatu et supra*, necnon *communione concessa*. Sidonius Apollinaris, epist. 24 lib. IV, *Turno suo*, multa de usuris profert, quæ lector attento negotium lacessent. Legatur caput *Per vestras*, extra., *de donationibus inter virum et mulierem*; et Gregorius Turon., lib. III, c. 52, de episcopo Virdunensi : *Pecuniam tuam si commodare placet, cum usuris legitimis reddemus.* Non diutius immoror,

## EPISTOLA XLI.

AD JULIANUM SCRIBONEM.

*Se humanis rationibus a justitiæ zelo non revocari; inquisiturum proinde in Maximum, et juxta canones laturum sententiam.*

Gregorius Juliano scriboni.

Si sæcularibus officiis ordo suus et tradita a majoribus disciplina servatur, quis ferat ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, et emendanda non bene remittendo postponere? Et quidem vos bene facitis charitatem diligere, et ad concordiam suadere. Sed quoniam loci nostri consideratione compellimur ea quæ ad nostram notionem pervenerunt minime propter Deum irrequisita relinquere, idcirco [a] veniente Maximo subtiliter ab eo quæ de ipso dicta sunt perscrutari curabimus. Et confidimus de Creatoris nostri custodia quia, cognita veritate, a statu canonum et æquitatis rectitudine, nec gratia cujusquam nec culpa deflectine infixus in limo profundi hæream. Gussanv.

Epist. XXXIX [*Al.* 38].

Epist. XL. — [a] *Præceptio* et *præceptum* infra sæpe occurrunt apud nostrum Gregorium et alterum Turon. (de aliis scriptoribus silemus) apud quem maxime voces istæ significant regum ac illustrium personarum mandata scripto tradita. Vide Gregorium Turon., lib. VI Hist., c. 46.

[b] De *notitia*, supra, epist. 16 lib. III, nunc lib. IV. Hic exemplum est instrumenti donationis polyptycis, id est libris Ecclesiæ, prædia et annuos census summatim exhibentibus inserti. Vide Joan. Diac. lib. II, c. 24. et consule doctissimum Cangium. Si etymologiæ ratio habeatur polyptycum est tabula plures habens plicas. De iis et de diptychis fuse c. 4 lib. de Concordia Regul., § 4. In San Victor. et in Ed. vet., *pollicitis*.

[c] *Charaxare* nonnunquam idem est ac *insculpere*. Augustinus, de altercat. Eccles. et Synag. : *Nam cum primum in monte Sina charaxatas decalogo duplices tabulas accepisset.* Gregorius Turon., lib. VIII, c. 19, *duos cultros*.... Fredegundis *charaxari profundius et veneno infici jusserat*. Alias idem est ac pingere; Gregorius Turon., lib. VII, c. 36 : *Tune es pictor ille qui tempore Clotarii regis per oratoria parietes atque cameras charaxabas?* Hic vero *charaxata* significat *deleta*, vel transversis lineis, ut fieri solet, cancellata. In testamento sancti Remigii apud Hincmarum : *In quo si qua litura vel charaxatura fuerit inventa, facta est me præsente, dum a me relegitur et emendatur.*

Epist. XLI [*Al.* 11, *indict.* 7]. — [a] Salonitanæ sedis invasore de quo supra multis in epistolis.

mur, sed libenter quæ congruunt rationi servamus. Nam si, quod absit, ecclesiasticam sollicitudinem vigoremque negligimus, perdit desidia disciplinam, et animabus profecto fidelium nocebitur, dum talia a suis pastoribus exempla suscipiunt. Illud autem quod scribitis, quia voluntas palatii et amor ab eo populi non discordet, hæc res a justitiæ nos zelo non revocat, nec intentionem nostram facit in requirenda veritate peccando deficere. Studendum ergo est, fili magnifice, ut amorem sibi Dei quisque conciliet. Nam sine divina gratia humana dilectio quid dicam in posterum, dum modo quoque apud nos amplius nocet [b]?

## EPISTOLA XLII.

AD AGILULPHUM LANGOBARDORUM REGEM.

*De pace composita gratias agit. Petit ut ducibus suis præcipiat ne pacem turbent.*

Gregorius Agilulpho regi Langobardorum.

Gratias excellentiæ vestræ referimus, quia petitionem nostram audientes, pacem quæ utrisque esset partibus profutura, sicut de vobis confidentiam habuimus, ordinastis. Ex qua re **958** excellentiæ vestræ prudentiam et bonitatem valde laudavimus, quia pacem diligendo vos Deum qui ipsius est auctor amare demonstrastis. Nam si, [a] quod absit, facta non fuisset, quid aliud agi habuit, nisi ut, cum peccato et periculo partium, miserorum rusticorum sanguis, quorum labor utrisque proficit, funderetur? Sed ut prodesse nobis eamdem pacem, quemadmodum a vobis facta est, sentiamus, paterna charitate salutantes, petimus ut quoties se occasio dederit, ducibus vestris per diversa loca, et maxime in his partibus constitutis, vestris præcipiatis epistolis ut hanc pacem, sicut promissum est, [b] pure custodiant, et occasiones sibi aliquas non quærant unde aut contentio quædam, [c] aut [d] ingratitudo nascatur, quatenus voluntati vestræ amplius agere gratias valeamus. Latores vero præsentium sicut revera homines vestros eo quod decuit affectu suscepimus, quia justum fuit ut viros sapientes, et qui pacem factam Deo propitio nuntiarent, cum charitate et suscipere et dimittere deberemus.

## EPISTOLA XLIII.

AD THEODELINDAM LANGOBARDORUM REGINAM.

*Gratias refert quod ad faciendam pacem se studiosius impenderit.*

Gregorius [a] Theodelindæ Langobardorum reginæ.

Quia excellentia vestra ad faciendam se pacem studiosius et benigne, sicut solet, impenderit, renuntiante filio nostro Probo abbate cognovimus. Neque enim aliter de Christianitate vestra fuerat confidendum, nisi quia in causa pacis laborem et bonitatem vestram modis omnibus monstraretis. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, qui ita cor vestrum sua pietate regit, ut sicut rectam fidem tribuit, ita quoque placita sibi vos semper operari concedit. Non enim, excellentissima filia, de sanguine qui ab utraque parte fundendus fuerat parvam te credas acquisisse mercedem. Ex qua re voluntati vestræ gratias referentes, Dei nostri misericordiam deprecamur ut bonorum vobis [b] vicem in corpore et in anima hic et in futuro compenset.

Salutantes vos præterea paterna dilectione, hortamur ut apud excellentissimum [c] conjugem vestrum ita agatis, quatenus Christianæ reipublicæ societatem non rejiciat. Nam sicut et vos scire credimus, multis modis est utile si se ad ejus amicitias conferre voluerit. Vos ergo more vestro quæ ad gratiam et conciliationem partium pertinent, semper studete, atque ubi causa mercedis se dederit laborate, ut bona vestra amplius ante omnipotentis Dei oculos commendetis.

## **959** EPISTOLA XLIV.

AD FELICEM IN SICILIA.

*Ipsum de Joanne episcopo quasi judicium refugiente immerito conqueri, cum illud ipse distulerit. Ad finiendam cito judicii censura litem hortatur.*

Gregorius Felici in Sicilia.

Cum reverendissimi fratris nostri Joannis episcopi bene nobis nota sit gravitas, mirari nos gloriæ vestræ valde fecit epistola quod nihil eum secundum admonitionem nostram facere voluisse signabat. Et quidem durum nobis videbatur, aut vobis non credere, aut de illo talia suspicari, quippe cujus cogniti nobis mores et actio non permittebant tale habere judicium. Cum ergo noster animus dubius in utroque penderet, comperimus eum inter vos et Ecclesiam suam voluisse esse judicium, sed vestram magis gloriam distulisse. Quod negare neque homo vester lator præsentium potuit. Et contristati sumus cur gloria vestra, quæ judicium refugit, contra eum queri voluerit, postquam constat quia quod rationis fuit, vel ultro, ut scripsimus, obedivit. Nec ei scribere iterum necessarium erat, ne distulisse prius secundum animum videretur. Sed ne vos contristare forsitan videremur, ex abundanti rursus prævidimus scribendum. Et quoniam certi sumus quia quidquid æquitas ordinaverit, facere non recuset, oportet ut gloria vestra animos suos contra ejus invidiam non accendat, sed studeat inire judi-

[b] In Vatic. D perperam legitur data hæc epistola mense Martio, die 10, indict. 14. Eadem tamen indictio annotatur in Colbert; sed in Collectione Pauli legitur *data die secunda mensis Martii, indictione secunda.* In Pratell. et aliis Norm., *die decima mensis Martii, indictione* 2.

Epist. XLII [*Al.* 41]. — [a] Recent., *quod abesse gaudemus;* et paulo post, *agi debuit.*

[b] Ita omnes Mss. et vet. Ed. In recent., *summopere.*

[c] In Excusis interseritur contra Mss. fidem, *aut seditio aliqua.*

[d] Jam supra occurrit hæc vox eodem sensu, epistola 5.

Epist. XLIII [*Al.* 42]. — [a] De Theodelinda uberrime in Vita sancti Gregorii egimus. Vide supra, lib. IV, epist. 2.

[b] Post *vicem* additur in Excusis *et retributionem,* quod abest a Mss.

[c] Nimirum Agilulfum vel Agiulfum.

cium, in quo una eademque cognitione et [a] momenti et proprietatis causa valeat distingui. Nam nos venire ad judicium cupienti, præjudicialiter scribere quædam non possumus, quia ita nos uni parti accommodare decet auditum, ut tamen alteri, præsertim inauditæ allegationis, sine dubio rem integram reservemus. Et ideo agite, sicut diximus, ut negotiorum vestrorum merita, veritate cognita, judicii censura definiat. Nam dum nullum velimus [b] præjudicium sustinere, multo magis vobis, sicut revera filiis, volumus servari quod justum est.

## EPISTOLA XLV.

AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Mala Felicis fide exposita, hortatur ut motam ab illo controversiam absque mora jubeat finiri.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Ante aliquantum temporis filius noster Felix, vir gloriosus, suis nobis epistolis questus est quarumdam possessionum suarum fines ab hominibus Ecclesiæ vestræ violenter esse pervasos, **960** et nullam se apud vos invenire justitiam. Sed nobis incredibile visum est hoc aut vobis esse præsentibus perpetratum, aut certe si ad aures vestras pervenit, non fuisse correctum. Ne tamen ejus prætermittere querimoniam videremur, fraternitati vestræ scripsimus ut aut ea si vera essent compesci, aut certe actores Ecclesiæ suæ cum eo faceret subire judicium. Post hæc vero hominem cum epistola ad nos dirigens, indicavit nihil vos facere voluisse. De qua re, scientes sanctitatis vestræ discretionem, dum noster animus dubitaret, comperimus illum magis distulisse, nam vos paratos exstitisse [a] ut debuisset esse judicium. Et quamvis hac de causa denuo vobis non fuerat scribendum, quippe quia ea quæ rationis sunt ante vos manifestum est facere voluisse, verumtamen ne querelam ipsius neglexisse forsitan videamur, hanc ad vos idcirco epistolam dedimus, hortantes ut cum eo etiam nunc, mora postposita, vestros ad judicium homines transmittatis, [b] in quo et momenti et proprietatis valeat quæstio terminari, ut post hoc nec ille habeat quod queratur, nec Ecclesia vestra tenere aliquid præjudicialiter videatur. Quia vero homo quem ad nos misit schedam [c] compromissi ac judicati protulit, ubi legebatur possessionem eam quæ Asinaria dicitur, quam ab hominibus vestris invasam nuper asseruit, decessoris vestri recordandæ memoriæ Maximiani temporibus esse ex judicio restitutam, necessarium esse prævidimus ejus exemplar transmittere. Et ideo si ita actum manifeste cognoscitis, id est si possessio ipsa decessore vestro consentiente restituta est, et a prædicto viro possessa, sine aliqua eam facite contentione restitui, manente scilicet proprietatis, sicut in eodem judicio constitutum est, quæstione. Si vero aliter est, et hoc pariter judicii necesse est definitione distingui. Hæc igitur omnia ita fraternitas vestra, indita sibi tranquillitate, sine aliqua mora fieri provideat, quatenus [d] nec contra nos murmur excitetur invidiæ, nec nobis prædictus vir importunus denuo cogatur existere. (*Vide sup. epp.* 13 *et* 44.)

## [a] EPISTOLA XLVI.

AD SERGIUM DEFENSOREM.

*Obvenientem a Joanne Pantaleonis socrui hæreditatem describat, dum hic Ecclesiæ negotiis destinetur. Relictam quoque apud Joannem sacram supellectilem diligentissime inquirat.*

Gregorius Sergio defensori.

Quia Pantaleon notarius sit in ecclesiasticis utilitatibus occupatus, experientia tua non habet incertum. Et ideo quia Joannes, avunculus Megalis socrus ipsius, nullo alio proximiore existente, obiisse intestatus et sine filiis memoratur, **961** ne per absentiam generi sui illa damnum possit incurrere, quia si ita est, lex prædictam mulierem ad intestati avunculi successionem vocare dignoscitur, hac tibi præceptione injungimus ut reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Vitalianum, atque Bonifacium notarium in solatium tuum adhibeas, et quascunque res eum qui defunctus est constiterit reliquisse, sub breve annotare, quousque prædictus Pantaleon redeat, [b] in totum studiose facere debeas. Quod ut melius possis implere, filium nostrum Joannem virum memorandum tribunum in tuo pariter stude adhibere solatio. De quo omnino confidimus quia si ei voluntatem nostram prodideris, devote se tibi accommodare non deneget.

Pariter etiam studii tui sit, quoniam quædam apud se sacrata prædictus Joannes habuisse ministeria perhibetur, et ea diligenter inquirere, et cum omni cautela in tutum facere, nobisque subtiliter quidquid inventum fuerit indicare. Ita ergo experientia tua hæc

Epist. XLIV [*Al.* 43]. — [a] Gall., *le possessoire et le pétitoire*. Hinc momentaria possessio, momenti beneficium, id est subita reformatio et restitutio possessionis per vim vel alio modo ablatæ. Spoliatus enim statim restituitur dilata dominii quæstione. In epist. 27 Symmachi, lib. I : *In causis*, inquit, *quibus momenti reformatio postulatur, appellationes recipi non oportet.* De illis vide juris interpretes. *De proprietate*, in eadem epist. idem Symmachus : *Hoc cum ad proprietatis causam dicerem pertinere, recitata est a defensoribus constitutio, quæ judicibus tribuit copiam, non imponit necessitatem, ut quoties de possessione successionis judicant, continuo si casus tulerit, etiam de jure cognoscant*, etc. Idipsum in causa Felicis optat fieri sanctus Gregorius. Gussanv.

[b] Id est, damnum, dispendium. Eodem sensu infra, lib. x, epist. 49.

Epist. XLV [*Al.* 44]. — [a] In Vatic. D et in San Victorino, *ut debuisselis agere judicium.*

[b] Per causam momenti hic et in superiori epist. Alteserra intelligit causam possessionis, *quia*, inquit, *in causa possessionis possessio momentanea seu provisionalis momento temporis et celeriter reformatur.*

[c] Sententia arbitri, ad cujus arbitrium partes sua sponte remiserunt controversiam. Gussanv.

[d] In Ed., *nec contra vos.* Hanc lectionem mutavimus, duobus Vatic. A et D adhærentes. San-Victor. tamen favet Editis. In paucis Mss. exstat hæc epist.

Epist. XLVI [*Al.* 45]. — [a] Hæc epist. in primo Teller. inscribitur *Savino subdiacono.*

[b] Ita in tribus Vatic., Colbert., Reg., Remig. et nonnullis Norm., quos sequuntur vet. Excusi. Sic etiam infra in illis Codd. legitur. Recentiores maluerunt *in tutum.*

quæ scripsimus facere sollicite et curare festinet, ut non possit esse culpabilis. Nam si negligens esse patueris, ita te nostros noveris motus incurrere, ut nulla te postmodum possis excusatione defendere. [c] Datum Mense Aprili, indictione 2. (*Vide ep.* 26 *lib.* VIII.)

## EPISTOLA XLVII.

AD SABINUM SUBDIACONUM.

*Regitani cleri adversus episcopum suum querelas una cum episcopis quinque perscrutetur, ut, illorum relatione certior factus, ipse Romæ decernat.*

Gregorius [a] Sabino subdiacono.

Clerus Ecclesiæ Regitanæ multa contra reverendissimum fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum, data nobis petitione, conquestus est, petens ut ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causæ ipsæ hic subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modo non prævidimus deducendum, visum nobis est illic [b] deputare causam eamdem cognoscendam. Et ideo mediis sacrosanctis Evangeliis experientia tua una cum Paulino, Proculo, Palumbo, vel Venerio, atque Martiano reverendissimis fratribus coepiscopisque nostris sine cujusquam personæ respectu, tam clericorum querelam quam adversus suum, sicut diximus, habent episcopum; vel si quam forte ille contra eos habuerit, cum omni æquitate ac sollicitudine perscrutetur. Et quidquid in veritate cognoverit, nobis una cum prædictis fratribus nostris subtiliter diligenterque **962** significet, ut renuntiatione vestra redditi certiores, quid fieri debeat decernamus [c].

## [a] EPISTOLA XLVIII.

AD PAULINUM TAURENSEM EPISCOPUM, ETC.

*Regium una cum Savino pergant, de cleri adversus episcopum querelis inquisituri.*

Gregorius Paulino episcopo Taurensi, Proculo episcopo Nicoteræ, Palumbo episcopo [b] Consentiæ, Venerio episcopo Viboniensi, Marciano episcopo [c] Locrensi.

Clerus Ecclesiæ Regitanæ multa contra reverendissimum fratrem nostrum Bonifacium episcopum suum data nobis petitione conquestus est, petens ut ad nos debuisset habere veniendi licentiam, quatenus causæ ipsæ hic subtiliter probarentur. Sed quia nos interim prædictum fratrem nostrum huc modo non prævidimus deducendum, visum nobis est [d] illic deputare causam eamdem cognoscendam, et ideo mediis sacrosanctis Evangeliis, fraternitas vestra una cum Sabino diacono resideat; et, sicut officio est sacerdotali conveniens, sine cujusquam personæ respectu, *etc.*, *ut supra.*

## EPISTOLA XLIX.

AD ANASTASIUM ANTIOCHENUM EPISCOPUM.

*Gratulatur ob rectam fidei professionem. Agendas Deo gratias quod soli ad ordines promoveantur orthodoxi. Pro imperatore hæreticos comprimente orandum. Inquirendum Anastasio genuinum Ephesinæ synodi exemplar. Arcendos a sacris ordinibus simoniacos.*

Gregorius [a] Anastasio episcopo Antiocheno.

Fraternitatis tuæ scripta suscepi, [b] professionem fidei recte servantia; magnasque omnipotenti Deo gratias retuli, qui et, immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit, etiam post eos immutabilem custodit. Prædicator autem egregius dicit : *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Quisquis ergo cum dilectione Dei et proximi fidei quæ in Christo est, firmitatem tenet, eumdem Jesum Christum Dei et hominis filium apud se posuit fundamentum (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 26). Sperandum ergo est quod ubi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequatur ædificium. Ipsa quoque per se Veritas dicit : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro; qui autem per ostium intrat,* **963** *pastor est ovium* (*Joan.* x, 8). Qui paulo post subjicit, dicens : *Ego sum ostium.* Ille ergo ad ovile ovium intrat per ostium, qui intrat per Christum. Ille autem per Christum ingreditur, qui de eodem Creatore ac Redemptore humani generis vera sentit et prædicat, et prædicata custodit; culmen regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris. Curæ quoque suscepti ovilis solerter invigilat, ne oves Dei aut perversi homines prava loquendo dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent.

Certe beatum Jacob qui pro uxoribus suis diu servierat, dixisse meminimus : *Viginti annis fui tecum, oves tuæ et capræ steriles non fuerunt. Arietes tui gregis non comedi, nec captum a bestia ostendi tibi. Ego damnum omne reddebam; quidquid furto perierat a me exigebas. Die noctuque æstu urebar et gelu, fugiebat somnus ab oculis meis* (*Genes.* XXXI, 38). Si igitur sic

[c] Hæc habentur in utroque Teller. et in Colbert. At in quatuor Vatic. præmittitur : *Mense Martio, indictione* 2. In Remig., Mense Maio, indictione 2.

EPIST. XLVII [*Al.* 46]. — [a] Prius corrupte legebatur *Sabino diacono*. Præeunt nobis Remig. et alii vetust. Mss.

[b] Sic legere cogunt Norm. omnes, Vaticani quinque, Reg., Colbert., Rhem., etc., cum in Excusis legatur, *deputare personam ad causam eamdem.*

[c] In Vatic. B et F legitur : *Mense Aprili, indict.* 2.

EPIST. XLVIII [*Al.* 47]. — [a] Hæc epistola deest in pluribus Mss. et editis Codicibus. GUSSANV. Exstat in quatuor Vatic., Colb., Rhem., Reg., Remig.

[b] Consentia, vulgo *Cosenza*, urbs olim Brutiorum celebris, ad Cratim fluvium, vulgo *Crate;* nunc Calabriæ citerioris primaria et archiepiscopalis, in Regno Neapolitano. GUSSANV.

[c] De Locris epist. 41 lib. VII. GUSSANV.

[d] In Editis, *illic personam deputare ad causam*, etc., reluctantibus Mss.

EPIST. XLIX [*Al.* 48]. — [a] Dictus est Anastasius Sinaita junior. Successit Anastasio Magno anno 599, sedituque ann. 9, scilicet usque ad septimum annum imperii Phocæ : quo tempore, exorto Antiochiæ civili bello, Judæi Anastasium e throno deturbatum funeque pedibus aligato per urbem tractum fœdissima morte affecerunt. De qua lege historiam Miscellam, lib XVII, et Cedrenum, ad annum ultimum Phocæ. Sic et Chronicon Alexandrinum, olymp. 347. Eadem narrat Nicephorus, lib. XVIII, cap. 43. Sed errore lapsum esse constat, eo quod Anastasio magno id accidisse refert ante annos novem mortuo. Idem error est in Miscella et in Anastasio Bibliothecario. GUSSANV.

[b] Reg., *professione fidei recte ferventia.*

laborat et vigilat qui pascit oves Laban, quanto la- A bori, quantisque vigiliis debet intendere [e] qui pascit oves Dei? Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui propter nos homo factus est, qui dignatus est fieri quod fecit. Ipse et infirmitati meæ, et tuæ charitati spiritum sui amoris infundat, atque in omni sollicitudine et custodia circumspectionis oculum nostri cordis aperiat.

Quod vero ad sacros ordines rectæ fidei viri producantur, eidem omnipotenti Deo gratiæ sine cessatione solvendæ sunt, et pro vita piissimi et Christianissimi domni nostri imperatoris, et tranquillissima ejus conjuge, et mansuetissima sobole semper orandum est, quorum temporibus hæreticorum ora conticescunt, quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, catholici tamen imperatoris tempore prava quæ sentiunt, eloqui non præsumunt. B

Præterea dum de sanctorum conciliorum custodia tua fraternitas loqueretur, [d] sanctam Ephesinam synodum primam se custodire professa est. Sed quia ex annotatione hæretici Codicis, qui ad me ex regia urbe transmissus est, agnovi per hoc quod quædam capitula catholica cum hæreticis fuerant reprehensa quia quidam illam Ephesinam primam synodum in eadem urbe existimant, quæ quondam ab hæreticis traditur esse composita, omnino necesse est ut charitas vestra eamdem synodum apud sanctam Alexandrinam atque Antiochenam Ecclesiam requirat, et qualiter in veritate habeatur inveniat. Vel, si placet, hinc dirigimus quæ ab antiquitate servata in scriniis habemus. Illa enim synodus quæ sub primæ Ephesinæ imagine facta est, quædam in se oblata capitula C asserit approbata, quæ sunt Cœlestii atque Pelagii prædicamenta. Et cum Cœlestius atque Pelagius in ea synodo sint damnati, quomodo poterant illa capitula recipi, quorum damnabantur auctores?

Quia vero pervenit ad nos in Orientis Ecclesiis nullum ad sacrum ordinem nisi ex præmiorum donatione pervenire, si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut a subjectis sibi Ecclesiis errorem simoniacæ hæreseos compescat. Nam, **964** ut alia taceam, quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hoc non merito, sed præmiis evehuntur? Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cœlesti custodiat, et de iis qui sibi commissi sunt fructum multiplicem ac mensuram superaffluentem ad æterna gaudia reportare D concedat.

## EPISTOLA L.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Benenatum facinus abnegantem, Romam cum accusatore aliisve personis mittat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Comperimus Benenatum Misenatem facinus quod de se per scripturam manus prius professus est abnegare. Et ideo quia hujus sceleris negatio, sicut majori discussione, ita et majori indiget ultione, experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus ut eumdem Benenatum, accusatoremque ipsius, simul et personas de quibus accusatus est, atque omnes qui in accusationis chartula leguntur, sub omni huc cautela et celeritate transmittat, quatenus causæ hujus veritas districta, ut dignum est, inquisitione examinari valeat et agnosci.

## EPISTOLA LI.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Reliquum pecuniæ pro castro construendo datæ apud Benenatum perquirat, eamque in illud ipsum ex toto curet impendi.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Pervenit ad nos quondam Benenatum Misenatem episcopum pro construendo illic castro solidos accepisse. Et quia pars eorum solidorum apud eum dicitur remansisse, experientia tua subtili indagatione perquirat; et si quid manifeste de ipsis solidis cognoveris remansisse, comitatio comiti prædictæ civitatis sub desuscepti illud pagina contradat, atque immineat ut in constructione ejusdem loci, sicut sunt dati, Deo adjuvante proficiant, quia ratio nulla permittit ut propriis cujusquam usibus applicetur quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur.

## [a] EPISTOLA LII.

AD SECUNDINUM.

*Scripta illius laudat, veritatem, charitatem atque humilitatem spirantia. Solitarios quasi monomachos ab antiquo hoste singularius impeti. Orientales Ecclesias uno sensu integram sancti Leonis et Chalcedonensis synodi fidem sequi. In defensores trium capitulorum invehitur. Epistolam Ibæ definitioni sanctæ synodi adversari probat. Incertam animæ originem; at illam originali peccato donec baptizetur certissime obstringi. Mittit imagines earumque legitimum usum exponit.*

Gregorius [b] Secundino servo Dei [c] incluso.

Dilectionis tuæ scripta suscepi, quæ in meo sensu D amoris melle condita sapuerunt. O quanta aspiratione vitæ plena sunt, quæ per gratiam spiritus **965**

[c] Episcopi in Scriptura non tam rectores appellantur quam pastores. Pleni sunt hac voce utriusque fœderis libri, quorum textus referre tædiosum esset. Princeps ipse pastorum Christus Dominus seipsum ita appellavit: *Ego sum Pastor bonus.* Rationem colligo ex Theophylacto, comment. in cap. XX. Joannis, ubi discrimen statuit inter βόσκειν, et ποιμαίνειν, inter *pascua præbere*, et *gregem gubernare*: Τὸ μὲν γὰρ ποιμαίνειν ἤδη καὶ σκληροτέραν ἐπίστασιν ἐμφαίνει, τὸ δὲ βόσκειν, τὴν ἠπιωτέραν. Videndus Augustinus tract. 123 in Joan., ubi fuse et copiose de ratione pascendi tractat, et Theodoretus in Ezech. 34. GUSSANV.

[d] Jam supra, lib. v, nunc lib. VI, epistola 14, meminit corruptionis illius synodi in gratiam Pelagianorum. Quod ut lector intelligat, addo Joannem Antiochenum cum 40 et amplius episcopis pseudosynodum seorsum, Ephesi tamen, celebrasse, in qua Nestorio faventes Cyrillum damnarunt, aliosque episcopos in vera synodo tunc sedentes excommunicarunt, restituta, ut ex hoc loco apparet, hæresi Pelagiana. Porro credibile est partem actorum istius pseudosynodi irrepsisse in Codicem veræ synodi Ephesinæ, librariorum incuria, quia, urbis nomine et temporis nota decepti, inter contrariarum partium episcopos eorumque sententias non distinxerunt. GUSSANV.

EPIST. L. *Al.* 32, *lib.* XI, *indict.* 6.

EPIST. LI. *Al.* 33, *lib.* XI, *indict.* 6.

EPIST. LII [*Al.* 54]. — [a] Hæc epistola facilius expungeretur quam sanaretur. Eam variis assumentis auctam fuisse probant mss. Codices, consentiunt

proferuntur! Non in eis cultus eloquentiæ, non verorum [d] typus apparebat, sed solam veritatis atqueb charitatis radicem tenentia, per omne quod locuta sunt, cœlestis patriæ amorem [e] fragrabant.

In eis vero tua a me dilectio petere studuit ut ad hanc libellum exhortatorium scribere deberem. Sed scire te necesse est, fili charissime, quia tantis podagræ doloribus, tantisque curarum tumultibus premor, ut quamvis nunquam me aliquid fuisse reminiscar, valde tamen me videam non esse qui fuerim. Quod autem tua se charitas et ultra ætatem quinquagenariam adhuc jevenilibus desideriis asserit subjacere, in hoc quoque divini oraculi implet præceptum, quo scriptum est: *Justus in principio accusator est sui* (*Prov.* XVIII, 17). Nec tamen dubito majores te insidias hostis callidi perpeti, qui majora contra eum bella præparasti. Tanto quippe ille deceptionis molimina ardentius exquirit, quanto te cœlesti patriæ ferventius inhiare cognoscit. Et nos quidem qui vitam cum pluribus ducimus, etsi formidolosi ac timidi, tamen quia contra antiquum hostem bella proposuimus, quasi in acie stamus. Vos autem qui solitariam vitam ducitis, quid aliud [f] quam monomachos dixerim, qui fervore virtutis etiam ante aciem exire festinatis? Cur ergo cum non singulariter hostis impetat, a quo se impeti singulariter spectat? Et nos quidem qui inter homines vivimus, sæpe per homines a callido hoste tentamur. Vos autem qui viam vitæ præsentis extra hominum frequentiam ducitis, tanto majora certamina pati necesse est, quanto ad vos ipse tentationum magister accedit. Neque enim vacare orationibus ac laudibus Dei sine aliqua interruptione temporis potestis, quia etsi intentio continue prompta est, ipsa tamen humanitatis infirmitas ad semetipsam relabitur, ut aliquando fessa jaceat, atque a studii sui exercitatione torpescat. Antiquus vero hostis mox ut otiosam mentem

**966** invenerit, ad eam sub quibusdam occasionibus locuturus accedit, et quædam ei de gestis præteritis ad memoriam reducit, audita quondam verba indecenter cogitationi resonat; et si qua dudum turpiter acta sunt, eorum speciem oculis cordis opponit, ut quem de præsentibus non valet inquinare, de malis transactis violet. [g] Et deceptam mentem sæpe in delectationem reparat, unde diu jam se per pœnitentiam afflixit; ita ut vere cum Psalmista dicat: *Computruerunt et deturioratæ sunt cicatrices meæ, a facie insipientiæ meæ* (*Psal.* XXXVII, 6). Cicatrix quippe figura est vulneris, sed sanati. Cicatrix ergo ad putredinem redit, quando peccati vulnus, quod jam per

eruditi quibus palatum sapit. Disciplinam circa lapsos sancti Gregorii placitis ex adverso repugnantem ingessit homo, quisquis est, audacissimus. Ἀναχολουθίαν orationis, quam *inconsequentiam* vocat Quintilianus, alii ficto nomine *incoharentiam*, quivis nullo negotio deprehendet. Textus ipse infinitis vitiis scatet, et manuscriptorum perpetua fere est inconvenientia. Ex 30 Mss. vix unus aut alter Codex continet enorme fragmentum de lapsis, quod incipit: *Et quia tua sanctitas*, etc. Aliud fragmentum de imaginibus circa finem epistolæ pauci sunt qui habeant. Vetustissimus Codex Rhemensis in quo descriptæ sunt omnes Romanorum pontificum epistolæ, a Gelasio ad Joannem VII, non habet assumentum circa lapsos. Quod tamen sanctus Anselmus, lib. I, epist. 56, humana, ut fit, incogitantia recipit ac tuetur, nondum orto criticorum sole. Quo tempore tam absurda depravatio contigerit non ita liquet. In Isidorum Mercatorem multi rejiciunt; illum dico famosum nugivendum, aut falsificum, qui octavo decurrente sæculo scripsit in Hispania Codicem canonum, et commentitias Decretales primus edidit. Constat vero ex Pauli Diaconi, qui anno 801 obiisse dicitur, epistola data ad Adhalardum abbatem Corbeiensem, hanc de qua agitur epistolam unam fuisse ex 54 sancti Gregorii, quas solas colligere potuerat Paulus, in qua quia reperitur hujusmodi assumentum, constat jam ab eo tempore fuisse corruptam. Monitum vero lectorem velim me plusquam ducentas in hac epistola variantes lectiones deprehendisse, ne dicam depravationes, quibus tota scatet. Earum præcipuas tantum hic apponam, ne lectorem tædio afficiam. GUSSANV. Hanc Gussanvillæi censuram, etsi non omni ex parte probemus, placuit attexere, quod multa scitu digna contineat. Duo vero præsertim Gussanvillæo negamus: primum est, integram hanc epistolam quæ in omnibus Vatic., Anglic., Turon., Norm., Rhem., Colbert., Corb., San Vict., Reg., Remig., etc., Mss. continetur, propter unum aut alterum assumentum videri rejiciendam; secundum vero, Paulum Diaconum solas epistolas num. 54 quas ad sanctum Adhelardum Corbeiensem abbatem misit colligere potuisse. Quod videtur innuere cæteras Gregorianas epistolas Pauli ævo minime cognitas, certe id somniavit Gussanvillæus; neque enim de hac epistolarum sancti Gregorii paucitate ullum verbum occurrit apud Paulum Diaconum. De ejus collectione quid sentiamus, jam in præfatione dictum. Porro, de Secundino uberrime dximus in Vita sancti Gregorii.

[b] Hic titulus in quibusdam Mss. sic habet: *Dilectissimo filio Secundino servo Dei inclauso Gregorius servus servorum Dei.* In aliis: *Gregorius Secundino servo Dei reclauso.* In aliis, *inclauso.* GUSSANV.

[c] Græci vocant ἐγκλείστους, hos nempe qui, sublimioris vitæ studio, sejuncti ab hominum consortio, se in speluncis et cavernis terræ solitariam vitam agentes abdebant. Anastasius Biblioth. vocat *inclausos* et *cionitas*, *clusios* Theodorus Studita, catechesi 38. Dicebantur et *Hesychastæ*, Gr. ἡσυχασταί, quæ vox desumpta est ex sancto Basilio, in Regulis brevibus, art. 133, quam postea vocem usurpavit Justinianus in Novell. 5: *Nisi tamen quidam eorum in contemplatione et perfectione degentes vitam remotam habeant in hospitio tanquam a communione ad meliora exceptos.* Vide Novell. 133. GUSSANV.

[d] Vel *typhus*. De hac voce consule lib. XXIII Moralium, num. 25, nota *a* (*Patrol. tom. LXXVI, col.* 265, *nota* g).

[e] Ita Mss. pene omnes, vel *flagrabant*. In Excusis, *efflabant*.

[f] In octo mss. Codicibus legitur *monomachos*, nec, ut opinor, male; nam id videtur exigere contextus: *qui fervore virtutis etiam ante aciem exire festinatis.* GUSSANV. In plerisque tamen Mss. legitur, *monachos*, scilicet in Vatic., plerisque Norm., Colbert., Reg., Corb., San. Vict., Rhem. et Remig. In solo Beccensi et in Cod. Turon. majoris monasterii invenimus *monomachos*. Sic autem legendum esse persuadet ratio a Gussanvillæo prolata. Ita legi in Mss. Anglic. monet Jamezius.

[g] Vatic. A et F, et unus Corb.: *Et decepta mens sæpe inde delectationem reparat.* Alter Corbeiensis, *in delectationes convertit.* Vulgati, *et decepta mens sæpe inde in delectationem rapitur.* Sequimur Norman., Colbert., Rhem., Reg., Remig., Turon., maj. monasterii, et unum e Vatic.

pœnitentiam sanatum est, in delectationem sui animum concutit. Sæpe quod nunquam fecimus, per hostis callidi insidias cordis oculis videmus. Cumque insensibiliter in hoc delectatio subripit, quamvis jam plangat quæ fecerat, tædet tamen infelicem animum quædam non fecisse quæ plangat. Hæ sunt cordis nostri tenebræ, quas in hac vita volentes nolentesque sustinemus. Quis contra hæc quærendus est, nisi adjutor in opportunitatibus in tribulatione ?

Valde autem libenter accepi quod tua me charitas de sua dubitatione requisivit, an Orientis Ecclesiæ fidem atque doctrinam sanctæ memoriæ Leonis papæ sequantur, ne fortasse earum sensus inter semetipsas pro trium capitulorum defensione divisus sit. Unde certam dilectionem tuam esse desidero, quia prædictæ sanctissimæ Orientis Ecclesiæ uno sensu, una doctrina fidem ejusdem sanctæ memoriæ Leonis tenent, sanctamque Chalcedonensem synodum ita nobiscum custodiunt atque venerantur, ut nullus esse episcopus reputetur, qui ejusdem synodi defensor sectatorque non fuerit. Hinc est enim ut quoties in quatuor præcipuis sedibus antistites ordinantur, synodales sibi epistolas vicissim mittant, in quibus se sanctam Chalcedonensem synodum cum aliis **967** generalibus synodis custodire fateantur; [h] sicut et nos aversamur, atque anathemate plectendos ducimus, si qui de fide ejusdem synodi aliquid imminuere, vel aliquid in ea addere præsumunt. Nam synodus quæ post eam generaliter facta est idcirco a nobis recipitur, quia ejusdem Synodi in omnibus sequax, honorem illius auctoritatemque custodit. Unde necesse est ut dulcissima mihi tua dilectio in hoc quod præcipue in bonis moribus vivit, quod se per abstinentiam affligit, quod doctrinæ Dei vehementius insistit, hoc studiosius cogitet, ne, errorem schismaticorum sequens, a sancta universali Ecclesia divisa possit inveniri. Et quid tot labores proderunt, si in unitate fidei [i] inventi non fuerint, quæ ante Dei omnipotentis oculos in bonis actibus animam præcipue custodit ? Hinc enim dicitur : *Una est columba mea, perfecta mea* (*Cant.*, VI, 8). Hinc ad Moysen Dominus dicit : *Est locus penes me, et stabis super petram* (*Exod.* XXXIII, 21). Quis est locus qui non sit in Deo, dum cuncta ab ipso per quem creata sunt continentur? Sed tamen est locus apud eum, videlicet sanctæ Ecclesiæ unitas, in qua super petram statur, dum confessionis ejus soliditas humiliter tenetur. De quo loco subjungitur : *Tunc videbis posteriora mea.* In petra enim, id est in sancta Ecclesia stantes, Dei posteriora videbimus, quando jam ea quæ in fine promissa sunt cœlestis patriæ gaudia contemplabimur. Perversi autem homines qui, trium capitulorum occasione reperta, ecclesiasticam disciplinam fugiunt, de suis carnalibus actibus reprehendi pertimescunt, subesse sedis apostolicæ præceptis nolunt, et nos quasi de fide reprehendunt, quam ipsi nesciunt. Et dum neque in fide recti sunt, neque in bonis operibus intenti, student ut certare pro fide videantur. Sicque fit ut quotidie deteriores fiant, dum in eis culpa grossescit, [k] quæ quasi de zelo fervoris videri etiam laudabilis appetit. Sed juxta hoc quod scriptum est : *Ex operibus eorum cognoscetis eos* (*Matth.* VII, 16). Vitam eorum tua charitas attendat, et meritum intentionis aspiciat. Ut enim dilectioni tuæ de eadem re breviter loquar, sancta Chalcedonensis synodus usque ad definitionem fidei, et prolationem canonum, de generalibus causis locuta est. Nam post prolationem canonum specialia episcoporum certamina sopire curavit. **968** Epistolam vero quam in ea reverendissimus Ibas denegat suam, quod in extrema parte synodi jaceat, agnoscis. Quæ videlicet epistola Nestorium in auditum et inquisitione non facta damnatum asserit; Cyrillum vero in Apollinaris dogma cecidisse suspicatur. Et si totus superior textus prædictæ synodi legitur, quantum hæc epistola eidem synodo adversetur invenitur, quia scilicet sancta synodus et Nestorium, sicut est, hæreticum denuntiat, et beatum Cyrillum patrem catholicum veneratur. Epistola ergo quæ illum defendit qui a synodo damnatus est, et eum accusat qui a synodo veneratus, procul dubio definitioni sanctæ synodi probatur adversa. Sed quia ejus defensores solent dicere quod hanc Ibas eo tempore scripsit quo adhuc Cyrillus propter duodecim capitula, quæ necdum exposuerat, dubius habebatur, in ipsa hac epistola perpende quia legitur quod inter Orientales episcopos et beatum Cyrillum pax fuerit celebrata. Si ergo post concordiam pacis, post satisfactionem amotæ dubitationis, hæc eadem epistola scripta est, constat quia non est catholica, quæ patrem catholicum, atque in toto synodi volumine laudatum, hæreticum appellat. Hæc paucis dixi, quia ex quibus præcipue causis hac in re dubitationem tua charitas habet, in epistolis non inveni [l].

[h] Quæ sequuntur usque ad *nam synodus*, desunt in Collect. Pauli. Multæ aliæ veluti lacunæ sunt in hoc Cod.

[i] In recent., corrupte, *inventa non fuerit*. Prælucent nobis omnes Anglic., Norm., Rhem., Colbert., etc.

[k] Iidem recentiores, contradicentibus Mss., *qui quasi.... laudabiles appetunt*.

[l] Quæ leguntur hic usque ad articulum seq. *De ordinationibus, vero*, etc., desunt in plerisque Mss. Exhibentur in Collectione Pauli Diac. in Cod. Mss. Epistolarum Decretalium summorum pontificum bibliothecæ Patrum Capucinorum Rothomag., in uno Colb. D circiter an., in altero Colb. CD ann. in Gemeticensi notato 20, complectente sancti Augustini epistolas, et ad calcem hanc sancti Gregorii epist. ad Secundinum, ubi tamen de imaginibus nihil. Eodem modo in duobus Teller., in Vaticanis A et D secundo; nam ad duos Codices D e Vaticanis collata est hæc epistola. Exemplaria quibus usi sunt Gratianus, Ivo Carnotensis, sanctus Anselmus et Hincmarus eadem exhibebant. Vide Hincmarum, in Capitul. ad presbyteros datis, et sanctum Anselmum, l. I, epist. 56. Hinc incogitanter assertum a Gussanvillæo in priori nota *vix unum aut alterum Codicem enorme continere fragmentum de lapsis*. Illud tamen rejiciendum puta-

Et quia tua [m] sanctitas (*Grat. dist.* 50, *c.* 16) hoc a nobis requisivit, ut sibi de sacerdotali officio post lapsum resurgendi auctoritates scriberemus, dum se dicit de hoc canones diversos legisse, et diversas sententias invenisse, alias resurgendi, alias nequaquam posse, ideo sanctas nos generales synodos, a Nicæna incipientes, cum reliquis quatuor post factis veneramur, [n] quia ipsam sequentes, cæteræ in cunctis canonicis sententiis unanimiter concordant. Nam et nos præcedentes Patres sequi debemus, qui auctore Deo a sacra doctrina illorum non discordamus. A capite itaque incipientes, usque ad quartum altaris [o] ministerium hanc formam servandam cognoscimus, ut sicut minorem major præcedit in honore, ita et in crimine; et quem major sequitur culpa, [p] majori plectatur vindicta, et sic postea pœnitentia credatur esse fructuosa. [q] Quid enim prodest triticum seminare, et fructum illius non colligere? aut domum **969** construere, et non illic habitare? Post dignam igitur satisfactionem credimus posse rediri ad honorem, dicente Propheta : *Nunquid qui cadit non adjiciet ut resurgat* (*Psal.* XL, 9) ? Et : *Qui aversus est non revertetur* (*Jerem.* VIII, 4) ? Et peccatori ait : *In quacunque die conversus ingemueris, tunc salvus eris* (*Isa.* XXX, 15, *sec. LXX*). Unde et Psalmista ait : *Cor mundum crea in me, Deus, et spiritum tuum rectum innova in visceribus meis. Ne projicias me a facie tua, et spiritum sanctum ne auferas a me* (*Psal.* L, 12). Dum enim petiit ne a Domino projiceretur [r] pro lapsus culpa, alienam rex et propheta simul rapuisse uxorem tremefactus expavit; et propheta indicante flagitium suum, pœnitentiam agens, addebat : *Redde mihi lætitiam salutaris tui, et spiritu principali confirma me* (*Ibid.*, 14). Si enim condignam Deo pœnitentiam non fecisset, nequaquam aliis prædicaret. Ait enim : *Docebo iniquos vias tuas, et impii ad te convertentur* (*Ibid.*, 15). Dum enim peccata prospexit Propheta mundatus per pœnitentiam, non dubitavit prædicando curare aliena, et sacrificium de semetipso Deo offerre studuit, cum dicebat : *Sacrificium Deo spiritus contribulatus* (*Ibid.*, 19).

Ad hoc ista [s] sufficerent; sed omnis sententia quo

---

mus, tum propter allatas a viro erudito rationes, tum propter alias strictim subjiciendas. Hoc argumentum doctissime prosecutus est em. card. d'Aguire, tom. II Concil. Hispaniæ, dissert. 10, de disciplina antiqua Ecclesiæ.... circa lapsos in peccatum carnis.

[m] Jam dudum animadverterunt viri docti spurium esse additamentum hoc de clericis lapsis, ordini suo post dignam satisfactionem restituendis. Quis enim, inquiunt, falsi Gregorii pronuntiatum illud : *Post dignam satisfactionem credimus posse rediri ad honorem;* quis, inquam, id conciliabit cum Gregorii Mag. epist. 26, indict. 12; indict, 13, epist. 3 et 4; indict. 13, epist. 42; indict. 1, epist. 25. His aliorum argumentis unum aut alterum addimus. Hocce titulo, *sanctitas tua*, episcopos quidem compellat Gregorius, quandoque etiam abbates sacerdotio decoratos, at nusquam monachos, imo nec abbates qui presbyteri non essent. Vide indict. 10, epist. 36, indict. 11, epist. 3; indict. 14, epist. 48; indict. 13, epist. 10, 18, 45; indict. 4, epist. 12, 76. Præterea tot Scripturæ contextus congesti, ut probetur peccatores misericordiam posse consequi, quantum a proposito scopo deviant, proindeque a summa Gregorii prudentia quam alienum eos incassum collegisse, maxime eo tempore quo et ægritudo et negotia eum a longa scriptione et lucubratione arcebant?

[n] Sic restituimus præsertim ex Vatic. D, cum locus hic prius esset corruptissimus. In Colbert. et Cod. Capuc. : *quia ipsum sequentes in cunctis sententiis unanimes concordantur, nam et nos præced. nobis Patres sequimur.* Ita dissentiunt ab Editis et ab invicem laudati Codices, ut si lectiones omnes variantes exscribere vellemus, ex integro essent hic excudendi.

[o] Excusi, *ministrum.*

[p] In Vatic. A, *major implicatur vindicta.* In Collect. Pauli, *implicetur.*

[q] Non solum ad veniam consequendam, sed etiam ad pristinum ministerii gradum recipiendum ut ex sequentibus constat, *credimus posse rediri ad honorem.* Quod pugnare contra veteres tum synodos tum Patres omnes sacræ antiquitatis studiosi norunt. Sane Nicæna synodus hic laudata clericum alicujus criminis reum per ignorantiam aut dissimulationem ordinatum deponi jubet. Lege can. 61 apostolorum; epistolam Cornelii papæ ad Fabium Antioch., apud Eusebium, lib. VI, c. 35; Cypriani epistolas 64 et 68; epist. priorem sancti Basilii ad Amphilochium, can. 3; epist. Joan. II, ad Cæsarium Arelat., in causa Contumeliosi Rejiensis episcopi, et ejusdem Cæsarii ea de re sententiam, tomo I Conciliorum Galliæ, ad an. 534. Hæc autem de restitutione lapsorum clericorum doctrina, quantum a mente sancti Gregorii abhorreat intelliget qui supra legerit laudatas superius epistolas. Et ne quis somniet sanctum doctorem a priori sententia et pristino rigore deflexisse, legat libri duodecimi epist. 8, de diacono deposito, quem restitui jubet si culpa vel facinus eum a suo gradu non dejiciat; secus vero si pro corporali peccato fuerit depositus. Alia via sancti Gregorii oppositas sententias conciliare conatus est Anselmus Cantuariensis, lib. I, epist. 55, ad Guillelmum abbatem : *sed quoniam*, inquit, *idem beatus Gregorius, idipsum in aliis suis epistolis prohibet* (lapsorum clericorum restitutionem) *ne sibi contrarius sit, de apertis quidem prohibuisse, de occultis vero per occultam pœnitentiam concessisse intelligitur.* Sed non ita canones antiqui, quos vindicabat Gregorius; imo distinctionem hanc expresse reprobarunt, quam necdum Anselmi sæculo omnino invaluisse colligimus ex his Urbani II ad Constantiensem episcopum verbis : *de presbyteris, diaconis, subdiaconis, qui post acceptum ordinem in aliquo crimine lapsi fuerint, sive palam sive clam, constat quidem canonum censura ab ecclesiasticis eos officiis inhiberi. Tuæ tamen sit providentiæ*, etc. Addo in hac dubia lacinia talis distinctionis nullum esse vestigium.

[r] Ita duo Vatic. In Collect. Pauli, *pro lapsi culpa.* In Excusis, *pro culpa sua.*

[s] Imo minime sufficiunt, ut jam insinuavimus, quod de subjectis quoque testimoniis intelligendum. Quid enim probant universi illi Scripturæ contextus quos additamenti hujus auctor congessit? Audi Collectorem ipsum : *Tibi hæc, fili charissime, dicta sufficiant, ut illum quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi, quia ille peccatorem reversum non despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit.* Sane divertit a scopo, nec propositæ a seipso quæstionis statum attingit, scilicet de sola agitur ad ordinem, ad officium, ad ministerium revocatione, sive, ut barbare loquitur, *de sacerdotali officio post lapsum* peracta pœnitentia *resurgendi. Nam ut constitueretur in Ecclesia ne quisquam post alicujus criminis pœnitentiam clericatum accipiat, vel ad clericatum redeat, vel in clericatu maneat; non desperatione indulgentiæ, sed rigore factum est disciplinæ.* Augustinus, epist. 185.

plus sacræ Scripturæ testimoniis confirmatur, facilius creditur. De hoc enim propheta dicit : *Nolo mortem peccatoris, sed ut convertatur et vivat* (*Ezech.* XVIII, 32). De hoc peccantibus dicitur : *Peccator in quacunque die conversus ingemuerit, salvus erit; omnes iniquitates ejus oblivioni tradentur* (*Ibid.*, 22). Si enim Redemptor noster, qui peccatores non perdere, sed justificare venit, in oblivione peccantium delicta dereliquit, quis hominum condemnanda reservat, cum apostolus dicat : *Si Deus justificat, quis est qui condemnet* (*Rom.* VIII, 33)? Ad fontem misericordiæ recurrentes, Evangelii proferamus sententiam : *Gaudebo*, inquit, *super uno peccatore pœnitentiam agente, magis quam super nonaginta novem justis qui non indigent pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Et ovem perditam, nonaginta novem non errantibus relictis, humero pii pastoris ad ovile reportatam Dominus ipse testatur. Si ovis perdita errans post inventionem ad ovile humero reportatur, cur iste post pœnitentiam ad Ecclesiæ ministerium lapsus non revocetur? Sicut in Apocalypsi dicitur de ministerio Ecclesiæ : *Memento unde excideris, et age pœnitentiam, et prima opera fac* (*Apoc.* II, 5). Quid enim est gravius, aut carnale delictum admittere, sine quo pauci inveniuntur, aut Dei filium jurejurando negare ? In quo verbo hunc ipsum beatum Petrum apostolorum principem, ad cujus sacrum corpus indigni sedemus, lapsum esse cognoscimus. Sed post negationem pœnitentia secuta est, et post pœnitentiam misericordia data est, quia postea **970** ab apostolatu eum non expulit, quia ante quidem ipsum se negare prædixit. Tibi hæc, Fili charissime, dicta sufficiant, ut illum quem conspicis delicta fletu delere, in conspectu divinitatis non dubites misericordiam consequi, quia ille peccatorem reversum non despicit, qui peccatores sanguine suo redimere venit.

De [t] ordinationibus vero apostolicæ sedis pontificum, utrum post beatissimum Hormisdam aliqua sint addita, vestra charitas requirit. Sed usque ad Vigilii papæ tempora, expositas ordinationes præsulum esse cognoscas.

[u] Aloa vero, thimiama, storacem, et balsamum, sanctorum martyrum corporibus offerenda, latore præsentium deferente transmisimus.

In extremum vero epistolæ quæsisti quid eis respondendum sit, qui dilectionem tuam de parvulorum animabus requirunt, qui sine gratia baptismatis moriuntur, dicens : Si corpus originali tenetur culpa, unde anima quæ a Deo datur rea erit, quæ adhuc in actuali delicto corpori non consensit? Sed hac de re dulcissima mihi tua charitas sciat quia de origine animæ inter sanctos Patres requisitio non parva versata est; sed utrum ipsa ab Adam descenderit, an certe singulis detur, incertum remansit, eamque in hac vita insolubilem fassi sunt esse quæstionem. Gravis enim est quæstio, nec valet ab homine comprehendi, quia si de Adam substantia anima cum carne nascitur, cur non etiam cum carne moritur? Si vero cum carne non nascitur, cur in ea carne quæ de Adam prolata est obligata peccatis tenetur ? Sed cum hoc sit incertum, illud incertum non est, quia nisi sacri baptismatis gratia fuerit renatus homo, omnis anima originalis peccati vinculis est obstricta. Hinc enim scriptum est : *Non est mundus in conspectu ejus, nec unius diei infans super terram* (*Job.* XIV, 4, 5, *sec. LXX*). Hinc David ait : *In iniquitatibus conceptus sum, et in delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Hinc ipsa Veritas dicit : *Nisi quis renatus fuerit ex aqua et Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum* (*Joan.* III, 5). Hinc Paulus apostolus ait : *Sicut in Adam omnes moriuntur, ita et in Christo omnes vivificabuntur* (*I Cor.* XV, 22). Cur ergo infans qui nihil egit, in conspectu omnipotentis Dei non valet esse mundus? Cur Psalmista ex legitimo conjugio prolatus, In iniquitate conceptus est? Cur nisi qui mundatus aqua baptismatis fuerit, mundus non est? Cur in Adam omnis homo moritur, si originalis peccati vinculis non tenetur? Sed quia genus humanum in parente primo velut in radice putruit, ariditatem traxit in ramis ; et inde omnis homo cum peccato nascitur, unde primus homo permanere noluit sine peccato. **971** De his autem subtilius audaciusque loqui debueram ; sed dum me et curarum tumultus premunt, et harum portitor ut laxari debuisset importunus exstitit, unde multa debui, pauca locutus sum.

Rogo autem omnipotentem Deum, ut sua te gratia protegat, et beati Petri apostolorum principis intercessione a malis omnibus illæsum servet, quatenus fervor cœlestis desiderii in tua mente quotidie ardentius excrescat, ut semper novus, et semper seipso robustior, ad cœlestia præmia multiplicius percipienda pertingat. Transmisi autem duos homiliarum Codices, quas dixi in Ecclesia, dum adhuc loqui prævalerem, ut quia ipse te videre, tibique sedule colloqui non possum, charitati tuæ vel per ea quæ scribere valui, absens non sim. Exiguum quoque vestimentum transmittere studui, per quod tua charitas, quia australi in animo calore ardet, foris a corpore Arcturi frigus repellat. Peto autem ut pro me orare enixius debeas, ut tuæ intercessionis ope et a malis præsentibus eripi, et æternis merear gaudiis præsentari.

Imagines [x] quas tibi dirigendas per Dulcidum diaconum rogasti misimus. Unde valde nobis tua postu-

[t] Quæ sequuntur sunt in omnibus fere Mss. usque ad seq. art. *Imagines*, etc.

[u] Sic legitur in Norm., Corbeiens., Vatic., Tellerian., etc., ubi Editi recent. *aloem*.

[x] Hic nos adhuc deserunt Mss. pene omnes. Laudatur tamen locus ille de imaginibus tum a Gregorio II, in concilio Romano, tomo VI Concil., pag. 1462, tum ab Adriano I, in epist. ad Carolum Magnum pro Nicæna synodo, tom. VII Concil., p. 961. Reperitur in Collect. Pauli et in iisdem Vaticanis Codd. qui fragmentum exhibent de restitutione lapsorum clericorum. Haberi in Mss. Cister. monet Gussanvillæus, et Thomas Jamezius in uno ex Anglic., ubi in fine Epistolarum legitur : *Sententia beati Gregorii papæ de imaginibus excerpta de decretis canonum.*

latio placui., quia illum toto corde, tota intentione A quæris, cujus imaginem præ oculis habere desideras, ut te visio corporalis quotidiana reddat exercitatum, ut dum picturam illius vides, ad illum animo inardescas, cujus imaginem videre desideras. Ab re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Sic homo qui alium ardenter videre desiderat, aut sponsam amans videre conatur, si contigerit eam ad balneum, aut ad Ecclesiam ire, statim per viam incedenti se præparat, ut de visione ejus hilaris recedat. Scio quidem quod imaginem Salvatoris nostri non ideo petis, ut quasi Deum colas, sed ob recordationem filii Dei in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus quem per imaginem aut natum, aut pas- B sum, sed et in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam Filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet. Ideoque direximus tibi [y] surtarias duas, imaginem Dei Salvatoris, et sanctæ Dei genitricis Mariæ, beatorumque apostolorum Petri et Pauli continentes, per supradictum filium nostrum diaconum, et unam crucem, **972** clavem etiam pro benedictione a sanctissimo corpore Petri apostolorum principis, [z] ut per ipsum a maligno defensus permaneas, cujus signo te esse munitum credis, [aa] et ex eo te protegat, qui juvenilia semper suggerit recordari; ut in bonis tuis actibus perseveres, ut in ejus amore usque ad finem permaneas, pro cujus amore solitarius desideras habitare; C ut alios in ejus amore accendas, propter quem te fecisti haberi; ut vitæ hujus mala quæque inimicus suggerit retro acta mentis proventibus quasi facibus inardescas, pro cujus amore vitam etiam velis finire: ipse quoque te protegat usque in finem, qui cunctum mundum dignatus est redimere Jesus Christus Dominus noster, qui vivit et regnat in sæcula sæculorum. Amen.

## EPISTOLA LIII.

AD CONSTANTIUM MEDIOLANENS. EPISCOPUM.

*Clericis Comanis, si ad Ecclesiæ unitatem redeant, se controversam possessionem concedere paratum.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Latore præsentium communi filio Eventio diacono, qui fraternitatis vestræ nobis scripta detulit, referente, cognovimus clericos Ecclesiæ [a] Comensis, quos sacerdotali studio reverti ad unitatem Ecclesiæ monuistis, respondisse non sibi talem [b] a nobis affectum impendi, ut ad hoc redire charitate suadente prævaleant: asserentes res diversas suas injuste ab aliis, inter quos et a nostra Ecclesia possessionem quæ villa Mauriana dicitur, detineri. Nos quidem sanctitatis vestræ sollicitudinem omnino laudavimus, quia B quod vos oportuit facere, minime neglexistis. Sed nec nos prædictam possessionem, si eis jure competit, etiamsi ad communionem forte reverti distulerint, contra rationis ordinem patimur detineri; sed eam cognita volumus veritate restitui. Si vero ad unitatem Ecclesiæ, quod optamus, Deo se inspirante converterint, [c] etiamsi nihil illis competat, eam illis parati sumus concedere. Nam nulla occasione [d] excusari volumus quos ad matris Ecclesiæ sinum redire desiderabiliter exspectamus. De hortis vero quos in capitulari transmisso, [e] ex substantia Italiæ Ecclesiæ vestræ competere signastis, vel prædictus nobis portitor indicavit, in subsequenti illuc personam **973** transmittemus, cui inter alia curabimus evidenter C injungere ut veritatem congrua indagatione cognoscat, et quidquid justum fuerit, faciat. Nam nos qui alios contristari contra æquitatem non patimur, multo magis vos quos valde diligimus, tristes relinquere non valemus. De aliis autem causis quale nostrum ad singula sit responsum, supradicti communis filii relatione cognoscetis. Scripta vero ad dilectissimum filium nostrum Anatolium diaconum pro commendatione hominum vestrorum, sicut voluistis, fecimus.

[y] Regino, anno 753, habet *Surcariis*. In epist. Stephani papæ III ad Hilduinum abbatem legitur Surtariis. Censet Alteserra fuisse vestis genus in qua depictæ erant imagines. Baronius, ad an. 754, 4, censet Surtariam idem esse quod scutum, ubi sunt pictæ D imagines; in quam sententiam propendet Cangius, aitque legendum scutarias pro surtarias.

[z] Mss. Tell. et Vall. ita legunt: *Ut per eum sis ab hoste maligno defensus, per cujus sanctum lignum te esse munitum credis.* GUSSANV.

[aa] Quidam Mss. sic: *Ut ex eo te protegat, qui juveniles affectiones tibi suggerit. Recordare ut in bonis tuis actibus perseverans alios in ejus accendas amore, per quem solitarium te fecisti habitare; ut vitæ ejus malitia* (forte *mala*) *quæ tibi in corde suggerit, retroacta aliis mentibus quasi facibus inardescas.* GUSSANV.

EPIST. LIII [*Al.* 57]. — [a] Comum, vulgo *Como*, urbs antiqua olim Insubriæ ad lacum Larium, vulgo *Lago di Como*, a Mediolano in Boream. Hodie in Ducatu Mediolanensi sub ditione regis catholici. Suffragatur archiepiscopo Aquileiensi Utini residenti. GUSSANV. In plerique Mss. legitur *Corensis* pro *Conomensis*.

[b] Corrupte in Editis et nonnullis Mss., *a vobis*. Querebantur clerici illi de Ecclesia Romana, non de Mediolanensi.

[c] Quanto studio procurare debeamus unitatem, docet hic locus: docuerant raro exempli Patres Africani, qui Donatistis episcopis ut ad Ecclesiæ catholicæ sinum redirent, suas sedes, suas cathedras offerebant. Istam charitatis industriam zelus amarus nec audit, nec intelligit, nec adhibet. Legatur in hanc rem sancti Augustini, lib. de gestis cum Emerito, ubi historiam de annoso sene refert haud illepidam. *Sic exarserant omnes*, inquit, *ut parati essent episcopatum pro Christi unitate deponere, et non perdere, sed Deo tutius commendare. Duo ibi vix inventi sunt quibus displiceret* (Concilium erat pene ccc episcoporum) *unus annosus senex, qui hoc etiam dicere liberius ausus est, alter voluntatem suam tacito vultu significavit; sed postquam senem illum liberius hoc dicentem obruit omnium fraterna correptio*, etc. GUSSANV.

[d] Id est, nullam occasionem dare excusandi, nullam umbram objicere, qua in schismate retineri possent.

[e] Recent., *ex substantia tali Ecclesiæ*. Reluctantur Mss. Vatic., Norm., Rhem., etc. Intra excusi habent, *vobis portitor indicavit*. Legendum vero *nobis*, et Mss. probant, et suadet ratio.

## EPISTOLA LIV.

AD ANATOLIUM DIACONUM CONSTANTINOPOLIT. *

*Constantii episcopi homines commendat.*

Gregorius Anatolio diacono Constantinopoliano.

Reverendissimus frater et coepiscopus noster Constantius suos homines illuc pro Ecclesiæ suæ utilitatibus festinans transmittere, tuæ eos dilectioni voluit commendari. Proinde in quantum, [a] Deo jubente, potueris, eis, salva ratione, ubi necesse fuerit concurras, atque solatium feras, quatenus [b] dum tua fuerint, sicut dignum est, opitulatione suffulti, et ipsi illic minus valeant laborare, et prædictus frater noster Ecclesiæ suæ melius utilitates adjutas, te suffragante, cognoscat.

## EPISTOLA LV.

AD FANTINUM DEFENSOREM PANORMITANUM.

*Pro Judæorum Synagogis irritationabiliter occupatis et consecratis, pretium solvat Victor episcopus.*

Gregorius Fantino defensori Panormitano.

Ante aliquantum tempus Victori fratri et coepiscopo nostro scripsimus, ut quoniam quidam Judæorum, data nobis petitione, questi fuerunt synagogas in civitate Panormitana positas cum hospitiis suis fuisse ab eo irrationabiliter occupatas, quousque causa utrum juste factum esset potuisset agnosci, ab eorum suspenderet se congregatione, ne forte in eorum sola voluntate versari [a] præjudicium videretur. Et quidem nos prædictum fratrem nostrum incongrue aliquid egisse, sacerdotii ejus respectus facile credere non permisit. Sed quia Salerio notario nostro, qui illic præsens postea inventus est, renuntiante, comperimus (*Grat.* 14, *q.* 6, *c.* 2) nullam exstitisse causam pro qua potuissent rationabiliter occupari, atque eas esse inconsulte ac temere consecratas, idcirco experientiæ tuæ **974** præcipimus ut quia quod semel consecratum est, Judæis ultra non valet restitui, quantum a filiis glorioso Venantio Patricio et Urbico abbate synagogæ ipsæ cum his hospitiis quæ sub ipsis sunt, vel earum parietibus cohærent, atque hortis ibi conjunctis æstimatæ fuerint, studii tui sit ut præfatus frater et coepiscopus noster dare pretium debeat; quatenus hoc quod occupari fecit, in jus Ecclesiæ ipsius valeat provenire, et illi opprimi aut aliquam pati injustitiam nullo modo A videantur. Codices vero vel ornamenta pariter ablata quærantur. Quæ si manifeste [b] tulta sunt, et ipsa sine ambiguitate aliqua volumus restitui, quia sicut illis quidquam in synagogis suis facere, ut et ipsi prius scripsimus, ultra quam lege decretum est, non debet esse licentia; ita eis contra justitiam et æquitatem nec præjudicium, nec aliquod debet inferri dispendium. (*Vide lib.* XI, *epp.* 48 *et* 49.)

## EPISTOLA LVI.

AD FANTINUM.

*Candidum defensorem, Jamni Judæi ex navis pretio debiti soluti chirographum restituere compellat.*

Gregorius Fantino defensori.

Indicavit nobis Jamnus Judæus præsentium portitor, navem suam atque res suas Candidum defensorem nostrum cum aliis creditoribus occupasse, B atque eas pro credita [a] quam dederant pecunia venundedisse, et cunctis debitis cautionibus restitutis, solum apud se præfatum defensorem obligationis chirographum tenuisse, et sæpius se supplicantem ideo reddere contempsisse, quia, ut ait, sors est debiti satisfacta. Experientiæ ergo tuæ præcipimus, ut cum omni subtilitate curet addiscere? et si ita repererit, districta compulsione perurge, quatenus omni mora postposita, [b] cautionem prædicti portitoris restituat. Ita ergo sollicitudo tua studeat, ut denuo ad nos hac de causa querela non redeat.

## EPISTOLA LVII.

AD PRÆJECTAM ILLUSTREM.

*Gesta inter ipsam et Fantinum defensorem approbat.*

Gregorius [a] Præjectæ illustri.

Quoties in conventionibus quibusdam noster exspectatur assensus, ne in dubium veniant [b] quæ geruntur, [c] ratio ea pro securitate partium debet habita solidare. Proinde cognoscentes quid inter dilectionem tuam et Fantinum defensorem nostrum ac rectorem patrimonii partium Panormitanarum **975** convenerit de portionibus tibi competentibus in [d] Massalenas et Samanteria, in provincia Sicilia, territorio Panormitano, et domo in Panormitana civitate sita, quam Ecclesiæ nostræ dudum titulo donationis obtuleras; nostrum in his accommodamus assensum, atque omnia sicuti inter vos gesta sunt, per hujus tuitionis paginam confirmamus, nec

C

D

Epist. LIV [*Al.* 58], — [a] Remig., *Deo juvante valueris.*

[b] Idem Codex, *dum tua fuerit, sicut dignus est..... suffultus*, scilicet Constantius.

Epist. LV. [*Al.* 59]. — [a] Hic et infra sub finem epistolæ *præjudicium* idem est ac detrimentum, damnum, incommodum.

[b] Sic legendum, non *culta*, ut in posterioribus Editionibus. Tulta autem est vox antiqua barbara a *tollo*, pro *sublata*. Sic libro XVIII Moralium, cap. 15, alias 16, ubi legitur: *Sed de terra sublatus est.* Hac etiam voce usus est Zacharias papa, epist. 15 ad episcopos Francorum, ubi de sancto Benedicto: *Ipsum ad suum reverti tumulum ex quo clam tultus est.* Reperio et apud Anastasium in Adriano bis, *abstultas civitates.* Gussanv. Vide lib. III Moral., n. 22, notam *f* (*Patrol. tom. LXXV, col.* 151, *nota* e).

Epist. LVI [*Al.* 60]. — [a] Vatic. A, *quam debuerat.* Ibid., infra, *et cunctis debitis*, etc., pro *a cunctis debitis*, quod prius legebatur. Hic solus codex e Vaticanis eam continet epistolam, quæ etiam in San Victorino habetur, sed vix in aliquo alio.

[b] Hic et supra intelligit cautionem obligatoriam. Eodem sensu Gregorius Turon., lib. IX Hist., c. 18: *Et datis fidejussoribus, atque subscriptis cautionibus promiserunt se singula millia solidorum... in compositionem daturos.* In eadem pene significatione usurpatur a Cicerone pro domo sua, et a Seneca lib. III de Beneficiis, c. 7.

Epist. LVII [*Al.* 61]. — [a] In duobus Teller., *vel præelectæ.* Vatic. A, *præfectæ.*

[b] Vatic. D et E, Reg. et Colb., *quæ quæruntur.*

[c] Sic in omnibus fere exemplaribus Mss. atque Editis. Aliter extr. de pactis lib. I, tit. 35, c. 2, *ratihabitio ea debet pro securitate pactum solidare.*

[d] In Corb., *Massaleuca.* In Colb. et Reg. *Massaleucas.*

quidquam eorum a nobis successoribusque nostris deduci in irritum profitemur, quia valde Ecclesiasticæ est moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint [e] vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari (*Grat.* 25, *q.* 2, *c.* 12).

## EPISTOLA LVIII.

### AD MARTINUM SCHOLASTICUM.

*Se ab illo de episcoporum causis levius instructum sententiam proferre non posse. Agat cum Joanne Syracusano episcopo.*

Gregorius Martino Scholastico.

Cum de negotiis [a] civilibus exorta causatio, majoris, ut magnitudini tuæ notum est, requisitionis indigeat, quanta cura, quantaque vigilantia episcoporum causæ debeant [b] perscrutari, sapientia tua consideret. In ea vero epistola quam per latorem præsentium transmisisti, pro quibus ad nos causis a Crementio fratre et coepiscopo nostro transmissus fueris, superficie tenus indicasti, et earum radicem penitus tacuisti. Quarum si nobis origo vel fuisset qualitas interius manifesta, quid de his definiendum esset, prædicti fratris nostri animos responsione utique patenti ac congrua firmaremus. Illud tamen nobis omnino displicuit quod aliquos episcoporum sine primatis sui epistolis [c] ad comitatum profectos esse, vel conventus significas illicitos celebrare. Sed quia, sicut præfati sumus, causarum origo vel qualitas omnino nobis ignota est, pronuntiare aliquid definitive [d] non possumus, ne, quod reprehensibile nimis est, de rebus non bene cognitis proferre sententiam videamur. Unde valde necessarium fuerat si huc pro plenissima instructione nostra Magnitudo tua, nostris interrogationibus responsura, tempore quo in Sicilia dilata est, perrexisset. Sed tamen postquam fratrem et coepiscopum nostrum [e] Joannem vidistis, in eo et nos vidisse vos credimus. Et ideo quia de eisdem nobis et ipse causis scribere studuit, ei quæ nobis sunt visa rescripsimus. Qui quoniam maturi providique consilii sacerdos est, si cum ipso causas pro quibus missus est, tractare volueris, certi sumus quia in eo et quod utile et quod rationem habet invenies. (*Vide lib* XII, *ep.* 32).

## EPISTOLA LIX.

### AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Indicat quid Bizacenus primas egerit, ne a Romano episcopo judicaretur. De illius causa, quod placuerit, loquatur cum Martino Scholastico.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Fraternitatis vestræ scripta suscepi, in quibus indicastis Martinum virum [a] eloquentissimum **976** de Africana provincia Syracusas venisse, vobisque aliquid secretum locutum fuisse. Et quidem fraternitas vestra, quoties occasionem reperit, amorem suum erga beatum Petrum apostolum non cessat ostendere. Unde omnipotenti Deo gratias agimus, quia ubi illa est, nos illic absentes non invenimur. Causam tamen de qua agitur, necdum sanctitas vestra subtilius agnovit. In quodam enim crimine [b] Byzacenus primas fuerat accusatus, et piissimus imperator eum juxta statuta canonica per nos voluit judicari. Sed acceptis decem auri libris, tunc Theodorus magister [c] militum obstitit ut minime fieret. Tamen piissimus imperator admonuit ut transmitteremus, et quidquid esset canonicum faceremus. Sed videntes contrarietates hominum, [d] eamdem causam finire noluimus. Nunc autem idem primas aliqua de consilio suo loquitur. Et valde dubium est utrum pure an certe, quia a coepiscopis suis impetitur, nobis modo talia loquatur; nam quod se dicit sedi apostolicæ subjici, si qua culpa in episcopis invenitur, nescio quis ei episcopus subjectus non sit. Cum vero culpa non exigit, omnes secundum rationem humilitatis æquales sunt. Tamen quod vestræ fraternitati placet, cum prædicto eloquentissimo Martino loquimini. Vos enim tractate quid agere debeat: cui nos de causa breviter rescripsimus, quia et hominibus incognitis passim nos credere non debemus. Si tamen vos qui eum in præsenti conspicitis, ei loquendum fixius aliquid judicatis, vestræ hoc charitati committimus, de cujus amore [e] in omnipotentis Dei gratia certi sumus. Quæ autem vos agitis, nos egisse non dubitetis.

## EPISTOLA LX.

### AD ROMANUM ALIOSVE PATRIMONII ECCLESIASTICI DEFENSORES.

*Ne mulieres cum episcopis aut clericis in sacris ordinibus constitutis habitent; ea lege, ut uxores non relinquant, sed caste regant.*

Gregorius Romano defensori, Fantino defensori, Sabino subdiacono, Adriano notario, Eugenio notario Felici subdiacono, Sergio defensori, Bonifacio defensori, a paribus [a] et sex patronis.

Quia sicut cauta provisio culparum vias obstruere, et novit quæ sunt noxia declinare, ita neglectus patet excessibus, et quæ sunt cavenda solet incurrere, magnam nos sollicitudinis oportet curam im-

[e] Apud Gratian., loco assignato, *vel rationabiliter decisa.*

EPIST. LVIII [*Al.* 62]. — [a] In Remig., Anglic., Reg., Colb., Corb et plur. Mss., *negotiis vilibus.*

[b] Hic usurpatur passive, et Plautus in Aulularia usus est active *perscruto*: *Hunc jam perscrutavi.* GUSSANV.

[c] Intellige aulam, curiam, locum ubi princeps assidue commoratur. Ita jurisconsulti et historici passim.

[d] In Excusis, *non licet nec possumus.*

[e] Lucas Holstenius, in Gregor. sac., tit. de Patriarchatu Rom., pag. 2, epistolæ hujus sensum non attigit, ex ea colligens primatum in Sicilia Syracusanum; cum tamen de Africanis, non de Siculis, loquatur sanctus Gregorius ut ex seq. epist constat.

EPIST. LIX. [*Al.* 65]. — [a] Scholastici erant causarum Patroni, qui maxime eloquentiæ studebant.

[b] Sic in ultimis Editionibus, quibus consonant plurimi mss. Codd.; in quibusdam tamen habetur *Vysacenus*, quod sæpe fit permutatione litteræ *B* in *V*. Est autem Bisacium provincia Africæ, in qua nunc est regnum Tunetanum.

[c] Abest *militum* a quatuor Vatic., Rhemensi et plur. Mss.

[d] Excusi, *eumdem causam inire noluimus.* Adversantur quatuor Vatic. et plur. ex mss. Codd.

pendere, et fratrum sacerdotumque nostrorum opinioni pariter et cautelæ prospicere. Pervenit autem ad nos quosdam episcoporum sub prætextu quasi solatii in una domo cum mulieribus conversari. Et ideo ne per hoc aut subsannatoribus justa obtrectationis detur occasio, aut facilem antiquus humani generis inimicus materiam deceptionis assumat, hujus tibi serie præceptionis injungimus, ut strenuum te studeas, et sollicitum exhibere. Et si qui episcoporum, quos commissi tibi patrimonii finis includit, cum mulieribus degunt, hoc omnino **977** compescas; et de cætero eas illic habitare nullo modo patiaris, exceptis eis quas sacrorum canonum censura permittit, id est matre, amita, germana et aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio. Melius tamen faciunt, si etiam a talium se cohabitatione contineant. Nam legitur quod beatus Augustinus nec cum sorore sua habitare consenserit, dicens: [b] *Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt.* Docti ergo viri cautela magna nobis esse debet instructio. Nam incautæ præsumptionis est quod fortis pavet minus validum non timere. Sapienter enim illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis; et quidem nos nullos in hoc nolentes astringimus, sed sicut facere solent medici, et si ad tempus tristem curam, tamen pro salute dictamus. Et ideirco non necessitatem imponimus, sed si imitari doctum sanctumque virum elegerint, ipsorum voluntati relinquimus. Tua igitur experientia ut servari debeant ea quæ prohibenda mandavimus, studium et sollicitudinem gerat. Nam si aliter postmodum inveniri contigerit, non leve se apud nos noverit periculum incursuram. Præterea curæ tuæ sit eosdem fratres nostros episcopos adhortari, ut subjectos sibi in sacris videlicet ordinibus constitutos, quod ipsi servant, ad similitudinem sui modis omnibus servare commoneant: hoc tantummodo adjecto, ut hi, sicut canonica decrevit auctoritas, uxores quas caste debent regere non relinquant. [c] Data mense Martio, indict. 2[d].

## EPISTOLA LXI.

[a] INCIPIT EPISTOLA RECHAREDI REGIS GOTHORUM AD BEATUM GREGORIUM ROMENSEM EPISCOPUM DIRECTA.

*Excusat quod ipsum non ante quatuor annos de conversione sua monuerit. Mittit aureum calicem. Venerationem summam ac benevolentiam testatur. Leandrum Hispalensem commendat.*

Domino sancto ac beatissimo papæ Gregorio episcopo Recharedus.

Tempore quo nos Dominus sua miseratione nefandæ Arianæ hæresis fecit esse discordes, melioratos fidei tramite intra sinus suos sancta catholica colligit Ecclesia, voluntatis tunc nostræ fuit animus tam reverentissimum virum, qui præ cæteros polles [*Ita in ms.*] antistites, omni intentione animi delectanter inquirere, et tam dignam acceptam Deo rem pro nobis hominibus modis omnibus laudaret. Unde nos multasque regni curas gerimus, diversis occasionibus occupati, tres præterierunt anni voluntatem animi nostri **978** minime satisfacere. Et post hoc ad vos ex monasteriis abbates elegimus, qui usque ad tuam præsentiam peraccederent, et munera a nobis directa sancto Petro offerrent, tuæ sanctæ reverentiæ salutem nobis manifestius nuntiarent. Qui properantes, jam pene littora cernentes Italiæ, in illis vi maris advenit quibusdam scopulis prope Massilia inhærentes, vix suas potuerunt animas liberare. Nunc autem presbyterum, quem tua gloria usque ad Malicitanam urbem direxerat, oravimus eum ad nostrum venire conspectum. Sed ipse corporis infirmitate detentus, nullatenus ad regni nostri solium valuit peraccedere. Sed quia certissime cognovimus eum a tua sanctitate fuisse directum, calicem aureum desuper gemmis ornatum direximus, quem, ut de tua confidimus sanctitate, illa [*Ita in ms.*] dignam apostolo, qui primus fulget honore, offerre dignemini. Nam et peto tuam celsitudinem nos sacris tuis litteris aureis opportunitate reperta exquirere. Nam quantum te veraciter diligam, tu ipse, pectoris fecunditatem, inspirante Domino, latere non credo. Nonnunquam solet ut quos spatia terrarum sive maria dividunt, Christi gratia ceu visibiliter glutinare. Nam qui te minime præsentialiter cernunt, bonum tuum illis fama patescit.

Leandrum vero Spalensis Ecclesiæ sacerdotem tuæ in Christo sanctitati cum omni veneratione commendo, quia per ipsum tua benevolentia nobis est lucidata; et dum cum eodem antistite de tua vita loquimur, in bonis actibus vestris nos minores esse censemus. Salutem vero tuam, reverentissime et sanctissime vir, audire delector, et peto tuæ Christianitatis prudentiæ ut nos gentesque nostras, quæ nostro post Deum regimine moderantur, et vestris sunt a Christo acquisitæ temporibus, communi Domino tuis crebro commendes orationibus, ut per eamdem rem quos orbis latitudo dissociat, vera in Deum acta charitas feliciter convalescat.

[e] Vel, *per omnipotentis Dei gratiam;* quod autem legitur in Vulgatis, *in omnipotentis Dei causa*, in nullis veter. membranis invenimus.

EPIST. LX. [*Al.* 59.] — [a] In Norm. et plur. legitur *expatronis*. In Reg. deest *Sabino*, etc.

[b] Hæc desumpta sunt ex Possidio in Vita sancti Augustini, cap. 26, non iisdem verbis, sed eodem sensu. GUSSANV.

[c] in duobus Teller., *Mense Junio, indict.* 2.

[d] Post epistolam hanc in vetustissimo Cod. ms. Claudii Puteani senatoris Parisiensis, qui nunc in bibliotheca Regia servatur, et in Cod. Colbert. 1052, jam sæpe a nobis laudato, complectente Gregorianas epistolas ab indict. 1, usque ad finem, hæc leguntur: *Gregorius Vlfoni* (vel *Wlfoni*) *duci* et postea minori charactere: *Ubi ei scribit de pace conservanda et quidquid ab omnibus reipublicæ et eorum excessum est, auxiliante Domino debeat ordinatio provenire. Mense Martio indict.* 2. Illius vero epistolæ nihil nobis superest.

EPIST. LXI. — [a] Hanc epistolam ex veteribus membranis in lucem protulit vir clar. Stephanus Baluzius, Miscellaneorum lib. v. Stylum ejus barbarum, cum viro erudito intactum reliquimus. Illius meminit sanctus Gregorius in epist. ad Recharedum, quæ est hujusce libri 122.

## EPISTOLA LXII.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Defensorum nomen usurpantes compescat. Fortunatum amoveat ab Ecclesiæ negotiis. Martianum Joanni episcopo, Romanæ Ecclesiæ patrimonium curanti, inobedientem exsulare cogat.*

Gregorius Romano defensori.

Pervenit ad nos quod [a] tonsuratores in Sicilia prava sibi præsumptione nomen defensorum sumerent, **979** atque eos non solum utilitatibus ecclesiasticis non esse utiles, sed etiam hac occasione multa indisciplinata committere. Proinde experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus, ut hoc diligenter inquirat. Et si quos sibi, præter eos qui hujus rei [b] epistolas habent, hoc denuo nomen usurpare repererit, districta illud emendatione compescat. Si vero quosdam strenuos ac fideles in Ecclesiasticis negotiis esse probaveris, subtiliter nobis de eis renuntiare necesse est, ut utrum digni sint epistola judicemus.

Præterea a Fortunato de iis quæ gessit rationes subtiliter perscrutari te volumus, et satisfactis omnibus quæ debere constiterit, eum per patrimonium vel actionem aliquam Ecclesiæ nostræ transire ulterius non permittas, quia ita se, quantum ad nos pervenit, exhibuit, ut commune aliquid deinceps cum nostris habere non debeat.

Præterea nuntiatum est nobis Martianum quemdam, qui nomen sibi defensoris assumpsit, fratri et coepiscopo nostro Joanni, cui curam patrimonii nostri commiseramus, exhibere obedientiam distulisse. Require ergo; et si verum est, exsilio transmittatur, ut ex cujus Ecclesia honoris sibi falsum nomen arripuit, administranti utilitates ipsius minime obedisse impunitum non sit. Sed et si qui sunt alii ordinationi memorati fratris nostri inobedientes, districta in eos ultione modis omnibus vindicabis.

## EPISTOLA LXIII.

AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Ad deponendum Lucillum episcopum quatuor episcopos adhibeat. Sacerdotes vel diaconos criminis conscios, gradu suo dejiciat, laicos sacra privet communione, Melitenses ad episcopi electionem hortetur.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Quæ adversus [a] Lucillum Melitæ civitatis episcopum querela commota sit, ex epistolarum vestrarum et [b] gestorum quæ ad nos direxistis pagina declaratum est. Et ideo quia tanti facinoris ultio nulla debet dilatione differri, fraternitas vestra tres vel quatuor de fratribus ac consacerdotibus sibi nostris adhibeat, ut ipsis quoque præsentibus prædicta ac satisfacta veritate prædictum Lucillum de episcopatus ordine, A quem hujuscemodi sceleris contagio maculavit, studeat sine ambiguitate deponere. Quia vero presbyteri quidam vel diaconi proditæ iniquitatis fuisse conscii ac participes memorantur, sanctitas vestra subtili indagatione discutiat. Et si ita repererit, ab honoris sui et ipsos similiter gradu dejiciat, et in monasteriis ubi digne valeant pœnitentiam agere deputet. Sed quia per hos **980** multi in hujus labem peccati perhibentur esse collapsi, cunctos qui rei esse claruerint, Dominici corporis ac sanguinis participatione privare vos convenit, atque eos vestris epistolis districtius admonere ut litaniis et orationibus operam dent, et peccati quam contraxerunt maculam flendo tergant. Quibus quando sit secundum modum pœnitentiæ reddenda communio, judicio vestro committimus. Hoc tamen sollicite vos providere necesse est, B ut iis qui mortis urgentur periculo, viaticum non negetur. Curæ præterea sit vobis clerum et populum Melitæ civitatis hortari, ut quia sine proprio Pastore esse non poterunt, ordinandum sibi eligant Deo propitio sacerdotem. Causam vero presbyterorum ac diaconorum, qui in lapsu accusati sunt, sollicite omnino rimamini. Et si rei criminis esse patuerint, severam in eis ultionem et canonicam exhibete, ut quanto illorum iniquitas Deum potuit ad iracundiam provocare, tanto eum vos placare emendatione districtissima valeatis.

## EPISTOLA LXIV.

AD VITALEM SARDINIÆ DEFENSOREM.

*Sic tueatur clericos, ut neque episcopi reverentia, neque illorum disciplina solvatur. Ne Ecclesiæ rura a cultoribus deseri, aut monasteria, quæ solis subsunt episcopis, ab aliis perturbari sinat.*

Gregorius Vitali defensori Sardiniæ.

Indicatum nobis est quod quidam Caralitanæ Ecclesiæ clerici, disciplinam sui refugientes episcopi, contra eum solatium tuæ defensionis exquirant, atque per hoc illi, quod dici grave est contumaces existant. Quam rem, si ita est, omnino dure suscepimus. Dicitur etiam quod suæ actus deserentes Ecclesiæ, aliarumque se obsequiis ac laboribus occupantes, ubi nomen dederunt militiæ inveniantur extranei. [a] Experientia itaque tua nihil deinceps tale aliquid facere præsumat; sed si cujusquam clerici, ut assolet, culpæ casus emerserit, in qua te sibi petere debeat adjutorem, ad eumdem episcopum reverenter accede; et sicut causæ meritum cognoveris, apud eum non defensor culpæ, sed potius intercessor accede, ut hac provisione et poscenti feras auxilium, et jura præpositi non turbentur. Si qui vero sunt qui justa poposcerint, eis per te auxilium sedis aposto- C D

Epist. LXII. *Al.* 47, *lib.* x, *ind.* 5]. — [a] Tonsuratores dici potuere qui erant præpositi colonis seu possessoribus prædiorum Ecclesiæ Romanæ, qui erant tonsurati in signum subjectionis, more Romanorum. Alteserra.

[b] Hoc est, codicillos quibus defensoris officium conferebatur. Infra *ut utrum digni sint epistola judicemus.*

Epist. LXIII. — [a] De Lucillo episcopo et de Melita insula vide quæ dicta sunt ad epist. 44, lib. II, indict. 10.

[b] Intelligit inquisitionem de Lucilli crimine ex juris formulis factam et scripto consignatam; dicimus vulgo, *les informations.*

Epist. LXIV [*Al.* 66]. — [a] Recent., dissentientibus Mss. Norm., Vatic., utroque Rhem., Colb., Reg., Corb., etc., *experientiæ ergo tuæ denuntiamus, ut nihil.*

licæ non est negandum. Sed tamen [b] ita servanda est uniuscujusque episcopi reverentia, ut clericorum disciplina per defensionis tuæ experientiam minime solvatur.

Dictum est nobis etiam quod rustici possessionis ejusdem Caralitanæ [c] Ecclesiæ, rura propria deserentes, in privatorum possessionibus culturam laboris **981** exhibeant. Ex qua re agitur ut possessiones Ecclesiæ, proprio in aliis occupato cultore, depereant, atque ad tributa sua persolvenda idoneæ non existant. In qua re experientiam tuam volumus omnino esse sollicitam, ne tale quidquam fieri post hanc nostram tibi datam autoritatem permittere debeas, sciturus, si neglexeris, nostros exinde de minori tua sollicitudine contra te animos commoveri.

Cognovimus etiam (*Grat. Causa* 18, *q.* 2, *c.* 19) quod monasteria servorum Dei vel etiam feminarum pro suo quisque libitu, et diversarum causarum exsecutione perturbent: [d] quod omnino graviter suscepimus, tuamque experientiam ex hoc commonemus, ne quemquam hoc usurpare denuo accepta nostra auctoritate permittas, sed episcopis loci ipsius, sub cujus degunt moderamine, curæ sit eorum causas utilitatesque disponere. Valde enim est incongruum ut, omisso eo, alius quilibet eorum se causis admisceat. Sed ille eorum vitam competenti regularique debet moderatione disponere, qui pro commissis eorum sibi animabus compellitur reddere rationem.

## EPISTOLA LXV.

AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Continendos in officio clericos contumaces. Relictam monasterio viduæ substantiam a clerico restituendam. Coercendos tum dehortationibus, tum corporalibus pœnis idolorum cultores, aruspices, atque sortilegos. Res Ecclesiæ, non laicis, sed probatis clericis committendas.*

Gregorius Januario [a] episcopo Sardiniæ.

Pervenit ad nos quod quidam de vestris clericis, spiritu elationis inflati, quod dici grave est, fraternitatis vestræ jussionibus obedire postponant, atque, in aliorum se magis obsequiis ac laboribus occupantes, suæ deserant, ubi sunt necessarii, actus Ecclesiæ. Ex qua re nimium admiramur cur in eis ecclesiasticæ non teneatis regulam disciplinæ, nec eos dissolute vagantes in deviis ad normam suscepti officii, districti moderaminis freno, restringatis. Dicitur etiam quod aliqui ex eisdem contumacibus clericis, ut defendi contra vos valeant, ad Vitalis defensoris nostri patrocinia convolare. Unde ad eum scripta nostra direximus, ne quemquam clericorum vestrorum contra vos irrationabiliter denuo audeat defensare; sed si culpæ casus emerserit, et gravis non est, sed quæ veniam mereatur, intercessor apud vos magis accedere debeat quam defensor. Ne ergo tale ad nos deinceps de subjectorum vestrorum contemptu quidquam perveniat, præcavete.

Cognovimus etiam quod monasterio sancti Juliani quædam vidua suam substantiam [b] dereliquit; et a clerico vestro, qui ejusdem defunctæ mulieris actus, dum adhuc viveret, gubernabat, ipsa sit direpta substantia, nuncque callidum ad **982** reddendum existere. Hortamur ergo ut eum, si, ut dicitur, ita verum esse patuerit, districta faciatis exsecutione constringi, quatenus res monasterio derelictas restituere sine imminutione festinet, [c] et quod audere servata fidei suæ puritate non debuit, vel cum pudoris sui damno reddere compellatur. Quam vero verecundum sit ut fraternitatem vestram nos admonere videamur, quatenus clericum suum sub disciplinæ vigore restringat, credo quod eadem fraternitas vestra tacita etiam ipsa considerat.

Contra idolorum quoque cultores vel aruspices atque sortilegos (*Grat.* 26, *q.* 5, *c.* 10), fraternitatem vestram vehementius pastorali hortamur invigilare custodia, atque publice in populo contra hujus rei viros sermonem facere, eosque a tanti labe sacrilegii [d] et divini intentatione judicii, et præsentis vitæ periculo, adhortatione suasoria revocare. Quos tamen si emendate se a talibus atque corrigere nolle repereris, ferventi comprehendere zelo te volumus, et siquidem servi sunt, verberibus cruciatibusque quibus ad emendationem pervenire valeant, castigare. Si vero sunt liberi, inclusione digna districtaque sunt in pœnitentiam dirigendi; ut qui salubria et a mortis periculo revocantia audire verba contemnunt, cruciatus saltem eos corporis ad desideratam mentis valeat reducere sanitatem.

Indicatum etiam nobis est (*Grat. dist.* 89, *c.* 5) quod laicis quibusdam curam vestri patrimonii committentes, postmodum in rusticorum vestrorum deprædationibus, atque per hoc [e] exfugationibus fuerint deprehensi, et reddere res quas indecenter retinent habitas, quasi suæ ditioni, quippe vestræ non suppositi curationi, postponant, vobisque despiciant actuum suorum reddere rationem. Quod si ita est, districte a vobis discuti convenit, atque inter eos Ecclesiæque vestræ rusticos causam examinari subtilius. Et quiquid in eis fuerit fraudis inventum, cum pœna legibus statuta reddere compellantur. De cætero vero cavendum à fraternitate vestra est, ne sæcularibus viris, atque non sub regula vestra degentibus, res ecclesiasticæ committantur, sed probatis de vestro officio clericis. In quibus si quid reperiri

[b] Ita laudati Mss., ubi Excusi, præeunte San-Victor. Mss., *ita servandum est, ut uniusc.... reverentia, et clericorum.*

[c] Vulgati manifesto errore, *jura propria.* Emendantur ex sex Vaticanis, etc.

[d] Al., *omnino non grate.*

EPIST. LXV [*Al.* 67]. — [a] In Excusis, *episcopo Caralitano.*

[b] Editi, *derelinquens, a clerico*, etc., ubi vitiosa est constructio verborum. Id autem emendavimus ex Mss. præsertim Norm.

[c] Recentiores, *quod adire*, reluctantibus veteribus exemplaribus.

[d] In plurimis Cod., tum excusis tum scriptis, *intentione.* Sic legerat Gratianus loco assignato.

[e] Sic Norman., Rhem., Vatic. B et alii; ubi nonnulli Codices habent *exfatigationibus*, quod etiam legitur apud Gratianum.

potuerit pravitatis, ut in subditis, emendare quod illicite gestum fuerit valeatis, [f] quos apud vos habitus sui magis officium conveniat, quam excuset. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 89.)

## EPISTOLA LXVI.

AD ANATOLIUM DIACONUM.

*Ex Istriæ schismate ad Ecclesiæ unitatem reversis faveat.*

Gregorius Anatolio diacono Constantinopolitano.

Latores præsentium, qui [a] de Istricorum schismate ad unitatem Ecclesiæ Deo miserante reversi sunt, multa de pravitate episcoporum **983** qui in illis partibus sunt conqueruntur. Et quia ea pro re Constantinopolim festinantes tua sibi petunt adesse debere solatia, dilectionem tuam his hortamur affatibus, ut eis salva ratione solatiari debeat atque concurrere; quatenus te opitulante et minus illic fatigari, et quod justum est facilius valeant adipisci.

## EPISTOLA LXVII.

AD CONSTANTIUM MEDIOLANENSEM EPISCOPUM.

*Ut cum Mariniano Ravennate de Maximi Salonitani causa judicet.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Maximus Salonitanæ Ecclesiæ prævaricator, postquam [a] per potestates majores sæculi obtinere nihil valuit, ad minores sese contulit; nobisque tam nimietate precum quam attestatione bonorum operum prævalere contendit. Ex qua re inhumanum credidi, si is qui se multum timere me dicit, in aliquo me temperatiorem minime invenire potuisset. Et ideo decrevi ut reverendissimus frater et coepiscopus noster Marinianus ejus causam debeat in Ravennati urbe cognoscere. Si autem persona ejus suspecta forsitan habetur, volumus ut vestra quoque fraternitas, si ei laboriosum non est, ad eamdem civitatem fatigare se debeat, et cum prædicto fratre in eodem judicio pariter sedere. Quidquid autem vestræ utrorumque sanctitati placuerit, scitote mihi modis omnibus placiturum; et vestrum ego judicium meum deputo; et quæ utrique vos relaxanda esse censetis, nie relaxare certum tenete; hoc tamen sollicite pensantes, ne aut cum peccato remissi, aut cum injuria sanctæ Ecclesiæ esse videamur austeri. Hujus autem causæ exsecutionem Castorio chartulario injunximus, ut ipse nobis debeat cuncta quæ acta fuerint, subtiliter renuntiare. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 12.)

## EPISTOLA LXVIII.

AD EUSEBIUM THESSALONICENSEM, ETC.

*Neque Constantinopolitano episcopo œcumenici titulum sibi arroganti, ullo modo consentiant: neque in Synodo, si de rebus aliis agatur, statuta vetera sinant convelli.*

Gregorius Eusebio Thessalonicensi, Urbico Diarachino, Andreæ Nicopolitano, Joanni Corinthio, Joanni primæ Justinianæ, Joanni Cretensi, Joanni Larisseo et Scodritano, [a] aliisque compluribus episcopis.

Suscepti regiminis cura constringimur, officii nostri sollicitudinem vigilanter extendere, et fratrum nostrorum animos sermone admonitionis instruere; ut nec ignorantes præsumptio prava decipere, nec scientes dissimulatio quædam valeat excusare. Cognoscat siquidem fraternitas vestra, Joannem quondam Constantinopolitanæ **984** civitatis Antistitem contra Deum, contra pacem Ecclesiæ, in omnium despectu et injuria sacerdotum, modestiæ ac mensuræ suæ terminos excessisse, et illicite in synodo superbum ac pestiferum œcumenici, hoc est universalis sibi vocabulum usurpasse. Quod beatæ recordationis Pelagius decessor noster agnoscens, omnia gesta ejusdem synodi, præter illa quæ illic de causa venerandæ memoriæ [b] Gregorii episcopi Antiocheni sunt habita, valida omnino districtione cassavit, districtissima illum increpatione corripiens, ut se a novo et temerario superstitionis nomine cohiberet; adeo ut suum illi diaconum, nisi tantum nefas emendaret, [c] procedere prohiberet. Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione Deo protegente servamus, quia dignum est ut rectam decessoris sui viam gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem æterni judicis tribunal exspectat. In qua re ne quid omittere quod ad pacem Ecclesiæ pertinet videremur, nostris eumdem sanctissimum Joannem [d] scriptis semel iterumque convenimus, ut amoto superbiæ nomine cordis sui elationem ad humilitatem, quam magister et Dominus noster docuit, inclinaret. Quem quoniam neglexisse comperimus, hæc eadem et beatissimum fratrem et consacerdotem nostrum [e] Cyriacum successorem ipsius concordiæ studio non destitimus admonere. Sed quia hoc jam, ut videmus, mundi hujus termino propinquante, in præcursione sua apparuit humani generis inimicus, ut ipsos qui ei contradicere bene atque humiliter vivendo debuerunt, per hoc superbiæ vocabulum præcursores habeat sacerdotes, hortor atque suadeo ut nullus vestrum hoc nomen aliquando recipiat, nullus id consentiat, nullus scribat, nullus ubi fuerit scriptum admittat, vel subscriptionem suam adjiciat; sed sicut omnipotentis Dei ministros decet, integrum se ab hujusmodi venenata infectione custodiat, et callido insidiatori in se locum non præbeat, quoniam hoc in totius Ecclesiæ injuriam ac discissionem, et sicut diximus, in omnium vestrum despectum fit.

[f] Apud Gratianum, *quo videlicet apud vos habitus sui officium magis convenienter administrent, quam accusent.* Hic *convenit*, quod habent Mss. non *commendet*, ut Excusi, significat *in jus vocare, accusare.*

EPIST. LXVI [*Al.* 68]. — [a] De eo dictum supra epist. 2, lib. IV. GUSSANV.

EPIST. LXVII [*Al.* 69]. — [a] Per potestates majores intelligit ipsum imperatorem, optimates, maxime vero Marcellinum Dalmatiæ proconsulem, ad quem exstat epist. 5 libri hujus. Per minores designat forte Julianum Scribonem ad quem epistola 41, supra, ex qua constat Julianum apud sanctissimum pontificem pro Maximo deprecatorem se præbuisse.

EPIST. LXVIII [*Al.* 70]. — [a] Hæc verba minime leguntur in Vatic. Codd. Reg. et in plur. aliis Mss.

[b] De eo dictum ad epist. 25 lib. I.

[c] Hoc est, sacra facienti adesse. De verbi hujus significatione jam sæpius diximus. Consule notam 471 in Librum Sacrament.

Nam si unus, ut putat; universalis est, restat ut vos episcopi non sitis.

Præterea pervenit ad nos quod fraternitas vestra ad urbem Constantinopolim sit convocata. Et quamvis piissimus noster imperator agi illic illicita non permittat, tamen ne perversi homines conventus vestri [f] occasione percepta, aut pro hujus nominis superstitione locum surreptionis requirant, aut ob aliam rem facere synodum cogitent, quatenus hoc in ea callidis machinationibus inducant, quamvis sine apostolicæ sedis auctoritate atque consensu nullas quæque acta fuerint vires habeant, verumtamen coram omnipotenti Deo obtestor et moneo [g] ut nullus vestrum illic quibuslibet suasionibus, quibuslibet blandimentis, quibuslibet præmiis, quibuslibet terroribus teneatur assensus; sed pro æterni judicii consideratione adversus **985** prava desideria salubriter atque unanimiter vos exhibete; et, pastorali constantia atque apostolica auctoritate suffulti, prædonem irruentemque lupum excludite, et in discissionem Ecclesiæ sævienti non cedite; ne de hac re quacunque surreptione synodum patiamini, [h] quæ neque legitima quidem, nec synodus dicenda est, celebrari. Hoc quoque pariter admonemus, ut si forte nil actum de hujus perversi nominis mentione fuerit, sed de alia re synodus forte colligitur, omnino sitis cauti, circumspecti, vigilantes, atque solliciti, ne quid illic contra locum aliquem vel personam præjudicialiter sive illicite, vel adversus canones censeatur. Sed si quid incidentis utilitatis causa tractandum est, sic causa de qua agitur formam accipiat, ut statuta vetera nulla convellat. Unde iterum coram Deo et sanctis ipsius admonemus ut hæc omnia summo studio et tota mentis intentione servetis. Nam si quis, quod non credimus, scripta præsentia aliqua in parte neglexerit, a beati Petri apostolorum principis pace se noverit segregatum. Ita ergo fraternitas vestra agat, ut cum Pastor pastorum in judicio venerit, de loco regiminis quem accepit reatum habere non possit [i].

## EPISTOLA LXIX.

### AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

*Arguit quod Neapolitanum episcopum ea quæ patroni civitatis erant usurpantem non cohibeat. Hortatur ne concessam per aliquot annos eleemosynam jam quasi debitum patiatur exigi. Neapolis privilegia et Prochytæ insulæ causas commendat.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Valde mirati sumus ut vobis in Neapolitana civitate positis venire ad nos pro quibusdam causis [a] Theodorus, vir memorandus, præsentium portitor, cogeretur, maxime dum in illa re se contra antiquum morem a fratre et coepiscopo nostro Fortunato queratur præjudicium pertulisse, quam ad curam dispositionemque [b] patroni civitatis ejusdem, gloria vestra teste, asserat sine dubio pertinere. Quod si ita se res habet, omnino contristamur cur in ejus vos defensione veritas non permovit, ut et libere quæ esset ratio diceretis, et reservari quod longa sibi consuetudo jure vendicat faceretis. Quia ergo grave nimis est contra veterem usum sacerdotes sibi quidquam arripere, unde in laicorum videntur actus incidere, prædicto fratri coepiscopoque nostro scribere quæ nobis sunt visa curavimus, ipsorumque ad vos scriptorum exemplar transmisimus, ut ex eis [c] quid debeat reservari quamcitius gloria vestra cognoscat.

Præterea indicavit nobis supradictus portitor, Vectano qui comes fuit in Missinati castello, propterea quod eum nobilem fuisse noverat, et paupertate nimia laborabat, viginti urnas vini per duos annos de insula Prochyta, quæ ei vicina erat, misericordiæ intuitu se fuisse largitum, **986** et nunc eas de eadem insula successorem ipsius [d] tanquam debitas violenter exigere. Et quoniam hoc ne de cætero tentari debeat, postulat prohiberi, gloria vestra curet addiscere. Et si hoc quod queritur veritate subsistit, et hæc ante consuetudo non fuit, hujusmodi gravamen justitia suadente compescat, et studeat ut pietatis administratio in præfata insula onus præjudicii non imponat.

Quia vero privilegia civitatis suæ, vel causas insulæ illius a nobis gloriæ vestræ petit commendandas, hortamur ut vestram ei tuitionem impendere, servata æquitate, quocunque necesse fuerit debeatis, et si qua in re utilitas populi qui præest contra rationis, sicut ait, ordinem prægravatur, imposita onera usque ad modum justitiæ vobis suffragantibus releventur, nec privilegia eorum quolibet modo calcentur; sed omnia quæ usus antiquitatis statuit, in omnibus intemerata serventur. Ita ergo in his gloria vestra se decenter exhibeat, ut et ipsa partes fovere justitiæ comprobetur, et hi qui commendati sunt [e] bona nobis vestra quæ de vobis cupimus semper audire renuntient.

[d] Meminit præsertim epist. 18 lib. v, indict. 13.

[e] Vide epistolas 4 et 31 libri VII, indict. 15.

[f] In Vulgatis recent., *occasione reperta;* quod minime mutaremus, nisi Mss. Norm., Vatic., etc., unanimis consensus cogeret.

[g] Excusi, *ut nullius vestrum.*

[h] In Anglic. et plur., *quæ neque legitima; quare quidem nec synodus dicenda est.* In Rhem., Vatic. D et aliis, *quia nec legitima quidem nec,* etc. In Vatic. B et F, *quandoquidem nec synodus dicenda est, celebrari.* In Vatic. A, *quamvis quidem nec synodus dicenda est, celebrari.*

[i] In Colbert., *Mense Junio, indict.* 2.

EPIST. LXIX [*Al.* 71]. — [a] In Rhem. et Vatic. D ac E, *Theodorus vester præsentium,* etc. In Vatic. B, *vir magnificus.*

[b] An patronus fisci, an Dominus feudi fuerit, inquiro. Tullius, offic. I: *Qui civitates aut nationes devictas bello in fidem recepissent, earum patroni erant more majorum.* GUSSANV.

[c] Ita Vatic. B, Rhem., Norm., etc., ubi vulgo leginus *quid debeat quam citius scrutari.*

[d] Multos habet Vectanus successores, qui quod eleemosynæ titulo donabatur debiti nomine exigunt tam importune, quosdam ut pœniteat fuisse liberales. GUSSANV.

[e] In Vatic. D, Rhem. et al., *bona de vobis, ut cupimus semper audire, renuntient.*

## EPISTOLA LXX.

AD PASSIVUM FIRMANUM EPISCOPUM.

*Oratorium sancti Savini consecret.*

Gregorius Passivo episcopo Firmano.

Valerianus, notarius Ecclesiæ fraternitatis tuæ, petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, in fundo Visiano juris sui juxta muros civitatis Firmanæ oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honore beati martyris Savini desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ parochiæ memorata constructio jure consistit, et nullum corpus ibidem constat [a] humatum, percepta primitus donatione legitima, id est in reditu solidos tres liberos a tributis fiscalibus, gestisque municipalibus alligata, prædictum oratorium absque missis publicis solemniter consecrabis; ita ut in eodem loco nec temporibus futuris baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Et si [b] missas ibi fieri forte maluerit, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur. [c] Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis.

## EPISTOLA LXXI.

AD CHRYSANTHUM EPISCOPUM SPOLETANUM.

*Sanctuaria sancti Savini Valeriano notario Firmano concedat.*

Gregorius Chrysantho episcopo Spoletano.

Valerianus notarius ecclesiæ Firmanæ sanctuaria beati martyris Savini oblata petione sibi postulat debere concedi, quatenus in ejus nomine **987** oratorium propriis constructum sumptibus possit solemniter consecrari. Et ideo, frater charissime, præfati desideriis ex nostro te mandato convenit obedire, ut devotionis suæ in consecratione quam postulat, potiatur effectu.

## EPISTOLA LXXII.

AD CONSTANTINUM NARNIENSEM EPISCOPUM.

*Ecclesiæ Interamnæ jam Visitatori administrationem integram committit.*

Gregorius [a] Constantino episcopo Narniensi.

Fraternitati vestræ Ecclesiæ [b] Terammanæ visitationis operam nos olim mandasse recolimus. Sed quia pervenit ad nos quod, peccatis facientibus, nec clerus illic, nec plebs tanta remanserit, quibus [c] debeat interimepiscopus ordinari, utile esse prospeximus eamdem Ecclesiam, vel quidquid ipsius est, quousque illam ut Domino placuerit ordinemus, vestræ Deo auctore dispositioni committere. Et ideo sollicitudinem vos convenit adhibere, ut quidquid de possessionibus Ecclesiæ ipsius in qualibet re accedere potuerit, [d] vobis vel in reparatione ejusdem Ecclesiæ sive cleri ipsius subventione proficiat; quatenus et vos remedium pro vestro labore capere, et illi aliquod valeant sustentationis habere solatium. [e] Mobile vero prædictæ Ecclesiæ facta subtiliter volumus describi notitia, nobisque transmitti, ut ex hoc quid fieri debeat, auctore Domino, disponamus. Circa actus autem, vel disciplinam cleri vel filiorum Ecclesiæ ipsius magnam te habere curam necesse est, atque ita insuper pastorali studio vigilare, ut de animabus eorum non culpabilis sis, sed apud omnipotentem Deum mercedem potius possis acquirere.

## EPISTOLA LXXIII.

AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

*Theodosium abbatem commendat, ne gravius in murorum vigiliis affligatur.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Filius noster Theodosius, abbas monasterii [a] quod a Liberio quondam patricio in Campaniæ partibus nostris esse constructum, a nobis precibus impetravit ut eum cum congregatione sua **988** vestræ deberemus gloriæ commendare. Asserit enim se [b] in murorum vigiliis ultra vires suas vehementer affligi. Petimus ergo gloriam vestram, ut, siquidem est possibile, de eodem per vos onere relevetur. Si vero ex toto ut non fiat hoc est omnino difficile, vel ita illi ex nostra commendatione ipsum levigantes pondus sollicitudinis temperetis, ut dum in Dei laudibus liberior vacare voluerit, pro vobis, cujus opere ut levationem aliquam habeat factum est, securior valeat Dominum exorare, sed et nostram sibi apud gloriam vestram sentiat epistolam profuisse.

EPIST. LXX [*Al.* 72]. — [a] De hac conditione sæpe apud Gregorium occurrente, lege Theodulfum, in Capitularibus, c. 9.

[b] In quinque Vatic., *missas sibi fieri.*

[c] Id est, reliquias. Vide supra Ep. 15.

EPIST. LXXI. *Al.* 73.

EPIST. LXXII [*Al.* 74]. — [a] Ita in Anglic., Norm. et Corb. In Vatic., *Constantio* vel *Constantino*. Prius legebatur, *episcopo Panormitano*, quod correxit Gussanvillæus ad sexdecim mss. Codices. Eumdem errorem jam deprehenderat Rochus Pirrus in notitia Siciliæ, tom. I, et Binius in Editione epist. sancti Gregorii inter concilia. De Narnia dictum in epist. 2 lib. II, indict. 10.

[b] In Vatic. A legitur, *Terracinensis*, quem secuti sunt plerique Editores. In cæteris autem tum Vaticanis, tum Norm., etc., *Teramnanæ*, quam lectionem propugnat Holstenius, annotat. in Italiam antiq., pag. 95. *Teramnanæ* dicitur pro *Interamnanæ*. Est autem Interamna, vulgo *Terni*, aut *Terani*, urbs Umbriæ episcopalis ad Narem fluvium inter Spoletum et Narniam. Unde Interamnates populi Ciceroni et Plinio.

[c] Vatic. D, *debeat iterum.*

[d] Idem Codex, *modis omnibus vel in reparationem..... sive cleri ipsius subventionem.*

[e] Cimelia supra, epistola 10, nunc 20, libro I. Gallice *les meubles, les biens meubles.* GUSSANV. In Vatic. D et Rhem. legitur *mobilia.* Retinuimus *mobile*, quod est aliorum Vatic., Corb., etc.

EPIST. LXXIII [*Al.* 75]. — [a] Idem forte monasterium cui olim Servandus sancti Patris Benedicti familiaris præerat; de quo lege lib. II Dialog., c. 35. Liberium illum fuisse præfectum prætorio Galliarum sub Theodorico et Athalarico Gothorum regibus censet Baronius. In ejusdem laudes excurrit Cassiodorus, lib. XI Variarum Epist. I.

[b] Non clericis modo, sed et monachis murorum incumbit custodia. Vide c. *Convenior.*, caus. 23, quæst. 8, et ejus sententiam concoque. GUSSANV.

## EPISTOLA LXXIV.

AD DOMNELLUM EROGATOREM.

*Singularem testatur benevolentiam. Excusat quoa, Castorio ad ipsum veniente, non scripserit.*

Gregorius Domnelo [a] Erogatori.

In nostra mente vestra magnitudo quantæ sit dulcedinis, ex vestra, ut suspicor, mente pensatis, quia, sicut scriptum est, amat anima amantem se. In eo ergo quod me diligitis, vos quoque a me diligi scitis. Et quod prius illuc Castorio chartulario nostro veniente vobis minime scripsi, non torporis fuisse credite, sed et ægritudinis et occupationis. Nam nos et præsentes vos videre cupimus, et absentibus colloqui saltem per epistolam desideramus. Unde et optamus ut vos beatus Petrus, apostolorum princeps, ad sua limina feliciter perducat, quatenus in omnipotentis Dei gratia perfrui præsentia vestra mereamur. [b] Mense Julio, indict. 2.

## EPISTOLA LXXV.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Misenatis Ecclesiæ visitationem injungit.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Cognoscentes [a] Misenatem Ecclesiam sacerdotis regimine destitutam, visitationis ejusdem Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid [b] aliud est in patrimonio ejusdem, a quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo charitas tua ad prædictam Ecclesiam **989** ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere festinet, ut, remoto contentionis studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, et cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri : provisurus ante omnia, ne huc [c] cujuslibet conversationis vel meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinis tui, quod absit, incurras.

## EPISTOLA LXXVI.

AD MISENATES.

*Fortunato Visitatori obediant, atque idoneum sibi eligant episcopum.*

Gregorius clero, ordini et plebi consistentibus Miseni.

Cognoscentes Ecclesiam vestram sacerdotis regimine destitutam, curæ nostræ fuit visitationem ejusdem Ecclesiæ fratri et coepiscopo nostro Fortunato solemniter delegare. Cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire et, remoto strepitu, uno eodemque consensu talem vobis præficiendum [a] expetere sacerdotem, qui et a venerandis canonibus nulla discrepet ratione, et tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et Visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus : provisuri ante omnia ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite ; sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

## EPISTOLA LXXVII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Importum, Attellanæ civitatis episcopi, testamentum discutiat. Tum Attellæ, tum Cumis aptum episcopum quantocius eligi procuret.*

Gregorius Anthemio [a] Campaniæ subdiacono.

Quorumdam ad nos relatione pervenit quod importunus, Attellanæ civitatis episcopus, dum de hac luce migraret, condito testamento **990** [b] in octo unciis totius substantiæ suæ nurum suam hæredem instituerit, et Ecclesiam suam in residuis quatuor. Hortamur ergo experientiam tuam ut sollicita inquisitione discutias; et quidquid Ecclesiæ ipsius esse patuerit, a qualibet persona detineri nullatenus patiaris, nisi hoc solum quod eum ante episcopatus ordinem proprium habuisse constiterit. Quidquid vero vel ante Ecclesiæ ipsius esse cognoveris, vel in episcopatus ordine prædictum episcopum acquisisse, in ejusdem Ecclesiæ conservetur dominio, ne quisquam exinde aliquid usurpare qualibet occasione

EPIST. LXXIV [*Al.* 78]. — [a] Is cui committitur erogatio. Vide Codic. lib. XII, tit. 38, legem præsertim 16 : *Solatium publicum erogator manu sua sine ullo dolo et fraude militibus enumeret*, etc. Qualem apud nos, *le trésorier de l'extraordinaire des guerres*, Erogator militaris annonæ. GUSSANV.

[b] Hæc supplevimus freti auctoritate Vaticanorum A, B, E, et duorum Colbert.

EPIST. LXXV [*Al.* 25]. — [a] Misenum urbs olim Episcopalis Campaniæ, cujus Roma metropolis. In plurimis Mss. et Editis legitur *Messenat.*, et in Ep. seq. *Messonæ*, pro *Miseni*; neque tamen hic agitur de Messanensi Ecclesia; ea enim de qua hoc loco scribitur vacabat, episcopo demortuo, Donus vero Messanensis episcopus non ante indict. 4 obiit. Vide epist. 46, indict. 4.

[b] In quatuor Vatic., *quidquid illud est.*

[c] Vatic. F, *ne ad cujuslibet conversationis meritum laicæ.*

EPIST. LXXVI [*Al.* 26]. — [a] Quinque Vatic., *expetite sacerdotem.*

EPIST. LXXVII [*Al.* 55]. — [a] Abest *Campaniæ* a Norm. Est in Colb. vet. et aliis non paucis.

[b] Qui ad integram hæreditatem advocabantur, hæredes *ex asse* dicebantur; qui e tribus partibus duas consequebantur, hæredes erant *in octo unciis*; qui unam tantum partem e tribus, *in quatuor unciis*. Nimirum as in duodecim uncias dividebatur. Semis significat dimidiam assis partem.

præsumat. Clerum vero plebemque ejusdem Eccesiæ A cum omni te volumus instantia commonere, quatenus præficiendum sibi sine dilatione aliqua eligant sacerdotem qui clerum plebemque vel res Ecclesiæ ipsius cauta regularique valeat observatione disponere. Pariter etiam clerum plebemque ipsius Eccesiæ vel aliarum quæ ei unitæ sunt instantius commoneto, quatenus et ipsi, omni mora dilationeque postposita, aptum sibi eligere debeant sacerdotem, ne diu, et tali præsertim tempore, pastoris proprii sint regimine [c] destituti.

## EPISTOLA LXXVIII.

AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

*Commendati ab ipso hominis finitæ citius negotia. Queritur quod de Constantinopolitani episcopi arrogantia nihil rescribat. Ligna cur non miserit longiora.* B

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.

Scripta dulcissimæ vestræ sanctitatis latore præsentium deferente suscepi, quæ mihi de ejus causa citius terminanda locuta sunt. Sed mox ut venit, qualiter possessio quam quærebat [a] ab Ecclesia nostra tenebatur agnovit, sibique ipsi citius rationem reddidit. Ea autem quæ cum aliis habuit sine strepitu decidit.

De causa vero de qua mihi omnino scribendum fuerat, nihil vestra sanctitas scripsit, in qua me et tardum esse judicavit; quæ ne fortasse in scandalo divisionis erumperet, ejusdem divisionis nolui auctor existere. Elegi enim ut ea [b] quæ secutura sunt, C per alios exirent. Sed subsequenti tempore Deo auctore probabitis, quia in causa [c] in qua Deo placere cupio homines non formido. [d] De qua vobis jam etiam in Constantinopolitanam urbem venientibus scribere curavi.

Ligna vero, sicut beatitudo vestra scripserat, majora paraveram; sed ita parva navis huc transmissa est, ut, nisi rescissa essent, ferre non posset. Quæ rescindi nolui, sed vestro judicio quid de his fieri debeat [e] reservavi. Si autem non sunt necessaria vobis, hic ea in aliis usibus aptabimus. Peto autem ut pro me enixius vestra sanctitas orare debeat, quia et podagræ doloribus, et [f] Barbarorum gladiis, et curarum afflictionibus incessanter premor. Sed si mihi orationis vestræ opem impenditis, credo quod me D contra adversa omnia fortiter juvetis. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 67.)

## 991 EPISTOLA LXXIX.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Ipsi et Castorio de Maximo commendat judicium, cujus modum præscribit.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Quæ de causa Maximi sint agenda, [a] ex epistolis quas ad vos ante transmisimus agnovistis. Sed quia qualis hac de re fraternitatis vestræ voluntas sit, ac magis petitio, præsentium latore Castorio chartulario nostro renuntiante cognovimus; ideoque si idem Maximus coram vobis et prædicto chartulario nostro de simoniaca hæresi, præstito se sacramento, purgaverit, [b] atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris, sicut scripsimus, tantummodo requisitus, liberum se esse responderit; causam ipsius fraternitatis vestræ, B de eo quod excommunicatus missarum solemnia agere præsumpsit, judicio committimus, qua debeat pœnitentia talis culpa purgari. Et ideo quidquid vobis secundum Deum placet, securi disponite, nec aliquid de nobis dubium habeatis. Nam quidquid a vobis hac de causa fuerit ordinatum, nos et grate suscipimus, et libenter admittimus. Hortamur tamen ut debeatis esse solliciti, et ita quæ fienda prospicitis temperetis, quatenus et illi, si ita videbitur, benigne præstetis, et vigoris ecclesiastici genium, ut oportet, congrua dispensatione servetis. Suprascriptum vero portitorem in præsenti quid vobiscum ei sit agendum, instruximus. A quo cuncta subtiliter addiscentes, sic vos in omnibus exhibete, ut in vestra sollicitudine nostram fuisse præsentiam sentiamus. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 13.)

## EPISTOLA LXXX

AD CASTORIUM NOTARIUM.

*Det Maximo epistolam suam redditæ communionis et gratiæ testem; modo purgatus ille ac pœnitens Sabinianum et alios in charitate suscipiat.*

Gregorius Castorio Notario.

Quanto credi tibi a nobis et necessarias vides causas injungi (*Grat.* 2, *q.* 5, *c.* 8), tanto te strenuum debes et sollicitum exhibere. Proinde si Maximus Salonitanus, præstito sacramento, firmaverit se simoniaca hæresi non teneri, atque de aliis ante corpus sancti Apollinaris tantummodo requisitus, innoxium se esse responderit, et de inobedientia sua pœnitentiam, sicut deputavimus, egerit, volumus ut ad consolandum illum epistolam quam ad eum scripsimus, D ubi ei et gratiam nostram et communionem nos reddidisse signavimus, experientia tua dare debeat.

[c] In Vulgatis *destitutæ*. Contradicunt quinque Vatic., Norm., omnes Colb., Teller., etc. In utroque Teller. subjicitur *Mense Julio, indict.* 2.

EPIST. LXXVIII [*Al.* 69]. — [a] Vatic. D, E, F, *ab Ecclesia vestra*; suffragatur Rhemens.

[b] In nonnullis Vatic. et Rhem., *quæ obscura sunt*. In Colbert., *quæ secura*, forte compendiose pro *secutura*.

[c] In Vatic. B, E, F, *in qua Deo placere conspicio, homines*.

[d] Vide epist. 43, olim 36, indict. 13; et sup., epist. 70, nunc 68, quam etiam ad Eulogium missam crediderim. Quid in ea synodo Constantinopolitana gestum fuerit non liquet. GUSSANV.

[e] Male in Vulgatis, *reservari*.

[f] Ex superiori epist. 42 videtur pax confecta. Sed paulo post bellum recruduit, ut in Vita sancti Gregorii diximus.

EPIST. LXXIX [*Al.* 80]. — [a] Lege supra epist. 10.

[b] In hom. 32 in Evangelia, num. 6, consuetudinis illius meminit sanctus Doctor: *ad extincta*, inquit, *eorum* (martyrum) *corpora viventes ægri veniunt, et sanantur: perjuri veniunt, et a dæmonio vexantur*.

Quia sicut in contumacia persistentibus severos nos esse convenit, sic iterum humiliatis et pœnitentibus negare locum veniæ non debemus.

Præterea de fratre nostro Sabiniano episcopo Jadertino, **992** atque Honorato archidiacono Salonitano, vel aliis qui se ad sedem apostolicam contulerunt, cum eodem Maximo omnino studiose agendum est, ut illos in ea qua decet charitate recipiat, et dolorem contra eos nullo modo in corde retineat, sed pura cum eis gratia et sincera dilectione vivat.

## EPISTOLA LXXXI.

AD MAXIMUM SALONITANUM EPISCOPUM.

*Obedienti, pœnitenti, ac purgato reddit gratiam et communionem, atque usum pallii concedit.*

Gregorius Maximo episcopo Salonitano.

Quamvis culpabilibus ordinationis tuæ primordiis [a] grave malum per inobedientiæ culpam addideris, nos tamen sedis apostolicæ auctoritatem eo quo decuit moderamine temperantes, nunquam contra te [b] usque ad hoc quod causa poscebat exarsimus. Sed ut longius se [c] ingratitudo nostra quam tu tibi excitasti produceret, credita nos sollicitudo vehementer angebat, ne quædam illicita quæ de te audieramus, negligenter omittere videremur. Quæ si bene consideres, ipse per te satisfacere differendo firmabas, atque ex hoc adversum te zelum nostrum acrius incitabas. At ubi tandem, salubri consilio usus, jugo te obedientiæ humiliter submisisti, et tua dilectio, pœnitentiam agens, digna se, ut deputavimus, satisfactione purgavit, redditam tibi gratiam fraternæ charitatis intellige, atque in nostro te receptum consortio gratulare, quia sicut perseverantibus in culpa districtos, ita resipiscentibus nos benignos esse decet ad veniam. Postquam ergo fraternitas tua apostolicæ sedis communionem se reparasse cognoscit, [d] personam ad nos transmittat, quæ pallium tibi deferendum ex more percipiat. Nam quemadmodum illicita perpetrari non patimur, sic quæ sunt consuetudinis non negamus (*Grat. dist.* 12, *c.* 9). Licet autem et ad hæc concedenda [e] dispensatio nos loci nostri vocaverit, multum tamen a nobis petitio dulcissimi atque excellentissimi filii nostri Domni Callinici exarchi ut temperantius erga te ageremus exigit. Cujus charissimam voluntatem nec pertulimus, nec potuimus contristare. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 15.)

## EPISTOLA LXXXII.

AD ANATOLIUM DIACONUM CONSTANTINOPOLITANUM.

*Marcellino de Romana Ecclesia bene merito faveat, atque ipsum apud imperatorem excuset.*

Gregorius Anatolio diacono Constantinopolitano.

Bonis devotisque filiis ita nos opere dignum est respondere, ut quia debitum reddimus, **993** id quod ultro nos convenit impendere duplicemus. Quia igitur lator præsentium filius noster magnificus [a] Marcellinus sic in causa se fratris et coepiscopi Maximi atque Istricorum exhibuit, et in Ecclesiæ nostræ utilitates festinat impendere, ut sinceritatis suæ affectum non solum verbis, sed etiam opere magis magisque valeat demonstrare, idcirco dilectionem tuam his hortamur affatibus, ut ei in urbe regia venienti toto studio, totaque intentione concurras, atque eum ita in omnibus tuis studeas solatiis adjuvare, ut, omnipotentis Dei ac tuis fultus auxiliis, minus illic debeat laborare. Quem etiam ita sicut revera nostrum proprium attendere, atque ei effectum [b] tuæ charitatis in omnibus studebis impendere; quatenus et de præteritis sibi vicem redditam recognoscat, et magnam de futuro devotionis suæ, quam se ecclesiasticis exhibere utilitatibus pollicetur, spem possit retributionis assumere. Quoniam vero, quantum didicimus, prædictum magnificum filium nostrum [c] serenissimus domnus imperator ad sua sub festinatione jusserat vestigia properare, quæsita opportunitate, inferre te convenit quia non inobedientiæ culpa, sed fratris et coepiscopi nostri Maximi eum causa retinuit. Quæ etsi tarde, finem tamen eo studente percepit. Hoc autem dilectionem tuam voluimus sollicite attendere, ne se in quacunque causa ubi gravamen est pauperum, misceri consentiat; [d] ne forte, potentia personarum aliquatenus pressus, cogatur agere quod animæ illius non possit expedire. Cuncta ergo cum Dei timore tractantes, æternam maxime mercedem perpendite.

## EPISTOLA LXXXIII.

AD FANTINUM DEFENSOREM PANORMITANUM.

*Januariam ab Anastasii et Bonifacii molestiis tueatur.*

Gregorius Fantino defensori Panormitano.

Januaria præsentium latrix maximam se molestiam ab ingenuo Anastasio atque Bonifacio contra justitiam pati commemorat, adeo ut possessione quam per plurimos annos asseritur possedisse [a] eam, sicut ipsa ait, nitantur expellere. Et quia contra eos se ecclesiastica debere petiit tuitione defendi, experientia tua prædictos viros ad se evocet, eosque admoneat ut illi mali facere nihil præsumant. Sed si quid sibi contra suprascriptam mulierem credunt juste posse competere, judices cum ea eligant, et quæ inter eos fuerint definita, tuo pro quiete partium solatio compleantur. Si vero eos differre [b] cognoveris, antefatæ mulieri, salva æquitate, tuitionem impendas, et eam

EPIST. LXXXI [*Al.* 82]. — [a] Rhem. et tres Vat., *gravem aliam, per inobedientiam culpam addideris.*

[b] Excusi, invitis mss., *usque adhuc.*

[c] De hac voce supra, epist. 3, nunc 5, hic significat, Gall., *Disgrâce que vous aviez encourue auprès de nous.* Varie hanc vocem usurpat pro libitu. GUSSANV.

[d] Iis verbis evidenter probatur epistolam cardinalium Romanorum ad Agnetem imperatricem, quæ inter epistolas sancti Petri Damiani, lib. VII, quarta legitur, fundamento male materiato et ruinoso nixam. GUSSANV.

[e] Administratio pontificalis, officium sedis apostolicæ. GUSSANV.

EPIST. LXXXII [*Al.* 83]. — [a] Is erat Dalmatiæ proconsul. Vide epist. 5, supra.

[b] Vatic. A, in quo fere solo reperitur hæc epistola (deest enim in Norm., Anglic., Vaticanis aliis, Rhem., Colb.) habet *effectum meæ charitatis.* Remig. et San Victor., *affectum meæ charitatis.*

[c] Remig., *serenissimus filius imperator.*

[d] Idem Codex, *ne fortasse si potentiæ personarum aliquatenus possint, cogatur.*

contra rationis ordinem nullo modo gravari permittas.

## 994 EPISTOLA LXXXIV.

AD BENENATUM TUNDARITANUM EPISCOPUM.

*Ut oratorium in honorem sanctorum Severini et Julianæ consecret.*

Gregorius Benenato episcopo [a] Tundaritano.

Januaria, religiosa femina, petitoria nobis insinuatione suggessit, quod habetur in subditis, in massa Furiana juris sui oratorium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem sanctorum Severini confessoris et Julianæ martyris desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ parochiæ memorata constructio jure consistit, et nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est in reditu [b] præstantes liberos a tributis fiscalibus solidos decem, [c] gestisque municipalibus alligata, prædictum oratorium absque missis publicis solemniter consecrabis; ita ut in eodem loco nec futuris temporibus baptisterium construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed si [d] missas ibi fieri suprascripta conditrix forte voluerit, a dilectione tua presbyterum noverit postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur. Sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis.

## EPISTOLA LXXXV.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM.

*Januariæ reliquias sanctorum Severini et Julianæ dare jubet.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano

Januaria, religiosa femina, sanctuaria beatorum Severini confessoris et [a] Julianæ martyris oblata petitione sibi postulat debere concedi, quatenus in eorum nomine oratorium propriis sumptibus constructum possit solemniter consecrari. Et ideo, frater charissime, præfatæ desideriis ex nostra te præceptione convenit obedire, ut devotionis suæ in consecratione quam postulat potiatur effectu.

## EPISTOLA LXXXVI.

AD CONSTANTIUM MEDIOLANENS. EPISCOPUM.

*Reliquias ea lege concedit, ut prius servientium alimoniis provideatur quam dedicetur locus.*

Gregorius Constantino episcopo Mediolanensi.

Lator præsentium Eventius, diaconus fraternitatis vestræ, [a] nobis inter alia intimavit sibi a vobis injuncta ut reliquias beati Pauli apostoli, sed et beatorum Joannis et Pancratii per eum **995** ad vos dirigere deberemus. Quam petitionem vestram curavimus effectui mancipandum. Fraternitas ergo vestra solito studio perscrutari non differat, quatenus in locis quibus recondendæ sunt, luminaria vel [b] alimonia ibidem servientium ante dedicationem loci ipsius debeant profligari, et tunc in eisdem locis directa sanctuaria sui cum reverentia collocentur, ne loca Deo dicata, si prædicta provisio omissa nunc fuerit, futuris temporibus destituta, quod absit, servientium reperiantur obsequiis.

## EPISTOLA LXXXVII.

AD GAUDIOSUM EUGUBINUM EPISCOPUM.

*Tadinatis Ecclesiæ visitationem delegat.*

Gregorius Gaudioso episcopo [a] Eugubino.

Cognoscentes [b] Ecclesiam Tadinatem diu sacerdotis proprii regimine destitutam, fraternitati tuæ ejusdem Ecclesiæ visitationis operam solemniter delegamus. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem, a quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo fraternitas tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere festinet, [c] ut, remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litteratum, ad nos sacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis impendis officium nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri: provisurus ante omnia [d] ne ad hoc cujuslibet conversationis seu meriti laicæ personæ aspirare præsumant, et tu periculum ordinationis tuæ, quod absit, incurras.

## EPISTOLA LXXXVIII.

AD TADINATES.

*Gaudioso episcopo visitatori obediant, atque idoneum sibi eligant sacerdotem.*

Gregorius clero, ordini et plebi Tadinati.

Cognoscentes Ecclesiam vestram diu sacerdotali

EPIST. LXXXIII [*Al.* 84]. — [a] Remig., *etiam sicut ipsa ait, nitantur.*

[b] Vulgati, *cognoverit.... impendat..... permittat.*

EPIST. LXXXIV [*Al.* 85]. — [a] Male in Editis, *Fundaritano*; deberet tamen legi Tyndaritano. Tyndaris seu Tyndarium olim urbs Siciliæ, nunc excisa. In vet. Colb. et Reg., legitur *Venato episcopo Tundari.*

[b] Norm., *præstantibus liberis*, etc.; concinit Corb.

[c] In Corb., Norm. et duobus Vatic., *gestisque municipalibus allegata.* In Corb. tamen, pro *municipalibus*, legitur, *mancipalibus.*

[d] In Norm., Colbert., Corb,, etc., *missas sibi.*

EPIST. LXXXV [*Al.* 86]. — [a] In Vatic. F. *Juliani martyris.* Cæterum hæc epistola vix discrepat a 71, supra, et 31, indict. 4.

EPIST. LXXXVI [*Al.* 87]. — [a] Excusi, *nobis talia intimavit.* Prætulimus lectionem Vatic. B, D, E, Norm., Corb., Rhem., Colbert. In Corb. tamen, pro *intimavit*, habes *nuntiavit.*

[b] Ita quinque Vatic., Norm. omnes, Corb., Colb., Rhem. ac vet. Ed. In recentioribus *alimoniæ..... debeant erogari.* Vide not. ad epist. 78 libri I.

EPIST. LXXXVII [*Al.* 88]. — [a] Eugubium, vulgo *Eugubio*, urbs olim Umbriæ ad radices montis Apennini, nunc adhuc episcopalis, ducatus Urbinatis, Romano pontifici immediate subjecta.

[b] Tadinum fuit urbs Umbriæ, cujus sedes episcopalis juncta est Nucerinæ. Ejus vestigia visuntur via Flaminia prope Gualdum, vulgo *Gualdo.* Holstenius, annotat. in Ital. antiq. Cluverii, ait male apud Cluverium et Procopium haberi *Taginates*, ut ad apud Plinium, lib. III, cap. 14. *Tardinates*, pro *Tadinates.* GUSSANV.

[c] Vatic. A, *remoto strepitu.*

[d] Quatuor Vatic. et Colbert., *ne ad cujuslibet conversationis meritum laicæ*, etc.

regimine destitutam, curæ nobis fuit ejusdem Ecclesiæ visitationem fratri et coepiscopo nostro Gaudioso **996** Eugubinæ Ecclesiæ solemniter delegare. Cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu ministeriisque a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire, et, remoto strepitu, uno eodemque consensu talem vobis præficiendum expetere sacerdotem, qui et a venerandis canonibus nulla discrepet ratione, et tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: provisuri ante omnia [a] ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere. Et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione provehetur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite. Sed omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

## EPISTOLA LXXXIX.

AD SEVERUM ANCONITANUM EPISCOPUM.

*Æsinæ civitatis visitationem injungit.*

Gregorius Severo episcopo Anconitano.

Postquam [a] civitas Ausina, Deo juvante, recuperata est, atque a republica teneri dignoscitur, magna de Ecclesia ipsa sollicitudo habenda est, maxime quia gloriosus filius noster Bahan magister militum a nobis pro hac re auxilium sperasse dignoscitur; atque ideo ad fraternitatem tuam præsentia curavimus scripta dirigere, ut eidem Ecclesiæ ex more visitator accedas. Quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, *etc.*, *ut supra*, *epistola* 87.

## EPISTOLA XC.

AD ÆSINENSES.

*Severo episcopo visitatori obediant, dignumque sibi eligant episcopum.*

Gregorius clero, ordini, et plebi Ausinæ civitatis.

Cognoscentes Ecclesiam vestram diu pastorali sollitudine destitutam, postquam civitatem vestram recuperatam, et in jure reipublicæ, auxiliante Domino, cognovimus restitutam, curæ nobis fuit Ecclesiæ vestræ visitationem fratri et coepiscopo nostro Severo Anconitanæ civitatis episcopo solemniter delegare. Cui etiam dedimus in mandatis, *etc.*, *ut supra*, *epistola* 88.

## **997** EPISTOLA XCI.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Barbatianum, si cautus sit in regimine et humilis in suo sensu, abbatem instituat.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Quia servorum Dei pater, quem in Neapolitanam civitatem transmiseram, Deo, sicut ei placuit, disponente defunctus est, visum mihi est latorem præsentium Barbatianum monachum pro eorumdem monachorum gubernatione transmittere. Quem ad præsens præpositum esse decernimus, ut si ejus vita tuæ fraternitati placuerit, hunc post aliquantum temporis eorum patrem debeas ordinare. Sunt enim bona quæ in eo placent. Sed hoc est in illo vehemens vitium, quia valde sibi esse sapiens videtur. Ex qua radice quam multi rami peccati valeant prodire, patenter agnoscitur. Tua itaque sanctitas circa eum sollicite invigilet; et si hunc cautum in regimine et humilem in suo sensu fieri cognoverit, tunc eum ad abbatis honorem, Deo auctore, perducat. Si vero minus in humilitate proficit, ejus ordinationem differat, mihique renuntiet. (*Vide l.* x, *ep.* 24.)

## EPISTOLA XCII.

AD VICTOREM PANORMITANUM EPISCOPUM.

*Præcoritano monasterio presbyterum ex ipsis monachis ordinet.*

Gregorius Victori episcopo Panormitano.

Desiderium quod ad religiosum propositum et animarum salutem pertinere monstratur, sine aliqua, Deo auctore, est dilatione complendum. Et ideo quia monachorum congregatio quæ in monasterio Præcoritano consistit [a] pro sacris missarum solemnibus peragendis presbyteri indigere probatur officio, atque de sua sibi congregatione in hoc ordine postulant consecrandum, fraternitatem vestram scriptis præsentibus adhortamur, ut eum quem sibi de congregatione sua unanimes duxerint eligendum, in prædicto monasterio sine mora vel excusatione aliqua presbyterum debeat ordinare, atque eum nec

Epist. LXXXVIII [*Al.* 89]. — [a] Colbert. et duo Vatic., *ne ad cujuslibet vitæ meritum.*

Epist. LXXXIX [*Al.* 90]. — [a] Legendum videtur *Æsina*, vel *Auxima Æsis*, vulgo *Jesi*, et *Auximum*, vulgo *Osimo*, in Piceno, nunc Marchia Anconitana positæ sunt. Ancona æquali fere spatio distant, nempe Auximum duodecim m. ad occasum, Æsis vero quindecim m. ad meridiem. Utraque adhuc episcopalis et Romano pontifici immediate subdita.

Epist. XC. *Al.* 91.

Epist. XCI. *Al.* 92.

Epist. XCII [*Al.* 93]. — [a] De confessionibus audiendis altum silentium observo. Scilicet non peccabant peccato ad mortem; venialia aliis expiabant remediis. Nostrum morem omnino diversum non vellico, absit. Veterum quis fuerit rimari, veritatis interest. Mutat pietas suos ritus: tunc sacerdotum missarumque paucitate gaudebat; nunc multitudine gloriatur. Tunc rara quidem, sed vera pœnitentia, claviumque usus magis publicus; nunc secretus frequens, ne dicam sæpius præceps, pœnitentiæ fructus prævertens; et si quando deest matura discretio, abortivus. Uno verbo non apparet Pachomios, Paulos, Antonios, Chrysostomos, Ambrosios, Augustinos, aliosve sanctioris vitæ viros ad pedes confessoris fuisse assiduos. Hac nostra ætate quo quisque melior, eo frequentius ad pœnitentiæ tribunal se reum sistit. Nec hanc, nec illam praxim improbo; non enim una omnes in cœlum tendimus via. Gussanv. Ex Gregorii silentio perperam infert Gussanvillæus monachos tunc a confessione abstinuisse, quod non peccarent peccato ad mortem. Certe in tractatu Gallico de Confessione contra Dallæum probavimus, I parte, cap. 13, in fine, et cap. 17, confessionis usum pro culpis venialibus expiandis. Vide etiam cap. 20 Edit. Paris., pag. 240 et seq. Itaque Gregorius in assignando presbyteri officio meminit tantum missæ celebrandæ, tanquam præcipuæ præstantiorisque actionis, non tanquam unici muneris, cum et infirmos ungerent, et mortuorum sepulturis præessent, et confessiones pœnitentium exciperent, etc.

in Ecclesia, nec in loco alio [b] observare, sed illic jugiter permanere ex nostra quoque auctoritate constituat; quatenus et ille dum alibi non fuerit occupatus, in officio suo assiduus possit et utilis inveniri, et congregatio quæ sibi eum postulat ordinari, **998** [c] quoties necesse fuerit, sacrificii solemnitatem veneratione debita celebrantes, valeant refoveri.

## EPISTOLA XCIII.

### AD GULFAREM MAGISTRUM MILITUM.

*Post laudatum illius in schismaticis ad Ecclesiam reducendis zelum, ad perseverantiam et revertentium protectionem hortatur.*

Gregorius Gulfari magistro militum.

Latores præsentium de Istriæ ad nos partibus venientes tanta nobis bona gloriæ vestræ retulerunt, ut in reddendam nos vobis gratiarum actionem vehementer accenderent. Cognovimus namque quod inter curas injunctæ vobis gubernationis illarum partium præcipuam de animarum lucris sollicitudinem habeatis, et ita errantium corda ad unitatem festinare vos Ecclesiæ revocare, ut, quantum ad desiderium vestrum pertinet, nullum illic ab apostolica segregatum remanere velitis Ecclesia; tantusque vos beati Petri apostolorum principis amor accenderit, ut ovile ipsius [a] cui a Domino omnium Creatore claves sunt traditæ summo redintegrare cum desiderio cupiatis. Habe, gloriose fili, ex tanto talique opere præfixam de divina retributione fiduciam, in qua vos non solum nostra adhortatio, sed et apostolicus quoque sermo confirmat, quia is qui converti fecerit peccatorem ab errore viæ suæ, salvabit animam ejus a morte, et operiet multitudinem peccatorum (*Jac.* v). Quantalibet enim sit temporalis affluentia, vel certe prosperitas, habet finem suum, terminum mortis. Hoc vero quod de animarum lucris apprehendistis studium, tenet fixam spei suæ certitudinem, æternæ scilicet vitæ retributionem. Quapropter, præmisso paterno salutationis affectu, hortamur gloriam vestram ut pro unitate sanctæ fidei zelum quem vobis ipse unitatis auctor tribuit studiosius peragatis, [b] et quosque potueritis in sinum matris Ecclesiæ ab schismatis sui revocantes errore, adhortatione continua foveatis. Hoc etiam peragentes, ut et quos per vos Dominus suo ovili redintegrari concesserit, ita defensionis vestræ solatiis protegatis, ut non sit quo hi qui adhuc in errore sunt positi, revertentes ad salubre consilium, [c] valeant applicare. Dum enim vos causas Dei in terra agitis, ipse et hic actus vestros protectionis suæ feliciter ope disponit, et in æterna vobis vita quam cupitis pro tanto bono vestro [d] retributio existet.

## 999 EPISTOLA XCIV.

### AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Istros quosdam, ut in Siciliam ad episcopum suum cito perveniant, adjuvet. Episcopum ipsum ut Romam veniat adhortetur, atque itineris expensam præbeat.*

Gregorius Romano defensori.

Præsentium portitores huc de Istriæ partibus venientes ad episcopum suum, qui nunc in Siciliæ degit partibus, cum nostro se pergere solatio poposcerunt, quos hinc ordinantes fecimus ambulare. Suscipiens ergo eos experientia tua ordinet qualiter ad prædictum episcopum suum velocius valeant pervenire; ne, sicut astruunt, schismaticorum illarum partium eos alii ad persuadendum præveniant. Quantum enim indicant, ipse episcopus pro unitate fidei ad nos habet desiderium veniendi. Concurrendum ergo illis est, ut bona quæ cupiunt, Domino adjuvante, valeant perficere. Sed experientia tua aut per se, si in vicino est, aut suis epistolis, eumdem episcopum adhortetur, ut, propitiante Domino, ad apostolorum limina properare festinet, sciturus quod a nobis cum omni suscipietur affectu. Cui expensam itineris qualiter ad nos perveniat præbere te volumus. Sin vero onerosum illi est huc venire, et Siciliam habitare disponit, atque in unitate Ecclesiæ apud scripturarum perversores cum cautela permanere consentit, et hoc nobis tua suggestione indicare non differas, ut qualiter illic consultum habere valeat expensare auxiliante Domino disponamus. Sed et harum latores quemadmodum ad eumdem episcopum suum veniant tuæ concursionis sit atque solatii, ut venientes a nobis nihil minus sentiant.

## EPISTOLA XCV.

### AD CALLINICUM ITALIÆ EXARCHUM.

*Quosdam Ecclesiæ unitati redditos ac Roma in Istriam redeuntes commendat.*

Gregorius Callinico exarcho Italiæ

Apud excellentiam vestram [a] tanto nobis quæ petimus speranda sunt, et velut impetrata jam credimus, quanto et hoc quod petitur ab officio nostro non discrepat, et vos inter curas fluctuationum sæcularium æternæ quoque ex hoc cumulus retributionis exspectat. Harum siquidem latores de Istriæ ad nos partibus venientes, schismaticorum, inter quos erant positi, vitantes errorem, unitati Ecclesiæ subdi salubriter cupierunt. Quorum boni intentionem

[b] De hac voce jam supra diximus ad epist. 6 lib. VIII, indict. 1, et infra dicemus, lib. x, epist. 10. *Observatio* eodem sensu legitur epist. 28 ejusdem libri.

[c] In Vulgatis, *quotiens necesse fuerit, ipso sacrificii solemnitatem.... celebrante, valeat refoveri;* reluctantibus Mss. Anglic., Norm., Corb. et pler. Vaticani tantisper dissentiunt tum ab Excusis, tum a cæteris Mss., ut et Remig. et San-Victor

EPIST. XCIII [*Al.* 96]. — [a] Ita ope Vatic. A restituimus. Corruptum autem videtur quod legitur in *San-Victor.* et in Editis, *cui a Domino omnes creaturæ sunt traditæ.*

[b] In Vatic. A, *et quousque potueritis*

[c] Ibidem, *valeant amplius hæsitare.* Applicare hic videtur idem esse, ac apud principem aut judices accusare. Exod. XXII, 8, juxta Vulgat. vers. *applicabitur ad deos;* juxta hebr. fontem, *adducetur ad deos,* seu ad judices; et vers. 9, *ad deos,* id est ad judices, *utriusque causa perveniet.*

[d] Idem Codex, *retributor existit.*

EPIST. XCIV. *Al.* 97.

EPIST. XCV [*Al.* 98]. — [a] In aliis Ed., *quæ petimus velut.*, etc. Restituimus hunc locum ex Mss. Vatic., Rhem., Reg., etc. In quatuor tamen Vaticanis omittitur *quæ petimus.*

operis perpendentes, in sinum matris Ecclesiæ competenti cum exhortatione suscepimus, eosque nostræ desiderantes Ecclesiæ militare grate concessimus. **1000** Quapropter præmisso excellentiæ vestræ paternæ salutationis affectu, petimus ut eos pro bono desiderii sui quo ad apostolorum principis petram solidam concurrerunt, ne fluctuantium adhuc erroribus misti naufragium desperatæ salutis incurrerent, habere dignemini commendatos; quaquatenus ad propria remeantes nullis propter hoc bonum quod appetisse noscuntur perversorum inquietudinibus perturbentur, sed magis in omnibus auxilium vestræ tuitionis inveniant; ut ex eorum quiete aliorum adhuc in schismate positorum corda flectantur, atque horum per bonum vestri patrocinii provocati sequaces existant. Ad augmentum namque mercedis vestræ pertinet, si inter curas bellicas, sicut corpus ab exteriori hoste, sic animam ab interni insidiatoris impugnatione protegitis.

## EPISTOLA XCVI.

### AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Eosdem commendat quos supra.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Latores præsentium ad nos de Istriæ partibus venientes, unitati se Ecclesiæ subdi, auxiliante Domino, cupierunt. Quos pro sui laude desiderii cum affectu suscepimus, eosque, [a] de conversatione adeptæ unitatis præmissa exhortatione, nostræ quoque, sicut eorum desiderium erat, Ecclesiæ [b] fecimus militare. Quos fraternitas vestra gratanter excipiat, eisque opem, ut exegerint, libenter impendat; quatenus ad propria revertentes [c] nullis in bono operis sui perversorum inquietudinibus fatigentur. Magis autem apud excellentissimum filium nostrum exarchum id studiosius peragite, ut suis illos jussionibus apud eos quorum illic interest securos in omnibus reddat, ut horum quiete aliorum quoque adhuc in schismate positorum animi ad conversionis gratiam provocentur.

## EPISTOLA XCVII.

### AD HABITATORES INSULÆ CAPREÆ.

*Gratulatur de imperturbato ecclesiasticæ unitatis amore. Mariniano mandatum de constituendo illis episcopo schismatis inimico.*

Gregorius habitatoribus [a] Capreæ insulæ Istriæ provinciæ consistentibus.

[b] Redemptor noster, Dei hominumque Mediator, conditionis humanæ non immemor, sic imis summa conjungit, ut ipse in æternitate permanens ita temporalia occulto instinctu pia consulens moderatione disponat, quatenus de ejus manu antiquus hostis nullatenus rapiat quos ante sæcula intra sinum matris Ecclesiæ coadunandos esse **1001** præscivit. Nam etsi quisquam eorum inter quos corporaliter degit, flatibus motus, ad tempus ut palmes titubet, radix tamen rectæ fidei, quæ ex occulto prodit, divino judicio virens manet, quæ accepto tempore fructum de se ostentare valeat qui latebat. Quod in vobis nunc ex desiderio vestro gestum esse superni respectus illustratione cognoscimus, qui, schismaticorum inter quos habitatis pertinaciam refutantes, coadunari ovili dominico mente promptissima ipsa rei operatione monstratis. Quibus enim scissura displicet, sanos se velle esse testantur, et reprobantes errorem, ostenditis vos amare quod rectum est, vitare quod devium. Hinc est quod nos et vestra dudum directa petitio, et latorum præsentium, responsalium vestrorum salubria postulantium lætificavit adventus, per quos significastis vos et devios reprobare gressus errantium, et rectum salutis iter quærere, per quod, unitati vos sanctæ Ecclesiæ reformantes, ad retributionem bene operantium, [c] qui intra ejus sinum constituti sunt, debitam tenderetis. Unde sic laudabilem vestræque in æternum animæ profuturam voluntatem vestram cum omni gaudio sumus libenter amplexi; hoc cum Domini auxilio disponentes, ut si quidem episcopus quem vobis in vestra reformari petiveratis Ecclesia, a schismaticorum lapsu se segregans, Ecclesiæ voluerit unitati conjungi, fratri et coepiscopo nostro Mariniano evidenter scripsimus qualiter petitionem vestram ex nostra auctoritate debeat confirmare. Sin vero, quod optandum nobis non est, ab illorum se noluerit schismate separare, idem quomodo vestra Ecclesia proprium habere valeat sacerdotem, prædicto fratri et coepiscopo nostro scripsimus; quatenus in utroque et pia mentis vestræ devotio sortiatur effectum, et grex dominicus contra insidiantis inimici jacula sit securus.

## EPISTOLA XCVIII.

### AD THEODORUM RAVENNÆ CURATOREM.

*Pacis in eo studium laudat. Monet juratam dolose ab Ariulfo pacem. Pactum ipse sua manu subscribere recusat. Augusti causam ad justitiæ leges finiendam. Mœrentem consolatur Theodorum, ad quem mittere responsalem parat.*

Gregorius Theodoro [a] curatori Ravennæ.

Licet multa de vobis ad nos olim, referentibus responsalibus nostris, quæ animos nostros lætificarent pervenerint, nunc tamen remeans filius noster Pro-

Epist. XCVI [*Al.* 99]. — [a] Vatic. A, B, E, *de conservatione*, consentiente Regio.

[b] Hunc locum varie exhibent Mss. In Turon. et tribus Vatic. legitur *noscimur militasse*; procul dubio pro *noscimus*, uti habet Corb. In Rhem., *Ecclesiæ noscimus permisisse militasse*. In Vatic. D, *Ecclesiæ noscitur permittere militasse*, sed corrupte.

[c] Veteres Ed., *nullis* (*ut boni operis sui pæniteant*) *perversorum*, etc., quibus favet Vatic. A. In recent. Vulgatis, *nullis*, *ut bonum operis sui peragere valeant*, *perversorum*. Lectionem nostram exhibent Turon., Corb. tres Vatic., etc. In nonnullis tamen, pro *in bono*, legitur *in bonum*.

Epist. XCVII [*Al.* 100]. — [a] In Ed. tantum legitur *Capreæ insulæ*. Reliqua supplevimus ex Mss. Anglic., Norm., Rhem., Corb., etc. In Regio, ad marginem, legitur *Caprianæ insulæ*.

[b] In exordio repræsentat doctrinam sancti Pauli ad Rom., VIII, 30, quam tot libris sanctus Augustinus explicavit adversus Pelagianos. Gussanv.

[c] Remigianus et Reg., *quæ intra ejus sinum constituta est*.

Epist. XCVIII [*Al.* 103]. — [a] Erat forte magistratus municipalis, qui annonæ civitatis curam gerit;

bus abbas tanta de gloriæ vestræ amplius charitate A retulit, quanta de bono revera et christianissimo decet filio prædicari. Et quoniam tantum sibi affectum a vobis impensum ac tale studium in ordinanda pace vos habuisse narravit, quale nec in nostris civibus qui illic ante inventi sunt exstitit, supernæ protectionis misericordiam postulamus, ut hanc vobis vicem, **1002** in corpore et in anima, et hic et in futuro retribuat, qui pro multorum salute vigilanter agere quæ erant utilia non cessastis.

Indicamus itaque [b] Ariulfum de servanda pace, non ut rex ipsius juravit, sed sub conditione si sibi in quoquam excessum non fuerit, aut si nullus contra Arogis exercitum ambulaverit, sacramenta præstitisse. Quod quia omnino iniquum et dolosum est, B nos tanquam si non jurasset habemus, quia in aliquid parum facilem sibi excedendi occasionem inveniet, et plus nos [c] si de eo suspecti non fuerimus decipiet. Warnilfrida vero, ad cujus non consilium idem Ariulfus cuncta agit, omnino jurare despexit. Et id contigit ut ex pace, quam multum desideravimus, nos in his partibus nullum pene remedium habere possimus, quia de eisdem hostibus de quibus suspecti nuncusque fuimus adhuc et in posterum suspecti sumus.

Cognoscat præterea gloria vestra homines regis qui huc transmissi sunt imminere ut in pacto debeamus subscribere. Sed recordantes eorum quæ Agilulphus Basilio viro clarissimo convitia per nos in beati Petri dixisse fertur injuriam, quamvis hoc C penitus idem Agilulphus negaverit, a subscriptione tamen abstinere prævidimus, ne nos qui inter eum et excellentissimum filium nostrum domnum exarchum petitores sumus et medii, si quid forte clam sublatum fuerit, falli in aliquo videamur, et nostra ei promissio in dubium veniat; et si qua de futuro, quod absit, necessitas fuerit, occasionem inveniat qualiter nostræ petitioni consentire non debeat. Et ideo petimus ut, sicut et a prædicto filio nostro excellentissimo poposcimus, gloria vestra ea qua nobis charitate unita est peragat, qualenus antequam homines ipsi ab Arogis revertantur, rex eis sub festinatione scripta transmittat, quæ tamen ad nos deferantur, in quibus eis præcipiat ut nos subscribere non petant. Sed si tantum est, [d] gloriosum fratrem D nostrum, vel de episcopis unum, aut certe archidiaconum subscribere faciemus.

De persona vero Augusti gratias agimus, atque studemus ut cum adversario suo causam suam secundum æquitatem definiat, qui ita ifli [e] ne illuc exhiberetur laborem imponi [f] noluimus, ut tamen adversario ipsius justitiam non negemus.

De aliis autem quia digne vobis gratias agere necdum occurrimus, in subsequenti responsalem dirigimus, per quem in charitate qua ad alterutrum nexi sumus amplius miserante Domino constringamur. Præterea gloriæ vestræ mœror nos vehementer afficit; sed quia vir sapiens ea quæ per consolationem dicenda sunt cuncta novit, verbis vos consolari cessamus, sed oratione prosequimur, petentes ut omnipotens Deus vitam et salutem vestram vestrorumque omnium pietatis suæ protectione custodiat, et cor B vestrum in afflictione positum consoletur.

## **1003** EPISTOLA XCIX.

AD OCCILIANUM TRIBUNUM HYDRUNTINUM.

*Hortatur ut gravatam a Viatore extribuno Hydruntinam civitatem levet.*

Gregorius Occiliano tribuno Hydruntino.

Cognoscentes magnitudinem vestram de Ravennatibus partibus cum ordinatione excellentissimi filii nostri domni exarchi ad Hydruntinam civitatem feliciter remeasse, grate suscepimus, et Dominum exoramus, qui actus vestros suæ propitiationis opitulatione disponat. Sabinus siquidem frater et coepiscopus noster ad nos veniens graves nobis civium suorum C querelas innotuit, asserens a Viatore extribuno Hydruntinæ civitatis multa se hactenus illicita pertulisse. Magnitudinem ergo vestram paterno salutantes affectu, hortamur ut quidquid pridem male gestum esse cognoscitis judiciaria debeatis emendatione corrigere. Scitis etenim quod locus ipse Ecclesiæ nostræ sit proprius; et ipsi pauci qui illic rustici remanserunt, si in aliquibus incompetentibus angariis vel oppressionibus affliguntur, locum ipsum deserunt, et, quod non optamus, hostibus datur illum occasio pervadendi. Prædictum ergo episcopum omnesque habitatores loci ipsius vobis peculiariter commendamus, ut non solum nullis illicitis injunctionibus onerentur, sed magis ex commendatione nostra vestra sibi in omnibus sentiant adesse solatia, ut et D beatus Petrus apostolorum princeps, cujus res ipsa est, vobis retributor existat, [a] et nos in vestris promptius utilitatibus commodemus.

---

Parisius *prévôt des marchands;* aliis, *maire de la ville.* Hujus vocis multi sunt significatus qui ad rem nostram non faciunt, Græcis λογιστής. In Cod., lib. III, *de modo multarum*, etc. Idem officium præstabant apud Athenienses decemviri. Gussanv. Obscurum esse non potest quodnam sit curatoris civitatis officium legenti apud Cassiodorum, l. 7 Var., c. 12, formulam hujus dignitatis. Ordines itaque curiæ gubernabat, pretia rerum venalium moderabatur, cunctorum civium utilitati invigilabat. Antiquam fuisse hanc dignitatem ex eod. Cassiodori testimonio liquet. In Vatic. A legitur *procuratori Raven.*

[b] De Ariulfo et Aroge vide epist. 46 lib. II, indict. 10, et ad eam notas *a* et *m*, In Vatic. A et in Reg., pro *Arogis* legitur *regis exerc.*

[c] Al., *quasi de eo*, etc. Magis placuit lect. Vatic. A et B.

[d] In Vulgatis, *Gloriosum* scribitur quasi nomen proprium. Sanctum Gregorium de fratre suo loqui conjicimus. Vide quæ ad hoc argumentum illustrandum congessimus, lib I comment. de ejus Vita.

[e] *Exhibere* est se vel alium sistere præsentem. De verb. signific., leg. 22, et 246, in Dig.

[f] Corb. *voluimus*. Vatic. A, *volumus*.

Epist. XCIX [*Al.* 104]. — [a] In Vatic. A, D, E, *commendemus*. secus in Norm. Rhem. etc.

## EPISTOLA C.

AD SABINIANUM CALLIPOLITANUM EPISCOPUM.

*Ne patiatur Calliponitanos angariis prægravari.*

Gregorius Sabiniano episcopo Calliponitano.

Indicatum nobis est quod homines Callipolitani castri, in quo te, propitiante Domino, esse constituimus sacerdotem, gravibus diversorum molestiis affligantur, atque in longinquis angariis multisque dispendiis conterantur. Hortamur ergo fraternitatem tuam, ut quia et [a] locus ipse nostræ, sicut cunctis notum est, Ecclesiæ esse dignoscitur, sollicitudinem tuam rectæ defensionis zelo succendas, eosque non permittas illicitis prægravari, quia et exemplaria tibi privilegiorum Ecclesiæ de scrinio nostro ob hoc fecimus dari; quatenus informatus ex omnibus qualiter habitatores loci illius defensare valeas non ignores. Volumus etiam ut massæ ipsius Calliponitanæ homines, sub sollicitudinis tuæ cura, a futura tertia indictione, habere debeas, atque de eorum relevandis molestiis esse cautissimum; et adhibita sollicitudinis cura, uniuscujusque vires quid præstare de sua pensione Ecclesiæ utilitatibus valeant caute cognoscere, ac secundum vires suas **1004** ad persolvendum quemque disponere. De qua ordinatione fraternitas tua, subtiliter facta notitia, quid dare ipsi homines totius Callipolitanæ massæ possunt indicare non differat, ut sciamus quid exinde disponere, auxiliante Domino, valeamus. Ad Sergium vero defensorem præcepta direximus, ut in hac vobis re non solum non audeat esse contrarius, sed vobis magis ubi valuerit solatia subministret.

## EPISTOLA CI.

AD SERGIUM DEFENSOREM.

*Fruniscendum Ecclesiæ Hydruntinæ debitorem, si sponte non solvat, cogat ad judicium.*

Gregorius Sergio defensori.

Reverendissimus frater noster Petrus, Hydruntinæ civitatis episcopus, questus est nobis per Vincentium diaconum suum, Fruniscendum Ecclesiæ suæ quondam filium, in multis existere debitorem; et non solum nolle satisfacere de his quibus tenetur obstrictus, sed etiam contemnere subire judicium. Unde experientiæ tuæ præsenti auctoritate præcipimus ut eum admonere studeat, quatenus si quid de obstrictu Ecclesiæ [a] se redhibere cognoscit, satisfacere dilatione postposita non desistat. Alioquin mora cessante ad electorum te compellente accedat judicium. Et quidquid veritate cognita mediis sacrosanctis Evangeliis fuerit statutum, ita ad effectum exsecutionis tua instantia perducatur, ut hujus rei querela ad nos denuo non redeat.

## EPISTOLA CII.

AD SERGIUM DEFENSOREM.

*Mancipium ab ipsius Gregorii Germano Hydruntnm fugiens curet comprehendi, ac navi Romam deferri.*

Gregorius Sergio defensori.

Filius noster vir magnificus Occilianus, tribunus Hydruntinæ civitatis, ad nos veniens puerum unum, Petrum nomine, artis pistoriæ, ex jure [a] germani nostri ad eum noscitur perduxisse. Quem nunc fuga lapsum ad partes illas reverti cognovimus. Experientia ergo tua antequam ad Hydruntinam civitatem valeat is ipse contingere, sub qua valueris celeritate, vel ad episcopum Hydruntinæ civitatis, vel ad prædictum tribunum, vel ad alium quem in loco tuo te habere cognoscis, scripta dirigas, ut uxorem vel filios prædicti mancipii sub omni habere debeant cautela, atque de ipso sollicitudinem gerere, ut perveniens valeat detineri, et mox cum rebus suis omnibus, quæque ad eum pertinent, navi impositis per fidelem personam huc modis omnibus destinari. Experientia itaque tua cum omni hoc studeat efficacia solertiaque perficere, ne de neglectu vel mora nostros, quod non optamus, animos offendas.

## **1005** EPISTOLA CIII.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Ne milites in monasterio virginum hospitentur.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Insinuavit nobis latrix præsentium Agnella abbatissa quod intra monasterium ipsus milites hospitentur. Et omnino de fraternitatis vestræ sollicitudine mirati sumus cur hoc patienter tulerit, et non illud eum omni celeritate fecerit emendari. Unde hortamur ut vel nunc studii vestri sit instanter eis quorum interest imminere quatenus sine aliqua excusatione tollantur exinde, et nullus illic ulterius [a] hospitium et metatum accipiat, ne callidus hostis, occasionem inveniens, de deceptione religiosi habitus, quod absit, valeat exsultare.

## EPISTOLA CIV.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Ut Neapolitani cives ad concordiam redeant, virum apprime instructum Romam mittere festinet.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Quorumdam in Neapolitana consistentium civitate relationem de quibusdam capitulis Stephano deferente suscepimus. De quibus [a] Theodorus vir magnificus, major populi, ad nos veniens, ante conquestus jam

EPIST. C [*Al.* 105]. — [a] Ex hac et superiori epist. obiter observandum jam tunc urbes integras plurimas Ecclesiæ Romanæ dominio subditas fuisse. Vide supra epist. 31 lib. II. Unde liquet sanctum Gregorium custodiæ Neapolis Tribunum deputasse, ac multitudus qui in hujus urbis præsidio erant imperasse; quod nisi urbs Dominus fuisset, minime præsumpsisset. De hac terrena summorum pontificum potestate fusius in Vita sancti Gregorii.

EPIST. CI [*Al.* 106]. — [a] Gall., *redevoir*, quasi redebere, imo sic habet San-Vict. Hac voce utuntur jureconsulti alio sensu. Vide notam *x* ad epist. 44 lib. I, et notam *o* ad epist. 82 ejusdem lib.

EPIST. CII [*Al.* 107]. — [a] Inde conficitur Gregorium habuisse germanum fratrem. Vide notam *d* ad epist. 98, supra.

EPIST. CIII [*Al.* 108]. — [a] In quatuor Vatic., Norm., Reg., Corb. et plerisque omittitur *hospitium*. Legitur in Vatic. A, omisso *metatum*.

EPIST. CIV [*Al.*, 109]. — [a] De eo adhuc lib. sequenti, epist. 25, ubi corrupte prius legebatur *Theodorico* pro *Theodoro*. Ex utraque autem epist. conjicitur ad majores urbium pertinuisse portarum curam et custodiam.

fuerat a Fraternitate tua in eis fuisse præjudicia irrogata. Sed et alteram quorumdam relationem in prædicta urbe degentium, qui prædicti majoris populi partem sequuntur, accepimus. Ex quibus liquido comperimus in duas se partes populum divisisse. Et quia nobis triste, et tibi grave est inter habitatores memoratæ civitatis prodisse discordiam, quorum unitati studere debueras ac concordiæ ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut, cessante omni excusatione, personam huc instructam sub festinationem transmittas, quæ aut in electorum aut certe in deputatorum a nobis judicio, si qua pro tuis partibus sunt agenda, adversariorum intentionibus ac objectis per omnia valeat respondere; ut, veritate cognita, salubrem hic finem causa suscipiat; quatenus, rationabiliter omnibus capitulis quæ in altercationem venerant terminatis, nulla in hac contentione ingravedo vires accipiat, sed sola inter te et filios pax, sicut decet, et charitas perseveret. Quia ergo exortæ contentiones nulla illic possunt ratione distingui, quippe ubi tanta in habitatoribus est nata dissensio, **1006** ut nullus sit qui possit in judicio respondere, sive defendendæ alternæ partis studio remanere, ita fraternitas tua agat,[b] ut in transmittenda persona, sicut diximus, nullam tarditatem qualibet excusatione subjungat.

## EPISTOLA CV.

AD SERENUM MASSILIENSEM EPISCOPUM.

*Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat, monet imagines in Ecclesiis esse servandas.*

Gregorius Sereno episcopo Massilliensi.

Quod fraternitati vestræ tam sera scripta transmittimus, non hoc torpori, sed occupationi deputate. Latorem vero præsentium dilectissimum filium nostrum Cyriacum, monasterii nostri Patrem, vobis in omnibus commendamus, ut nulla hunc in Massiliensi civitate mora detineat, sed ad fratrem et coepiscopum nostrum Syagrium cum sanctitatis vestræ solatio, Deo protegente, proficiscatur.

Præterea indico dudum ad nos pervenisse quod fraternitas vestra, quosdam [a] imaginum adoratores aspiciens, [b] easdem in Ecclesiis imagines contregit atque projecit. Et quidem zelum vos, ne quid manufactum adorari posset, habuisse laudavimus, sed frangere easdem imagines non debuisse [c] indicamus. Idcirco enim pictura in Ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant quæ legere in Codicibus non valent. Tua ergo fraternitas et illas servare, et ab earum adoratu populum prohibere debuit, quatenus et litterarum nescii haberent unde scientiam historiæ colligerent, et populus in picturæ adoratione minime peccaret.

## EPISTOLA CVI.

AD SYAGRIUM, ÆTHERIUM, VIRGILIUM ET DESIDERIUM EPISCOPOS.

*Contra simoniacos, ac neophytos, et vetita mulierum contubernia, nec non synodorum, quæ quotannis haberi debent neglectum, stygum acuit; atque ut synodi quotannis fiant. De his omnibus in synodo tractari jubet, et ad se per Cyriacum abbatem referri.*

Gregorius [a] Syagrio Augustodunensi, Etherio Lugdunensi, Virgilio Arelatensi, et Desiderio Viennensi episcopis Galliarum a paribus.

Caput nostrum, quod Christus est, ad hoc sua esse membra nos voluit, ut per compagem charitatis et fidei, **1007** unum nos in se corpus efficeret. Cui ita corde adhærere nos convenit, ut quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse quod dicimur. Ab arce capitis nostri res nulla nos dividat, ne ab ea, si ejus esse membra refugimus, relinquamur, et velut ejecti de vite palmites arescamus. Ut ergo Redemptoris nostri esse habitaculum mereamur, in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus. Ipse namque ait: *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et mansionem apud eum faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Sed quoniam bonorum auctori hærere aliter non valemus, nisi cupiditatem a nobis, quæ omnium malorum radix est, abscindamus (*Grat. dist.* XLVII, *c.* 7), per scripta præsentia, quæ alterno adinvicem desideratæ visitationis sermone nos sociant, fraternitatem vestram institutis apostolicis convenimus, ut, Patrum regulis et præceptis Dominicis imitentes, de templo fidei avaritiam, quæ idolorum est servitus excludamus, ut in domo Domini uil noxium, nilque sinamus adesse confusum.

Nuntio siquidem apud nos olim discurrente vulgatum est quod in Galliarum partibus sacri ordines per simoniacam hæresim conferantur. Et vehementi tædio mœroris afficimur, si in ecclesiasticis officiis quemquam habet locum pecunia, et fit sæculare quod sacrum est. Quicunque ergo hoc pretii studet datione mercari, dum non officium, sed nomen attendit, sacerdos non esse, sed dici tantummodo maniter congregati, ab imaginum cultu indicto abhorrere visi sunt, prolatis sanctorum Patrum sententiis suam doctrinam stabilientes, tanta quidem fidentia, ut eam se summo pontifici per suos legatos Jeremiam et Jonam persuadere posse crediderint. De cultu relativo et absoluto, religioso et civili vide theologos, quorum nullus, quod sciam, sancti Gregorii damnat epistolam ad Serenum. GUSSANV.

[b] In Vatic. A, *ut transmittenda*, omisso *in*, quod efficit sensum.

EPIST. CV [*Al.* 110]. — [a] Supra, epist. 52, secundino. De imaginibus, infra lib. XI, epist. 12, eamdem doctrinam inculcat, scilicet nec frangendas esse imagines, nec adorandas. Sic opinabatur sanctissimus pontifex Romanus in fine sexti sæculi. Octavo sæculo ineunte emerserunt Iconomachi circa tempora Gregorii II et Gregorii III, et multis de iis aut abolendis aut retinendis conciliis habitis, tandem in Nicæno II, an. 787, pro imaginibus decretum factum et promulgatum est. Galli aliquandiu reluctati sunt, et in synodo Francofordiensi an. 794 Nicænam damnarunt, male ut apparet, intellectam. Nec vero statim manus dederunt; nam, referente Sirmondo, circa an. 824, nostri episcopi, jussu Ludovici Pii Parisiis congregati, ab imaginum cultu indicto abhorrere visi sunt, prolatis sanctorum Patrum sententiis suam doctrinam stabilientes, tanta quidem fidentia, ut eam se summo pontifici per suos legatos Jeremiam et Jonam persuadere posse crediderint. De cultu relativo et absoluto, religioso et civili vide theologos, quorum nullus, quod sciam, sancti Gregorii damnat epistolam ad Serenum. GUSSANV.

[b] Vulgati, *easdem Ecclesiæ* Norman., *easdem de Ecclesiis*.

[c] Al., *judicamus* vel *judicavimus*.

EPIST. CVI [*Al.*, 111]. — [a] In Norm. tantum legitur *Etherio*, *Virgilio et Desiderio episcopis Galliarum a paribus*. In Rhem. additur *Syagrio*, qui cæteris præponitur, sed sedium episcopalium nulla fit mentio.

cupiscit (*Grat.* I, *q.* 1, *c.* 2). Quid scilicet? quid per hoc aliud agitur, nisi ut nulla de actu probatio, nulla sollicitudo de moribus, nulla sit de vita discussio, sed ille solummodo dignus, qui dare pretium sufficerit, æstimetur? Ex qua re si recti libraminis examinatione pensetur, dum improbe ad inanem gloriam locum festinat utilitatis arripere, eo ipso magis quod honorem quærit, indignus est. Sicut autem (*Grat.* I, *q.* LXVI, *c.* 3) is qui invitatus renuit, quæsitus fugit, sacris est altaribus admovendus, sic qui ultro ambit, vel importune se ingerit, est procul dubio repellendus. Nam qui sic nititur ad altiora conscendere quid agit nisi ut crescendo decrescat, et ascendendo exterius interius ad profunda descendat? Itaque, fratres charissimi, in Sacerdotibus ordinandis sinceritas vigeat, sit simplex sine venalitate consensus, pura præferatur electio, ut ad summam sacerdotii non suffragio venditorum provectus, sed Dei credatur esse judicio. Nam quia grave omnino sit facinus Dei donum velle pretio comparare vel vendere, evangelica est testis auctoritas (*Matth.* XXI). Templum enim Dominus et Redemptor noster ingressus, cathedras vendentium columbas evertit. Quid aliud est columbas vendere, nisi pretium de manuum impositione percipere, et Sanctum Spiritum, quem omnipotens Deus hominibus tribuit, venundare? Quorum sacerdotium ante Dei oculos cadere, cathedrarum utique patenter eversione signatum est. Et tamen exerit adhuc nequitiæ pravitas vires suas. Nam cogit vendere quos decipit ut emerent. Et dum non attenditur quod divina voce præcipitur: *Gratis accepistis, gratis date* (*Matth.* x, 8) agitur ut crescat, **1008** et geminata fiat in uno eodemque [b] delicti contagio ementis scilicet et vendentis. Et cum liqueat (*Grat.* I, *q.* 1, *c.* 13) hanc hæresim in Ecclesia ante omnes radice pestifera subrepsisse, atque in ipsa sua origine apostolica esse detestatione damnatam, cur non cavetur, cur non perpenditur quia benedictio (*Grat.* I *q.* 1. *c.* 4) illi in maledictionem convertitur, qui ad hoc ut fiat hæreticus promovetur?

Plerumque ergo adversarius animarum, dum non potest in his quæ ad faciem sunt prava subripere, callide specie quasi pietatis injecta nititur supplantare, suadetque forsitan debere ab habentibus accipi, ut sit quod possit non habentibus erogari, dummodo vel sic venena mortifera, eleemosynæ celata obumbratione, transfundat. Nam nec venator feram, aut avem auceps deciperet, vel piscem piscator caperet; si aut illi laqueum in aperto proponerent, aut ille hamum esca absconditum non haberet. Omnino ergo metuenda et cavenda est hostis astutia, ne quos aperta nequit tentatione subvertere, latente telo sævius valeat trucidare. Neque enim eleemosyna reputanda est, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus accipitur, quia qui hac intentione male accipit ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur (*Grat.* I, *q.* I, *c.* 27). Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non de illicitis et iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis et bene acquisitis impenditur (*Grat.* XIV, *q.* 5, *c.* 7). Unde etiam illud certum est, quia etsi monasteria aut xenodochia vel quid aliud [c] de pecunia quæ pro sacris ordinibus datur, construantur, mercedi non proficit, quoniam [d] dum perversus et emptor honoris in locum sanctum transmittitur, et alios ad sui similitudinem sub commodi datione constituit, plura male ordinando destruit quam ille potest ædificare qui ab eo pecuniam ordinationis accepit. Ne ergo sub obtentu eleemosynæ cum peccato aliquid studeamus accipere, aperte Scripturæ sacræ ordo nos prohibet, dicens: *Hostiæ impiorum abominabiles, quæ offeruntur ex scelere* (*Prov.* XXI, 27). Quidquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat. Hinc rursus scriptum est: *Honora Dominum* [e] *de tuis justis laboribus* (*Prov.* III, 9). Qui ergo male tollit ut quasi bene præbeat, constat sine dubio quia Dominum non honorat. Hinc quoque per Salomonem dicitur: *Qui offert sacrificium de substantia pauperis,* [f] *ac si victimet filium in conspectu patris* (*Eccli.* XXXIV, 24). Quantus autem dolor patris sit perpendamus, si in ejus conspectu filius victimetur. Et hinc facile cognoscimus quantus apud Deum dolor exasperatur, quando ei sacrificium ex rapina tribuitur. Nimis ergo declinandum est, dilectissimi fratres, sub obtentu eleemosynæ, peccata simoniacæ hæreseos perpetrare. Nam aliud est propter peccata eleemosynas facere, aliud propter eleemosynas peccata committere.

Hoc quoque (*Grat. dist.* 59, *c.* 3) ad nos pervenisse non dissimili dignum detestatione complectimur, quod quidam, desiderio honoris inflati, defunctis episcopis tonsurantur, et fiunt repente ex laicis sacerdotes, atque inverecunde [g] religiosi propositi ducatum arripiunt, qui nec esse adhuc milites didicerunt. **1009** Quid putamus quod isti subjectis præstituri sunt, qui antequam discipulatus limen attingant, tenere locum magisterii non formidant? Qua de re necesse est [h] ut si et quamvis inculpati quisquam sit meriti, ante tamen per distinctos ordines ecclesiasticis exerceatur officiis. Videat quod imitetur, discat quod doceat, informetur quod te-

[b] In Anglic., Reg., et in quatuor Vatic., *delicti conditio*. Secus in Norm., Rhem., etc.; paulo post in Rhem. et Vatic. D, ubi legimus *ante omnes radice pestifera*, habetur, *ante omnes radices pestiferas*.

[c] In Mss. Norm., Reg. et Vatic., omittitur, *de pecunia quæ pro sacris ordinibus datur;* quæ tamen verba subintelligi debent.

[d] In Excusis *perversus emptor*. Multa alia levioris momenti hac in epistola emendavimus ex Mss. de quibus non admonuimus

[e] In Vatic. A, *de tuis hostiis et tuis justis laboribus*. In Vatic. B, *de tua substantia, vel de tuis justis laboribus*.

[f] Excusi, *quasi victimat filium*.

[g] Ita Norm. Vatic. A et D, ac plerique Mss. cum vet. Ed., consentiente Gratiano. Recentiores habent, *præpositi*.

[h] Norm., *ut quamvis inculpati sit quisque meriti*. Sic olim legit Gratianus.

neat ; ut postea non debeat errare, qui eligitur viam errantibus demonstrare. Diu ergo religiosa meditatione poliatur ut placeat, et sic lucerna super candelabrum posita luceat, [i] ut adversa ventorum vis irruens concéptam eruditionis flammam non exstinguat, sed augeat. Nam cum scriptum sit : *Ut prius quis probetur, et sic ministret* ( *I Tim.* III, 10), multo amplius ante probandus est, qui populi intercessor assumitur, ne fiant causa ruinæ populi sacerdotes mali. Nulla igitur contra hoc excusatio, nulla potest esse defensio, quia cunctis liquido notum est quæ sit in hujus rei diligentia sancti et egregii sollicitudo doctoris, qui neophytum ad ordines vetat sacros accedere (*I Tim.* III). Sicut autem tunc neophytus dicebatur (*Grat. dist.* 48, *c.* 2) qui in initio in sanctæ fidei erat [k] conversatione plantatus, sic modo neophytus habendus est qui repente in religionis habitu plantatus, ad ambiendos honores sacros irrepserit. Ordinate ergo ad ordines [l] ascendendum est; nam casum appetit qui ad summa loci fastigia postpositis gradibus per abrupta quærit ascensum. Et cum idem Apostolus doceat inter alia sacri ordinis instituta discipulum, manum non esse cuiquam citius imponendam (*I Tim.* V), quid hoc celerius, quidve præcipitantius quam ut exordiatur a summitate principium, [m] et ante incipiat esse episcopus quam minister? Quisquis ergo sacerdotium non ad elationis pompam, sed ad utilitatem adipisci desiderat, prius vires suas cum hoc quod est subiturus onere metiatur, [n] ut et impar abstineat, et ad id cum metu, etiam qui se sufficere existimat, accedat.

Ab re autem non facimus [o] si ad argumentum rationabilium usum rerum irrationabilium colligamus. Apta namque ædificationibus de silvis ligna succiduntur, nec tamen adhuc viridibus ædificii pondus imponitur, nisi eorum viriditatem multorum dierum mora siccaverit, et apta ad necessarium usum effecerit. Quæ observantia si forte negligitur, citius superimposita mole franguntur, et gignit ruinam ad auxilium res provisa.

Hinc etenim et medici, qui curam gerunt de corpore, quædam adjutoria recenti adhuc confectione formata indigenti non offerunt, sed maceranda temporibus derelinquunt. Nam si immature quis dederit, dubium non est quia fit causa periculi, res salutis. Discant itaque, discant in officio suo sacerdotes, quibus animarum credita est cura, servare quod diversarum artium homines docente ratione custodiunt, et a præcipiti se ambitione, etsi non metu, saltem pudore contineant.

Sed [p] ne forsan adhuc se pravæ consuetudinis quisquam velit objectu defendere, [q] fraternitatis ves- A træ discretio **1010** rationis eos freno coerceat, et labi in illicitis non permittat, quia quidquid ultione dignum est, non ad imitationis, sed ad exemplum potius debet correptionis adduci.

Neque autem hoc quod similiter corrigendum est patimur negligenter omittere. Nam quid prodest cuncta muniisse, si per unum locum [r] perniciosus hosti præbeatur accessus? Cum his itaque qui in sacro sunt ordine constituti habitare mulieres prohibeantur. De quibus, ne antiquus humani generis inimicus exsultet, omnium definiendum consensu est ut præter eas quas sacri canones complectuntur, alias secum mulieres habere non debeant. Quæ interdictio etsi forte aliquibus ad tempus amara est, certum est quia postmodum ex ipsa animæ utilitate B dulcescit, si unde inimicus superare potuit, superetur.

Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod de habendis per perochias conciliis, Patrum providentia, utilitatis causa sancitum est. Unde ne qua inter fratres dissensio, ne qua inter præpositos et subjectos sint fomenta discordiæ, in unum convenire sacerdotes necesse est, ut et de [s] ingruentibus causis disceptatio, et sit salubris de ecclesiastica observatione collatio; quatenus dum per hoc et præterita corriguntur, [t] et regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur. Cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observabitis, scitote, quia scriptum est : *Ubi fuerint congregati duo aut tres in nomine meo, ibi sum in* C *medio eorum* ( *Matth.* XVIII, 20 ). Si ergo adesse dignabitur ubi duo vel tres fuerint, quanto magis non deerit, ubi plures convenerint sacerdotes? Et quidem quia de habendo bis in anno concilio Patrum sit regulis statutum, non latet. Sed ne forte aliqua impleri hoc necessitas non permittat, semel tamen [u] sine excusatione aliqua decernimus congregari, ut exspectatione concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis abstinetur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio. Hanc, fratres charissimi, observantiam nostris relinquendam posteris teneamus, et omnia quæ ad eruditionem nostram sacris apicibus scripta sunt meditemur, atque ad ea quoscunque possumus incitemus. Certum quippe est D quia si toto corde præceptis nos salutaribus occupamus, omnem vitiorum labem effugimus, quia dum in his quibus ædificamur innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus.

De his itaque quæ superius dicta sunt, fraternitatem vestram, auctore Deo, volumus synodum congregare, atque in ea reverendissimo fratre nostro

[i] Vatic. A, *ut adversariorum ventorum.*
[k] Norm., *eruditione.*
[l] In tribus Vatic. et Norm., *accedendum est.*
[m] Norm., *et antequam incipiat esse discipulus, sit magister.*
[n] Vulgati, *et si impar abstineat, et....,. cui se sufficere existimat, accedat.*
[o] Norm. et tres Vatic., *ad argumentum rationabile.*
[p] Excusi, *ne forsan ab hoc.* Vatic. F, *ne forfan ad hoc.*
[q] Vatic. D et E, *fraternitas vestra discretionis eos freno coerceat.*
[r] Ita Vatic. Norm., etc. In Ed., *pernicioso hosti.*
[s] Vulgati, *incidentibus.*
[t] Al., *et regulam futuram*, ut habetur in Vatic. A et F.
[u] Vulgati, *semel tamen in anno.*

[x] Aregio coepiscopo, et dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate mediantibus, omnia quæ sanctis canonibus, sicut prædiximus, sunt adversa, districte sub anathematis interpositione damnentur, id est, ut nullus pro adipiscendis ecclesiasticis ordinibus dare aliquod commodum præsumat, vel pro datis accipere, nec ex laico habitu quisquam [y] repente audeat ad locum sacri regiminis **1011** pervenire. Neque ut aliæ mulieres cum sacerdotibus habitent, nisi hæ quæ sacris, ut prædictum est, canonibus sunt permissæ. De quibus cunctis reverend'ssimus frater noster Syagrius episcopus cum omni synodo, dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate remeante, nobis quæ acta sunt, studeat renuntiare; ut subtiliter agnoscentes quid, et cum qua caute'a, vel qualiter sit decretum, omnipotenti Deo de vita vestra ac moribus gratias incessabiliter persolvamus. (*Vidé ep. seq.*)

## EPISTOLA CVII.

### AD AREGIUM EPISCOPUM VAPINCENSEM.

*Eum de suorum obitu consolatur, hortaturque ut sollicite suo munere fungatur. Dalmaticarum usum illi, et archidiacono ejus permittit jubetque ut synodo per Syagrium cogendæ intersit.*

Gregorius [a] Aregio episcopo de [b] Galliis.

Fraternitatis vestræ afflictio, quam de amissionis vestrorum vos hominum habuisse cognovimus, tantam nobis causam mœroris injecit, ut quia nos de duobus charitas unum fecit, cor nostrum [c] in vestris specialiter tribulationibus sentiremus. Sed in hoc dolore multum me consolata est sanctitatis vestræ ad animum reducta discretio, quam et patienter ferre tristitiam, et decet de morte, spe vitæ alterius, longam non habere mœstitiam. Ne tamen aliqua adhuc tribulatio in vestra mente se teneat hortor, quiesce dolere, desine tristis esse. Nam indecens est de illis tædio afflictionis addici, quos credendum est ad veram vitam moriendo pervenisse. Habent forsitan illi justam longi doloris excusationem, qui vitam alteram nesciunt, qui de hoc sæculo ad melius esse transitum non confidunt. Nos autem qui novimus, qui hoc credimus et docemus, contristari nimium de obeuntibus non debemus, ne quod apud alios pietatis tenet speciem, hoc magis nobis in culpa sit. Nam diffidentiæ quodammodo genus est, contra hoc quod quisque prædicat torqueri mœstitia, dicente Apostolo : *Nolumus autem vos ignorare, fratres, de dormientibus, ut non contristemini, sicut et cæteri qui spem non habent* (*I Thess.* IV, 12).

Hac itaque, frater charissime, ratione prospecta, studendum nobis est ut, sicut diximus, de mortuis non affligamur, sed affectum viventibus impendamus, quibus et pietas ad utilitatem et sit ad fructum dilectio. Proinde objurgando, hortando, **1012** suadendo, blandiendo, consolando prodesse quibus possumus festinemus. Lingua nostra bonis fomentum sit, pravis aculeus; tumidos retundat, iratos mitiget, pigros exacuat, desides hortatu succendat, refugientibus suadeat, asperis blandiatur, desperatos consoletur : ut quia [d] ductores dicimur, viam salutis gradientibus ostendamus. Simus in custodia vigilantes, aditus contra hostis insidias solliciti muniamus. Et si quando per devia ovem de commissis gregibus error abduxerit, toto illam adnisu ad caulas revocare dominicas contendamus, ut de pastoris nomine quod habemus, non supplicium, sed præmium consequamur. Quia ergo in his omnibus divinæ gratiæ adjutorio opus est, omnipotentis Dei assiduis precibus clementiam exoremus, quatenus ad hæc nobis operanda et velle tribuat, et posse concedat, atque in ea nos via cum fructu boni operis, quam se Pastor pastorum esse testatus est, dirigat; ut sine quo [e] facere nihil assurgimus, per ipsum implere omnia valeamus.

Præterea (*Grat. dist.* 23, *c.* 10) communis filius Petrus diaconus nobis innotuit quod fraternitas vestra tempore quo hic fuit, poposcerit ut sibi et archidiacono suo [f] utendi dalmaticis licentiam præberemus.

[x] In recent., *Syagrio*, invitis Mss.

[y] Ita Norm. et alii Mss. passim. Editi vero, *repente valeat*.

Epist. CVII [Al. 112]. — [a] Aregius sive Arigius, aliis etiam Aridius, vir magnus, septimus episcopus Vapincensis, ex nobili Francorum prosapia oriundus, interfuit conc. Valentino II, an. 584, et Matisc. II, an. 585. Exstat ejus Vita a P. Labbeo soc. Jesu, tomo I Bibliothecæ novæ, ex mss. cod. edita. Vapincum alias Vapingum, vulgo *Gap*, urbs Galliæ, episcopalis, in Delphinatu, sub archiepiscopo Aquensi, inter Ebredunum et Diam. Gussanv.

[b] In Norm. et uno Colbert., *episcopo in Francia*. Vatic. B, D, E, F, habent *episcopo in Franciis*, ut etiam Rhem. Alii Colb., cum Reg., *episcopo Franciis*.

[c] Excusi, faventibus paucis Mss., *in vestris specialiter uri tribulationibus*.

[d] Vatic. A, *doctores dicimur*.

[e] Abest *facere* a quinque Vatic., Reg. et pluribus Norm.

[f] A Silvestro papa institutum dicit Anastasius, ut diaconi dalmatica uterentur in Ecclesia (intellige Romana). Cum Cæsarium Arelat. *concesso specialiter pallii decoravit privilegio* Symmachus, *diaconos quoque ipsius ad Romanæ instar Ecclesiæ dalmaticarum fecit habitu præeminere*, ut habet sancti Cæsarii Vita sexto ipso sæculo scripta, lib. I, num. 22. Dalmaticæ amplis erant manicis, tunicæ strictis, quod Joannes Diac., Vitæ sancti Gregorii lib. III, c. 59, testatur. Dalmaticæ talares erant, sericæ, albæ, auro ornatæ, et clavis seu plagulis ex purpura assutis distinctæ. Cum cives omnes Romani tunica uterentur, tunica ordines distinxere. Nam senatores tunicam lato clavo purpureo, equites clavo duplici sed angusto distinctam induerunt. Plebs rectam et sine clavis. Tunicarum et Dalmaticarum clavos fuisse bullas quasdam purpureas veluti clavorum capita vestibus intextas, putant nonnulli, quibus subscribit Gussanv. At clavos illos purpureas lineas fuisse sive virgas quæ medias vestes intersecabant, probabilius videtur. Illos enim Alcuinus et Remigius *virgulas*, Amalarius et Honorius *lineas* appellant. Joannes Diac. *zonas*, Rabanus *tramites*, quemadmodum Tibullus aureos clavos in femineis vestibus *vias* vocat. *Tabulæ* etiam dicebantur clavi, quia tabulis longis similes erant. Remansit in dalmaticis priscus mos angustorum clavorum, nulla tamen purpurei coloris habita ratione : *Diaconi*, inquit Amalarius, in eclogis de officio missæ, *dalmaticas portant.... quas solebat militaris usus portare*. In presbyterorum etiam casulis latus clavus perseverat, qui senatoram proprius fuit. De dalmatica disserit Baronius, in notis ad Martyrologium, die ultima Maii, cujus in ea describenda lapsus notavit Ferrarius, lib. III de Re vestiaria, cap. 6.

Sed quia ita hominum suorum infirmitate compulsus festinanter abscessit, ut nec ipse mœror incumbens diutius, ut dignum erat et res desiderata poscebat, sineret imminere; et nos in multis implicitos, ecclesiasticæ rationis consideratio novum hoc inconsulte et subito non permitteret indulgere; idcirco postulatæ rei prolongatus effectus est. Nunc vero charitatis tuæ bona revocantes ad animum, hujus auctoritatis nostræ serie petita concedimus, atque te vel archidiaconum tuum dalmaticarum usu decorandos esse [g] concessimus, easdemque dalmaticas dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate deferente transmisimus.

Præterea (*Grat. dist.* 100, *c.* 5) in ea synodo quam contra simoniacam hæresim per fratrem et coepiscopum nostrum Syagrium decrevimus congregari, sanctitatem vestram volumus interesse, atque eidem fratri ita pallium quod transmisimus tribui, si prius se promiserit illicita quæ prohibuimus per definitionem synodi a sancta Ecclesia removere. De qua synodo omnem nobis subtiliter ordinem tuam fraternitatem volumus scriptis discurrentibus nuntiare, ut ipse, cujus nobis sanctitas valde experta est, nos reddas de omnibus certiores.

## 1013 EPISTOLA CVIII.

AD SYAGRIUM EPISCOPUM.

*Laudat eum ob operam Augustino navatam; pallii usum concedit; statuit ut Ecclesia Augustodunensis primum in ea provincia post Lugdunensem locum obtineat; de synodo iterum.*

Gregorius Syagrio episcopo [a] Augustodunensi.

Magistra bonorum omnium charitas, quæ nil sapit extraneum, nil asperum, nil confusum, ita exercet corda et corroborat, ut nihil grave, nil difficile, sed fiat totum dulce quod agitur. Hujus igitur cum sit proprium [b] nutrire concordia, servare composita, dissociata conjungere, prava dirigere, et virtutes cæteras perfectionis suæ munimine solidare, quisquis in ejus radices se inserit, nec a viriditate deficit, nec a fructibus inanescit, quia humorem fecunditatis opus efficax non amittit. Atque ideo multum tibi, dilectissime frater, in Domino condelector atque congaudeo, quod sic eadem charitate te præditum multorum testificatione comperio, ut et ipse quæ sacerdotis sunt decenter exhibeas, et aliis te laudabiliter imitandum ostendas.

Quia igitur in prædicationis opere, quam diu cogitans anglorum genti per Augustinum tunc monasterii mei præpositum, nunc fratrem et coepiscopum nostrum, impendere studui, ita sollicitum atque devotum adjutoremque in omnibus te, ut oportuit, A fuisse cognovimus, [c] ut magnum me sibi fraternitas tua hac de re faceret debitorem, tantæ rei consideratione [d] commonitus, ne infructuosus erga te viderer existere, fraternitatis tuæ petitionem nulla pertuli ratione postponere. Proinde secundum postulationis tuæ desiderium pallii te usu, quod intra ecclesiam tuam habere debeas, ad sacra tantum missarum solemnia celebranda, Deo auctore, prævidimus honorandum. Quod tamen ita tibi dandum esse decrevimus, si prius per synodi definitionem emendare promiseris quæ corrigenda mandavimus, quia dignum profecto esse credidimus, ut cum mentis gravitate qua Deo te propitio pollere didicimus, habitus quoque exterioris clarior in te cultus accresceret, præsertim cum id te non ad superfluæ elationis pompam, sed pro genio et honore tuæ arbitremur Ecclesiæ petivisse. Cujus ne indumenti munificentiam nudam videamur quodammodo contulisse, hoc etiam pariter prospeximus concedendum, [e] ut metropolitæ suo per omnia loco et honore servato, Ecclesia civitatis Augustodunæ, cui omnipotens Deus præesse te voluit, post Lugdunensem Ecclesiam esse debeat, et hunc sibi locum et ordinem ex nostræ auctoritatis indulgentia vendicare. Cæteros vero episcopos (*Grat. dist.* 17, *c.* 7) secundum ordinationis suæ tempus, sive [f] ad consedendum in concilio, sive ad subscribendum, vel in qualibet alia re sua attendere loca **1014** decernimus, et suorum sibi prærogativam ordinum vendicare, quia omnino rationis ordo nos admonet (*Dist.* 100, *c.* 9) ut cum usu Pallii aliqua simul sicut diximus, largiri privilegia debeamus.

Sed quoniam cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet excrescere, ut cultui vestium actionis quoque ornamenta conveniant, oportet ut enixius in [g] cunctis se studiis vestra fraternitas exerceat. Circa subjectorum actus [h] sit vigilans, vestrum illis exemplum instructio et vita magistra sit. Linguæ vestræ exhortatione discant quod metuant, et doceantur quod diligant; ut dum talenta credita lucro multiplicato reddideris, in die retributionis audire sis meritus: *Euge serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 23; *Luc.* XIX).

Curam præterea congregandæ synodi, quam vobis atque aliis fratribus nostris pro illicitarum rerum prohibitione fiendam scripsimus, vestræ specialiter sollicitudini noveritis incumbere. Unde quia præcellentissimos filios nostros Francorum reges magnam vobis novimus dilectionem impendere, omni vos

[g] Norm., *censemus*.

Epist. CVIII [*Al.* 113]. — [a] In Rhem., omnibus Norm. et quatuor Colbert., legitur *Augustiduno*.

[b] Ita Norm. plurimi, Vatic. et plerique Mss. In Vulgatis, *nutrire concordiam, servare conjuncta*.

[c] Al., *ut multum*, quod legitur in Vatic. D et omnibus Norm.

[d] Vatic. B, *commotus*.

[e] Norm., *ut metropoli suæ;* et quidem de Ecclesiarum ordine ac dignitate hoc loco agitur, non de personarum principatu et jure præcedendi.

[f] Hinc Augustodunensis civitas facta est *protothronus*. Cæterum nihil perturbatius est sessionibus et subscriptionibus non solum episcoporum, sed etiam metropolitanorum in synodis, si earum acta edita consulamus: adeo ut quandoque episcopi ante archiepiscopos subscripserint. Unde ex hujusmodi sessionibus et subscriptionibus non licet quidquam de sedium dignitate statuere.

[g] Norm. et Vatic. A et F, *in cunctis se studium vestræ fraternitatis exerceat*.

[h] Recent., *sit cura vigilans, ut vestrum*.

studio omnique agere annisu necesse est ut quod de synodo congreganda mandavimus fraternitatis vestræ vigilantia compleatur, atque omnia illic quæ pro animarum salute scripsimus censeantur; quatenus per hoc, et vos zelum vestrum et qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, et nos utiliter providisse, qui vestram ad hoc præ cæteris personam elegimus, videamur. (*Vide sup. epist.* 106 *et* 107.)

## EPISTOLA CIX.

### AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

*De iis qui ex laicis repente fiunt episcopi, aut per simoniam ordinantur. Ut synodum ad hæc exstirpanda cogi jubeat, atque edicto constituat ne Judæis Christiana mancipia habere liceat.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Postquam excellentiæ vestræ sollicitudo regia est ubique gubernatione laudabilis, ad augmentum gloriæ suæ vigilantiorem se debet et providam exhibere, ut quos consilio regit exterius, perire interius non permittat; quatenus per fructum piæ sollicitudinis, post hujus, quod geritis, temporalis regni fastigium, ad æterna, Deo auctore, gaudia possitis et regna pertingere. Quod quidem hac vobis confidimus posse ratione contingere, si inter alia bona de ordinandis curam sacerdotibus gesseritis. Quorum officium in tantam illic, sicut didicimus, ambitionem perductum est, ut sacerdotes subito, quod grave nimis est, ex laicis ordinentur (*Grat. Dist.* 61, *c.* 1). Sed quid isti acturi, quid populo præstituri sunt, qui non ad utilitatem, sed fieri ad honorem episcopi concupiscunt? Hi ergo qui necdum quod docere debeant didicerunt, quid aliud agunt, nisi ut paucorum provectus illicitus fiat multis interitus, et **1015** in confusionem ecclesiasticæ moderationis observantia deducatur, quippe ubi nullus regularis ordo servatur? Nam qui ad ejus regimen improvidus et præcipitatus accedit, qua admonitione subjectos ædificet, cujus exemplum non rationem docuit, sed errorem? Pudet profecto, pudet aliis imperare quod ipse nescit custodire.

Nec illud quidem quod similiter emendationi tradendum est præterimus, sed omnino execrabile, et esse gravissimum detestamur, quod sacri illic ordines per simoniacam hæresim, quæ prima contra Ecclesiam orta et districta maledictione damnata est, conferantur. Hinc ergo agitur ut sacerdotii dignitas in despectu et sanctus sit honor in crimine. Perit itaque reverentia, adimitur disciplina, quia qui culpas debuit emendare committit, et nefaria ambitione honorabilis sacerdotii ducitur in depravatione censura. Nam quis denuo veneretur quod venditur, aut non vile putet esse quod emitur? Unde valde contristor, et terræ illi condoleo, quia dum sanctum Spiritum, quem per manus impositionem omnipotens Deus hominibus largiri dignatur, divino munere habere despiciunt, sed præmiis assequuntur, sacerdotium illic subsistere diu non arbitror. Nam ubi dona supernæ gratiæ [a] venundantur, ad Dei servitium non vita quæritur, sed magis contra Deum pecuniæ venerantur. Quia igitur tantum facinus non solum illis periculum, verum etiam vestro regno satis est noxium, salutantes excellentiam vestram paterno affectu, petimus ut de hujus pravitatis emendatione Deum vobis placabilem faciatis. Et ut nulla deinceps valeat occasione committi, synodum fieri jussio vestra constituat, ubi, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub districta anathematis interpositione debeat interdici, ne ullus ex laico habitu subito ad episcopatus audeat gradum accedere, neque pro ecclesiasticis ordinibus quilibet quidquam dare vel ausus sit accipere, ut Dominus et Redemptor noster sic quæ vestra sunt faciat, sicut excellentiam vestram in iis quæ sua sunt pia esse viderit devotione sollicitam. Curam vero et sollicitudinem ejusdem synodi, quam fiendam decrevimus, fratri coepiscopoque nostro Syagrio, [b] quem vestrum proprium novimus specialiter delegare curavimus; quem petimus ut et supplicantem libenter audire et ope juvare digneinini, quatenus quod ad mercedem vestram respiciat, remoto hujus mali contagio, in cunctis finibus juri vestro subjectis pia et Deo placita procedat ordinatio sacerdotum.

Cui fratri nostro pro eo quod se in ea prædicatione quæ Anglorum genti, auctore Domino, facta est devotum vehementer exhibuit, pallium ad missarum solemnia utendum transmisimus, ut quia adjuvare spiritalia studuit, apostolorum principis **1016** solatio in ipso quoque inveniatur spiritali ordine profecisse.

Omnino præterea admirati sumus cur et in regno vestro Judæos Christiana mancipia [c] possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes nisi membra Christi? Quorum videlicet membrorum caput cuncti novimus quia fideliter honoratis. Sed quam diversum sit excellentia vestra perpendat caput honorare, et membra ipsius hostibus [d] calcanda permittere. Atque ideo petimus ut excellentiæ vestræ constitutio, de regno suo hujus pravitatis mala removeat; ut in hoc vos amplius [e] dignam cultricem omnipotentis Domini demonstretis, quod fideles illius

EPIST. CIX [*Al.* 114]. — [a] Editi, *venalia judicantur.*

[b] Ex his forte orta occasio dicendi Syagrium fuisse cognatum Brunichildis reginæ. Ejus frater appellatur in Breviario Æduensi, inquiunt Sammarthani fratres, Galliæ Christianæ tomo II, qui tamen ab hac opinione longius abscedunt, quia in veteribus libris aut scriptoribus de regali prosapia hujus pontificis nihil legitur. Certe id minime quoque significant sancti Gregorii verba.

[c] Idem multo post tempore statuit Rhemense conc. an. 630, c. 11, et Leptinense an. 743, c. 3. Sed in Capitulari Caroli Magni, an. 779, c. 20: *De mancipiis quæ venduntur. Ut in præsentia episcopi vel comitis sit, aut in præsentia archidiaconi, aut centenarii, aut in præsentia vicedomini, aut judicis comitis, aut ante bene nota testimonia. Et foras marcham, Gal.*, hors le marché, *nemo mancipium vendat*, etc. Scilicet ut de eorum religione constaret. GUSSANV.

[d] Editi, *submittere.*

[e] In Norm. et nonnullis, *dignas cultrices.* Consentiunt Excusi. Sequimur tres Vatic., Rhem., etc.

ab inimicis ejus absolvitis. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, c. 2.)

## EPISTOLA CX.

AD THEODERICUM ET THEODEBERTUM REGES FRANCORUM.

*Quod multi per simoniam ordinentur, tributa a prædiis ecclesiasticis exigantur, ex laicis repente fiant episcopi. Synodum ad hæc emendanda celebrari curent, statuantque ne Judæis Christiana mancipia habere liceat.*

Gregorius [a] Theoderico et Theodeberto regibus Francorum.

Cum regni vestri nomen [b] inter cætera gratia olim Christianæ religionis effulserit, valde studendum est ut unde gloriosiores cæteris gentibus eminetis, inde omnipotenti Domino qui dat salutem regibus perfectius placeatis et fidem quam colitis adjutricem in omnibus habeatis. Optaveramus quidem, præcellentissimi filii, nostrum ad vos [c] sola dirigere visitatione sermonem, ut charitatis officiis paternum monstraremus affectum. Sed [d] quia nimium nos res constristat illicita, sic unum convenit exhibere, ut aliud sub silentio, quod emendatione indiget, minime relinquamus. Quod si diligenter attenditis, pro salutis vestræ nos loqui prorsus incolumitate cognoscetis.

Fertur autem (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 28) simoniacam hæresim, quæ prima contra Dei Ecclesiam [e] diabolica plantatione subrepsit, et in ipso ortu suo telo apostolicæ ultionis percussa atque damnata est, in regni vestri finibus dominari, cum in sacerdotibus fides sit eligenda cum vita. Si vita deest, fides meritum non habet, beato Jacobo attestante, qui ait: *Fides sine operibus mortua est* (*Jac.* II, 18). Quæ enim opera esse valeant sacerdotis, qui honorem tanti sacramenti convincitur obtinere per præmium? Ex qua re agitur, ut ipsi quoque qui sacros ordines appetunt non vitam corrigere, non mores componere studeant, sed divitias quibus honor sacer emitur satagant congregare. [f] Hinc fit etiam ut insontes **1017** et pauperes a sacris ordinibus prohibiti despectique resiliant. Et dum innocentia pauperis displicet, dubium non est quod præmium illic delicta commendet, quia ubi aurum placet, et vitium. Hinc igitur non solum in ordinatoris et ordinati animam lethale [g] vulnus infigitur, verum etiam excellentiæ vestræ regnum, vestrorum episcoporum culpa, quorum magis intercessionibus juvari debuerat, prægravatur. Si enim is dignus sacerdotio creditur, cui non actionis merita, sed præmiorum copia suffragatur, restat ut nihil sibi in honores ecclesiasticos gravitas, nil defendat industria, sed totum auri profanus amor obtineat. [h] Et dum vitia munerantur honore, in locum ultoris is qui fortasse fuerat ulciscendus adducitur; atque hinc [i] sacerdotes non proficere, sed perire potius indicantur. Vulnerato namque pastore, quis curandis ovibus adhibeat medicinam? Aut quando populum orationis clypeo tueatur, qui jaculis se hostilibus feriendum exponit? Aut qualem de se fructum producturus est, cujus gravi peste radix infecta est? Major ergo metuenda est locis illis fore calamitas, ubi tales intercessores ad locum regiminis adducuntur, qui Dei in se magis iracundiam provocent, quam per semetipsos populis placare debuerant.

Audivimus autem quia [k] Ecclesiarum prædia tributa [l] nunc præbeant, et magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxantur.

Nec hoc quoque malum sollicitudo nostra patitur negligenter omittere, quod quidam, instinctu gloriæ inanis illecti, ex laico repente habitu, sacerdotii honorem arripiunt, et, quod dicere pudet et grave tacere est, regendi rectores, et qui docendi sunt doctores, [m] nec erubescunt videri, nec metuunt. Ducatum animarum impudenter assumunt, quibus via omnis ignota ductoris est, et quo vel ipsi gradiantur ignari sunt. Quod quam pravum quamve sit temerarium sæculari etiam ordine et disciplina monstratur. Nam dum dux exercitus nonnisi labore et sollicitudine expertus eligitur, quales animarum duces esse debeant, qui episcopatus culmen immatura cupiunt festinatione conscendere, hujus saltem rei comparatione

EPIST. CX [*Al.* 115]. — [a] Seu *Theuderico*. In Excusis, *Theodorico a paribus*. Ultima hæc non exhibent Mss. Norm., Rhem., quatuor Vatic., Corb., reperiuntur tamen in duobus Vatic.

[b] Ita Vatic., Norm., etc. Editi habent, *inter cæteras gentes gratia*.

[c] Recentiores, *solita dirigere*.

[d] Vatic. A, Corb., Norm., *quia animum res contristat*.

[e] In recent.. *diabolica supplantatione*.

[f] Det aliquando Deus voci sancti Gregorii vocem virtutis. Audivit eam concilium Tridentinum, sess. XXIII, cap. 18, ubi de seminario sciscit. Audiverat concil. Lateran. sub Alexandr. III, parte I, c. 18: *Quoniam Ecclesia Dei et in his quæ spectant ad subsidium corporis, et in his quæ ad profectum veniunt animarum, indigentibus, sicut pia mater, providere tenetur, ne pauperibus, qui parentum opibus juvari non possunt, legendi et proficiendi opportunitas subtrahatur*, etc. GUSSANV.

[g] Recent., invitis Mss. et vet. Ed., *vulnus infligitur*, et paulo post, *regnum, vestrorum episcoporum*. Certe *vestrorum* minime legitur in Vaticanis, Norm., Rhem., Corb., Reg., etc., quibus consentiunt vet. Excusi.

[h] Vatic. D et Rhem., *et dum vitium*. Vatic. F, *et dum vitio honor remuneratur*.

[i] Rhem. et Vatic. D: *Sacerdotes non proficere, sed interficere, non in bonum ad cœlum prævire, sed in infernum ad malum perire potius irritantur*. Reg., Remig. et Vatic. E, habent quoque *irritantur*.

[k] In lege Mosaica terra sacerdotum immunis erat a tributis. In lege nova habemus leges tum ecclesiasticas tum civiles, quibus idem fere cautum est, ut Lateran. concil. III, sub Alexandr. III, can. 19, refertur extra *de immunitatibus*, etc., can. 4. In Sexto, eodem titulo, cap. 1 et 3, causa 23, quæst. 8, referuntur quædam leges civiles et ecclesiasticæ. In Cod., titulo *de sacros. Eccles.*, leg. *Placet*, etc. An autem ista immunitas sit de jure divino, vel humano, definire nostri non est instituti. GUSSANV.

[l] Vatic. A, D, E, F, Remig. et Colbert., *non tribuant*, quæ lectio, etsi paucorum Mss., non videtur contemnenda. Insectatur simoniam hoc loco sanctus Gregorius, quam nemo illicitam esse negaverit. Sanctet regibus ab ea esse abstinendum, maxime cum eorum munificentia prædia Ecclesiæ a tributis alias licitis sint libera.

[m] Excusi, *nec erubescunt fieri*.

considerent, et aggredi repente inexpertos labores abstineant, ne cæca honoris ambitio et ipsis in pœnam sit, et aliis pestifera erroris semina jaciat, quippe qui non didicerunt quod ipsi doceant. Proinde paterno salutantes affectu **1018** petimus, excellentissimi filii, ut hoc tam detestabile malum de regni vestri studeatis finibus prohibere, et nulla apud vos excusatio, nulla contra animam vestram suggestio locum inveniat, quia facientis procul dubio culpam habet, qui quod potest corrigere negligit emendare. Qua de re, ut magnum omnipotenti Domino munus valeatis offerre, synodum congregari præcipite, in qua, sicut fratribus coepiscopisque nostris mandavimus, præsente dilectissimo filio nostro Cyriaco abbate, sub anathematis debeat obligatione constitui, nullum pro ecclesiastico ordine aliquid unquam dare, nullum accipere, nec quemquam ex laicis ad sacerdotium repente transire, quatenus hanc vobis mercedem et hic et in futura vita Redemptor noster, cujus sacerdotes interius ab hoste perire non sinitis, recompenset.

Omnino præterea admirati sumus quod in regno vestro [n] Judæos Christiana mancipia possidere permittitis. Quid enim sunt Christiani omnes, nisi membra Christi? Quorum videlicet membrorum caput cuncti novimus quia fideliter honoratis; sed quam diversum sit excellentia vestra perpendat caput honorare, et membra ipsius hostibus calcanda permittere. Atque ideo petimus ut excellentiæ vestræ constitutio de regno suo hujus pravitatis mala removeat, ut in hoc vos amplius dignos cultores omnipotentis Domini demonstretis, quod fideles illius ab inimicis ejus absolvitis. (*Cf Joan. Diac. l.* III, *c.* 2.)

## EPISTOLA CXI.

AD VIRGILIUM EPISCOPUM ARELATENSEM.

*Confirmat privilegia per Vigilium papam Arelatensi monasterio concessa.*

Gregorius Virgilio episcopo Arelatensi.

Cum piæ desiderium voluntatis (*Grat.* 25, *q.* 2, *c.* 9), et laudandæ devotionis intentio sacerdotalibus A sit semper studiis adjuvanda, cura est sollicitudinis adhibenda, ut ea quæ pro quiete monachorum religiosæque conversationis fuerint ordinata, nec dissimulatio negligere, nec quædam valeat præsumptio perturbare. Sed sicut hoc quod ratio exigebat utiliter oportuit definiri, ita quod definitum est [a] non debet violari. Igitur gloriosæ memoriæ [b] Childebertus, Francorum rex, catholicæ religionis amore succensus, **1019** intra muros Arelatensis civitatis [c] monasterium virorum, ut scripto reperimus, pro sua mercede constituens, quædam ibidem pro habitantium sustentatione concessit. Cujus ne voluntas unB quam duceretur in irritum, et ea quæ pro quiete monachorum disposita fuerant turbarentur, quæque contulit in jura ejusdem monasterii, epistolis suis apostolica petiit auctoritate firmari : hoc quoque suæ petitioni subjungens, ut eidem monasterio tam in dispositione rerum quam in ordinatione abbatis quædam pariter privilegia largirentur. Sciens quippe eam apostolicæ sedi reverentiam a fidelibus exhiberi, ut quæ ejus fuissent decreto disposita nullius deinceps illicitæ usurpationis molestia quaterentur. Unde quia effectum et regia voluntas et res valde desiderata poscebat, a prædecessore nostro Vigilio, Romanæ sedis antistite, ad [d] prædecessorem vestrum Aurelium scripta transmissa sunt, ubi omnia quæ amplectendæ voluntatis studium deposcebat apostolicæ auctoritatis libenter annisu firmata sunt, quia difficultatem pati non potuit hujusmodi res petita. Sed ut fraternitas vestra quæ fuerint tempore illo decreta C cognoscat, antedicti prædecessoris nostri scripta his prævidimus scriptis adjungi. Quibus lectione percursis, hortamur ut omnia sacerdotali, sicut decet, studio inviolata conserves, [e] nihilque illic de indebitis, nihil permittas de illicitis irrogari, nec ea quædam patiaris usurpatione convelli. Nam licet ea quæ semel apostolicæ sedis auctoritate sancita sunt nil egeant firmitatis, ex abundantia tamen cuncta quæ pro hujus rei quiete a prædecessore nostro statuta sunt nostra iterum auctoritate in omnibus robora-

[n] Fuerant majores nostri erga Judæos indulgentiores, ut ex Gallicanis conciliis colligimus. Matiscon., an. 581, can. 16, docet usum illius temporis diversum ab eo fuisse quem leges Valentiniani III, an. 425, et plurimi canones imperaverant. Aurelian. III, an. 538, c. 13, patitur Judæis subdi Christiana mancipia, dum nihil illis quod Christiana religio vetat a D dominis imponatur. Rhemense conc., an. 630, c. 2, videtur non dissentire ab Aurelian. III. Vide Meldense conc., c. 75, an. 845.

EPIST. CXI [*Al.* 116]. — [a] Additur in plerisque Excusis *nisi forte ubi major est auctoritas.* Hæc non leguntur in quinque Vatic., Remig., Reg., San-Vict., etc., nec apud Anselmum, lib. IV, cap. 7, sed neque in antiquioribus Editionibus, ut Veneta ann. 1504, Paris. 1508, 1518, 1521, 1523, Lugdun. 1539, et aliis jam de hoc nonnihil animadverterant correctores Romani, causa 25, quæst. 2, can. 9. Notat autem Jamesius hæc verba, quæ non habentur in sex Mss. Anglicanis, ex margine in contextum irrepsisse. *Partim ex* GUSSANV.

[b] Vet. Colb., Corb. et Norm., *Cellibértus.*

[c] Monasterium illud ipsum esse quod extra muros Monti majori adjacet, putat auctor Pontificii Arelat. in Aureliano. *Vidit tandem Aurelianus*, inquit, *antequam decederet an.* 555, *consummatum perfectumque monasterium quod Arelate exstruendum mandaverat Childebertus, vivente Cæsario, vulgo monasterium montis majoris.* Eximiis illud donavit privilegiis Vigilius, quorum memoriam habes in hac Gregorii epist.

[d] Qui Auxanio successit. Vide, an. 546, epistolas Vigilii papæ ad Aurelianum et ad episcopos Galliæ. An. 549, subscripsit conc. Aurelian. V; Aureliano iterum scripsit Vigilius an. 550, post receptas ab ipso litteras, Anastasio deferente, de quo duobus post annis in epist. clericorum Italiæ legatis Francorum data, qui Constantinopolim proficiscebantur. Monasterium autem de quo hic sermo, Childeberto jubente condi cœptum fuerat an. 548. Vide Regulam monachorum ab Aureliano conscriptam jussu regis, et in Codice Regularum relatam, quam publici juris fecit Holstenius. Retinuimus autem Aurelium, quod sic legatur in omnibus Vatic., Norm., Colbertinis, Corb., Rhem.

[e] Rhem. et quatuor Vatic., *nihilque illic debeatis, nihil permittatis de*, etc. Mendose in Excusis *illi*, pro *illic.*

mus. Fraternitas ergo vestra ita se in custodiendis eis exhibeat, quatenus et omnem occasionem inquietudinis excludat, et aliis hæc operari suadeat, dum se in custodienda defuncti piissima voluntate, sollicitam, ut decet, exhibuerit et devotam.

## EPISTOLA CXII.

AD DESIDERIUM EPISCOPUM GALLIÆ.

*De pallio ipsius prædecessoribus concesso nihil in Ecclesiæ Romanæ scrinio reperiri. Mittat proinde, si quid in Ecclesiæ suæ chartis invenerit.*

Gregorius Desiderio [a] episcopo Galliarum.

Fraternitatis vestræ desiderium Joannis regionarii relatione cognovimus : quod quidem libenter parati sumus implere, si diligenter fuerimus de his quæ retulit informati. Inquit autem a vestra sibi relatum dilectione quod Ecclesiæ vestræ quædam olim privilegia ab apostolica sede concessa sint, atque usum pallii ejus sacerdotes **1020** antiquitus habuisse. Quod quia vobis magnopere poscitis reformari, in Ecclesiæ nostræ scrinio requiri fecimus, et inveniri nil potuit. Sed quoniam quanto studiosius ista cupitis adipisci, tanto vos arbitramur esse sollicitos, in requirendis chartis Ecclesiæ vestræ vigilantius curam impendite; et si qua exinde scripta inveniri potuerint, quæ nos valeant informare, huc curæ vestræ sit transmittere. Nam qui nova concedimus, vetera libentissime reparamus.

## EPISTOLA CXIII.

AD SYAGRIUM EPISCOPUM AUGUSTODUNENSEM.

*Ut Menatem et Theodorum Episcopos in Italiam redire compellat.*

Gregorius Syagrio episcopo Augustodunensi.

Cum sacerdotalis dignitas aliis videatur dignitatibus eminere, ita quisquis ea ornatus est, cunctis se imitandum debet ostendere, ut exemplo suo nulli nocere, sed vitam potius valeat componere subjectorum. Nam si actus dissentiat a nomine, quanto pontificatus ipse plus erigit, tanto magis addicit. Itaque Menatem quemdam episcopum, qui illuc de [a] diœcesi Romanæ Ecclesiæ nostra ordinatione profectus est, in tanta se levitate didicimus exhibere, ut et nobis de eo major sit verecundia, et illi episcopatus nomen non sit in honore, sed onere. Quod quia pudoris nobis est de eo illa cognoscere, quæ in aliarum provinciarum omnino reprehendimus sacerdotibus, fraternitas vestra eum illic immorari amplius non permittat, sed ad nos quantocius reverti compellat, ac magis inventa per omnia occasione transmittat, ut, sub ea qua dignum est observantia refrenatus, sæculares mores ad sacerdotalem studeat convertere gravitatem. Nam satis noxium atque perniciosum est ut imitatione ipsius [b] qui ædificari debuerant destruantur. In qua re non solum ille culpabilis, sed etiam [c] qui non restiterit invenitur ; nam consentire videtur erranti, qui corrigenda ut resecari debeant, [d] non concurrit (*Grat. dist.* 83, *c.* 5).

Quia vero Theodorus quidam episcopus de diœcesi reverendissimi fratris nostri Constantii Mediolanensis Ecclesiæ episcopi disciplinam, ut dicitur, evitans, illud venisse firmatur, hortamur ut et istum diligentius requisitum ad episcopum suum vestra fraternitas retransmittat. Et quia sicut legitur : *Qui abjicit disciplinam, infelix est* (*Prov.* xv, 32), nulla eum illic se excusatione patiamini retinere; quatenus ipsi qui levitatis eorum vitio possunt decipi liberentur, et de ipsis habere mercedem, ne in hac stultitia pereant, valeatis.

## **1021** EPISTOLA CXIV.

AD VIRGILIUM ET SYAGRIUM EPISCOPOS.

*De suscipienda causa Syagriæ, quæ religionem professa cum esset, marito violenter juncta dicebatur.*

Gregorius [a] Virgilio episcopo Arelatensi et Syagrio episcopo Augustodunensi.

Commissi officii qualitas me, fratres charissimi, in vocem cogit doloris erumpere, et dilectionem vestram anxietate charitatis exasperare, quod illic vos nimium negligentes et remissos dicitur exstitisse, ubi studium vestrum acriter justitiæ rectitudo et zelus debuit castitatis accendere. Pervenit autem ad nos Syagriam quamdam vitam religiosam mutatis etiam vestibus assecutam, posteaque marito violenter esse, quod dici iniquum est, sociatam, et nullo vos in ejus defensione dolore permotos. Quod si est, vehementius ingemisco, ne apud omnipotentem Dominum, quod absit, mercenarii officium, et non pastoris meritum habeatis, quippe qui in ore lupi ovem laniandam sine certamine reliquistis. Quid enim dicturi, quamve rationem futuro estis judici reddituri, [b] quos stupri solutio non commovit, quos ad defendendum favor nequaquam religiosi habitus excitavit, quos ad tutandam pudicitiæ integritatem sacerdotalis consideratio non erexit. Vel nunc ergo neglectus ad memoriam redeat, hujus recordatio

Epist. CXII [*Al.* 117]. — [a] Vatic. A et F, *episcopo in Galliis*. Vatic. B, *episcopo Gallicinæ civitatis*.

Epist. CXIII [*Al.* 118]. — [a] Hic diœcesis est ecclesiastica illa provincia cujus metropolis erat Roma. Eodem sensu paulo inferius : *de diœcesi Reverendissimi fratris nostri Constantii Mediolan. Ecclesiæ episcopi*. Hic asseritur jus Metropolitanorum quod episcopi declinabant odio disciplinæ. In Reg., Rhemensi et nonnullis præsertim Vatic., *de diœceseos nostræ ordinatione*.

[b] Excusi, *quæ ædificari*.

[c] Rhemensis et Vatic. D, *qui nobis restiterit*.

[d] Vulgati, *non corrigit*.

Epist. CXIV [*Al.* 119]. — [a] Sic restituimus inscriptionem, præeuntibus Rhem., Norm., Anglic., etc.

[b] In Excusis legitur, *stupri scortatio*. Castitatem atque paupertatem expressis quidem verbis non spondebant coævi Gregorii Mag. monachi, nec illas ætate nostra expresse profitetur Benedictinus ordo ; sed neque canonici regulares, Carthusiani, Carmelitæ, ac Prædicatores ex prima institutione. Expressam utriusque mentionem primus fieri voluit sanctus Franciscus; utraque tamen monasticæ conditionis pars semper fuit, iisdemque legibus firmatus erat Gregorii Mag. ævo monachismus quibus nunc stat. De conversione morum et obedientia nullum dubium. De reliquis Gregorium ipsum consule. De paupertate, lib. IX, epist. 7; lib. X, epist. 1. De perpetua castitate, lib. V, epist. 24. De stabilitate, lib. I, epist. 34, lib. XI, epist. 28. De paupertate, castitate, et stabilitate, lib. I, epist. 42.

culpæ [c] sollicite et officii vestri consideratio ad prædictæ mulieris vos adhortationem impellat. Et ne forte per tempus transisset in voluntatem necessitas, lingua illi vestra medela sit, atque, admonentibus vobis, orationibus operam det, de memoria lamenta pœnitentiæ non recedant, Redemptori nostro cor pœnitens exhibeat, et castitatis damna quam ei corpore servare non licuit, fletu resarciat,

Quia ergo prædicta mulier [d] res suas, etiam nunc piis, ut fertur, desiderat causis impendere, hortamur ut fraternitatis vestræ hac in re favorem inveniat, solatiis potiatur, et, servata competenti filiis portione, fas illi sit de substantia sua **1022** judicare quod velit. Vestrum enim sine dubio bonum facitis, si bona volentibus opem fertis. Hæc igitur, dilectissimi fratres, quæ loquimur ex quanto procedant amore pensate, et omnia cum ea qua dicuntur charitate suscipite. Nam dum unum in Redemptoris nostri corpore corpus sumus, in his quæ vobis nocere sentio simul uror. Qua autem intentione, quove affectu hanc vobis epistolam miserim, cordi vestro veritatis auctor aperiat. Et ideo hæc fraterna vos admonitio non contristet, quia et asperum poculum libenter accipitur, quod intentione salutis offertur. Quod superest, charissimi fratres, junctis Dei nostri misericordiam precibus exoremus, ut vitam nostram in suo propitius timore disponat; quatenus et hic illi sacerdotaliter deservire, et in conspectu ipsius in futuro securi assistere et sine metu valeamus.

## EPISTOLA CXV.

AD SYAGRIUM EPISCOPUM AUGUSTODUNENSEM.

*De parochiis episcopo Taurinensi subtractis, et episcopo in iisdem constituto, ut eas illi restituendas curet.*

Gregorius Syagrio episcopo Augustodunensi.

Si in rebus sæcularibus suum cuique jus et prius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere? Quod [a] hac ratione servabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur.

Perlatum siquidem ad nos est dilectissimum fratrem nostrum [b] Ursicinum, [c] Taurinæ civitatis episcopum, post captivitatem et deprædationem quam pertulit [d] grave in parochiis suis, quæ in Francorum sitæ terminis perhibentur, præjudicium pertulisse; denique [e] ut alter illic contra ecclesiastica statuta, nullo ejus crimine deposcente, constitueretur antistes. Et ne leve forsitan videretur hujus rei præjudiciale commissum, etiam aliquid doloris est additum, ut res ei Ecclesiæ suæ quas habere potuit tollerentur. Quod si hæc veritate subsistunt, **1023** quia crudele nimis est et aperte sacris canonibus inimicum ut ab altari proprio insontem ambitio removeat sacerdotem, qui non meretur ex crimine successorem, suam [f] in hujus præjudicio cuncti causam attendant, [g] et quod nolunt perpeti, ne aliis imponatur studeant. Nam si pravæ rei aditus, antequam diu patescat, non clauditur, usu fit latior; [h] et erit consuetudine licitum, quod ratione constat esse prohibitum. Sed præ cæteris fraternitatis vestræ sollicitudo, pro nostra commendatione ac divinæ considerationis intuitu, in ejus se enixius defensione impendat, et a suis illum amplius contra rationem remotum esse parochiis non permittat. Sed tam per se quam supplicando præcellentissimis regibus, quos vos in nullo credimus contristare, id peragat, ut et hoc quod male factum est corrigatur, et quæ violenter ablata sunt veritate patrocinante reddantur; quia dum scriptum sit : *Frater fratrem adjuvans exaltabitur* (*Prov.* XVIII, 19), tanto se ab omnipotente Deo

[c] In vulgatis *sollicitet*.

[d] Torquet Gussanvillæum quod res proprias haberet hæc monialis. Ea bona aut dudum e monasterio egressa Syagria collegerat, aut nondum suscepto religionis habitu cum possedisset, marito sociata repetierat. Justinianus quidem, novella 5, tit. 5, de Monachis, lib. IV, statuit in hunc modum : *sciat Monachus..... res quascunque habuerit dum in monasterium intrabat, eas dominii esse monasterii, et nihil prorsus ejiciat.* Verum hac lege non tenebatur Syagria; nam etsi Romanis legibus ante quinti sæculi medium latis regebantur Franci, non tamen Justiniani Novellis. Scribit Cassianus, lib. IV Institutionum, c. 4, quosdam per nonnulla minus caute monasteria simpliciter susceptos, eorum quæ intulerant redhibitionem poposcisse. Id præcavens sanctus Benedictus, Reg. c. 58 : *Suscipiendus*, inquit, *res si quas habet, aut eroget prius pauperibus, aut facta solemniter donatione conferat monasterio.* Confer cum observat. in epist. 6 lib. IV. Similem adhibet cautionem regula Magistri, c. 87 : *Una cum anima sua Deo et oratorio monasterii offerat totum, subscribentibus religiosis testibus, episcopo, presbytero et diacono, vel ipsius territorii clero; et in ipsa cautione taxans hoc, quod si aliquando de monasterio discedere voluerit, sine rebus suis recedat.* Vide observ. in epist. olim 22, ind. 4, ubi de testamentis abbatum et monachorum. Nunc est in appendice.

EPIST. CXV [*Al.* 120]. — [a] Vatic. B, D, E, F, et Rhem., *hac veneratione.*

[b] Hic, tom. IV Italiæ sacræ, ponitur sextus Taurinensis episcopus, ann. 580. Hæc autem epistola scripta est circa ann. 598. Unde miror Philibertum Pingonium Sabaudum in Augusta Taurinorum nominare Agnellum episcopum ann. 589, nullumque recensere usque ad ann. 800. Forte Agnellus is est quem hac epistola Gregorius ait, detento in captivitate Ursicino, constitutum fuisse antistitem. GUSSANV.

[c] Taurini, olim Augusta Taurinorum, vulgo *Turino*, urbs Italiæ notissima, ducis Sabaudiæ sedes, in principatu Pedemontano; nunc sede gaudet archiepiscopali. GUSSANV.

[d] Nimirum creato ex ipsius parochiis novo Mauriennæ episcopatu; vide Concil. Lugdun. I, can. 2, 4, 5, necnon Aurelian. V, can. 12. Maurienna primum ad Taurinensem diœcesim pertinebat, ut scribit Gregorius Turon., lib. I de Gloria martyrum, cap. 14. Tum, a Francis sub Guntramno rege occupata, proprium habuit episcopum. Parochias quoque Segusienses Taurinensis diœceseos Guntramnus rex, postquam eas ditionibus suis adjunxit, episcopo Taurinensi deinceps subesse noluit, quia Taurinum in potestate Langobardorum adhuc erat. Ea de re conquestus est apud Romanum pontificem Ursicinus. Scripsit ad Syagrium episcopum, ad Theodericum et Theodebertum reges hanc et sequentem epist. Gregorius Mag., sed frustra; Mauriennensis enim episcopatus ad hodiernum usque diem stetit.

[e] Id maxime prohibet Lugd. I, can. 5 : *Id quod antiquissima vel celeberrima observatione decretum est, nihilominus iteramus, ut nullus in locum viventis ad ambiendum sacerdotii gradum audeat aspirare. Quod si qualibet impia vel temeraria voluntate præsumpserit,*

charitas vestra noverit recepturam, quanto præcepta ipsius in adjuvando fratrem libenter atque constanter fuerit exsecuta.

## EPISTOLA CXVI.

AD THEODERICUM ET THEODEBERTUM REGES FRANCORUM.

*Ut episcopo Taurinensi restituantur ipsius parochiæ in regno Francorum sitæ, in quibus ordinatus fuerat novus episcopus.*

Gregorius Theoderico et Theodeberto regibus Francorum.

Summum in regibus bonum est justitiam colere, ac sua cuique jura servare et in subjectos non sinere quod potestatis est fieri, sed quod æquum est custodiri. Quod quia vos et diligere et omnino confidimus [a] studere, excellentiæ vestræ indicare ea quæ emendationem expetunt invitamur, ut per hoc et oppressis succurrere, et vobis mercedem acquirere nostris epistolis valeamus.

Fratrem itaque et coepiscopum nostrum Ursicinum, Taurinæ civitatis antistitem, in parochiis suis quæ intra regni vestri sunt terminum constitutæ, grave omnino dicunt præjudicium sustinere, adeo ut contra ecclesiasticam observantiam, contra sacerdotalem gravitatem, et contra sacrorum [b] canonum definita, nullo ejus exigente crimine, alter illic non meruerit episcopus ordinari. Et quia parum visum est si illicitis non jungerentur illicita, etiam res Ecclesiæ suæ, ut fertur, ablatæ sunt. Quod si ita se veritas habet, quoniam intolerabile nimis est [c] ut vi opprimeretur cui culpa non nocuit, præmisso paterna charitate salutationis alloquio, petimus ut quod excellentia vestra amore ecclesiasticæ reverentiæ et æquitatis contemplatione sponte potest impendere nostra studeat benignius intercessione concedere, et justitiam illi, sicut de æquitatis ejus bono confidimus, faciat in omnibus custodiri, atque **1024** patefacta veritate, et quod illicite actum est corrigi, et res ei violenter ablatas æquitate jubeat favente restitui. Nec quod ad tempus ab hostibus ejus Ecclesia detinetur, debet illi aliquid officere; sed hoc ad subveniendum Christianitatis vestræ magis magisque debet animos permovere, ut largitatis vestræ munere consolatus, captivitatis [d] quam pertulit non possit damna sentire. Pro utilitate ergo animæ vestræ hæc nostra apud vos exhortatio locum inveniat, ut ad meredem vestram dejectionem ipsius porrecta manu justitiæ relevetis, quatenus per hoc quod æquitatem sacerdotibus custoditis, eorum precibus ante Dei semper oculos floreatis.

*simul et ipse qui fuerit ordinatus, et hi fratres quos ordinationi ejus interfuisse constiterit, perpetua excommunicationis sententia feriantur.* GUSSANV.

[f] Sic restituimus ex Mss. Corb. et Norm. In quatuor Vatic., San-Vict., Turon. et Rhem. legitur, *præjudicium* pro *præjudicio*. Ita etiam habent vet. Ed., at recentiores *in hujus præjudicii cuncti causam*, etc., quibus frustra sensus quæritur.

[g] Ita quoque optime Norm., Rhem., Turon., Corb., San-Vict. et plerique Vaticani. Vet. Ed. habent : *et quod nolunt perpeti, nec aliis imponatur*. Recent., *ut qui nolunt perpeti, nec aliis imponant*.

[h] Id est, videbitur licitum apud homines minus sapientes.

EPIST. CXVI [*Al.* 121]. — [a] Rhem. et Vatic. D, *custodire*.

[b] Vulgati, *canonum instituta*.

[c] Colbert., quinque Vatic. et Rhem., *ut virtute opprimeretur*, id est *vi*.

[d] Quatuor Vatic., *quæ pertulit*, scilicet *damna*.

## EPISTOLA CXVII.

AD BRUNICHILDEM REGINAM FRANCORUM.

*Hilarium commendat, ut illum tuitione sua protegat.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

[a] Cum in regni regimine virtus justitia et potestas egeat æquitate, nec ad hoc alterum sine altero possit sufficere, quanto in vobis amore horum cura præfulgeat, ex hoc utique patenter ostenditur, dum turbas gentium laudabiliter gubernatis. Quis ergo hæc considerans de excellentiæ vestræ bonitate diffidat, aut de impetratione sit dubius, quando illa a vobis quæ subjectis vos libenter posse novit impendere duxerit postulanda? Lator itaque præsentium Hilarius, excellentiæ vestræ famulus, nostra se interventione apud potestatem vestram æstimans adjuvari, commendationis nostræ sibi poposcit epistolas suffragari : certum tenens uberius, sicut cæteris conceditis, promereri, si nostra pro eo intercessio loqueretur. Proinde paternæ charitatis affectu salutationis persolventes alloquia, petimus ut quia quorumdam se perhibet nequitia adversitatibus laborare, excellentiæ vestræ eum tuitio muniat; et ne contra rationem valeat prægravari, sua illum jussione tutum esse præcipiat; quatenus dum vobis jubentibus atque propitiis nullius adversitas injuste et pro sola tantummodo voluntate locum habuerit, et nos de impetratis quæ pro vestra magis mercede poscimus gratias referamus, et excellentiæ vestræ beatus Petrus apostolorum princeps, [b] quem in nobis, concedendo quæ petimus, Christiana devotione veneramini, recompenset.

## EPISTOLA CXVIII.

AD VANTILONUM ET ARIGIUM.

*Hilarium commendat, ut illi suum patrocinium impendant.*

Gregorius Vantilono et [a] Arigio.

Ad magnam gloriæ vestræ laudem accedit, quod

Consentit Colbert. vet.

EPIST. CXVII [*Al.* 122]. — [a] Consonant duo ex Plutarcho apophthegmata. Primum est de Antigono I : Εἰπόντος δέ τινος ὅτι πάντα καλὰ καὶ δίκαια τοῖς βασιλεῦσι, Ναὶ μὰ Διὰ, εἶπεν, τοῖς τῶν Βαρβάρων· ἡμῖν καὶ μόνα καλὰ, τὰ καλὰ, καὶ μόνα δίκαια, τὰ δίκαια. Hoc est : *Dicente quodam, omnia honesta et justa esse regibus : scilicet, inquit, omnino Barbarorum quidem regibus ; nobis sola honesta pro honestis, sola justa pro justis habenda.* Alterum de Antigono III. Ἀντίγονος ὁ τρίτος ἔγραψε ταῖς πόλεσιν ἄν τι γράψῃ παρὰ τοὺς νόμους, κελεύων γενέσθαι, μὴ προσέχειν ὡς ἠγνοηκότι. Id est : *Antigonus III civitatibus scribebat, si quid contrarium legibus per epistolam mandaturus esset, ne parerent, sed ipsum ignoratione lapsum censerent.* Hunc imitati sunt nonnulli summi pontifices. GUSSANV.

[b] Vatic. A, *quem in omnibus concedendo*.

EPIST. CXVIII [*Al.* 125]. — [a] Ad eumdem Arigium exstat epist. 57 libri VI.

[b] Hilarius, præsentium lator, valido se fidit præsidio relevari, si assequi favorem tuitionis vestræ meruerit. Quod adeo, sicut est, magnum existimat, **1025** et ad hoc obtinendum etiam nostram sui commendationem adhibere studuerit adjutricem. Hunc igitur quoniam ad vestrum videmus patrocinium desideranter velle confugere, scribere pro eo non judicavimus differendum : confidentes tanto vos defensionem petentibus libenter impertiri, quanto et eam in tristitia et in stricto positos cognoscitis suppliciter exspectare. Ea de re gloriam vestram paterna dulcedine salutantes, petimus ut quia prædictus portitor aliquorum inimicitiis se contra rationem asserit subjacere, patrocinium vestrum, quod magnopere cupit, inveniat, et nullam illum contra æquitatem molestiam, nullam vexationem patiamini sustinere; sed ab omni eum afflictione, quam non ratio, sed adversantium voluntas ingesserit, patrocinii vestri gratia tueatur; ut et hic optatum se in vobis, ut sperat, lætetur invenisse refugium, et aliquid vobis ad mercedem proficiat, [c] ac vestrum quidem in nobis alii similiter quærere discant in tribulatione solatium.

## EPISTOLA CXIX.

AD ASCLEPIADOTUM PATRICIUM.

*Hilarium commendat, ut ejus patrocinium suscipiat.*

Gregorius Asclepiadoto [a] patricio in Galliis.

Qui terrenis [b] regibus adhærent, quantum eis præstandi locus conceditur, tanto debent in causis mercedis proniores existere, ut fructu boni operis et hic eorum quibus serviunt gratia perfruantur, et cœlestis regni aulam introire postea mereantur. Unde licet hoc diligere, et in hoc vos esse confidamus intentos; veruntamen quia paternum alloquium aliquid bonis mentibus semper addit, hortamur ut quoties congruum juvandi tempus astiterit, nequaquam [c] quod operandum vobis est differatis. Nam qui fratrem luctu relevat, oppressum erigit, mœrentem consolatur, ab illo sibi retribui, cui totum impendit, non dubitet, qui ait : *Quod uni ex minimis istis fecistis, mihi fecistis* (*Matth.* XXV, 40). Quia igitur Hilarius præsentium portitor, pro eo quod frustra contra se quorumdam perhibet inimicitias exarsisse, vestræ se tuitioni nostra petiit epistola commendari, certus quod, patrocinantibus vobis, cujusquam contra rationem adversitas ei nocere non valeat, idcirco paterno gloriam vestram salutantes affectu, petimus ut favoris vestri gratia muniatur; et quod cæteris justa petentibus indulgetis huic quoque pro nostra intercessione largius impendatis, atque eum contra æquitatem opprimi non sinatis, sed manum illi auxilii, ubi rationis ordo vocaverit, porrigatis; quatenus ad mercedem gloriæ vestræ, et ipse in vobis quod omnino ardue quæsivit inveniat, et vos afflicto et humiliter supplicanti videamini, quod valde gloriosum est, subvenisse.

## **1026** EPISTOLA CXX.

AD CLAUDIUM IN HISPANIIS.

*Eum laudat, ex virtutis fama sibi dilectum. Ut in luce veritatis atque cœlestis patriæ amore proficiat hortatur. Cyriacum abbatem et legatum suum commendat.*

Gregorius Claudio in Hispaniis.

Quia unguenti more bonorum fragrat opinio, vestræ gloriæ de Occidentalibus partibus hucusque odor tetendit. Cujus profecto auræ suavitate respersus, multum, fateor, quem nesciebam dilexi, atque intra sinum cordis amoris manu te rapui; nec jam eum nesciens diligebam, cujus bona cognoveram. Qui enim mihi magna intentione notus, sed corporis visione manet incognitus, de eo procul dubio veraciter dicere possum, quia personam illius scio, sed domum nescio. Magna autem vestræ laudis datur assertio, quod excellenti Gothorum regi vestra gloria sedulo adhærere perhibetur, quia dum [a] malis boni semper displiceant, bonos vos esse certum est, qui bono placuistis. Propterea debitum salutationis alloquium solvens, opto vos in his quæ cœpistis exerceri, ut in vobis compleatur veridica Salomonis illa sententia, quæ ait : *Justorum semita quasi lux splendens procedit, et crescit usque ad perfectum diem* (*Prov.* IV, 18). Nunc enim cum lux nobis veritatis infulget, cum sese regni cœlestis suavitas mentibus aperit, jam quidem dies est, sed adhuc perfectus non est. Tunc autem dies perfectus erit, quando jam quidquam de nocte peccati in mente nostra non erit. Vos autem usque ad perfectum diem crescite, ut quousque patria æterna videatur, bonorum hic operum augmenta dilatentur; quatenus tanto post in retributione major sit fructus muneris, quanto nunc studium creverit laboris. Propterea dilectissimum Filium nostrum Cyriacum, monasterii nostri Patrem, vestræ gloriæ commendamus, ut, peractis quæ ei injuncta sunt, nulla illum remeandi mora præpediat. Omnipotens Deus cœlestis vos brachii protectione tueatur, et nunc gloriosos inter homines, et post longa annorum curricula inter angelos esse concedat.

## EPISTOLA CXXI.

AD LEANDRUM HISPALENSEM EPISCOPUM.

*Epistolam illius, charitatis calamo scriptam, ex humilitate sermonis altitudinem cordis ostendere. Se nulla dignum laude, cujus mores deprimit honor onerosus, qui victus pondere culpas culpis jungit, qui e monasterii tranquillitate raptus, mentis naufragium passus est. De podagræ doloribus pie consolatur. Pallium mittit.*

Gregorius Leandro [a] episcopo Hispaniæ.

Sanctitatis tuæ suscepi epistolam, solius charitatis

[b] Num Hilarius de quo hic et in epist. superiori fuit ille senator Divionensis de quo Gregorius Turon., lib. de Glor. confess., cap. 42? At ille sæculo V vixisse et obiisse fertur. Certe si illæ epistolæ scriptæ sunt indict. 2, de alio agitur Hilario; nam Gregorius Turon.. qui de Hilarii senatoris morte ac sepultura loquitur, obiit ipse longe ante indict. 2.

[c] Vatic. A, *ac nostrum quidem in vobis*. Vix est alius e nostris Mss. præter Remig. et San-Vict. in quo reperiatur hæc epist. De duabus sequentibus idem dicere cogimur.

EPIST. CXIX [*Al.* 124]. — [a] Vatic. A omittit *patricio*, etc.

[b] Idem et Remig., *terrenis rebus*.

[c] Ibid., *quod optandum nobis est*.

EPIST. CXX [*Al.* 125]. — [a] Ὅμοιον ὁμοίῳ φίλον, ex Arist., Moral. 8; et Martial. : *Uxor pessima, pessimus maritus; miror non bene convenire vobis.*

calamo scriptam. Ex corde enim lingua tinxerat A
**1027** quod in chartæ pagina refundebat. Boni autem sapientesque viri, cum legeretur adfuerunt, quorum statim viscera in compunctionem commota sunt. Cœpit quisque amoris manu in suo corde te rapere, quia in illa epistola tuæ mentis dulcedinem non erat audire, sed cernere. Accendebantur et mirabantur singuli, atque ipse ignis audientium demonstrabat qui fuerat ardor dicentis. Nisi enim prius in se faces ardeant, alium non succendunt. Ibi ergo vidimus quanta charitate tua mens arserit, quæ sic et alios accendit. Vitam vero vestram, cujus ego semper cum magna veneratione reminiscor, minime noverant, sed eis altitudo vestri cordis patuit ex humilitate sermonis. Vitam autem meam cunctis esse imitabilem illa vestra epistola loquitur : sed quod non est ita ut dicitur, sit ita quia dicitur, ne qui non solet mentiatur. Ad hæc autem breviter cujusdam bonæ mulieris verba loquor : *Nolite me vocare Noemi, id est pulchram ; sed vocate me Mara, quia amaritudine plena sum* (*Ruth.*, I, 20). Neque enim, bone vir, hodie ego sum ille quem nosti. Multum fateor exterius proficiendo, interius cecidi, meque de eorum numero esse pertimesco, de quibus scriptum est : *Dejecisti eos dum allevarentur* (*Psal.* LXXII, 18). Cum allevatur enim dejicitur, qui honoribus proficit, et moribus cadit. Ego enim vias mei capitis sequens, summopere esse decreveram opprobrium hominum, et abjectio plebis, atque in ejus sorte currere de quo rursus per Psalmistam dicitur : *Ascensus in corde ejus disposuit in convalle lacrymarum* (*Psal.* LXXXIII, 7) ; C
ut videlicet tanto verius intus ascenderem, quanto per convallem lacrymarum foris humilius jacerem. At me multum nunc deprimit honor onerosus, curæ innumeræ perstrepunt, et cum sese ad Deum animus colligit, hunc suis impulsibus quasi quibusdam gladiis scindunt. Nulla cordis quies est. Prostratum in infimis jacet, suæ cogitationis pondere depressum. Aut rara valde aut nulla hoc in sublimia penna contemplationis levat. Torpet ignava mens, et circumlatrantibus curis temporalibus, jam pene ad stuporem deducta, cogitur modo terrena agere, modo etiam quæ sunt carnalia dispensare. Aliquando vero fastidio exigente compellitur quædam etiam cum culpa disponere. Quid multa loquar? Victa suo pondere, sanguinem sudat. Nisi enim sanguinis nomine D
culpa censeretur, Psalmista non diceret : *Libera me de sanguinibus* (*Psal.* L, 16). Cum vero culpas culpis junginus, hoc quoque quod per alium prophetam dictum est implemus : *Sanguis sanguinem tetigit* (*Osee* IV, 2). Sanguis enim sanguinem tangere dicitur cum culpa culpæ adjungitur, ut iniquitatis cumulus multiplicetur. Sed inter hæc per omnipotentem Deum deprecor ut in perturbationis fluctibus lapsum tuæ orationis manu me teneas. Quasi enim prospero flatu navigabam, cum tranquillam vitam in monasterio ducerem ; sed procellosis subito motibus tempestas exorta **1028** in sua perturbatione me rapuit, et prosperitatem itineris amisi, quia quiete perdita mentis naufragium pertuli. Ecce nunc in undis versor, et tuæ intercessionis tabulam quæro, ut qui navi integra dives pervenire non merui, saltem post damna ad litus per tabulam reducar.

De podagræ vero molestia sanctitas vestra, ut scribit, affligitur, cujus dolore assiduo et ipse vehementer attritus sum. Sed facilis erit consolatio, si inter flagella quæ patimur quæque fecimus ad me- B moriam delicta revocamus ; atque hæc non jam flagella, sed dona esse conspicimus, si quæ carnis delectatione peccavimus, carnis dolore purgemus.

Præterea ex benedictione beati Petri apostolorum principis pallium vobis transmisimus, ad sola missarum solemnia utendum. Quo transmisso, valde debui qualiter vobis esset vivendum, admonere ; sed locutionem supprimo, quia verba moribus anteitis. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, atque ad cœlestis remunerationem patriæ cum multiplici animarum fructu perducat. Ego autem quanta occupatione deprimor [b] et debilitate, brevis attestatur epistola, in qua ei quem multum diligo parum loquor [c].

## [a] EPISTOLA CXXII.

AD RECHAREDUM VISIGOTHORUM REGEM.

*Regem laudat de conversa ad fidem Gothorum gente, de oblatis beato Petro muneribus, de contempta Judæorum pecunia, qua legem in ipsos latam rescindi deprecabantur. Hæc Dei laudi monet tribuenda, cavendasque cordis humilitate, munditia corporis, atque animi lenitate, antiqui hostis insidias. Reliquias mittit.*

Gregorius Recharedo regi Visigothorum.

Explere verbis, excellentissime fili, non valeo, quantum tuo opere, tua vita delector. Audita quippe diebus nostris virtute novi miraculi, [b] quod per excellentiam tuam cuncta Gothorum gens ab errore Arianæ hæresis in fidei rectæ soliditatem translata est, exclamare cum propheta libet : *Hæc est immutatio dexteræ Excelsi* (*Psal.* LXXVI, 11). Cujus enim vel saxeum pectus tanto hoc opere cognito non statim in omnipotentis Dei laudibus atque in tuæ excellentiæ amore mollescat ? Hæc me fateor quæ per vos acta sunt sæpe convenientibus filiis meis dicere, sæpe cum eis pariter admirari delectat. Hæc me plerumque etiam contra me excitant, quod piger ego et inutilis tunc inerti otio torpeo, quando in anima-

Epist. CXXI [*Al.* 126]. — [a] Ita passim Codices mss. In duobus tamen Colbert. legitur *episcopo Spaniorum*. In tertio Colbert., *Hispaniorum*. In quarto, *Hispaniæ*. In Reg., *mon. Aug.*, *ind.* 2, *Leandro episc. Spaniorum*. In Vulgatis, *episcopo hispalensi*.

[b] Recentiores Ed., *ex debilitate*.

[c] In quatuor Vatic., duobus Tellerianis et Reg., præmittitur : *Mense Augusto, indict.* 2.

Epist. CXXII [*Al.* 127]. — [a] Hujus epistolæ excellentiam satis demonstravit Hincmarus, cum eam Carolo Calvo imperatori et regi Francorum ut munus tanto rege dignum misit, cum amplissimo et luculentissimo in illam commentario, quem tomo II ejus operum lector videre poterit. Gussanv.

[b] De hac Visigothorum conversione lege lib. III dial., cap. 31, et consule sancti Gregorii Vitam.

rum congregationibus pro lucro cœlestis patriæ reges elaborant. Quid itaque ego in illo tremendo examine judici venienti dicturus sum, si tunc illuc vacuus venero ubi tua excellentia greges post se fidelium ducet, quos modo ad veræ fidei gratiam per studiosam et continuam prædicationem traxit? Sed est mihi, bone vir, hoc ex Dei munere **1029** in magna consolatione, quia opus sanctum quod in me non habeo diligo in te. Cumque de tuis actibus magna exsultatione gaudeo, ea quæ per laborem tua sunt per charitatem mea fiunt. De conversione igitur Gothorum in vestro opere et in nostra exsultatione libet eum angelis exclamare : [c] *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14). Nos enim, ut existimo, gratiarum amplius omnipotenti Domino debitores existimus, quia etsi vobiscum nihil egimus, vestro tamen operi congaudendo participes sumus. Beatus vero Petrus apostolorum princeps quam libenter munera excellentiæ vestræ susceperit, ipsa cunctis liquido vita vestra testatur. Scriptum quippe (*Grat.* 14, *q.* 5, *c.* 11) est : *Vota justorum placabilia* (*Prov.* XV, 8). Neque enim in omnipotentis Dei judicio quid datur, sed a quo datur aspicitur. Hinc est enim quod scriptum est : *Respexit Dominus ad Abel, et ad munera ejus; ad Cain autem et ad munera ejus non respexit* (*Genes.* IV, 4, 5). Dicturus quippe quia Dominus respexit ad munera, præmisit sollicite, quia *respexit ad Abel*. Ex qua re patenter ostenditur quia non offerens a muneribus, sed munera ab offerente placuerunt. Vestra itaque oblatio quam sit grata ostenditis, qui daturi aurum, prius ex conversione gentis subditæ animarum munera dedistis.

Quod vero transmissos [d] abbates, qui oblationem vestram beato Petro apostolo deferebant, vi maris dicitis fatigatos ex ipso itinere ad Hispanias remeasse, non munera vestra repulsa sunt quæ postmodum pervenerunt, sed eorum qui transmissi fuerant constantia est probata, an scirent sancto desiderio objecta pericula vincere, et in fatigatione corporis mente minime lassari. Adversitas enim (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 48) quæ bonis votis objicitur probatio virtutis est, non judicium reprobationis. Quis enim nesciat quam prosperum fuit quod beatus Paulus apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, et tamen veniens naufragium pertulit (*Act.* XXVII)? Sed navis cordis in marinis fluctibus integra stetit.

Præterea indico quia crevit de vestro opere in laudibus Dei hoc quod dilectissimo Filio meo Probino presbytero narrante cognovi, quia cum vestra excellentia constitutionem quamdam contra Judæorum perfidiam dedisset, hi de quibus prolata fuerat, rectitudinem vestræ mentis inflectere pecuniarum summam offerendo moliti sunt; quam excellentia vestra contempsit, et, omnipotentis Dei placere judicio requirens, auro innocentiam prætulit. Qua in re mihi David regis factum ad memoriam venit : cui dum concupita aqua de cisterna Bethlehemitica, quæ inter hostiles cuneos habebatur, ab obsequentibus militibus fuisset allata, protinus dixit : *Absit a me ut sanguinem justorum hominum bibam* (*I Paral.* XI, 19). Quam quia fudit et bibere noluit, scriptum est : *Libavit eam Domino*. Si igitur ab armato rege in sacrificium Dei versa est aqua contempta, pensemus quale sacrificium omnipotenti Deo rex obtulit qui pro amore illius non aquam, sed aurum accipere contempsit. Itaque, fili excellentissime, fidenter dicam quia libasti aurum Domino, quod contra eum habere noluisti. Magna sunt hæc et omnipotentis Dei laudi tribuenda.

**1030** Sed inter hæc vigilanti sunt studio antiqui hostis insidiæ cavendæ, qui quanto majora in hominibus dona conspicit, tanto hæc auferre subtilioribus insidiis exquirit. Neque enim latrunculi in via capere viatores vacuos expetunt, sed eos qui auri vascula vel argenti ferunt. Via quippe est vita præsens. Et tanto quisque necesse est ut insidiantes spiritus caveat, quanto majora sunt dona quæ portat. Oportet ergo excellentiam vestram in tanto hoc de conversione gentis subditæ munere quod accepit summopere custodire prius humilitatem cordis, ac deinde munditiam corporis. Cum enim scriptum sit : *Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur* (*Luc.* XIV, 11; XVIII, 14), profecto liquet quia ille veraciter alta amat, qui mentem suam ab humilitatis radice non desecat. Sæpe namque malignus spiritus, ut bona destruat quibus prius adversari non valuit, ad operantis mentem post peractam operationem venit, eamque tacitis cogitationibus in quibusdam suis laudibus excutit, ita ut decepta mens admiretur ipsa quam sint magna quæ fecit. Quæ dum per occultum tumorem apud semetipsam extollitur, ejus qui donum tribuit gratia privatur. Hinc est enim quod per prophetæ vocem contra superbientem animam dicitur : *Habens fiduciam* [e] *in pulchritudine tua, fornicata es in nomine tuo* (*Ezech.* XVI, 15). Fiduciam quippe animam in pulchritudine sua habere est in semetipsa de justa actione præsumere. Quæ in suo nomine fornicatur quando in hoc quod recte egit, non conditoris laudem dilatari appetit, sed suæ opinionis [f] gloriam requirit. Hinc rursum per prophetam scriptum est : *Quo pulchrior es, descende* (*Ezech.* XXXII, 19). Anima etenim unde est pulchrior, inde descendit, quando ex virtutis decore quo exaltari apud Deum debuit, ab ejus gratia per suam elationem cadit. Quid ergo in his agendum est, nisi ut malignus spiritus cum nobis ad elevandam mentem reducit bona quæ egimus, nos semper ad memoriam mala nostra revocemus, quatenus et nostra cognoscamus esse quæ peccando fecimus, et solius omnipotentis Dei munera cum pec-

[c] Cantici hujus angelici verbis uti solet sanctus Gregorius in lætitiæ testificationem, ut multæ infra epistolæ probabunt. Eumdem fuisse veterum morem disce ex nota 1895 ad librum Sacramentorum.

[d] Epistolam Recharedi regis in qua hæc leguntur supra edidimus. Est hujus libri sexagesima prima.

[e] Norm. et plurimi, *fiduciam quippe anima.*

[f] Corb. et Norm., *gratiam requirit.*

cata declinamus? Custodienda est quoque munditia corporis in studiis bonæ actionis, quia juxta vocem prædicantis Apostoli : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*I Cor.* III, 17). Qui rursus ait : *Hæc est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra* (*I Thess.* IV, 3). Quam sanctificationem quid dixerit, ostendens protinus adjunxit : *Ut abstineatis vos a fornicatione, ut sciat unusquisque vestrum suum vas possidere in sanctificatione et honore, et non in passionibus desiderii.*

Ipsa quoque regni gubernacula erga subjectos magno sunt moderamine temperanda, [g] ne potestas menti subripiat. Tunc enim regnum bene regitur, cum regnandi gloria animo non dominatur. Curandum quoque est ne ira subrepat, ne fiat citius omne quod licet. Ira quippe, et cum delinquentium culpas exsequitur, non debet menti quasi domina præire, sed post rationis tergum velut ancilla famulari, ut ad faciem jussa veniat. Nam si semel mentem possidens cœperit, justum esse deputat etiam quod crudeliter facit. Hinc enim scriptum est : *Ira viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I, 20). Hinc rursus dicitur : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum,* **1031** *et tardus ad iram* (*Ibid.*, 19). Hæc autem vos auctore Deo omnia servare non ambigo. Sed occasione admonitionis exorta, bonis vestris actibus me furtive subjungo, ut quod non admoniti facitis, quando vobis et admonens additur, jam non soli faciatis. Omnipotens autem Deus in cunctis actibus vestris cœlestis brachii extensione vos protegat, vobisque et præsentis vitæ prospera, et post multa annorum curricula gaudia concedat æterna.

Clavem vero parvulam a sacratissimo beati Petri apostoli corpore vobis pro ejus benedictione transmisimus, in qua inest ferrum de catenis ejus inclusum, ut quod collum illius ad martyrium ligaverat, vestrum ab omnibus peccatis solvat. Crucem quoque dedi latori præsentium vobis offerendam, in qua lignum dominicæ crucis inest, et capilli beati Joannis Baptistæ, ex qua semper solatium nostri Salvatoris per intercessionem præcursoris ejus habeatis.

Reverendissimo autem fratri et coepiscopo nostro Leandro Pallium a beati Petri apostoli sede transmisimus, quod et antiquæ consuetudini, [h] et vestris moribus, et ejus bonitati atque gravitati debeamus.

[i] Item in anagnostico. Ante longum tempus dulcissima mihi vestra excellentia, Neapolitano quodam juvene veniente, mandare curaverat ut piissimo imperatori scriberem, quatenus pacta in chartophylacio requireret quæ dudum inter piæ memoriæ Justinianum principem et jura regni vestri fuerant emissa, ut ex his colligeret quid vobis servare debuisset. Sed ad hoc faciendum duæ res mihi vehementer obstiterunt. Una, quia chartophylacium, prædicti piæ memoriæ Justiniani principis tempore, ita subripiente subito flamma incensum est, ut omnino ex ejus temporibus pene nulla charta remaneret. Alia autem, quia, quod nulli dicendum est, ea quæ contra te sunt apud temetipsum debes documenta requirere, atque hæc pro me in medium proferre. Ex qua re hortor ut vestra excellentia suis moribus congrua disponat, et quæque ad pacem pertinent studiose peragat, ut regni vestri tempora per longa sint annorum curricula in magna laude memoranda. Præterea [k] transmisimus clavem aliam a sacratissimo beati Petri apostoli corpore, quæ, cum digno honore reposita, quæque apud vos invenerit benedicendo multiplicet.

## EPISTOLA CXXIII.

### AD VENANTIUM ET ITALICAM.

*Morbis afflictum ex suis ipsius molestiis atque ex generali totius orbis percussione, quæ mundi finem proximum indicat, consolatur.*

Gregorius [a] Domno Venantio patricio et Italicæ jugalibus.

Quosdam de Sicilia venientes, affectu quo debui, de sospitate vestræ excellentiæ requirere **1032** curavi. Sed de assiduitate ægritudinum [b] mihi tristia responderunt. Hæc autem dicens, nec ego vobis de meipso invenio aliud quod debeam nuntiare, nisi quod, [c] peccatis meis facientibus, ecce jam undecim

[g] Excusi, *mentem surripiat.*

[h] Ita Mss. Vatic., Corb., Norm., etc. Excusi habent, *et nostris moribus.*

[i] Desunt hæc in Anglic., Norm., Remig., Corb., San-Vict. Leguntur in Reg., Colbertinis, Rhem. et quinque Vatic. Anagnosticum pro quovis scripto usurpat non semel Ennodius epist. 4 lib. I, ad Faustum, *anagnostici fidem secutus*, etc., quod exponit Sirmundus, *epistolæ tuæ.* Et epist. 5 lib. VIII, *de anagnostici prolixitate fastidium.* In quem locum Sirmundus : Ἀναγνωστικὸν *est id omne quod legitur aut recitatur, sicut* ἀκρόαμα *et* ἄκουσμα, *quod auditur. Itaque ut* acroama *etiam Latini usurpant pro dicto seu re aliqua quæ auribus excipitur, sic* anagnosticum *pro epistola aut scripto quocunque; dici etiam posset* ἀνάγνωσμα, anagnosma. *Partim ex* GUSSANV.

[k] Unus Colbert., isque DCCC ann., not. 403, prætermissis his quæ hic subjiciuntur, hanc epistolam (quam dicit secundam ad Recharedum, et cujus initium, omisso *item in anagnostico*, assignat ad hæc verba : *Ante longum tempus*) sic concludit : *Præterea dona vestræ excellentiæ quæ pauperibus beati Petri apostoli sunt transmissa, trecentas cocullas accepimus; et, quantum possumus, precibus exoramus ut cujus vos pauperes vestimentorum largitate protexistis, ipsum in tremendo die examinis protectorem habeatis. Ut autem nostrum hominem ad vestram excellentiam modo minime mitteremus, navis necessitas fecit, quia inveniri non potest qui ab istis partibus ad Spaniæ littora valeat proficisci.*

EPIST. CXXIII [*Al.* 128]. — [a] In hujus epistolæ inscriptione dissentiunt Codices Mss. et exarati. In Norman. et Anglic. legitur, *Venantio exmonacho patricio, et Italicæ jugalibus.* In Vaticanis, Colbert. et Rhem. *Italicæ patriciæ et domno Venantio*; quibus accinunt veteres Editi. In recent. additur *Cancellario Italiæ*, quod respuunt Mss. omnes. Venantius hic, ex aliis jam scriptis ad eum epistolis satis notus, Italicam duxerat ex qua duas filias susceperat, Barbaram et Antoninam, infra commemoratas; ad quas post patris mortem consolatorias litteras scripsit sanctus Gregorius.

[b] Tres Vatic., Rhem., Colbert. et plerique Norm., *mihi tristitiam responderunt.*

[c] Ita Vatic., Norm., Colbert., Rhem., Reg., Remig., etc., ubi in Excusis legitur *peccatis meis exigentibus.*

menses sunt quod valde rarum est si de lecto surgere aliquando potuero. Tantis enim podagræ tantisque molestiarum doloribus premor, ut vita mea mihi gravissima pœna sit. Quotidie enim in dolore deficio, et mortis remedium exspectando suspiro. In clero vero hujus urbis et populo tanti febrium languores irruerunt, ut pene nullus liber, nullus servus remanserit, qui esse idoneus ad aliquod officium vel ministerium possit. De vicinis autem urbibus strages quotidie mortalitatis nobis nuntiantur. Africa autem qualiter mortalitate et languoribus vastetur, quanto viciniores estis, tanto credo quod subtilius cognovistis. De Oriente vero qui veniunt, graviores desolationes nuntiant. In his itaque omnibus quia, appropinquante fine mundi, generalem percussionem esse cognoscitis, affligi nimis de propriis molestiis non debetis. Sed, sicut sapientes nobiles decet, omne cor ad animarum curam reducite, districtum judicium quanto fit vicinius plus timete. Studiis pietatis intendite, de qua scriptum est, quod *promissionem habeat vitæ præsentis et futuræ* (*I Tim.* IV, 8). Potens est autem omnipotens Deus vitam vestræ excellentiæ et hic in longo tempore conservare, et post multa annorum curricula ad gaudia æterna perducere. Dulcissimas filias meas domnam Barbaram, et domnam Antoninam mea peto vice salutari; quas oro ut superna gratia protegat, eisque prosperari in omnibus concedat.

## EPISTOLA CXXIV.

AD DONELLUM EROGATOREM.

*Ægrum consolatur. Gaudet de militari roga illi denuo imposita. Quam exarchus mutuo acceperat pecuniam restituendam monet. Romanæ civitati præcipua cura subveniat.*

Gregorius Donello [a] erogatori.

Epistolam gloriæ vestræ plenam boni filii charitate suscepimus, ex qua quidem de molestia corporis vestri noster est animus contristatus. De divina tamen miseratione confidimus quod qui vos miseram et dejectam diligere fecit Italiam, ipse vobis et corporis salutem restituat, et in æterna retributione compenset. De militari enim [b] roga, quam vos contra voluntatem vestram principali significastis jussione iterum suscepisse, omnino sumus libenter complexi, scientes quia magnitudo vestra cautiori salubriorique provisione militari necessitati concurrat.

De [c] sex vero centenariis qui in cimiliarchio Ravennatis Ecclesiæ fuerant commendati, sicut vestra testatur epistola, ab excellentissimo exarcho in quotidiana militum præfectura sunt mutuati, **1033** qui ut hactenus [d] minime restituantur cujus sit causa cognoscitis. Quod enim scripsistis hoc prædicto filio nostro exarcho visum esse, ut quia pax ad conclusionem tenuit, de pecuniis hinc competentibus, primum ut rogam illarum partium faciatis, gloria vestra caute prospiciat si vel fieri debet, vel sit quoquo modo præsumendum; ut si præfectura illarum partium acceptas pecunias recuperare negligit, hæ partes ob hoc periculum de militis nuditate sustineant. Sed ii quibus mutuatæ ipsæ dicuntur pecuniæ debent a mutuante constringi; quatenus, sicut noverunt, expensa centenaria ipsi restituant; et pecuniæ quæ sine erogantis non possunt tangi periculo, subtractæ quibus debentur, admisso quod nobis imminet periculo, minime aliis dispergantur indebite. Et hæc quidem nos nec cum novo in causa viro, nec cum Romanarum partium ignaro agimus. Cui quippe constat quod, si pax reparata minime fuerit, belli tempore, in his locis nisi solius divinæ potentia majestatis humanum non prævalet subvenire remedium. Sciens ergo magnitudo vestra voluntatem dominorum principum, quanta cura de Romanæ civitatis præcipue subventione sit provida, quod ex donis eorum evidenter agnoscitur, sed et partium istarum [e] imminens periculum et civitatis, omnino curæ tuæ est cum pecuniis huc venire. Quod si omissum fuerit, et adversi aliquid, quod non optamus, evenerit, neque apud Deum neque apud rerum dominos cujuslibet obtentu personæ vos excusare quoquo modo valeatis. Romana enim civitas, peccatis nostris facientibus, diversis est attrita languoribus, ut nec qui in murorum custodia sint idonei persistant.

## EPISTOLA CXXV.

AD MAXIMUM SALONITANUM EPISCOPUM.

*Gratulatur de plena satisfactione. Pallium mittit. Quod eo significatur moribus exprimat. Cum Sabiniano episcopo, Honorato archidiacono, Massiano clerico, jam non ex odio sed ex charitate agat.*

Gregorius Maximo episcopo Salonitano.

Susceptis fratris et coepiscopi nostri Mariniani epistolis, sed et Castorio chartulario nostro remeante, fraternitatem vestram plenissime de his quibus dubietas fuerat satisfecisse cognovimus; magnasque omnipotenti Deo gratias solvimus, quia de meo corde medullitus omnis rancor sinistræ suspicionis evulsus est. Pro qua re Stephanum communem filium diaconum vestrum cum summa volui celeritate laxare. Sed hunc apud me vel paucis diebus immorari dolores crebri mearum ægritudinum compulerunt. At postquam meliorari vel modicum cœpi, eum protinus cum gaudio retransmittere curavi.

**1034** Itaque pallium ad sacra missarum solemnia utendum ex more transmisimus, cujus vos volumus per omnia genium vendicare. Hujus enim indumenti honor humilitas atque justitia est. Tota ergo mente

EPIST. CXXIV [*Al.* 129]. — [a] Unde nomen hoc officii deductum, in epistola explicatur his verbis : *de militari enim roga*, etc.

[b] Quid sit *roga* disce ex nota *k* ad epist. 46 libri II.

[c] Centenaria, auri pondo interpretantur quidam. Isidorus ait (quod verum est) centenarium fuisse centum librarum, atque inde appellatum. Græci dicunt κεντηνάριον. GUSSANV.

[d] In San-Vict., Remig. et Vatic. A, *minime restaurentur*. In hoc solo e Vaticanis Codd. reperitur hæc epistola, in Anglic., Norm., Rhem. et pene cæteris omissa.

[e] In Editis, *imminens periculum, omnino curæ tuæ est et civitatis, cum pecuniis*. Vitiosam hic verborum inversionem quæ etiam in San-Vict. reperitur, emendavimus ex laudato Vatic. ms.

fraternitas vestra se exhibere festinet in prosperis humilem, et in adversis, si quando eveniunt, cum justitia erectam, amicam bonis, perversis contrariam. [a] Nullius unquam faciem pro veritate loquentis premens, misericordiæ operibus juxta virtutem substantiæ insistens, et tamen insistere etiam [b] contra virtutem cupiens, infirmis compatiens, [c] benevolentibus congaudens, aliena damna propria deputans, de alienis gaudiis tanquam de propriis exsultans; in corrigendis vitiis sæviens, in fovendis virtutibus auditorum animum demulcens, in ira judicium sine ira tenens, in tranquillitate autem severitatis suæ censuram non deserens. Hæc est, frater charissime, Pallii accepti ratio, quam si sollicite servaveris, quod foris accepisse ostenderis, intus habes.

Præterea fratrem et coepiscopum nostrum Sabinianum fraternitati vestræ in omnibus commendo, et si quæ causæ sint, interim postponantur. Charitas inter vos fixa permaneat, ut sic de exterioribus, si quando contentio vertitur, examen veniat, quatenus mentem charitas non relinquat. Communem quoque filium Honoratum archidiaconum commendamus. De quo si ita est, sicut per Castorium chartularium nostrum didicimus, quia per eum jam tres antea archidiaconi servare consuetudinem ecclesiasticam, [d] quinquennio expleto exeundo compulsi sunt, tuæ quidem volumus ut charitatem sanctitatis inveniat. Nam flagitari judicium non debet de causa quam ipse judicavit. Sin vero ita non est, omni mentis tumore depresso, omnique odio postposito, debet in charitate recipi, et nullatenus a loco in quo inventus est amoveri. Messianum quoque clericum, qui ad nos confugerat; communi filio Stephano diacono fiducialiter dedimus, certi quia quem nos vestræ fraternitati transmittimus, vos in eo non odium, sed gratiam potestatis ostendere debeatis. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, detque nobis ita agere, ut post hujus temporalis fluctus, ad æterna valeamus [e] simul cum gaudio pervenire.

## EPISTOLA CXXVI.

AD CONSTANTIUM MEDIOLANENSEM EPISCOPUM.

*Ne Philagrium, aut ab Ecclesiæ suæ hominibus, aut a collectæ exactoribus, aut a Dertonensi episcopo, injuste gravari patiatur.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Licet multum fraternitatem vestram ad servandam sibi justitiam Philagrii portitoris præsentium flagellum cæcitatis invitet, verumtamen **1035** quia ad restituenda quæ sibi præjudicialiter asserit detineri, per nos vos voluit fieri promptiores, præsentia ad vos scripta prævidimus dirigenda. Questus autem est campum cum vinea sua ab Ecclesiæ vestræ hominibus [a] irrationabiliter occupatum. Quod si ita est, quanquam ante judicium possessio ei debuerat violenter ablata restitui, tamen quia communis filius Eventius diaconus vester, consentiente præfato latore, constituit per quinque testes partem Ecclesiæ vestræ satisfacere posse, ejusdem Ecclesiæ juris illum esse, ideoque fraternitas vestra prædictum Philagrium contra justitiam laborare non faciat, sed modis quibus potuerit, veritatem diligenter inquirat. Et si manifeste, sicut hic constituit, probari potuerit vestri juris esse, huic propter Deum citius satisfaciendum est, ut a sua intentione sine labore discedat. Alioquin ante omnem contentionem [b] res ejus tulta vestra provisione reddatur, ut sua cuique parti integra post hoc maneat de proprietate cognitio. Quia vero pro eo quod vobis nescientibus inde discessit, vestros se æstimat animos offendisse, fraternitas vestra ei dulcedinem suæ charitatis ostendat, ut cognoscat se longe aliter quam debuit de sacerdote credidisse. Sed quoniam et sanctorum apostolorum se sæpe liminibus, ut ait, præsentare desiderat, quoties venire voluerit, [c] nullius impedimentum, sed vestrum magis habeat in hac parte solatium.

Indicavit præterea suprascriptus portitor quod collecta facta inter alios civitatis Januensis habitatores, et ipse dare pariter compellatur. Et miramur quod qui magis misericordia dignus est, vobis præsentibus prægravetur. Quod si ita est, denuo ab eo per quemlibet exigi vestra sanctitas non permittat, quia eum quem cæcitas sua gravat, inhumanum nimis est in collatione affligere, cui si esset magna necessitas, debuit ex collatione misereri. Quia vero ab Ecclesia [d] Dertonensi puerum suum injuste queritur detineri, fraternitas tua prædictæ civitatis episcopo curet scribere, ut si ita est, sine aliqua illum contentione restituat. Qui si aliter esse forte responderit, aut apud vos, aut apud arbitros causa hæc cognoscenda sine excusatione est aliqua facienda. Nam idem Philagrius puellam suam cum filiis et nepotibus, de qua, ut ait, nulla est quæstio, eumdem puerum suum nomine Maurum maritum suum secutam innotuit. Ex qua re actum est ut per eum de quo est contentio, etiam alii de quibus nulla est quæstio teneantur. Quod si veritate subsistit, puella illi cum filiis et nepotibus **1036** sine

Epist. CXXV [*Al.* 130]. — [a] In omnibus Norm. : *Nullius unquam faciem contra veritatem respiciens, nullius unquam faciem pro veritate loquentem premens.*

[b] Ex Vulgatis alii *supra virtutem*, alii *ultra virtutem* habent.

[c] Sic legendum ex quinque Vatic., omnibus Norm., Colb., etc., quod retinuerunt vet. Editores. At recentiores maluerunt *benevalentibus*, ut *infirmis* opponerent.

[d] Irrepsit in Excusos *qui*, ante *quinquennio;* quod expunximus, tum quia sensum turbabat, tum quia a Mss. abest.

[e] Excusi, *simul gaudia;* a qua lectione recedere cogunt Mss. pene omnes.

Epist. CXXVI [*Al.* 131]. — [a] Colbert. et Rhem., *irrationabiliter ablata non restitui.*

[b] Sic restituimus ex probatioribus Mss. In quibusdam legitur *ablata*, quod idem est. Vide quæ de hac voce jam diximus ad epist. 55 hujus indictionis. Gussanv.

[c] Excusi, *nullius impedimento avertatur, sed.*

[d] Dertona Ptolemæo δερτῶνα, Straboni δερθών, ubi θ pro τ librariorum vitio irrepsit; nam apud Stephanum ejus epitomatorem legitur δερτῶν πόλις Λιγυρῶν. Hæc urbs, quæ hodie *Tortona*, sita est inter Ticinum et Genuam, episcopalis sub archiepiscopo Mediolanensi. Gussanv.

aliqua altercatione reddenda est; et tunc de supra-scripto Mauro quæstione ventilata, quod ratio suaserit terminetur. Quod si forte et de uxore ipsius aliqua dicitur esse contentio, et hoc quoque ita interventu judicii finiatur, ut vobis illic præsentibus ad nos de memoratis causis denuo prædictus portitor necessitatem remeandi non habeat.

## [a] EPISTOLA CXXVII.

(Ex actis et opusculis sancti Columbani, ac aliorum sanctorum veteris Scotiæ et Hiberniæ, primum editis a P. Flemingo Franciscano an. 1667.)

*In celebratione Paschæ, rejecto Victorii cyclo, Scotorum morem sequendum, cui Anatolius ab Hieronymo laudatus favit. De episcopis per simoniam ordinatis, aut post lapsum tempore diaconatus; ac de monachis monasteria sua deserentibus consulit sanctum Gregorium, quem videre summopere cupit. Laudat ejus Pastoralem librum, petitque expositiones in Ezechielem et in Cantica.*

Domino sancto, et in Christo Patri [*Forte mendo librario omissum* papæ] Romano, pulcherrimo Ecclesiæ decori, totius Europæ flaccentis augustissimo quasi cuidam flori, egregio speculatori, theoria utpote divina castulitatis [*Ita ms.*] potito, Ego [b] Bargoma [*Sic ms.*] vilis columba in Christo mitto salutem.

Gratia [Gratias *in Ms.*] tibi et pax a Deo Patre nostro Jesu Christo. [*Magna hic labes, prout in Ms. expressa*] Libet me, o sancte papa, hyperbolicum tecum non sit interrogandum de Pascha, juxta illud Canticum : *Interroga patrem tuum, et annuntiabit tibi; majores tuos, et dicent tibi* (*Deuteron.* XXXII, 7). Licet enim mihi, nimirum [c] micrologo, illud cujusdam egregium Sapientis elogium, quod dixisse fertur, quamdam [*In Ms.* quemdam] videns contupictam [*Forte* comptem pictam] : *Non admiror artem, sed admiror frontem*, ad te clarum a me vili scribendo potest inuri; tamen tuæ evangelicæ humilitatis fiducia fretus, tibi scribere præsumo, et mei doloris negotium injungo. Vanitas namque scribendi nulla est, ubi necessitas cogit, quamvis majoribus, scribi.

Quid [d] ergo dicis de Pascha 21 aut 22 lunæ quod jam (tua [tui *in Ms.*] tamen pace dictum sit) non esse Pascha, nimirum tenebrosum a multis comprobatur [e] calcalenteris? Non latet enim, ut credo, efficaciam tuam, quantum Anatolius, miræ doctrinæ vir, ut sanctus ait Hieronymus, cujus Eusebius Cæsariensis episcopus in Ecclesiastica excerpta inseruit Historia, et sanctus Hieronymus in suo hoc idem de Pascha opus collaudavit catalogo, de hac lunæ ætate vituperando disputet; qui contra Gallicanos [f] Rimarios, de Pascha, ut ait, **1037** errantes, horrendam intulit sententiam, dicens : *Certe* [Ms. *Certe*, inquiens], *si usque ad duarum vigiliarum terminum, quod noctis medium indicat, ortus lunæ tardaverit, non lux tenebras sed lucem tenebræ superant; quod certum est in Pascha non esse probabile, ut aliqua pars tenebrarum luci dominetur, quia solemnitas dominicæ Resurrectionis lux est, et non est communicatio luci cum tenebris. Et si in tertia vigilia luna exanduerit, non est dubium lunam 21 vel 22 exortam esse, in qua verum Pascha non est possibile immolari. Nam qui hac lunæ ætate Pascha definiunt possibile celebrari, non solum illud auctoritate divinæ Scripturæ affirmare non possunt, sed et sacrilegii et contumaciæ crimen et animarum periculum incurrunt; dum affirmant veram lucem posse immolari cum aliqua dominatione tenebrarum, quæ omnibus tenebris dominatur.* Necnon in sancti dogmatis legimus libro : *Pascha*, id est *solemnitas dominicæ Resurrectionis ante transgressum vernalis æquinoctii 16 initium non potest celebrari, ut scilicet æquinoctium non antecedat;* quod utique [g] Victorius in suo transgressus est cyclo, et per hoc Galliæ jamdudum invexit errorem, seu, ut humilius dicam, confirmavit inolitum. Quippe qua ratione utraque stare possunt, ut scilicet Resurrectio Domini ante suam celebretur passionem, quod vel putari absurdum est; aut septem dies Domini jussione in lege sanciti, in quibus tantum legitime Phase Domini comedi mandatum est (qui a 14 luna usque ad 20 numerandi sunt), contra jus fasque transcendantur? Luna enim 21 aut 22 extra jus lucis est, utpote post medium noctis tunc temporis exorta; et tenebris lu-

Epist. CXXVII. — [a] Epistolarum a se ad sanctum Gregorium scriptarum meminit sanctus Columbanus, epist. 1 et 2. Ilis respondisse sanctum pontificem scribit auctor Vitæ S. Salabergæ perantiquus. Queritur tamen Columbanus, epist. 1, Satanam semel et bis impedivisse quominus epistolæ suæ ad sanctissimum papam pervenirent. At forte cum duas priores non accepisset sanctus Gregorius, tertiam felicius delatam sibi legerat, cui postea responsum dedit; etsi inter epistolas Gregorianas nulla exstet ad Columbanum. Ad annum vero 599 saltem referendam censemus hanc epistolam, quod ipsius meminerit Columbanus in epist. ad Gallicanos episcopos, ejus causa congregatos anno sequenti. Porro notæ ascriptæ ad marginem sunt R. P. Flemingi Minoritæ, qui primus hanc epistolam typis mandavit; ipsis adjecimus nostras in columnarum calce.

[b] Leg. *Barjona*, hoc est filius columbæ. Nomen hoc Columbano conveniebat qui modo columbam se, modo palumbum vocat. Columbanus velut diminutivum pro pullo columbarum sumi potest, hoc est, pro *columbæ filio*. Plurimis mendis scatet hæc epistola, quibus mederi arduum.

[c] Eodem titulo gaudet epist. 4 ad Bonifacium IV.

[d] In hoc dissentiebant Scoti a cæteris in Paschæ celebratione, quod lunæ 14 die in Dominicam incidente, hanc ipsam diem pro Paschate celebrarent, ne cum aliis ad Dominicam sequentem, solemnitatis hujus celebrationem differendo, tempus Paschæ terminosque prætergrederentur.

[e] Forsan, *calculatoribus*, aut *calcenteris*. Hoc ultimo cognomine designatus Origenes ab Hieronymo in una epist. ad Marcellam; sic prius appellatus est etiam Didymus Alex. Gram. χαλκέντερος. Uterque ob multitudinem librorum ab ipsis editorum.

[f] Forte sic dictos, quod obscura et difficilia rimarentur.

[g] Victorius, hortatu Hilari, tunc Rom. Eccl. archidiaconi, postea summi pontificis, cyclum, seu canonem Paschalem composuit sæculo quinto mediante, quem Gallicanæ Ecclesiæ primum amplexæ sunt, ut patet ex concil. Aurel. IV, an. 541, deinde omnes Occidentales. Hunc edidit Ægidius Bucherius, et notis illustravit. Anatolius, quem Victorio opponit Columbanus, Alexandrinus erat, floruitque circa an. 270. Eum inter eruditos principem locum tenuisse testatur Eusebius. Hic scripsit quoque de Paschate canones, quos etiam evulgavit Bucherius.

cem superantibus, lucis solemnitas nefas est, ut aiunt, agi. Quare ergo tu tam sapiens, nimirum cujus clarissima per orbem, ut antiquitus, sacri ingenii diffusa sunt lumina, Pascha tenebrosum colis? Miror, fateor, a te hunc Galliæ errorem, ac si Schynteneum, jam diu non fuisse rasum; nisi forte putem quod vix credere possum, dum eum constat a te non fuisse emendatum, apud te esse probatum. Aliter tamen et honestius tua excusari potest peritia, dum forte notam subire times [*Forte*, timens] Hermagoricæ novitatis, antecessorum et maxime papæ Leonis auctoritate contentus es. Noli te, quæso, in tali quæstione humilitati tantum aut gravitati credere, quæ sæpe falluntur. *Melior* forte *est canis vivus* in hoc problemate *leone mortuo* (*Eccle.* IX, 4). Vivus namque sanctus emendare potest, quæ ab altero majore emendata non fuerint [*Forte*, fuerunt]. Scias namque nostris magistris et Hibernicis antiquis, philosophis et sapientissimis componendi calculi computariis, Victorium non fuisse receptum, sed magis risu vel venia dignum, quam auctoritate. Idcirco mihi timido peregrino, magis quam sciolo, tuæ dirige fulcrum sententiæ, et mature [*Ms. habet* matura] punctum tuæ placabilitatis huic tempestati nos circumdanti compescendæ transmittere non dedigneris; quia non mihi satisfacit post tantos quos legi auctores una istorum sententia episcoporum dicentium tantum: *Cum Judæis Pascha facere* [*Deest* facere *hic in Ms.*] *non debemus.* Dixit hoc olim et Victor episcopus, sed nemo Orientalium suum recepit commentum; **1038** sed hoc soporans spina Dagonis, hoc imbibit bubum erroris. Qualis, rogo, hæc frivola et tam impolita, nullis scilicet divinæ Scripturæ fulta testimoniis sententia: *Cum Judæis Pascha facere non debemus?* Quid ad rem pertinet [*Ms.* pertinent]? Nunquid Judæi reprobi Pascha facere credendi sunt nunc, utpote sine templo, extra Jerusalem, Christo tunc figurato, ab iis crucifixo? Aut, nunquid ipsorum esse recte credendum est 14 luna e Pascha [*Forte*, lunæ Pascha, *aut* luna et Pascha]; et non potius Dei ipsius instituentis Phase esse fatendum est, scientisque solius ad purum quo mysterio 14 luna ad transcensum electa est? Quod forte sapientibus et tui similibus aliquantulum præluceat. Qui [Quo *in Ms.*] hoc opponunt, licet sine auctoritate, Deo imperent quare non sua præscientia antea tunc præcaverit Judæorum contumaciam; ut si nollet nos cum eis Pascha facere, novem dies azymorum in lege preciperet, ut vel nostræ solemnitatis initium finem solemnitatis eorum non excederet? Nam si 21 aut 22 Pascha celebrandum, a 14 usque ad 22 novem dies computabuntur; septem scilicet a Deo præcepti, et duo ab hominibus aucti. Sed si licet hominibus augere per se aliquid divinæ censuræ, interrogo, ne forte videatur contrarium esse illi Deuteronomii sententiæ: *Ecce*, inquit, *verbum quod tibi do, neque adjicias ad illud, neque auferas ab eo* (*Deut.* IV, 2). Sed hæc magis procaciter quam humiliter scribens, scio euripum præsumptionis difficillimæ mihi nexisse [*Forte*, nexuisse], enavigandum fore irogus [*Forte*, ignorans]. Nec loci namque nec ordinis est ut magnæ tuæ auctoritati aliquid quasi discutiendo irrogetur, et ridiculose te mei (nimirum Petri cathedram apostoli et clavicularii legitime insidentem) Occidentales apices de Pascha sollicitent. Sed tu non tam [tam *deest in Ms.*] me vilem in hac re quam multos et defunctos et viventes hæc eamdem quæ notavi firmantes magistros considerare debes, et quasi cum eis te trahere colloquium [*Mendo hic repetitum*, te] crede; pie namque me scito, licet saltuatim et hyperbolice, chilosum os aperire. Tuum itaque aut excusa aut damna Victorium, sciens, si illum laudaveris, inter te et supradictum Hieronymum fidei futurum fore negotium, qui nimirum Anatolium laudavit, huic contrarium; ita ut qui unum secutus fuerit, alterum recipere non poterit. Tua itaque consideret vigilantia ut in fide duorum auctorum supradictorum sibi invicem contrariorum probanda nulla sit inter te et Hieronymum in sententia promenda dissonantia, ne nobis undique sint angustiæ, ut aut tibi, aut illi consentiamus. Parce in hoc infirmis, ne scandalum diversitatis ostendas. Simpliciter enim ego tibi confiteor quod contra sancti Hieronymi auctoritatem veniens, apud Occidentis Ecclesias hæreticus seu respuendus erit; illi enim per omnia indubitatam in Scripturis divinis accommodant fidem. Sed hæc de Pascha sufficiant.

Cæterum de episcopis illis quid judicas interrogo, qui contra canones ordinantur, id est [h] quos tu Simoniacos et Giltas auctor pestes scripsistis. Nunquid cum illis communicandum est? Quia, quod gravius est, multi in hac provincia **1039** tales esse noscuntur, aut de aliis qui, in Diaconatu violati, postea ad episcoporum gradum eliguntur [*Ms.* gradare leguntur]? Sunt enim quorum in his novimus conscientias; et cum nostra parvitate id conferentes, certum scire volebant si sine periculo post hoc [*Deest aliquid quod sensum compleat, forte*, ministrare] possint, id est aut post gradum solidis emptum, aut post in diaconatu adulterium, absconsum tamen dico cum [i] clientelis adulterium, quod apud nostros magistros non minoris censetur esse facinoris.

Tertio interrogationis loco responde adhuc, quæso, si non molestum est, quid faciendum est de mona-

[h] Ita emendandum duximus, cum prius exstaret: *quæstu Simoniacis* (ubi in margine notatur haberi in Ms. *Simoniacos*) *et Giltas auctor*, etc. Gildas is esse videtur cognomento sapiens qui scripsit de excidio Britanniæ et de ecclesiastici ordinis castigatione. Idem infra indicatur: *auctor Giltam de his interrogavit.* De sacris ordinibus simoniace tunc collatis in Gallia conqueritur sanctus Gregorius pene in omnibus epistolis quas aut ad Gallicanos episcopos, aut ad Francorum reges scripsit; vide epist. 106, 109, 110, hujus libri.

[i] Aut concubinas intelligit, aut etiam uxores ante sacrum ordinem adeptum ductas, quas conjugium loco habere ultra, adulterium putabatur.

chis illis qui, pro Dei intuitu et vitæ perfectioris desiderio accensi, contra vota venientes, primæ conversionis loca relinquunt, et, invitis abbatibus, fervore monachorum cogente, aut laxantur, aut ad deserta fugiunt. Vennianus auctor Giltam de his interrogavit, et elegantissime illi rescripsit; sed tamen discendi studioso [*Ms.*, studio] semper major metus accrescit. Humilius et purius hæc omnia et multo plura [*Ms.*, pulchra], quæ epistolaris brevitas non admittit, per præsentiam interroganda erant, nisi corporis infirmitas, et meorum cura comperegrinorum domi me vinctum [*Deest hic aliquid; forte*, teneret cupidum] ad te eundi, ut illam spiritualem vivi fontis venam vivamque undam scientiæ cœlitus fluentis ac in æternam vitam salientis haurire [*Deest forte* possem]. Et si animum corpus sequeretur, Roma sui iterum rem sustineret contemptus; ut quomodo, docto narrante [k] Hieronymo, legimus quosdam de ultimis Heulini littoris finibus olim venisse Romam, in [*Forte*, dein], et mirum dictu, aliud extra Romam quæsisse, ita et ego nunc te, non Romam desiderans, salva sanctorum reverentia cinerum, expeterem; licet enim non me sapientem, sed esse sitientem fateor, hoc idem facerem si vacaret [*Ms.*, sed vacare].

**1040** Legi librum tuum Pastorale regimen continentem, stylo brevem, doctrina prolixum, mysteriis refertum, melle dulcius egenti opus esse fateor; mihi idcirco tua sitienti largire, precor, opuscula quæ in Ezechielem miro, ut audivi, elaborasti ingenio. Legi Hieronymi sex in illum libros; sed nec medium exposuit. Sed si dignaris, aliqua nobis de tuis transmitte relictis in civitatem, extrema scilicet libri exposita transmitte, [1] et Cantica canticorum ab illo loco (*Cantic.* IV, 6) in quo dicit..... *Ibo ad montem myrrhæ et collem thuris* [*Non est in Ms.*] usque in finem; aut aliorum aut tuis brevis, deposco, tracta sententiis; et ut totam exponas obscuritatem Zachariæ, absconsam propala, ut tibi Occidentalis in his gratias agat cæcitas. Importuna postulo et magna scisciter; quis nesciat? Sed et tu magna habens [*Forte*, habes, qui], quia de parvo minus, et de multo plus bene scis esse fenerandum. Rescribere te persuadeat charitas, exponere non impediat chartæ asperitas, quia æra in errorem fuit, et honor debitus cordi est a me tibi dari; meum fuit provocare, interrogare, rogare; tuum, si [*Forte*, sibi] gratis accepta non negare, talentum fenerari, petenti te panem doctrinæ, Christo præcipiente, dare. Pax tibi, tuisque; meæ indulge quod sic audacter scripsi, rogo, procacitati, beate papa; et ora ut pro me vilissimo peccatore vel semel in tuis sanctis orationibus ad communem Dominum ores. Persuperfluum puto commendari tibi meos, quos Salvator, quasi in suo nomine ambulantes, recipiendos esse decernit; et si, ut audivi a sancto [m] Candido tuo, hoc respondere volueris, temporis antiquitate roborata mutari non posse, manifeste antiquus error est; sed semper antiquior est veritas quæ illum reprehendit.

[k] In epistola 103, ad Paulinum, ubi quam celebris apud gentes remotissimas Titus Livius exstiterit, sanctus Doctor commemorat. Porro, loco *Heulini*, esse legendum *Hualini*, vel *Huelini*, constat ex contextu Hieronymiano. Est vox Græca, a rad. ὕαλος, sive ὕελος, vitrum, crystallus. Sic mare vocatur Apocal. IV θάλασσα ὑαλίνη, mare vitreum, id est crystallinum, cæruleum. In Hieronymo hic legimus : *De ultimis Hispaniæ Galliarumque finibus.*

[1] Hunc Gregorii commentarium genuinum exhibuimus, et asseruimus sancto Doctori, contra nuperrimos criticos, qui tum hocce Columbani testimonio, tum plurimis aliis satis refelluntur.

[m] Is est Candidus quem ad gubernandum Ecclesiæ patrimonium sanctus Gregorius misit in Gallias, et Brunichildi ac Childeberto regi commendavit epistolis 5 ac 6 lib. VI. In epist. 7 sequenti appellatur presbyter.

# LIBER DECIMUS.

## Indictione tertia.

### 1041 EPISTOLA PRIMA.

AD ROMANUM IN SICILIA DEFENSOREM.

*Ablatas, tum a Lucillo quondam episcopo, tum a Petro illius filio, res Melitensis Ecclesiæ jubet restitui. Trajano jam episcopo monachos in solatium ita concedit, ut idipsum reservet diœcesani episcopi arbitrio. Quæ idem Trajanus, dum erat abbas, acquisivit, non ejus, sed monasterii esse declarat. Alia quædam ut tollat permittit.*

Gregorius [a] Romano defensori Siciliæ.

Nihil proficit sacerdotum culpas ulcisci, [b] et commissa dejectione crimina vindicare, si eis qui convincente facinore deponuntur, amissio honoris solatium, et casus sui cœperint esse compendium.

Questus itaque nobis est frater et coepiscopus noster Trajanus [c] Lucillum, quondam insulæ Melitensis episcopum, flagitii sui iniquitate perterritum, non solum res Ecclesiæ, cujus non rector sed inimicus potius exstitit, abstulisse, verumetiam plurima eum ejusdem Ecclesiæ competentia de præteritis retinere, quippe qui in fabricam, vel sarta tecta ipsius nihil pertulit expendere, sed mente sacrilega suis totum studuit compendiis applicare. Et quia grave nimis ac contra Deum est ut sua illi dejectio non sit pœna, sed commodum, experientia tua eum districte commoneat ut quidquid abstulit, vel apud se de præ-

LIBER X. *Al.* LIBER VIII.

EPIST. PRIMA. — [a] In recent. ed. *servus servorum Dei*, quod in nostris Mss. non observavimus. In uno ex Colbertinis legitur *Chromatio defensori*. In vet. Colbert. et in Vaticanis præmittitur, *Mense Octobri, indict.* 3.

[b] Excusi, *et commissa digna dejectione*. Abest *digna* a Mss., si Vatic. A excipias.

[c] De eo lege lib. IX, epist. 63.

teritis retinet sine mora restituat. Qui si indita sibi nequitia negare fortasse voluerit, quia facile dicitur posse convinci, una cum reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Joanne Syracusano residens subtili inquisitione hujus rei veritatem rimare, quatenus probatione habita, quidquid eum tulisse vel suppressisse claruerit, palam verecundia confusus restituat quod inverecunde clam abstulit. Petrum autem prædicti Lucilli filium similiter tui studii sit admonere, ut quia et ipse supradictæ Ecclesiæ tulisse plurima perhibetur, honesta ea consideratione restituat ; alioquin vestro **1042** et ipse est judicio præsentandus, ut præcedente subtili inquisitione, utrorumque causa valeat uno fine concludi.

Præterea petiit a nobis suprascriptus Trajanus frater noster ut de monasterio suo, quod in civitate Syracusana situm est, ei quatuor vel quinque dari monachi debuissent. Quod pro ejus solatio nequaquam æstimavimus denegandum, quia ad locum proficiscens incognitum, si proprios quorum consolatione utatur non habeat, mens affecta tristitia minus se ad ea quæ utilitatis sunt erigit, et ante incipit succumbere quam laboret. In qua re ne suprascripti reverendissimi fratris et coepiscopi nostri Joannis privilegiorum videremur prærogativam minuere, ita hoc illi noveris esse concessum, ut tamen fratris et coepiscopi nostri Joannis sit arbitrio per omnia reservatum. Quia ergo petitioni suæ prædictus frater noster adjecit ut [d] pueros quos de propria pecunia comparavit, ac suos patrisque sui Codices, aut res alias, quas in eodem monasterio habet, ei sit tollendi licentia, ratio nos hoc negare non pertulit. Sed ne postulata videamur indiscrete concedere, hanc tenendam observantiam scito, id est ut quidquid postquam ab abbatis remotus est officio comparavit, vel quolibet titulo acquisivit, libera illi tollendi facultas sit. Sed et hoc quod de monasterio illo in quo conversus est, quod in provincia [e] Valeria in possessione juris sui patrem ejus manifestum est construxisse, pellente hostilitate decedens abstulit, secumque detulit, sine aliqua dubietate ei reddendum est, quia alterius acquisitionis jus effugit quod semel monasterii fuerit dominio sociatum. Si quid autem dum adhuc illic abbatis fungeretur officio acquisivit, non suum, sed monasterii ipsius esse cognoscat. Et ideo [f] de jure illud ejusdem monasterii auferri ulterius quolibet modo non patimur. Legatum igitur quod antedictum fratrem nostrum Capitulana conditrix supradicti monasterii singulis annis de eodem monasterio **1043** per ultimam voluntatem suam habere constituit, experientia tua solatiante, justitia faciente, sine aliqua faciat dilatione percipere.

[d] Vide notas ad epist. 7 et 14 libri IX.

[e] Provincia Italiæ a via Valeria sic appellata, quæ per portam Asinariam in Marsos ducebat, inter Umbriam, Campaniam, Picenum, Suburbicarium Latiumque sita erat. Isthæc provincia varios intra se populos, Sabinos nempe, Marsos, Æquos, etc., continebat, in eaque erant episcopatus circiter undecim. GUSSANV.

[f] Hoc loco periodum integram in recent. omissam restituimus ex Mss. Vatic., Norm., Rhem., Corb., etc.

## [a] EPISTOLA II.

### AD FORTUNATUM NEAPOLIT. EPISCOPUM.

*Ecclesiam pro monachis, absque missis publicis, baptisterio et presbytero cardinali consecret.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolis.

Fraternitati vestræ esse non putamus incognitum quia Romanus clarissimæ memoriæ vir, per ultimæ suæ voluntatis arbitrium, in domo juris sui ecclesiam, quæ in civitate vestra sita est, ædificari deputavit. Et quia, Deo miserante, defuncti noscitur voluntas impleta, sanctitas vestra illic ingravanter accedat ; et si nullum ibidem corpus constat humatum, locum ipsum in honorem sanctorum Hermetis, [b] Sebastiani, atque Cyriaci, necnon et Pancratii solemniter studeat absque missis publicis cum veneratione debita consecrare ; ita ut in eodem loco baptisterium nunquam construatur, nec presbyterum constituas cardinalem. Sed quoties missas ibi degentes illic monachi fieri voluerint, a dilectione vestra presbyterum noverint postulandum, quatenus nihil tale a quolibet alio sacerdote ullatenus præsumatur.

[a] Epist. II [*Al.* 3]. — [a] Reperitur in Victorino, sed abest ab Anglic., Norm., Corb., Rhem., Colb. et Vatic., si unicum duntaxat excipias, scilicet Cod. A, in quo sequens etiam epistola legitur, quam supralaudati Mss. non exhibent.

[b] Non legitur *Sebastiani* in laudato Cod. A.

## EPISTOLA III.

### AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Colligat Romani mancipia, atque illorum laboris fructus ad constructum a Romano ipso monasterium mittat.*

Gregorius Fantino defensori.

Mancipia juris Romani, [a] spectabilis memoriæ viri, qui in domo sua quæ Neapoli sita est monasterium ordinari constituit, habitare in Sicilia perhibentur. Et quia monasterium ipsum juxta voluntatem ejus, Deo auctore, noscitur ordinatum, experientia tua præsentium portitoribus, qui [b] ad recolligenda mancipia ipsa illuc directi sunt, omni studio solatiari festinet, et recollectis eis, possessiones illis ubi laborare debeant, te solatiante, conducat. Et quidquid eorum labore accesserit, reservato unde ipsi possint subsistere, reliquum ad prædictum monasterium experientiæ tuæ cura annis singulis, auxiliante Domino, transmittatur.

Epist. III [*Al.* 4].—[a] Non erat vagus honoris titulus quem cuilibet ad arbitrium conferre olim liceret. *Spectabilitatis honorem militiæ sudore detersis justa deputavit antiquitas*, inquit Cassiodorus, lib. II Variar., epist. 28. Privilegia huic dignitati annexa infra prosequitur in eadem epist. et lib. VII, c. 37, exhibet formulam spectabilitatis seu verborum formam qua hic honor concedebatur.

[b] Id est, ad requirendos fugitivos servos, et denuo cogendos ac congregandos.

## EPISTOLA IV.

AD SAVINUM SUBDIACONUM REGIONARIUM.

*In Sisinnium presbyterum de idololatria et sodomia accusatum inquirat diligentissime. Illum, si adsint indicia, detrudat in carcerem. Eumdem cogat ad reddendum orphanis Victoriani presbyteri filiis depositum.*

Gregorius Savino subdiacono regionario.

Cum plerumque quod in laicis [a] culpa est, hoc crimen in sacro sit ordine constitutis, **1044** quanta in eis districtione puniendum sit [b] piaculare flagitium, qui zelo rectitudinis [c] uritur non ignorat. Quorumdam siquidem relatione perlatum est, quia Sisinnius, Regitanæ civitatis presbyter, quod auditu ipso intolerabile nimis est, idolorum venerator ac cultor sit, adeo ut in domo sua quoddam idolum positum habere præsumeret. Sed et, quod non dissimile nefas est, sodomiæ illum scelere maculatum. Et ideo quia tanti facinoris iniquitas districta atque subtili investigatione quærenda atque plectenda est, hac tibi auctoritate præcipimus ut vigilanti studio et diligenti omnino cura perquiras; et si qua indicia apprehendere hujus rei potueris, eum in custodiam districtam, quousque nobis renunties, redigas; ut qualiter immanissimum facinus discuti debeat ac puniri, deliberare possimus. Scito autem quia studium zelumque tuum qualis contra nefandissima sit crimina hæc causa est sine dubio monstratura, per quam te apud nos aut multum de sollicitudine commendari, aut periculose de neglectu noveris accusari. Unde necesse est ut ita te vigilantem in hac requisitione studeas exhibere, quatenus et nos de sollicitudine tua lætifices, et Deum tibi facias esse placabilem.

Hoc quoque nobis de prædicto presbytero nuntiatum est, quod Victorianus quidam presbyter ei cum diversis rebus vel ornamentis [d] auctoritate sua pecuniam commendasset : qui dum depositum abnegaret, judicio habito convictus est, et ut reddere debuisset addictus. Et quia, eo restituere id quod condemnatus est differente, is qui deposuisse dicitur obiit, et necessitate ejus perhibentur filii laborare, et hoc experientia tua diligenter inquirat, atque ita, salva ratione, ad finem hanc causam perducat ; dummodo, si ita est, nec ille res alienas perfida mente retineat, et orphani quod suum est vel amisso patre recipiant.

## EPISTOLA V.

AD SAVINUM SUBDIACONUM.

*Moneat Mariam ut voluntatem patris sui tandem impleat; et relictas, tum libertis, tum ecclesiæ sancti Georgii duas uncias substantiæ, vel invita persolvat.*

Gregorius Savino subdiacono.

Latores præsentium Stopaulus atque Marcellus, liberti quondam Comitioli [a] excubitoribus, questi nobis sunt, asserentes duas substantiæ suæ uncias, quas libertis suis idem dominus eorum per paginam testamenti sui legaverat, [b] ab hærede filiaque ipsius Maria uxore Pardi clerici necdum sibi esse completas. Et ut legatum ipsum differre valeat, ab hærede eadem ipsius status sui sibi fieri terrorem insinuant. Et quoniam ea quæ relicta sunt tua postulant instantia adimpleri, idcirco tibi hac auctoritate præcipimus ut prædictam Mariam commoneas quatenus voluntatem patris auctorisque sui implere non differat, studiique tui sit ut nullis contra rationem dispendiis debeant subjacere. Quod si forte ab hac se solutione aliqua nititur excusatione defendere, [c] mediis **1045** sacrosanctis Evangeliis causam subtiliter perscrutari, et ita quæ legis ac justitiæ ordo postulaverit definire te convenit, atque definita effectui mancipare, ut hæc ad nos denuo querela non redeat. Quia vero comperimus duas uncias substantiæ suæ prædictum testatorem ecclesiæ sancti Georgii, ubi sepeliri voluit, legavisse, curæ tuæ sit ut easdem duas uncias, si necdum completæ sunt, prædicto loco modis omnibus vindicare debeas, ut piæ voluntatis intentio, etiam invita hærede, ad effectum per omnia perducatur, nec in hac re amplius differri quæ relata sunt patiaris. [d] Nam sacrilegium et contra leges est, si quis quod venerabilibus locis relinquitur, pravæ voluntatis studiis, suis tentaverit compendiis retinere (*Grat.* 17, *q.* 4, *c.* 4).

## EPISTOLA VI.

AD THEODORUM CURATOREM.

*Joannis præfecti uxorem commendat.*

Gregorius Theodoro [a] curatori.

Quamvis gloriæ vestræ bonitas semel sibi commendatos nesciat oblivioni mandare, verumtamen

EPIST. IV [*Al.* 5]. — [a] In Excusis, gravissimo errore *culpa non est* ; repugnantibus Mss. Norm., Reg., Corb., Turon., Rhem., etc. Significat sanctus Gregorius culpam quæ in laicis est levior, in clericis, maxime si sacro in ordine sint constituti, graviorem esse. Idem docet sanctus Chrysostomus hom. 77 ad populum Antioch. : *Sacerdos eadem cum subditis peccata committens, non eadem, sed multo graviora patietur.* Partim ex GUSSANV.

[b] In Vatic. D, præter hanc lectionem ista additur, *peculiare flagitium.*

[c] In Norm., Remig. et Colbert., *utitur.*

[d] Id est, reservato sibi jure rei suæ vindicandæ qualibet usucapione rejecta. Ita Alciatus *auctoritatem* exponit ad legem 115, *De verborum signif.* GUSSANV. Varie legitur hic locus in Mss. In Norm. : *Victor. presb. diversas res vel ornamenta auctoritati suæ, atque pecuniam.* Ita Rhem. et Vatic. D, his mutatis, *ornamenta actionis suæ.* In Vatic. B et E, *Victor. compresbyter ei cum diversis rebus vel ornamentis auctoritatis suæ.*

EPIST. V [*Al.* 6] — [a] Gall., *garde du corps*, σωματοφύλαξ, satelles, custos corporis, protector domesticus, spatharius. GUSSANV.

[b] Ita Mss. et vet. Edit., quod ita corruperunt recent. Edit., *ab ære legavera!, filia ipsius Maria uxore*, etc. In Vatic. A legitur *ab hæreditate.*

[c] Ita in plerisque conciliis factitatum. Nostri judices ecclesiastici alia utuntur formula, *Christi nomine invocato*, quam quidem nonnulli ita necessarie censuerunt usurpandam, ut absque ea, tota instrumenti concidat auctoritas. Addo de testibus quosdam dubitasse, an eorum juramentum manu ad pectus reducta, valeat intactis Evangeliis. GUSSANV.

[d] Al., *nam sacrilegum*, ut in Norm. legitur.

EPIST. VI [*Al.* 7]. — [a] Scilicet Ravennæ, de quo et de curatoris dignitate vide superiori libro, epist. 98, nota *a.*

scientes hæc eadem iterata charissimum filium non onerose suscipere, scribere nos quæ jamdudum scripsimus non piget. Quia ergo Joannes gloriosissimus filius noster, præfectus urbis ad deducendam huc conjugem suam latorem præsentium Joannem clarissimum virum illic noscitur transmisisse, paterna dilectione salutantes, petimus ut quia memoratus gloriosissimus filius noster divisus hic consistere non potest, venienti conjugi ipsius gloriæ vestræ sinceritas patrocinii sui opem ferat. Et ut securius iter suum, Deo custodiente, peragere valeat ad Perusinam civitatem, militari eam solatio fulciri disponat, quatenus et antedictus gloriosus vir amplius patrociniis vestris sit deditus, et nos dulcissimæ gloriæ vestræ gratias referamus.

## EPISTOLA VII.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Joannis præfecti uxorem commendat.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Gloriosissimus filius noster Joannes, præfectus urbis, ad hoc illuc latorem præsentium **1046** Joannem virum [a] clarissimum destinavit, ut gloriosam conjugem ipsius Deo debeat protegente huc perducere. Quam et nos huc volumus per omnia advenire, ut prædictum gloriosissimum filium nostrum non divisum, sed totum habere possimus. Fraternitas itaque vestra sollicitudinem gerat ne quod impedimentum ad veniendum sustineat, atque ut hic citius adesse valeat, studiose concurrat. Et ita se circa eam quocunque exegerit usus exhibeat, ut nec suam abesse conjugem sentiat, et nos in vobis modis omnibus præsentes esse cognoscat.

## EPISTOLA VIII.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Se contristatum valde, quod monialem e monasterio iterum abductam revocare neglexerit. Ut vel nunc id præstet impense hortatur.*

Gregorius [a] Mariniano episcopo Ravennæ.

Si latoris præsentium Stephani viri clarissimi querela veritate subsistit, omnino nos fraternitas vestra contristatos intelligat, cur tam pigra vel deses exstiterit, ut ante ad nos facti pravitas quam correctio perveniret. Questus itaque est quod cognatam ejus, cui aliquando [b] Petrus quidam nequissimus diabolico instinctu de monasterio exire suaserat, atque a Cratioso notario nostro fuerat mutato habitu unde exierat revocata, nequissimus vir iniqua suasione de monasterio rursus ejiciens, apud se nuncusque impudice retineat. Ex qua re valde nos sicut diximus, tua desidia contristavit, cur necdum in monasterium revocata sit ac retrusa. Vel nunc ergo propositi tui consideratio et zelus te castitatis accendat id summopere modis quibus potueris studere, ut asperitatem quam de tantæ iniquitatis perpetratione concepimus, ejus citius valeas [c] correctione mollire. Nam et Vitali defensori præcipimus ut vobis hac in causa solatiari non differat. Sed quia memoratus Petrus ab homine filii nostri magnifici Filoxeni dicitur defensari, apud eum vobis cum omni studio et charitate instanter agendum est, ut eam sine aliqua faciat dilatione restitui, quem credimus hoc, quia bonus omnino vir esse dicitur, sine mora facturum. Quod si forte, quod non credimus, aliqua hoc fuerit excusatione dilatum, tunc etiam [d] publice contestandus est. Atque fraternitas nobis vestra renuntiet, ut exinde [e] in urbem regiam **1047** scribamus, quatenus, quod fieri honeste negligitur, ea qua dignum est ultione plectatur.

## EPISTOLA IX.

AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Basilio Capuano antistiti, pro Cethego et Flora, auri libras decem per Maximum solvat.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Gloriosi filii nostri Cethegus atque Flora jugales, pro certis causis suis Maximum virum clarissimum [a] palatinum privatarum ad Siciliam transmittentes, decem libras auri reverendissimo [b] fratri nostro Basilio Capuanæ civitatis episcopo, qui illic jam esse dignoscitur, suis utilitatibus profuturas dari de pensionibus ecclesiastici patrimonii voluerunt. In quarum restitutione, ne qua mora fieret, aut difficultas forte contingeret, quantitatem ipsi dilectissimo filio nostro Bonifacio diacono tradiderunt. Et ideo quia nostros nos filios, et præsertim ubi damnum minime sentit Ecclesia, non convenit contristare, his fraternitati tuæ mandamus apicibus, ut suprascripto fratri coepiscopoque nostro Basilio et Maximo viro clarissimo, secundum voluntatem prædictorum filiorum nostrorum Cethegi atque Floræ gloriosarum personarum, decem libras auri sine tarditate post subditam desuscepto paginam dare debeatis, quatenus dum nulla in accipiendo eis mora provenerit, et illi mandata sibi, ut noverint, utiliter exsequantur, et pars Ecclesiæ rationabiliter sit munita.

Epist. VII. [*Al.* 8]. — [a] Hic titulus sæpe in Gregorianis epistolis occurrit. Nunc passim unicuique liberaliter offertur; at olim iis solis concedebatur quibus id honoris a principe collatum fuerat. Illius autem conferendi solemnis formula legitur lib. VII Variar. c. 38.

Epist. VIII [*Al.* 9]. — [a] In Colbert. vet., necnon in Vaticanis D et E, inscribitur hæc epistola *Stephano*. In Regio, *Januario episcopo Caralit.* sed recent. manu.

[b] Vatic. F, *Petrus quidam quem nescimus.*

[c] Quinque Vatic. et Colbert., *præceptione mollire.*

[d] Gall., *le sommer par acte public.* Gussanv.

[e] Non statim censuris jubet innodari. Gussanv.

Epist. IX [*Al.* 10]. — [a] Distinguunt alii palatinos in largitionales et privatianos; alii videntur confundere omnes sacrarum largitionum palatinos, qui quidem pertinebant ad comitem sacrarum largitionum. Eorum munus erat urgere, instare, etc. Vocantur etiam palatini muneralionum sacrarum apud Symmachum, lib. I, c. 29, quo in loco dicuntur quæstus eruere publicos. Gussanv. Palatinus privatarum idem nobis videtur ac comes privatarum, cujus dignitas et officia explicantur apud Cassiodorum, l. VI, form. 8.

[b] Sic restituendum censuimus ope duorum solummodo manuscriptorum Rhemensis, et Vossiani, licet in aliis Mss. et in Editis omnibus antea legeretur *filio.* Sed conjectura potior est. Quis enim nesciat Gregorium Magnum nunquam ita compellasse episcopos? Gussanv.

## EPISTOLA X.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Basilium episcopum forenses causas actitantem ultra quatuor dies in Sicilia morari non sinat.*

Gregorius Romano defensori nostro Siciliæ.

Perlatum ad nos est (*Grat. dist.* 88, *c.* 4) reverendissimum fratrem nostrum Basilium episcopum velut [a] unum **1048** de ultimis in causis occupari, et [b] prætoriis inutiliter observare. Quæ res quoniam et ipsum vilem reddit, et reverentiam sacerdotalem annihilat, statim ut experientia tua hoc præceptum susceperit, eum ita ad revertendum districta exsecutione compellat, quatenus ei illic te insistente quinque diebus sub qualibet excusatione immorari non liceat; ne si quolibet modo eum ibidem moram habere permiseris, cum ipso apud nos graviter incipias esse culpabilis. [c] Datum mense Decembris, indict. 3. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 36. *Vide ep.* 9.)

## EPISTOLA XI.

AD GODISCALCUM DUCEM.

*Arguit quod iratus monasterii januas frangi et bona diripi fecerit. Monuchi ad hostes fugam non imputandam abbati. Ut monasterio et abbati adversari desinat, imo ut tuitionem impendat, hortatur.*

Gregorius Godiscalco duci Campaniæ.

Illa præpositorum sollicitudo utilis (*Grat.* 11, *q.* 3, *c.* 67), illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nihil vindicat. Restringenda ergo sub ratione potestas est, nec quidquam agendum priusquam concitata ad tranquillitatem mens redeat. Nam commotionis tempore justum putat ira quod fecerit.

Pervenit itaque ad nos magnitudinem tuam usque ad hoc esse impetu furoris impulsam, ut non solum frangi januas monasterii sancti Archangeli, verum etiam diripi exinde quod ibi inventum est, feceris. Insuper autem sic contra abbatem ejusdem monasterii diceris exarsisse, ut, nisi occultans se iracundiæ tuæ tempore latuisset, non leve discrimen incurrisset, denique ut metu tuo perterritus de domo in qua se olim receperat exire nuncusque non audeat. Quod ne frustra fecisse forsitan videreris, fugam monachi ipsius qui ad hostes abiit ad ejus, quantum ad nos perlatum est, crimen impingis, asserens quod cum ipsius voluntate fugerit. Quod si ita est, contristamur, et valde vestram sapientiam miramur. Nam si licitum putatis ut aliorum culpa aliis sit nociva, **1049** multi huic possunt crimini subjacere. Diversorum enim nobilium servi, multarum Ecclesiarum clerici, diversorum monasteriorum monachi, multorum judicum homines, sæpe se hostibus tradiderunt. Ergo si hoc creditur, servorum utique domini, clericorum episcopi, monachorum abbates, diversorum fugitivorum judices, omnes sub culpa sunt et crimine constituti.

Nunquid et diebus magnitudinis tuæ multi de civitate in qua consistis, ad Langobardos milites fuga non lapsi sunt? Et quis tantæ indiscretionis, tantæque possit stultitiæ reperiri, ut eorum iniquitatem tibi æstimet applicandam? Hæc itaque sollicite pensa, atque ex te aliorum causas æstima, ut [a] in quorumrant. Indico distinctionem 88 et causa 21, q. 3, in multis canonibus. Nec terrere debent voces *causæ prætoriæ deservire*. Earum si notiones diversas noverimus, censeant vel periti juris. Alciatus, ad legem 198, *de verbor. signif.*: *Prætorium*, inquit, *domus imperatoria est, quod quemcunque militum imperatorem antiqui prætorem dicebant. Sic et principia pro principis tabernaculo accipiuntur Vegetio. Cœpit autem prætorii appellatio pro ornatiore domo accipi, in qua pater familias ruri habitat*, etc. Hæc ille. Ea certe prætorii notio in Digesto passim occurrit, necnon apud Suetonium, Tertullianum, aliosque veteres scriptores. Itaque in Basilio aulici mores improbantur, et ad curas pastorales revocatur. GUSSANV. Basilium non judicis sed potius procuratoris forensis munus exercuisse inde potest intelligi, quod dicat sanctus Gregorius eum ea de causa viluisse, et tanquam unum de ultimis reputatum; quod minime dici potuisset si judicis defunctus fuisset officio. Præterea sensus hujus verbi *observare* potest erui ex epist. 28 sequenti, ubi legimus: *ut et. . . . . causa finem accipiat, et partes apud te nulla fatiget in observatione dilatio.* Hoc loco *observatio* significat actionem forensem, Gallice *la procédure.*

[c] In Mss. nostris id minime legitur, nisi quod in Regio observamus scriptum, *mense Decembris, indict.* 3; *mense Novembris, indict.* 3; *mense Januarii, indict.* 3; *mense Februarii, indict.* 3. Hoc in Codice sæpius conveniunt multiplices illæ notæ chronologicæ in eisdem epistolis; unde nullius habenda videtur ratio.

EPIST. X [*Al.* 11]. — [a] Nescio quo consilio recentiores Editi, repudiata hac lectione quæ est Mss. Vatic., Turon., Norm., Corb., etc., ac vet. Excus., legendum proponant, *velut unum de laicis, in causis sæcularibus occupari, et prætoriis deservire.* De verbo *observare*, quod pro *deservire* habent Codices manu exarati jam dictum ad epist. 6 lib. VIII, indict. 1. Vide quoque lib. IX epist. 92.

[b] Vide Espensæum, lib. II Digress. in Timot. c. 8 et 10, ubi multa in hanc rem aut dicit, aut recitat. Unum refero ex Nicephori lib. X, c. 13, de imperatore apostata, qui dolo malo clericos senatorum munere et ministerio fungi jussit, ut vel sic religio veræ pietatis aboleretur, spreto sancti Pauli edicto: *Nemo militans Deo implicat se negotiis sæcularibus.* Cæterum recte monet sanctus Gregorius istiusmodi occupationibus vilem reddi clericum, reverentiamque sacerdotalem perire. Glossa in c. 4, dist. 88, ait Basilium istum *deservisse prætoriis coram judicibus advocando.* Addit vir eruditus Basilium episcopum causas egisse in foro sæculari, de episcopo factum causidicum aut advocatum. Non impugno; miror magis ex qua id historia sumpserit. Verba epistolæ si consulo, Basilius causis sæcularibus occupabatur, deserviebat prætoriis: id cadit in judices, in advocatos, in causidicos, in notarios, in scribas, in viatores, lictores aliosque id genus fori judicialis asseclas, administros. Quidni potius Basilium scholasticis, consiliariis, judicibus accensent? Scio apud veteres historicos episcopum pavisse oves per campos, alium exercuisse textrinam, alium de navibus fabricandis fuisse sollicitum. Glossatori forte occurrerat episcopus causidicus aut advocatus coram judicibus laicis in foro. Mihi nequidem videtur Basilius sedisse judex, sed negotiorum sæcularium amans fuisse, contra quam sanctus Paulus docuerat, canones sanxe-

[c] In Mss. nostris id minime legitur, nisi quod in Regio observamus scriptum, *mense Decembris, indict.* 3; *mense Novembris, indict.* 3; *mense Januarii, indict.* 3; *mense Februarii, indict.* 3. Hoc in Codice sæpius conveniunt multiplices illæ notæ chronologicæ in eisdem epistolis; unde nullius habenda videtur ratio.

EPIST. XI [*Al.* 12]. — [a] Hoc est ad quibusdam adversandum. Idem est sensus hujus vocis infra, *a memorati monasterii abbatisque ipsius te adversitate contineas.* Sæpe occurrit hæc vox apud sanctum Gregorium in hoc sensu, videlicet lib. II Moral. n. 51;

dam adversitates falsis suspicionibus non ducaris. Si vero est aliquis qui de prædicti monasterii abbate possit aliquid dicere, quod ad culpam reatumque ejus pertineat, nos hoc non negligi, sed magis una quidem cum eis quorum interest, causam omnino districte et sollicite volumus perscrutari, ut aut feriat vindicta culpabilem, aut absolvat veritas innocentem. Si autem nullus inveniri potuerit, qui contra eum hoc quod solus ipse perhibes asserat, hortamur, magnifice fili, ut a memorati monasterii abbatisque ipsius te adversitate contineas, et potius tuitionem illis et propter Deum charitatem impendas. Et si quid est unde animi vestri fortassis offensi sunt, pro nostra eis interventione remittite; et ita vos, sicut Christianos convenit et prudentes, in eorum magis juvamine commodate, quatenus et nos vobis gratias referamus, et ante omnipotentem Dominum mercedem pro impensis servis ejus beneficiis ac solatiis acquiratis [b].

## EPISTOLA XII.

### AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Fuscum abbatem, et monasterium ejus commendat.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Quamvis et ratio et loci sui qualitas fraternitatem vestram commoneat tuitionem monasteriis, et maxime sub se constitutis, impendere, verumtamen quia lator præsentium Fuscus abbas suum a nobis voluit ex abundanti monasterium commendari; his vos hortamur affatibus, ut quia frustra monasterium ipsum inquietudine [a] advenientium asserit laborare, sanctitatis vestræ illud defensio tueatur, et ab aliquo illud gravari contra rationis ordinem non permittat, quatenus dum nullum id injustæ rei pondus afflixerit, et vos videamini quod sacerdotis est salubriter impendisse, et degens illic congregatio, quæ in Dei laudibus **1050** occupatur, nullis irrationabiliter molestiis valeat subjacere.

## EPISTOLA XIII.

### AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Fuscum abbatem juvet, ut absque mora quæ monasterii sui sunt recipiat.*

Gregorius Romano defensori.

Fuscus, abbas monasterii sanctorum Erasmi, Maximi, atque Julianæ, [a] quod Neapoli ab Alexandra, clarissimæ memoriæ femina, sicut nosti, fundatum est, quæ etiam et hæredem instituit, massam Papyrianensem quæ illic in Sicilia sita est, cum xenodochio sancti Theodori, suprascriptum monasterium suum asserit habere communem. Sed ut ad dividendam eam, cum his quorum interest, dilationem non debeat sustinere, experientiæ tuæ sibi petit adesse solatium. Proinde hujus tibi serie præceptionis injungimus ut ei concurrere atque in omnibus solatiari festines, quatenus massa ipsa secundum portiones competentes sine mora aliqua dividatur. Sed ne forte dicatur quia a prædicto monasterio possessiones quæ hic communes sunt detinentur, esse ex hoc excusatio non debet, quia et ipsas paratus est sine difficultate dividere. Quia vero legatum quod prædictæ Alexandræ a Pompeio relictum dicitur, ab eodem quippe xenodochio, quod ei in octo unciis jure perhibetur hæreditario successisse, [b] memoratus abbas suo inquit monasterio redhiberi, et hoc quoque experientia tua curet addiscere; et si ita est, agere studeat ut quod relictum est modis omnibus exsolvatur. Ita ergo sollicitudo tua in hac se re exhibeat, ut suffragante justitia, prædicti abbatis labor, quem ad nos veniendo assumpsit, vacuus esse non debeat.

## EPISTOLA XIV.

### AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Fusco abbati, monasterii sui Codices et vela restitui faciat.*

Gregorius Fantino defensori Neapolitano.

Fuscus, abbas [a] monasterii sancti Archangeli quod Macharis dicitur, atque sanctorum Maximi, Erasmi, et Julianæ, asseruit Constantium cellæ suæ presbyterum ob temporis qualitatem se in Siciliam transmigrasse, et Codices monasterii sui atque vela secum pariter deportasse. Quem quoniam defunctum perhibet, et ea quæ cellæ suæ esse commemorat sibi postulat debere restitui, experientia tua veritatem curet addiscere; et si ita est, **1051** omnia quæ monasterii ipsius sunt sine aliqua faciat dilatione restitui. Nam contra rationem est ut quod de monasterio pro temporis, sicut dictum est, qualitate sublatum est, ab ejus debeat jure separari. Ita ergo experientia tua agat, ut veritatem addiscens, prædictum illic abbatem, vel quem vice sua transmiserit, dilationem frustra sustinere minime patiatur.

## EPISTOLA XV.

### AD CLEMENTINAM PATRICIAM.

*Nullum sibi odii vel iracundiæ circa illam scrupulum, sed paternam omnino dilectionem inesse significat. Ut offensas nobiliter condonet hortatur.*

Gregorius Clementinæ patriciæ.

Abbate quodam ad nos referente pervenit quod gloriæ vestræ a quibusdam sit maledicis nuntiatum

---

lib. III, n. 52; lib. XI, n. 39; lib. XVI, n. 45; Reg. Pastor., part. III, adm. 16.

[b] In Vatic. B ac D, et in recentioribus Ed., additur : *Datum mense Februario, indict.* 3. In Colbert. veteri legitur *mense Martio*. In Vatic. A, *mense Decembri.* Unde constat incertum quo mense scripta sit hæc epist.

EPIST. XII [*Al.* 13]. — [a] Deerat vox *advenientium* in Victor. et in Excusis, quam ex Mss. Anglic., Rhem., etc., revocavimus.

EPIST. XIII [*Al.* 14]. — [a] In Vatic. A, qui fere solus epistolam hanc et sequentem continet, legitur, *quod Neapoli situm est, et ab Alexandra.* Favet nostræ lectioni San Vict.

[b] In eodem Victor. et in Ed. recentioribus, *memoratus abbas suo faciat monasterio redhiberi*, corrupte, et cum sensus jactura. Ideoque jure Ed. emendavimus ex Vatic. A et antiq. Excusis.

EPIST. XIV [*Al.* 15]. — [a] In San Victor. et in Vatic. A, *monasteriorum*, nimirum unius quod sancti Archangeli titulo gaudebat, et alterius quod sanctis Maximo, Erasmo, et Julianæ dicatum erat.

quia aliquem, quod absit, contra vos [a] stimulum habeamus. Quod si ita est, quicunque hoc fallaciter confinxerunt, sub puritatis vobis specie duplices exstiterunt, ut se quasi fideles ostenderent, et vos de nobis prave facerent dubitare. Ego autem, gloriosa filia, bona tua olim cognoscens, et præcipue castitatem quæ tibi ab adolescentia comes fuit, in magna semper veneratione et dilectione te habui. Sed ne vel nunc aliud cor meum esse gloria vestra suspicetur, nullum mihi odii vel iracundiæ circa vos scrupulum inesse significo, sed paternam me vobis dilectionem exhibere cognoscite. Unum tamen, quod ad me perlatum est, reticere non debeo, ne minus esse charitatis incipiat, [b] si silentio prematur quod ad emendationem dicendum est.

Nuntiatum siquidem mihi est quod si quando vos quisquam offenderit, dolorem irremissibiliter retinetis. Quod si verum est, quia quantum vos diligo, tantum contristor, peto ut hoc a vobis vitium nobiliter excludatis, et secus boni operis segetem inimici semen crescere non sinatis. Dominicæ orationis verba ad memoriam reducantur, et non apud vos plus valeat culpa quam venia. Excessus gloriæ vestræ bonitas superet, et magis salubriter ignoscendo devotum faciat quem potest persistens facere asperitas indevotum. Relinquatur illi unde verecundiam habeat, et non servetur quod doleat. Nam plerumque plus virium habet discreta in correctione remissio, quam in exsequenda ultione districtio; [c] adeo ut nonnunquam hæc fideliorem atque subjectum, illa vero obstinatum faciat et æmulum. Et quidem hæc non ad hoc dicimus, ut a zelo vos rectitudinis subtrahatis, sed ne tales sitis in minimis, quales esse debetis in maximis. Nam si quando severitatem excessus qualitas exigit, agendum est ut et culpam ultio corrigat, et correctis post gratia non negetur. Hæc igitur quia paterna suadente dilectione pro vestra vos anima commonemus, cum ea qua dicuntur charitate suscipite, atque ea ad gloriæ vestræ utilitatem assumite, ut bona vestra et apud homines clariora, et apud omnipotentem Dominum **1052** possint esse purissima. De nobis autem sicut re vera, charissima filia, fiducialiter in cunctis præsumite; et quia de vestra cupimus prosperitate semper audire, discurrentibus nos sæpius epistolis relevate.

## EPISTOLA XVI.

AD TURRITANOS ET TAURIANENSES.

*Venerio episcopo visitatori obediant, idoneumque sibi eligant sacerdotem.*

Gregorius [a] clero, ordini et plebi consistenti Taurianas, Turris et Consentias.

Vestri antistitis obitum cognoscentes, etc. *ut lib.* XI, *epist.* 39, *mutato nomine* Joanni, *in* Venerii.

## EPISTOLA XVII.

AD VENERIUM ET STEPHANUM EPISCOPOS.

*Sub consueta formula visitationis munus injungit.*

Gregorius [a] Venerio et Stephano episcopis.

Obitum Paulini Taurianensis Ecclesiæ, sed et *ill.* Turritanæ Ecclesiæ antistitum directa relatio patefecit. Quapropter visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus: quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio earumdem Ecclesiarum, a quoquam aliquo modo præsumatur. Et ideo dilectio tua ad prædictas Ecclesias ire properet, et assiduis adhortationibus clerum plebemque earumdem Ecclesiarum admonere festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu tales sibi præficiendos expetant sacerdotes qui et tanto ministerio digni valeant reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuantur. Qui dum fuerint postulati, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et dilectionis tuæ testimonio litterarum, ad nos sacrandi occurrant. Commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri. Provisurus ante omnia ne cujuslibet conversationis meritive laicæ personæ aspirare præsumant, et ut periculum ordinis tui, quod absit, incurras [b].

## EPISTOLA XVIII.

AD CLEMENTINAM PATRICIAM.

*Ne Amandum a Surrentinis ad episcopatum electum detineat.*

Gregorius Clementinæ Patriciæ.

[a] Amandum presbyterum [b] a Surrentinis, ad episcopatum, gloriosa filia, electum esse cognoscas. Quem quia huc scripsimus debere **1053** transmitti,

EPIST. XV [*Al.* 16]. — [a] Galli dicunt *une pique*, id est infensum et malevolum animum, ut postea explicat. GUSSANV.

[b] Optime sanctus Augustinus epist. 256, ad Maximum Donatistam: *Scis quod mihi silentium perniciosum sit; non enim cogito in ecclesiasticis honoribus tempora ventosa transigere; sed cogito me principi pastorum omnium rationem de commissis ovibus redditurum. Si forte nolles ut hæc tibi scriberem, oportet te, frater, ignoscere timori meo. Multum enim timeo ne me tacente et dissimulante*, etc. GUSSANV.

[c] Sex Anglic. et alii plur., *ideo quia nonnunquam.*

EPIST. XVI [*Al.* 17, *indict.* 6]. — [a] Hunc titulum eruimus ex duobus vet. Colb. et ex Vatic. A, B, E. In uno ex Colbert., hoc titulo deleto, ejus loco legitur *clero, ordini et plebi consist. Panormi.*

EPIST. XVII [*Al.* 18, *indict.* 6]. — [a] Prius inscripta erat hæc epistola soli Venerio episcopo: huic jungunt Stephanum duo Teller., quinque Vatic., etc.

[b] In fine Teller. legitur, *mense Februario, indict.* 3.

EPIST. XVIII [*Al.* 17]. — [a] Hic Joanni successit, ad quem sanctus Gregorius epist. 54, indict. 9, necnon indict. 11, ep. 25. Ordinatus est Amandus die 22 Martii an. 600, ut probat illius epitaphium quod Surrenti legitur in ecclesia sanctorum Felicis et Baculi. *Hic requiescit sacerdos Dei Amandus episcopus sanctæ Ecclesiæ Surrentinæ, qui sedit annos* XVII, *dies* XXI, *depositus est die* 15, *mense Aprilis, indict.* 5, *imperante D. N. Heraclio R. Aug., anno* 7, *orate pro me, sancte Pater.* Amandum ut sanctum venerantur Surrentini.

[b] Vel *Sorentinis*, ut in Regio et in plerisque Mss. legitur, et infra, epist. 19, *Sorentinæ.*

contristari de ejus absentia non debetis, quia nec abscedere creditur qui mente vobiscum est. Et quoniam pastorem quærentibus is qui vobis olim placuit gratus est, omnipotentem Deum benedicentes, [c] Christiana magis in hoc devotione gaudete; et ut ad nos celerius aliis profuturus venire debeat, hilariter studete, quia sinceræ charitatis est exsultare, quando is qui diligitur, ad hoc vocatur ut crescat [d].

## EPISTOLA XIX.

### AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Inquirat de Amandi vita in episcopum electi, eumque Romam quamprimum mittat.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Postquam is qui ad episcopatum Surrentinæ civitatis electus fuerat aptus nobis visus non est, Amandum presbyterum oratorii sancti Severini, quod in castro Luculano situm est, elegerunt. Eapropter experientiæ tuæ præcipimus ut eumdem presbyterum, excusatione postposita, sub omni ad nos studeat festinatione transmittere, quatenus petentium desideria cum Christi auxilio, si nihil est quod eum impediat, impleantur. [a] Cujus vita vel actus, quia melius possunt illic ubi diu est conversatus agnosci, curæ tuæ sit cum fratre et coepiscopo nostro [b] Fortunato de eo diligenter inquirere. Et si nulla sunt quæ ad sacrum ordinem obsistere valeant, ad nos debet omni postposita tarditate transmitti. Ne autem gloriosa filia nostra Clementina hoc moleste suscipiat, ad eam experientia tua pergat, et cum ejus voluntate hoc faciat. Sin vero reniti fortasse voluerit, huc eum, sicut diximus, sine mora experientia tua transmittat, quia ita animi filiorum nostrorum a nobis pacandi sunt, ut tamen animarum utilitas non debeat præpediri.

## EPISTOLA XX.

### AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Ne acceptam ad possessiones emendas pecuniam, in alios usus expendant Surrentini monachi.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Pervenit ad nos quod monachi, quos in Surrentina civitate pro complenda, sicut nosti, Antonini quondam defensoris voluntate transmisimus, pecuniam quam acceperant ad emendas possessiones expendant. Quæ res quoniam non levem eis necessitatem in brevi indicat imminere, **1054** ideo experientia tua, hac auctoritate commonita, provideat atque dispenset ut solidos ipsos incaute vitioseque erogare non debeant. In qua re ut sollicitudo tua possit esse laudabilis, cum omni eis studio ac vigilantia possessiones ad comparandum exquire. Ex quarum fructibus servi Dei alimoniam consequentes, nec acceptos solidos incassum expendere, nec ipsi valeant victus necessitatem incurrere. Ita ergo omni vigilantia, omnique intentione in hoc te exhibere festina, ut efficacia tua et ab illis periculum, et a nobis omnem possit curam sollicitudinis amovere.

## EPISTOLA XXI.

### AD JOANNEM ITALIÆ PRÆPOSITUM.

*Conqueritur de subtracta Neapolitanæ diaconiæ annona.*

Gregorius [a] Joanni præposito Italiæ.

Quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum, quia quod datur multiplicato sine dubio fructu recipitur. Scripsistis autem nobis ut Dulcitio agenti vices vestras dicere deberemus ne quid [b] super diatyposim auderet expendere. Et quanquam sit laudabile futura prospicere, quia tamen infirma omnino cautela est quæ pietatis adjutorio non munitur, in hac sollicitudine vestra est quod nos pro vobis contristare invenimus. Fertur itaque quod annonas atque consuetudines diaconiæ, quæ Neapoli [c] exhibetur, eminentia vestra subtraxerit. Quod minus fortasse fuerat obstupendum, si Joannis decessoris vestri non fuissent tempore ministratæ. Si igitur hæc ille, cujus cunctis notum est quam fuerit [d] gravis actio, non negavit, quale sit sapientia vestra consideret, si vel in aliquo bono opere malus homo vos superet. Nulla enim occasione hoc subtrahere vos decuit. Quod etsi forte nullus vestris voluisset rationibus imputare, hoc de proprio vos impendere non debuit gravare [e] precario, ut hujusmodi pietas in vestro esset patrona juvamine, quæ ministra fuisset in opere. Hæc itaque debet eminentia vestra potentia qua pollet inspicere, atque hoc [f] quod a decessoribus ejus non est ademptum, [g] ut solite valeat ministrari, largitatem bonitatis suæ debeat magis ostendere; quatenus nec in his quæ secundum jussionem Domini agitis adversitatem aliquam incurratis; et hujus vobis officii ministratio, et coram

[c] In recent., *Christi misericordia magis in hac devotione gaudete.*

[d] In duobus Colbert. et in 4 Vatic. annotatur *mense Martio, indict.* 3.

EPIST. XIX [*Al.* 18]. — [a] Verum id quidem; ideoque statuerunt canones negotia illic agi et dirimi, ubi nata sunt. Id sanctus Cyprianus inculcat epist. 55, Cornelio, ut supra observatum est. GUSSANV.

[b] Scilicet Fortunato Neapol. episcopo, ad quem plurimæ exstant hoc in Registro epistolæ.

EPIST. XX. *Al.* 19.

EPIST. XXI [*Al.* 20]. — [a] In Corb., Colbert., Turon., Anglic., Norm., *Joanni papæ.* In Vatic. E et F, et in Reg., *Joanni PP.*, quod forte interpretati sunt amanuenses *papæ.* In Rhem. et in Vatic. D legitur *Joan. præposito.* In Vatic. A, *Joan. episcopo Neapol.* In uno ex Colbert. *Joan. papæ Italiæ.* In vet. Colbert., priori manu, ad marginem annotatum est, *scribit Joanni proconsuli.* Forsan per PP. *Pater patriæ* significatur. Constat hic Gregorium alloqui aliquem ex reipublicæ administris, non vero episcopum, ut ex *eminentiæ* titulo quo illum ornat manifestum est.

[b] Anglic., Norm., Corb., Rhem., Turon., Vatic. D, *ne quid superbiæ typo* seu *typosi.* In Vatic. A, *ne quid super ecclesiastico auderet.* In Vatic. B, *ne quid super ditatim pensionem.* Diatyposis vox est Græca a διατυπῶ, constituo; significatque mandatum, constitutum.

[c] De diaconiis diximus ad epist. 28 lib. v. In nonnullis Mss. et Excusis legitur *exhibentur.*

[d] Recent., *gravis actor... qualis sit sapientia.*

[e] Irrepsit mendose, ut putamus, in quosdam mss. Codices et excusos *precatio*, uti legitur in Mss. B, D, F, Vaticanis.

[f] Non meliori sensu legitur in recent. Ed., *quod de subdecessoribus.*

[g] Al., *sollicite*, ut habent duo Vatic. et nonnulli alii.

hominibus laudem parare, et coram omnipotenti Deo possit providere mercedem. [h] Data mense Aprilis, indict. 3.

## 1055 EPISTOLA XXII.

AD LEONEM CATANENSEM EPISCOPUM.

*Sancti Viti monasterium tueatur a quorumdam molestiis ; junctos vero mulieribus monachos digna emendatione corrigat.*

Gregorius Leoni episcopo Catanensi.

Martianus, monachus monasterii sancti Viti, quod in [a] Ætna monte est positum, consensu, ut ait, congregationis ejusdem monasterii ad nos veniens, questus est multas monasterium ipsum a quibusdam molestias ac præjudicia sustinere. inter quæ illud nos quoque vehementissima exacerbatione commovit, quod in tantum monasterium ipsum innotuit calcari ac despici, ut etiam monachis ibidem degentibus mulieribus se jungere sine metu sit licitum. Quod si ita est, quam grave vestram fraternitatem, et apud Deum peccatum, et apud homines culpa respiciat, ipse poteris judicare, quippe quia nulla te prævales excusatione defendere. Aut enim hæc fieri nescisti, et culpa neglectus vehementer argueris; aut certe factum recognovisti, et graviorem erga te videris indignationem exigere, cur tantum facinus ultione districtissima non puniisti. Itaque scriptis fraternitatem vestram præsentibus commonemus, ut cum omni hoc vigilantia investigare festinet. Et si hujusmodi iniquitatem a quibusdam perpetratam invenerit, ita hujus perversitatis facinus digna studeat emendatione corrigere, quatenus et Deum placare, et aliis ne de cætero quid simile perpetretur custodiæ possit disciplinam ostendere. Molestias vero quas prædictum monasterium pati, vel ea quæ ei perhibentur invasa, sanctitas vestra cognoscat, et ita se in quantum justum est, in protectione ejusdem exhibeat, ut in nullo contra æquitatis ordinem valeat aliquo modo prægravari. Præceptum vero beatæ recordationis nostri prædecessoris Pelagii datum ad [b] Elpidium prædecessorem vestrum, cujus subtus exemplaria fecimus ascribi, sine aliqua volumus refragatione servari [c].

## EPISTOLA XXIII.

AD ADRIANUM NOTARIUM SICILIÆ.

*Agat quoque, tum ut puniatur supradictorum monachorum scelus, tum ne quis illorum bona invadat.*

Gregorius Adriano notario Siciliæ.

Res ad nos omnino detestabilis et nefanda pervenit, et miramur cur, si veritate subsistit, **1056** eam minime cognovisti. Veniens autem ad nos Martianus, monachus monasterii sancti Viti, quod in monte Ætna est positum, oblata nobis petitione questus est inter alia, ita monachos ejusdem monasterii perverse ac nequiter vivere, ut mulieres sibi sociare, quod dici nefas est, audeant. De qua re quia fratri et coepiscopo nostro Leoni scripsimus, ut, requisita veritate, si ita repererit, districtissima [a] hoc studeat severitate corrigere, necesse quoque est ut in hac re tua se experientia ad investigandam veritatem, et puniendum tantum scelus omnimodo sollicite debeat exhibere, ut neque remisse, neque negligenter agi aliquid videatur. In aliis vero utilitatibus memorati monasterii solatia tua in quantum ratio poposcerit æquitatis impende, quatenus et si quid ei, sicut dicitur, invasum est, secundum justitiam reformetur, et de cætero præjudicium illic aliquod contra Dei timorem et legum ordinem nullo modo generetur.

## EPISTOLA XXIV.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Ejus erga monasteria negligentiam arguit. Mauricii aliorumve monachorum fugam dolet. Vetat ne monachi deinceps, nisi per biennium probati, tonsurentur. Neve milites absque suo ipsius consensu in monasteriis suscipiantur.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Cum fraternitas vestra minus erga monasteria sibi subjecta studet esse sollicita, et ipsa culpam reprehensionis incurrit, et nos [a] de sua lenitate contristat. Pervenit autem ad nos Mauricium quemdam, qui nuper in monasterio Barbaciani conversus est, ablatis secum aliis monachis, fuga de eodem monasterio discessisse. Qua in re prædictum nobis Barbacianum sua præcipitatio vehementer accusat, qui temere sæcularem hominem, et non ante probatum, tonsuravit. Nunquid non vobis scripsimus ut prius eum probaretis, et tunc, si aptus esset, [b] abbatem facere deberetis? Vel nunc ergo circa eum quem elegistis, estote solliciti. Nam vos illo delinquente delinquitis, si ita cœperit se exhibere, ut se ad fratrum ostendat regimen indignum.

Præterea (*Grat.* 19, *q.* 3, *c.* 6) monasteriis omnibus fraternitas vestra districtius interdicat ut eos quos

[h] Hæc in nullis Mss. legimus.

EPIST. XXII [*Al.* 21]. — [a] Ætna mons, vulgo *Montegibello*, Siciliæ maximus et notissimus ob ignes quos evomit, a Catana urbe 15 circiter millibus passuum distans. GUSSANV.

[*b] In omnibus exemplaribus epistolarum sancti Gregorii legitur mendose *Lapidium ;* in epistola vero Pelagii II, de qua hic sermo habetur, *Elpidium*. Sic apud Anselmum Lucensem, in Collect. can., lib. VI, cap. 49, et apud Gratianum, caus. 8, quæst. 3, c. *Talia*. Sed et Rocchus Pirrus qui ex professo de omnibus Siciliæ episcopis tractavit, ubi de episcopis Catanensibus agit, ita de Leone loquitur : *Leo Catanensis successit Elpidio, de quo Gregorius epist.* 21 *lib.* VIII, nunc 22 lib. X. GUSSANV. Regium Ms. non legit sane Gussanvillæus, favet enim nostræ lectioni, habetque *ad Helpidium*.

[c] In uno Regio præmittitur huic epist. *mense Februario, indict.* 7, quod pro mendo est habendum. In paucis Mss. exstat hæc epist., ita ut in solo Vatic. A et in uno Regio illam repererimus.

EPIST. XXIII [*Al.* 22]. — [a] In Vatic. A, *hoc faciat*. Præter hunc Codicem nullum alium invenimus in quo hæc epistola foret, uno Regio excepto.

EPIST. XXIV [*Al.* 23]. — [a] In recent., *de sua ignavia et levitate*. Quæ certe contra episcopum acerbius dicta videri possunt. At in Mss. melioris notæ minime leguntur, scilicet in Norm., Colbert., Reg., Corb., Rhem. Ex Vaticanis unus habet, *de sua ignavia contristat*.

[b] Argumentum est epistolæ 91 libri superioris ad eumdem Fortunatum.

ad convertendum susceperint, [c] priusquam biennium in conversatione compleant, nullo modo audeant tonsurare. Sed hoc spatio vita moresque eorum sollicite comprobentur, ne quis eorum aut non sit contentus quod voluit, aut ratum non habeat **1057** quod elegit. Nam dum grave sit [d] inexpertos hominum obsequiis sociari, quis possit dicere quanto sit gravius ad Dei servitium improbatos applicari? [e] Miles vero si converti voluerit, prius quam nobis renuntietur, nullus eum sine nostro consensu qualibet præsumat ratione suscipere. Quod nisi diligenter fuerit custoditum, omnem subjectorum in te culpam inexcusabiliter noveris redundare, qui minus te erga eos rebus ipsis testaris esse sollicitum [f].

## EPISTOLA XXV.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Theodoro portas, et Rustico aquæductum tandem restituat. Causam deinde adversus illos moveat, si voluerit.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Si scriptorum nostrorum [a] seriem voluisses diligenter advertere, aut sponte restituere quæ tulisti, aut certe personam [b] secundum admonitionem nostram in causa transmittere debuisti. Et dum te modo quodam excusare contendis, asserens in his quæ contra fraternitatem tuam a parte contraria gesta sunt, non voluntarie sed magnis te constrictum conjurationibus miscuisse, ea quæ scripsimus quasi intelligere distulisti, et magnificos viros Faustum atque Dominicum non a te, sed a quibusdam [c] aliis tuis indicasti esse transmissos, ac per hoc ut, aliis litigantibus, ipse quæ tuleras retineres. Pars vero altera, epistolæ tuæ textum addiscens, crebra nobis allegatione cœpit insistere ut ea quæ abstuleras redderentur, paratam se inquiens si quid contra eam magnifici viri prædicti suo vel aliorum nomine movere voluerint respondere. Quod quia nec nobis a rationis visum est ordine dissentire, præsertim postquam admonitus instructam personam ad dicendam causam transmittere neglexisti, idcirco fraternitatem tuam hortamur, illico ut præsentia scripta susceperit, [d] Theodoro viro magnifico majori populi portas et Rustico viro clarissimo seniori aquæductum sine aliqua contentione restituat, ne in hac re moram, vel aliquam excusationem interserat, ne culpam indiscretionis incurrat, si quod ultro facere debuerat, admonita, differendum qualibet sorte putaverit. Hæc itaque memoratis viris primitus reformata, liberum tibi sit, si quam contra eos postea apud nos hic causam movere volueris. Sin vero non ipse, sed filii tui, ut asseris, causam se habere querantur unde eos publico debeant pulsare judicio, eis est liberum, in quolibet loco voluerint, causæ suæ negotium **1058** contra eos legaliter propositum terminare.

## EPISTOLA XXVI.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Joannem palatinum hortetur ut neque saponarios affligat, neque ipsorum nonnullis faveat a pactione juramento firmata recedentibus. Hortantem si non audierit Joannes, accedat præfecti auctoritas.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Augustinus præsentium portitor, qui reliquorum saponariorum civitatis vestræ vice sese dixit esse transmissum, questus nobis est quod Joannes vir clarissimus palatinus multis eos frustra afiligat incommodis, [a] atque nova plurima eorum corpori præjudicialiter nitatur imponere. Denique ut, sicut ait, eos promittere sibi compellat ut si quis arti eorum sociari voluerit, quidquid commodi de introitu ejus accesserit, ipsi proficiat. Adjiciens quoque pactum inter se de quibusdam rationabilibus artis suæ capitulis, juxta priscam consuetudinem omnium consensu, interposita esse pœna confectum, atque id sacramento interveniente firmatum, et ab eo nunc velle quosdam ex suis, ejus videlicet patrocinio fretos, abscedere, [b] atque ita contravenire cupientibus tuitionem impendere, ut, quod dici grave est, plus in defensione ejus præsumptionem habeant, quam de pœna penuriam, [c] vel de sacramento præstito possint habere formidinem. Quod si ita se res habet, quia etiam ipsi quod agit adversum est, quippe qui alieno se peccato sua defensione constituit esse participem, fraternitas vestra paterna eum adhortatione conveniat, ut ab hujusmodi se actu cohibeat, et præjudicialiter illis nihil imponat, nec eos dispendiis quibuslibet contra rationem affligat. Pariter etiam

[c] Ex hoc loco forsitan augurabitur aliquis monasterium cui Barbacianus præerat, sancti Benedicti regulæ non fuisse subditum, cum ex ipsius præscripto novitios post annuam probationem ad professionem admittere liceat. Verum etsi minime nunc contendamus in hoc cœnobio Benedictinam regulam fuisse observatam, contrariam tamen sententiam nullatenus probat prorogatum probationis tempus ad biennium. Vide quæ de hoc argumento diximus lib. I Vitæ sancti Gregorii, c. 3, in fine.

[d] In Norm., Corb., Rhem., Colbert. et Vatic. D, *inexperto*.

[e] Vide lib. VIII, epist. 5, olim 11, libri VII, indict. 1.

[f] In Vatic. A, B, E, et in Colbert. vet., legitur *mense Aprili indict.* 3. In altero Colb. *mense Maio*, *indict.* 3.

EPIST. XXV [*Al.* 24]. — [a] Meminit epist. 104 libri superioris, olim 109.

[b] San Vict. et Vatic. A, qui fere soli epistolam hanc continent, *personam instructam*, ut etiam infra legitur.

[c] Ibidem, *filiis tuis*.

[d] Excusi, *Theodorico*, sed mendose.

Epist. XXVI [*Al.* 27]. — [a] In Rhemensi, consentiente Vatic. D, *atque nova plurima eorum arti sociari voluerit, ut quidquid commodi de introitura ejus*. Nota hic jam tunc artifices in amplis civitatibus in collegia coaluisse. Collegiorum illorum institutionem refert Lampridius ad Alexandrum Severum : *Corpora*, inquit in ejus Vita, *omnium constituit vinariorum, lupinariorum, caligariorum, et omnino omnium artium ; hisque ex sese defensores dedit, et jussit quid ad quos judices pertineret*. Ex hac epistola conjici potest Joannem palatinum fuisse saponariorum defensorem.

[b] In Ms. San Vict. et in Ed. recent., *atque ita contravenire tuitionem cupientibus impendere*, quæ sensu carent. Restituimus autem hunc locum ad Vatic. A et D, necnon ad vet. Excusos.

[c] Vatic. A, *vel de falso sacram.*

providendum est ut et pactum, ubi sacramenta sunt præstita, conservetur, et cum dispendio animæ suæ temporalia lucra contraveniendo [d] non appetat, ne et perjurii crimen incurrat, et commoda prave desiderata non capiat. Et si, quod non credimus, admonitionem vestram prædictum Joannem virum clarissimum videtis forte differre, cum eminentissimo filio nostro præfecto stricte loquimini, ut ipse hoc, sicut in præsenti dici fecimus, quomodo præviderit, rationabiliter faciat emendari, quatenus et eos qui tuitionis nostræ suffragia quæsiverunt quorumdam voluntas injuste non opprimat, et ille ab opere se indecenti prohibitum, pro suæ magis animæ utilitate cognoscat. [c] Datum mense Maii, indict. 3

## 1059 EPISTOLA XXVII.

AD ZITTANUM MAGISTRUM MILITUM.

*Fatetur persolvenda etiam a religiosis tributa.*

Gregorius [a] Zittano magistro militum.

Epistolas vestras Græco sermone dictatas me indico suscepisse, in quibus dicitis quod quædam religiosa loca [b] responsum juri publico de rebus ei competentibus reddere contemnant. Quæ res me omnino contristavit, quia nostri est habitus non solum præjudicia minime facere, sed etiam facta æquanimiter portare, nisi forte quod res pauperum defendere rationabiliter cogimur, ne apud omnipotentem Deum culpabiles inveniri valeamus. Proinde Fantino defensori quæ scripserim gloriæ vestræ transmisi, ut ipse religiosos quosque in Panormitanis partibus apud electos judices venire compellat, et suorum actuum rationem reddant. Omnipotens Deus cœlestis vobis misericordiæ largitatem præbeat, ut per cuncta quæ agitis ejus gratiæ serviatis. [c] Mense Maio indict. 3.

## EPISTOLA XXVIII.

AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Causas Sabinianum inter et Theodorum episcopum, tum de impensis in hospites, tum de aliis suo judicio definiat.*

Gregorius Fantino defensori.

Sabinianus vir clarissimus, præsentium lator, nobis indicavit hanc olim ibi consuetudinem convenisse, ut, diversis supervenientibus, cives ejusdem civitatis [a] de proprio expensas impenderent. De qua re dum se quererentur affligi, hoc illis cum Theodoro Lilybetano quondam episcopo convenisse, ut in Ecclesia ejus certæ portiones substantiæ suæ donatione conscriberentur, et hoc in se onus susciperet, atque, securis eis redditis, ipse de Ecclesia quidquid esset necessarium, erogaret. Se vero per tertiam decimam et primam indictiones, quibus prædictæ civitati defensoris officium tenuit, absente episcopo, de proprio expendisse quod de Ecclesia poterat erogari. Et quia sibi quod expendit postulat debere restitui, ideirco experientiæ tuæ præcipimus ut reverendissimo fratri et coepiscopo nostro Decio studeat imminere, quatenus aut pacifica, si ita est, cum eo ordinatione decidat; aut certe si qua se ratione a restitutione expensarum credit defendere posse, [b] in judicio tuo assistat. Et exquisita **1060** diligentius veritate, ita quidquid tibi æquitatis ordo suaserit, mora postposita definito, ut et rationabiliter causa finem accipiat, et partes apud te nulla fatiget [c] in observatione dilatio. Si autem donationes, de quibus dictum est, Ecclesiæ suæ esse onerosas existimat, et reddere eas donatoribus fortasse voluerit, si qui ex eis qui eas recipiunt clerici sunt, a te similiter moneantur ut aut secundum portiones suas quæ erant soliti dare persolvant, aut certe si causari voluerint, contentiones partium tua necesse est cognitione distingui, ut nulla se pars inaudita queratur præjudicium sustinere. Alias vero causas quas cum memorato reverendissimo viro fratre nostro suprascriptus portitor habere præsentes se asserit, tuo similiter volumus, mediis sacris Evangeliis, judicio definiri.

## EPISTOLA XXIX.

AD CONSTANTIUM MEDIOLANENS. EPISCOPUM.

*Dubiam adhuc Pompeii episcopi causam certa sententia finiri nondum posse.*

Gregorius Constantio episcopo Mediolanensi.

Relectis epistolis vestris, quas ad nos per [a] Marianum latorem præsentium transmisistis, gratam nobis sollicitudinem vestram fuisse rescripsimus, quod ea quæ ad vos de fratre et coepiscopo nostro Pompeio, qui adhuc ita a nobis nominandus est, pervenerunt dissimulare minime pertulistis. Sed si qualis fuit in requisitione cura, talis fuisset in discussione subtilitas, nihil ex hoc quod de eo dictum est, fuisset

[d] Vatic. A, *non appetant;* et infra, *incurrant;* ac paulo post, *non capiant.*

[c] Ita legitur in Vatic., exceptis Codicibus A et D; omittitur in aliis Mss. et in vet. Ed.

EPIST. XXVII [*Al.* 28]. — [a] In vet. Excusis, *Zizasimas militi.* In Vatic. A, *Zizasimas magistro militum.* In recent. Ed., *Zittano Zizazimæ magistro militum.* In omnibus Mss. nostris, excepto Vatic. A, legitur *Zittano*, vel *Zitani magistro militum*, vel *militiæ.*

[b] Id est, solvere; respondet debitor cum solvit. Cicero, lib. XVI, ad Atticum epist. 2 : *Fit sæpe ut ii qui debent non respondeant ad tempus.* Apud Tertullianum, de Corona militis : *in alium dominum respondere.* Sed magis ad rem Hieronymus in epistola 11 : *Respondeant, tributa persolvant.* Et epistola præced. : *Quis respondebit pro agrorum tributis.* GUSSANV.

[c] Hoc scriptæ epistolæ tempus assignant tres Vaticani A, B, E, ac Colbertini.

EPIST. XXVIII [*Al.* 29]. — [a] Hospitum curam fidelibus incumbere, sed maxime episcopis, evidentius est quam ut probatione indigeat. Cessavit tamen, pietate refrigescente, istud charitatis officium, quod variis conciliorum decretis suscitare voluit Ecclesia, nec obtinuit. Imo vero bona in hunc finem a fidelibus bona fide legata alio detorta sunt, justis (ut aiunt) de causis. Legatur Espensæus, lib. II Digressionum in Timoth., cap. 1, ubi multa de hospitalitate episcoporum et clericorum congerit. GUSSANV.

[b] Victor., Remig. et Vatic. A, in quibus fere solis exstat hæc epist., *in judicio tuo partes assistant.*

[c] Hic significatur actio forensis, Gallice *la procédure*, quæ cum litigantium aut etiam judicum tricis et malis artibus protrahitur, fatigantur partes et ad inopiam rediguntur.

EPIST. XXIX [*Al.* 30]. — [a] Norm. et duo Vatic., *Marinianum.*

ambiguum. Sed utrum verum [b] an esset compositum patuisset, quia jam contra ipsum dudum in Sicilia apud reverendæ memoriæ fratrem nostrum Maximianum episcopum talis quæstio, ut cognovimus, mota est. Sed quia causa ipsius subtili omnino investigatione quæsita est, inventus est innocens, qui fuerat accusatus in crimine. Nunc igitur quoniam illa quæ contra eum dicta sunt non sub illa qua decuit districtione quæsita sunt, et gesta quæ exinde apud fraternitatem vestram confecta sunt, neque ad condemnationem, neque ad absolutionem ejus probantur posse sufficere, non levis res agitur, ut incaute vel in transcursu debeat definiri. Nam (*Grat.* II, *q.* 3, *c.* 74) grave est satis et indecens ut in re dubia certa dicatur sententia. Et hæc quidem gesta esse poterant ad definiendum idonea, si accusati ea confessio sequeretur; si tamen eamdem confessionem subtilitas examinis ex occultis eliceret, et non afflictio vehomens extorqueret, quæ frequenter hoc agit ut noxios sese fateri **1061** etiam cogantur innoxii. Nam postquam præfatus episcopus, ut dicitur, cruciari custodia cremarique fame se asserit, scire debetis, si ita est, utrum noceat si sic fuerit extorta confessio. Nunquid quando sententiam tales causæ suscipiunt, et ad sedem apostolicam appellatur, nonne et persona quæ judicatur præsens est, et districtissime atque ab omni latere veritas quæritur, ut tunc si debeat necne manere sententia decernatur? Necnon et si prædictus episcopus ad sedem apostolicam appellare voluerit, causa ipsius interius et cum omni est diligentia perscrutanda. Et ideo postquam et persona absens est, et gesta quæ ad nos transmisistis nobis, sicut præfati sumus, satisfecisse idonee non videntur, temere aliquid de episcopi persona decernere nec possumus, nec debemus, ne, quod absit, reprehensibiles inveniamur in nostris, quibus aliorum jure competit retractare sententias.

[c] De Alamannis autem quod vobis indicatum est, nos et longius quam vos positi sumus. Et quod verum non sit minime dubitamus. Vestra tamen fraternitas bene fecit pro informatione nostra scribere quod audivit [d]. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 28.)

## EPISTOLA XXX.

AD CASTORIUM NOTARIUM.

*Iterum monet ut de possessione quæ monasterio concessa dicebatur quod justum est faciat.*

Gregorius Castorio notario.

Experientiæ tuæ in præsenti nos recolis præcepisse ut de possessione quæ monasterio sanctorum Marci, Marcellini et Feliculæ, quod Ravennæ situm est, largitatis titulo dicitur esse concessa, quia causam bene nosti, debuisses quod justum est facere. Pro qua re hac te iterum nostra præceptione duximus commonendum, ut in re ipsa vigilans debeas esse atque sollicitus. Et si manifeste donatam esse cognoveris, et nihil est quod a partibus nostræ objici possit Ecclesiæ, impedimentum aliquod monasterio ad tenendum ipsam possessionem non facias. Si vero quia, prout diximus, causa bene tibi est cognita, habes quod juste possit pro Ecclesiæ partibus allegari, electorum te cum parte altera necesse est subire judicium, ut et veritas cognosci, et quod æquitatis ordo suaserit, valeat definiri.

## EPISTOLA XXXI.

AD LIBERTINUM EXPRÆTOREM.

*Hortatur ut adversa patienter sustineat, et vestes ad suorum usus suscipiat lubens.*

Gregorius Libertino [a] exprætori.

Quanta vos sæculi hujus premat angustia, incognitum non habemus. Sed quia in summa tribulatione positis **1062** sola est consolatio misericordia Creatoris, in eum spem vestram ponite, ad ipsumque tota vos mente convertite, qui et juste quem vult permittit affligi, et confidentem in se misericorditer liberabit. Ipsi ergo gratias agite, et patienter quæque illata sunt sustinete. Nam rectæ mentis est Deum non solum in prosperis benedicere, sed etiam in adversitatibus collaudare. In his igitur quæ patimini nullum contra Deum murmur cordi vestro subrepat, quia ad quid hoc Creator noster operetur ignotum est. Forsitan enim, magnifice fili, aliquid illum in prosperis positus offendisti, unde te clementi amaritudine vult purgare. Et ideo, nec temporalis te frangat afflictio, nec rerum damna discrucient, quia si, in adversis gratias referens, Deum tibi patientia feceris esse placabilem, et quæ amissa sunt multiplicata redduntur, et super hæc gaudia æterna præstantur. Peto autem ne injuriosum ducatis [b] quod viginti a nobis vestitus ad pueros vestros per Romanum defensorem scripsimus præberi, quia de beati Petri apostoli rebus quamvis parva sint quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt, quoniam et hic vobis valebit majora impendere, et apud omnipotentem Deum beneficia æterna præstare. [c] Mense Junio, indict. 3. (*Vide inf. ep.* 51. *Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 55.)

## EPISTOLA XXXII.

AD SECUNDINUM EPISCOPUM TAUROMINITANUM.

*Benignius agendum erga Leonis uxorem, quæ, ob adulterii suspicionem a marito discedens, cum religiosam vestem induisset, ad ipsum, inconsulto Secundino, redierat.*

Gregorius Secundino episcopo Taurominitano.

[b] Sic restituimus ope præsertim Norm. Codd et Vatic. In vet. Ed legitur, *an esse compositum potuisset, jam contra*, etc. In recent., *an esse compositum sciri potuisset; jam*, etc., in utraque lectione sensus frustra quæritur. Hoc loco idem est *compositum* ac *fictum*.

[c] De Alamannis frequens mentio apud coævos scriptores, præsertim Gregorium Turon., qui lib. II Hist., c. 19, narrat eos Italiæ partem pervasisse.

[d] In recent. sic clauditur epistola, *Datum mense Junii, indict.* 3, quod in nullis Mss. nobis occurrit.

EPIST. XXX. *Al.* 9, *ind.* 5.

EPIST. XXXI. — [a] Ita Norm., Anglic., Colbert., Rhem., Reg., Vatic. In Vatic. D tamen legitur *prætori*. Nullibi autem legimus *exprætecto*, ut habent Excusi.

[b] In Vulgatis, *viginti annuos vestitus*, invitis Mss. Anglic., Norm., Vatic., etc.

[c] Ita legitur in duobus Colbert. et in Vatic. A, B, D, E.

Præsentium portitor, Leo Chartarius, ad nos veniens indicavit uxori suæ, quæ relicto eo pro fornicationis crimine, [a] quo vehementius stimulatam aiebat, atque ob hoc religiosam vestem induerat, se culpabilem nullatenus exstitisse; adeo ut, sicut ait, requirente fraternitate vestra, cui hujus rei cognitionem ante hoc fere triennium mandaveramus, in nullo claruerit eum post initum conjugium in fornicationis culpam collapsum; adjiciens quoque quod eidem uxori suæ districtissima sacramenta præbuerit insontem se ea de re unde etiam illam mordebat suspicio permansisse, et idcirco propria eam sponte ad se reversam. Sed quia [b] communione illam cum familia sua pro hoc solummodo a fraternitate vestra privatam asserit, quod ad eum clam postpositis vobis redierit, volumus ut familia quidem ipsius sacram communionem recipiat, et dominæ ea culpa in hujus afflictionis pœna familiam diu non teneat. De ipsa vero, hoc est de uxore prædicti portitoris, hoc vos observare necesse est, ut si manifeste constiterit quia contra conjugem suum **1063** dicere nihil potuit, sed et insuper suspicio ipsius, præstito, ut edocti sumus, sacramento amputata est, et utique post hoc sua ad eum sponte reversa est, in ea quoque temperanda est censura judicii, ut longe jam tempore minime communione privetur. Si autem aliter se veritas quam nobis insinuatum est fortassis habuerit, fraternitatis vestræ subtiliter scripta nos instruant, ut quid fiendum sit nostris iterum discurrentibus epistolis agnoscatis.

## EPISTOLA XXXIII.

AD SECUNDINUM EPISCOPUM.

*Si revera Dulcinus episcopus substantiæ suæ sex uncias Ecclesiæ Locrensi et sex monasterio sancti Christophori reliquerit, nullam jam dicto monasterio molestiam irrogari patiatur.*

Gregorius Secundino episcopo Taurominitano.

Scripta fraternitatis vestræ suscepimus, in quibus indicastis reverendissimum fratrem nostrum Marcianum, Locrensis civitatis episcopum, aliter nobis de causa Ecclesiæ contra monasterium sancti Christophori, quod in vestra diœcesi est constitutum, intimasse, non quidem fallendi voluntate, sed quia a clericis suis non fuerat de veritatis natura diligenter instructus. Et quoniam scribitis Dulcinum decessorem ipsius nihil de rebus Ecclesiæ suæ fuisse testatum, sed de propriis ac magis quæ in prædicto monasterio fidelium oblatione collata sunt [a] elogium condidisse, atque sex uncias Ecclesiæ et sex eidem monasterio jure hæreditario reliquisse, necesse est ut si ita etiam non ex opinione, sed absolute in veritate esse recolitis, nullam prædicto monasterio sinatis molestiam irrogari, præcipue dum eamdem causam jam temporibus reverendæ memoriæ Maximiani episcopi vos atque fratrem et coepiscopum nostrum Ruffinum ex ejus deputatione ac cessione audisse ac decidisse testemini, adeo ut inter partes ea quæ inveniri poterant partirentur, et quod Ecclesiæ fuit [b] intrinsecus redderetur. Volumus ergo ut pars utraque conticeat, et ea quæ a fraternitate tua una cum prædicto Ruffino quondam episcopo statuta sunt inconvulsa consistant, quatenus nec pars Ecclesiæ denuo injuste quæstionem inferre, nec monasterium irrationabiliter videatur post vestram maxime definitionem controversiam sustinere.

## EPISTOLA XXXIV.

AD ECCLESIUM CLUSINUM EPISCOPUM.

*De Joanne Diacono a Balneoregiensibus in episcopum electo sollicite inquirat.*

Gregorius [a] Ecclesio episcopo [b] Clusino.

Gloriosus filius noster Aufridus ad nos scripta transmisit, indicans quod in castro [c] Balneo-Regis, **1064** una cum habitatoribus loci ipsius sibi [d] Joannem Diaconum elegerit episcopum ordinandum, de cujus omnino vita bona testatus est. Sed quia quæ sint canonica nesciunt, et nos inexpertis vel incognitis manus temere non audemus imponere, fraternitas vestra cum omni sollicitudine ac vigilantia diversis quibus potuerit modis de vita actibusque ipsius requirere studeat. Et si nihil est quod ei canonice possit obsistere, requirendum quoque est si in opere Dei studium habuit, vel [e] psalmos novit. Et si talis fuerit, eum ad nos cum testificationis suæ epistola dirigat. Si vero aliter fuerit, vestris nobis similiter epistolis indicate, et habitatores loci

Epist. XXXII. — [a] Vatic. D et Rhem., *quo eum vehementius stimulatum*, etc.

[b] De separatione causa fornicationis multa theologi, tum in veteri lege tum in nova disputant, in illud Matth. v, *Excepta fornicationis causa*, et Matth. xix, *Nisi ob fornicationem*. Fit autem propria auctoritate quoad thorum, non quoad cohabitationem. Lege caus. 23, quæst. 2, cap. 3 et 4, caus. 10, ex Toletano i, et cap. 3, 4, 5, extra *de divortiis*. Itaque ea de qua hic agitur male secesserat, male habitum religiosum induerat, male inconsulto episcopo, cui causæ cognitio fuerat demandata, ad maritum redierat. Nec tamen diffiteor episcopum pœnam tam gravem temere inflixisse. Gussanv.

Epist. XXXIII. — [a] Vide supra, epist. 8 lib. iv.

[b] Ita San Vict. cum Ed. In Vatic. A, præter quem et mox citatum Victorinum pauci Codices hanc epistolam exhibent, habet *intrinsecus redderetur*.

Epist. XXXIV. — [a] In Excusis, *Eulogio*, reluctantibus omnibus quos consuluimus Mss. scilicet quinque Vatic., quatuor Colbert., septem Norm., Turon., Rhem., Reg.

[b] Clusium, vulgo *Chiusi*, urbs Etruriæ in colle juxta Clanim fluvium, vulgo *Chiane*, adhuc sedes episcopalis sub archiepiscopo Senensi. Gussanv.

[c] Aliter Balneoregium, vulgo *Bagnarea*, civitas Etruriæ, et agri Urbevetani, vulgo *Orvietan*, in ditione pontificis, adhuc episcopalis, Romano pontifici immediate subdita. Gussanv.

[d] Diaconos non raro ad episcopatum promotos legimus. Vide sup., lib. iii, epist. 29, 30, 31, 40, 47. In Vita sancti Basilii a viro erudit. D. Hermant conscripta, lib. ii, c. 20, observatur ea ætate, nec ullo fuisse canone præceptum, nec moribus receptum, per singulos ordinum gradus ad episcopatum pervenire. In lectorum numero per aliquot annos militabant. Hinc ad diaconatus administrationem vel presbyterii dignitatem promovebantur, tum ex alterutro ordine creabantur summi sacerdotes. Consentit Morinus de sacris ordinat., part. iii, exercit. 3, c. 2. Dissentit Thomass., part. i, lib. ii, c. 36, num. 11 et seqq.

[e] Jam de hac re supra, lib. v., epistola 48. Gussanv.

ipsius adhortamini ut si iste aptus non fuerit, sicut et suprascripto Aufrido filio nostro scripsimus, alium sibi eligant qui ad hoc officium cum gratia Dei aptus valeat inveniri [f].

## EPISTOLA XXXV.

### AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

*Quod citius non responderit biennii causatur podagram. Palæstinos monachos, qui de Agnoitarum errore interrogarent, non Romam, sed Constantinopolim adiisse. Se ad Anatolium in Agnoitas idipsum ex Latinis Patribus scripsisse, quod ex Græcis ad se Eulogius.*

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.

Transacto anno suavissima sanctitatis vestræ scripta suscepi, quibus pro ægritudinis meæ nimietate respondere nuncusque non valui. Ecce enim [a] jam biennium pene expletur, quod lectulo teneor, tantisque podagræ doloribus affligor, ut vix in diebus festis usque ad horarum trium spatium [b] surgere valeam missarum solemnia celebrare. Mox autem cum gravi pellor dolore decumbere, ut cruciatum meum possim interrumpente gemitu tolerare. Qui dolor interdum mihi lentus est, interdum nimius. Sed neque ita lentus ut recedat, neque ita nimius ut interficiat. Unde fit ut qui quotidie in morte sum, quotidie repellar a morte. Nec mirum, quia peccator gravis talis corruptionis carcere diu teneor inclusus. Unde compellor exclamare : *Educ de carcere animam meam ad confitendum nomini tuo* (*Psal.* CXLI, 8). Sed quia meis hoc precibus adhuc obtinere non mereor, rogo, vestræ sanctitatis oratio suæ mihi intercessionis adjutorium præbeat, meque a peccati et corruptionis pondere liberum reddat in illam quam bene nostis libertatem gloriæ filiorum Dei.

Scripsit autem mihi dulcissima et semper honoranda beatitudo vestra, quod ei communis filius Anatolius diaconus de Constantinopolitana urbe scripserat, ad me quosdam monachos de Jerosolymorum partibus venisse, qui a me aliquid [c] de Agnoitarum errore requirerent, et dicitis quia petiit ut vestra mihi sanctitas scriberet quid de eadem debuisset inquisitione sentire. Sed neque **1065** ad me de Jerosolymorum partibus requirentes aliquid monachi venerunt, neque eumdem communem filium vobis potuisse aliud quam erat scribere, sed interpretem suspicor in ejus epistolis erravisse. Nam idem diaconus mihi jam ante biennium scripsit quia a prædictis partibus ad Constantinopolitanam urbem talia requirentes monachi venerunt, meque studuit requirere quid sentirem. Cui ego ante longum tempus quam vestra scripta susciperem, contra eamdem hæresim ipsa respondi quæ postmodum in epistola vestræ sanctitatis inveni; atque omnipotenti Deo magnas gratias retuli, quia de cunctis inquisitionibus Romanorum atque Græcorum Patres, quorum nos sequaces sumus, uno spiritu sunt locuti. In multis enim eamdem vestram epistolam ita reperi ac si contra prædictam hæresim scripta Latinorum Patrum legerem. Et quantum potui de sanctissimo fratre meo amare et laudare bonum [d] perpendite, in cujus ore venerandos Patres, quos multum diligo, recognovi. Sit ergo illi laus, sit in excelsis gloria, cujus dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci, de cujus effusione spiritus cum sacerdos ad perscrutanda mysteria scilicet ad sancta sanctorum intrat, in sancta Ecclesia velut in tabernaculo ex verbis prædicationis spiritalia tintinnabula resonant. Recta itaque et valde laudabilis est vestra prædicatio. Sed omnipotentem Dominum deprecamur ut diu vos etiam in hac vita custodiat, ut de Dei organo, quod estis, in hoc mundo latius vox veritatis sonet. Pro me autem, peto, intercedite, ut hujus peregrinationis via, quæ mihi asperior facta est, cum celeritate finiatur, quatenus qui ex meis non valeo, ex vestris meritis possim ad æternæ patriæ promissa pertingere, et cum cœli civibus gaudere. (*Vide inf. ep.* 39. *Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 67.)

## EPISTOLA XXXVI.

### AD MAXIMUM SALONITANUM EPISCOPUM.

*Se de Sclavis irruptionem facientibus affligi. Adversus iniquos judices defendat strenue, sed modeste, pauperes atque oppressos. Photinianistas ad Ecclesiæ sinum revocare pergat.*

Gregorius Maximo episcopo Salonitano.

Ad Romanam veniens urbem communis filius presbyter Veteranus ita me podagræ doloribus debilem reperit, ut fraternitatis tuæ epistolis per me respondere nullatenus valuissem. Et quidem de Sclavorum gente, quæ vobis valde imminet, **1066** et affligor vehementer et conturbor. Affligor in his quæ jam in vobis patior ; conturbor, quia per Istriæ aditum jam ad Italiam intrare cœperunt. De Juliano autem Scribone quid dicam, quando ubique video quia nobis peccata nostra respondeant, ut et foris a gentibus, [a] et intus a judicibus conturbemur ? Sed nolite

[f] In recent. additur, *Datum mense Julii, indict.* 3. Hæc temporis nota pertinet ad epist. sequentem in Mss.

EPIST. XXXV. — [a] Consule epist. 125 lib. IX, indict. 2 In Vatic. B, pro *pene*, legitur *plene*.

[b] Ita Mss. Reg., Norm., etc., quos sequendos putavimus, licet insolens nobis videatur hic loquendi modus, *surgere missas celebrare*, pro *surgere ad missas celebrandas*. Infra reposuimus *depellor* pro *compellor*, cogentibus iisdem Mss.

[c] Scilicet dicebant Christum ut hominem nonnulla ignorasse. Emersit iste error circa medium sæculi VI. De eo copiosius sanctus Gregorius epist. 42, nunc 39. Sanctus Joan. Damasc., lib. de Hæres., hæc habet : *Agnoitæ, qui iidem Themistiani vocantur, impie et improbe Christum diem judicii ignorare palam docent, cumque ignaviæ et timiditatis arguunt.* Ili sunt quædam secta Theodosianorum ; Themistius enim, qui eorum sectæ et disciplinæ princeps fuit, unam in Christo naturam conjunctam fuisse tradidit. Gregorius Turonensis in prologo historiæ exponit aliter hæc Christi verba : *Neque filius, nisi solus pater ;* contenditque per filium intelligi debere Christianum populum, quia nempe filio præposuit angelos. Refero, non censeo. GUSSANV.

[d] Recent. Edit. mutarunt *perpendite*, quod legitur in omnibus Norm., Vatic., Rhem., Corb., etc., in *perpendi*, quia planior videbatur sensus.

EPIST. XXXVI. — [a] Recentiores, *et intus a perversis judicibus*. Omnes Mss. nostri et vet. Ed. suaserunt expungere *perversis*.

de talibus omnino contristari, quia qui post nos vixerint deteriora tempora videbunt; ita ut in comparatione sui temporis felices nos æstiment dies habuisse. In quantum vero prævalet fraternitas tua, opponere se pro pauperibus, pro oppressis debet. Quæ etiam si prodesse minime valuerit, ipsa omnipotenti Deo mentis devotio sufficit quam dedit. Scriptum est enim : *Eripe eos qui ducuntur ad mortem, et qui trahuntur ad interitum liberare ne cesses* (*Prov.* XXIV, 11). Quod si dixeris : Vires non suppetunt, qui inspector est cordis, ipse intelligit. In omne ergo quod agis inspectorem cordis appete habere placatum. Quidquid vero est unde illi placeas, facere non omittas. Nam humani terrores et gratiæ [b] fumo sunt similes, qui levi aura raptus evanescit. Hoc certissime scito, quia placere Deo et pravis hominibus nullus potest. In tanto ergo se æstimet fraternitas tua omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit. Ipsa tamen defensio pauperum moderata et gravis sit, ne si quid nimis rigide agitur, ex juventute vos arbitrentur homines superbire. Sed talis necesse est ut inveniatur pro oppressis [c] nostra defensio, quatenus et humiles protectionem sentiant, et oppressores non facile inveniant quod ex malivola mente reprehendant. Attende ergo quod ad Ezechielem dicitur : *Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum, et cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* II, 6). Et beatus Job ait : *Frater fui draconum, et socius struthionum* (*Job* XXX, 29). Et Paulus discipulis dicit : *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis sicut luminaria in mundo* (*Philip.* II, 15). Tanto ergo debemus cautius ambulare, quanto nos scimus inter Dei inimicos vivere. [d] De Photinianistis autem fraternitas tua sit omnino sollicita, et, sicut cœpit, studeat quatenus ad sinum sanctæ Ecclesiæ revocentur. Si qui vero ad me venire voluerint, et rationem recipere, prius jusjurandum præbeant quia non permittunt suis quod in eorum errore, etiam ratione recepta, persistant. Et postmodum eis tua sanctitas promittat, quia a me nullam violentiam patientur, sed rationem reddo. Si veritatem cognoverint, [e] suscipiant; si non cognoverint, illæsos dimitto. Si qui vero contra vos ex eis ad nos venire voluerint, **1067** minime eos fraternitas tua retineat, quia venientes aut rationem recipient, aut scito quia profecto terram illam ulterius non videbunt. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 55.)

## EPISTOLA XXXVII.

### AD INNOCENTIUM AFRICÆ PRÆFECTUM.

*De Innocentii præfectura gaudet ex dilectione; dolet ex gravitate muneris, quam illi æternæ mercedis occasionem fieri peroptat. Factas indicat cum Langobardorum rege inducias. Suos in Job postulanti laudat Augustini libros. De protecto Romanæ Ecclesiæ patrimonio gratias agit.*

Gregorius Innocentio [a] Africæ præfecto.

Luculenta eminentiæ vestræ, et condita cordis melle facundia ita sui nobis saporem medullitus infudit, et in suo amore nos rapuit, ut nobis et dulce sonet quod scribitis, et sapiat suave quod agitis; nec immerito, quia qui bonis studiis comptus est, judicio magnus est, non favore. [b] Præfecturæ autem vos suscepisse cingula cognoscentes, lætitiæ se miscuit nostræ tristitia. Nam ex una parte lætati de provectu dulcissimi filii, contristati sumus ab altera, quia quam grave sit confusis temporibus locis majoribus esse præpositos, ex nostro prorsus dolore sentimus. Unde omnino studendum est ut res aspera fiat mercedis occasio. Nam, sicut nostis, de terra plena carduis frumentum egreditur, et de spinis rosa producitur. Dum ergo seminandi vobis congruum tempus est, bonorum operum serere semina non cessetis, ut majores in die messis lætitiæ manipulos reportetis, atque ad æternam gloriam ex transitorii honoris merito veniatis.

Cognoscentes igitur quale studium in præparandis [c] dromonibus gesseritis, sollicitudinem vestram, desiderato nuntio, relevamus, indicantes cum Langobardorum rege usque ad mensem Martium futuræ quartæ indictionis, de pace, propitiante Domino, convenisse. Quæ si retineatur ignoramus, quia idem rex obiisse postea nuntiatus est, licet adhuc habeatur incertum.

De Anamundaro autem quæ scripsistis fecimus, sed voluntatem utinam sequatur effectus quia quan-

[b] Hoc tamen fumo, hac aura, tanquam gravissimis momentis, heu! sæpissime nostri librantur mores, et inclinantur.

[c] Vulgati, *vestra defensio*, reluctantibus quatuor Vatic., omnibus Norm., Corb., Reg., etc.

[d] Corrupte in nonnullis Mss. et in Ed., *Frontinianistis*, quod emendavimus, maxime ex quinque Anglic., omnibus Norm. et Corb. *Photinianistæ* iidem ac Photiniani sic dicti a Photino, cujus impiissima dogmata in Theodoro Mopsuesteno quodammodo revixerunt. Vide Pelagii II epistolam 7, quæ est tertia ad Heliam, quam a sancto Gregorio dictatam fuisse volunt : *Vere quidem a Paulo Samosateno descendens, licet Photino et cæteris hæresiarchis in libro de Incarnatione Domini nostri Jesu Christi in toto suo proposito ipsis verbis inveniatur usus.* Qui contendunt legendum esse *Frontinianistis*, putant eos fuisse ex schismate Istricorum.

[e] Ita Mss. et vet. Edit., at recent. maluerunt *suscipiam.*

EPIST. XXXVII — [a] In Reg. et duobus Colbert. legitur *episcopo Africæ.* Ac in margine vetustioris Codicis nota hæc eadem manuscripta est : *quia episcopus præfecturam susceperat contristatur.* Ad episcopum non esse scriptam hanc epistolam legenti patebit, modo in Gregorianis epistolis peregrinus non sit.

[b] Cingula sunt insignia armatæ et palatinæ militiæ, balteus nimirum et gladius. *Hinc honor cinguli, sacramenta cinguli*, in Digest. et Cod. Quando cessabat administratio vel dignitas, dicebatur cingulum deponi, privari cingulo, discingi. GUSSANV.

[c] Dromones sunt naves celerrimæ, sic dictæ a cursu, non a quercu, δρόμος. Sic apud Plinium, *pisces dromones reperimus*, lib. XXXII, c. 11. Hinc dromonarii exercitores istarum navium. Ea vox tam sæpe apud Cassiodorum aliosve auctores plurimos occurrit ea significatione, ut mirum sit quosdam adhuc hærere. Unam profero epistolam 2 Pauli Papæ ad Pippinum regem : *constituit* (imperator) *ut dromonum Siciliæ stolus in Otrantina civitate dirigatur*, etc. Stolus, Gall., *une flotte* ναυτικὸς στόλος, navales copiæ. GUSSANV.

tum ad nos pertinet, afflictis intercessionis nostræ solatium non negamus.

Quod vero in expositionem sancti Job transmitti vobis codicem voluistis, de vestro omnino studio gaudemus : quoniam illi rei eminentiam vestram studere conspicimus, quæ nec totos foras vos exire permittat, et ad cor iterum sæcularibus curis dispersos recolligat. Sed si delicioso cupitis pabulo saginari, beati Augustini patriotæ vestri opuscula legite, et ad comparationem [d] siliginis illius nostrum furfurem non quæratis.

Quale præterea patrocinium, qualemque affectum in utilitatibus pauperum beati Petri apostolorum principis **1068** amatoris sui gloria vestra præbuerit, Hilaro chartulario nostro testificante didicimus. Ex qua re uberes gratias exsolventes omnipotentis Dei misericordiam exoramus, ut gratiæ suæ protectione vos muniat, et nec malos contra vos homines exterius, nec malignos spiritus interius prævalere permittat; sed ita actiones vestras in suo propitius timore disponat, ut sicut fecit inter homines, ita quoque post longævæ ætatis discursus in sanctorum suorum vos esse faciat numero gloriosos. (*Cf. Joan Diac. l.* IV, *c.* 78.)

## EPISTOLA XXXVIII.

### AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Curet ut nec violentiam patiantur qui ad ecclesiam refugerint, nec ii qui hactenus sunt oppressi damna sustineant.*

Gregorius [a] Januario episcopo Caralitano.

Qualiter in Sardinia minores vel pauperes, ab eis [b] qui illic majores sunt opprimantur, reverendissimi fratris nostri Dominici Carthaginensis episcopi atque eminentissimi filii nostri Innocentii præfecti epistolæ docuerunt; a quibus ut quæ nobis scripta sunt noveritis, ipsarum vobis epistolarum exemplaria prævidimus transmittenda. Et ideo quia ea quæ petenda sunt offeruntur, studiose agendum est ut ea quæ promittuntur opere compleantur.

Si qui eorum de quibus est quæstio, in ecclesiam fortasse refugerint, ita debet causa [c] diligentia vestra disponi, ut nec ipsi violentiam patiantur, nec ii qui dicuntur oppressi damna sustineant. Curæ ergo vestræ sit ut eis sacramento ab iis quorum interest de servanda lege et justitia promittatur, et per omnia commoneantur exire, atque suorum actuum reddere rationem, quibus etiam Ecclesiæ vestræ defensorem deputare vos convenit. Cujus sollicitudine ea quæ illis fuerint promissa serventur, quatenus nec aliis [d] noxia sint, et ipsis ecclesiastica, salva ratione, possint prodesse refugia. Ita ergo fraternitas vestra faciat, ut hæc quæ ejus studio emendanda sunt mora per eam vel impedimentum aliquod non contingat.

## EPISTOLA XXXIX.

### AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

*Quæ ex Scripturis Agnoitæ sumebant argumenta singula dissolvit, atque in ipsos disserit uberius. Deesse sibi peritos Græci sermonis interpretes queritur.*

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.

*Sicut aqua frigida animæ sitienti, sic nuntius bonus de terra longinqua* (*Prov.* XXV, 25). Quis vero mihi esse nuntius bonus quantum ad sanctæ Ecclesiæ adjutorium potest, **1069** nisi vita atque incolumitas suavissimæ mihi vestræ sanctitatis, quæ ex percepta luce veritatis, et eamdem Ecclesiam prædicationis verbo illuminat, et ad meliorem viam morum suorum exemplis informat? Quoties autem in corde meo unanimitatem vestram relego, atque in corde vestro fixum me permanere cognosco, ago omnipotenti Deo gratias, quia dividi locis charitas non potest. Nam etsi corpore longe disjungimur, mente tamen indivisibiles sumus.

Communis autem filius Anatolius diaconus suis mihi scriptis innotuit, in urbe regia [a] nulla ecclesiastica quondam de causis terrenis mota. Sed credo quod prius hoc mihi nuntiaverat quam de causa Ecclesiæ beatitudo vestra loqueretur. Et gaudeo, quia ubi vos adesse contigit, me non arbitror defuisse. Nam veritatis minister, Petri sequax, et sanctæ Ecclesiæ prædicator, [b] scio quia illa loqui potuisti, quæ de sede Petri apostoli per os doctoris sonare debuerunt.

Ante hos autem dies, Abramio Alexandrino veniente, sanctitati vestræ rescripseram vel quid de scriptis vestris quæ contra hærcticos Agnoitas edidistis senserim, vel cur tarde responderim. Sed idem Abramius, navigii necessitate compulsus, diu perhibetur in Neapolitana civitate demoratus, atque in eo sensu quod dudum scripseram ita rescribo, quia de doctrina vestra contra hæreticos qui dicuntur Agnoitæ fuit valde quod admiraremur; quod autem displiceret, non fuit. In eodem autem sensu jamdudum communi filio nostro Anatolio diacono plurima scripseram. Ita autem doctrina vestra per omnia Latinis Patribus concordavit, ut mirum mihi non esset quod in diversis linguis Spiritus non fuerit diversus.

[d] In Norm., Corb. et Turon., *similaginis;* utrumque idem fere significat.

Epist. XXXVIII. — [a] In quatuor Vaticanis, Gemetic., Lyrano, Audoen., Pratell., duobus Teller., tribus Colbert. et Regio, pro *Januario*, legitur *Joanni episcopo Caral.* sed perperam, cum adhuc viveret Januarius, et Ecclesiam Caralitanam aliquot annis postea rexerit, ut ex epistolis ad eum scriptis infra constat, maxime ex sexta libri XIII, indict. 6.

[b] Excusi, *qui illis*, contradicentibus Mss., quinque Vatic., Norm., etc.

[c] In quatuor Vatic., Norm. et plerisque, omittitur *diligentia vestra.*

[d] Norm., *noxa sit.*

Epist. XXXIX [*Al.* 42]. — [a] Ita Mss. Quam lectionem, etsi obscurum sensum habeat, amplecti cogit eorum consensus. In Excusis legitur, *nonnulla ecclesiastica quædam quondam tamen de terrenis.* Nostræ lectioni lux affulgeret mutando *quondam* in *quædam*, ut habet vet. Colbert. et sic legendo : *innotuit.... nulla ecclesiastica* (supple mota esse) *sed quædam de terrenis causis mota.*

[b] Sic restituendum hunc locum docuerunt mss. Codices Colb., Norm., etc., cum prius legeretur *prædicator scit quia illa sic loqui potuisti;* parum ad sancti Gregorii mentem. Multa alia similia prælucentibus Mss. emendavimus, sed leviora, de quibus monere operæ pretium non est visum.

Nam hoc quod de ficulnea dixistis, in eo sensu proprie beatus Augustinus loquitur, quia cum evangelista subjunxit : *Nondum enim erat tempus ficorum* (*Marc.* XI, 13), aperte cognoscitur quod per ficum Dominus in synagoga fructum quæsierat, quæ folia legis habuit, sed fructum operis non habebat. Non enim poterat Creator omnium nescire quia fructum ficus non habuit; quod dum tempus ficorum non esset, omnes poterant scire. De eo vero quod scriptum est : *Quia diem et horam neque Filius, neque angeli sciunt* (*Marc.* XIII, 32), omnino recte vestra sanctitas sensit quoniam non ad eumdem filium, juxta hoc quod caput est, sed juxta corpus ejus quod sumus nos, est certissime referendum. Qua de re multis in locis idem beatus Augustinus eo sensu utitur (*Quæst. lib.* LXXXIII, *q.* 60; *lib.* I *de Trinit.*, *c.* 12; *in psalm.* VI, *init.*; *in ps.* XXXIV *serm.* 2). Dicit quoque et aliud quod de eodem filio possit intelligi, quia Deus omnipotens aliquando more loquitur humano, sicut ad Abraham dicit : *Nunc cognovi quia times Deum* (*Genes.* XXII, 12). Non quia se Deus tunc timeri cognoverit, sed quia **1070** tunc eumdem Abraham fecit agnoscere quia Deum timeret. Sicut enim nos diem lætum dicimus, non quod ipse dies lætus sit, sed quia nos lætos facit, ita et omnipotens filius nescire se dicit diem quem nesciri facit, non quod ipse nesciat, sed quia hunc sciri minime permittat. Unde et pater solus dicitur scire, quia consubstantialis ei filius, ex ejus natura qua est super angelos, habet ut hoc sciat quod angeli ignorant. Unde et hoc intelligi subtilius potest, quia incarnatus unigenitus, factusque pro nobis homo perfectus, [c] in natura quidem humanitatis novit diem et horam judicii, sed tamen hunc non ex natura humanitatis novit. Quod ergo in ipsa novit, non ex ipsa novit, quia Deus homo factus diem et horam judicii per deitatis suæ potentiam novit; sicut et in nuptiis, cum mater Virgo diceret vinum deesse, respondit : *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4). Neque enim angelorum Dominus horæ subjectus erat, qui inter cuncta quæ creaverat horas et tempora fecerat; sed quia mater Virgo cum vinum defuit, per eum miraculum fieri volebat, statim ei responsum est : *Quid mihi et tibi est, mulier?* Ac si aperte diceret : Unde facere miraculum possum, hoc mihi ex patre, non ex matre est. Ex matre enim mori poterat, qui ex natura patris miracula faciebat. Unde et in cruce positus eamdem matrem moriens recognovit, quam discipulo commendavit, dicens : *Ecce mater tua* (*Joan.* XIX, 27). Ait ergo : *Quid mihi et tibi est, mulier? Nondum venit hora mea* (*Joan.* II, 4).

A Quod est : In miraculo quod ex tua natura non habeo, te minime recognosco. Cum hora mortis venerit, cognosco te matrem, quia unde mori possum hoc ex te habeo. Itaque scientiam quam ex humanitatis natura non habuit, ex qua cum angelis, creatura fuit, hanc se cum angelis, qui creaturæ sunt, habere denegavit. Diem ergo et [d] horam judicii scit Deus et homo; sed ideo, quia Deus est homo. Res autem valde manifesta est, quia quisquis Nestorianus non est, Agnoita esse nullatenus potest. Nam qui ipsam Dei sapientiam fatetur incarnatam, qua mente valet dicere esse aliquid quod Dei sapientia ignoret? Scriptum est : *In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Omnia per ipsum facta sunt* (*Joan.* I, 1). Si omnia, procul dubio etiam B dies judicii et hora. Quis ergo ita desipiat ut dicere præsumat, quia Verbum Patris fecit quod ignorat? Scriptum quoque est : *Sciens Jesus quia omnia dedit ei Pater in manus* (*Joan.* XIII, 3). Si omnia, profecto et diem judicii et horam. Quis ergo ita stultus est ut dicat quia accepit filius in manibus quod nescit?

De eo vero loco in quo mulieribus de Lazaro dicit : *Ubi posuistis eum* (*Joan.* XI, 34)? ipsa specialiter sensimus, quæ sensistis, quia si negant scisse Dominum ubi **1071** fuerat Lazarus sepultus, atque ideo requisisse, procul dubio compellentur fateri quia nescivit Dominus in quibus locis se Adam et Eva post culpam absconderant, cum in paradiso dixit : *Adam, ubi es* (*Genes.* III, 9)? aut cum Cain corripit, dicens : *Ubi est Abel frater tuus* (*Genes.* IV, 9)? Qui si nesciebat, cur protinus adjunxit : *Sanguis fratris tui de* C *terra clamat ad me?* Quamvis hoc in loco [e] Severianus Gabalensis aliud loquitur, dicens quia hoc mulieribus Dominus quasi per increpationem dixerit, quod mortuum Lazarum ubi posuerint requisivit. Ac si aperte Evæ culpam memorans mulieribus diceret : Ego virum in paradiso posui, quem vos posuistis in sepulcro.

Ad hæc vero mihi idem communis filius Anatolius diaconus respondit aliam quæstionem, dicens : Quid si objiciatur mihi, quia sicut immortalis mori dignatus est ut nos liberaret a morte, et æternus ante tempora fieri voluit temporalis, ita Dei sapientia ignorantiam nostram suscipere dignata est, ut nos ab ignorantia liberaret? Sed ad hæc ei necdum respondi, D quia gravi nuncusque infirmitate detentus sum. Jam nunc autem vestra cœpi oratione convalescere, et ei, si ita perfecte convaluero ut dictare valeam, adjuvante Domino, respondebo; de quibus vobis mihi nihil dicendum est, ne videar docere quæ nostis, quia

[c] In Anglic., Norm., Colbert., Corb. et tribus Vatic., *in natura quidem divinitatis*. Legendum tamen esse *humanitatis* series orationis probat.

[d] Excusi, *horam judicii scit, quia Deus est homo*. Multa hic et in totius epistolæ serie omissa restituimus ex Mss. Vatic., Anglic., Norm., Rhem., etc.

[e] In tribus Vatic., Norm., Corb., Colbert., legitur *Severianus Gabilli*. In Vatic. B, *Gabelli*. Severianus Gabalorum in Syria episcopus sancti Joannis Chrysostomi familiaris, postea hostis infensissimus, multa scripsit quæ aut inter sanctum Joannem Chrysostomum opera sunt vulgata, aut in Catena Græcorum Patrum collecta. Plurimorum ejusdem scriptorum quæ non exstant, indicem texuit Guillelmus Cave in Historia litteraria scriptorum Ecclesiast. Unde memorata a sancto Gregorio deprompta sint ignoramus. Cæterum ex hoc loco, et propter nonnullas alias rationes, Gussanvillæus suspicatur spuriam esse hanc epistolam, certe minime probat. Contradicunt autem Mss. omnes in quibus reperitur.

et medicamina vires medendi perdunt, quæ membris sanis et fortibus apponuntur.

Indicamus præterea quia gravem hic difficultatem interpretum patimur. Dum enim non sunt qui sensum de sensu exprimant, sed transferre semper verborum proprietatem volunt, omnem dictorum sensum confundunt. Unde agitur ut ea quæ translata fuerint, nisi cum gravi labore intelligere nullo modo valeamus.

Benedictionem vero sancti Marci evangelistæ et vestræ beatitudinis accepi. Ligna autem transmittere volui; sed quia navis parva fuit, quæ venit, ea portare non potuit. Quamvis [f] hæc ipsa quæ viderunt Alexandrini venientes, parva sunt. Nam alia omnino vobis majora paraveram, quæ necdum ad Romanam civitatem tracta sunt, quia exspectavi ut veniente Alexandrina navi trahi debuissent, et in loco ubi incisa fuerunt remanserunt.

Omnipotens Deus vitam vestram ad ædificationem sanctæ Ecclesiæ per longa tempora custodiat, vobisque aspiret ut pro me enixius oretis; ut quem propria peccata deprimunt, vestræ apud omnipotentem Deum preces levent [g]. (*Vide ep.* 35.)

## EPISTOLA XL.

AD FORTUNATUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*A pueris Petrum de tentatione sceleris accusantibus veritatem accuratius exigat, Petro ipso id postulante.*

Gregorius Fortunato episcopo Neapolitano.

Valde nos vestra mirari fecit fraternitas ut causam clerici sui aut noluisset, aut non assurgeret definire. Petrus itaque præsentium portitor ad nos veniens, questus est pueros a quibus de tentatione sceleris falso se asserit criminatum, **1072** non ut oportuit esse discussos, sed tantummodo verbo tenus inquisitos, [a] et sibi propter hoc solum, ne vobiscum procedere audeat, interdictum. Aut enim vera fuere quæ dicta sunt, et juxta causæ qualitatem canonicæ fuit coercioni subdendus; aut falsa, et diu non debuit in crimine remanere. Quia et ratio indicit, et hic pro sui purificatione [b] sollicitus quæ adversum se dicta sunt apostolicam sedem adiit, et juxta examinatione finiri perquirit, necesse est ut una cum Anthemio subdiacono nostro subtili ac districta discussione a pueris illis veritatem exigere debeatis. Et si prædictus portitor attentati facinoris reus esse patuerit, canonica modis omnibus ultione plectatur. Si vero insons fuerit declaratus, celeri absolutione respiret, [c] et vobiscum habeat procedendi licentiam, quia sicut reis competens exercenda vindicta est, ita innocentibus non est absolutio differenda. Sic ergo huic causæ sollicite fraternitas vestra finem studeat imponere, quatenus nullam de neglectu valeat reprehensionem incurrere.

## EPISTOLA XLI.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Illati Petro criminis veritatem una cum Fortunato episcopo diligentissime inquirat.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Petrus clericus, lator præsentium, questus est nobis a quibusdam se pueris fallaciter criminatum, et causam suam non ut oportuit districta examinatione discussam, nec se ab aliquo condemnatum, sed solum ab episcopo suo, ne cum eo procedere auderet, inhibitum. Quod audientes omnino ægre tulimus, quia, veritate subtiliter perquisita, aut reum ut causæ exigebat qualitas condemnare, aut certe debuit innocentem absolvere. Quia igitur et causa exigit, et memoratus portitor magnopere postulat ut hac de re subtilis debeat haberi discussio, præsenti tibi auctoritate præcipimus ut una cum reverendissimo fratre nostro Fortunato coepiscopo, atque si visum tibi fuerit, glorioso filio nostro Maurentio, attentati criminis veritatem subtili nimis indagatione ac discussione studeatis addiscere; et ita aut culpam ulcisci, aut festinetis [a] innocentiam relevare, ut nec vos videamini negligentes in aliquo exstitisse nec hæc amplius sine definitione causa remaneat.

## EPISTOLA XLII.

AD EUSEBIUM THESSALONICENSEM ARCHIEPISCOPUM.

*Commendato pacis studio hortatur ne a quibusdam Chalcedonensem synodum respuentibus orthodoxorum animos patiatur offendi.*

Gregorius Eusebio archiepiscopo Thessalonicensi.

Si quam magna sit, frater charissime, pacis virtus attendimus, quo a nobis studio sit colenda **1073** agnoscimus. Hanc quippe Dominus et Redemptor noster in magno munere discipulis suis relinquere ac dare dignatus est, ut eos qui firmitate ei fidei cohærebant, per hanc sibi pia faceret participatione consortes. Scriptura namque est : *Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabuntur* (*Matth.* v, 9). Quisquis ergo patris hæres esse desiderat, filius existere hanc custodiendo non renuat. Nam qui locum præbet discordiæ, ipse profecto tanti se muneris exsortem esse constituit. Cum igitur fidei tuæ sinceritas catholica nobis, ut oportuit, Deo propitio sit rectitudine declarata, magna nimis admiratione suspendimur, ut eos quos bene credere, et recte sentire cognoscis, frustra quorumdam scandalizari vitio patiaris, ut aliorum culpa fraternitatis tuæ fuscetur opinio. Nam quomodo sine erroris suspicione sit, qui patientiam præstat erranti? Aut quam de se æstimationem præbeat, si ea quæ fervor fidei postulat, aperta purgari satisfactione non prævidet?

[f] Excusi : *hæc ipsa quæ viderunt Alex. venientes dixerunt; quod parva sunt.*

[g] In solis recent. Ed. sic epistola clauditur : *Mense Febr., indict.* 3. Adversantur alii Codices tum exarati tum excusi.

EPIST. XL [*Al.* 25]. — [a] Omittitur *propter* in Norm. et Vatic. A.

[b] In Rhem. et Norm., *sollicita quæ adversum se dicta sunt, postulat examinatione perquiri; necesse est*, etc.

[c] Eamdem fere causam tractat sanctus Augustinus, epist. 136 et 137, nunc 77 et 78, quas lector consulet, ut qua sit via in casu simili procedendum agnoscat. GUSSANV.

EPIST. XLI [*Al.* 26]. — [a] In recent. Edit., *innocentiam revelare.*

Fertur siquidem Lucam presbyterum tuum et Petrum Chalcedonensem synodum nolle suscipere, atque ex hoc filiorum tuorum orthodoxorum corda non levi scandalo perturbari. Quorum quia zelus non solum laudandus, verum etiam omnino fovendus est, hortamur ut cum omni vivacitate ac sollicitudine fraternitatis hoc vestræ rimari cura non desinat. [a] Et si ab hac eos insontes pravitate repererit, scandalum de filiorum suorum mentibus habita eorum satisfactione removeat, atque inter omnes hæreses specialiter Severum ac Nestorium anathematizet, ut quibus sinistra de eis [b] suspicio dissensionem amore fidei genuit, gignat purificatio charitatem. Et salubriter unus concordiæ nectat affectus, quos catholicæ sincera et una tenet confessio veritatis. Nec satisfactio dubitantibus æstimetur indigna, quia dominica voce præcipitur : *Ne contemnatis unum ex his minimis* (*Matth.* XXVIII, 18). Qui ergo non despici præcipientem desiderat, præceptoris verba non renuat, quia et is quem vas electionis Redemptor sibi noster testatus est esse, servare nos unitatem spiritus in vinculo pacis admonuit (*Ephes.* IV). Unde quisquis hoc se teneri salutis vinculo non recusat, quæ sunt pacis studeat, et locum hosti non præbeat, ut facta fortius valeat unitate calcari, qui in fratrum sæva poterat divisione grassari.

Si vero, quod non optamus, erroris hujus deprehenduntur jaculo vulnerati, ecclesiasticæ adhortationis est eis adhibenda curatio, ut aut inter oves dominicas, si sanati fuerint, permaneant, aut ab unitate ecclesiastici corporis excidantur, quatenus et magnum ex damno modico lucrum fiat, et totum faciat liberum pars amissa. Nam et providi sollicitudo [c] pastoris est ut ovem languidam quæ curationem non recipit, ne alias languoris sui labe contaminet, a sanarum consortio non differat ejicere; sciens cæterarum se sanitatem non aliter nisi hujus posse ejectione servare. **1074** Proinde iterum fraterna charitate commoneo ut summa hoc vigilantia perscrutari, et summo quæ scripsimus servare studio debeatis, ne rectam fidem quam geritis dubiam aliorum consortio faciatis. Nam qui non corrigit resecanda, committit. Itaque magna vobis sollicitudine, magna omnino provisione pensandum est, ut nec aliis eorum persona scandalum, nec vobis opinio sit nociva, quatenus tanto fraternitati vestræ de commissis ovibus pastoris lucra proficiant, quanto vos ad earum custodiam et sincera dilectio et credita fecerit cura sollicitos.

## EPISTOLA XLIII.

AD VENANTIUM LUNENSEM EPISCOPUM.

*Ad illius petitionem mittit ancillam Dei, quam monasterio præficiat, cui maximam ipse præstet curam.*

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

Fraternitatis vestræ adeo nobis sollicitudinem placuisse scribimus, ut nostri studii esset ea quæ voluistis effectu complere. Quia ergo scripsistis ut personam transmittere deberemus, quæ in monasterio, quod in civitate vestra situm est, abbatissæ regere possit officium, quam, divina misericordia suffragante, in regimine eusdem monasterii strenuam posse existere arbitramur, illuc prævidimus dirigendam, ut a vobis Deo protegente abbatissa debeat ordinari. Nam ad nos huc tantummodo causa orationis venit. Quia ergo memoratam ancillam Dei ad vestram voluntatem et scripta transmisimus, hortamur ut circa eam monasteriumque ipsius fraternitas vestra sollicitudinem gerat, atque degentem illic congregationem in Jesu Christi Dei et Redemptoris nostri servitio, adhortationis suæ voce, et bonorum operum exhibitione, corroboret; et ita se erga exteriores utilitates ejus, ubicunque necesse fuerit, et causas exhibeat, ut conversantes ibidem magnum in vobis subsidium, sicut decet, inveniant, et nullius rei eas necessitas deprimat; quatenus dum vobis providentibus omnis eis fuerit amota necessitas, in oratione Dei et laudibus assidue secura valeant mente persistere. Sic etenim agetur, ut et illis electa conversatio ad salutem, et vobis proficiat ad mercedem. Nam gratia prorsus major acquiritur, si de commissis ovibus lucrum offerat Domino sollicitudo Pastoris.

## EPISTOLA XLIV.

AD VENANTIUM LUNENSEM EPISCOPUM.

*Fesulanis solidos viginti, vel etiam plures, in Ecclesiarum reparationem tribuat.*

Gregorius Venantio episcopo Lunensi.

Quid petitio Agrippini presbyteri et Servandi diaconi contineat Ecclesiæ [a] Fesulanæ, **1075** subjecta vobis pagina patefacit. Et ideo si ea quæ illic continentur veritate subsistunt, atque tales personæ ad vos venerint quibus credi aliquid debeat, usque ad viginti solidos, aut si plus vobis visum fuerit, in reparationem Ecclesiarum quæ in ruinis esse perhibentur [b] sub testamenti pagina dare vos convenit, quatenus et illic remedium sit, et vestra debeat esse munitio. De cæteris vero rebus quæ apud vos sunt, pro memoria futuri temporis ex eisdem desusceptum emittite, ut dum Deus pacem donaverit, res ipsæ juri Ecclesiæ cujus sunt sine aliqua valeant dilatione vel controversia reparari

## EPISTOLA XLV.

AD ECCLESIUM CLUSINUM EPISCOPUM.

*De infirmitate condolet. Gratulatur de prudenti episcopi electione. Equum mittit. Baptizatos consignaturus ad Ecclesias accedat.*

Gregorius [a] Ecclesio episcopo Clusino.

Scripta fraternitatis vestræ suscipientes, contristati sumus quod vos per ea et graviter infirmatos, et adhuc debiles esse cognovimus. Et licet sanctitatem

---

Epist. XLII [*Al.* 6, *ind.* 2]. — [a] Recent. Excusi, inconsultis Mss., *et si in hac eos sontes.*

[b] Ita restituimus ex Norm., Anglic., Vatic., etc. quibus consentiunt vet. Ed. In recent. legitur *suspicio genuit discessionem, amor fidei removeat, gignatque purificatio charitatem.*

[c] Excusi, *pastoris ovem languidam.... non differt ejicere.*

Epist. XLIV. — [a] Fesulæ, vulgo *Fiesoli rovinato*, urbs olim Tusciæ clara. Nunc urbecula; adhuc tamen episcopalis sub archiepiscopo Florentino, a Florentia duobus mill. in boream distans. Gussanv.

vestram videndi desiderium haberemus, bene tamen fecistis isto vos illic tempore continere, ne venientes huc [b] de ægritudinis vestræ molestia recidivam nobis tristitiam faceretis.

De episcopatu autem laudavimus, quod personam non temere elegistis, sed cauti, sicut decuit, exstitistis. Venientibus enim vobis, si Deo placuerit, communi deliberatione tractabimus, et quod utile visum fuerit, Deo auxiliante, disponemus.

Unum autem caballum vobis qualem invenire potuimus, de benedictione sancti Petri transmisimus, ut habeatis cum quo post infirmitatem vectari possitis.

De causis vero pro quibus latores præsentium huc venerunt quid actum sit, ipsorum omnia renuntiatione cognoscetis. Præterea Ecclesiis ad quas sine labore potestis accedere fraternitas vestra officium visitationis impendat, ut ii qui illic Deo propitio baptizantur inconsignati non debeant remanere.

## EPISTOLA XLVI.

### AD JOANNEM EPISCOPUM SYRACUSANUM.

*Agat ne apud Leontium exconsulem injustum aliquid patiatur Crescentius vicarius.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Cum lator præsentium Crescentius [a] vicarius noster, quem ad se filius noster gloriosissimus **1076** dominus Leontius exconsul præcepit occurrere, exire de septis venerabilibus dubitaret, ne qua per eum excusatio aliis fortasse nasceretur, aut publica diceretur utilitas impediri, ei ut egredi debuisset, æquitate servata, permitti fecimus. Et ideo quia hæc illi res, sicut jussus fuerat, illic suasit occurrere, fraternitas vestra ei salva ratione concurrat, atque apud prædictum gloriosissimum Dominum vestrum agere cum ea qua consuevit charitate studeat, ut in nullo eum contra leges aut rationem patiatur aliquo modo prægravari; sed justitiam ei, sicut Christianitati ejus convenit, in omnibus faciat custodiri, quatenus et ipse ad mercedem suam, quod æquitatis ordo exigit, videatur salubriter servasse, et hic se contra ea quæ promitti fecimus, gravari non sentiat. (*Vide ep.* 50.)

## EPISTOLA XLVII.

### AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Apollonium magistrum militum commendat.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Quamvis glorioso Apollonio, magistro militum, communi filio, paternam vos pietatem noverimus impendere, quia tamen eumdem dilectionis modum, quem circa eum sacerdotaliter exhibetis, nostris credidit apicibus augmentandum, ideirco eum fraternitati vestræ his epistolis commendamus, hortantes ut paternam in vobis, sicut decet, consolationem inveniat, et solatiis vestris, sicut usus exegerit, comitante justitia, potiatur, quatenus dum vestram erga se amplius fuerit dilectionem expertus, et ipse quod de vobis confidit agnoscat, et nostram sentiat epistolam profuisse.

## EPISTOLA XLVIII.

### AD LEONTIUM EXCONSULEM.

*Apollonium commendat.*

Gregorius Leontio exconsuli.

Scientes gratia paterna vos scripta suscipere, si illud peragere studeamus, gloriam vestram ultro non est dubium operari, quia filiorum nostrorum desideria non patimur contristari. Et ideo quia gloriosus filius noster Apollonius, magister militum, lator præsentium, nostris se apud vos voluit apicibus commendari, salutantes gloriam vestram paterna dilectione, petimus ut salva ratione gratiam vestri favoris inveniat, et patrocinii opem in quocunque necesse fuerit consequatur, quatenus dum gloria vestra ea quæ sponte consuevit impendere nostræ quoque commendationi præstiterit, et ipse se optatum in vobis **1077** gaudeat invenire subsidium, et nos uberes sincerissimæ bonitati vestræ gratias referamus.

## EPISTOLA XLIX.

### AD ADEODATAM ILLUSTREM.

*Illius animum ad temporalium contemptum, æternorum vero amorem confirmat. Joanni et Leontio commissam indicat Decii episcopi causam.*

Gregorius Adeodatæ illustri.

Magnam nobis lætitiam gloriæ vestræ ingessit epistola, quæ æternæ vitæ desiderium vos habere signavit; sed quia hujusmodi studium fugitiva solet mundi gloria præpedire, hortamur ut mentis vestræ saluberrimam deliberationem res quælibet transitoria non revocet, nec ab incœpto eam tramite deviet. Sed magis supernæ patriæ amor accendat, præmia mansura sollicitent, et ad venturi judicis promissio-

[b] Scriptum indicat non causa mortis emissum, sed adhibitis testibus firmatum. Adrevaldus, de translat. sancti Benedicti, lib. I, cap. 2 : *Quod testamentum mutuæ vicissitudinis usque hodie in archivis publicis vestri reservatur monasterii.*

EPIST. XLV [*Al.* 6]. — [a] Ita Anglic., Norm., Turon., Rhem., quatuor Vatic., tres Colbert., Corb., etc. In Vatic. A legitur *Eudosio*. In uno ex Colbert. dicitur *episcopus Ecclesiæ Sion*. Vet. Editi retinuerunt *Ecclesii* nomen, at recentiores habent *Eulogio*.

[b] In Vatic. E et F, *de ægritudinis vestræ recidiva nobis tristitiam*, Vatic. D, *de ægritudine vestra recidiva*.

EPIST. XLVI [*Al.* 47]. — [a] Divisa a Constantino Mag. in diœceses suas Italia, assignatisque superioris Italiæ vicario provinciis septem, quæ Italiæ nomen exinde sibi vindicarunt, sub vicario urbis Romæ provinciæ decem erant, quæ urbicariæ et suburbicariæ vocatæ sunt, scilicet Campania, Tuscia et Umbria, Picenum, Sicilia, Apulia et Calabria, Bruttii et Lucania, Samnium, Sardinia (hanc postmodum Africanæ diœcesi attribuit Justinianus), Corcica, Valeria. Alius erat ab urbis vicario præfectus urbi : hic urbanus magistratus; illi vero *mandata provinciarum jura*, ut loquitur Symmachus, lib. IX, epist. 119. At vicarium de quo hic Gregorius non tantæ potestatis fuisse arbitramur. Lib. IV Dialog., c. 32, laudatur *Joannes vir magnificus in hac urbe locum præfectorum servans.* Forte Crescentius vicarius præfecti urbis vices gerebat. Censet Alteserra fuisse vicarium præfecti prætorio. Cassiodorus, Var. lib. VI, in formula vicarii urbis Romæ : *Habes*, inquit, *cum præfectis aliquam portionem....intra quadragesimum sanctissimæ urbis jura custodis..... Senatores qui præcedunt ordine, aliqua videntur a te necessaria postulare. Habes quod præstes superioribus te.*

nem certa semper aspiret, atque ex temporalibus æterna mercetur, ut ex hoc et in vera gloria esse, et inter matronas possitis cœlestes ascribi. Reducite ad animos prosperitates temporum, multitudinem hominum, dignitatum pompas, matronarum gloriam, divitiarum abundantiam. Attendite hæc omnia ubi vel quid facta sunt, et ex hoc pensate quam nulla sint, et quia qui ista diligit, somnium vigilans videt. Hæc itaque recordatio magna vobis debet esse instructio, quoniam pro magno diligi non debet quidquid fine concluditur. Illa ergo appetenda, illa summopere diligenda sunt, quæ nec inventa transeunt, nec adepta deficiunt. Sed quia ad eorum desiderium anhelare sine divinæ misericordiæ gratia nullus valet, oramus omnipotentem Dominum ut hæc vobis et eligendi velle, et posse tribuat obtinendi, quatenus et hic vos in suo vivere timore concedat, et postea in sanctarum [a] martyrum sorte recipiat. Paterna itaque charitate gloriam vestram salutantes, indicamus [b] de causa fratris et coepiscopi nostri Decii hoc nobis visum fuisse, ut eam audiendam fratri et coepiscopo nostro Joanni et Leontio glorioso, quia bonus et justus vir dicitur, committere deberemus: securi maxime quia ubi prædicti fratris et coepiscopi nostri in judicio charitas interest, nec eis subripiatur, nec pars Ecclesiæ possit præjudicium sustinere.

## EPISTOLA L.

AD DOMITIANUM METROPOLITANUM.

*Nondum Romam venisse Leontium. Se illi suffragatum in exsequendis imperatorum jussis. Commissam eidem ac Joanni episcopo Theodori episcopi causam.*

Gregorius Domitiano episcopo metropolitano.

Quam magnæ charitatis sit in mente vestra sinceritas, etiam res ipsa testatur, quod dilectionis affectum **1078** quem coram positis exhibetis servare absentibus non cessatis. Proinde multum nos ad diligendum gloriosum Leontium communem filium epistolarum vestrarum testificatio provocavit, quia dum illum sanctitati vestræ in amicitiis indicastis esse conjunctum, qualis jam sit ostenditur, scilicet quia bono viro nisi bonus homo placere non potuit. Et ideo non immerito diligendus est, qui vobis invenitur familiariter conjunctus. Idem autem gloriosus vir in Sicilia se retinuit, et ad Romanam urbem necdum venit. In his tamen quæ ei pro publica utilitate serenissimorum dominorum jussione mandata sunt, in quantum ratio sinit, minime suffragari distu-

limus. Gloriosum enim Gregorium expræfectum, vel alios [a] qui in septis ecclesiasticis residebant, hortari studiose curavimus, ut exire et rationes suas exponere debuissent. Qui egredientes cum Marco viro magnifico Scribone, qui ad exhibitionem eorum venerat, [b] accepto verbo ad Siciliam ire parati sunt.

Præterea de substantia Theodori episcopi, quam Ecclesiæ vestræ juri scripsistis fuisse suppositam, plus amplius aliud quod fieri posset non fuit, quam ut antefato gloriosissimo Leontio de quo tanta testificamini, cui et causam ipsam asseritis commendatam, atque Joanni fratri et coepiscopo nostro, de cujus sanctitate et sollicitudine certi sumus, hujus negotii audientiam mandaremus; hortantes ut et veritatem cum omni studeant subtilitate perquirere, et ita contentionibus partium secundum justitiam citius finem imponere, quatenus nec homines sanctæ fraternitatis vestræ longa valeat illic dilatio retinere, nec pars altera inaudita se pati præjudicium conqueratur. Quidquid enim alteri hac de re fuerit statutum, certi estote quia sine mora complebitur. Nam sicut sine judicio quemquam nolumus condemnari, ita quæ definita fuerint, nulla patimur excusatione differri. Omnipotens autem Deus sua vos protectione atque propitiatione circumtegat, gressusque vestros in timoris sui tramite conservet, vosque pro me ad orandum excitet, ut et vestris intercessionibus mea studia in viam vitæ dirigantur.

## EPISTOLA LI.

AD LEONTIUM EXCONSULEM.

*Se nulli unquam protectionem, nisi favente justitia, postulasse. Etsi in rebus publicis fraudem fecerit Libertinus, substantiam ejus cædi debuisse, non libertatem. Iram in vindictam malorum sequi debere rationem animi, non præire.*

Gregorius Leontio exconsuli

[a] Cautionis et exemplar Libertini ad me studuit gloria vestra transmittere, quatenus mihi ostenderet cum qua obligatione vel mente **1079** [b] ad præfecturæ dignitatem idem Libertinus accesserit. Quæ a glorioso fratre meo Palatino Patricio, vel consiliario meo viro magnifico Theodoro relecta, mihi subtiliter insinuata est, atque exsecrabilis et mihi et cunctis apparuit, qui cognoscere [c] valuerunt. Sed debet gloria vestra meminisse quia nunquam epistolas meas pro commendatione alicujus accepit, nisi ut protectionem vestram, favente justitia, præstaretis.

Epist. XLIX [*Al.* 55, *lib.* IX]. — [a] Ita quatuor Vatic., omnes Norm., etc., quod cum minime placeret Editoribus, mutarunt *martyrum* in *matronarum*.

[b] Nimirum cum Domitiano de Theodori substantia, ut ostendit sequens epistola.

Epist. L. — [a] Scilicet ecclesiastica septa pro asylo erant.

[b] In more positum erat ut qui ad Ecclesiæ asylum confugerant, non ante egrederentur quam sponsione facta nullam eos violentiam passuros. Unum e multis profero can. concil. Aurelian. I primum: *Id constituimus observandum quod ecclesiastici canones decreverunt, et lex Romana constituit, ut ab Ecclesiæ atriis vel domo episcopi reos abstrahi omnino non liceat, sed nec aliter consignari, nisi ad Evangelia dictis sacramentis, de morte, de debilitate, et omni pœnarum genere sint securi, ita ut ei cui reus fuerit criminosus de satisfactione conveniat. Quod si sacramenta quis convictus fuerit violasse, reus perjurii non solum a communione Ecclesiæ vel omnium clericorum, verum etiam et a catholicorum convivio separetur.* Nota ibi agi de homicidis, adulteris et furibus. Gussanv.

Epist. LI. — [a] In Excusis detracta est copulativa *et*, quæ tamen in omnibus Mss. reperitur. In plur. Mss. legitur *cautiones*. Retinuimus *cautionis*, ut etiam habent Norm. et Colbert., propter ita quæ sequuntur, *in ista causa cautionis*.

[b] In quatuor Vatic., *ad præturæ*. Sane in epist. 32 lib. V, Libertinus dicitur prætor; et in multis epistolis ubi Excusi eum præfectum appellant, a nonnullis Mss. *prætor*, ab aliis *vræfectus* appellatur.

[c] Recent, *voluerunt*.

Et quia de eodem Libertino tota simul provincia gratias referebat, indicavi. Nam vel quis esset, vel quales causas habuerit, neque unquam professus sum, nec hactenus subtiliter scio. Nam si in ista causa cautionis culpabilis invenitur, et de aliis causis quid pro se alleget nescio, unum hoc tamen bene atque constanter novi, quia et si quam in rebus publicis fraudem fecit, substantia ejus cædi debuit, non libertas. Nam in hoc quod liberi cæduntur, ut taceam quod omnipotens Deus offenditur, ut taceam quod vestra opinio vehementer gravatur, piissimi tamen imperatoris nostri omnino tempora fuscantur. Hoc enim inter reges gentium et imperatores Romanorum distat, quia [d] reges gentium domini servorum sunt, imperator vero Romanorum dominus liberorum. Unde et vos quidquid agitis, prius quidem servata justitia, deinde custodita per omnia libertate agere debetis. Scriptum est : *Quod tibi non vis fieri, vide ne ipse alteri feceris* (*Tob.* IV, 16). Et per semetipsam Veritas dicit : *Quæ vultis ut faciant vobis homines, et vos eadem facite illis* (*Matth.* VII, 12). Libertatem ergo eorum qui vobis in discussionem commissi sunt ut vestram specialiter attendere debetis ; et si ipsi a majoribus vestris injuriari libertatem vestram non vultis, subjectorum vestrorum honorando libertatem [e] custodite. Scimus enim qui dixit : *Cœlum et terra transibunt, verba autem mea non transibunt* (*Matth.* XXIV, 35). Cujus quia verba non transeunt, sed per omnia implentur, metuamus quod iterum dicit : *In qua mensura mensi fueritis,* [f] *in ea metietur vobis* (*Matth.* VII, 2). Quid autem gloria vestra existimat quia si superbe, si crudeliter agimus, despecto Deo nobis hominem placamus? Nullo modo. Nam ipse qui despicitur eum contra nos quem despecto Deo placare volumus irritat. Curemus ergo per omnia [g] placere Deo qui potens est etiam iratos homines ad mansuetudinem reducere. Nam, sicut dixi, etiam mansueti homines indignante Deo ad iracundiam provocantur.

Si autem dicitur quia sine verberibus atque terroribus fraudes publicæ inveniri non possunt, hoc admittere poteram, si in ratiociniorum causa domnus Leontius non venisset. Nam verum est quia illi solent manibus excedere, qui in sensu et lingua deficiunt; de qua re se mihi vestra gloria non valet excusare. Nam vel quæ auditis, vel quid dicitis, subtiliter exquirens, inveni quia **1080** homines sine causa cæditis, qui auxiliante Deo verbis agere omnia potestis.

De causis vero eorum quos discutitis, verum fateor quia multa audiens quæ nunquam ante cognovi, vehementer erubesco. Unde et vobis et pijssimo Domno imperatori taceo. Nam si mihi constare potuisset quia justas causas de suis rationibus haberent, et prius per epistolas vos pulsare habui, et si auditus minime fuissem, serenissimo Domno imperatori suggererem. Sed quia mihi de eorum rationibus nihil constat, ideo, sicut dixi, et vobis et piissimo principi hactenus nihil dico. Turpe est enim me hoc defendere quod prius mihi non constiterit justum esse, quia ego homines propter justitiam diligo non autem justitiam propter homines postpono.

Ita ergo age, gloriose fili, ut in actione commissa prius illum habeas placatum qui continet omnia, ac deinde serenissimi principis utilitatem cum omni sollicitudine impleas. Nam et in ejus actione, a quo tibi commissa est, esse negligentem non sine peccato existimo. Sed quia, omnipotente Deo largiente, idonea est vestra sapientia, et rationes vigilanter ac subtiliter exquirere, et Creatoris vobis judicium per mansuetudinem placare, quoties ira animum invadit, mentem edoma, vince te ipsum. Differ tempus furoris, et cum tranquilla mens fuerit, quod placet [h] judica. Ira enim in vindictam malorum sequi debet rationem animi, non præire, ut quasi ancilla justitiæ post tergum veniat, et non lasciva ante faciem prorumpat. Aliquando vero ostendenda est, et non exhibenda; aliquando exhibenda est, sed nunquam sequenda. Quando enim in exsecutione justitiæ placata mente irascimur, iracundiam et non sequimur, et exhibemus. Ira enim quæ animum perturbat, quanta consideratione cavenda est monstratur. De qua scriptum est : *Sit omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, et tardus ad iram. Ira enim viri justitiam Dei non operatur* (*Jac.* I, 19). Hinc rursum scriptum est : *Quis potest habitare cum homine, cujus spiritus facilis est ad irascendum* (*Prov.* XVIII, 14)? Hinc iterum dicitur : *Noli esse cum homine iracundo, neque ambules cum viro furioso, ne forte discas semitas ejus, et sumas scandalum animæ tuæ* (*Prov.* XXII, 24). Contra hanc in laude patientiæ scriptum est : *Melior est vir qui vincit iram, quam qui capit civitatem magnam.* Hinc David personam in se infirmorum sumens, ait : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Prov.* XVI, 32). Atque ex ipsa turbatione quid sequatur adjunxit : *Inveteravi inter omnes inimicos meos* (*Psal.* VI, 8). Ex ira quippe cum turbatus fuerit oculus cordis, inter inimicos nostros ad vetustatem deducimur, quia inter malignos spiritus ad vetusti hominis similitudinem revocamur. Cum igitur iram, quæ cor permovet, sacra eloquia tot testimoniis detestentur, perpendamus **1081** qua intentione debemus hoc vitium fugere, quod, Deo judice, in testimonio illius toties reprobatur.

[d] Idem repetitur epist. 38 lib. XI, nunc. lib. XIII epist. 31. Themistius, oratione 11, idem affirmat : Ἄλλο μὲν ἐλευθέρων ἀρχεῖν, ἄλλο δὲ οἰκετῶν, καὶ τὸ μὲν ἀρετῆς ὑπεροχή, τὸ δὲ τύχης πλεονεξία. Vides, lector, sanctum Gregorium hic loqui de regibus barbaris, qui subditos quasi servos habent, patris appellatione spreta. Optime idem Themistius, oratione 5, ad finem : Ποιεῖ δὲ πατέρα μὲν δικαιοσύνη, θύμος δὲ δεσπότην, κάπηλον δὲ φιλοχρηματία, θεία δὲ μονὴ ἡ τοῦ πατρὸς ἐπωνυμία. *Justitia facit esse patrem, ira dominum, cauponem avaritia ; sola vero patris appellatio divina est.* GUSSANV.

[e] Excusi, *custodire debetis*, reluctantibus Turon., 4 Vaticanis, Remig., Norm., Reg., etc.

[f] Al., *remetietur*, ut Vulgati habent.

[g] Ed., *placare Deum.*

[h] Vulgati, *vindica.* Sequimur Mss. Turon., Norm. Corb., etc.

Alia quoque occurrit opinio, quia alii præ aliis gravantur; et quibusdam, quæ ex principali jussione expensa sunt, minime reputantur. Quod si verum sit, nescio. Si tamen ita est, hoc omnino facere et pro timore æterni judicii, et pro ipsius humanæ considerationis ratione minime debetis.

Ecce, gloriose fili, amore Dei tuoque provocatus, cuncta quæ sensi, cuncta quæ audivi, breviter indicavi. Sapientis autem viri est, et breviter audita latius pensare, et quæque Deo displicent in celeritate corrigere. Omnipotens Deus cœlesti vos gratiæ protectione circumdet, ut hic vos et a pravis actibus, et a perversis hominibus tueatur, et apud se postmodum in æterna patria pia remuneratione lætificet. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 47.)

## EPISTOLA LII.

AD AMANDINUM DOMESTICUM.

*Se ad illius votum, et missa suscepisse, et pro Joanne præfecto scripsisse ad exarchum. Quæ vero ad ipsum de Libertino scripsit, non moleste debuisse suscipi, sed ut candide ab amico scripta.*

Gregorius Amandino [a] domestico.

Ea quæ per Paulum, latorem præsentium, et Timarchum excubitorem gloria vestra transmisit, eo quo voluistis modo suscepta sunt. Sed et excellentissimo Filio nostro exarcho per suprascriptum excubitorem, qui ad eum profectus est, scripsimus ut cautiones agentium vices Joannis præfecti simul et Palatini huc transmittere debeat : indicantes ei quia nisi illas direxerit, usque ad adventus vestros ea quæ a gloria vestra transmissa sunt non tangantur, sed vobis remeantibus conserventur.

De persona autem gloriosi Libertini quædam ad nos ante pervenerant ; et necesse fuit ut ea vobis sicut revera filiis quos diligimus minime taceremus. Et quantum in gloriæ vestræ epistolis invenimus, moleste illa, quod non decuit, suscepistis, quando nihil asperum scripsisse meminimus, sed hortati sumus ut cum eo charitatem et gratiam haberetis. Sed quia, [b] ad hæc aspera vobis rescribentibus, ne ipsam ad nos epistolam mitteretis per somnium vos scripsistis esse prohibitos, omnipotenti Deo gratias agimus, qui sic vos vigilantes custodit, ut etiam dormientes admoneat. Sed quia in eodem somnio et a me vos de eadem causa reprehensos scribitis, qualis sim vel ex hoc colligite. Et quando vos paterna adhortatione [c] commoneo, moleste suscipere non debetis, quia qui dormientibus purus sum, vigilantibus duplex esse non patior

## 1082 [a] EPISTOLA LIII.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Admoneat Leontium ne adversus Neapolitanorum civium jura malorum hominum verbis assensum præbeat.*

Gregorius Romano defensori.

Pervenit ad nos quod quidam pravæ voluntatis studio contra seniores et cives Neapolitanæ civitatis [b] de insulis juris eorum Leontino glorioso filio nostro nitantur subripere, ut eos injuste damnis possint affligere atque affligere. Idcirco tibi hac præceptione injungimus ut debeas esse sollicitus, quamvis apud eum nullus locus subreptionis hac de causa inveniatur, ubi forte aliquid dictum fuerit, vel ipsum præjudicialiter quid, quod non credimus, facere forte cognoveris, ex nostro illi mandato dicere te volumus ut malorum hominum verbis assensum præbere et in hoc peccato se immiscere non debeat; quia licet retro principum jussionibus omnino de eisdem insulis sint muniti, nobis tamen dum in regia urbe fuimus, suffragantibus, ita serenissimi domni Mauricii principis elicita jussione eorum stricte jura munita sunt, ut non habeant unde juste debeant formidare. Pro qua re ut et tu diligentius informari, et antedicto glorioso filio nostro, si causa se dederit, liquido satisfacere valeas, earum tibi jussionum exemplaria prævidimus transmittenda. Sed si necessarium fuerit, ipsas facimus authenticas destinari. Tantum est ut, sicut diximus, studeas esse sollicitus, ut subripiendi cuiquam illic locus non pateat.

## EPISTOLA LIV.

AD DONUM MESSANENSEM EPISCOPUM.

*Gregorium expræfectum commendat.*

Gregorius Dono episcopo Messanensi.

Licet gloriosus filius noster Gregorius expræfecto magnam de fraternitate vestra certitudinem habeat, ut sacerdotalem sibi a vobis impendi affectum non dubitet, quia tamen charitatis vestræ modum nostra rogante commendatione fidit augeri, his vos epistolis prævidimus adhortandos, ut utilitati ipsius concurrere atque in ejus juvamine impendere vos quæcunque suaserit ratio debeatis. Et quia aliqua apud fraternitatem vestram pro sua, ut ait, cautela agere desiderat, locum apud vos, sicut revera decet sacerdotes, inveniat, et paterna sibi compati dilectione vos cognoscat; quatenus dum sollicitudinis cura ipsius vestræ charitatis studio fuerit relevata, et ipse confidentiam quam de vobis gerit operibus valeat expe-

Epist. LII. — [a] Multa fuere domesticorum genera quæ recensere longioris esset operæ. Aliquando enim erant quasi satellites assidui ad protegendum sacrum latus, aliquando genus dignitatis ecclesiasticæ pariter et politicæ. De ecclesiast. vide Balsamonem in quæsitis, et Joannem episcopum Citri in responsion., Codinum de Officiis, qui de utrisque disserit, etc. Gussanv. Abest *domestico* a Norm., Rhem. et plerisque Mss.

[b] In Norm., Remig. et Vatic. D, *ad hæc vesperi.*

[c] Norm., duo Vatic. et Rhem., *convenio.*

Epist. LIII. — [a] Hæc epistola cum quatuor sequentibus omittitur in plerisque Mss.

[b] Quas insulas memoret non mihi liquido constat. Aliæ siquidem undis undique alluuntur, aliæ sunt in urbibus, ut apud probatos auctores legere est, sic dictæ quod non jungantur cum aliis domibus communibus parietibus. Et earum quidem domorum sive insularum major erat Romæ numerus, quam aliarum, ut docet Publius Victorinus. Forte hæ insulæ *ad seniores et cives Neapolitanæ civitatis* pertinentes ; et, ut ait Gregorius, *juris eorum* erant *Icla* vel *Ischia*, et quædam aliæ e regione Neapolis insulæ maritimæ, quibus Neapolitani fruebantur, superiorum imperatorum jussionibus litterisque freti. Gussanv.

riri, et fraternitas vestra postulantium desideriis se videatur salubriter impendisse.

## 1083 EPISTOLA LV.

AD LEONTIUM EXCONSULEM.

*Gregorium expræfectum commendat.*

Gregorius Leontio exconsuli.

Cum justitiæ vigor in cognitione vestra, et veritas juvare sufficiat quos tuetur, cujusquam apud vos commendatione opus non fuerat, quippe qui ea quæ pro æquitate petenda sunt ex vobis impenditis. Sed ne postulantium desideria, qui bonorum filiorum studium paterna crescere adhortatione confidunt, postponere videamur; idcirco illa apud gloriam vestram agere quæ ultro exhibetis omnibus modis invitamur. Eapropter paterna dilectione vos salutantes, petimus ut glorioso viro filio nostro Gregorio expræfecto charitatis gratiam, qua estis prædíti, largius tribuatis; [a] quatenus ille et quidquid æquitatis in vestra benignitate confidit, veris possit effectibus experiri, et nos bona quæ de vobis multipliciter prædicantur addiscentes, assidue pro gloriæ vestræ incolumitate omnipotentem valeamus Dominum deprecari.

## EPISTOLA LVI.

AD AMANDINUM DOMESTICUM.

*Gregorium expræfectum commendat.*

Gregorius Amandino domestico.

Confidentes quod gloria vestra se in amicorum suorum solatiis devotam semper exhibeat, eorum vobis causas commendare quos diligitis studemus. Atque ideo salutantes petimus ut gloriosus filius noster Gregorius, [a] quales vos hic habuit, illic tales inveniat; et tam apud gloriosum filium nostrum Leontium, quam alibi quocunque necesse fuerit, gloriæ vestræ solatia consequatur, ac magnam in vobis consolationem inveniat; et quantum possibile est, ne cuiquam injustæ possit afflictioni vel gravamini subjacere, gloriæ vestræ sollicitudo studio vigilanti provideat ut tranquillo maturoque hoc studeat consilio declinare: quatenus dum vos, sicut decet, adjutores habuerit, et ipse et nos amplius cognoscere valeamus, quia sicut de gloria vestra præsumimus, non ad faciem, sed, quod est valde laudabile, puras nostris amicitias exhibere.

## EPISTOLA LVII.

AD SECUNDINUM ET JOANNEM EPISCOPOS.

*Gregorium expræfectum commendat.*

Gregorius Secundino et Joanni episcopis Siciliæ.

Bonorum nos hortatur dilectio filiorum utilitatibus eorum studiose concurrere, et eos in quantum ratio suppetit adjuvare. Et ideo quia **1084** quantum se gloriosus filius noster Gregorius expræfecto benigne cunctis exhibuit, tanto omnium debet uti solatiis; fraternitatem vestram his hortamur affatibus, ut illic venienti tam apud Leontium gloriosum exconsulem in disponendis rationibus suis, quam apud alios, ubi causa poposcerit, opem ferre, et partes illius sublevare favente justitia festinetis, ut, vobis sacerdotaliter concurrentibus, nullam molestiam vel dispendium contra ordinem possit æquitatis incurrere. Quem si, quod non credimus, gravari frustra in aliquo senseritis, apud prædictum gloriosum virum agere vos, episcopali modestia servata, necesse est, ut verbum quod ei per Azimarchum virum magnificum scribonem præbuit, custodire debeat ac servare, atque illum irrationabiliter affligi vel sustinere dispendium minime patiatur. Ita ergo fraternitas vestra se erga eum sollicitam curet ostendere, et in ejus se causis secundum Deum studeat exhibere, ut et sacerdotale in vobis subsidium et paternam inveniat charitatem.

## EPISTOLA LVIII.

AD BONIFACIUM REGIENSEM EPISCOPUM.

*Gregorii cum Ecclesia sua causam absque dilatione finiat ipsiusve homines habeat commendatos.*

Gregorius Bonifacio episcopo Regiensi.

Sacerdotali procul dubio convenit gravitati ut si quas Ecclesiæ suæ causas habuerit, aut pacifica eas ordinatione, si fieri potest, aut certe judicio interveniente sine mora definiat, ut, sublata e medio contentionis materia, sola illi cum filiis suis pacis possit concordia permanere. Indicavit itaque nobis gloriosus filius noster Gregorius [a] expræfecto, quod inter se et Ecclesiam vestram de locis quæ competunt aliqua sit orta contentio. Ob quam rem hortamur ut eam aut cessante jurgio finiatis, aut certe dilatione submota Ecclesiæ vestræ actores ad electorum ire judicium faciatis; ut, eorum definitione præcedente, nec ille contra justitiam gravari, nec vestra præjudicium videatur Ecclesia sustinere. Quia vero homines suos et possessiones quas illic habet vobis voluit commendari, oportet ut vestra se charitas in ejus causis quodcunque ratio invitaverit, non omittat impendere. Atque ita eum in quibuscunque valuerit juvare festinet, ut, concurrentibus vobis, absentem se a suis utilitatibus esse non agnoscat.

## [a] EPISTOLA LIX.

AD JOANNEM ET FORTUNATUM EPISCOPOS, ET ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Gregorii homines ac possessiones commendat.*

Gregorius [b] Joanni et Fortunato episcopis, et Anthemio subdiacono.

Ea quæ filiis nostris ultro nos decet impendere, negare eis petentibus non debemus. Et ideo **1085** quoniam filius noster gloriosus Gregorius expræfecto possessiones, quas illic habet, vel homines suos fra-

EPIST. LV. — [a] Remig. et Victorinus, *tribuatis, et servari illi in omnibus more vestro justitiam faciatis, quatenus.*

EPIST. LVI. — [a] Vitiose in Vulgatis, *quales nos hic habuit.* Legendum *vos*, ut etiam legitur in jam dictis Remig., San Vict. et al. Mss.

EPIST. LVIII. — [a] Norm., Rhem. et Vatic. D, *Greg. expræfectus.*

EPIST. LIX. — [a] Hæc epist. cum duabus sequentibus abest a Mss. complur.

[b] Joannes ille episcopus erat forte Surrentinus, ad quem epist. 25 lib. IX. Fortunatus vero Neapolitanus.

ternitati vestræ a nobis studuit commendandos, scriptis vos præsentibus adhortamur ut utilitatibus ejus salva ratione concurrere et possessiones ejus atque homines tueri, sicut desiderat, debeatis; nec eos contra justitiam a quibuslibet vexari aut patiamini prægravari. Sed id agite, ut tuitione vestra prædicti filii nostri supplere præsentiam valeatis, quia ita se, sicut nostis, bene exhibuit cunctis, ut omnia solatia habere mereatur.

## EPISTOLA LX.

AD AZIMARCHUM SCRIBONEM.

*Quod tardius ad Siciliam venerit Gregorius, non studio factum, sed corporis infirmitate.*

Gregorius Azimarcho scribon.

Quod præsentium portitor gloriosus filius noster Gregorius tarde ad Siciliam venit, non voluntate distulit, sed ita infirmitate corporis debilis factus est, ut vix in multis diebus reparari potuerit. Cujus debilitatis indicia etiam ipsi adhuc in eo cognoscetis. Mox autem ut aliquantulum convaluit, venire illuc sicut magnitudini vestræ promiserat, non neglexit. Quod ideo his apicibus scribendum prævidimus, ne eum distulisse sponte credentes, hanc moram ejus forsitan studio factam putaretis.

## EPISTOLA LXI.

AD ADEODATUM ABBATEM NEAPOLITANUM.

*Illius monasterio Gazarense quousque Neapoli ordinetur antistes, Puteolanum vero in perpetuum unit.*

Gregorius Adeodato abbati Neapolitano.

Quorumdam monachorum ejusdem monasterii ad nos relatione pervenit monachos monasterii [a] Gratterensis, quod situm in Plaia est, monasterio sancti Sebastiani quod Neapoli in domo quondam Romani constructum est, ubi, Deo miserante, sicut dictum est, abbatis geris officium, [b] se monasteriumque suum uniri magnopere poposcisse, adeo ut chartas omnes ejusdem monasterii tuo monasterio, ut dicitur, tradidissent. Sed quia monasterium ipsum in Neapolitana est diœcesi constitutum, ne quid constituere, quod absit, præjudicialiter videamur, volumus ut quousque Neapoli ordinetur antistes, tuo interim monasterio antefatum Gratterense monasterium cum omnibus ad se pertinentibus sit unitum. Cum vero propitiante Domino Neapoli fuerit episcopus ordinatus, utrum in perpetuum hæc unitio extendi an temporalis esse debeat maturius ac solidius cum Dei gratia pertractabimus. Quia vero monasterium [c] Puteolis constitutum, quod Falcidis **1086** dicitur, ita esse destitutum a monachis perhibetur, ut non solum A Dei illic opus minime celebretur, sed etiam pene pro derelicto, quod dici grave est, habeatur: idcirco illud monasterio tuo præsenti auctoritate cum omnibus ad se pertinentibus in perpetuum duximus uniendum: admonentes ut monachos in prædicta utraque monasteria debeas deputare, qui et curam illic diligenter habeant, et opus Dei regulari studeant institutione peragere, atque ita se in his, sicut convenit, exhibere, ut nec illos de neglectu, nec te de minori sollicitudine culpa confundat. Quidquid vero ad eadem monasteria pertinere cognoscis, si ab aliquibus irrationabiliter detinentur, ex hac nostra auctoritate repetendi, exigendique, atque tuo monasterio vendicandi habebis per omnia. Deo juvante, licentiam, quia dignum est ut quorum curam geris rebus nullo B modo defrauderis. Monachos autem quos in monasterio Puteolis sito deputaveris, sub tua quidem disciplina, sed tamen Puteolano episcopo, cujus diœcesis est, non Neapolitano noveris subjacere.

## EPISTOLA LXII

AD NEAPOLITANOS.

*Neque Joannem in episcopum eligendum fuisse, quod non castus; neque Petrum, si incautus sit ac fenerator. Alium igitur ex Ecclesiæ suæ clero aptum sibi provideant.*

Gregorius clero et nobilibus civibus Neapolitanis.

Nec novum (*Grat.* 8, *q.* 1, *c.* 17) nec reprehensibile est in eligendo episcopo [a] populi se vota in duas partes dividere: sed grave est quando in hujusmodi causis non ex judicio, sed ex solo favore venit electio. Prius enim quam scripta ad nos vestra discurrerent, Joannem diaconum, qui ad altera parte electus est, parvulam habere filiam ex quorumdam relatione cognovimus. Unde si rationem voluissent attendere, nec alii eum eligere, nec ipse debuerat consentire. Nam qua præsumptione ad episcopatum audet accedere, qui adhuc longam corporis sui continentiam, filiola teste, convincitur non habere? Petrus autem item Diaconus (*Dist.* 39, *c.* 1), quem a vobis electum asseritis, omnino quantum dicitur simplex est. Et nostis quia talis hoc tempore in regiminis debeat arce constitui, qui non solum de salute animarum, verum etiam de extrinseca subjectorum utilitate et cautela sciat esse sollicitus. Nam (*Dist.* 47, *c.* 4) de eo insuper ad nos pervenisse cognoscite D quod solidos dederit ad usuras, quod vos oportet cum omni subtilitate requirere; et si ita constiterit, alium eligite, et ab hujusmodi vos persona sine mora suspendite. Nam nos amatoribus usurarum nulla ra-

Epist. LXI [*Al.* 39]. — [a] Edit. *Gazarensis..... in Plagia est, et monachos sancti Sebastiani monasterii quod.* Adhæremus Mss. Anglic., Norm., Corb., Rhem., Vatic.

[b] De unione beneficiorum, lib. I, epist. 8, lib. II, indict. 10, epist. 50. Gussanv. Hic exemplum habemus congregationum quæ ex pluribus monasteriis unitis coalescunt, et ab uno summo præfecto reguntur.

[c] Puteoli, vulgo *Pozzuolo*, urbs olim fuit probe culta Campaniæ, nunc adhuc episcopalis sub archiepiscopo Neapolit. Gussanv.

Epist. LXII [*Al.* 40]. — [a] Quod populi vota ad canonicam episcoporum electionem requirerentur antiquitus, docet sanctus Gregorius passim in epistolis. Sed alio inducto more observo quod a paucis diebus novitius auctor aliud agens observavit, epistolam primam Tarraconensium episcoporum ad Hilarum papam, ubi de Silvano, qui, postponens Patrum regulas, et sedis apostolicæ instituta despiciens, nullis petentibus populis episcopum ordinaverat, scilicet non exspectatis populi votis aut habitatorum loci consensu. Propterea concilii Romani Patres coram Papa acclamarunt, pro conservandis canonibus ecclesiasticis ab episcopo illo violatis: *Ut disciplina servetur rogamus, ut canones custodiantur rogamus.* Gussanv.

tione manus imponimus. Si vero subtili habita inquisitione hoc falsum esse patuerit, quia persona ejus nobis ignota est, **1087** et utrum ita sit de simplicitate ejus quod ad nos perlatum est ignoramus, cum decreto a vobis facto ad nos eum venire necesse est, ut, de vita moribusque ipsius sollicitius inquirentes, sensum quoque pariter agnoscamus; ut si huic judicio aptus exstiterit, vestra in eo, adjuvante Domino, desideria compleamus. Studii præterea vestri sit etiam alium qui aptus sit providere (*Dist.* 61, *c.* 1), ut si forte huic ordini hic non videatur idoneus, sit in quem se vestra declinare possit electio. Nam grave [b] cleri illius erit opprobrium, ut si hic fortasse approbatus non fuerit, alium se dicant qui eligi debeat non habere [c].

## EPISTOLA LXIII.

AD DOMINICUM CARTHAGINENSEM EPISCOPUM.

*Docet quo animo suscipiendum sit pestilentiæ flagellum; quis fructus ex eo colligendus; qua ratione qui percutiuntur consolandi.*

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi.

Quanta in Africanis partibus lues irruerit, jam dudum agnovimus; et quia nec Italia a tali percussione est libera, geminati in nobis dolorum sunt gemitus. Sed inter hæc mala et alias calamitates innumeras desperata cor nostrum, charissime frater, tribulatione deficeret, nisi fragilitatem nostram vox dominica [a] præmunisset. Olim enim fidelibus evangelicæ tuba lectionis insonuit, appropinquante fine mundi, pestilentiam, bella et alia multa quæ adhuc, sicut nostis, in metu sunt, eventura (*Matth.* XXIV; *Luc.* XXI). Quæ ergo præscientes patimur, affligi ex his nimium tanquam de incognitis non debemus. Nam plerumque et genus mortis in alterius mortis consideratione levamen est. Quantas ergo detruncationes, quantasque crudelitates vidimus, quibus mors sola remedium, et erat vita tormentum? Nonne cum David optio esset mortis oblata, recusatis fame vel gladio, populum suum elegit manui Dei succumbere (*II Reg.* XXIV, 14)? Ex qua re colligite, in his qui divina percussione intereunt, quanta sit gratia, quando ea vocatione obeunt quam prophetæ sancto pro munere constat oblatam. Itaque Creatori nostro in cunctis adversitatibus gratias referamus, atque de ejus misericordia confidentes, patienter omnia toleremus, quia satis minus patimur quam meremur. Quoniam tamen ita temporaliter flagellamur, ut sine æternæ vitæ consolatione minime relinquamur, necesse est ut quanto his signis nuntiantibus venturum judicem in proximo non nescimus, tanto rationes nostras, quas in ejus sumus examine posituri, bonæ actionis studio et fletu pœnitentiæ muniamus, ut tantæ nobis percussiones favente ejus gratia, non damnationis initium, sed beneficium purgationis existant. Quia vero ea infirmitatis nostræ natura est, ut non possimus de obeuntibus non dolere, fraternitatis vestræ doctrina tribulatis sit solamen. Mansura illis bona quæ promittuntur insinuet, ut, spe certissima roborati, in comparatione futuri muneris discant **1088** de amissione temporalium non dolere. Vestra eos lingua, sicut et credimus, magis ac magis a pravi operis perpetratione coerceat, bonorum præmia, malorum pœnas edisserat, ut qui bona minus diligunt saltem mala pertimescant, et ab eis sese quæ sunt plectenda contineant. Nam inter flagella positos flagellis digna committere contra ferientem est speciaA liter superbire, et sævientis acrius iracundiam irritare. Atque est primum genus dementiæ nolle quemB piam a malis suis juste quiescere, et Deum injuste a sua velle ultione cessare. Sed quoniam in his divino adjutorio opus est, junctis, dilecte frater, precibus, omnipotentis Dei clementiam exoremus ut et nos digne ista tribuat exhibere, et populorum ad hæc operanda misericorditer corda compungat, quatenus in timore ipsius actus nostros salubriter ordinantes, et ab ingruentibus malis erui, et ad superna venire gaudia, ejus duce gratia, sine qua nihil possumus, mereamur. [b] Mense Augusto, indict. 3.

## EPISTOLA LXIV.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Scriboni quamvis bono non locandam Ecclesiæ possessionem, sed annis singulis id offerendum Gentioni quod ex locatione fuisset lucratus.*

Gregorius Romano defensori.

C Quoniam filius noster Gentio vir magnificus scribo tantæ, Deo propitio, bonitatis est ut valde sit diligendus, si quid ei potuissemus conferre, debuimus. Voluerat enim possessionem juris ecclesiastici [a] sub specie libellorum tenere. Sed propter malos scribones judicavimus in hac nos causa nec bono committere. Proinde excepta de possessione quæ potuerunt in ejus utilitatem verti, eadem volumus ejus magnitudini singulis annis offerri, id est, porcos viginti, qualiter ipse prævideris, [b] vervices viginti, et gallinas sexaginta. Quæ omnia volumus in exceptis reputari.

## EPISTOLA LXV.

AD ADEODATAM.

D *Excusat moram in dandis reliquiis, quas tandem mittit.*

Gregorius Adeodatæ illustri feminæ.

Ut moram in dandis reliquiis, quas gloria vestra petiit, faceremus, non voluntate distulimus, sed præcedentis rei nos casus fecit ambigere. Deus autem omnipotens cordis vestri devotionem intuens, miraculorum signis admonentibus, a vestra vos intentione fraudari non pertulit. Sed ideo desiderium

[b] Grave cleri opprobrium, quando ex ejus Ecclesiæ gremio non assumitur. GUSSANV.

[c] Recent. addunt *mense Augusto*, *indict.* 3, quod nulli e nostris Mss. habent. In illis autem hæc temporis nota pertinet ad epistolam sequentem, ut mox ostendemus.

EPIST. LXIII [*Al.* 41]. — [a] Vatic. A et F, *præmonuisset.*

[b] Ita legitur in duobus Colbert. et in Vatic. A, B, D, E.

EPIST. LXIV [*Al.* 61]. — [a] De hac voce vide lib. I, epist. 44, quæ diximus de voce *libellariæ*. GUSSANV.

[b] Remig. non habet, *vervices viginti.*

vestrum modica voluit dilatione differri, ut, docentibus miraculis, et amor vobis cresceret in veneratione sanctorum, et major fieret exsultatio gaudiorum. Quia ergo [a] in effectu postulatæ rei gloriæ vestræ vota completa sunt, hortamur ut cujus prædicatores colitis, ejus **1089** sollicite mandata servetis. Et sicut religiosa devotione terrena sanctorum honoribus loca construitis, sic quoque cum eis mansionem vobis procurare in cœlestibus festinetis, quatenus et hic illos in omnibus adjutores et in futura mereamini habere vita consortes.

## EPISTOLA LXVI.

AD DECIUM LILYBETANUM EPISCOPUM.

*Solitis cautionibus adhibitis, constructum ab Adeodata monasterium consecret.*

Gregorius Decio episcopo [a] Lilybetano.

Adeodata gloriosa femina petitoria nobis insinuatione suggessit quod habetur in subditis : in domo siquidem juris sui intra civitatem Lilybetanam monasterium ancillarum Dei a solo se pro sua devotione fundasse, quod in honorem beati Petri principis apostolorum, et sanctorum Christi martyrum Laurentii, Hermetis, Pancratii, Sebastiani et Agnetis desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, quia in tua civitate memorata constructio jure consistit, si nullum corpus ibidem constat humatum, percepta prius donatione legitima, id est, in reditu præstantes liberos a tributis fiscalibus solidos decem, pueros tres, boum paria tria, mancipia alia quæ serviant in ipso monasterio numero quinque, equas numero decem, vaccas decem, hastulas vinearum numero quatuor, oves numero quadraginta, etc., *secundum morem.*

## EPISTOLA LXVII.

AD HILARIUM NOTARIUM.

*Missam pro sustentatione monasterii navem in cunctis tueri præcipit.*

Gregorius Hilario notario.

Navem in qua Vitalis præsentium portitor navigat ad dilectissimam filiam nostram Adeodatam abbatissam, pro sustentatione monasterii sui emissam cognoscas. Qua illuc veniente, hac **1090** tibi auctoritate præcipimus ut ita eam in cunctis tuearis, atque ab omni angaria vel onere exuere excusareque festines, ac si specialiter nostra sit. Nam nostri causa in eodem monasterio tanta congregatio, Deo propitio, degere comprobatur, ut plus illi solatiari atque concurrere quam nostræ in omnibus festinemus Ecclesiæ. Et ideo postquam voluntatem nostram experientia tua circa prædictum monasterium talem esse cognoscit, ita se in tuitione supradictæ, ut diximus, navis impendat, ut te illic posito, nullam moram vel impedimentum ab aliquo valeat sustinere. Nam si, quod non credimus, in aliquo negligens esse tentaveris, vehementer te nostram noveris offensam incurrere.

## EPISTOLA LXVIII.

AD OPPORTUNUM.

*Ob asperam correctionem contristatum lenit, atque ad perfectam conversionem hortatur.*

Gregorius [a] Opportuno de Aprutio.

Pervenit ad me quia, ex eo tempore quo dilectionem tuam verbis asperis propter quædam quæ mihi jure displicuerant contristavi, magna tibi sit oborta tristitia atque continuus animi mœror. Unde te, dilectissime fili, volo cognoscere quia ego illa verba non asperitate cordis sed amore tuæ animæ sum locutus. Tu itaque ad omnipotentem Deum tota mente convertere ; quam nihil sit fugitiva præsens vita considera ; æterna præmia lucrari festina ; in quantum virtus sufficit, castiga carnem, quæ, quandiu in voluptatibus vixit, animam castigavit. Benignitatem tuam proximis exhibe, psalmodiæ et lacrymis horas vitæ frequentius impende, illata mala a proximis æquanimiter tolera. Si contra veritatem injuriam pertuleris, lucrum puta, ut hæc agens, per temporalia quæ despiciendo pateris, ad cœlestia regna pertingas. Omnipotens autem Deus cor et corpus tuum cœlestis gratiæ salute perfundat, ut de ejus Spiritu et recta interius sentire et recta exterius sufficias agere.

EPIST. LXV [*Al.* 62]. — [a] Excusi, contra Mss. fidem, *in affectu.*

EPIST. LXVI [*Al.* 63]. — [a] In Vatic. A, *Lilavitano* ; et infra, *Lilavitanam.*

EPIST. LXVII. *Al.* 64.

EPIST. LXVIII [*Al.* 14, *ind.* 5]. — [a] In Vaticanis A et E, *Opportuno de Abrutio.* In Vatic. B et uno e Colbert., *Opportuno episcopo de Abrutio.* In Vatic. D et duobus Teller., *Opportuno abbati.* Aprutium in Samnio dicitur *Interamna*, vulgo *Teramo*, quod inter annes Turdinum et Viciolam positum sit.

# LIBER UNDECIMUS.

Mense Septembri, indictione IV.

## **1091** EPISTOLA PRIMA.

AD JOANNEM ABBATEM.

*Eius se orationibus commendat, æterna bona ipsi precatus. Mittit lectos et lectisternia in peregrinorum usum.*

Gregorius [b] Joanni abbati montis Sina.

Sanctitatem vitæ tuæ humilitatis tuæ testatur epistola ; unde omnipotenti Deo magnas gratias agimus, quia adhuc esse cognoscimus qui pro peccatis nostris valeant exorare. Nos enim sub colore ecclesiastici regiminis mundi hujus fluctibus volvimur, qui frequenter nos obruunt. Sed cœlestis gratiæ manu protegente, de profundo relevamur. Vos ergo qui in tanta quietis vestræ serenitate tranquillam vitam

LIBER XI. *Al.* LIBER IX.

EPIST. I [*Al.* 16 *lib.* XII, *ind.* 7]. — Videtur esse Joannes abbas montis Sinai, cognomento Climachus, vir sanctitate et scriptis toto Oriente

ducitis, et securi quasi in littore statis, nobis navigantibus, aut potius naufragantibus orationis vestræ manum tendite, et conantes ad terram viventium pergere, quantis potestis precibus adjuvate; ut non solum de vestra vita, sed etiam de ereptione nostra mercedem habere in perpetuum valeatis. Sancta Trinitas dilectionem tuam suæ protectionis dextera protegat, detque tibi commissum gregem orando, admonendo, [b] exempla boni operis ostendendo, in suo conspectu recte pascere, ut ad æternæ vitæ pascua **1092** valeas cum ipso quem pascis grege pervenire. Scriptum quippe est : *Oves meæ venient, et pascua invenient* (*Joan.* x, 27). Quæ videlicet pascua tunc invenimus, quando hujus vitæ hieme carentes, de æternæ vitæ quasi de novi veris viriditate satiamur.

Filio nostro Simplicio renuntiante cognovimus lectos vel [c] lectisternia in [d] Gerontocomio, quod a quodam illic Isauro constructum est, deesse. Propterea misimus [e] lænas xv, [f] rachanas xxx, lectos xv. Pretium quoque de emendis [g] culcitris vel naula dedimus, quæ dilectionem tuam petimus non indigne suscipere, sed in loco quo transmissa sunt præbere. [h] Data die Kalend. Septemb., indict. 4.

## [a] EPISTOLA II.

### AD PALLADIUM PRESBYTERUM.

*Obloquentium verbis contristatum solatur. Docet quid erga detrahentes agendum sit. Orationes petit, mittit vestes.*

Gregorius Palladio presbytero de monte [b] Sina.

Epistolis dilectionis tuæ susceptis, filium meum Simplicium requirere curavi, et qua tentatione **1093** tua charitas urgeretur inveni; de qua tamen verbi mei consolatione non indiget, cum ipsa dicat : *Si patrem familias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Matth.* x, 25)? Quæ iterum dicit : *Si de hoc mundo essetis, mundus quod suum erat diligeret. Sed quia de hoc mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus* (*Joan.* xv, 19). Mundum videlicet corda carnalia designans, quæ diligunt mundum. Hæc igitur cum perfecte te scire audiam, miror dilectionem tuam verbis hominum contristatam. Inter verba enim laudantium sive vituperantium ad mentem semper recurrendum est (*Grat.* 11, *q.* 3, *c.* 55), et si in ea non invenitur bonum quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debet. Et rursum si in ea non invenitur malum quod de nobis homines loquuntur, in magnam debemus lætitiam prosilire. Quid enim si homines laudent, et conscientia accuset? Aut quæ debet esse tristitia, si omnes accusent et sola conscientia nos liberos demonstret? Habemus Paulum dicentem : *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* i, 12). Job quoque dicit : *Ecce in cœlo testis meus* (*Job* xvi, 20). Si ergo nobis est testis in cœlo, testis in corde, dimitte stultos foris loqui quod volunt. Quid aliud detrahentes faciunt, nisi in pulverem sufflant, atque in oculos suos terram excitant; ut unde plus detractionis perflant, inde magis nihil veritatis videant?

Vocandi tamen sunt etiam ipsi, tranquille admonendi, eisque satisfieri modis omnibus debet, scientes quid de eis Veritas dicit : *Ne forte scandalizemus*

famosissimus. De ejus scala, unde ipsi nomen ἀπὸ τοῦ κλίμακος, nulla in hac epistola fit mentio, cum eam scripserit tantum post mortem sancti Gregorii qui obiit an. 604. Consulat lector Vitam ipsius gallice scriptam et operibus præfixam, in qua multa addiscet scitu dignissima. GUSSANV.

[b] Excusi, *boni operis studium ostendendo, in conspectu sui Redemptoris recte pascere.*

[c] Lectisternia idem hoc loco sunt ac lecti strati. Regulæ sancti Benedicti, c. 22 : *Singuli per singula lecta dormiant. Lectisternia pro modo conversationis, secundum dispensationem abbatis sui singuli accipiant.* Itaque de lectisterniis in templis olim supplicationis gratia gentilium ritu celebratis, quid hic loqui cum Gussanvillæo juvat?

[d] Frequens fuit peregrinatio ad montem Sinai. Inde Rusticianæ patriciæ pontifex gratulatur de reditu a monte Sina, seque socium itineris, non reditus optat lib. iv, epist. 46. Inter loca quæ se adiisse religionis causa refert Posthumianus apud Sulpicium Severum, dialog. de Virtutibus monachorum Orientis, percenset montem Sina. Varias peregrinationes Patrum ad montem Sina refert Sophron. in Prat. spiritual., c. 110, 170, 180. Hac occasione constructum esse Gerontocomium ab Isauro in monte Sina credibile est, pro quo mittit Gregorius pecuniam et certas vestes, in usum peregrinorum eo confluentium. ALTESERRA. In Vatic. A et D, necnon in Lyrano, Audoeno, et Gemet., legitur *Jericomio*. Gerontocomia sunt hospitia senum, et Jericomia dici possunt presbyterorum et clericorum hospitia. De Gerontocomiis, id est senum diversoriis agit Cangius in Constantinopoli Christiana. Cæterum Gerontocomia primum instituisse Hircanum Judæorum principem, refert Hegesippus. Quem imitatus inter Christianos imperator Mauricius, domum in qua senes morbosi alerentur, nomine *vivarii sumptuosi*, exstruxisse magnificis impensis legitur apud Cedrenum, etc.

[e] A Græco κλαῖνα vestis crassa, a χλαίνειν, calefacere, ex Hesychio et Suida. Reperitur et λαῖνα, sagum villosum. Utitur etiam hac voce Ennodius, lib. ix, epist. 17. GUSSANV. Hic læna potius ad stramenta lectorum pertinet, quam ad rem vestiariam, ut vel ex his verbis constat *cognovimus.... lectisternia... deesse. Propterea misimus lænas* xv. Consule doctissimum Hug. Menardum, in notis ad Concordiam regul., c. 62, pag. 893.

[f] Infra, epist. 75, eadem utitur voce sanctus Gregorius, de cujus significatione non consentiunt eruditi. Sirmondo ad Ennodii epist. 17, lib. ix, genus est calceamenti; Hofmanno, *scirpei fasciculi* qui monachis præsertim et ascetis cervicalium vicem præbebant. Filesacus, Comment. in Commonitor. Vincentis Lirin. interpretatur *braccas*. Ex ῥάχη, *læna*, racanos confecere Latini Scriptores ævi inferioris, inquit Cangius in notis ad Cinnamum, pag. 457. Ejusdem Glossarium consule, necnon *le Moine*, Varia Sacra, pag. 287. Occurrit hæc vox apud Anastasium Bibliothec., in Vita sancti Joannis Eleemos., cap. 9, num. 52. *Rachinæ* dicuntur in regula magistri, cap. 81, et sancto Audoeno, lib. ii Vitæ sancti Eligii, cap. 37. Consule doctissimum Hug. Menardum, in notis ad cap. 62 Concordiæ Regul., pag. 922.

[g] Alias, *culcitis*, a calcando, Gall., *lit de plume, couche*, Græcis κοῦλκα. Leo, in constit. 6, κοῦλκα, et βίγλα. Idem hinc ἐξκουλκεύειν, exculcare, excubare. GUSSANV.

[h] Sic legi in nonnullis Mss. docet Gussanvillæus. Certe habetur in Vatic. et in Colbert. veteri.

EPIST. II [*Al.* 45, *ind.* 3]. — [a] In uno Cod. Colbert. hæc epistola prima est indictionis 4.

[b] Sina, mons Arabiæ Petrææ excelsus, de quo frequens mentio in sacris paginis. GUSSANV.

tos (*Matth.* XVII, 26). Si autem satisfieri sibi ex veritate noluerint, habes consolationem quam in sancto Evangelio conspicias, quia cum Domino dictum fuisset : *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt* (*Ibid.* XV, 12)? Respondit : *sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum* (*Ibid.*, 14)? Paulus quoque apostolus admonet, dicens : *Si fieri potest, quod ex vobis est, cum omnibus hominibus pacem habentes* (*Rom.* XII, 18). Dicturus quippe ut cum omnibus pacem habeamus quia prospexit hoc esse difficile, præmisit : *Si fieri potest.* Sed tamen adjunxit quod possit fieri, cum dixit : *Quod ex vobis est.* Quia si nos in mente charitatem erga odientes servare cupimus, etsi illi nobiscum pacem non habent, nos tamen cum illis sine dubio habemus. In omnibus ergo, fili dilectissime, cor custodi, sicut scriptum est : *Omni custodia serva cor tuum, quia ex ipso vita procedit* (*Prov.* IV, 23).

Hæc breviter pro charitatis commemoratione rescripsi. Sed peto ut pro me orare debeas, quatenus omnipotens Deus et a malis me spiritibus, et a perversis hominibus custodire dignetur, quia in hac vitæ meæ peregrinatione mala me simul multa circumdant, ita ut cum Psalmista jure dicam : *In me pertransierunt iræ tuæ, et terrores tui conturbaverunt me. Circumdederunt me sicut aqua tota die, circumdederunt me simul* (*Psal.* LXXXVII, 17, 18). Cœlestis gratia et nos in urbibus, et vos in eremo protegat, quia antiquus hostis terrarum locis a tentatione non excluditur ; quia si in paradiso hominem stravit, quis locus extra paradisum esse potest, in quo **1094** mentes hominum penetrare non valeat ? In sola ergo Creatoris nostri protectione fidendum est, cui ex intimo corde clamemus : *Esto mihi in Deum protectorem, et in locum munitum, ut salvum me facias* (*Psal.* LXX, 3).

Transmisimus vobis de benedictione sancti Petri apostoli [c] cucullam et tunicam, quæ ea petimus charitate suscipi, qua a nobis transmissa sunt [d].

## EPISTOLA III.

### AD PANTALEONEM NOTARIUM.

*Deusdedit diaconum in Mediolanensem episcopum faciat ordinari, atque illic Romanæ Ecclesiæ utilitates sollicite disponat.*

Gregorius Pantaleoni notario.

Experientia tua, præsenti auctoritate suffulta, ad Genuensem urbem, auxiliante Domino, proficiscens, Deusdedit diaconum Ecclesiæ Mediolanensis, si tamen a cunctis electus est, et nihil est quod ei ex anteacta vita per sacros possit canones obviare, episcopum solemniter faciat ordinari.

Præterea, quia multæ illic Ecclesiæ nostræ utilitates sunt, quæ Deo propitio peragantur, sollicitum te esse necesse est, et ita omnia secundum capitularem subter annexum requirere, utiliterque disponere, ut in nullo te neglectus culpa respicere, sed magis vigilantia Deo et hominibus valeat commendare.

## EPISTOLA IV.

### AD MEDIOLANENSES.

*Laudato post obitum Constantio, gratulatur quod Deusdedit in episcopum elegerint. Alium respuit a Langobardis electum.*

Gregorius populo, presbyteris, diaconis et clero Mediolanensi.

Quantus nos de obitu fratris et coepiscopi nostri Constantii mœror afficiat, paginali explere locutione non possumus. Sed quam multa bona partes illæ in uno homine perdiderunt, [a] utinam vicinæ repentina calamitate non sentiant. Nam quemadmodum sollicitus in ecclesiasticæ regula disciplinæ, vel quam fuerit vigilans in tuitione civitatis vestræ, non habemus incognitum.

Sed quoniam obeunte pastore sine proprio vos esse non decet antistite, omnino grate suscepimus quod Deusdedit diaconum vestrum ad episcopatus officium vos unanimes elegisse, Deo auctore, signastis. Unde, quia bonorum studiorum desideria nulla debet, tarditas impedire, vota in eo vestra complere cum Dei gratia festinamus. Et quia prædictus vir nobis non moribus, sed solum specie tenus notus est, oportet ut quanto in hac electione non solum vestram utilitatem, sed etiam **1095** causam Dei agi cognoscitis, tanto debeatis esse solliciti. Et si, subtiliter requirentes, nihil est quod ei ex anteacta vita criminis per sacros possit canones obviare, aut si ad tenendam disciplinam, vel exhibendum regimen idoneus reperitur, atque cunctorum in ejus, sicut scribitis, electione concordet assensus, divinitatis gratia suffragante, cum præsentium scriptorum auctoritate solemniter decernimus ordinari.

Illud autem quod vobis ab Agilulfo indicatis scriptum, dilectionem vestram non moveat. Nam (*Grat.* 9, *q.* 1, *c.* 6) nos in hominem qui non a catholicis et maxime a Langobardis eligitur nulla præbemus ratione consensum. Nec si alicujus præsumptionis usurpatione [b] factum fuerit, in locum vel ordinem illum sacerdotis suscipimus, quia [c] vicarius sancti Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur. Nec enim est quod vos ex hac causa deterreat, vel aliquam vobis necessitatem incutiat, quia

[c] Cuculla, vestis tum monachorum, tum aliorum, cujus pars caput et humeros operiens cucullus vocabatur. Gregorius Turon., lib. VI, c. 39 : *Sagittarius episcopus dum obtecto capite fugere niteretur, extracto quidam gladio caput ejus cum cucullo decidit.* Idem in Vita Patrum, c. 8 et 17. Cassianus, de habitu monachi, c. 11, *Cuculli velamen*, etc.

[d] In uno Colbert. et in Vatic. E additur : *Mense Septembri, indict.* 4. In Collect. Pauli Diac. : *Data die Kalend. Septembr., indict.* 4.

EPIST. III. — *Al.* 21.

EPIST. IV [*Al.* 65, *ind.* 3]. [a] Vatic. D. et Rhem., *utinam minime repentina calamitate sentiant.* Vatic. E et F, *utinam vicinæ repentinam calamitatem non sentiant.* Norm., *perdiderunt, repentina calamitate sentirent.*

[b] Rhem., *factus fuerit.*

[c] Id est, successor. Infra, lib. olim X, epist. 31, nunc in promissione cujusdam episcopi ad epistolarum calcem : *Sancto Petro apostolorum principi atque ejus vicario beato Gregorio vel successoribus ipsius.* Anastasius in Adriano : *Præstitoque sacramento in fide et servitio beati Petri, atque ejus vicarii... Adriani papæ.* Idem in Leone III : *Et sicut vicarium beati... suscepit.* Idem in Vigilio : *Ad hæc rescripsit Vigilius : Etsi indignus vicarius beati Petri apostoli.*

unde possunt alimenta sancto Ambrosio servientibus clericis ministrari, nihil in hostium locis, sed in Sicilia et in aliis reipublicæ partibus, Deo protegente, consistit. Ut igitur in ordinando eo qui a vobis electus est nulla possit mora contingere, Pantaleonem notarium nostrum transmisimus, qui eum, ut moris est, [d] annitente consensus nostri auctoritate, faciat consecrari. Cui etiam, quia de possessiunculis quas quondam Magnus presbyter commissas habuerat, vel de aliis ecclesiæ nostræ utilitatibus, curam gerere, vel quid aliud agere debeat, in præsenti mandavimus, vestra se ei dilectio in omnibus devotam, ut decet, studeat exhibere. (*Cf. Joan. Diac., l.* IV, *c.* 24.)

## EPISTOLA V.

### AD INNOCENTIUM AFRICÆ PRÆFECTUM.

*Victoris Phausianensis episcopi querelas ad ipsum defert, ut Africanorum judicum vexationes cohibeat.*

Gregorius Innocentio [a] Africæ præfecto.

Qui pravorum actuum eminentiam vestram vindicem esse desiderat, quid de æquitatis ejus bono sentiat æstimatis. Proinde reverendissimi fratris et coepiscopi nostri Victoris, [b] Fausianensis episcopi, plenam vobis doloribus querelam deferimus, ut et malos [c] ab actione per opera corrigatis, et ab injustitia quam sustinent, oppressos eruatis. Queritur siquidem supradictus frater noster [d] multas in locis suis violentias, multaque alia [e] contra edicti morem Africanos judices exercere; denique ut duplicia illic tributa, quod auditu ipso intolerandum est, exigantur. Et quia hujus mali emendatio vestræ specialiter auctoritatem dignitatis exspectat, petimus ut et subtili indagatione perquirere, et ita hoc Deo vobis imperante debeatis corrigere; quatenus afflictis et pro mercede animæ vestræ protectione justitiæ succurratis, **1096** et hujus emendationis exemplo alios de futuro a pravis actionibus arceatis. [f] Mense octobri, indict. 4.

## EPISTOLA VI.

### AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Florentium ejus diaconum Anatolio apud Constantinopolim diacono suo commendat. Propositæ ordinationi assentitur. Exprobrat in commissa quadam causa negligentiam.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Fraternitatis vestræ scripta suscepimus, in quibus indicastis Florentium diaconum vestrum pro utilitatibus Ecclesiæ vestræ ad urbem regiam vos velle transmittere. Et quia voluistis ut eum dilectissimo filio nostro Anatolio diacono superscriptis debuissemus [a] apicibus commendare, scribere ei curavimus ut illi in quibus necesse fuerit et valuerit adesse non differat, ipsaque scripta ad vos transmisimus, ut secum ea, quam direxeritis persona debeat deportare.

De persona vero quam in sacro vos dicitis velle ordine promovere, videtur nobis ut si nihil est quod vitæ ejus obsistat, et ei a nullo res quam indicastis, objicitur, quod visum vobis fuerit, faciatis. De aliis vero causis voluimus vobis, ut sollicitudinem geretis, scribere. Sed postquam unam vobis commisimus, quæ per neglectum vestrum deperiit, de aliis tacere elegimus, ne et ipsas similiter perderemus.

## EPISTOLA VII.

### AD ANATOLIUM DIACONUM.

*Mariniani episcopi diaconum commendat.*

Gregorius Anatolio diacono Constantinopolitano.

Frater et coepiscopus noster [a] Marinianus ad urbem regiam pro Ecclesiæ suæ utilitatibus diaconum suum scripsit se velle transmittere. Et quia eum dilectioni tuæ magnopere voluit commendari, scriptis præsentibus adhortamur ut ubicunque necesse fuerit, salva ei ratione concurras, et ita in cunctis illi opitulari festines, ut charitatem tuam de qua prædictus frater noster valde confidit, cognoscat in opere.

## EPISTOLA VIII.

### AD ALEXANDRUM SICILIÆ PRÆTOREM.

*Joannem diaconum Ravennatis Ecclesiæ patrimonii in Sicilia Rectorem commendat.*

Gregorius [a] Alexandro prætori Siciliæ.

Qui de filii charitate non dubitat, commendare ei quos diligit, non recusat. Et ideo quia **1097** patrimonium Ecclesiæ Ravennatis, quod in Sicilia constitutum est, ita dicitur diminutum ac si nullus esset qui utilitates ipsius illic agere potuisset, necesse fuit reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Marinianum de ordinando patrimonio ipso ne amplius [b] decresceret cogitare. [c] Ad cujus quia gubernationem Joannem diaconum suum transmisit, pa-

---

[a] Excusi, *annuente*, reluctantibus Mss. Vatic., Norm. etc.

Epist. V [*Al.* 17]. — [a] In Vatic. A et uno e Colbert., *episcopo Africæ*. In duobus aliis Colbert., *presbytero Africæ*. In Vatic. B., *prætori Africæ*.

[b] De Phausiana vide lib. IV, epist. 29.

[c] Excusi, *ab actione propera*. Sequimur Norm., Anglic., Vatic. quatuor, etc. In Vatic. B, legitur *ab actione prava*.

[d] Sic restituimus maxime ex Mss. Anglic., Vatic., Norm., Turon., Corb., quibus concinit Edit. Paris. 1571. In recent. habes *multas* seu *mulctas... violentas*. Pro *in locis suis* plurimi Mss. habent *in locis sacris* seu *sanctis*.

[e] Vulgati, *contra Dei timorem*. Reluctantur Mss. pene omnes, sc. Anglic., Norm., duo Vatic., etc.

[f] Hanc temporis notam eruimus ex duobus Colbert., totidem Teller., Vatic. B et E.

Epist. VI [Al. 2]. — [a] Id est, litteris, vel epistola. Pars pro toto. Ex apicibus enim, id est ex litteris vel characteribus constant epistolæ, eædem et litteræ dictæ. Hinc *sacri apices*, litteræ imperatorum. Alio modo usurpant Jurisperiti, *apices juris*, pro stricta juris ratione, cui non satis cum æquitate convenit. Erant et alii apices sacerdotales, de quibus Rubenius, Electorum lib. II, c. 33. Gussanv.

Epist. VII [*Al.* 3]. — [a] Epistola 2, male, *Marianus*. Frequens error apud Binium, qui modo hanc, modo illam vocem usurpat.

Epist. VIII [*Al.* 4]. — [a] In vet. Ed., *Alexandrino præfecto*. In recent., *Alexandrino presbytero Siciliæ*. Favent Vatic. A et Rhem. Veram inscriptionem exhibent quinque Anglic., Reg. et tres Colbert. In alio Colbert. legitur *præfecto Siciliæ*.

[b] Vatic. D et E, *decideret*. Consentit. Rhem.

[c] Ita Mss. Colb., Norm., etc.. necnon vet. Excusi. Recent., *ad cujus gubernationem quia*. Id duntaxat annotamus ut ex impeditiori et perplexo verborum contextu Gregoriana phrasis agnoscatur.

terno salutantes affectu, petimus ut ei, tanquam a nobis misso, sicut de vobis confidimus, charitatem in omnibus impendatis.

## EPISTOLA IX.

### AD LEONEM CATANENSEM EPISCOPUM.

*Severum commendat.*

Gregorius Leoni episcopo Catanensi.

Filius noster Severus, vir magnificus, præsentium lator, ad Siciliam venire desiderans, nostris se apud fraternitatem vestram petiit epistolis commendari. Venientem ergo eum, sacerdotali, qua decet, charitate suscipite, eique in quo usus exegerit vestra solatia ministrate, quatenus vobis coram positis in nullo se contra justitiam sentiat laborare, sed magis auxilii vestri ope suffultus, quiete sua quam studiose diligit [a] securus perfruatur, nosque de ejus tranquillitate quæ illic per vos fuerit procurata lætificari possimus.

## EPISTOLA X.

### AD TALITANUM.

*Talitanum, publici patrimonii curatorem, hortatur ut a publicanorum molestiis Romanæ Ecclesiæ patrimonium defendat.*

Gregorius Talitano.

Cum tanta nos de vobis oporteat charitate præsumere, ut si Ecclesiæ nostræ utilitates apud alios agerentur, vestram illic gloriam adhiberemus adjutricem, satis debemus quoniam in vobis est causa gaudere, quia vos non oportet negligere quod amore beati Petri, apostolorum principis, præstare ipsi apud alios poteratis. Quia igitur comperimus publici patrimonii curam vestræ ordinationi esse commissam, idcirco paterna dulcedine salutantes, patrimonium vobis, quod est nostræ Ecclesiæ, secundum justitiam commendamus. In quo si forte, ut fieri assolet, occasione inventa [a] homines publici aliquam velint inferre molestiam, hoc magnitudinis vestræ bonitas fieri non permittat, [b] sed ab omni illud hominum inquietudine tueatur. Sicque salva ratione pauperum partes attendat, **1098** ut eleemosynæ vicem impleat servata justitia, et vobis ex hoc ante Dei oculos major merces accrescat. Hortamur ergo, dilectissime Fili, ut sic vos benignos exhibere tam circa Ecclesiæ nostræ quam diligitis utilitates, quam etiam in omnibus curis Ecclesiarum debeatis, quatenus et injuncta salubriter expleatis, et omnipotentem Deum vobis, quod summopere studendum est, placabilem faciatis.

## EPISTOLA XI.

### AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Apud Alexandrum agat, ut causa illius cum Tecla abbatissa absque mora et contentione finiatur.*

Gregorius Romano defensori.

Quia Tecla, abbatissa monasterii sanctæ Mariæ, quod Neapoli in domo quondam Felicis scholastici constitutum est, contra [a] Alexandrum virum magnificum generum ipsius de quibusdam rebus causam habere dignoscitur, et ad hoc præsentium portitorem transmisit, ut causa ipsa illic cum eo, si potest fieri, pacifice decidatur, hac experientiæ tuæ auctoritate præcipimus ut ei, quocunque usus exegerit, salva ratione solatiari ac concurrere non omittat. Sed et prædictum virum magnificum hortari studeat, ut omni contentione cessante, ad decisionem causæ ipsius, pacis et ipse intentione, perveniat, ne si negligendum putaverit, cum strepitu postea et dispendio cogatur efficere quod bona voluntate implere postponit; quia, sicut edocti sumus, frequenter jam prædictæ abbatissæ per epistolas suas promisit ipsam decidere, et facere hoc hactenus supersedit. Tua ergo experientia ita agat, ut aut ipsa causa, sicut diximus, decidatur; aut si certe differre voluerit, et videris quia facere quæ pacis sunt non volet, subtiliter nobis ea ipse renuntia, ut quid pro utilitate monasterii memorati agi debeat sciamus.

## EPISTOLA XII.

### AD CONONEM LIRINENSEM ABBATEM.

*Qua cura et solertia monasterium sibi commissum regere debeat. Commendat Columbum presbyterum.*

Gregorius [a] Cononi abbati monasterii Lirinensis.

Præpositorum sollicitudo subjectorum est cautela, quia qui super rem creditam vigilat, hostis insidias

Epist. IX [*Al.* 5]. — [a] Al., *securius*, ut legitur in Vatic. A et Victor., qui fere soli hanc exhibent epistolam.

Epist. X [*Al.* 6]. — [a] Publicanos dicimus qui auctoritate principis tributa exigunt. Homines fisci, vectigaliarios, telonas. Sæpe in jure, *hominum* appellatione continentur actores, procuratores, clientes, conductores, etc. Adnotare libet obiter super ista voce rem plane singularem, nempe in Matiscon. conc. episcopum quemdam propugnasse mulieres nec esse, nec dici posse homines. Vide Gregorium Turon., Hist. lib. VIII, c. 20. Gussanv.

[b] Ita Victor. In Vatic. A, *sed ab omni illud hominesque illius inquietudine tueatur*. Pauci Mss. epistolam hanc continent.

Epist. XI [*Al.* 7]. — [a] Haud dubie is est, Alexander Siciliæ prætor, ad quem exstat epist. 8, supra.

Epist. XII [*Al.* 8]. — [a] Ita Mss. fere omnes atque Paris. Edit. 1675. In plerisque mss. Codd. legitur *abbas Syrinensis*. At Cononem abbatem fuisse Lirinensem, ut legitur maxime in Colbert. vet., ex eo patet quod illius solertiam ac vigilantiam, Menna episcopo referente, cognoverit sanctus Gregorius, ut in hac ipsa epistola legitur. Etenim habemus ex epist. 52 lib. VI Telonensem episcopum fuisse Mennam, qui proximæ Lirin. insulæ abbatem facile noverat. Memoratur Cono abbas Lirin. in Martyrologiis monasticis Wionis, Dorgani, Menardi, Bucelini. Ex Chronolog. Lirin. part. prima, pag. 186, in pervetusto Codice membraneo præfati cœnobii, habetur catalogus sanctorum et procerum qui floruerunt in insula Lirin. inter quos et iste annumeratur sub iis verbis: *sanctus Chononus, sive Chononius, seu Chonon*, 29 *Maii*. Floruit anno 600. Porro non solum in Lirino insula, sed et in Lerone et in Stœchadibus monasteria veterrima exstitisse probat Ad. Valesius, in notitia Galliæ. In Vatic. D et E, et in Rhem., necnon in Collect. Pauli Diac., legitur, *abbati montis Lirinensis*. Porro Lerinus, vel Lerina post Lirinus dicta insula, Straboni *Planasia*, in ora Provinciæ vix duabus leucis ab Antipoli et 5 a Foro Julio distat. Monasterium Lirin. ante annum 410 construxit Honoratus, qui sub sancto Caprasio in Massil. insulis anachoreta monachus, et postea fuit episcopus Arelat. Vide lib. VI, epist. 56. Sanctorum altrix olim Lirinus et

declinat. Quam autem solers sis in regendis fratribus, quantoque studio in eorum custodia vigilans, reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Menna referente cognovimus. Et sicut nos audita decessoris tui incauta remissio sæpius contristavit, ita provisionis tuæ sollicitudo lætificat, quia studii tui cautelam et tibi ad remunerationem, et aliis ad utilitatis exemplum prodesse non dubium est.

Sed quia quantum se adversarius noster ex omni parte præcaverit cognoscit, tanto per occulta quærit irrumpere, et repugnantem sibi callida arte nititur dejicere, dilectionis tuæ vigilantia ardentiori se semper cura succendat; et ita cuncta, Deo adjuvante, præmuniat, ut lupus sæviens huc illucque discurrens, in oves dominicas ingrediendi locum non habeat. Eos ergo qui tibi commissi sunt, a gula, a superbia, ab avaritia, a vaniloquio, et ab omni immunditia, Redemptoris nostri suffragante gratia prohibere ac studii tui sit per omnia custodire, ut tanto tibi major de commissa gubernatione merces accrescat, quanto subjecti tui contra adversarii nequitias te fuerint vigilante victores.

Itaque boni te dulcem, pravi sentiant correctorem. In qua videlicet correctione hunc esse ordinem noveris observandum, [b] ut personas diligas, et vitia persequaris, ne si aliter agere fortasse volueris, transeat in crudelitatem correctio, et perdas quos emendare desideras. Sic enim vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est; ne si plus quam res exigit ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas. Ipsa enim in te dulcedo cauta sit, non remissa; correctio vero diligens sit, non severa. Sed sic alterum condiatur ab altero, ut et boni habeant amando quod caveant, et pravi metuendo quod diligant.

Hæc, dilectissime fili, sollicite attende, studiose custodi, ut dum tali moderatione Deo nostro incolumes quos suscepisti reddideris, in die æternæ retributionis eo dicente audire sis meritus: *Euge, serve bone et fidelis, quia in pauca fidelis fuisti, supra multa te constituam; intra in gaudium Domini tui* (*Luc.* XIX, 17).

Filium præterea nostrum Columbum presbyterum, qui charitati tuæ suis est meritis commendatus, in tua dilectione proficere optamus, et ex nostra commendatione [c].

episcoporum seminarium. Hinc Sidonius Apollinaris, carm. 16, ad Faustum:

> Quantos illa insula plana,
> Miserit in cœlum montes, quæ sancta Caprasi
> Vita senis, juvenisque Lupi; quæ gratia patrem
> Mansit Honoratum; fuerit quis Maximus ille,
> Urbem tu cujus monachusque antistes et abbas,
> Bis successor agis, celebrans quoque laudibus illis,
> Eucherii venientis iter, redeuntis Hilari.

Fuit autem Lupus episcopus Trecensis, Maximus Reiensis, Eucherius Lugdunensis, Hilarius Arelatensis. Nec prætereundi sunt inter istius insulæ alumnos Cæsarius Arelat. et Vincentius presbyter, primis Patribus haud temere annumerandus. Dicitur hodie haec insula, *Saint-Honorat de Lérins. Partim ex* GUSSANV.

[b] Id ex regula sancti Benedicti depromptum videtur, cap. 64: *oderit vitia*, abbas, *diligat fratres.*

[c] In Collectione Pauli Diac. additur: *Data die Kalendarum Novembris, indict. 4.* Consentit Codex Remig.

## EPISTOLA XIII.

### AD SERENUM MASSILIENSEM EPISCOPUM.

*Non confringendas fuisse sanctorum imagines; non adorandas quidem, sed ad instructionem permittendas. Hac ratione demulcendos, quos fractis imaginibus alienarat, fidelium animos. Pravos homines a conturbernio et societate sua removendos.*

Gregorius Sereno episcopo Massiliensi.

Litterarum tuarum primordia ita sacerdotalem in te esse benevolentiam demonstrabant, ut 1100 major nobis fieret de fraternitate tua lætitia. Sed tantum earum finis a suis dissensit initiis, ut non unius, sed diversarum esse mentium talis crederetur epistola. Ex illo autem quod de scriptis nostris, quæ ad te misimus, dubitasti, quam sis incautus apparuit. Nam si diligenter ea quæ fraterno amore monuimus attendisses, non solum minime dubitasses, sed imo quid te sacerdotali gravitate oporteret agere cognovisses. Neque enim Cyriacus quondam abbas, qui scriptorum nostrorum portitor exstitit, istius disciplinæ vel eruditionis fuit, ut vel ipse aliud facere, sicut putas, auderet, vel istam de ejus tibi persona suspicionem falsitatis assumeres. Sed dum monita salubria pensare postponis, contigit ut jam non solum actu, verum etiam esses interrogatione culpabilis. Perlatum siquidem ad nos fuerat (*De consecrat., dist.* 3, *c.* 27) quod, inconsiderato zelo succensus, [a] sanctorum imagines sub hac quasi excusatione, ne adorari debuissent, confregeris. Et quidem quia eas adorari vetuisses, omnino laudavimus; fregisse vero reprehendimus. Dic, frater, a quo factum sacerdote aliquando auditum est quod fecisti. Si non aliud, vel illud te non debuit revocare, [b] ut, despectis aliis fratribus, solum te sanctum et esse crederes sapientem? Aliud est enim picturam adorare, aliud per picturæ historiam quid sit adorandum addiscere. Nam quod legentibus scriptura, hoc idiotis præstat pictura cernentibus, quia in ipsa etiam ignorantes vident quid sequi debeant, in ipsa legunt qui litteras nesciunt. Unde et præcipue gentibus pro lectione pictura est. Quod magnopere a te qui inter gentes habitas attendi debuerat, ne dum recto zelo incaute succenderis, ferocibus animis scandalum generares. Frangi ergo non debuit quod non ad adorandum in Ecclesiis, sed ad instruendas solummodo mentes fuit nescientium collocatum. Et quia in locis venerabilibus sanctorum depingi histo-

EPIST. XIII [*Al.* 9]. — [a] De imaginibus, supra, epist. 105 lib. IX, indict. 2. Sancti Gregorii imagines adorare vetantis verba *duriuscula* videntur Gussanvillæo, qui corrigendus est ex sancto Thoma, 2-2, quæst. 94, art. 2, ad primum: *Sanctorum imagines non absoluta adoratione, etiam inferiori, sed respectiva tantum possunt et debent adorari; sed adorari non dicuntur proprie, nec dici consueverunt antiquo usu.*

[b] Ita Reg. et alii Mss., consentientibus vet. Ed. Recent. maluerunt *ne despectis aliis.* De honore imaginibus sacris debito vide supra, lib. IX, epist. 52, in fine et 105.

rias non sine ratione vetustas admisit, si zelum discretione condiisses, sine dubio et ea quæ intendebas salubriter obtinere, et collectum gregem non dispergere, sed potius dispersum poteras congregare, ut pastoris in te meritum nomen excelleret, non culpa dispersoris incumberet. Hinc autem dum in hoc animi tui incaute motus exsequeris, ita tuos scandalizasse filios perhiberis, ut maxima eorum pars [c] a tua se communione suspenderet. Quando ergo ad ovile dominicum errantes oves adduces, qui quas habes retinere non prævales? Proinde hortamur ut vel nunc studeas esse sollicitus, atque ab hac te præsumptione compescas, et eorum animos quos a tua disjunctos unitate cognoscis, paterna ad te dulcedine, omni adnisu, omnique studio revocare festines.

Convocandi enim sunt dispersi Ecclesiæ filii, eisque Scripturæ sacræ est testimoniis ostendendum, quia omne manufactum adorari non licet, quoniam scriptum est: *Dominum Deum tuum adorabis, et illi soli servies* (*Luc.* IV, 8). Ac deinde subjungendum **1101** quia picturas imaginum, quæ ad ædificationem imperiti populi fuerant factæ, ut nescientes litteras, ipsam historiam intendentes, quid actum sit discerent, quia transisse in adorationem videras, idcirco commotus es, ut eas imagines frangi præciperes. Atque eis dicendum: Si ad hanc instructionem ad quam imagines antiquitus factæ sunt habere vultis in Ecclesia, eas modis omnibus et fieri et haberi permitto. Atque indica quod non tibi ipsa visio historiæ, quæ pictura teste pendebatur, displicuerit, sed illa adoratio quæ picturis fuerat incompetenter exhibita. Atque in his verbis eorum mentes demulcens, eos ad concordiam tuam revoca. Et si quis imagines facere voluerit, minime prohibe, adorari vero imagines modis omnibus veta. Sed hoc sollicite fraternitas tua admoneat, ut ex visione rei gestæ ardorem compunctionis percipiant, et in adoratione solius omnipotentis sanctæ Trinitatis humiliter prosternantur.

Cuncta vero hæc [d] et amore sanctæ Ecclesiæ, et tuæ fraternitatis loquimur. Non ergo ex mea correptione frangatur a zelo rectitudinis, sed magis adjuvetur in studio piæ dispensationis.

Præterea pervenit ad nos quod dilectio tua libenter malos homines in societate sua recipiat, adeo ut presbyterum quemdam qui postquam lapsus est, et in suæ adhuc dicitur iniquitatis pollutione versari, familiarem habeat. Quod quidem nos ex toto non credimus, quia qui talem recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrare videtur dare licentiam. Sed [e] ne forte aliqua tibi subreptione vel dissimulatione, ut a te reciperetur, atque adhuc haberetur gratus, suaserit, non solum hunc longius a te expellere, verum etiam excessus ipsius sacerdotali te zelo modis omnibus convenit resecare; alios vero qui pravi esse memorantur paterna adhortatione a sua pravitate compescere, et ad viam stude rectitudinis revocare. Quod si, quod absit, salubri monitu eos videris in nullo proficere, et hos quoque curabis a te procul abjicere, ne pravitates eorum ex eo quod recipiuntur displicere minime videantur. Et non solum ipsi inemendati remaneant, sed etiam eorum receptione alii corrumpantur. Et considera quam et hominibus exsecrabile, et periculosum ante Dei sit oculos, si per eum a quo plectenda sunt crimina nutriri vitia videantur. Hæc igitur, dilectissime frater, [f] diligenter attende; et ita agere stude, ut et pravos salubriter corrigas, et scandalum de malorum societate filiorum tuorum animis non inducas [g]. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *cc.* 30 *et* 45.)

## **1102** EPISTOLA XIV.

AD ASCLEPIODOTUM.

*Gallicanum Romanæ Ecclesiæ patrimonium commendat, et clavim mittit cum reliquiis.*

Gregorius Asclepiodoto patricio.

Prudentes viros, sicut estis, regibus adhærere, multorum solamen est. Nam dum præstantiorem sibi locum ad animæ utilitatem datum intelligunt, certum est quia mercedis causas, ubi inveniunt, non postponunt. Quanto igitur affectu, quantaque devotione gloria se vestra in causis pauperum studio pietatis impenderit, dilectissimo filio nostro Candido presbytero renuntiante comperimus. Sed quoniam hanc sibi quodammodo nobilitas legem imponit, ut debere se quod sponte tribuit æstimet: et nisi in beneficiis suis creverit, nihil præstitisse se reputet: paterna dilectione salutantes, gloriæ vestræ suprascriptum presbyterum, et patrimonium Ecclesiæ nostræ fiducialiter commendamus, ut ope gratiæ vestræ præmunitum, molestias et onera nulla sustineat. Sic igitur boni studii in vobis cura proficiat, ut utilitates pauperum vobis annitentibus nutriantur, et sentiamus quod de charitate vestra præsumimus. Augete favoris vestri præsidia, quia apud nobilium mentes semiplenum bonum videtur quod sine adjectione relinquitur. Et quoniam ab excellentissimis regibus Francorum filiis nostris poposcimus, ut ipsum patrimoniolum sub sua cura habere dignentur, vobis adminiculantibus impleatur, ut vestrum possit esse quod poscimus; quatenus et nos gratias referentes, pro gloriæ vestræ incolumitate orare enixius valeamus, et vestrorum bonorum vicissitudinem Deus vobis omnipotens et hic et in futuro recompenset. Clavim vero a sacratissimo beati Petri corpore, in qua de catenis ejus benedictio continetur, transmi-

[c] Quid censebunt, inquit Gussanvillæus, de ista suspensione cæcæ obedientiæ patroni? Non quidem ultra constitutos limites extendenda obediendi necessitas; sed neque adeo coercenda, ut rebellibus faveamus ac seditiosis, imo hæreticorum errori de mutua excommunicatione.

[d] In Vatic., Norm., etc., cum in Excusis legatur, *ex amore sanctæ Ecclesiæ tuæ fraternitati loquimur.*

[e] Vulgati, *ne forte aliquis.*

[f] Recentiores, quibus e Mss. nostris vix unus favet, *aure cordis diligenter attende.*

[g] In Codice Remig. additur: *Data mense Septemb., indict. 4.*

EPIST. XIV. *Al.* 17, *ind.* 7.

simus, quæ collo vestro suspensa contra omnia adversa vos muniat.

## EPISTOLA XV.

AD ARIGIUM EPISCOPUM VAPINCENSEM.

*Post amicissimam salutationem Candidum presbyterum commendat.*

Gregorius [a] Arigio episcopo Galliarum.

In quanta apud nos memoria fraternitatis vestræ sit charitas, cordis vestri secreta requirite, **1103** et ex eo quem circa nos habet amorem colligetis. Et quoniam sincera in dilectione, nec vires absentia, nec locum habet oblivio, ita sibi sæpius imaginata vestræ fraternitatis præsentia mens nostra reficitur, ac si corporeis vos oculis nobis sisti cernamus, quia nec abesse credendus est qui per dilectionis vinculum animis inhæret. Quia ergo tanta in vobis sacerdotalis gravitatis ornamenta conspeximus, ut de vestro omnino instituto et moribus lætaremur, multa animis nostris de sollicitudine vestra promittimus. Unde quia sic ea quæ Dei sunt agitis, sic in commissi vobis gregis custodia vigilatis, ut tamen ea quæ ex latere sunt prudenti moderamine dispensetis, latorem vobis præsentium [b] Candidum presbyterum communem filium commendamus, ut opem illi in quibus necesse fuerit pro utilitate pauperum impendatis, quatenus dum fraternitatis vestræ fuerit, sicut confidimus, [c] jutus auxilio, in ejus consolatione nos invenisse sentiat.

## EPISTOLA XVI.

AD MEDIOLANENSES.

*Redeunti Mediolanum Arethusæ charitatem impendant, agantque ut illius causa mox ordinato episcopo finiatur.*

Gregorius populo, presbyteris, diaconis et clero Ecclesiæ Mediolanensis.

Latrix præsentium Arethusa, clarissima femina, propter causam legati quod ei conjugique, vel filiis ipsius, Laurentius frater noster reverendæ memoriæ episcopus vester reliquerat, diu apud nos est, ut recolitis, demorata. Unde scripta nostra recordandæ memoriæ fratri et coepiscopo nostro Constantio miseramus, ut cum ea sacerdotali studio causam ipsam definire jurgiorum cessante strepitu debuisset. Quod, sicut scire vos credimus, se et olim facere voluisse, et adhuc facere tunc velle responderat. Sed quia latrix horum diu est in hac urbe demorata, atque illuc distulit remeare, nuncusque decidi non potuit. Idcirco dilectionem vestram scriptis præsentibus adhortamur, ut memoratæ mulieri illuc venienti charitatem [a] quam decet Ecclesiæ filios impendatis, et cum auctore Deo Ecclesia fuerit ordinata, id agatis, quatenus causa ipsa, quæ tempore diuturno dilata est ita sine mora, æquitate servata, debeat terminari, ut nec antedicta femina amplius fatigari, nec vos videamini, contra ecclesiasticum propositum, petentibus negasse quod justum est.

## EPISTOLA XVII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Theodoram viduam commendat, ne, ob ingratum filii animum, cui nubenti sua donaverat omnia, inopiam patiatur.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Theodora relicta Sabini defensoris, misso huc homine suo, questa est nobis a filio suo et **1104** Aligerno quodam, cujus filiam idem filius ejus in conjugio suo sortitus est, deceptam esse, ut omnes res suas tempore nuptiarum eidem filio donationis titulo legaret, et nunc se ab eis valde despici atque contemni; adeo ut, ablatis rebus ipsius, nihil ei unde possit nutriri remanserit. A quibus insuper etiam tantam se adversitatem asserit sustinere, ut nec servum juris sui ei deservire, nec in aliquo solatiari permittant. Et quia, si ita se res habet, grave nimis et contra Deum est, hujus tibi auctoritatis tenore præcipimus ut veritatem cures addiscere. Et si ita repereris, ecclesiasticam tuitionem impendere, atque eam salva in omnibus ratione adjuvare festines, quatenus te illic posito nullum denuo gravamen vel oppressionem a prædictis viris quolibet modo sustineat. Sed providere studii tui sit ut in id quod se deceptam queritur legaliter valeat subveniri, quia omnino crudele est ut mulier quæ ex filii persona debet sperare solatium, per eum magis necessitati cogatur vel inopiæ subjacere. Quod si forte quies vel solatium ipsius te procurante non potuerit ordinari, nobis renuntiare festina, ut quid post hæc facere debeas, nostra iterum præceptione cognoscas.

## EPISTOLA XVIII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Helenæ homines a Romanæ Ecclesiæ actoribus injuste detineri non sinat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Gloriosa filia Helena per suos nobis homines indicavit quosdam de suis ab Ecclesiæ nostræ actoribus irrationabiliter detineri. Et quia eos petit sibi restitui, idcirco hac tibi auctoritate præcipimus ut cum omni diligentia veritatem studeas perscrutari. Et si ita est, nec est quod in eis ad nostræ nomen Ecclesiæ possit vindicari, omni mora postposita, aut ipsos restitue, aut si forte mancipiis Ecclesiæ nostræ conjuncti sunt, [a] dando pro eis vicarios recompensa. Si vero aliquid nostræ dicuntur Ecclesiæ competere, sit sine aliqua dilatione compendium; et quæ judicata fuerint, ita experientia tua ad effectum sine aliqua

EPIST. XV [*Al.* 62]. — [a] *Vapincensi*, de quo epist. 56, supra.

[b] Gregorium adierat Candidus, Gallicani patrimonii defensor, ut legere est in 54 libri hujus epistola. Ipsum Roma in Gallias redeuntem commendat Arigio hæc epist. 15, et Asclepiodoto in epist. præcedenti.

[c] Excusi, *fultus auxilio in ejus vos consolatione nos invenisse sentiat*. Ubi sane *vos* redundat, et turbat sensum; abest vero a Mss.

EPIST. XVI [*Al.* 10]. — [a] Ita intellige *quam decet Ecclesiæ filios* exhibere *impendatis*. Prius legebatur *quam decet Ecclesiæ filiis impendatis*. Verum hanc lectionem reprobant Mss.

EPIST. XVII. *Al.* 11.

EPIST. XVIII [*Al.* 12]. — [a] Qui in locum alterius succedit dictus vicarius. Aliquando *servus vicarius* is dicebatur, qui servo majori serviebat, aut ejus absentis vel occupati vicem implebat. Unde Martialis lib. II, epigr. 18:

difficultate perducat, ut prædictæ filiæ nostræ denuo non sit huc necessitas transmittendi.

## EPISTOLA XIX.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Donatum commendat.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Donatus lator præsentium, diversis se illic oppressionibus gravari commemorans, ecclesiastica se petiit tuitione fulciri. Quapropter hac tuæ experientiæ auctoritate mandamus ut eumdem Donatum, servata æquitate, defendas, et nullis eum gravaminibus vel damnis contra justitiam subdi permittas, quatenus te sibi opitulante, nulla ei sit huc remeandi necessitas.

## 1105 EPISTOLA XX.

AD SCHOLASTICUM DEFENSOREM.

*Calumnioso episcopo inopi, ultra datam condumam, vineolam locet. Eidem episcopium restituat, non ablatis inde quæ decessor episcopus pater suus acquisierit. Ipsi tandem legati partem tradat.*

Gregorius Scholastico defensori.

Ante aliquantum temporis experientiæ tuæ nos præcepisse recolimus ut quia reverendissimus frater et coepiscopus noster Calumniosus necessitatem [a] se de solatiis asseruit sustinere, unam illi de jure Ecclesiæ deputare [b] condumam debuisses. Sed quia conduma ipsa vineolam parvam juris ejusdem Ecclesiæ nostræ tenere dicitur, et ipsam sibi pariter vineolam petit debere locari, hac tibi auctoritate præcipimus ut ad tres [c] siliquas aureas factis libellis ei vineolam ipsam locare debeas; quatenus et ipse exinde aliquod remedium consequatur, et jus Ecclesiæ sine diminutione aliqua conservetur.

Præterea questus nobis est suprascriptus reverendissimus frater noster quod et episcopium Ecclesiæ ipsius hactenus detineas, et [d] occasione blandiaris, ut episcopi patris tui vestes tibi, vel alia quæ in episcopio inventa sunt applices. Et ideo si ita est, et ab episcopio te præcipimus sine mora recedere, et quidquid prædictus pater tuus episcopatus sui tempore de proprio Ecclesiæ constiterit conquisisse, ne tollas, quia et sacris canonum legibus esse noscitur definitum, ut in his quæ antistes episcopatus tempore acquisiverit, non alius, nisi sola succedat Ecclesia.

Asserit etiam Ferocinatum quemdam condito testamento hæredem nostram instituisse Ecclesiam, atque Ecclesiæ sancti Joannis, quæ ante portas Hortonensis civitatis sita est, [e] duos casales fundi campos per Ausinianum legati titulo reliquisse, et a nostra eos nunc Ecclesia detineri. Quos quia secundum voluntatem defuncti sibi petit debere contradi, experientia tua, lecta serie testamenti, si ita esse reperierit, nec est quod rationabiliter a parte nostræ opponi possit Ecclesiæ, prædictos casales tradere suprascripto fratri nostro non differat; quia dum talibus nos etiam de proprio convenit impartiri, ea quæ illis competunt, nullo modo a nostris irrationabiliter patimur detineri.

## EPISTOLA XXI.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Argentio, hospitali viro, terrulæ modiorum decem usum et fructus ad liberaliorem hospitalitatem concedat.*

Gregorius Romano defensori.

Quia præsentium portitorem Argentium colonum Ecclesiæ nostræ curam hospitalitatis habere cognovimus, necesse est ut in parte aliqua ejus studium adjuvemus. Idcirco hujus tibi præceptionis auctoritate mandamus ut terrulam **1106** modiorum plus minus, sicut asserit, decem, possessionis Disterianæ, quam tenuit, reddere ei sine mora aliqua vel excusatione festines, ut eam diebus vitæ suæ habeat, atque ex ipsa rationibus ecclesiasticis nihil impendat, sed in ea ille quam exhibet hospitalitate proficiat. Quia dignum est ut bono laudandoque operi concurrere ac ferre consultum modis omnibus debeamus.

## EPISTOLA XXII.

AD SPESINDEO SARDINIÆ PRÆSIDEM.

*Victori episcopo in Sardis convertendis ac baptizandis concurrat.*

Gregorius [a] Spesindeo præsidi Sardiniæ.

Particeps procul dubio mercedis existit, qui bonorum se operum exhibet adjutorem. Quia ergo multi de barbaris [b] et provincialibus Sardiniæ ad Christianam fidem dicuntur Deo propitio devotissime festinare, magnitudo vestra studium suum hac in causa decenter accommodet, et fratri coepiscopoque nostro Victori in convertendis baptizandisque eis studiose concurrat; quatenus dum de interitu multorum animæ per baptismatis gratiam vobis fuerint solatiantibus liberatæ, et apud homines laudem habere, et apud

Esse sat est servum, jam nolo vicarius esse.

Dicti etiam vicarii qui in aliorum vicem devovebantur, sive pro aliis servis in compensationem dati. GUSSANV.

EPIST. XIX. *Al.* 13.

EPIST. XX [*Al.* 14]. — [a] Rhem., *necessitatem se desolatum asseruit sustinere*. Consentit Vatic. D.

[b] Est massa seu prædium Ecclesiæ. In dote oratorii seu ecclesiæ monasterii ponitur *conduma*, infr., l. XII, epist. 11. Condumam Ecclesiæ Rhemensis, cui nomen erat Tudiniacus, memorat Hincmarus in Vita beati Remigii.

[c] Aurea siliqua pars erat 24 solidi. Solidus, ut ad epist. 55 lib. III advertimus, sexta pars unciæ. Grana igitur 4 habebat siliqua, et octo assibus, juxta monetæ nostræ æstimationem, æquivalebat. De libellis jam dictum in nota *r* ad epist. 44 libri primi.

[d] In Rhemensi et in Vatic. D, *et occasione Blandini quondam episcopi*. Infra non legitur *de proprio*, in laudatis Mss.

[e] Prædia sic dicta a casis seu tuguriis quæ inædificata erant. Anastasius in Adeodato : *Multa nova ædificia augmentavit, sed et casalia conquisivit.* Idem, in Adriano : *Et alios plures fundos seu casales et massas.* In Paschali : *Cum fundis et casalibus atque massis.* Casale, juxta Gussanvillæum, constabat ex pluribus casis, Gall., *un hameau, un village.* Guillelmus Tyrius, lib. XXII de Bello sacro, c. 20 : *Plurima loca suburbana, quæ vulgo casalia dicunt, supposilis ignibus et aliis quibus poterant nocendi artibus, dejeverunt.*

EPIST. XXII [*Al.* 17]. — In Colbert. vet. vocatur *Spes in Domino*. In Vatic. D legitur *Gregorius Spei in Domino*.

[b] In Editis desideratur *et*, quam particulam adjecimus, suadentibus Mss. Vatic., quinque Colbert., etc.

omnipotentem Dominum, quod summopere studendum est, magnam mercedem possitis acquirere; atque nos vobis gratias referentes, magnitudini vestræ possimus modis omnibus existere debitores.

## EPISTOLA XXIII.

AD VITALEM SARDINIÆ DEFENSOREM.

*Bonifacium in Barbaricinis mancipiis comparandis adjuvet.*

Gregorius Vitali defensori Sardiniæ.

Bonifacium præsentium portitorem, notarium scilicet nostrum, ad hoc nos experientia tua illuc transmisisse cognoscat, ut in utilitatem [a] parochiæ [b] Barbaricina debeat mancipia comparare. Et ideo experientia tua omnino ei studiose solliciteque concurrat, ut bono pretio, et talia debeat comparare quæ in ministerio parochiæ utilia valeant inveniri, atque emptis eis huc, Deo protegente, is ipse celerius possit remeare. Ita ergo te in hac re exhibere festina, ut te quasi servientium amatorem, quorum usibus emuntur, ostendas, et nobis te ipsi de tua valeant sollicitudine commendare.

## EPISTOLA XXIV.

AD JOANNEM TRIBUNUM SIPONTINUM.

*Hortatur ut cum Vitaliano episcopo de epistolæ hujus latoris libertate decernat.*

Gregorius Joanni tribuno Sipontino.

Lator præsentium de status sui conditione nobis sæpius conquestus est a Bonifacio nostro notario **1107** sibi violentiam irrogari. Cujus rei cognitionem in fratris et coepiscopi nostri Vitaliani notitiam prævidimus [a] perferendam. Cujus causæ meritum se examinasse professus est. Sed quia ad proferendum judicium se assurgere nullatenus dicit, hortamur magnitudinem vestram ut pro causa mercedis æternæ cum prædicto resideatis episcopo, et, rei meritum evidentius perscrutantes, quidquid vobis suadente justitia visum fuerit, scripto decernite; et si de ejus vobis certius libertate constiterit, nullis deinceps quorumlibet inquietudinibus ad rei decisæ meritum provocetur, sed in ea qua vobis visum fuerit libertate declaratus secure permaneat.

## EPISTOLA XXV.

AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Laudat quod virorum monasterium in domo ancillarum Dei monasterio cohærente construi noluerit. Monachos tamen aut in ipso monialium discedentium loco, aut in destituto quodam monasterio constitui jubet, ipsumque Januario commendat.*

Gregorius Januario episcopo Caralitano.

Gratam nobis fraternitatis vestræ sollicitudinem A fuisse cognoscite, quod pastorali se vigilantia pro tutamine animarum, ut oportebat, exhibuit. Nuntiatum siquidem nobis est quod in domo quondam Epiphanii, lectoris Ecclesiæ vestræ, idcirco secundum voluntatem ipsius monasterium construi vetuistis, ne pro eo quod [a] domus ipsa ancillarum Dei monasterio cohærebat, deceptio exinde contingeret animarum. Et valde laudavimus, quia antiqui hostis insidias provisione congrua, ut decuit, præcavistis. Sed quia perlatum ad nos est Pompeianam religiosam feminam velle de eodem monasterio ancillas Dei tollere, et per sua [b] unde tultæ fuerant monasteria revocare, atque illic congregationem constituere monachorum, necesse est ut si impletum hoc fuerit, defuncti dispositio modis omnibus conservetur (*Grat.* 13, *q.* 2, *c.* 4). B Si vero factum hoc non fuerit, ne testatoris voluntas in totum videatur esse frustrata, volumus ut quia monasterium Urbani quondam abbatis, positum foris extra civitatem Caralitanam, ita dicitur destitutum, ut ne unus quidem illic **1108** monachus remaneret, [c] Joannes, quem memoratus Epiphanius in monasterio, quod, sicut dictum est, in domo sua fiendum decreverat, abbatem esse constituit, si tamen nihil est quod eum impediat, abbas debeat ordinari. Atque reliquiæ quæ in domo antedicti Epiphanii condendæ fuerant ibi recondantur, et ei modis omnibus applicetur quidquid idem Epiphanius in monasterio quod deputaverat ædificari contulerat, quatenus et si de loco propter suprascriptam cautelam voluntas ejus non disponitur, merces nihilominus illibata servetur. C Et hæc quidem omnia fraternitas vestra una cum Vitali defensore disponat, et ita ea utiliter studeat ordinare, ut sicut de laudabili prohibitione, ita quoque de bona habere possit constructione mercedem. Ipsum vero monasterium licet fraternitati vestræ sit supervacuum commendari, hortamur tamen ex abundanti ut id salva justitia, sicut vos decet, habeatis commendatum.

## EPISTOLA XXVI.

AD JOANNEM SUBDIACONUM.

*Apud præfectum agat pro Joanne argentario.*

Gregorius Joanni subdiacono Ravennæ.

Qualiter Joannes argentarius indigentibus fidejussione fuit sæpe remedium, experientia tua bene novit. Unde contigit ut nunc importuno quondam palatino [a] fidejussor accedens, necessitatem non modicam patiatur, adeo ut in Ecclesia diu jam residens D vehementius affligatur. Sed quia quibusdam erat suspicio quod prædicto Importuno non simpliciter, sed

---

Epist. XXIII [*Al.* 18]. — [a] Corrupte in quibusdam Mss. Cod. et antiquis Editis *prothochii*, pro *ptochodochii*, rectius in aliis Manuscriptis *ptochii*. Nempe πτωχεία domus alendis pauperibus destinata, alias πτωχοδοχεῖον. Gussanv. In Vatic. A legitur *protochii*, pro *parochiæ;* quam vocem hic habet Victor. Infra autem habet *in ministerio ptochii;* nec facile est veram lectionem certo statuere, propter Mss. Codicum penuriam. In solo quippe Vatic. A, in Victorino et in Rhemig. epistolam hanc reperimus.

[b] De Barbaricinis jam ad ep. 23 lib. iv. Illos a Vandalis e Numidia Africæ provincia pulsos narrat Procopius de Bello Vandal., lib. ii. *Vandali,* inquit *in hos jamdudum barbaros iram exercentes, eos non admodum multos cum uxoribus in Sardiniam mittentes, hic* (circa Aspidis montem) *sunt dominati; procedente autem tempore montes occupavere qui prope Caralim sunt, ac primo quidem clanculum latrocinia in vicinos exercentes, postea vero non minus quam ad tria millia crevere, ex manifesto excursiones facientes minime latere curaverunt, ac omnem circa oram depopulati sunt. Quamobrem Barbaricini a vicinis appellati sunt.*

Epist. XXIV [*Al.* 19]. — [a] In Vatic. A, *perducendam.* Nullus alius e nostris Codd. hanc epistolam continet.

compendii causa fidejussor accesserit, ad sacratissimum corpus beati Petri apostolorum principis districta omnino sacramenta, quantum nobis renuntiatum est, præbuit, non solum nullum se ab eo commodum ex toto recepisse, verum etiam nec aliquid promissum habuisse, sed ei ut cæteris simpliciter accessisse. Et quia tam longo tempore innocentis hominis simplicitas non debet affligi, apud eminentissimum filium nostrum præfectum modis quibus valueris age, ut una ipsa [b] statio, quæ in Romana civitate remansit, ejus temporibus claudi non debeat, sed ei pro mercede sua in hac afflictione subveniat, **1109** atque eum directa jussione dignetur absolvere; et amplius illum in hac esse necessitate minime patiatur, quia quemadmodum simplex benignusque sit, vel diversis fuerit sæpe in tribulatione remedium, nec ipsi habetur incognitum. Et ideo ita, sicut diximus, cum omni dulcedine apud eum stude agere, ut in hujus absolutione multis possit ferre consultum, et hæc via remedii, sicut diximus, ejus temporibus non claudatur. [c] Data mense Novembri, indict. 4.

## EPISTOLA XXVII.

### AD JOANNEM RELIGIOSUM.

*Joannem mensis pauperum et exhibendæ diaconiæ præpositum rationibus homini reddendis immunem declarat; sed rationem Deo positurum hortatur, ut opus suum impleat solertius.*

Gregorius [a] Joanni religioso.

Licet eos qui pia intentione sollicitudinis curam debilibus ac egenis impendunt, sua apud omnes valeat tueri devotio, melius tamen est si pro quiete sua de his muniti fuerint quæ gesserint, ne inde eis inquietudinis occasio, unde magis laudandi sunt oriatur. Quia igitur te Joannem religiosum, intentionis tuæ studio provocati, mensis pauperum et

Epist. XXV [*Al.* 20]. — [a] Id jam supra notatum est lib. IV, epist. 42, per canones interdictum.

[b] Hoc est, *ablatæ*, ut etiam legitur in Norm.; nostra autem lectio est Vaticanorum quinque, Colbert. et plur. Editor.

[c] In recent.: *Joannem..... abbatem esse constituas, si tamen nihil est quod eum impediat ut abbas debeat ordinari.*

Epist. XXVI [*Al.* 23]. — [a] Qui nullo lucri intuitu fidejubet est simpliciter fidejussor; qui lucri causa, sive compendii, est fidejussor secundum quid, cum suis velit commodis studere, atque adeo rem agat suam; vocant vulgo *correum*. Gussanv.

[b] Tabernam intelligo. Sic Ulpianus, in Digestis, lib. XLVII, tit. de injuriis, lege 15, § 7. *Proinde si quis ad domum tuam venerit*, etc. *Item si ad stationem vel tabernam ventum sit.* Dicuntur etiam tabellionum stationes; uno verbo vox hæc per materiam subjectam explicanda est, tam multiplicis est significatus. Hic de *argentario* sermo est, quem alio nomine *nummularium* aut *mensarium* dicimus, sive rei nummariæ negotiatorem, Gall., *un banquier*, qui æs circumforaneum locat. Prostabant autem in foro eorum tabernæ, ubi argentariam exercebant, suas, aut etiam aliorum pecunias collocaturi. Vide Alciatum, lib. IV Disputationum, cap. 22. Argentariorum vel mensariorum tabernas honestiore nomine dicebantur *stationes*, ut supra apud Gregorium. Gussanv.

[c] Ita legitur in tribus Vatic. In Colbert. vet., *mense Decembri*.

Epist. XXVII [*Al.* 24]. — [a] In Anglic., Norm. et Corb., *Joanni subdiacono Ravennæ*. Legitur *religioso* in Vatic., duobus Teller., Colbert., Rhem., etc. Confirmari potest hæc lectio ex consequentibus: *Quia igitur te Joannem religiosum*, etc. Sic enim legendum ex omnibus Norm., Corb., Rhem., Vatic. quatuor; non *quia igitur te Joannem, religioso*, etc., ut exstat in Edit.

[b] Variæ sunt hujus vocis acceptiones; vel enim sumitur pro loco ubi eleemosyna pauperibus erogatur, ut epist. 20 lib. VIII, nunc lib. X epist. 21; vel pro eleemosyna ipsa et omni re quæ pauperibus ministratur, ut hic; vel pro collecta quæ fit pauperum causa, ut apud Cassianum, collat. 18, c. 7. Gussanv.

[c] Munitio hoc loco est charta, diploma, chirographum; sic dictum quod is cui conceditur, inde munitur et securus fit. Vide lib. XIV, epist. 3.

[d] Multa hoc loco mutavimus in verbis tantum, suadentibus plerisque Mss.

[e] Hic editores legerunt *intus* pro *jutus*, reluctantibus Mss., Reg., Vatic., etc.

[f] In recent., *mense Januario*. Sequimur mss. Vaticanos.

Epist. XXVIII [*Al.* 58]. — [a] Hymnum angelicum in gratiarum actionibus olim adhiberi solitum jam monuimus lib. V, epist. 39, nota *a*.

[b] Ita Corb. et Norm. In nonnullis legitur: *Mortuum cadens in terram multum fructum attulit, ne solum.*

[c] Jam antea ab ipsis pene religionis incunabulis fides Christiana Britanniam pervaserat, ut recte annotat Alteserra in hunc locum, prolatis testimoniis Tertulliani, Arnobii, Clementis Alexand. et Hieronymi (quibus adde Origenem, hom. 6 in Lucam.)

## EPISTOLA XXVIII.

### AD AUGUSTINUM ANGLORUM EPISCOPUM.

*De Anglis conversis lætari Romanos omnes. Lætandum et Augustino de dono Dei; sed cavendam ex operatione virtutum cordis elationem. Miracula, tum a Moyse nondum culpa soluto, tum a reprobis ipsis edita. In his non suam, sed Dei gloriam quærat et animarum salutem. De uno in nobis signo gaudendum, scilicet dilectione.*

Gregorius Augustino episcopo Anglorum.

[a] *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14; *Joan.* XII), quia granum frumenti **1110** [b] mortuum est cadens in terram, ne solum regnaret in cœlo, cujus morte vivimus, cujus infirmitate roboramur, cujus passione a passione eripimur, cujus amore [c] in Britannia fratres quærimus

A

B

C

D

quos ignorabamus, cujus munere quos nescientes quærebamus, invenimus. Quis autem narrare sufficiat quanta hic lætitia in omnium corde fidelium fuerit exorta, quod gens Anglorum, operante omnipotentis Dei gratia, et tua fraternitate laborante, expulsis errorum tenebris, sanctæ fidei luce perfusa est; [d] quod mente integerrima jam calcat idola, quibus prius vesano timore subjacebat; quod omnipotenti Deo puro corde substernitur; quod a pravi operis lapsibus sanctæ prædicationis regulis ligatur; quod præceptis divinis animo subjacet, et intellectu sublevatur; quod usque ad terram se in oratione humiliat, ne mente jaceat in terra. Cujus hoc opus est, nisi ejus qui ait: *Pater meus usque modo operatur, et ego operor* (*Joan.* v, 17)? Qui ut mundum ostenderet non sapientia hominum sed sua se virtute convertere, prædicatores suos quos in mundum misit, sine litteris elegit; hoc etiam modo faciens, quia in Anglorum gente fortia dignatus est per infirmos operari. Sed est in isto dono cœlesti, frater charissime, quod cum magno gaudio vehementissime debeat formidari. Scio enim quod omnipotens Deus per dilectionem tuam in gente quam eligi voluit magna miracula ostendit. Unde necesse est ut de eodem dono cœlesti et timendo gaudeas, et gaudendo pertimescas. Gaudeas videlicet, quia Anglorum animæ per exteriora miracula ad interiorem gratiam pertrahuntur (*Beda, lib.* I *Histor. Angl. c.* 31); pertimescas vero ne inter signa quæ fiunt infirmus animus in sui præsumptionem se elevet, et unde foris in honore attollitur, inde per inanem gloriam intus cadat. Meminisse etenim debemus quod discipuli cum gaudio a prædicatione redeuntes, dum cœlesti magistro dicerent: *Domine, in nomine tuo etiam dæmonia nobis subjecta sunt* (*Luc.* x, 17), protinus audierunt: *Nolite gaudere super hoc, sed potius gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo* (*Ibid.*, 20). In privata enim et temporali lætitia mentem posuerant, qui de miraculis gaudebant. Sed de privata ad communem, de temporali ad æternam lætitiam revocantur, quibus dicitur: *In hoc gaudete quia nomina vestra scripta sunt in cœlo.* Non enim omnes electi miracula faciunt; sed tamen eorum omnium nomina in cœlo tenentur ascripta. Veritatis enim discipulis esse gaudium non debet, nisi de eo bono quod commune cum omnibus habent, et in quo finem lætitiæ non habent.

Restat itaque, frater charissime, ut inter ea quæ operante Deo exterius facis, semper te interius subtiliter judices, ac subtiliter intelligas et temet-ipsum qui sis, et quanta sit in eadem gente gratia, pro cujus conversione etiam faciendorum signorum dona percepisti. Et si quando te Creatori nostro seu per linguam, sive per opera reminisceris deliquisse, semper hæc ad memoriam revoces, ut surgentem cordis gloriam memoria reatus premat. Et quidquid de faciendis signis acceperis vel accepisti, IIII hæc non tibi, sed illis deputes donata pro quorum tibi salute collata sunt.

Occurrit autem menti ista cogitanti quid de uno Dei famulo actum sit, etiam egregie electo. Certe Moyses dum Dei populum ex Ægypto educeret, mira, sicut tua fraternitas novit, signa in Ægypto operatus est. In Sina monte quadraginta diebus et noctibus jejunans, legis tabulas accepit, inter coruscos et tonitruos, pertimescente omni populo, omnipotentis Dei servitio solus familiari etiam collocutione conjunctus est (*Exod.* XIX, XXXI); Rubrum mare aperuit; in itinere ducem habuit nubis columnam; esurienti populo [e] manna de cœlo deposuit; carnes desiderantibus usque ad satietatem nimiam in eremo per miraculum ministravit (*Exod.* XIII, XIV, XVI). Sed cum jam sitis tempore ad petram ventum fuisset, diffisus est, seque de eadem aquam educere posse dubitavit, [f] quam jubente Domino largis utique fluentis aperuit. Quanta autem post hæc per triginta [g] et octo annos in deserto miracula fecerit, quis enumerare, quis investigare valeat (*Exod.* XVII; *Num.* XX)? Quoties res dubia animum pulsasset, recurrens ad tabernaculum, secreto Dominum requirebat, atque de ea protinus, Deo loquente, docebatur (*Exod.* XXXIII, *seq.*). Iratum populo Dominum placabat suæ precis interventione; surgentes in superbia atque in discordia dissidentes dehiscentis terræ hiatibus absorbebat, victoriis premebat hostes, signa monstrabat civibus (*Num.* XXVI). Sed cum jam ad repromissionis terram ventum fuisset, vocatus in montem est; et quam culpam ante annos triginta et octo, ut dixi, fecerat, audivit quia de educenda aqua dubitavit. Et propter hoc quia terram repromissionis intrare non posset, agnovit (*Num.* XXVII). Qua in re considerandum nobis est quam timendum sit omnipotentis Dei judicium, qui per illum famulum suum tot signa faciebat cujus culpam tam longo tempore adhuc servabat in cogitatione.

Igitur, frater charissime, si et illum agnoscimus post signa pro culpa mortuum, quem ab omnipotente Deo novimus præcipue electum, quanto nos debemus metu contremiscere, [h] qui necdum adhuc novimus si electi sumus?

Verum vel prope defecerat tempore sancti Gregorii, unde et Anglorum apostolus a quibusdam est appellatus; vel Angli et Saxones, qui partem insulæ maximam occupaverant, idololatræ erant more parentum suorum Germanorum, quorum conversioni Gregorius papa totus per suos incubuit. *Partim ex* GUSSANV.

[d] Excusi, *quod mente et devotione integerrima.*

[e] Modus est loquendi Gregorio familiaris lib. II Dial., c. 35, *quatenus unum idemque esset momentum, et levare caput, et pluviam deponere.*

[f] Ita melius Mss. Norm., Corb., etc., quam Excusi, ubi legitur, *quam jub. Dom. percussit atque aquas effluentes aperuit.*

[g] Videtur sanctus Gregorius non animadvertisse aliam historiam recitari Exod. XVII, aliam Numer. XX, quando Moyses dubitavit. Hanc exponit Augustinus in Psal. CV, et lib. XVI contra Faustum Manich c. 16, 17. Theodoret. quæst. 38, in lib. Numer. Aliam autem quæst. 27 et 28 in Exodum. Utramque confundit Procopius; distinguunt alii omnes.

[h] Hæc adversus vanam Calvinistarum fiduciam. Vide lib. XX Moral., num. 8 et seq.

De reproborum vero miraculis quid dicere debeo, cum tua bene fraternitas noverit quid in Evangelio Veritas dicit : *Multi venient in illa die dicentes mihi : Domine, in nomine tuo prophetavimus, et in nomine tuo dæmonia ejecimus, et in tuo nomine virtutes multas* **1112** *fecimus. Sed dicam illis quia nescio qui estis. Recedite a me, omnes operarii iniquitatis,* (*Matth.* VII, 22 ; *Luc.* XIII, 27). Valde ergo premendus est animus inter signa et miracula, ne fortassis in his propriam gloriam quærat, et privato suæ exaltationis gaudio exsultet. Per signa enim animarum lucra quærenda sunt, et illius gloria, cujus virtute ipsa eadem signa geruntur. Unum vero Dominus nobis signum dedit, de quo et vehementer gaudere, et electionis gloriam in nobis possumus agnoscere, dicens : *In hoc scietur quia mei discipuli estis, si dilectionem habueritis ad invicem* (*Joan.* XIII, 53). Quod signum propheta requirebat, cum diceret : *Fac mecum, Domine, signum in bonum, ut videant qui oderunt me, et confundantur* (*Psal.* LXXXV, 17).

Hæc autem dico, quia auditoris mei animum in humilitate sternere cupio. Sed ipsa tua humilitas habeat fiduciam suam. Nam peccator ego spem certissimam teneo, quia per omnipotentis Creatoris ac Redemptoris nostri Dei et Domini Jesu Christi gratiam jam peccata tua dimissa sunt, et idcirco electus es, ut per te dimittantur aliena. Nec habebis luctum de quolibet reatu in posterum, qui de multorum conversione gaudium conaris facere in cœlo. Idem vero Conditor et Redemptor noster, cum de pœnitentia hominis loqueretur, ait : *Ita dico vobis, majus gaudium erit in cœlo super uno peccatore pœnitentiam agente quam super nonaginta novem justis quibus non opus est pœnitentia* (*Luc.* XV, 7). Et si de uno pœnitente grande sit gaudium in cœlo, quale gaudium factum credimus de tanto populo a suo errore converso, qui, ad fidem veniens, mala quæ egit pœnitendo damnavit? In hoc itaque cœli et angelorum gaudio repetamus ipsas quas prædiximus voces angelorum : Dicamus igitur, dicamus omnes : *Gloria in excelsis Deo, et in terra pax hominibus bonæ voluntatis* (*Luc.* II, 14) [i]. (*Cf. Joan. Diac. l.* II, *c.* 40.)

## EPISTOLA XXIX.

### AD BERTHAM ANGLORUM REGINAM.

*De Anglorum conversione gratulatur. Ne regis animum ad perfectam Christianæ fidei dilectionem succendere diutius negligat, hortatur impense.*

Gregorius [a] Berthæ reginæ Anglorum.

Qui post terrenam potestatem regni cœlestis gloriam cupit acquirere, ad faciendum lucrum **1113** Creatori suo debet enixius laborare, ut ad ea quæ desiderat operationis suæ gradibus possit ascendere, sicut vos fecisse gaudemus. Remeantes igitur dilectissimus filius noster Laurentius presbyter et Petrus monachus, qualis erga reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum gloria vestra exstiterit, quantaque illi solatia vel qualem charitatem impenderit, retulerunt. Et omnipotentem Deum benediximus, qui conversionem gentis Anglorum mercedi vestræ dignatus est propitius reservare. Nam sicut per recordandæ memoriæ Helenam, matrem piissimi Constantini imperatoris, ad Christianam fidem corda Romanorum accendit, ita et per gloriæ vestræ studium in Anglorum gente ejus misericordiam confidimus operari. Et quidem jamdudum gloriosi filii nostri conjugis vestri animos prudentiæ vestræ bono, sicut revera Christianæ, debuistis inflectere, ut pro regni et animæ suæ salute fidem quam colitis sequeretur, quatenus et de eo et per eum de totius gentis conversione digna vobis in cœlestibus gaudiis retributio nasceretur. Nam postquam, sicut diximus, et recta fide gloria vestra [b] munita et litteris docta est, hoc vobis nec tardum nec debuit esse difficile. Et quoniam, Deo volente, aptum nunc tempus est, agite ut, divina gratia cooperante, cum augmento possitis quod neglectum est reparare.

Itaque mentem gloriosi conjugis vestri in dilectione Christianæ fidei adhortatione assidua roborate, vestra illi sollicitudo augmentum in Deum amoris infundat, atque ita animos ejus, etiam pro subjectæ sibi gentis plenissima conversione succendat, ut et magnum omnipotenti Domino [c] de devotionis vestræ studio sacrificium offerat, et ea quæ de vobis narrata sunt et crescant et vera esse modis omnibus approbentur ; quia bona vestra non solum jam apud Romanos, qui pro vita vestra fortius oraverunt, sed etiam per diversa loca, et usque Constantinopolim ad serenissimum principem pervenerunt. Unde sicut nobis de Christianitatis vestræ solatiis lætitia facta est, ita quoque de perfecta operatione vestra angelis fiat gaudium in cœlis. Sic vos in adjutorio supradicti reverendissimi fratris et coepiscopi nostri, et servorum Dei quos illuc misimus, in conversione gentis vestræ devote ac totis viribus exhibete, ut et hic feliciter cum glorioso filio nostro conjuge vestro regnetis, et post longa annorum tempora futuræ quoque vitæ gaudia, quæ finem habere nesciunt, capiatis. Oramus autem omnipotentem Deum, ut gloriæ vestræ cor et ad operanda quæ diximus, gratiæ suæ igne succendat, et æternæ mercedis fructum vobis de placita sibi operatione concedat.

Erat autem Bertha Ethelberti Cantiorum in Britannia regis uxor, Chariberti Francorum regis filia, Clotarii primi neptis, Clodovæi Magni proneptis, quæ cum esset Christiana, plurimum in conversione mariti sui laboravit. Lege virum clarissimum Adrianum Valesium, in lib. IX Rerum Francicarum. *Partim ex* GUSSANV.

[i] In Collectione Pauli Diaconi et in Remig. additur : *Data die Kalend. Januar.*, dissimulata indictione.

EPIST. XXIX [*Al.* 59]. — [a] Ita Mss. Anglic., Norm., Corb., Reg., quatuor Vatic., tres Colbert. In uno Colbert. legitur *Adilbergæ*, consentiuntque Excusi. Unde nomen hoc formatum sit ostendimus in Vita sancti Gregorii. Legendum *Berthæ*, ex Beda, lib. I Hist. Eccles. Angl. gentis, c. 25, aliisque historicis.

[b] In Reg. legitur *monita*.

[c] Excusi, repugnantibus Mss. Vatic., Norm., etc., *de devotionis suæ*, scilicet regis Anglorum.

## 1114 EPISTOLA XXX.

AD VENANTIUM EXMONACHUM PATRICIUM SYRACUSANUM.

*Tum suæ, tum illius podagræ occasione docet vitæ hujus pœnas esse Dei verbera peccatores ex misericordia corrigentis. In illis proinde revocanda in memoriam delicta, agendas Deo gratias, prævertendum pœnitentia Dei judicium.*

Gregorius [a] Venantio exmonacho patricio Syracusano.

Debitum salutationis alloquium solvens, ea volui loqui quæ patior. Sed incongruum puto narrare quæ nostis. Podagræ enim doloribus torqueor, qui et mihi et vobis [b] non dispariliter nocivi, dum apud nos vehementer excrescunt, nos decrescere a vita fecerunt. Inter quos quid aliud debemus nisi semper [c] delicta nostra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere? Quoniam qui ex carnis blandimento multa peccavimus, ex carnis afflictione purgamur. Sciendum quoque est nobis quia pœna præsens, si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis; si autem ad timorem Domini minime convertit, initium est pœnæ sequentis. Curandum igitur nobis est, et summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum, ne de tormento ad tormenta transeamus. Considerandum quoque est quanta erga nos dispensatione pietatis agat conditor noster, quod morte dignos assidue percutit, et tamen adhuc minime occidit. Minatur enim quod facturus est, nec tamen facit, ut dolores nos præcurrentes terreant, et conversos ad timorem districti judicis ab ejus nos animadversione [d] in vitæ termino abscondant. Quis enim dicat, quis enumeret quanti in sua luxuria dimissi, in blasphemiis quoque et superbia proruentes, in rapinis et iniquitatibus permanentes usque ad diem obitus sui, ita in hoc sæculo vixerunt, ut nunquam dolorem vel capitis paterentur, sed et subito percussi ignibus inferni sunt traditi? Nos ergo habemus indicium, quia derelicti non sumus, qui assidue flagellamur, teste Scriptura, quæ dicit: *Quem diligit Dominus castigat, flagellat autem omnem filium quem recipit* (*Heb.* XII, 6). In ipsis itaque verberibus Dei revocemus ad memoriam et ejus munera, et nostri reatus damna. Pensemus quanta bona super nostram malitiam fecerit Dominus, et quanta mala sub ejus bonitate commisimus. Impleamus quod per prophetam Dominus dicit: *Reduc me in memoriam, ut judicemur simul* (*Isai.* XLIII, 26). Judicemur modo in nostra cogitatione cum Deo, ne districte postmodum judicemur a Deo. Quid etenim Paulus dicit? *Si nosmetipsos judicaremus, non utique a Domino judicaremur* (*I Cor.* XI, 31). Quisquis ergo festinat evadere districtionem **1115** sententiæ judicii sequentis, per amaritudinem pœnitentiæ omnem sibi [e] dulcedinem interimat vitæ præsentis. Quæcunque autem [f] hujusmodi bona sunt, cujus dona sunt, nisi conditoris? Sed [g] libere nobis non debet donum Dei, quod per delectationem sui separat ab amore Dei, ne data danti præferamus, et dum bona percipimus, etiam mali, unde crescere in ejus timore debuimus, inde a timore illius disjungamur. Creator autem omnium, id est omnipotens Deus, hæc quæ vobis in epistolis loquimur menti vestræ aspiratione sui Spiritus infundat, vosque ab omnibus culpæ inquinationibus tergat, et hic vobis consolationis suæ gaudium et apud se quandoque præmia æterna concedat. Dulcissimas filias meas domnam Barbaram et domnam Antoninam mea peto vice salutari [h].

## EPISTOLA XXXI.

AD PASCHASIUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Venantio sancti Severini reliquias ad oratorii consecrationem concedat.*

Gregorius Paschasio episcopo Neapolitano.

Joannes, servus et actor domni Venantii, sanctuaria beati Severini confessoris, oblata petitione, suprascripto [a] domino suo postulat debere concedi, quatenus in ejus nomine oratorium propriis constructum sumptibus possit solemniter consecrari; et ideo, frater charissime, præfati desideriis ex nostra te præceptione convenit obedire, ut devotionis suæ in consecratione quam postulat potiatur effectu [b]. Datum mense Februarii, indict. 4.

## EPISTOLA XXXII.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Concessas Candido abbati reliquias. Se tot ac tantis ægritudinibus affectum, ut vivere pœna sit. Preces apud Deum petit, ut flagella mitiget, et patientiam concedat.*

Gregorius [a] Mariniano Ravennæ.

Latore huc præsentium Candido abbate pro petendis reliquiis, quæ et concessæ sunt, veniente, quanto de fraternitatis tuæ nutrimento lætatus sum, quod in eo studium tuæ fraternitatis apparuit, tanto contristatus sum quod ejus, ut volui, præsentia frui non potui, quod me et ægrotum reperit, et discedens

EPIST. XXX [*Al.* 25]. — [a] In hac inscriptione secuti sumus Mss. Norm., Anglic., Corb. et plerosque a Gussanvillæo enumeratos. In Regio et in tribus Vatic. tantum habes, *Venantio Syracusano*. Consentit vet. Colbert. In Excusis vitiose legitur *episcopo Syracusano*, si novissimam Gussanvillæi Edit. excipias. Venantius ex superioribus epistolis, maxime ex 34 lib. I, satis notus.

[b] Mendose in Edit. Gussanvillæi *non dispariliter noti*.

[c] Omittitur *delicta nostra*, in Norm. et Corb.

[d] In Excusis, *in æternum*. Quatuor Vaticani, *in termino abscondant*.

[e] Vulgati recent., *dulcedinem intermittat*. Adhæremus quatuor Vatic., totidem Colbert., omnibus Norm., Corb., Regio, etc.

[f] Editi, *hujus mundi*.

[g] Ita Mss. omnes. Recent. mutarunt *libere* in *haberi*. Infra legerunt *mala* pro *mali*, et *idem* pro *id est*.

[h] In quatuor Vatic. et in duobus Colb. legitur *mense Januario, indict. 4*.

EPIST. XXXI [*Al.* 26]. — [a] Colbert., Reg. et duo Vatic., *domno suo postulante*.

[b] Hæc nullis in Mss. reperimus, præterquam in Reg.

EPIST. XXXII [*Al.* 27]. — [a] In Vatic. B et E, *Mariniano episcopo Arabiæ*. In Excusis, *Maximiano episcopo Arabiæ*. Emendavimus vitiosas illas inscriptiones, ex omnibus Anglic., Norm., quatuor Colbert., duobus Teller., Corb., Rhem., Reg. et Vatic. D.

in infirmitate adhuc positum dereliquit. Multum enim jam tempus est quod surgere de lectulo non valeo. Nam modo **1116** me podagræ dolor cruciat, modo nescio quis in toto corpore cum dolore se ignis expandit; et fit plerumque ut uno in me tempore ardor cum dolore confligat, et corpus in me animusque deficiat. Quantis autem aliis necessitatibus extra hæc quæ retuli infirmitatis afficiar, enumerare non valeo. Sed breviter dico quia sic me infectio noxii humoris imbibit, ut vivere mihi pœna sit, et mortem desideranter exspectem, quam gemitibus meis solam esse credo posse remedium. Proinde, frater sanctissime, divinæ pro me pietatis misericordiam deprecare, ut percussionis suæ erga me flagella propitius mitiget, et patientiam tolerandi concedat, ne nimio, quod absit, tædio in impatientiam cor erumpat, et ea quæ bene curari per plagam poterat culpa, crescat ex murmure [b]. Datum mense Februarii, indict. 4. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 67.)

## EPISTOLA XXXIII.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Hortatur ut disposita Ecclesia Romam contendat, ubi quietus, Gregorio ipso curante, a vomitu sanguinis sanari possit. Interim abstineat a jejuniis, vigiliis et concionibus.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

[a] Veniente quodam Ravennate homine, gravissimo mœrore percussus sum, quia fraternitatem tuam de vomitu sanguinis retulit ægrotare. Ex qua re sollicite et singillatim eos quos hic doctos lectione novimus, medicos fecimus inquiri, et quid singuli senserint, quidve dictaverint sanctitati vestræ scriptum transmisimus. Qui tamen quietem et silentium præ omnibus dictant, quam si tua fraternitas in sua Ecclesia possit habere, valde sum dubius. Et ideo videtur mihi ut ordinata illic Ecclesia, vel qui missarum solemnia explere valeant, vel qui [b] episcopii curam gerere, [c] hospitalitatemque et susceptiones possint exhibere, quive monasteriis custodiendis [d] præesse, tua fraternitas ad me ante æstivum tempus debeat venire, ut ægritudinis tuæ ego specialiter, in quantum valeo, curam geram, quietem tuam custodiam, quia huic ægritudini æstivum tempus medici vehementer dicunt periculosum. Et valde pertimesco ne si curas aliquas cum adversitate temporis habueris, amplius ex eadem molestia pericliteris. Ego etiam ipse valde sum debilis, et omnino est utile ut cum Dei gratia sanus ad tuam redeas Ecclesiam; aut certe si vocandus es, inter tuorum manus voceris; et ego qui me proximum morti video, si me omnipotens Deus ante te vocare voluerit, inter tuas manus transire debeam. **1117** Si autem qualitas temporis ad veniendum præpedierit, aliquo [e] parvo exenio dato, apud agonem agi potest ut ipse vobiscum hominem suum usque Romam transmittat. Si igitur eadem ægritudine gravari te sentis, et venire disponis, cum paucis tibi veniendum est, quia mecum in episcopio manens, quotidiana obsequia de hac Ecclesia habebis.

Præterea nec hortor nec admoneo, sed districte præcipio ut jejunare minime præsumas, quia dicunt medici huic molestiæ valde esse contrarium, nisi forte si grandis solemnitas exigit, quinque in anno vicibus concedo. A vigiliis quoque temperandum est, et [f] preces quæ super cereum in Ravennati civitate dici solent, vel expositiones Evangelii, quæ circa Paschalem solemnitatem a sacerdotibus fiunt, per alium dicantur. Et tua dilectio contra virtutem, laborem sibi minime imponat. Hæc autem dixi, ut [g] si te melius senseris, et venire distuleris, scias quid debeas ex meo mandato custodire. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 53.)

## EPISTOLA XXXIV.

AD PASCHASIUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Quam illius decessor ex pecuniis Ecclesiæ detinuerat cleri vel pauperum portionem, ipse juxta præscriptum in hac epistola modum distribuat.*

Gregorius Paschasio episcopo Neapolis.

Tempore quo fraternitas tua ad episcopatus officium Deo auctore provecta est, constituisse nos recolit ut ex pecuniis Ecclesiæ vestræ portio cleri vel pauperum, quam minime decessor vester præbuerat, id est quadringenti solidi seorsum fieri debuissent, qui ejusdem cleri atque pauperum erogationi proficerent : quod quia diutius non est differendum, volumus ut secundum distributionem præsentibus scriptis insertam, coram Anthemio subdiacono nostro, sine difficultate aliqua, fraternitas vestra debeat erogare. Præbendi itaque sunt clericis vestris per singulos, sicut prospexeritis, simul omni summa solidi centum; [a] præjacentibus, quos centum viginti sex esse cognovimus, dandi sunt solidi sexaginta tres, id est

[b] Abest a plerisque Mss. Legitur in Vatic. A, B, E, et in duobus Colbert.

EPIST. XXXIII [*Al.* 28]. — [a] In Vatic. A et F, *venientes quidam Ravennates homines, gravissimo me mœrore invenerunt percussum.* Confer hanc epist. cum quadragesima.

[b] In Norm., Colbert., Reg. et Corb., *episcopi curam* (hoc est episcopale officium) *gerere.*

[c] Ejus maxime cura episcopis incumbit. Sanctus Hieronymus in c. 1 Epist. ad Tit., in illud, *sed hospitalem. Ante omnia hospitalitas futuro episcopo denuntiatur. Si enim omnes illud de Evangelio audire desiderant : Hospes fui, et suscepistis me, quanto magis episcopus, cujus domus omnium commune debet esse hospitium? Laicus enim unum aut duos aut paucos recipiens implebit hospitalitatis officium; episcopus nisi omnes receperit, inhumanus est.* GUSSANV.

[d] Recentiores, *præesse norint;* quod ultimum verbum addiderunt de suo, non ex Mss.

[e] Ita omnes Mss. Vatic., Anglic., Norm., Reg., Corb., duo Colbert., etc., ubi in Editis legitur *parvo remedio.* In Remig., *parvo xenio.*

[f] Preces illas ad paschalem cereum benedicendum fuisse Ravennatis Ecclesiæ peculiares innuit Gregorius. Attamen in pluribus aliis Ecclesiis, jam tunc certis precibus benedictum fuisse cereum illum, probat Menardus, tum ex conc. Tolet. IV, tum ex Ennodio Ticinensi. Consule notam 300 in lib. Sacramentorum, col. 343 et seq. In Vatic. D et in Rhem. legitur, *quæ super cereum in Ravenna per canticum dici solent.*

[g] In Vatic. D et laudato Rhem., *si tu melius senseris.*

EPIST. XXXIV [*Al.* 29]. — [a] Id est, qui tempore

medium solidi per singulos; presbyteris ac diaconis et clericis peregrinis solidi quinquaginta; hominibus honestis ac egenis, quos publice petere verecundia non permittit, solidi centum quinquaginta; ita ut quidam corum ad singulos tremisses, [b] quidam ad singulos solidos, vel si visum fuerit amplius dimittantur. Reliquis vero pauperibus qui eleemosynam publice petere consueverunt, solidos triginta sex. Ecce nos quantum vel quibus dari debeat distribuimus. Sed **1118** quia, sicut prævidimus, non omnibus æqualiter est præbendum, necesse est ut una cum prædicto subdiacono, prout prævideritis, dare singulis debeatis, atque id modis omnibus studeatis, quatenus hoc quod alter injuste detinuit vos devote ac celerius impendendo ad vestram possitis applicare mercedem.

## EPISTOLA XXXV.

AD BARBARAM ET ANTONINAM.

*De imminente patris morte vehementer afflictas consolatur.*

Gregorius Barbaræ et [a] Antoninæ.

Susceptis gloriæ vestræ epistolis, quæ pro verbis [b] lacrymis loquebantur, non minor [c] nos, dilectissimæ filiæ nostræ, quam vos de patris ægritudine mœror afficit. Nec enim extraneam possumus reputare tristitiam, quippe quæ nobis charitatis lege fit propria. Sed quia in nulla desperatione de Redemptoris nostri est misericordia diffidendum, animos vestros ad consolationem patris erigite, spem vestram in omnipotentis Dei manu ponite; et in ipsius protectione confidimus quia et ab omni vos adversitate custodit, atque tribulationem vestram exhilarat, et secundum paterna desideria propitius vos ordinari concedit. Si vero debitum humanæ sortis impleverit, nec tunc desperatio aliqua vos comprimat, vel quorumdam vobis verba terrorem incutiant. Nam post Deum, qui orphanorum gubernator ac protector est, sic de dulcissima gloria vestra erimus solliciti, atque utilitati vestræ providere ut possumus adjuvante Domino festinabimus, ut nec vos injustorum hominum concussio ulla perturbet, et nos debitum quod

prædecessoris in ministerio Ecclesiæ fuerant quibusque sua nondum stipendia persoluta fuerant. Hoc constat ex impensa summæ co solidorum, quam fieri vult Gregorius, quamque in portiones quinque distribui observo : 1. assignat centum solidos clericis pro tempore in Ecclesia ministrantibus; 2. sexaginta tres iis qui ante Paschasii ordinationem ministraverant, id est, *præjacentibus* : 3. clericis peregrinis quinquaginta; 4. centum quinquaginta pauperibus honestis; 5. triginta sex mendicantibus. Hæc manifestiora sunt quam ut probatione indigeant. Notare lubet Gregorium pauperibus honestis et verecundis ampliores quam mendicantibus partes distribui velle, nempe quadruplo majores, quod pauci attendunt. Idem respectu clericorum peregrinorum factum adverte. Porro clericos, quos sanctus Gregorius vocat præjacentes, Gregorius Turon. appellat scholam decessoris, lib. x, c. 26. Nota etiam discrimen inter clericos proprios et peregrinos. GUSSANV.

[b] Additur in Vulgatis, *quidam ad binos, quidam*, etc.

EPIST. XXXV [*Al.* 31]. — [a] Ex Colbert. alii habent *Antoniæ*, alii *Antoninæ*, ut legitur in Vatic., Norm., Anglic., etc. Venantii patricii natæ erant Barbara et Antonina. Vide, supra, epist 30.

[b] Vulgati, *lacrymas loquebantur*.

[c] Ibid., *nos de dilectissimi filii nostri, quam*. Vatic. omnes, Norm. et alii Mss., lectionem hanc reprobant.

EPIST. XXXVI [*Al.* 31]. — [a] Vatic. D, *quæ mihi dulcissimi..... ægritudinem loquebantur*. Infra, Norm. habent *desperare*, pro *desperate*.

[b] Excusi, *quam decet*.

[c] Scilicet ad monasticum statum, quo abdicato uxorem duxerat.

[d] Alit., *quam sit contrarium*. De aliis leviusculis sive jam mutatis, sive infra mutandis non est operæ pretium admonere.

[e] Nota veterem morem bona debitorum fisci, signo principis apposito, eidem custodienda vindicare, cujus Ambrosium meminisse, epist. 33, censet Alteserra. In eamdem rem laudat ibidem multas leges Codicis. Supponit videlicet Venantium, qui publico aliquo officio functus fuerat, reddendis fisco rationibus obnoxium fuisse. Aliam vero causam cur sigillo principis munirentur Venantii bona, ipse Venantius suppeditarat, eadem imperatori commendando.

## EPISTOLA XXXVI.

AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Suum de Venantii desperato morbo dolorem testatur. Agendum in primis ut ad monasticum habitum vel in extremis redeat. Se, quod imperatori ipsi filias suas jam commendet Venantius, plurimum impediri. Illas quoad ejus facere poterit tueatur Joannes. Huic Romam congruo tempore venire amice permittit.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Fraternitatis vestræ scripta suscepi, [a] quæ mihi de dulcissimi filii mei domni Venantii ægritudine loquebantur, et cuncta circa eum qualiter acta sunt **1119** enarrabant. Sed uno tempore auditis et illum desperate ac graviter ægrotare, et in rebus orphanorum homines iniquos insistere, vix se dolor in corde meo capere poterat. Sed in hoc fuit solatium, quod lacrymæ mihi per gemitus erumpebant. Vestra igitur sanctitas primam [b] quam debet curam negligere non debet, ut de anima ejus cogitare debeat, exhortando, rogando, Dei terribile judicium proponendo, ineffabilem ejus misericordiam promittendo, [c] ut ad habitum suum redire vel in extremis debeat, ne ei tantæ culpæ reatus in æterno judicio obsistat; ac deinde vestrum est cogitare quomodo filiæ ejus domna Barbara et Antonina debeant ordinari, ut nulla occasio malis hominibus præbeatur. Nam postquam me de eis sollicitudinis curam gerere conjuravit, addens ut earum debeam ordinationi prospicere, aliud in epistola sua secutus est, quod hoc mihi studenti dubium non est quia possit obsistere. Ait enim ut piissimo domno imperatori sæpius supplicem, quatenus ipse eas faciat ut præviderit ordinari. Quod [d] quam sit diversum priori voluntati perpendite. Ex qua re dubito ne hominibus in Sicilia positis et quærentibus occasionem in rebus ipsius apta detur occasio. Nam hoc cognito, quid facturi sunt qui, nulla existente causa, [e] jam sigillum in substantia

ipsius, quantum dicitur, nitebantur imponere. Nunquid non illos videtur ratio ad faciem adjuvare, et ad hoc illis justam quasi præbere materiam? Si dixerint : Domno imperatori commendatæ sunt, negligere non possumus , periculi nostri interest, res in tutum facimus, quousque domnus imperator Constantinopolim duci præceperit. Dic, rogo , quid ad hæc facturus sum, quando homini habenti potestatem paterna videtur commendatio concordare? Me enim conjurat ut ita eas ordinari provideam, quatenus aut in Romana civitate sint, aut de Sicilia non tollantur, et ille id agit ut eas nulla nec huc deducendi, nec illis sit ratio retinendi. Vos autem, in quantum potestis, malis hominibus obviate. Earum substantiam propter Deum omnipotentem, velut propriam, defendite; et si adhuc licet, quomodo omnis occasio removeatur violentiæ in prædicti viri domni Venantii testamento providete. Si autem ita placet ut palatio commendentur, mihi non debet imponere pondus ut in anima mea curam ordinationis earum velit impingere , de quarum ordinatione qualiter cogitem omnipotentem Deum sufficiat scire. Unde statim dilectissimo filio meo Anatolio diacono, ut cum gloriosa Rusticiana patricia loqui studeat, et qualiter de personis quarum mihi nomina transmissa sunt debeat exquirere et indicare, scribere curavi; ut nobis omnia sub celeritate indicet, et quæ fienda sunt, Deo ordinante, disponantur.

Præterea, in scriptis quæ ad nos misistis fraternitatem vestram **1120** contristatam invenimus, eo quod huc eam quasi pro ingratitudine aliqua venire noluissemus, quando non illud ob aliud nisi sola utilitatis causa fecimus , scientes propter personas ibidem consistentes valde necessariam illic vestram fuisse præsentiam. Sed ne forte ex hoc ingratum erga vos animum nostrum credatis, quod absit , existere, si veniendi vobis voluntas est , apto vos tempore apostolorum liminibus præsentate. Nam quantum ad nos pertinet, ita charitatem vestram diligimus, ut videre vos sæpius cupiamus. (*Vide, sup.*, *epist.* 30 *et* 35, *et lib.* I, *epist.* 34. *Cf. Joan. Diac.*, *l.* III, *c.* 48.)

## EPISTOLA XXXVII.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Deferendas ad episcopos clericorum causas, ne episcopalis jurisdictio violetur.*

Gregorius Romanc defensori Siciliæ.

Pervenit ad nos (*Grat.* **11**, *q.* 1, *c.* 39 ) quod si quis contra clericos quoslibet causam habeat , despectis eorum episcopis, eosdem clericos in tuo facias judicio exhiberi. Quod si ita est, quia valde constat esse incongruum, hac tibi auctoritate præcipimus ut hoc denuo facere non præsumas. Sed si quis contra quemlibet clericum causam habuerit , episcopum ipsius adeat, ut aut ipse cognoscat, aut certe ab eo judices deputentur; aut si forte ad arbitros eundum est, partes ad eligendum judicem ab ipso exsecutio deputata compellat. Si quis vero clericus vel laicus contra episcopum causam habuerit, tunc te interponere debes ut inter eos aut ipse cognoscas, aut certe te admonente sibi judices eligant. Nam si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, [a] nisi ut per nos per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur ?

Item nuntiatum est nobis quia quosdam clericos qui a reverendissimo fratre nostro Joanne episcopo, exigente culpa, in pœnitentiam missi sunt, nesciente illo, tua illos exinde auctoritate ejeceris; quod si verum est, rem te omnino inhonestam et non leviter increpandam fecisse cognoscas. Eosdem ergo clericos episcopo suo sine mora restitue. Et hoc de cætero cave committere, quia si neglexeris, nostros te noveris non mediocriter motus incurrere. (*Cf. Joan. Diac. l.* iv, *c.* 30.)

## EPISTOLA XXXVIII.

AD VITUM DEFENSOREM.

*Illum Ecclesiæ defensorem instituit.*

Gregorius Vito defensori.

[a] Si nulli conditioni vel corpori teneris obnoxius, nec fuisti clericus alterius civitatis , aut in nullo tibi canonum obviant statuta , ecclesiasticæ **1121** utilitatis intuitu id nostro sedit arbitrio, ut officium Ecclesiæ defensoris accipias, et quidquid pro pauperum commodis tibi a nobis injunctum fuerit, incorrupte et gnaviter exsequaris; usurus hoc privilegio, quod in te habita deliberatione contulimus, ut omnibus quæ tibi a nobis injuncta fuerint complendis operam tuam fidelis exhibeas redditurus de actibus tuis sub Dei nostri judicio rationem. Hanc autem epistolam [b] Paterio secundicerio notario Ecclesiæ nostræ scribendam dictavimus , cuique subscripsimus.

## EPISTOLA XXXIX.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Vitum defensorem constitutum commendat.*

Gregorius Romano defensori.

Vitum, præsentium [a] portitorem, experientia tua olim nostrum fuisse cognoscat. Cujus quoniam bene fidem et solertiam novimus, in defensorum [b] illum schola , data ei solemniter epistola, militandum esse prævidimus. Et ideo si quid ei pro ecclesiasticis utilitatibus injungere forte volueris, nullam de eo dubietatem habeas ; sed omnino de puritate ipsius certus esto , nec eum fraudulenter vel dupliciter aliquid

EPIST. XXXVII [*Al.* 32]. — [a] Vatic. D et E, *nisi ut præterquam ecclesiasticus custodiri illic ordo debuit, confundatur.* Cæteri Vaticani in nonnullis ab invicem discrepant.

EPIST. XXXVIII [*Al.* 33] — [a] Hic quædam conditiones ad officium defensoris obtinendum et exercendum necessariæ recensentur, quæ tamen in Ms. Vatic. A minime leguntur; ibi enim hæc epistola incipit ab his verbis *ecclesiasticæ utilitatis.* In hoc solo fere Codice epistola ista continetur.

[b] In Vatic. A, *Paterio secundicerio nostro tribuendam dictavimus.*

EPIST. XXXIX. [*Al.* 32]. — [a] Hujus vocis originem quarto sæculo tribuunt, sed male ; nam Arnobius ea usus est, et alii. Vide lib. I, epist. 42, nunc 44. GUSSANV.

[b] Schola est ordo quivis officialium, cantorum , notariorum, etc. Vide lib. Sacram., col. 64, et notam 253.

acturum existimes. Unum est ut ei charitatem, quæ A fidelibus debetur, impendas.

## EPISTOLA XL.

### AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Ob eruptionem sanguinis temperet a jejunio, atque ab omni exasperatione caveat.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Multa nos, frater charissime, cogit infirmitas, ex quibus si sani essemus, jure reprehensibiles videremur. Sed quia aliter subsistere in hoc fragili corpore positi non valemus, nisi ejus languoribus serviamus, erubescere quod imponit necessitas non debemus. Et ideo quoniam [a] eruptionem sanguinis patientibus jejunia medici omnino dicunt esse contraria, his fraternitatem tuam [b] hortamur affatibus, ut, reducens ad animum ea quæ est solita de ægritudine sustinere, jejunandi sibi laborem minime imponat. Si autem Deo miserante adeo melioratam se esse, ac virtutem suam sufficere posse cognoscit, semel aut bis in hebdomada jejunare permittimus. Sed illud te præ omnibus studere convenit, ut exasperationem sentire nullo modo debeas, ne ægritudo, quæ modo levior est et quasi suspensa creditur, per exacerbationem postmodum gravius sentiatur.

## EPISTOLA XLI.

### AD ROMANUM DEFENSOREM.

*De possessionum Fausti finibus injuste pervasis.*

Gregorius Romano defensori

Gloriosissimus filius noster Faustus epistola directa nos petiit, asserens ab actionariis Syracusanæ Ecclesiæ **1122** fines possessionis suæ illic intra Siciliam positos nuper violenter ablatos. Unde quia a cognitione fratris et coepiscopi nostri Joannis hoc omnino credimus alienum, eum videre te volumus. Et si quidem res nuper, ut asseritur, a possidente sublata est, et hoc apud te manifesta satisfactione claruerit, ejus cui subtracta est dominio [a] reformetur. Et tunc si quid actores prædictæ Ecclesiæ rationabiliter sibi in finibus suis credunt posse competere, electorum subeant sine dilatione judicium, ut cujus sit proprietas judicantium sententia decernatur; quatenus per hoc episcopalis de illicita quæ prætenditur invasione auferatur invidia, et causa legali valeat ordine finiri.

## EPISTOLA XLII.

### AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*De possessionum Fausti finibus injuste pervasis.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Gloriosissimus filius noster Faustus directa petitione nos adiit, asserens fines possessionis suæ illic intra Siciliam positos a vestris nuper hominibus occupatos, atque ob hoc rem violenter ablatam sibi per præceptionis nostræ seriem debere petiit reformari. Quod quia, si ita ut asserit factum est, a fraternitatis vestræ cognitione omnino credimus alienum, diligenter inquirite. Et si, ut asserit, contra juris ordinem fines ipsius a possidente sublati sunt, [a] in possessoris redeat res pervasa dominium. Et tunc si quid est quod a vestra Ecclesia proprietatis jure utiliter opponatur, electorum debet judicium provenire, eorumque judicio terminari, dummodo indecenter possessoris jus minime perturbetur. Sed causa judiciali termino definita, sine sacerdotali invidia dominum B atque justitiam res manifesta cognoscat.

## EPISTOLA XLIII.

### AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Dilatam diu Rusticianæ causam de invasis possessionis suæ finibus tandem finiat.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Petrus, vir clarissimus, vicedominus gloriosæ filiæ nostræ Rusticianæ patriciæ, suis nobis epistolis questus est, asserens postquam fraternitas vestra de Romana civitate reversa est, fines cujusdam possessionis prædictæ patriciæ ab hominibus Ecclesiæ vestræ vi esse pervasos. De qua re sæpius se vobis querelam deposuisse significavit, et aliquando [a] ad dicendam vos causam [b] Martianum tabularium deputasse, quem asserit diversis dilationibus distulisse, C ut nunc usque ad causæ dictionem partes accedere minime potuissent. Et quia quanto fraterna vos charitate diligimus, tanto audire aliquid quod ad vestram pertineat invidiam contristamur, idcirco scriptis vos præsentibus adhortamur, ut, omni mora vel excusatione cessante, de finibus qui dicuntur invasi, subire homines vestros judicium cum parte altera **1123** faciatis, quatenus et [c] pervasionis quæstio, et si qua est proprietatis contentio finiatur. Hæc igitur fraternitas vestra fieri sine dilatione provideat, ut nec vos invidia tangere, nec nos denuo exinde valeat querela pulsare.

## EPISTOLA XLIV.

### AD RUSTICIANAM PATRICIAM.

*Rogat ne deinceps in epistolis se illius ancillam vocitet. Suspensa jam quæ beato Petro obtulit vela. De illius podagra, et tristatur, et gaudet. Monasterium sancti Andreæ, cui et ipsa eleemosynam miserat, ab hoc apostolo diligentissime custodiri probat ex variis miraculis.* D

Gregorius Rusticianæ patriciæ.

Epist. XL. [*Al.* 34, *ind.* 6]. [a] Vatic. D et E, *corruptionem sanguinis*. Alii, *ruptionem*, vel *ruptiones sanguinis*. Vide, supra, epist. 33.

[b] Vatic. E, *oramus*.

Epist. XLI [*Al.* 35]. — [a] Hoc est, *restituatur*. Eodem sensu apud Cassiodorum, lib. VIII Var., epist. 23, *massas.... præcipimus reformari*. Bernardus quoque, serm. de sancto Martino : *reformata pace* (id est restituta), *in pace quievit*.

Epist. XLII [*Al.* 36]. — [a] Nimirum spoliatus ante omnia restituendus est, juxta juris apices.

Epist. XLIII [*Al.* 37]. — [a] Ita Vatic. A et Remig. Editi cum Victor., *ad dicendam vobis causam*.

[b] Varia tabulariorum fuisse genera tradit Cujacius. Alii præerant tabulario et chartis publicis; alii pro imperitis litterarum scribebant aut subscribebant; alii pro stipulari nequeuntibus stipulabantur, etc. Servi hoc olim munere functi sunt; sed tandem per Arcadii et Honorii constitutionem id fuit prohibitum. Ab iis omnibus diversi duo illi *tabularii* per singulas provincias constituti, quorum unus fiscalis arcæ ratiocinia, alter largitionales titulos curaret, de quibus in Cod. Theod., lib. I, tit. 8. *Partim ex* Gussanv.

Excellentiæ vestræ scripta suscepi, quæ me in gravissima ægritudine positum de salute, de devotione ac de dulcedine sua omnino relevarent. Unum vero ægre suscepi, quia in eisdem epistolis ad me, quod semel esse poterat, sæpius dicebatur : Ancilla vestra, et ancilla vestra. Ego enim qui [a] per episcopatus onera servus sum omnium factus, qua ratione se illa mihi ancillam dicit, cujus ante susceptum episcopatum [b] proprius fui ? Et ideo rogo per omnipotentem Deum ne hoc verbum aliquando ad me in scriptis vestris inveniam. Ea autem quæ ex purissimo sincerissimoque corde beato Petro apostolorum principi munera transmisistis, præsente omni clero suscepta [c] atque illic suspensa sunt. Filius autem meus, vir magnificus domnus Symmachus, quia ægrotum me ex podagræ dolore et pene desperatum reperit, scripta vestra mihi dare distulit, et post multum temporis quam vela suscepta sunt dedit. Postmodum vero in scriptis excellentiæ vestræ invenimus ut cum litania ad beati Petri ecclesiam portari debuissent. Quod ideo minime factum est, quia, sicut prædixi, ante vela quam scripta suscepimus. Tamen prædictus vir cum omni familia domus vestræ [d] hoc fecit, quod nos cum clero facere voluistis. Sed et si voces defuerunt hominum, habet ipsa vestra oblatio apud omnipotentem Deum vocem suam. In ejus enim pietate confido quia cujus corpus vos cooperuistis in terra, ejus vos intercessio ab omnibus peccatis proteget in cœlo, omnemque domum vestram sua provisione **1124** reget, et sua vigilantia custodiet.

De podagræ autem molestia, quam vobis evenisse signastis, et contristatus vehementer sum et lætatus. Lætatus, quia humor noxius inferiora petens, superiora perfecte deseruit; contristatus vero, quia in tam tenuissimo corpore dolores vos nimios perpeti pertimesco. Ubi enim caro deest, quæ virtus esse poterit doloribus resistens? Me etenim quem qualis fuerim nostis, ita amaritudo animi et assidua exacerbatio, atque præter hoc podagræ molestia afficit, ut corpus meum tanquam in sepultura ita siccatum sit. Unde fit ut jam de lecto raro surgere valeam. Si ergo mei molem corporis in tantam podagræ dolor ariditatem redegit, quid de vestro corpore sentiam, quod nimis siccum ante dolores fuit?

De eleemosyna vero quam beati Andreæ apostoli monasterio fecistis, quid necesse est me aliquid dicere, cum scriptum sit : *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit* (*Eccli.* XXIX, 15). Si ergo apud secretas aures Dei habet ipsa bona operatio vocem suam, sive nos clamemus, sive taceamus, hoc ipsum quod bene egistis, clamat. Indico autem [e] quia tanta miracula, tanta cura, tanta custodia monachorum in eodem monasterio ejusdem apostoli est, ac si specialiter abbas monasterii ipse sit. Nam ut pauca de multis loquar quæ abbate ac præposito monasterii [f] narrantibus agnovi, quadam die [g] duo exinde fratres transmissi sunt, qui aliquid emere pro monasterii utilitate debuissent : unus junior, qui prudentior videbatur; alter senior, qui custos junioris esset. Perrexerunt utrique, et de pretio quod acceperunt, ipse qui custos junioris missus fuerat, nesciente altero, de eodem pretio furtum fecit. Qui mox ut ad monasterium sunt reversi, atque [h] ante oratorii limen venerunt, arreptus a dæmonio is qui furtum fecerat, cecidit, et vexari cœpit. Dimissus autem a dæmonio, concurrentibus monachis requisitus est num forsitan de eo quod acceperat furtum fecisset; negavit, iterum vexatus est. Dimissus atque iterum requisitus negavit, atque iterum vexatus est. Octo itaque vicibus negavit, octo vicibus est vexatus. Post octavam vero negationem confessus est quantos nummos furto abstulerat. Et agens pœnitentiam, prostratus se peccasse testatus est, perceptaque pœnitentia, **1125** ulterius ad eum dæmonium non accessit.

Alio quoque tempore dum in die natalitio ejusdem apostoli jam [i] meridianis horis fratres quiescerent, subito quidam frater apertis oculis cæcatus cœpit

[c] Ita Victor. In Vatic. A, præter quem, Victor. et Remig., nullus Mss. nostrorum hanc epist. continet, *pervasionis quæstio, si qua est, proprietatis contentione finiatur.*

EPIST. XLIV [*Al.* 38]. — [a] Origenes, homil. 6 in Isa. : *Neque enim ad principatum Ecclesiæ venit qui salvari vult, etsi præest; sed ad servitutem Ecclesiæ.* Et infra : *Qui vocatur ad episcopatum, non ad principatum vocatur, sed ad servitutem totius Ecclesiæ, si vis credere de Scripturis, quia in Ecclesia servus sit omnium qui præest*, etc. GUSSANV.

[b] Quasi fuerit ejus vassallus, et speciali titulo devotus seu cliens. *Proprius dicitur susceptus vel cliens alterius*, inquit Alteserra ad hunc locum, *ut propria dicebatur uxor, cum qua nuptiæ contractæ erant per coemptionem vel conventionem in manum, quia in potestatem viri veniebat, ut illo loco Virgilii* IV Æneid.

Connubio jungam stabili, propriamque dicabo.

Hic autem non una est Mss. lectio. In Vatic. A et E legitur, *cujus subjectus ante susceptum*, etc. In Colbert., *cujus susceptus ante episcopatum.*

[c] Hæc vela suspendebantur in ecclesiis. Gregorius Turon., in capite 29 l. II Hist., *adornari ecclesiam velis præcipit atque cortinis.* Et in cap. 31 : *Velis depictis adumbrantur plateæ ecclesiæ.* Audoenus in vita Eligii, *vela* vocat *ornamenta basilicæ* sanctæ Columbæ virg. Anastasius in Gregorio III. *hic in Ecclesia apostolorum.... pendentia vela inter columnas ex palliis sericis fecit.* Idem passim. *Partim ex* ALTESER. et GUSSANV.

[d] In Vatic. A, D, E, et in Rhem., *hanc fecit* (scilicet litaniam et processionem) *quam nos*, etc.

[e] In recent., *quia ob tanta miracula, tanta custodia.* Sequimur omnes Vatic., Norm., Corb., Rhemens., Reg., Colb. et vet. Ed.

[f] Excusi, *narrantibus agnovi edicam.* Omittunt *edicam* Mss.

[g] Monachi procedere solent bini, ut sint sibi invicem testes conversationis. Synod. Aquisgran., an. Christi 817, can. 15 : *Ut soli sine alio fratres in viam non dirigantur.* ALTESERRA.

[h] Monachi foris revertentes accedebant ad oratorium quod erat juxta fores monasterii orationis causa, ut commissas foris culpas prece expiarent. Regul. Bened., cap. 67. ALTESERRA.

[i] Somnus meridianus conceditur ex regula sancti Benedicti, c. 48. Vide lib. II Dialog., c. 3.

tremere, voces ingentes emittere, quibus vocibus testabatur ferre se non posse quod patiebatur. Concurrerunt fratres, viderunt cæcum apertis oculis tremen-tem, et clamantem, et a præsentibus alienum, nihilque quod foris agi poterat sentientem. Eumque in manibus levaverunt, atque ante altare sancti Andreæ apostoli projecerunt, ipsique pro eo in orationem prostrati sunt. Qui statim ad se reversus, quid passus fuerat confessus est, quia senex quidam ei apparuit, et canem nigrum ad eum dilaniandum dimisit, dicens: Quare fugere voluisti de monasterio isto? Cumque evadere de canis morsibus nullo modo potuissem, venerunt quidam monachi, et eumdem senem pro me rogaverunt. Qui statim jussit canem abscedere, et ipse ad me reversus sum. Qui etiam sæpe confessus est postea, dicens: Quia eo die quo ista pertuli, consilium habueram de eodem monasterio fugere.

Alius quoque monachus discedere ex eodem monasterio latenter voluit. Cumque hoc mente tractasset, voluit oratorium ingredi, sed statim dæmonio traditus vehementissime vexatus est. Relinquebatur vero a dæmonio, et si extra oratorium stetisset, nihil patiebatur adversi: si vero conatus fuisset ingredi, statim maligno spiritui traditus vexabatur. Cumque hoc sæpius fieret, culpam suam confessus est, quia de monasterio egredi cogitabat. Tunc collecti pro eo fratres, sese per triduum in precibus astrinxerunt, atque ita curatus est, ut ad eum postmodum nunquam spiritus malignus accederet. Dicebat autem se eumdem beatum apostolum dum vexaretur vidisse, seque ab eo increpatum esse cur de monasterio voluisset abscedere.

Alii quoque duo fratres de eodem monasterio fugerunt, atque aliqua prius colloquendo fratribus signa dederunt quod per Appiam descendentes Jerosolymam tenderent, qui exeuntes diverterunt de itinere. Et ut a sequentibus inveniri minime potuissent, retrusas cryptas juxta [k] Flamineam portam invenientes, in eis sese occultaverunt. Cum vero vespertinis horis requisiti minime in congregatione inventi essent, ascensis caballis eos quidam fratres secuti sunt, per Metroni portam exeuntes, ut eos in Latinam vel Appiam viam sequerentur. Subito autem eis consilium ortum est ut eos in Salaria via requirerent. Extra civitatem igitur pergentes deflexerunt iter in Salariam. Eos vero minime invenientes per portam Flamineam decreverunt reverti. Cumque reverterentur, mox ut equi eorum ante cryptas illas venerunt in quibus se absconderant, fixerunt gradum, pulsati et compulsi passum [l] movere noluerunt. Consideraverunt monachi rem talem sine mysterio esse non posse. Attenderunt ad cryptas, viderunt earum aditus missa maceria damnatos, sed caballis suis nusquam euntibus descenderunt. Deposuerunt lapides qui in ore cryptarum

A **1126** positi fuerant, ingressi sunt, eosque in eisdem tenebrosis latibulis terræ consternatos invenerunt. Qui ad monasterium reducti, ex eodem miraculo ita sunt meliorati, ut eis multum profuerit ad parum temporis de monasterio fugisse.

Hæc dixi, ut excellentiæ vestræ innotesceret cujus oratorio eleemosynam fecistis. Omnipotens autem Deus, et in anima, et in corpore, et in omni domo, cœlesti vos protectione custodiat, et ad consolationem nostram diu vos vivere concedat. Dilectissimum filium meum domnum Strategium, cum gloriosis parentibus suis filiis vestris mea peto vice salutari.

(*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 58 *et* 67.)

## EPISTOLA XLV.

### AD THEOCTISTAM PATRICIAM.

B *Multis ostendit ejus animum detractionibus turbari non debere, sedandum tamen tranquilla et humili ratione obloquentium murmur. Ostendit etiam, primo religionis causa conjugia non debere dissolvi; secundo peccata omnia in baptismate funditus dimitti; tertio post pœnitentiam triennio factam licentiam non esse peccandi; quarto etiam illum anathematis vinculo teneri qui, necessitate compulsus, id de quo reprehenditur anathematizaverit. Plerosque falso in quatuor illis capitulis imperito zelo accusatos, placandos tamen accusatores illos ratione et mansuetudine, idque Theoctistæ ipsi erga suos agendum.*

Gregorius [a] Theoctistæ patriciæ.

Magnas omnipotenti Deo gratias agere debemus, quod piissimi et benignissimi imperatores nostri tales de suo genere juxta se propinquos habent, de quorum conversatione nobis omnibus grande sit gaudium. Unde et pro eisdem dominis continue nobis orandum C est, ut eorum vita cum suis omnibus, protegente cœlesti gratia, per longa tempora et tranquilla servetur.

Indico autem quod levitate populi tumultum contra vos detractionis exortum nuntiantibus quibusdam agnovi. Qua ex re excellentiam vestram audio fuisse tædio non modico contristatam. Quod si ita est, valde miror cur vos, qui cor fixistis in cœlo, verba hominum agitent in terra. Beatus enim Job, cum amici ejus qui ad consolandum venerant in increpationem prosiliissent, ait: *Ecce enim in cœlo testis meus, et conscius meus in excelsis* (*Job.* XVI, 20). Qui enim vitæ suæ in cœlo testem habet, judicia hominum in terra pertimescere non debet. Dux quoque bonorum Paulus dicit: *Gloria nostra hæc est testimonium conscientiæ nostræ* (*II Cor.* I, 12). Qui iterum dicit: *Opus suum* D *probet unusquisque, et sic in semetipso gloriam habebit, et non in altero* (*Gal.* VI, 4). Si enim laudibus lætamur, et detractionibus frangimur, gloriam nostram non in nobis, sed in aliorum ore posuimus. Et quidem fatuæ virgines in vasis suis oleum non sumpserunt, sapientes autem sumpserunt oleum in vasis suis cum lampadibus (*Matth.* XXV). Lampades quippe nostræ bona sunt opera. De quibus scriptum est: *Luceat lux vestra coram hominibus, ut videant*

[k] Vatic. D et E, ac Colb., *Flammeam portam*. Legendum videtur *Flaminiam*, quæ porta veteris Romæ sat nota. Paulo post iidem Codices *per Meretroni portam*, ubi Vatic. A habet *Meretronii*, et Norm. omnes *Metrovi*.

[l] Editores, *non potuerunt*, scilicet incongruum putarunt *voluntatem* equis tribuere; secus vero mss. Codices Reg., Rhemig., Vatic., etc.

EPIST. XLV [*Al.* 59]. — [a] Erat Mauricii imperat. soror; supra, lib. I, epist. 5. In Cod. ms. RR. PP. Capucinorum Rothomag. sic inscribitur hæc epist.: *De discordia sedanda, Gregorius Theoctistæ.*

*opera vestra bona, et glorificent Patrem vestrum qui est in cœlis* (*Matth.* v, 16). Tunc autem oleum in vasis cum lampadibus sumimus, quando **1127** de bonis actibus nitorem gloriæ [b] non ab adulantibus proximis quærimus, sed hunc in testimonio conscientiæ servamus. In omne autem quod extra de nobis dicitur, recurrere ad arcana mentis debemus. Etsi omnes vituperent, liber est tamen quem conscientia non accusat. quia et si omnes laudent, liber esse non potest, si hunc conscientia accusat. Unde de Joanne Veritas dicit: *Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam* (*Matth.* xi, 7). Quod videlicet per negationem dicitur, non per confirmationem, cum subditur: *Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus regum sunt* (*Ibid.* 8). Quamvis enim juxta veritatem Evangelii, Joannes vestimento aspero fuerit indutus, per significationem tamen mollibus vestiti sunt, qui adulationibus ac laudibus delectantur. Negatur autem quia Joannes arundo vento agitata fuerit, quoniam mentis ejus fortitudinem nulla humani oris aura flectebat. Nos enim si laudibus erigimur, aut vituperationibus humiliamur, arundo vento agitata sumus. Sed absit hoc, absit a corde excellentiæ vestræ. Scio quia magistrum gentium studiose legitis, qui ait: *Ego si hominibus adhuc placerem, Christi servus non essem* (*Gal.* i, 10).

Si qua tamen, vel parva tristitia hac ex re menti vestræ exorta est, credo quod hoc fieri omnipotens Deus benigne permisit. Neque enim electis suis in hac vita promisit gaudia delectationis, sed amaritudines tribulationis, ut medicinæ more, per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant. Quid namque dicit? *Mundus gaudebit, et vos lugebitis* (*Joan.* xvi, 20). Qua spe? qua promissione? Paulo post additur: *Iterum videbo vos, et gaudebit cor vestrum, et gaudium vestrum nemo auferet a vobis* (*Ibid.*, 22). Hinc iterum discipulis dicit: *In patientia vestra possidebitis animas vestras* (*Luc.* xxi, 19).

Pensate, quæso, ubi erit patientia, si deest quod toleretur. Ego Abel esse non suspicor, qui Cain fratrem non habuerit. Boni enim si sine malis fuerint, [c] perfecte esse boni non possunt, quia minime purgantur. Ipsa autem malorum societas purgatio bonorum est. Tres in arca filii Noe fuerunt, unus irrisor patris exstitit, qui etsi in se benedictus fuit, maledictionis tamen sententiam in filio suscepit. Duos Abraham priusquam uxorem Cethuram acciperet, filios habuit, sed tamen carnalis ejus filius est repromissionis filium persecutus (*Genes.* ix). Quod magnus Doctor exponit, dicens: *Sicut is qui secundum carnem est persequebatur eum qui secundum spiritum, ita et nunc* (*Gal.* iv, 29). Duos Isaac filios habuit, sed unus, qui spiritalis exstitit, ante minas carnalis fratris fugit. Duodecim Jacob filios habuit, sed unum, qui rectius vivebat, decem in Ægypto vendiderunt. In David propheta, quia fuit quod purgari debuisset, actum est ut persecutorem filium pateretur Beatus. Job de societate reproborum dicit: *Frater fui draconum, et socius struthionum* (*Job.* xxx, 29). Ad Ezechielem Dominus ait: *Fili hominis, increduli et subversores sunt tecum,* **1128** *et cum scorpionibus habitas* (*Ezech.* ii, 6). In duodecim apostolis unus reprobus mistus est, ut esset cujus persecutione undecim tentarentur. Apostolorum princeps discipulis loquitur dicens: *Justum Lot oppressum a nefandorum injuria et conversatione eripuit. Aspectu enim et auditu justus erat, habitans apud eos qui de die in diem animam justi iniquis operibus cruciabant* (*II Pet.* ii, 7, 8). Paulus quoque apostolus discipulis scribit, dicens: *In medio nationis pravæ et perversæ, inter quos lucetis, sicut luminaria in mundo, verbum vitæ continentes* (*Philip.* ii, 15.)

Quia ergo Scriptura teste cognoscimus in hac vita bonos sine malis esse non posse, de stultorum vocibus excellentia vestra turbari nullatenus debet, maxime [d] quia in omnipotente Deo tunc certa fiducia est, quando pro bono opere adversitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione servetur. Unde et in sancto Evangelio Veritas dicit: *Beati eritis cum adversum vos omne malum dixerint homines, mentientes propter nomen meum* (*Matth.* v, 11). Qui in consolatione nostra sua in exemplum adducere opprobria dignatus est, dicens: *Si patremfamilias Beelzebub vocaverunt, quanto magis domesticos ejus* (*Ibid.*, x, 25)?

Sunt autem plurimi (*Grat.* 6, *q.* 1, *c.* 11) qui vitam [e] bonorum fortasse amplius quam debent laudant; et ne qua elatio de laude subripiat, permittit omnipotens Deus malos in obtrectationem et objurgationem prorumpere, ut si qua culpa ab ore laudantium in corde nascitur, ab ore vituperantium suffocetur. Hinc est ergo quod doctor gentium se in prædicatione currere testatur *per infamiam et bonam famam* (*II Cor.* vi, 8). Qui etiam dicit: *Ut seductores et veraces.* Si fuerunt qui malam famam Paulo imponerent, qui hunc seductorem vocarent, quis ergo nunc Christianus debet indignum ducere pro Christo injurias audire? Quantæ autem virtutis præcursor nostri Redemptoris fuit novimus, qui per sacrum eloquium non solum plusquam propheta, sed etiam angelus vocatur; et tamen, sicut mortis ejus historia testatur, [f] post mortem a persecutoribus ejus corpus incensum est. Sed quid ista de sanctis hominibus dicimus? De ipso

[b] Excusi, *non a laudantibus.* Infra, *in omne autem quod agimus, vel quod.*

[c] Vatic. F, *profecto esse,* etc.

[d] Recent., *quia in omnipotentis Dei misericordia tunc certe fiducia est.* Nostræ lectioni, quæ est vet. Ed., suffragantur Norm., Vatic., Colb., Rhem., Reg., Remig.

[e] Addidimus *fortasse,* ut Mss. obsequeremur. Aliunde vero hæc lectio nobis magis probatur.

[f] Id narrat paucis verbis Theodoretus, Ecclesiast. Histor. lib. iii, c. 6: *Ascalonæ et Gazæ virorum sacerdotali dignitate præditorum, itemque mulierum perpetuam virginitatem professarum alvos dissecuere, et ordeo implevere, ac porcis escam objecere. Sebaste vero quæ et ipsa cum illa gente censetur, aperuerunt arcam Joannis Baptistæ, et ossibus combustis dissiparunt cinerem.* Gussanv.

sancto sanctorum, id est de Deo qui pro nobis homo factus est, loquamur, qui ante mortem in injuriam quia dæmonium haberet audivit; post mortem vero a suis persecutoribus seductor appellatus est, cum diceret : *Scimus quia seductor ille dixit : Post tres dies resurgam* (*Matth.* XXVII, 63). Quanta ergo nos peccatores a lingua vel manibus iniquorum hominum portare necesse est, qui in adventu æterni judicis judicandi sumus, si et ipse tanta tam ante quam post mortem pertulit, qui et judex venit?

Hæc, dulcissima et excellentissima filia, breviter dixi, ne quoties stultos homines tibi derogare cognoscis, qualibet vel parvula mentis tristitia tangaris. Sed quia sedari hoc ipsum stultorum hominum murmur tranquilla ratione potest, peccatum credo [g] si bonum quod valet fieri negligitur ut fiat. Nam cum placare insanas mentes atque **1129** ad salutem reducere possumus, scandalizare eos minime debemus. Sunt enim quædam scandala quæ omnino despicienda sunt; quædam vero, cum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa serventur. Quod sacro Evangelio prædicante cognovimus, quia cum Veritas diceret : *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem* (*Matth.* XV, 11), et discipuli responderent, dicentes : *Scis quia Pharisæi audito hoc verbo scandalizati sunt* (*Ibid.*, 12)? protinus respondit : *Omnis plantatio quam non plantavit Pater meus cœlestis, eradicabitur. Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum* (*Ibid.*, 13). Et tamen cum tributum peteretur, prius rationem reddidit perquam tributum solvere non deberet, atque illico subjunxit : *Ut autem non scandalizemus eos, vade ad mare, et mitte hamum, et eum piscem qui primus ascenderit tolle; et aperto ore ejus, invenies staterem. Illum sumens, da eis pro me et te* (*Matth.* XVII, 26). Quid est quod de scandalizatis aliis dicitur : *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum;* et aliis ne scandalizentur a Domino tributum solvitur, quod etiam non debetur? Quid est autem quod aliud scandalum esse permisit, aliud vero aliis venire prohibuit? nisi ut nos doceret et illa scandala quæ nos ad peccata implicant contemnere, et ea quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitigare?

Vestra itaque excellentia potest, protegente Domino, pravorum hominum scandala cum magna tranquillitate declinare. Priores enim eorum sponte vobis secreto vocandi sunt, atque ipsis ratio reddenda, et perversa quædam capitula, [h] quæ teneri existimant, coram ipsis anathematizanda. Quod si etiam, sicut dicitur, dari anathema ficte suspicantur, etiam jurejurando firmandum est vos nunquam eadem capitula tenere, nunquam tenuisse. Nec vobis indignum videatur tali eis modo satisfacere, nec de imperiali genere sit contra eos aliquod in vestra mente fastidium. Omnes etenim fratres sumus, unius imperatoris potestate conditi, et sanguine redempti. Et ideo fratres nostros, quantumlibet pauperes et abjectos, in nullo despicere debemus.

Certe etenim (*Grat.* 2, *q.* 7, *c.* 11) Petrus potestatem regni cœlestis acceperat, ut quæque in terra ligaret vel solveret, essent in cœlo ligata vel soluta : super mare ambulavit, ægrotantes umbra curabat, peccantes verbo occidebat, mortuos oratione suscitabat. Et quia ex admonitione Spiritus ad Cornelium gentilem fuerat ingressus, contra eum quæstio a fidelibus facta est cur ad gentiles intrasset, et comedisset cum eis, cur eos in baptismate recepisset. Et tamen idem apostolorum primus, tanta donorum gratia repletus, tanta miraculorum potestate suffultus, querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, causam per ordinem exposuit, quomodo vas quoddam, velut linteum, in quo quadrupedia terræ, et bestiæ, et reptilia atque volatilia inerant, de cœlo submitti viderit (*Act.* XI, 5 *seq.*), vocemque audierit : *Surge, Petre, occide et manduca* (*Ibid.*, 7); qualiter tres viri venerint, eum ad Cornelium vocantes; qualiter Spiritus sanctus hunc cum eis ire præceperit; qualiter idem Spiritus **1130** sanctus qui venire in baptizatos in Judæa post baptismum consueverat, in gentilibus ante baptismum venit. Si enim cum a fidelibus culparetur, auctoritatem quam in sancta Ecclesia acceperat attendisset, respondere poterat ut pastorem suum oves quæ ei commissæ fuerant reprehendere non auderent. Sed si in querela fidelium aliquid de sua potestate diceret, profecto doctor mansuetudinis non fuisset. Humili ergo eos ratione placavit, atque in causa reprehensionis suæ etiam testes exhibuit, dicens : *Venerunt autem mecum et sex fratres isti* (*Act.* XI, 12). Si ergo pastor Ecclesiæ, apostolorum princeps, signa et miracula singulariter faciens, non dedignatus est in causa reprehensionis suæ rationem humiliter reddere; quanto magis nos peccatores, cum de re aliqua reprehendimur, reprehensores nostros ratione humili placare debemus?

Ad me etenim, sicut nostis, cum apud vestigia dominorum in regia urbe demorarer, multi ex eis venire consueverant qui de prædictis capitulis accusabantur. Sed teste conscientia fateor, nunquam in eis aliquid erroris, aliquid pravitatis, aliquid de his quæ contra eos dicebantur inveni. Unde et eos opi-

[g] Scilicet, ut statim addit, *sunt scandala quæ omnino despicienda sunt; quædam vero, cum vitari sine culpa possunt, despicienda non sunt, ne cum culpa serventur.* Sic sanctus Paulus vitandum scandalum docuit, ubi de carne manducanda, ne proximus infirmus offendatur; I Cor. VII; Rom. XIV. Quam doctrinam præformaverat Christus Dominus Matth. XVII, XVIII. Vide sanctum Thomam, 2-2, quæst. 43, art. præsertim 7 et 8. Eamdem fere sententiam usurpat sanctus Gregorius homil. 7 in Ezechielem : *In nostro bono opere aliquando cavendum est scandalum proximi, aliquando vero pro nihilo contemnendum.* Et infra : *In quantum sine peccato possumus, vitare proximorum scandalum debemus.* Lege Innocentium III, de novi operis nuntiatione, c. 2, ubi tacito nomine hanc sancti Gregorii doctrinam refert, Extr. lib. V, tit. 32. GOSSANV.

[h] Recent., *quæ tenere vos existimant.*

nione contempta familiariter suscipere, et magis ab insequentibus defendere curabam. Dicebatur namque contra eos quia sub obtentu religionis conjugia solverent; et quia dicerent quod baptisma peccata penitus non auferret, et si de iniquitatibus suis quis in triennium pœnitentiam ageret, postmodum ei perverse vivere liceret; et quia si compulsi aliquid de quibus reprehendebantur anathematizare se dicerent, anathematis vinculo nullo modo teneri. Et si sunt qui certissime talia sentiunt vel tenent, quia Christiani non sunt, dubium non est. Eosque et ego, et omnes catholici episcopi, atque universa Ecclesia, anathematizamus, quia veritati contraria sentiunt, contraria loquuntur. Si enim dicunt (*Grat.* 27, *q.* 2, *c.* 19) religionis causa conjugia debere dissolvi, sciendum est [i] quia etsi hoc lex humana concessit, divina lex tamen prohibuit. Per se enim Veritas dicit : *Quæ Deus conjunxit, homo non separet* (*Matth.* XIX, 6). Quæ etiam ait : *Non licet dimittere uxorem,* [k] *excepta causa fornicationis* (*Ibid.*, 9). Quis ergo huic cœlesti legislatori contradicat? Scimus quia scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Luc.* XVI; *I Cor.* VI; *Genes.* II, 24). Si ergo vir et uxor una caro sunt, et religionis causa vir dimittit uxorem, vel mulier virum in hoc mundo remanentem, vel etiam fortasse ad illicita migrantem, quæ est ista conversio, in qua una eademque caro et ex parte transit ad continentiam, et ex parte remanet in pollutione? Si vero utrisque conveniat continentem vitam ducere, hos quis audeat accusare, quando certum est quod omnipotens Deus qui minora concessit, majora non prohibuit? Et quidem multos sanctorum novimus cum suis conjugibus et prius continentem vitam duxisse, et postmodum ad sanctæ Ecclesiæ regimina migrasse. Duobus enim modis sancti viri etiam a licitis abstinere solent. Aliquando ut merita sibi apud omnipotentem Deum augeant, aliquando vero ut anteactæ vitæ culpas detergant. Tres etenim pueri in regis Babylonici **1131** obsequium deducti, legumina ad vescendum petentes, cibis regiis uti noluerunt, non quia culpa esset si ea quæ Deus creaverat ederent. Noluerunt ergo ea sumere quæ licebant, ut per continentiam virtus excresceret. David vero qui alienam conjugem tulerat, et pro sua culpa valde fuerat flagellatus, aquam bibere longe post de Bethleemitica cisterna voluit. Quam cum ei fortissimi milites detulissent, bibere recusavit, eamque fundendo, Domino libavit. Licebat enim ei bibere si voluisset; sed quia illicita se fecisse meminerat, laudabiliter et a licitis abstinebat. Et qui prius pro culpa sua morientium militum sanguinem fundi non timuit, postmodum, si aquam biberet, etiam viventium militum sanguinem se fudisse judicavit, dicens : *Num sanguinem istorum hominum qui profecti sunt et animarum periculum bibam* (*I Paral.* XI, 19)? Proinde cum boni conjuges aut meritum augere desiderant, aut anteactæ vitæ culpas delere, ut se ad continentiam astringant, et meliorem vitam appetant, licet. Si vero continentiam quam vir appetit uxor non sequitur, aut quam uxor appetit vir recusat, [l] dividi conjugium non licet, quia scriptum est : *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; et vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier* (*I Cor.* VII, 4).

Si qui vero sunt qui dicunt peccata [m] in baptismate superficietenus dimitti, quid est hac prædicatione infidelius, in qua ipsum fidei sacramentum festinant solvere? in quo principaliter ad cœlestis munditiæ mysterium anima ligatur, ut absoluta radicitus a peccatis omnibus soli illi inhæreat de quo Propheta ait : *Mihi autem adhærere Deo bonum est* (*Psal.* LXXII, 28). Certe enim maris Rubri transitus figura sancti baptismatis fuit, in quo hostes a tergo sunt mortui, sed alii contra faciem in eremo sunt inventi. Sic quippe omnes qui in sancto baptismate tinguntur eorum peccata præterita omnia laxantur, quia eis velut Ægyptii hostes a tergo moriuntur. Sed in eremo alios hostes invenimus, quia dum in hac vita vivimus, priusquam ad promissionis patriam pertingamus, multæ nos tentationes fatigant, et ad terram viventium tendentibus iter intercludere festinant. Qui ergo dicit peccata in baptismate funditus non dimitti, dicat in mari Rubro Ægyptios non veraciter mortuos. Si autem fatetur Ægyptios veraciter mortuos, fateatur necesse est peccata in baptismate funditus mori, quia nimirum plus valet in absolutione nostra veritas, quam umbra veritatis. In Evangelio Dominus dicit : *Qui lotus est, non indiget* [n] *ut lavet, sed est mundus totus* (*Joan.* XIII, 10). Si igitur peccata in baptismate funditus minime dimittuntur, quomodo is qui lotus est mundus est totus? Totus enim mundus dici non potest, cui de peccato aliquid remansit. Sed nemo resistit voci Veritatis : *Qui lotus est, mundus est totus.* Nihil ergo ei de peccati sui contagio remanet, quem totum fatetur mundum ipse qui redemit.

Si qui autem sunt qui dicunt quia de peccato quolibet triennio pœnitentia agenda est, et post [o] triennium in voluptatibus vivendum, isti adhuc nec prædicamenta veræ fidei, nec sacræ **1132** Scripturæ

[i] Citatur novella Juliani, melius Justiniani, novell. 22, *de nuptiis*, ubi de causa repudiorum. Item lib. V Cod., tit. 17, et in Digestis, titulo *de divortiis*. Addo novell. 123, *de sanctiss. episcopis*, etc., præsertim cap. 40, *Solvatur matrimonium*. GUSSANV.

[k] An de dissolutione quoad vinculum, an quoad torum ac domicilium, is locus debeat intelligi, Patres aliqui dubitasse visi sunt. Usus tamen et sensus Ecclesiæ stat pro indissolubilitate vinculi. GUSSANV. Vide not. in epist. 32 lib. VIII, nunc lib. X.

[l] Si sit consummatum, si conjuges fuerint una caro effecti, alioquin solvitur ex more nostro per religionis ingressum. GUSSANV.

[m] Vide Nicephorum, Hist. lib. XI, c. 14, de Adelphio; Theodoret., Hist. lib. IV, cap. 11. Aliter Clemens Alex., lib. I Pædag., c. 6.

[n] Ita Mss. Norm., Vatic., Corb., etc., etsi Joannes aliter referat, scilicet, *nisi ut pedes lavet*, quod etiam habent Editi.

[o] Vide Epiphanium et Theodoret. de Messalianis et Euchitis, necnon Augustinum, hæres. 54, de Ætianis.

præcepta noverunt. Contra hos prædicator egregius Paulus dicit: *Qui seminat in carne sua, de carne et metet corruptionem* (*Gal.* VI, 8). Contra hos iterum dicit: *Qui in carne sunt, Deo placere non possunt* (*Rom.* VIII, 8). Ubi discipulis subjungit: *Vos autem non estis in carne, sed in spiritu.* Hi quippe in carne sunt, qui in carnalibus voluptatibus vivunt. Contra hos dicitur: *Neque corruptio incorruptionem possidebit* (*I Cor.* XV, 50). Si autem dicunt pauci temporis pœnitentiam contra peccatum debere sufficere, ut iterum liceat ad peccatum redire, recte eos pastoris primi percutit sententia, qui ait: *Contigit illis illud veri proverbii: Canis reversus ad suum vomitum, et sus lota in volutabro luti* (*II Petr.* II, 21). Magna est enim contra peccatum virtus pœnitentiæ, sed si quis in eadem pœnitentia perseveret. Nam scriptum est: *Qui perseveraverit usque in finem, hic salvus erit* (*Matth.* X, 22; XXIV, 13). Hinc rursum scriptum est: *Qui baptizatur a mortuo, et iterum tangit eum, quid proficit lavatio ejus* (*Eccl.* XXXIV, 30)? Mortuum quippe est omne opus perversum, quod pertrahit ad mortem, quod vita justitiæ non vivit. Baptizatur ergo a mortuo, et iterum tangit eum, qui prava opera quæ se meminit egisse deplorat, sed in eisdem se iterum post lacrymas implicat. Anima itaque quælibet ejusdem mortui lavatione non proficit, quæ hoc iterum faciendo quod planxit, nec per lamenta pœnitentiæ ad rectitudinem justitiæ exsurgit. Pœnitentiam enim vere agere, est commissa plangere, sed iterum plangenda declinare.

Si qui vero sunt qui dicunt quia compulsus quispiam necessitate, si anathematizaverit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt quia Christiani non sunt. Quia ligamenta sanctæ Ecclesiæ vanis se existimant conatibus solvere, ac per hoc nec absolutionem sanctæ Ecclesiæ, quam præstat fidelibus, veram putant, [p] si ligaturas ejus valere non existimant. Contra quos diutius disputandum non est, quia despiciendi per omnia et anathematizandi sunt, ut unde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur.

Si qui sunt igitur qui sub nomine Christiano hæc quæ prædiximus errorum capitula aut prædicare audent, aut taciti apud semetipsos tenere, hos procul dubio et anathematizavimus et anathematizamus. Ex omnibus tamen capitulis in eis, sicut prædixi, qui ad me in urbem regiam venire consueverant, nullum omnino errorem cujuslibet prædicti capituli agnovi, sed neque fuisse existimo. Nam si fuisset, agnovissem. Quia vero sunt multi fidelium qui imperito zelo succenduntur, et sæpe, dum quosdam quasi hæreticos insequuntur, hæreses faciunt, eorum infirmitati consulendum est, et, sicut prædixi, ratione et mansuetudine sunt placandi. Illis quippe sunt similes de quibus scriptum est: *Testimonium illis perhibeo, quod æmulationem Dei habent, sed non secundum scientiam* (*Rom.* X, 2). Vestra itaque excellentia quæ in lectione, in lacrymis, atque in eleemosynis incessabiliter vivit, eorum, sicut petii, imperitiam placare mansuetis exhortationibus ac responsionibus debet, ut non solum de semetipsa, sed etiam **1133** de illis gloriam æternæ retributionis inveniat. Hæc me vobis dicere nimius amor suasit, quia et in vestra lætitia me crescere, et in vestra tristitia me existimo minorari. Omnipotens Deus gratia vos cœlesti custodiat, et salva domni nostri pietate et piissimæ domnæ tranquillitate, pro parvulorum dominorum nutrimento vitam vestram longius extendat.

## EPISTOLA XLVI.

### AD ISACIUM JEROSOLYMITANUM EPISCOPUM.

*Synodicæ illius epistolæ respondens, Ecclesiam arcæ confert, extra quam salus nulla. Laudat Isacii fidem, quam profitetur suam. Gaudet compressa sub Christianissimo imperatore hæreticorum ora. Isacium hortatur ut in Ecclesiis suis compescat simoniam, ac quædam compescendo, quædam tolerando jurgia mitiget.*

Gregorius Isacio episcopo Jerosolymitano.

Servata veritate historiæ, quid aliud est quod diluvii tempore humanum genus extra arcam moritur, ad vitam vero in arca servatur, nisi hoc quod aperte nunc cernimus, quia infideles quosque extra Ecclesiam peccati sui unda perimit, et fideles suos in fide atque in charitate sanctæ Ecclesiæ unitas, quasi arcæ compago, custodit? Quæ arca videlicet [b] de imputribilibus lignis compingitur, [d] quia de animabus fortibus atque in bono suo perseverantibus ædificatur. Et cum a sæculari vita unusquisque convertitur, quasi adhuc ligna de montibus succiduntur. Cum vero ad sanctæ Ecclesiæ ordinem ad aliorum custodiam deducitur, quasi de excisis atque compositis lignis ad servandam vitam hominum arca ædificatur. Quæ profecto arca, cessante diluvio, in monte requievit, quia hujus vitæ corruptione cessante, cum malorum

[p] Excusi, *Si ligaturas ejus veras esse atque valere non æstimant.* In Excusis, *si anathematizatus fuerit*, contra Mss. Reg., Remig., Norm., etc., fidem, et alio sensu a sancto Doctore minime intento. Hic, *anathematizare*, est jurare, ut Marci XIV, 71, non *anathemate ferire.*

EPIST. XLVI [*Al.* 40]. — [a] Vulgata habet *lævigatis*; Hebræi גֹּפֶר gopher. Quidam Rabbini vertunt de lignis cedri. Cedrus vero abundat in Syria, estque imputribilis. Sanctus Ambrosius de Noe et Arca, c. 6, *De lignis quadratis*, et capite 7 distinguit hanc arcam Noe ab arca Moysis, quod arca Moysis fuerit ex lignis imputribilibus. Itaque fallit hic aut fallitur Cornelius a Lapide in suo comment. in Genesim. Sanctus autem Augustinus tract. 6 in Joan., putat ligna fuisse imputribilia. Sanctus Hieronymus in Quæstionibus Hebraicis in Genes., legit *quadratis*, quæ mystice exponit de doctoribus. Apud Theodoretum, dialogo 1 *immutabilis*, citat orthodoxus sanctum Hippolytum, qui ait arcam fuisse de lignis imputribilibus. Alcimus Avitus Viennensis, in carm. de initio mundi, silvas, quercus, robora convehit ad arcæ constructionem. GUSSANV. Gopher est cedri species. Plinius, inquit Buxtorfius, meminit lib. XIII, cap. 5, cujusdam cedri, quæ cariem non sentit.

[b] Sunt tamen etiam Ecclesiæ membra animæ infirmæ atque in bono suo non perseverantes, quod impie negant Calviniani. Solos itaque hic attendere videtur prælatos potentes opere et sermone, qui dum fideles pascunt, regunt, custodiunt, arcam mysticam scilicet Ecclesiam ædificant continendis servandisque populis præparatam.

operum fluctus transierint, in cœlesti patria sancta Ecclesia velut in monte requiescet excelso. In hujus itaque arcæ ædificationem vos currere, relecta fraternitatis vestræ epistola, rectæ fidei compage gaudemus; magnasque omnipotenti Deo gratias exsolvimus, qui, et immutatis gregis sui pastoribus, fidem quam semel sanctis Patribus tradidit etiam post eos immutabilem custodit. Prædicator autem egregius dicit : *Fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Jesus* (*I Cor.* III, 11). Quisquis igitur cum dilectione Dei et proximi, fidei, quæ est in Christo, firmitatem tenet, eumdem Jesum Christum Dei et hominis filium apud se a Patre posuit fundamentum. Sperandum ergo est quia ubi Christus fundamentum est, bonorum quoque operum sequatur ædificium. Ipsa quoque Veritas per se dicit : *Qui non intrat per ostium in ovile ovium, sed ascendit aliunde, ille fur est et latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ovium* (*Joan.* X, 1). Et paulo post subjicit, dicens : *Ego sum ostium.* Ille ergo ad ovile ovium intrat per ostium, **1134** qui intrat per Christum. Ipse autem per Christum ingreditur, qui de eodem Creatore ac Redemptore humani generis vera sentit et prædicat, prædicata custodit, culmen regiminis ad officium portandi oneris suscipit, non ad appetitum gloriæ transitorii honoris. Curæ quoque suscepti ovilis solerter invigilat, ne oves Dei aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum persuadentes devastent. Sed in his omnibus ipse nos instruat, qui propter nos homo factus est. Qui dignatus est fieri quod fecit, ipse et infirmitati meæ, et tuæ charitati spiritum sui amoris infundat, atque in omni sollicitudine et custodia circumspectionis oculum nostri cordis aperiat.

Quod vero ad sacros ordines rectæ fidei viri perducuntur, eidem omnipotenti Deo sine cessatione gratiæ solvendæ sunt, et pro vita piissimi et Christianissimi domni imperatoris nostri, et tranquillissima ejus conjuge, et ejus mansuetissima sobole, semper orandum est, quorum temporibus hæreticorum ora conticescunt, quia etsi eorum corda in insania perversi sensus ebulliunt, orthodoxi tamen imperatoris tempore prava quæ sentiunt eloqui non præsumunt; ita ut aperte videamus impleri quod scriptum est : [c] *Congregans sicut in utre aquas maris* (*Psal.* XXXII, 7). Aqua enim maris sicut in utre congregata est, quia amara hæreticorum scientia quidquid hodie pravum sentit, in pectore comprimit, et aperte dicere non præsumit. Tua vero fraternitas spiritaliter edocta rectam per omnia fidem protulit, et quæ quærenda erant subtiliter enarravit. Fides itaque vestra fides est nostra. Ea tenemus quæ dicitis, ea dicimus quæ tenetis.

Quia vero pervenit ad nos in Orientis Ecclesiis nullum ad sacrum ordinem nisi ex præmiorum datione pervenire, si ita esse vestra fraternitas agnoscit, hanc primam oblationem omnipotenti Deo offerat, ut a subjectis sibi Ecclesiis errorem simoniacæ hæreseos compescat. Nam ut alia taceam, quales esse in sacris ordinibus poterunt, qui ad hos non merito, sed præmio provehuntur? Seimus autem quanta animadversione hanc apostolorum princeps insecutus est, qui primam damnationis sententiam contra Simonem protulit, dicens : *Pecunia tua tecum sit in perditionem, quia donum Dei existimasti pecunia possideri* (*Act.* VIII, 20). Ipse quoque Creator ac Redemptor humani generis Dominus Deus noster cum flagellum de resticulis fecisset, de templo cathedras vendentium columbas evertit (*Matth.* XXI). Quid est enim aliud in templo columbas vendere, nisi in sancta Ecclesia eam per quam Spiritus sanctus datur ad pretium manus impositionem dare? Sed cathedræ vendentium columbas eversæ sunt, [d] quia talium sacerdotium in sacerdotio non deputatur.

Præterea pervenit ad me, quia in ea Ecclesia quæ Neas dicitur, sæpe in Jerosolymorum urbe vestræ Ecclesiæ **1135** jurgia nascuntur. Unde sanctitas vestra debet sollicite cuncta pensare, et quædam mansuete corrigere, quædam vero quæ corrigi nequeunt æquanimiter tolerare. Aperte enim videmus quod per Psalmistæ vocem a sancta Ecclesia dicitur : *Supra dorsum meum fabricaverunt peccatores* (*Psal.* CXXVIII, 1, 2). In dorso quippe onera portantur. Supra dorsum ergo nostrum fabricant peccatores, quando eos quos corrigere non possumus patiendo portamus. Navis etenim gubernator cum adversari sibi ventum considerat, quosdam fluctus directo clavo exsuperat, quosdam vero quos superari non posse prævidet inflexo cursu prudenter declinat. Sic itaque sanctitas vestra quædam compescendo, quædam tolerando mitiget, ut in sancta Jerosolymorum Ecclesia pacem cohabitantium per omnia conservet. Scriptum quippe est : *Pacem sequimini cum omnibus, et sanctimoniam, sine qua nemo videbit Deum* (*Hebr.* XII, 14). In rixa etenim mentis ipsum lumen clauditur bonæ intentionis. Unde Psalmista dicit : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8). Et quid jam in nobis boni operis remanet, si pacem ex corde perdimus, sine qua Dominum videre non valemus? Vos itaque ita agite, ut de his quoque qui per jurgium perire poterant mercedis vestræ lucra colligatis. Omnipotens Deus dilectionem tuam gratia cælesti custodiat, et de his qui tibi commissi sunt [e] fructum multiplicem ac mensuram supereffluentem ad

[c] Hanc expositionem præformaverat Augustinus in psal. XXXII : *Modo intra mortalia pectora inclusum amarum est..... Ipse congregavit velut in utrem aquas maris, ut mortalis pellis contegat amaram cogitationem.*

[d] Verba hæc benigne interpretanda. Non enim impedit simonia ne quis vere et reipsa ordine sacro insigniatur. Exteriorem administrationem non impedit occultum crimen; qui tamen ita [promotus est, possidendo non præscribit, etiam post triennium, quia non vere, id est non legitime promotus est; quod odio tanti criminis invaluisse credimus, quandoquidem in aliis illegitimis promotionibus indulgentior est Ecclesiæ censura. Vide not. in epist. 46 lib. II.

[e] Vulgati, *fructum multiplicet, ac mensuram..... concedat.*

æterna gaudia reportare concedat. (*Videl.* VII, *ep.* 32.)

## EPISTOLA XLVII.

AD ANATOLIUM DIACONUM CONSTANTINOPOLITANUM.

*Neque Joannem, neque episcopum alium ob corporis infirmitatem deponendum.*

Gregorius Anatolio diacono Constantinopolitano.

Scripsit mihi tua dilectio (*Grat.* 7, *q.* 1, *c.* 1), piissimum domnum nostrum reverendissimo fratri meo Joanni, primæ Justinianæ episcopo, pro ægritudine capitis quam patitur, præcipere succedi, ne forte dum episcopi jura eadem civitas non habet, quod absit, ab hostibus pereat. Et quidem nusquam canones præcipiunt ut pro ægritudine episcopo succedatur. Et omnino injustum est ut si molestia corporis irruit, honore suo privetur ægrotus. Atque ideo hoc per nos fieri nullatenus potest, ne peccatum in mea anima ex ejus depositione veniat. Sed suggerendum est ut si is qui est in regimine, ægrotat, [a] dispensator illi requiratur talis qui possit ejus curam omnem agere, et locum illius in regimine Ecclesiæ, ipso non deposito, conservare, ac in custodia civitatis implere, **1136** ut nec omnipotens Deus offendatur, neque civitas inveniatur esse neglecta. Si vero idem reverendissimus Joannes fortasse pro molestia sua petierit ut ab episcopatus honore debeat vacare, eo petitionem scripto dante concedendum est. Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo [b] non valemus. Quod si hoc ita petere ille noluerit, quod piissimo imperatori placet, quidquid jubet facere, in ejus potestate est. Sicut novit, ipse provideat. Nos tantummodo in depositione talis viri non faciat permisceri. Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur. Si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus portamus. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 39.)

## EPISTOLA XLVIII.

AD URBICUM ABBATEM.

*Inconstantiam ac temeritatem illius increpat. Quis in Lucusiano monasterio abbas, quis præpositus esse debeat, ipse præcipit.*

Gregorius Urbico abbati.

Valde me contristatum dilectio tua cognoscat quod tantam in congregatione monasterii nostri confusionem evenisse cognovi, quod dum de ordinando abbate aliquid in [a] Lucusiano monasterio disponeres, non unum, sed pene duos abbates fecisti : mane, audio, Domitium presbyterum, vespere vero latorem præsentium Bonum servum Dei. Ex qua re aspicio quam dissoluta sit regula monasterii, dum nec monachi ejusdem monasterii tibi ad obediendum parati exstiterint, nec tu constanter aliquid disponere potuisti. Unde vehementer ingemisco quia aliter esse monasterium nostrum quam putabam invenio. Quod ex nulla alia re evenire valuit, nisi quia tua dilectio in regimine suo inordinata est, nec cum gravitate aliquid valet disponere; sed modo studet peccantibus [b] enerviter blandiri, modo inordinate et extra modum nimie irasci. Nam si semetipsam in mentis suæ ratione tenere potuisset, et ipsa ejus maturitas haberi in reverentia potuit, et disciplinæ in monasterio ordo servari. Hoc autem factum detestius puto, quod prædictum Bonum, monachum, de monasterio quod construxit, sine jussione mea tollere præsumpsisti, maxime quia nec ætati ejus expedire suspicor, ut possit in regimine præesse. Ideoque volumus ut Domitius presbyter abbas esse Lucusiani monasterii debeat, eique præpositus Lucifer monachus fiat, in cujus requiescere solatio valeat. Ex nostra itaque auctoritate hæc te disponere, Deo adjuvante, præcipimus. Cui dispositioni si quis præsumpserit ingratus existere, ad nos sine dubio transmittatur. Acceptis ergo scriptis nostris, fratrem et coepiscopum nostrum Victorem **1137** ad Lucusianum monasterium dilectio tua invitet, quatenus ipse illic missarum solemnia celebrare, et prædictum Domitium auctore Deo abbatem ordinare debeat; ne dum tuum consilium sequimur in errorem sicut cæci ducamur. Nam Catellum monachum in Lucusiano monasterio præpositum dilectio tua fieri voluerat. Quod postquam fieri mandavimus, quia monachus non sit agnovimus. Ex parva enim eulogia, quam Bonus monachus accepit, partem petendo contentionem facere in itinere minime timuit. Quod ex quanta amaritudine cordis descenderit, tua poterit dilectio scire, si [c] regulam monachorum nosse voluisset. Ex discipulo autem tuo cognovimus quia tu qui abbas diceris, esse adhuc monachus nescis. Et credo quod non disparis mentis sit in hac divisione [d] cellerarius etiam Lucifer, quem præpositum fieri diximus. Sed tolerabilius est antiquiorem *fratrem* quam novum et puerum tolerare.

Epist. XLVII [*Al.* 41]. — [a] Ægrotanti invito non succeditur; accedere potest alius, qui loco ejus regat. An presbyter de proprio clero? an episcopus adventitius sub titulo in partibus infidelium consecratus, quem coadjutorem vocant, cum futura successione? an sine futura successione suffraganeus et vacans? Gussanv.

[b] Excusi, *non audemus*. Sequimur Reg., Remig., Vat., etc., passim mss. Codices.

Epist. XLVIII [*Al.* 42]. — [a] Legitur *Lucuscano* in plerisque Mss. Urbicus prius præpositus, ex epist. 6 lib. v, postea abbas sancti Hermetis, alias sancti Joannis Baptistæ, nunc sancti Joannis de eremitis, apud Panormum, ex epist. 48 lib. VI, jubente sancto Gregorio, curam habuisse etiam aliorum monasteriorum Siciliæ videtur, in his Lucusiani, quod Gregorius suum appellat monasterium, quia scilicet ejus munificentia fuerat constructum ac fundatum cum quinque aliis in Sicilia, teste Joan. Diac., lib. I, c. 5. Monasteriorum Benedictinorum seu Gregorianorum in Sicilia præpositum generalem fuisse Urbicum docet Rochus Pirrus, lib. IV, parte 2.

[b] Vulgati, *leniter blandiri*. Placet magis alia lectio, quæ præsertim est Rhem., Norm. et Vatic. D.

[c] Scilicet a sancto Benedicto scriptam, ubi cap. 54, vetat monachos eulogias sine jussu abbatis accipere. Sanctus Gregorius, lib. II Dialog., cap. 36, de S. P. Benedicto : *scripsit*, inquit, *monachorum regulam*.

[d] Excusi, *cellarius*. Melius, *cellerarius*, ex Mss. Angl., Vatic. D, Victor. et plur. Hanc lectionem confirmant epist. 24 lib. XII et Regula sancti Benedicti, ubi frequenter agitur de monasterii cellerario, nusquam de cellario. In regulis tamen monasticis legitur etiam *cellerarius*, et *cellarius*, ut videre est in Concordia Regul., pag. 581 et seq.

## EPISTOLA XLIX.

AD URBICUM ABBATEM.

*De Lucusiani monasterii pecunia Petro Tricalitano episcopo det solidos* XL.

Gregorius Urbico abbati.

Dilectio tua præsentia scripta suscipiens de solidis Lucusiani monasterii, quos apud eum Salerius notarius noster esse renuntiavit, sine mora vel excusatione aliqua XL solidos fratri nostro Petro Tricalitano episcopo dare studeat. Sed et monachis quos apud se pro eorum salute de eodem monasterio præfatus frater noster abstulit studii tui sit abbati antefati Lucusiani monasterii districtius imminere, ut alimoniam [a] et vestimenta annis singulis exinde præbere modis omnibus debeat.

## EPISTOLA L.

AD ADRIANUM NOTARIUM.

*Agathosæ maritum suum, nolente ipsa tonsuratum et monachum, reddi jubet.*

Gregorius Adriano notario Panormitano.

Agathosa (*Grat.* 27, *q.* 2, *c.* 21) latrix præsentium questa est maritum suum contra voluntatem suam in monasterio Urbici abbatis esse conversum. Quod quia ad ejusdem abbatis culpam et invidiam non est dubium pertinere, experientiæ tuæ præcipimus ut diligenti inquisitione discutiat, ne forte cum ejus voluntate conversus sit, vel ipsa se mutare promiserit. Et si hoc repererit, et illum in monasterio permanere provideat, et hanc, sicut promisit, **1138** mutare compellat. Si vero nihil horum est, [a] nec quoddam fornicationis crimen, [b] propter quod viro licet relinquere uxorem, prædictam mulierem commisisse cognoveris, ne illius conversio uxori relictæ in sæculo fieri possit perditionis occasio, volumus ut maritum suum illi, vel si jam tonsuratus est, reddere omni debeas excusatione cessante. Quia etsi [c] mundana lex præcipit, conversionis gratia, utrolibet invito, posse solvi conjugium, divina hoc tamen lex fieri non permittit. Nam, excepta fornicationis causa, vir uxorem dimittere nulla ratione conceditur, quia postquam copulatione conjugii viri atque mulieris unum corpus efficitur, non potest ex parte converti, et ex parte in sæculo remanere. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 41.)

## EPISTOLA LI.

AD UNIVERSOS SICILIÆ EPISCOPOS.

*Adversus imminentem hostium invasionem binas per hebdomadam litanias indicant, et fideles a sæculari perversitate dehortentur.*

Gregorius universis episcopis Siciliæ.

A Super afflictiones et gemitus quos annosa hic continuatione de hostibus sustinemus major nos metus excruciat, quod inimicos nostros omni annisu ad Siciliæ invasionem cognoscimus festinare. Sed ne hæc illis molientibus prosperitatem multitudo nostrorum præbeat peccatorum, toto nos corde ad Redemptoris nostri remedia conferamus, et quibus resistere virtute non possumus, lacrymis obviemus. Nam quid vobis cavendum, quidve sit vehementius formidandum, ex istius provinciæ debetis desolatione colligere. Itaque hortor, fratres charissimi, ut omni hebdomada quarta et sexta feria [a] litaniam inexcusabiliter indicatis, et contra barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium imploretis. Sed ut ad aures Dei viam precibus faciatis, vigilan-
B tius studendum est ut voces actibus adjuventur; nam inanis fit oratio, ubi prava est actio. Quia igitur quanto immane cernitis imminere periculum, tanto simul omnes in fletu debetis et gemitu occupari, filios vestros a sæculari perversitate, sacerdotali quamprimum adhortatione compescite. Discant injusta contemnere, et quæ Deo placita sunt amare, ut illos possitis habere ad impetrandam divinæ misericordiæ gratiam adjutores, ne si neglexeritis, actio eorum preces orationum superet, et sævientis inimici gladius, quod absit, resecet quos monentis verba non corrigunt. Deus autem noster justus et pius est, et sicut perseverantibus in pravitate districtus est, ita conversis misericors. Ad ipsum ergo **1139** tota
C mente contriti cordis ejulatione curramus, ab ipso ereptionis nostræ solatia postulemus. Qui quoniam benignus et mitis est, si nos a malis nostris emendatos sua viderit mandata diligere, et hic nos potens est ab hoste defendere, et in futuro æterna nobis gaudia præparare. (*Cf. Joan. Diac. l.* IV, *c.* 53.)

## EPISTOLA LII.

AD DONUM MESSANENSEM EPISCOPUM.

*Id compleatur quod Placidum inter et Messanensis Ecclesiæ actores judicatum est.*

Gregorius Dono episcopo Messanensi.

Nullus unquam contentionibus finis imponitur, si impleri ea quæ judicata fuerint differantur. Filius itaque noster Placidus, vir magnificus, questus est
D nobis ea quæ inter eum et actores Ecclesiæ vestræ Dei judicio definita sunt fraternitatem vestram nolle complere. Quod si ita est miramur, ut dum quieti vestræ vos deceat studere, contentionis vobis scrupulum reservetis. Proinde scriptis vos præsentibus

---

EPIST. XLIX [*Al.* 43]. — [a] In Vatic. A, qui pene solus cum Remig. et Victor. epistolam hanc exhibet, *et vestiarium.*

EPIST. L [*Al.* 44]. — [a] Apud Gratianum, loco laudato, *nec quondam.*

[b] Ea videtur fuisse Gregorii sententia, ut propter admissum ab altero conjugum fornicationis crimen, alteri liceret monasterium ingredi, atque ibi monasticam vitam cum stabilitate profiteri.

[c] De ea supra. Vide novell. Justiniani 123, c. 40, quæ videtur posse explicari de matrimonio rato, quod tunc non venit in mentem sancti Gregorii. Nunc autem matrimonium ratum solvitur religionis ingressu, modo non fuerit consummatum. Quid si copula præcesserit nuptias, poteritne vir uxore invita religionem ingredi? GUSSANV. Ista novella laudatur ad hunc canonem in novissima corporis juris can. Editione; verum pro c. 40 assignatur c. 58, ut est divisa novella apud Julianum.

EPIST. LI [*Al.* 45]. — [a] Litania a verbo Græco λίσσομαι, *supplico*, significat hic supplicationem publicam. Nomen sumpsit a verbis illis *Kyrie eleison*, quæ præmittuntur. Hinc sanctus Benedictus reg. c. 9, *post hoc.... supplicatio litaniæ, id est Kyrie eleison.* De his fuse in notis ad lib. Sacram. et infra in appendice epistolarum.

adhortamur ut subtiliter requirere debeatis. Et si quid minus impletum est, si tamen nihil est quod juste possit obsistere, sine discordia compleatur; quatenus [a] nec supradictus magnificus vir se queratur irrationabiliter fatigari, nec vos contra ordinis vestri propositum videamini despexisse quod justum est. [b] Datum mense Junii, indict. 4.

## EPISTOLA LIII.

AD ADRIANUM NOTARIUM.

*Incantatores et sortilegos insequi pergat.*

Gregorius Adriano notario.

Pervenit ad nos (*Grat.* 26, *q.* 5, *c.* 8) quod quosdam [a] incantatores atque sortilegos fueris insecutus. Et omnino nobis sollicitudinem zelumque tuum gratum fuisse cognoscas; sed moleste tulimus quod te dubitare ne ab eis nobis contra experientiam tuam subripi potuisset didicimus, cum certus esse ac scire debueris hoc tibi apud nos ad commendationem magis proficere, non ad culpam ascribi. Et ideo studii tui sit sollicite quærere, et quoscunque hujusmodi inimicos Christi inveneris, ita districta ultione corrigere, ut et nos de experientia tua melius debeamus habere judicium, et Deo nostro te, quod maxime studendum est, valeas commendare [b].

## EPISTOLA LIV.

AD DESIDERIUM GALLIÆ EPISCOPUM.

*Quod episcopus grammaticam artem docere non debeat. Quos cum Laurentio et Mellito mittit in Britanniam monachos commendat.*

Gregorius Desiderio [a] episcopo Galliæ.

Cum multa nobis bona de vestris fuissent studiis nuntiata (*Grat.*, *dist.* 86, *c.* 5), ita cordi nostro nata est lætitia, **1140** ut negare ea quæ sibi fraternitas vestra concedenda poposcerat minime pateremur. Sed post hoc pervenit ad nos, quod sine verecundia memorare non possumus, fraternitatem tuam grammaticam quibusdam exponere. Quam rem ita moleste suscepimus, ac sumus vehementius aspernati, ut ea quæ prius dicta fuerant in gemitum et tristitiam verteremus, quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et quam grave nefandumque sit episcopis canere quod nec laico [b] religioso conveniat, ipse considera. Et quamvis dilectissimus filius noster Candidus presbyter postmodum veniens hac de re subtiliter requisitus negaverit, atque conatus vos fuerit excusare, de nostris tamen adhuc animis non recessit quia quanto exsecrabile est hoc de sacerdote enarrari, tanto utrum ita necne sit districta et veraci oportet satisfactione cognosci. Unde si post hoc evidenter ea quæ ad nos perlata sunt falsa esse claruerint, nec vos nugis et sæcularibus litteris studere constiterit, Deo nostro gratias agimus, qui cor vestrum maculari blasphemis nefandorum laudibus non permisit, et de concedendis quæ poscitis securi jam et sine aliqua dubitatione tractabimus. Monachos vero quos una cum dilectissimo filio nostro Laurentio presbytero et Mellito abbate ad reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum transmisimus vobis in omnibus commendamus, ut, fraternitate vestra solatiante, nulla illos ad proficiscendum mora valeat impedire. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c.* 53.)

## EPISTOLA LV.

AD VIRGILIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

*Ut synodus ad eradendam simoniam cogatur insistat. Serenum episcopum a pravorum hominum societate cohibeat. Monachos ad Augustinum euntes habeat commendatos.*

Gregorius [a] Virgilio episcopo Arelatensi.

Cum divinæ lectionis testimonio idolorum servitus avaritia nuncupetur, quo studio de templo Dei sit pellenda cognoscitur, et a quibusdam sacerdotibus, quod gementes dicimus, non cavetur. Tenet enim captivum cor sæva cupiditas, et licitum suadet esse malum quod imperat, atque id agit, ut uno eodemque gladio et dantem et accipientem interimat. Quis igitur post hoc locus contra avaritiam tutus esse prævaleat, si Dei illi a pravis sacerdotibus aperiatur Ecclesia? Quando ovium septa inviolata custodiat, qui intrare lupum invitat? Proh nefas! manus illicito munere polluit, et alios se benedictione credit erigere, cum ipse jam sit propria iniquitate substratus, et sua nihilominus ambitione captivus. Hujus ergo mali rapacitas, quia arcem vestræ mentis nunquam intraverit, et innoxias habere vos manus de ordinationibus perhibetis, omnipotenti Deo gratias agite, et tanto ei vos debitores esse cognoscite, quanto illæsi ab hujus morbi contagio eo custodiente mansistis. Sed hæc vobis minus quam poterant bona proficiunt, si hoc et in aliis sollicite **1141** [b] non vetastis. Sicut autem in te istud tibi cenda in academiis grammatica prælegendisque in schola auctoribus ethnicis arcere videtur Gregorius. Id tamen fecerunt plerique tum in monasteriis, tum in episcopiis et circumadjacentibus locis ecclesiasticis, tum in generalibus studiis; et quod sancto Gregorio Nyss. vitio datum est, aliis laudi ducitur. Imo Gregorius ipse libro v comment. in I Regum c. III, num. 30, grammaticæ studium, aliarumve artium, ut vocant, liberalium peritiam impense laudat, quod illis in sacræ Scripturæ intelligentia multum juvemur. Itaque non rem ipsam culpari arbitramur, sed rei modum.

Epist. LII [*Al.* 46]. — [a] Excusi, *nec sint quibus supradictus*. Infra habent *ordinis nostri* pro *vestri*, quod in omnibus Vatic., Norm., etc., legitur.

[b] Hæc desunt in plerisque Mss. Reperiuntur in Vatic. B. et E, necnon in Colbert., ubi tamen assignatur indictio 3.

Epist. LIII [*Al.* 47]. — [a] Circa illa tempora magnum fuisse numerum sortilegorum docent plerique conciliorum canones, ut Venetici, Agathensis, Aurelian. I, Antissiodorensis, Narbon., Liptinensis. Gussanv.

[b] In duobus Colbert. præmittitur huic epist., *mense Junii, indictione* 4.

Epist. LIV [*Al.* 48]. — [a] Episcopo Viennensi, de quo epist. 54 lib. VI.

[b] Religiosum intelligo pium virum, quem a do-

Epist. LV [*Al.* 49]. — [a] In Vatic. A, D, E, *Vergilio*.

[b] Vatic. A, B, D, E, *non vitastis*. Consentiunt Norm. et plerique.

malum displicuit, ita hoc et [c] in fratre zelari debueras. Nam dum divina præcepta nos moneant proximos sicut nos ipsos debere diligere, non parvæ culpæ est despicere, et quod sibi quisque metuit, aliis non timere. Vel nunc ergo, dilectissime frater, da operam ut quod a correptione quiescendo in aliis perdidisti resarcias, et ab hac quos potueris pravitate compescas, atque ut synodus ad eradendam ipsam hæresim congregari possit insiste, quatenus cum dilectionis vestræ mercede melius ab omnibus caveatur quod, auctore Deo, omnium fuerit constitutione damnatum.

Pervenit præterea ad nos (*Grat.* 2, *q.* 7, *c.* 59) fratrem et coepiscopum nostrum Serenum Massiliensem pravos homines omnino in societatem suam recipere, ita denique ut presbyterum quemdam, qui post lapsum in suis adhuc dicitur iniquitatibus volutari, familiarem habeat. Quod a vobis subtiliter requirendum est. Et si ita constiterit, curæ vobis sit nostra hoc sic vice corrigere, ut et qui talem recipit, non familiaritate fovere, sed discat potius ultione comprimere; et qui receptus est, idem discat cum lacrymis peccata diluere, non iniquitatem in immunditiis cumulare.

Monachos vero quos ad reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum transmisimus fraternitas vestra habeat in omnibus commendatos; et ita eis ad proficiscendum solatiari studeat, atque concurrere, ut vobis sibi opitulantibus celeriter, Deo protegente, quo directi sunt [d] valeant perexire.

## EPISTOLA LVI.

AD ÆTHERIUM EPISCOPUM LUGDUNENSEM.

*Ut insistat ad synodum cogendam. De privilegiis Ecclesiæ suæ mittat exemplaria. Irenæi scripta non inveniri. Commendat monachos ad Augustinum in Angliam missos.*

Gregorius Ætherio episcopo Galliæ.

Epistolarum vestrarum plena venerabili gravitate locutio ita sibi cordis nostri [a] fixit affectum, ut mutuum semper libeat miscere sermonem, quatenus et si [b] corporali vestra præsentia frui non valemus, nil sibi contra nos absentia hoc intercurrente valeat commercio vindicare. Quantus namque in vobis ecclesiastici ordinis amor eniteat, quanta sit dilectio disciplinæ, quantum observantiæ studium salubrium decretorum, ex illo quod nostram submisse et omnino libenter adhortationem accipitis, et servandam inviolabiliter **1142** prædicatis, ostenditis. Quia igitur ad aliorum emendationem promptum cor geritis, et vetustatis malum libera, sicut decet, voce damnatis, postquam et aliis fratribus coepiscopisque nostris ipsa voluntas est, oportet ut unanimes contra dominicos hostes insurgere, et avaritiam de domo Dei synodali debeatis definitione projicere. Nihil in dandis ecclesiasticis ordinibus [c] auri sæva fames inveniat, nil blandimenta subripiant, nil gratia conferat: [d] honoris præmium vita sit, provectus incrementum modestia, ut obtinente hujusmodi observantia, et indignus qui præmiis quærit ascendere judicetur, et digne cui bonum testimonium actio perhibet honoretur. Hæc vobis, dilectissime frater, cura sit, hæc animis vestris sollicitudo semper invigilet, ut et zelum quem litteris ostenditis cordis vestri testem esse opere demonstretis. Itaque assidue instanterque ad congregandam synodum imminete; et ita vos enixius exhibete, ut nominis dignitatem officii administratione compleatis.

De eo vero quod Ecclesiæ vestræ concedendum ex antiqua consuetudine deposcitis, requiri in scrinio fecimus, et nihil inventum est. Unde nobis epistolas quas vos dicitis habere transmittite, ut ex eis quid concedendum est colligamus.

Gesta vero vel [e] scripta beati Irenæi jam diu est quod sollicite quæsivimus, sed hactenus ex eis inveniri aliquid non valuit.

Præterea fraternitas vestra monachos quos ad reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum direximus habere studeat in omnibus commendatos, suamque illis charitatem propter Deum exhibeat; atque illis ita studio sacerdotali obnixe concurrat, et suo eos solatio ad agendum iter adjuvare festinet, ut dum nulla eis illic res morandi causas intulerit, et hi celerius pergere, et vos mercedem de præstitis invenire possitis. [f] Datum die 10 Julii, indict. 4. (*Vid. sup. epist.* 49.)

## EPISTOLA LVII.

AD ARIGIUM EPISCOPUM VAPINCENSEM.

*Damnandæ in concilio simoniæ operam impendat. Faveat monachis ad Augustinum euntibus.*

Gregorius Arigio episcopo [a] Galliarum.

[c] Excusi, *in fratre cum dolore zelare debueras.*

[d] Vulgati, *valeant pervenire.* In duobus Teller. *valeant exire.* Subditur: *Data die Kalendas Januarii, indict.* 4. Idem legitur in Remig., sed omittitur *Januarii.*

EPIST. LVI [*Al.* 50]. — [a] Vatic. A et B, *vinxit*, Vatic. F, *junxit affectum.*

[b] Norm., Corb. et duo Vatic., *corporali vobis frui præsentia non valemus.*

[c] In recent. omittitur *sæva.* Qua ratione, nescimus; legitur enim in omnibus fere Mss. et in vet. Edit., convenitque maxime auri fami et insaniæ hoc epithetum.

[d] Locus hic ope Mss. sanandus fuit; sic enim antea legebatur: *honoris præmium vitæ sit provectus, sapientiæ incrementum, modestiæ morum.* Nostram lectionem hausimus in Norm., tribus Vatic., Corb., San Vict., Reg. In Rhem. et Vatic. D, post *provectus* additur *sapientia.*

[e] Conqueritur sanctus Gregorius scripta simul et gesta sancti Irenæi a se non potuisse reperiri. Scripta pleraque habemus, vel potius scriptorum versionem Latinam, sed gesta authentica nemo hactenus protulit. Irenæo martyris titulum tribuit sanctus Hieronymus semel tantum, scilicet comment. in Isaiam, c. 64, cum sæpe scriptorum illius honorificam faciat mentionem. Et quidem de ejus martyrio nonnulli dubitant. Hinc fortasse a martyris titulo sanctus Gregorius de ipso loquens abstinet. Si legeris Guillelmum Cave, de Scriptoribus Eccl., Irenæi martyrium impugnantem, consule postea Tillemontium, tomo III hist. Eccles., in Irenæo.

[f] In duobus Teller.: *Data die decimo Kalendas Julii, indict.* 4. In tribus Vatic.: *Mense Julio, indict.* 4. In Remig.: *Data mense Septembri, indict.* 4.

EPIST. LVII [*Al.* 51]. — [a] De Arigio episcopo Vapincensi, vide epist. 107, indict. 2.

Cum in fraterna dilectione unum cor, unus sit animus, sicut in alterius prosperis mens lætatur, ita in adversis affligitur, quia in utroque [b] particeps esse lege charitatis astringitur. **1143** Atque ideo major nos de tristitia vestra mœror invaserat, ne fortasse prolixi luctus afflictio assiduo cor vestrum dolore pulsaret, et vitam gemitibus oneraret. Sed, susceptis charitatis vestræ epistolis, optato sumus gaudio consolati, atque omnipotenti Deo gratias egimus, [c] quia et unanimitatem vestram incolumem, et animum ad consolationem rediisse cognovimus. Nec enim aliter de vobis fuerat æstimandum, nisi quia quidquid adversitatis esset sacerdotali sine dubio patientia vinceretis.

Qualiter præterea in abscindenda simoniaca hæresi fraternitatis vestræ zelus olim exarserit, bene recolimus. Unde hortamur ut, operam studiosius impendentes, districta inter alia quæ scripsimus, concilii definitione damnetur; quatenus dum voluntatis nostræ intentio sollicitudinis vestræ fuerit ope completa et omnipotenti Deo oblationem gratissimam de vitiorum correptionibus offeratis, [d] et aliorum ædificationem qualiter in vobis pastoralis officii cura fulgeat ostendatis. Experientia autem vitæ vestræ nos provocat, quam valde multis præeminere cognovimus, ut de vobis hac in re grande solatium præsumamus. Et ideo [e] favorem vestrum sicut Deo auctore cœpistis explete, ut bona quæ in vobis recta intentione cœpta sunt, juvante Deo Creatore omnium rectius impleantur.

**1144** Præterea monachis quos ad reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum transmisimus, charitatem suam fraternitas vestra, ut consuevit, impendat; et ita eis tam per se quam per alios quos potuerit ad proficiscendum solatiari studeat, ut dum vobis providentibus nullas illic difficultates vel moras habuerint, et nos quod de vobis confidimus sentiamus, et Deus vobis omnipotens pro conversione animarum, pro quibus transmissi sunt, suam gratiam recompenset.

## EPISTOLA LVIII.

### AD DIVERSOS EPISCOPOS GALLIÆ.

*Commendat monachos in Angliam ad Augustinum euntes.*

Gregorius, [a] Mennæ [b] Telonæ, Sereno Massiliæ,

[b] Vulgati, *participes esse lege charitatis astringimur.*

[c] Ita Mss., cum in Editis legatur, *qui et humanitatem*, vel *quia unanimitatem.*

[d] Al., *et ad aliorum ædificationem*, ut habent Editi, at pauci Mss.

[e] In Excusis, *fervorem vestrum*, reluctantibus Mss. pene omnibus.

Epist. LVIII [*Al.* 52]. — [a] Ita passim Mss. antiquiores et emendatiores. In tertio Colbert., pro *Telonæ*, legitur *Tolosano* (quod etiam habent Excusi plurimi) et *Leontio* pro *Licinio*. In veteri Colb., pro *Cabilloni*, occurrit *Cavalon*. In duobus veteribus Colb., *Rotomo*, vel *Rotumo*. In cæteris, *Rotomagensi*. Alias varias lectiones Mss. afferemus, singula tituli nomina sive episcoporum vel civitatum expendendo. Cæterum depravatam fuisse hanc epigraphen, aliorumve, præter Mennam, episcoporum nomina incaute addita scribit Cointius Annal. Eccles. Franc. an. 598, num. 5, et an. 601, num. 1. Duobus nititur argumentis. Argumentum prius ex eo sumit, quod in perantiquo regesto Gregorii ita concepta sit illa epigraphe: *Mennæ Tolosano et pluribus aliis episcopis Galliæ.* Quam, inquit, fere secutæ sunt Editiones Erasmi, tum Paris. an. 1518 et 1523, tum Nivell. an. 1591. At integram epigraphen exhibent omnes fere Codices Mss. in quibus Mennas Telonæ vel Telonnæ legitur, deinde alii nominantur episcopi. Præterea non in antiquis membranis, sed in uno duntaxat aut in altero Codice ms. ex recentioribus legitur *Tolosano*. Posterius argumentum ex eo petit, quod tum Aigulfus Mettensis, tum Melantius Rothom., an. 598 diem obiissent extremum, nec Lupus Cabilloni sederet cum illius decessor Gratus, Clodoveo secundo regnante, synodo Cabillon. subscripserit. De Lupo dicendum potius cum Sammarthanis in Gallia Christiana, et Bollandianis, ad 27 Januarii, falli Claudium Robertum et Joannem Chenu, atque in vulgatis catalogis Lupo præpostere Gratum præmitti. Quod Aigulfum spectat, Mabillonius, observatione in vitam sancti Arnulfi Mettensis episcopi, Act. SS. tom. II, illum ostendit non ante an. 614 sedem Mettensem iniisse. Et quidem ab Arnulfi ordinationis epocha pendet chronologia quoad pontifices Mettenses, inquit Cointius ipse ad annum 611, num. 1; atqui ex ipsomet ad annum 610, num. 14, *Pappolus Arnulfi decessor obiit.... cum sedisset annos tres, dies* 30. Ad annum vero 607, num. 19, Pappoli decessor *Arnoaldus obiit cum sedisset annos* 8, *mensem unum.* Igitur et Arnoaldi decessorem Aigulfum, ante annum 603 obiisse nihil probat, cum Mettensem sedem non ante annum 614 inierit Arnulfus. In Melantio Rothom. major difficultas, si tertius Clodovei annus quo sanctum Audoenum constat ordinatum illigetur, non anno Christi 646, sed 640, ut post Adrianum Valesium Cointius, Mabillonius, ac tandem Henschenius sentiunt. Etenim Romanus Audoeni decessor annis XIII sedisse fertur, Hidulfus ante Romanum XXVIII; ergo ante annum 600 obierat Melantius. Verum in Melantii et Hidulfi annis forte deceptus est aut corruptus Ordericus Vitalis, ut in Petro, Victricio, Silvestro, Gildardo, Flavio, Evodio, ipsum aut errasse, aut vitiatum fuisse ostendit D. Franciscus de la Pommeraie in Rothomagensium archiepiscoporum historia. Deinde chronologia illa quæ Dagoberti sexdecim annos ab Austrasiani ejus regni initio, non vero a Clotarii illius patris morte computat, etsi Fredegarium habeat auctorem (quod adeo perspicuum est ut id, ante Adr. Valesium, nemo perspexerit) indubia non videtur, quandiu insoluta tot in contrarium stant argumenta apud Chiffletium, dissert. de annis Dagoberti. Certe argumenti illius vim, quod ex sanctorum Audoeni et Eligii ordinatione sumitur, frustra infringere conati sunt Valesius, Cointius, et Henschenius, fatente Mabillonio in præfat. ad quartum sæcul. Benedict., num. 201; frustra Mabillonius ipse, qui Cointii responsionem cum approbasset in præfat. ad secundum sæcul. Benedict., eamdemque in præfat. ad quartum sæcul. reprobasset, tandem cum non occurreret melior, ad ipsam recurrit in dissertatione singulari de anno mortis Dagoberti primi, et Clodovei junioris, Analect. tom. tertio. Sed illam Cointii responsionem invicte confutat Henschenius in exegesi præliminari ad tom. tertium Aprilis, c. 1, num. 3. En apertissimum illud sancti Audoeni testimonium, lib. II de Vita sancti Eligii, c. 2: *Convenientes igitur simul in civitatem Rothom. quarto decimo die mensis tertii* (qui Maius erat, ut consentiunt eruditi) *tertio anno Clodovei juvenculi adhuc regis, die Dominica ante Litanias, inter catervas populi, inter choros psallentium, consecrati sumus gratis ab episcopis pariter episcopi, ego Rothomagi, ille vero Novioni.* Ex quo invictum istud instituitur argumentum: Eligii et Audoeni ordinatio contigit anno Clodovei juvenculi regis ter-

Lupo [c] Cabilloni, [d] Aigulfo [e] Mettis, Simplicio Parisiis, [f] Melantio Rotomo, et [g] Licinio, episcopis Francorum a paribus.

Licet fraternitatem vestram suscepti officii cura commoneat, ut religiosis viris, et præcipue in causa animarum laborantibus, omni debeat adnisu concurrere, non tamen ab re est, si sollicitudinem vestram epistolarum nostrarum sermo pulsaverit, **1145** [h] quia sicut iguis aura flante fit grandior, ita bonæ mentis studia commendatione proficiunt. Quia igitur, tio, quo littera Dominicalis erat A, Pascha die 9 Aprilis, Ascensio 18 Maii, Dominica ante Litanias seu Rogationes die 14. Atqui hæc omnia simul convenire non possunt nisi anno Christi 646. Ergo is annus Clodovei tertius erat. Et quidem ille ordinationis dies notatur 14 Maii in utrisque sancti Audoeni actis, in quibus etiam utrisque legitur : *Rexit autem beatus pontifex Audoenus Rothom. Ecclesiam an.* XLIII, *menses* III, *et dies decem; nonagenarius migravit ad Christum sub die nono Kalend. Septemb.* Is B est dies 24 Augusti, qui a 14 Maii distat III mensibus et diebus X. Atque hac ratione certissimum est Audoenum et Eligium die 14 Maii fuisse ordinatos, neque hanc diem expungi posse aut separari a die consecrationis, quod tentavit Carolus le Cointe, asserens illos die 21 Maii consecratos. Quidni et sanctum Audoenum mortuum esse 31 Augusti, contra fidem etiam Actorum et Martyrologiorum omnium ? Aliud argumentum, cujus solutionem hactenus tentavit nemo, suppeditat cometa nominatissimus. Illius meminere coævus auctor in Vita sancti Leodegarii ; Beda, lib. IV Hist., c. 12; Paulus Diac., de Gestis Langobard., lib. V, c. 35; Anastasius, lib. de Romanis Pontif., in Dono. Posterioris ævi scriptores taceo. Atqui cometa ille qui tunc apparuit *cum Hilderici mors nuntiata fuisset*, inquit coævus auctor, ex Beda et Anastasio, primum visus est mense Augusto anni Christi 678. Igitur non ante hunc annum defunctus est Childericus. At Childericus annis tribus monarchiam occupavit. Ante ipsum Clotarius III annis XIV, Clotarii decessor Clodoveus II annis XVII. Ergo non ante annum 644 incœpit Clodovei II principatus, cujus anno 3, Christi 646, ordinati sunt Audoenus et Eligius. Audoenus uno vel altero post Romani obitum anno consecratus est. Romanus annis XIII, Hidulfus Romani decessor annis XXVIII sedem Rothom. tenuit, quam post Melantium anno 602 inierat. Valesianam de anno mortis Dagoberti primi et Clodovei junioris sententiam ut firmaret Mabillonius novum addidit argumentum in laudata superius dissertatione; at, tanti viri pace dixerim, levioris momenti videtur argumentum illud quod ineluctabile ac finiendæ celebri controversiæ aptissimum censet. Quippe inscriptionem quam in vetusto Fossatensis monasterii Codice reperit, non genuinam illam esse quæ lib. primo de Vita beati Joannis abbatis Reomensis a Jona abbate præfixa est liquido demonstrant, hinc styli nitor in Vita ipsa beati Joannis a Jona conscripta, inde in Fossatensi inscriptione summa barbaries. D Igitur Vitæ beati Joannis inscriptionem a quodam certe grammatices ac forte calculatoriæ artis imperitissimo interpolatam ac vitiatam exhibet Codex Fossatensis.

[b] Telo urbs est celebris et antiqua Provinciæ Gallicæ episcopalis sub arch. Arelat. Mennam inter episcopos Tolosates auctor Galliæ Christianæ recensuit primus. Certe apparet ex catalogo Tolosanorum episcoporum a Bernardo Guidonis conscripto, qui asservatur Ms. Tolosæ in Bibliotheca Patrum Dominicanorum, nullum tunc temporis fuisse Tolosanum episcopum nomine Mennam. Præterea nulla erat causa Gregorio scribendi ad episcopum Tolosatem, eique commendandi suos monachos, cum illac non A Redemptoris nostri gratia cooperante, tanta de Anglorum gente ad Christianæ fidei gratiam multitudo convertitur, ut reverendissimus communis frater et coepiscopus noster Augustinus eos qui secum sunt ad hoc opus exsequendum per diversa loca asserat non posse sufficere, aliquantos ad eum monachos cum dilectissimis et communibus filiis Laurentio presbytero, et Mellito abbate prævidimus transmittendos. Et ideo fraternitas vestra eis charitatem quam decet exhibeat, atque ita illis ubicunque necesse fuerit auxi- essent transituri. Dedit sanctus pontifex epistolas ad episcopos Telonensem et Massiliensem, quod ad illas urbes essent appulsuri, aut per eas transituri; ad episcopos Cabilonensem, Mettensem, et Parisiensem, quod illæ civitates sedes essent regum Burgundiæ, Austrasiæ, et Neustriæ, quorum ope indigebant maxime monachi ad Anglorum conversionem profecti. Hinc ad singulos commendatitias litteras acceperant infra edendas. Verum cum in ipsorum aula B gratia et auctoritate plurimum valerent laudati episcopi, non abs re videbatur eorum auxilium flagitare. Ad Rothomagensem episcopum ut scriberet Gregorius in causa fuit quod hac in urbe fortasse navem conscensuri essent ejus monachi, ut in Angliam transmitterent. Litteris compellandi Licinium Andegavensem episcopum ratio fuit quod hic episcopus apud Franciæ reges, quibus cognatione conjunctus erat, maxime ob singularem sanctitatem acceptissimus esset. Præterea, per Andegavos iter erat ad mare et in Angliam, quo etiam Augustinus cum sociis Britanniam petens perrexerat. De Menna episcopo lege libri XIII epistolam 6.

[c] Legendum *Cabilloni* probat Valesius in notitia Galliæ. Est autem Cabillonum vulgo *Châlons-sur-Saône*, urbs nota ducatus Burgundiæ, ad Ararim fluvium, episcopalis sub archiep. Lugdunensi.

[d] Aigulfus, aliis Agilfus aut Agilius, ut legitur in duobus Vatic., episc. Mettensis. Illum ex filia C Clodovei Francorum regis ortum scribit Paulus Diac., de episc. Mett., quem confutat Carolus le Cointe. Vide et Chronicon episc. Mettensium, tom. VI Spicilegii Acheriani.

[e] Legendum *Mettis*, ut probat Valesius in notitia Galliæ. Est autem Mettæ, vulgo *Metz*, urbs intra fines Lotharingiæ, episcopalis, omnibus satis nota, sub archiepiscopo Trevirensi, provinciæ Belgicæ primæ metropolitana. *Partim ex* GUSSANV.

[f] Melantius XVIII episcopus Rothomagensis Prætextato in exsilium truso, a Fredegunde regina est substitutus, ut docet Gregorius Turonensis, in lib. VIII Histor. Franc., c. 31 et 41. Sed post mortem Chilperici regis cum Prætextatus, favente Guntchramno rege, dignitati ac sedi suæ restitutus fuisset. Melantius Rothomago pulsus atque submotus est, sicuti Gregorius, lib. VII, c. 19, memoriæ tradidit. Demum Prætextato interfecto (cujus cædis et a percussore et a regis Guntchramni legatis aperte insimulatus est) iterum favente Fredegunde Rothomagensem Ecclesiam rexit, et ab ea est de integro antistes constitutus. Vide Gregorium, lib. VIII, c. 31 et 41. GUSSANV.

[g] Erat Licinius nobili prosapia oriundus, qui ex comite Andegavensi factus est XV episcopus Andegavensis, circa an. 600. Cujus vita virtutibus illustris scripta est a Marbodo Rhedonensium episcopo. Ejus mentio habetur in Martyrologio Adonis, ad diem 6 Idus Junii. Porro Andegavum, Ptolomæo Juliomagus, Gall. *Angers*, urbs episcopalis Galliæ Celticæ ad Meduanam sita inter Turones et Nannetes, academia celebris, sub archiepiscopo Turonensi. GUSSANV. In uno ex Colbert. Mss. legitur *Leontio* pro *Licinio*.

[h] Hæc usque ad *proficiunt*, in Rhem. desiderantur.

liari festinet, quatenus dum vobis opitulantibus nullas illic remorandi causas habuerint, et ipsi vestra se relevatos consolatione congaudeant, et vos solatiorum exhibitione in causa pro qua directi sunt possitis participes inveniri.

## EPISTOLA LIX.

### AD THEODERICUM FRANCORUM REGEM.

*Hortatur ad synodum convocandam, et monachos eosdem commendat.*

Gregorius [a] Theoderico regi Francorum.

Excellentiæ vestræ index cordis epistola, quanta in vobis fulgeat cum regia potestate prudentia, ita luculenti copia sermonis edocuit, ut dubium esse non valeat quidquid laudabile de vobis fama narraverit. Et quoniam adhortationem nostram adeo regiis animis per laudis prædicamenta placuisse signastis, ut quidquid ad Dei nostri cultum, quidquid ad Ecclesiarum reverentiam, quidquid ad honorem pertinere cognoscitis sacerdotum, et studiose statui, et velitis in omnibus custodiri, iterata vos pro vestra magis mercede adhortatione pulsamus, ut congregari synodum jubeatis, et, sicut [b] dudum scripsimus, corporalia in sacerdotibus vitia et simoniacæ hæreseos pravitatem omnium episcoporum definitione damnari, atque de regni vestri amputari finibus faciatis, **1146** nec plus illic pecuniam obtinere quam præcepta dominica permittatis. Nam (*Grat.* 1, *q.* 1, *c.* 20) cum omnis avaritia idolorum sit servitus, quisquis hanc et maxime in dandis ecclesiasticis honoribus vigilanter non præcavet, infidelitatis perditioni subjicitur, etiamsi tenere fidem quam neglegit videatur. Sicut ergo contra exteriores hostes, ita quoque contra interiores animarum adversarios studete esse solliciti, ut per hoc quod Dei nostri inimicis fideliter repugnatis, et hic feliciter ipsius protectione regnetis, et ad æterna postmodum gaudia ejus duce gratia veniatis.

Quanta præterea bona reverendissimo fratri et coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem proficiscenti excellentia vestra præbuerit, revertentes ab eo quidam monachi retulerunt. Unde, uberes gratias referentes, petimus ut his quoque monachis qui ad eum directi sunt suffragia vestra copiosius præbere atque eos ad proficiscendum juvare dignemini, ut quanto beneficia vestra eis amplius exhibetis, tanto majorem vicissitudinem ab omnipotente Deo, cui serviunt, exspectetis [c].

## EPISTOLA LX.

### AD THEODEBERTUM FRANCORUM REGEM.

*Hortatur ad synodum congregandam et eosdem commendat monachos.*

Gregorius [a] Theodeberto regi Francorum.

Qui paternæ adhortationis verba libenti animo suscipit, et sinu cordis amplectitur, emendatorem se vitiorum fore procul dubio profitetur. Ex qua re satis nos excellentiæ vestræ certos reddit absoluta promissio. Nam ejus quem idoneum ad solvendum esse cognoscimus verba pro pignore retinemus. Itaque excellentia vestra, Dei nostri mandatis inhærens, studium ad congregandam synodum pro sua mercede adhibere dignetur, ut omne a sacerdotibus corporale vitium, et simoniaca hæresis, quæ prima in Ecclesiis iniqua ambitione surrexit, potestatis vestræ **1147** imminente censura, concilii definitione tollatur, et abscissa radicitus amputetur, ne si plus illic aurum quam Deus diligitur, qui modo tranquillus in suis præceptis despicitur iratus in vindicta postmodum sentiatur. Et hæc quidem quia pro vobis loquimur, idcirco imminere sæpius non cessamus, ut prodesse excellentissimis ac dulcissimis filiis nostris vel importunitate possimus. Nam regno vestro per omnia proficit, si quod contra Deum in illis partibus geritur emendatione vestræ excellentiæ corrigatur.

Quanta præterea bona proficiscenti ad Anglorum gentem reverendissimo fratri et coepiscopo nostro Augustino excellentia vestra impenderit, referentibus quibusdam monachis qui ab eo reversi sunt cognovimus. De qua re maximas gratias exsolventes, petimus ut et monachis præsentium portitoribus, quos ad eumdem fratrem nostrum direximus, vestra uberius beneficia ministretis, quatenus dum vobis patrocinantibus nullas illic difficultates invenerint, sed cœptum iter facile, Christo adjuvante, peregerint, uberiorem mercedis vestræ fructum ante Dei nostri oculos faciatis.

## EPISTOLA LXI.

### AD CLOTARIUM FRANCORUM REGEM.

*Monachos ad Augustinum euntes commendat. Hortatur ad cogendam synodum adversus simoniacos.*

Gregorius [a] Clotario regi Francorum.

---

Epist. LIX [*Al.* 53]. — [a] De eo vide quæ diximus epist. 58, indict. 14.

[b] Vide epist. 110 libri IX, indict. 2.

[c] In Collectione Pauli Diac. subditur: *Data die decima Kalendas Julii, indict.* 4. Eodem fere tempore scriptæ sunt omnes illæ epistolæ ad reges et episcopos Franciæ, necnon ad Augustinum et ad regem Cantii Edilberthum, quæ a Mellito ejusque sociis delatæ sunt. Porro epistolis 64 et 66, infra, apud Bedam, lib. I Historiæ, cap. 29 et 32, in calce subjicitur etiam, *Data die decima Kalendas Julii, indict.* 4, *quod Pauli testimonium confirmat.*

Epist. LX [*Al.* 54]. — [a] De illo item epist. 58, indict. 14.

Epist. LXI [*Al.* 55]. — [a] Clotarius hic, quem quidam minorem cognominant, filius erat Chilperici, Clotarii majoris nepos, Clodovei pronepos, et post quartum ætatis mensem, patre interfecto, rex appellatus est. Patruum habuit Guntchrammum. Nam Charibertus et Sigibertus, patrui ejus, multo ante quam nasceretur perierant. Fratrem patruelem habuit Childebertum, Sigiberti filium et successorem, a quo et ab ejus filiis Theodeberto ac Theoderico oppugnatus, victus, et magna regni parte spoliatus est; ita ut aliquandiu in extrema tantum Neustria ad Sequanam, Isaram, et Suminam fluvios, et prope Oceanum regnaverit. Sed post Theodeberti et Theoderici mortem, fusis, fugatis, sublatisque Theoderici filiis, ac ipsa eorum proavia Brunichilde regina interempta, totam monarchiam solus obtinuit, et tria regna Francorum, nimirum Austriam, Neustriam atque Burgundiam, occupavit. Gussanv.

Inter tot curas et sollicitudines, quas pro subjectarum vobis gentium regimine sustinetis, existere vos in causa Dei laborantibus adjutores, eximiæ laudis et magnæ mercedis est. Et quia tales vos bonis præcedentibus ostendistis, ut præsumere de vobis meliora possimus, petere quæ pro mercede vestra sunt libentissime provocamur. Quidam igitur qui cum reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Augustino ad Anglorum gentem perrexerant, revertentes, quanta eumdem fratrem nostrum excellentia vestra in præsentia positum charitate refecerit, quantisque suffragiis proficiscentem adjuverit, narraverunt. [b] Sed quia illorum Deo nostro opera grata sunt semper qui a bonis quæ cœperint non recedunt paterno affectu salutantes, petimus ut monachos præsentium portitores, quos ad prædictum fratrem nostrum una cum dilectissimis filiis nostris Laurentio presbytero et Mellito abbate transmisimus, habeatis peculiariter commendatos. Et quidquid illi ante exhibuistis, his quoque ad laudis vestræ cumulum uberius impendatis, quatenus dum vobis providentibus cœptum sine mora iter expleverint, bonorum vestrorum omnipotens Deus recompensator existat, atque vobis et in prosperis custos, et in adversitatibus sit adjutor.

Præterea pervenit ad nos quod sacri illic ordines cum datione pecuniæ conferantur. Et vehementer affligimur, si ad Dei dona non meritis acceditur, **1148** sed præmiis prosilitur. Et quia hæc simoniaca hæresis, prima in Ecclesia surgens, apostolorum est auctoritate damnata, petimus ut pro mercede vestra congregari synodum faciatis; quatenus omnium sacerdotum definitione compressa et radicitus amputata, nullas illic vires de cætero in periculum animarum inveniat, nec ulterius sub qualibet excusatione permittatur exsurgere, ut tanto vos omnipotens Deus noster contra adversarios vestros exaltet, quanto vos in suis mandatis zelum habere, et pro animarum salute quæ hujus fuerant sceleris gladio perituræ viderit cogitare.

## EPISTOLA LXII.

AD BRUNICHILDEM FRANCORUM REGINAM.

*Monachos in Britanniam euntes commendat.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Gratias omnipotenti Deo referimus qui, inter cætera pietatis suæ dona quæ excellentiæ vestræ largitus est, ita vos amore Christianæ religionis implevit, ut quidquid ad animarum lucrum, quidquid ad propagationem fidei pertinere cognoscitis, devota mente et pio operari studio non cessetis. Quanto autem favore quantaque opitulatione excellentia vestra reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Augustinum proficiscentem ad Anglorum gentem adjuverit, nec ante silentio fama conticuit, et postea quidam ab eo ad nos monachi redeuntes subtiliter retulerunt. Et quidem hæc de Christianitate vestra mirentur alii, quibus adhuc beneficia vestra minus sunt cognita; nam nobis, quibus experimentis jam nota sunt, non mirandum est, sed gaudendum, quia per hoc quod aliis impenditis, vos juvatis. Qualia igitur, quantaque in conversione suprascriptæ gentis Redemptor noster fuerit miracula operatus, excellentiæ vestræ jam notum est. Ex qua re magnam vos oportet habere lætitiam, quia majorem sibi partem hac in re præstitorum vestrorum solatia vindicant, cujus post Deum auxiliis verbum illic prædicationis innotuit. Nam qui alterius bonum adjuvat, suum facit. Sed ut mercedis vestræ magis magisque sit fructus uberior, petimus ut monachis [a] præsentium portitoribus, quos cum dilectissimis filiis nostris Laurentio presbytero, et Mellito abbate ad prædictum reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum, pro eo quod illos qui secum sunt sufficere sibi dicit non posse, transmisimus, patrocinii vestri suffragia benignius ministretis, atque ita eis in omnibus adesse dignemini, quatenus dum bonis excellentiæ vestræ initiis meliora successerint, et nullas illic moras vel difficultates invenerint, tanto erga vos ac dulcissimos nobis nepotes vestros Dei nostri misericordiam provocetis, quanto pro ejus vos amore in hujusmodi causis misericorditer exhibetis [b].

## 1149 EPISTOLA LXIII.

AD BRUNICHILDEM FRANCORUM REGINAM.

*Ut ad evellendam simoniam synodum congregari præcipiat.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

Quanta in vobis bona divino munere sint collata, quantaque vos supernæ gratiæ pietas impleverit, inter cætera vestrorum testimonia meritorum, illud etiam cunctis patenter insinuat, quia et effera corda gentilium providi gubernatis arte consilii, et regiam, quod majoris adhuc laudis est, ornatis sapientia potestatem. Et quoniam sicut multis in utroque gentibus eminetis, ita quoque eas fidei sinceritate præcellitis, magnam de vobis in emendandis illicitis fiduciam capimus. Nam qualiter adhortationem nostram excellentia vestra amplexa sit, quantaque eamdem devotione gestiat adimplere, scriptorum vestrorum emissa dudum pagina testis est. Sed quia ipse bonarum mentium esse consuevit adjutor, qui etiam earum largitor est, confidimus quod tanto propitius causas vestras sua pietate disponat, quanto ipse de sua vos videt esse causa sollicitas. Facite quod Dei est, et Deus faciet quod vestrum est. Itaque synodum congregari præcipite, et peccatum simoniacæ hæresis de regno vestro inter alia, sicut antea scripsimus, [d] definitione concilii studiosius prohibete. Sacrificium Deo, devicto interiori hoste, offerte, ut exteriores adversarios, ipso adjuvante,

[b] Excusi, *sed quia illa Deo nostro opera grata sunt semper, quæ a bonis cœptis non recedunt.*

Epist. LXII [*Al.* 56]. — [a] Recent., *præsentium apicum.*

[b] In Collect. Pauli Diac. : *Data die decima Kalend. Juliarum, ind.* 4.

Epist. LXIII [*Al.* 57]. — [a] Vide epistolam 11 libri IX.

vincatis ; et quale vos contra inimicos ipsius studium gesseritis, talem illum in vestro juvamine sentiatis. Mihi autem credite, quia, sicut jam experimento multorum didicimus, in damno expenditur quidquid cum peccato congregatur. Si vultis igitur nihil injuste perdere, **1150** summopere studete de injustitia nihil habere. In terrenis etenim rebus semper causa damni est origo peccati. Vos itaque si eminere adversantibus gentibus vultis, si eis, auctore Deo, victrices existere festinatis, ejusdem omnipotentis Dei cum tremore præcepta suscipite, ut ipse pro vobis contra adversarios vestros pugnare dignetur, qui per sacrum eloquium pollicitus est, dicens : *Dominus pugnabit pro vobis, et vos tacebitis* (*Exod.* XIV, 14) [b].

## [a] EPISTOLA LXIV.

### AD AUGUSTINUM ANGLORUM EPISCOPUM.

*Ad varia dubia, de quibus ab Augustino consultus fuerat, respondet. — 1. De quadripartita bonorum ecclesiasticorum divisione. — 2. De clericis post clericatum uxorem ducentibus. — 3. De diversis consuetudinibus diversarum Ecclesiarum non improbandis. — 4. De pœnitentia furum et restitutione ecclesiasticarum rerum. — 5. Duo fratres possunt contrahere cum duabus sororibus. — 6. Qui sunt in contrahendo prohibiti gradus consanguinitatis et affinitatis. — 7. Neophyti in gradu prohibito juncti, nec separandi sunt, nec sacra communione privandi, sed admonendi ut abstineant. — 8. Quot sunt necessarii episcopi in episcopi consecratione. — 9. Qualiter metropolitanus in aliena provincia se habere debeat. — 10. Quod mulier prægnans et puer natus possit baptizari. Quæ menstrua patitur ab ecclesiæ ingressu non prohibetur, sed post concubitum conjuges ab ecclesiæ ingressu se abstinere debent. — 11. Quando nocturna pollutio celebrationem et communionem impediat.*

[b] Incipit epistola de expositione diversarum rerum beati Gregorii papæ urbis Romæ, quam transmisit [c] in Saxoniam transmarinam ad Augustinum, quem ipse pro se ad prædicandum misit.

*Prima interrogatio Augustini.*

[d] Quæro, pater beatissime, de episcopis qualiter cum suis clericis conversentur. Vel de his quæ fidelium oblationibus accedunt ad altaria, et quantæ debeant fieri portiones, et qualiter episcopus agere in Ecclesia debeat [e].

*Responsio sancti Gregorii papæ urbis Romæ.*

[f] Sacra Scriptura testatur, quam te bene nosse non dubium est, et specialiter beati Pauli ad Timotheum epistolæ, in quibus eum erudire studuit qualiter in domo Dei conversari debuisset. Mos autem apostolicæ sedis est (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 30) ordinatis episcopis præceptum tradere, ut de omni stipendio quod accedit [g] quatuor fieri debeant portiones. **1151** Una videlicet episcopo et familiæ ejus propter [h] hospitalitatem et susceptionem, alia clero, tertia vero pauperibus, quarta ecclesiis reparandis. Sed quia tua fraternitas (*Grat.* 12, *q.* 8, *c.* 8), monasterii regulis erudita, [i] seorsum vivere non debet a clericis suis in Ecclesia Anglorum, quæ auctore Deo nuper ad fidem perducta est, hanc debet instituere [k] conversationem quæ in initio nascentis Ecclesiæ fuit Patribus nostris, in quibus nullus eorum ex his quæ possidebant aliquid suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia (*Act.* IV).

*Secunda interrogatio Augustini.*

[a] Opto enim doceri an clerici continere non valentes, possint contrahere; et si contraxerint, an debeant ad sæculum redire.

[b] In Collect. Pauli Diac. : *Data die decima Kalend., indict.* 4. In Remigiano : *Data die* X *Kalendas Julii, indict.* 4.

EPIST. LXIV [*Al.* 31, *ind.* 7]. — [a] Hæc epistola non reperitur in multis Mss. Codd. Registri sancti Gregorii ; imo clarum est eam primitus non exstitisse in Mss. Vaticanis, ut constat ex epist. 15 Bonifacii Moguntini episcopi ad Nothelmum Cantuariensem episcopum, an. 745, his verbis : *Obsecro ut illius epistolæ, qua continentur, ut dicunt, interrogationes Augustini pontificis ac prædicatoris primi Anglorum, et responsiones sancti Gregorii papæ, exemplar mihi dirigere curetis, quod in tertia generatione propinquitatis fidelibus licet matrimonia copulare; et ut scrupulosa diligentia investigare studeatis, si illa conscriptio supradicta Patris nostri Gregorii esse comprobetur, an non, quia in scrinio Romanæ Ecclesiæ, ut affirmant scriniarii, cum cæteris exemplaribus supradicti pontificis quæsita non inveniebatur.* Utrum autem epistolam illam Bonifacio miserit Nothelmus, non apparet; certum tamen est eam exstitisse in Anglia, utpote quam scriptis suis inseruit Beda, qui eodem tempore florebat, idque lib. I Hist. Angl., c. 27, ut legitur in omnibus ejusdem Historiæ mss. et editis Codicibus, imo et in versione Saxonica jussu Alfredi regis Anglorum, circa an. 890 edita. Zacharias etiam papa in conc. Romano I, an. 743, c. 15, testimonium ex interrog. 6 producit. Sic et in exceptionibus Ecberti Eboracensis episcopi, qui vivebat an. 747, c. 130. Halidgarus episcopus Cameracensis, qui floruit an. 826, lib. V, c. 17, unam profert ex interrogationibus quæ hac epistola continentur. Joannes Diac., lib. II, c. 53, meminit respons. Gregorii ad Interrog. Augustini. Prætermitto Isidorum, Reginonem, Anselmum, Ivonem, Gratianum, et cæteros canonum collectores, qui eam scriptis suis inseruerunt. Verum et habetur in pluribus mss. Codd., ut in duobus Tell., Carnot., Vatican. D, Bigot, Anglic., sancti Remigii Rhemensis, in altero etiam Cod. sancti Remigii, in quo sunt plures epistolæ pontificum. (Intelligit forte Gussanvillæus vetustissimum exemplar cujus meminit Jamezius, quodque dicit falso inscribi *Pœnitentiale beati Gregorii;* hoc enim in Codice epistola de qua disceptatur integra exstat.) Sic in Collectione antiquissima auctoris anonymi, quæ habetur manuscripta in collegio Corporis Christi Oxoniæ. Adde his Codicem Gemet., num. 44, in quo exstat Responsio sancti Gregorii ad interrogationem undecimam, et Turonensem majoris monasterii ubi ex integro habetur. Quamvis autem epistolam hanc Gregorio non abjudicet Gussanvillæus, plurimas tamen ejus responsiones dubias putat aut etiam supposititias; sed tam levibus infirmisque conjecturis id probare conatur, ut in illis diluendis frustra tempus tereremus. Quo vero tempore missa sit hæc epistola indicat Beda loco cit. : *Interea vir Dei Augustinus venit Arelas, et ab archiepiscopo ejusdem civitatis Etherio* (legendum *Virgilio*), *juxta quod jussa sancti Patris Gregorii acceperant, archiepiscopus genti Anglorum ordinatus est, reversusque in Britanniam misit continuo Romam Laurentium presbyterum et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi accepisse ac se episcopum factum esse referrent ; simul et de eis quæ necessariæ videbantur quæstionibus responsa recepit, quæ etiam huic historiæ nostræ commodum duximus indere : Interrogatio Augustini episcopi Cantuariorum Ecclesiæ : De episcopis qualiter cum suis clericis,* etc. *Respondit Gregorius papa urbis Romæ ;*

*Responsio beati Gregorii papæ.*

Si qui vero sunt clerici extra sacros ordines constituti (*Grat. dist.* 32, *c.* 3), qui se continere non possunt, sortiri uxores debent, et stipendia sua exterius accipere, quia [b] et de eisdem Patribus, de quibus præfati sumus, novimus scriptum quod dividebatur singulis prout cuique opus erat. De eorum ergo stipendio cogitandum atque providendum est, et sub ecclesiastica regula sunt tenendi, ut bonis moribus vivant, et canendis psalmis invigilent, et ab omnibus illicitis cor et linguam et corpus Deo auctore *Sacra Scriptura testatur, quam te bene nosse dubium non est,* et cætera, ut in Editis. Porro quis primus hanc epistolam ita ordinaverit incertum est, cum eam Beda, ex cujus Historia, ut supra dixi, desumpta est, sine ullis titulis uno contextu retulerit, non epistolam, sed libellum nuncupando. Hæc paulo fusius circa istam epistolam prolocuti sumus, in gratiam eorum qui de ea dubitationem moverunt, eo quod in illa quædam sint quæ a genio sancti Gregorii nonnihil aliena videantur, sed de his in sequentibus notis suo ordine disseremus. *Partim ex* Gussanv.

[b] Titulus hic, ut et quamplurimi alii epistolarum, non est sancti Gregorii, ut clarum est. Gussanv.

[c] Sic appellata est pars Britanniæ ab eo tempore quo Saxones e Germania in eam insulam trajecere, et maximam ejus partem occupavere. Gussanv. Omittitur *transmarinam* in Vatic. D et in Rhem. Apud Bedam, l. I, c. 27, ubi refertur hæc epistola, non legitur præmissus titulus.

[d] Hæc apud Bedam et in Cod. Vatic. D ac Rhem. non leguntur, sed post hæc verba *Interrog. beati Augustini episcopi Cantuariorum Ecclesiæ*, immediate sequitur, *De episcopis*, etc.

[e] In Excusis legitur, *de obventionibus ecclesiast. dividendis. Resp.*

[f] Præmittitur in vulgatis, *qualiter episcopus agere debeat in Ecclesia*, hæc omnia resecuimus, suadentibus Mss. et Edit. Chiffletii in Concordia Bedæ et Fredegarii Scholastici, ubi habes hanc eamdem epistolam, imo quinque libros priores Historiæ Ecclesiast. gentis Anglorum a venerabili Beda conscriptæ.

[g] De quadripartita bonorum Ecclesiæ distributione jam supra dictum est lib. III, epist. 11, nunc lib. IV. Gussanv. Vide notas, et consule lib. V, epist. 12 et 44, necnon lib. VIII, epist. 7.

[h] De hospitalitate dictum est epist. 29 lib. VIII, nunc 28 lib. X. Idem significat *susceptio*, nempe hospitum et peregrinorum.

[i] In Vatic. D et in Edit. Chifflet., *seorsum fieri non debet.* Hæc praxis fuit multorum episcoporum, ut Augustini, etc. An aliqua lege fuerit præscripta singulis episcopis, dispiciant. De canonicis ut in communi vivant, aliquot canonibus sancitum, ac de episcopis, ut in episcopio aliquot saltem clericos habeant contubernales et commensales, non semel statutum est. Vide Turon. II, c. 12 et 13, an. 567; concil. Paris. VI, an. 829, c. 20 et 21, in quo Sardicensis concilii citatur canon 14, nescio qua de causa, nisi forte tunc episcopi in propria civitate manentes communi cum suis clericis mensa uterentur. In Turon. III, an. 813, c. 5: *Parco et modico cibo contentus sit episcopus*; can. 6: *Peregrini et pauperes convivæ sint episcoporum*; quod et in Aquisgran. II, an. 816, c. 3, videtur esse statutum. In concil. Turon. III, c. 23: *De canonicis et clericis civitatum qui in episcopiis conversantur, ut in claustris habitantes simul omnes in uno dormitorio dormiant, simulque in uno reficiantur refectorio..... victum et vestitum juxta facultatem episcopi accipiant*, etc. In Mogunt., an. 813, c. 9: *Canonici simul manducent et dormiant..... In claustro suo maneant*, etc. In Aquisgran., an. 816, c. 112, refertur textus ex sancto Augustino de vita communi episcopi et clericorum, necnon c. 113, ubi A conservent. [c] Communi autem vita viventibus, jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, et adimplenda misericordia, nobis quid erit loquendum? cum omne quod superest necessitatibus, in causis piis ac religiosis **1152** erogandum est, Domino [d] et magistro omnibus dicente: *Quod superest, date eleemosynam, et ecce omnia munda sunt vobis* (*Luc.* XI, 41).

*Tertia interrogatio Augustini.*

Cum una sit fides, [a] cur sunt Ecclesiarum con- multa pro episcopis argumenta meditationum. In concil. Meldensi an. 845, c. 53, de canonicis: *In dormitorio dormiant, et in refectorio comedant*, etc. Hinc manarunt solemnes etiamnum in quibusdam Ecclesiis rationes refectorii, Gal. *comptes du réfectoire*, illustre vitæ communis ac priscæ assiduitatis, B sive, ut vocant, residentiæ monumentum. In Pontigonensi concil. an. 876, c. 8: *Episcopi in civitatibus suis proximum Ecclesiæ suæ claustrum instituant, in quo ipsi cum clero secundum canonicam regulam Deo militent.* Gussanv. A canonicis nonnullis abjectam decimo sæculo vitæ communis institutionem tradit Trithemius ad annum 975. Idem sæculis XI ac XII a plerisque factitatum testantur ac gemunt (ut alios illius ævi scriptores taceamus) Ivo Carnotensis, epist. 60, et Stephanus Tornacensis, epist. 160.

[k] Vatic. D et Rhem., *constitutionem instituere.* Id factum late exponit sanctus Joan. Chrysostomus, homil. 11 et 12, in Act. apost. ubi multa lector observabit, quæ brevis nota non capit. Gratianus, caus. 12, q. 1, inter alios profert sanctum Clementem et Urbanum I pontifices Romanos. Sciunt docti quantum istis auctoritatibus sit concedendum. Tertullianus, in Apolog., c. 39: *Omnia*, inquit, *indiscreta sunt apud nos præter uxores.* At ista propositio C restringenda est. Nam Tertulliani tempore non erat inter Christianos rerum mobilium ac immobilium communio, non possessiones vendiderant, non omnem pecuniam ad episcoporum pedes posuerant. Id certe satis innuit paucis ante lineis, ubi de arca et de stipe quam quisque si modo velit, et si modo possit, apponit. Ergo tantum indicat operationem dilectionis, reique cum egenis fraternam communicationem. De more nascentis Ecclesiæ duo adnoto: 1° pecunias, res, rerum pretia non fuisse in manus apostolorum data, sed ad pedes posita, scrutare mysterium; 2° istam communem vitam aut paucorum fuisse, aut paucos dies perdurasse, dum Jesu Christi calebat cruor, et fervebat recens in credentibus fides, ut loquitur sanctus Hieronymus ad Demetriadem Julianæ filiam. Sic apud sanctum Augustinum, de Moribus Eccl. cathol., c. 33, nonnullæ societates in communi vivebant; laudabile quidem Christianorum genus, sed a vulgari vita remotissimum, et reipu- D blicæ commodis minus accommodatum. Gussanv.

*Interrog. II.* — [a] In Edit. Chifflet. et in Vatic. D hæc omittuntur, et post ultima verba respons. 1, *erant illis omnia communia*, immediate sequitur: *Si qui vero sunt clerici*, etc. Ita habetur in Cod. Capucin. Rothomag. decretales epistolas continente.

[b] In Vatic. D, *quia et de his de quibus.*

[c] Vulgati, *communiter autem viventibus.* Sequimur Mss. Vatic. D, Turon., Rhem. et Bedam a Chifflet. editum. Periodum hanc expungendam censet Gussanvillæus, quod nec sensu nec phrasi Gregoriana sit. Addit de quatuor portionibus jam actum esse; unde superfluum videtur de iisdem retractare. Periodum tamen hanc habent Mss. Turon., Rhem., Vatic. et Beda.

[d] Turon., *magistro omnium docente.* Ita quoque legitur apud Bedam.

*Interrog. III.* — [a] De hac re jam aliquid dixi epist. 64 lib. I. Juvat audire sanctum Ambrosium

suetudines tam diversæ; et altera [b] consuetudo missarum est in Romana Ecclesia, atque altera in Galliarum Ecclesiis tenetur?

*Responsio beati Gregorii papæ.*

Novit fraternitas tua (*Grat. dist.* 12, *c.* 10) Romanæ Ecclesiæ consuetudinem, in qua se meminit enutritam. Sed mihi placet ut sive in Romana, sive in Galliarum, sive in qualibet Ecclesia aliquid invenisti quod plus omnipotenti Deo possit placere, sollicite eligas, et in Anglorum Ecclesia, quæ adhuc [c] in fide nova est, institutione præcipua quæ de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas. Non enim pro locis res, sed pro rebus loca nobis amanda sunt. Ex singulis ergo quibusque Ecclesiis quæ pia, quæ religiosa, quæ recta sunt elige, et hæc quasi in fasciculum collecta apud Anglorum mentes [d] in consuetudinem depone.

*Quarta interrogatio Augustini.*

Obsecro, edisseras mihi quid pati debeat, si quis aliquid de ecclesia furto abstulerit.

*Responsio beati Gregorii Papæ.*

Hoc tua fraternitas (*Grat.* 12, *q.* 2, *c.* 11) ex persona furis pensare potest qualiter valeat corrigi. Sunt enim quidam qui habentes subsidia furtum perpetrant et sunt alii **1153** qui hac in re ex inopia deliquunt. Unde necesse est ut quidam damnis, quidam vero verberibus, et quidam districtius, quidam vero levius corrigantur. Et cum paulo districtius agitur, ex charitate agendum est, et non ex furore, quia ipsi hoc præstatur qui corrigitur, ne gehennæ ignibus tradatur. Sic enim nos fidelibus tenere disciplinam debemus, sicut boni patres carnalibus filiis solent, quos et pro culpis verberibus feriunt, et tamen ipsos quos doloribus affligunt habere hæredes quærunt, et quæ possident ipsis servant quos irati insequi videntur. Hæc ergo charitas in mente [a] tenenda est; et ipsa modum correctionis dictat, ut mens extra rationis regulam omnino nihil faciat.

Addis etiam [b] quomodo ea quæ furto de ecclesiis abstulerunt reddere debeant. Sed [c] absit quod Ecclesia cum augmento recipiat quod de rebus terrenis videtur amittere, [d] et lucra de damnis quærat.

*Quinta interrogatio Augustini.*

Peto an debeant duo germani fratres singulas sorores accipere, quæ sunt ab illis longa progenie generatæ.

*Responsio beati Gregorii papæ.*

Hoc fieri modis omnibus licet. Nequaquam enim in sacris eloquiis invenitur, quod huic capitulo contradicere videatur.

**1154** *Sexta interrogatio Augustini.*

[a] Usque ad quotam generationem fideles debeant

lib. III de Sanctis, c. 1. *In omnibus cupio sequi Ecclesiam Romanam : sed tamen et nos homines sensum habemus; ideo quod alibi rectius servatur, et nos recte custodimus.* Varios ritus fidei unitatem non lædere probat emin. card. Bona, Rerum Liturgic. lib. I, c. 6, num. 2 et 3. Quem locum utinam legant rubricarii. GUSSANV.

[b] De vetere missa Gallica seu de ritu celebrandæ missæ in Galliis olim usitato, moneo lectorem aliam a Matthia Illyrico an. 1557, aliam ab Hugone Menardo 1642, publicatam; utramque refert et comparat antiquitatis ecclesiasticæ peritissimus Carolus *le Cointe*, tom. II Annal. Eccl. Franc., ad an. 601, num. 19 et 20. Ex publicata ab Illyrico contra recentes hæreticos multa colligunt observantque in ejus symbolo legi a Patre Filioque Spiritum sanctum procedere, tum Carolus *le Cointe*, ibid., a num. 21 ad 30, tum Guillelmus Peyratius, in opere Gallico, *les antiquités de la Chapelle du Roi*, lib. II, cap. 18, 19, 20, 21, 22, 23. Relatam ab Illyrico esse veterem missam Gallicam idem Peyratius affirmat, nonnullas ejusdem rubricas exponendo, c. 10 et seqq. Negat emin. card. Bona, Rerum Liturgic. l. I, cap. 12. GUSSANV. Vide Mabillonii præfat. ad lib. de Liturgia Gallicana, et eam quam Menardus præfixit libro Sacram. Porro cum toties *missa* his in epistolis occurrerit, fortasse abs re non erit observare eam a dimissione sic dictam. Apud Alcimum Avitum, epist. 1 : *A cujus proprietate sermonis in ecclesiis palatiisque sive prætoriis, missa fieri pronuntiatur, cum populus ab observatione dimittitur.* Vide notas Sirmondi ad hunc locum.

[c] Turon., *ad fidem nova.*

[d] Idem Codex, *in consuetudine dispone.*

*Interrog. IV.* — [a] Vulgati, *servanda est. Et ipse modus correctionis dictat.* Sequimur laudatos Mss. et Bedam.

[b] Apud Gratianum, loco assignato, legitur, *quo augmento*, quam lectionem confirmare videtur sancti Gregorii responsio, *absit quod Ecclesia cum augmento.*

[c] Alius nodus difficilior, quem recens auctor in libro de usura satis commode scripto Gallice pag. 259 proposuit; an pecuniam in pœnam dilatæ solutionis debitori imperatam possit creditor sine usuræ labe recipere. Videntur, inquit, sancti Patres et summi pontifices id improbare. Ego quidem de jure non disputo, aliquot tantum momenta profero ad rem istam quæ faciunt. Initio VI sæculi, si penes Gratianum fides, Joannes papa I : *In antiquis*, inquit, *Ecclesiæ statutis decretum est ut qui aliena invadit, non exeat impunitus, sed cum multiplicatione omnia restituat.* Unde et in Evangelio scriptum est : *Quod si aliquem defraudavi, reddo quadruplum.* Et in legibus sæculi : *Qui rem subripit alienam*, etc. Innuit c. 10, ibidem, ex Eusebio. Refertur hic textus caus. 12, q. 2, c. 7. Sanctus Gregorius, ibid., c. 8 et 9, falso citatus ex epist. 33 lib. IV, affert legem sæculi vulgarem : *Qui prior est componat solidos nongentos, sequaces, unusquisque solidos octoginta; si vero incendium fecerint, novies tantum componant; si vero prædam fecerint, in quadruplum restituant.* Miror correctores Romanos hanc citationem reliquisse. Aliam legem indico de sacrilegis a Joanne PP. VIII, Gothicis legibus additam in concil. Tricassino an. 878, ex Sirmondo, ubi de Justiniano et Carolo, refertur caus. 17, q. 4, c. 21, cum aliquot aliis ejusdem argumenti. In Trosleiano an. 909, c. 4, de sacrilegorum pœna : *Omnes res eorum tam mobiles quam immobiles fisco regis socientur, vel Ecclesiæ, cujus res*, etc. Glossa, can. 10, caus. 12, q. 2, ait pœnam decupli statutam adversus fures in lege Lombarda, Gothica, et Salica, non autem in Romana. II Reg. XII, vers. 6 : *Ovem reddet in quadruplum*, juxta Exod. XXII, vers. 1. In quem locum vide Theodoretum ac sanctum Thomam, 1-2, q. 105, art. 2, ad 9, et 2-2, q. 62, art. 3 et 4. Zachæus, Luc. XIX, de quadruplici restitutione spondet. Accipientibus non video religionem injectam de usura, nec reprehensos judices quasi usurarum patronos, si quando culpam, indicta pecunia, puniunt. GUSSANV.

[d] Turon et Vatic. D, *et lucra*, vel *et lucrum de vanis.*

*Interrog. VI.* — [a] Non una fuit omnium sæculorum

cum propinquis sibi conjugio copulari, et novercis et cognatis si liceat conjugio copulari.

*Responsio beati Gregorii papæ.*

[b] Quædam terrena lex (*Grat.* 35, *q.* 2, *c.* 20.) in Romana republica permittit [c] ut sive fratris, sive sororis, seu duorum fratrum germanorum, vel duarum sororum filius et filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali conjugio sobolem non posse succrescere. Et sacra lex prohibet cognationis turpitudinem revelare. Unde necesse est [d] ut jam tertia vel quarta generatio fidelium licenter sibi jungi debeat. Nam [e] secunda quam diximus a se omnimodo debet abstinere. Cum noverca autem misceri grave est facinus, quia et in lege scriptum est : *Turpitudinem patris tui non revelabis* (*Lev.* XVIII, 7). Neque enim turpitudinem patris filius revelare potest; sed quia in lege scriptum est : *Erunt duo in carne una* (*Genes.* II, 24), qui turpitudinem novercæ, quæ una caro cum patre fuit, revelare præsumpserit, profecto patris turpitudinem revelavit. [f] Cum cognata quoque misceri prohibitum est, quæ per conjunctionem priorem A caro fratris facta est. Pro qua re etiam Joannes Baptista capite truncatus est, et sancto martyrio coronatus. Cui non est dictum ut Christum negaret, [g] et tamen pro Christi confessione **1155** occisus est; sed quia idem Dominus noster Jesus Christus dixerat : *Ego sum veritas* (*Joan.* XIV, 6), quia pro veritate occisus est Joannes, pro Christo sanguinem fudit.

*Septima interrogatio Augustini.*

Declarari posco an sic turpiter conjunctis sit indicenda separatio, et sacræ communionis deneganda oblatio.

*Responsio beati Gregorii papæ.*

[a] Quia vero multi sunt in Anglorum gente qui, dum adhuc in infidelitate essent, huic nefando conjugio dicuntur admisti, ad fidem venientes admonendi sunt B ut se abstineant, et grave hoc peccatum esse cognoscant. Tremendum Dei judicium pertimescant, ne pro carnali delectatione tormenta æterni cruciatus incurrant. Non tamen pro hac re corporis ac sanguinis Domini communione privandi sunt, ne in eis illa ulcisci videamur, in quibus se per ignorantiam ante

praxis in prohibendo consanguineorum conjugio, ut apparet caus. 35, q. 2 et 3. Olim prohibitio septimo gradu fuerat circumscripta, sed in Lateran. concil., sub Innocentio III, ad quartum redacta est. Indulget tamen hic sanctus Gregorius Anglis recens ad fidem conversis, ut in tertia generatione copulentur. Multi Codices habent, *in quarta vel quinta*, quod notarunt Gratiani correctores caus. 35, q. 3, c. 20, quem locum lector consulet. Videat etiam Gregorium II, epist. 9 ad Bonifacium. In omnibus tamen exemplaribus Bedæ legitur, *in tertia vel quarta generatione*. GUSSANV.

[b] Hic textus passim ab auctoribus quibuscunque citatur ex sancto Gregorio. Innuitur autem ex Cod. lib. v, tit. 4, *de Nuptiis*, lex 19, quæ sic habet : *Celebrandis inter consobrinos matrimoniis licentia, legis hujus salubritate indulta est, ut, revocata prisci juris auctoritate, restinctisque calumniarum fomentis, matrimonium inter consobrinos habeatur legitimum, sive ex duobus fratribus, sive ex duabus sororibus, sive ex fratre et sorore nati sunt. Et ex eo matrimonio editi, legitimi, et suis patribus successores habeantur. Datum*, etc. Ad finem IV sæculi regnare cœperunt Arcadius et Honorius hujus legis auctores. Theodosius eorum parens contrarium sciverat, ut notant periti juris, testaturque sanctus Ambrosius epist. 48. At jus priscum istiusmodi conjunctionibus favebat. In Institutis Justiniani, lib. I, tit. 10, *de Nuptiis* § 5, sic legit Cujacius : *Duorum autem fratrum vel sororum liberi, vel fratris et sororis, jungi possunt.* Vivebat autem Justinianus circa medium sexti sæculi. An idem fuerit Ecclesiæ, qui fuit imperatorum sensus, quæritur. Apud sanctum Ambrosium, epist. citata, lege divina prohibitum est patrueles fratres convenire in conjugalem copulam, qui sibi quarto sociantur gradu. Hic nodus quem non est hujus loci solvere. Sanctus Augustinus, lib. XV de Civit. Dei, c. 16 : *Viri*, inquit, *sorores suas conjuges acceperunt antiquitus compellente necessitate, quod factum est damnabilius religione prohibente. Tum de consobrinorum conjugio propter gradum propinquitatis fraterno gradui proximum quam raro per mores fiebat quod fieri per leges licebat, quia id nec divina prohibuit, et nondum prohibuerat lex humana.* Hic nodus alius quem Ludovicus Vives in hujus loci commentario stringit, quemadmodum Petrus Nannius locum Ambrosii exponit in notationibus ad tomum V. At certe hi duo Patres sanctissimi non exponunt legem ullam canonicam ea de re latam. Hinc concludunt nonnulli prioribus sæculis regum fuisse, non pontificum, de matrimonii impedimentis statuere. Addit sanctus Augustinus, loco cit., *morum limite* prohibita fuisse quædam conjugia. GUSSANV.

[c] Vatic. C, *ut sive frater et soror, seu.* Consentit Beda.

[d] Canonistas appello, qui nos doceant historiam impedimentorum matrimonii sive impedientium, ut vocant, sive dirimentium, quo pontifice excogitata, adulta, arctata, laxata, per totum orbem sparsa. Equidem usum hodiernum agnosco, admitto, de jure non disputo; in factum inquiro, et per singulas ætates discurro, canones scrutaturus. Aliquos mihi videre videor caus. 30, multo plures caus. 35, alios extr. *de cognatione spirituali, de consang. et affinit.*, etc. Eos tantum seligo ad rem de qua hic agitur qui faciant. C Primum natura duce aliquot impedimenta injecta sunt; tum quæ decerent attendentes homines, ratione magistra, nova quædam induxerunt, aut suis spontaneis moribus, aut lege lata quæ morem corrigeret, aut firmaret. Non ubique terrarum mos idem invaluit : quæ in Gallia irrita erant, alibi vigebant conjugia. Diu itaque postquam fluctuatum est, tandem ad septimum usque gradum pervenerunt; imo et varia affinitatum genera, primum, secundum, tertium adinvenerunt, quæ postmodum comprimere opus fuit. Id efficit Innocentius III, in celebri cap. *Non debet*, extr. *de consang. et affinit.*, fugientemque longius propinquitatem ad quartum gradum revocavit. GUSSANV. Sancti Gregorii ætate quis fuerit usus declarat ipse ad Felicem Messanensem episcopum scribens, lib. XIV, epist. 12, his verbis, quæ apud Joan. Diac., lib. II, c. 38, leguntur : *Nec ea intentione hæc illis* (Anglis) *mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati..... infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem conjungantur* D

[e] Secundum quasdam Editiones de prima et secunda dubitabatur, vel, ut vulgo loquimur, de primo ac secundo gradu. GUSSANV.

[f] Cognatam explicat de fratris uxore, Gall., *belle-sœur*, non ita vulgo. Vide caus. 35, quæstionem 5, aut, si vacat, consule jurisconsultos et grammaticos. Græci per cognatos intelligunt συγγενεῖς consanguineos. GUSSANV.

[g] In Turon., *nec pro Christi confessione occisus est.*

*Interrog. VII.* — [a] In Mss. octava est hæc responsio; at in Mss. quibusdam, et apud Bedam, lib. I Hist. Anglic., hæc junguntur alteri responsioni, omissa interrogatione.

lavacrum baptismatis astrinxerunt. In hoc enim tempore sancta Ecclesia quædam per fervorem corrigit, quædam per mansuetudinem tolerat, quædam [b] per considerationem dissimulat atque portat, ut sæpe malum quod adversatur portando et dissimulando compescat. Omnes autem qui ad fidem veniunt admonendi sunt ne aliquid tale audeant perpetrare. Si qui autem perpetraverint, corporis et sanguinis Domini communione privandi sunt, quia sicut in his qui per ignorantiam fecerunt culpa aliquatenus toleranda est, ita est in his fortiter insequenda, qui non metuunt sciendo peccare.

*Octava interrogatio Augustini.*

Peto si longinquitas itineris magna interjacet, ut episcopi facile non possint convenire, an debet sine aliorum episcoporum præsentia episcopus ordinari.

*Responsio beati Gregorii papæ.*

Et quidem in Anglorum Ecclesia, in qua adhuc solus tu episcopus inveniris, ordinare episcopum [a] non aliter [b] nisi sine episcopis potes. Nam quando de Galliis episcopi venient, illi in ordinationem episcopi testes tibi assistent. Sed (*Grat. dist.* 80, *c.* 6) fraternitatem tuam ita volumus in Anglia episcopos ordinare, ut ipsi sibi episcopi longo intervallo minime disjungantur, quatenus nulla sit necessitas [c] ut in ordinatione alicujus episcopi convenire non possint. **1156** Pastorum quoque aliquorum præsentia valde est utilis, ut facillime debeant convenire. Cum igitur, Deo auctore, ita fuerint episcopi etiam in propinquis sibi locis ordinati, per omnia episcoporum ordinatio sine aggregatis tribus vel quatuor episcopis fieri non debet. Nam in ipsis rebus spiritalibus, ut sapienter et mature disponantur, exemplum trahere a rebus etiam carnalibus possumus. Certe enim dum conjugia in mundo celebrantur, conjugati quique convocantur, ut qui in via jam conjugii præcesserunt [d] in subsequenti quoque gaudio misceantur. Cur non ergo et in hac spiritali ordinatione qua per sacrum mysterium homo Deo conjungitur tales conveniant qui vel in profectu ordinati episcopi gaudeant, vel pro ejus custodia omnipotenti Domino preces pariter fundant?

*Nona interrogatio beati Augustini.*

Postulo etiam qualiter debeamus cum Galliarum atque Britannorum episcopis agere.

*Responsio beati Gregorii papæ.*

In Galliarum episcopos (*Grat.* 25, *q.* 2, *c.* 5) nullam tibi auctoritatem tribuimus, quia ab antiquis prædecessorum meorum temporibus pallium [a] Arelatensis episcopus accepit, quem nos privare auctoritate percepta minime debemus. Si igitur contingat ut fraternitas tua ad Galliarum provincias transeat, cum eodem Arelatensi episcopo debet agere, qualiter si qua sunt in episcopis vitia corrigantur. Qui si forte in disciplinæ vigore tepidus existat, tuæ fraternitatis zelo accendendus est. Cui etiam epistolas fecimus (*indict.* 4, *epist.* 68), ut cum tuæ sanctitatis præsentia in Galliis fuerit, ei ipse tota mente subveniat, ut quæ sunt Creatoris nostri jussioni contraria ab episcoporum moribus compescatis. Ipse autem auctoritate propria episcopos Galliarum judicare non poteris; sed suadendo, blandiendo, bona quoque tua opera eorum imitationi monstrando, pravorum mentes ad sanctitatis studia reformando, quia (*Grat.* 6, *q.* 3, *c.* 1) scriptum est in lege : [b] *Per alienam messem transiens falcem mittere non debet; sed manu spicas conterere, et manducare* (*Deut.* XXIII, 25). Falcem ergo judicii mittere non potes in eam segetem, quæ alteri videtur esse commissa; sed per affectum boni operis frumenta dominica vitiorum suorum paleis exspolia, et in Ecclesiæ corpus monendo, et persuadendo, [c] quasi mandendo converte. Quidquid vero ex auctoritate agendum est, cum prædicto Arelatensi episcopo agatur, ne prætermitti possit **1157** hoc quod antiqua Patrum institutio invenit. [d] Britannorum vero omnium episcoporum tuæ curam fraternitati committimus, ut indocti doceantur, infirmi persuasione roborentur, [e] perversi auctoritate corrigantur.

[b] Vatic. D et Rhem., *quædam per dissimulationem considerat, atque ita portat et dissimulat, ut sæpe.* Beda, *per considerat. dissimulat atque ita portat et dissimulat.* Editi, *quæ per ignorantiam.* Secus Beda et Mss. nostri.

*Interrog. VIII.* — [a] Sic antiquæ Editiones Registri, Veneta 1504, Paris. 1508 et 1518, ut et recentiores. Consentiunt melioris notæ Mss. Codd., Carnot., Bigot., S. Remigii, Rhem. Item alter Codex Ms. ejusdem S. Remig. in quo sunt epistolæ pontificum a Gelasio ad Joannem VIII; Codex Vatic., num. 619; Isidori Collectio canonum ms., apud S. Vict. Paris. Item altera Collectio canonum auctoris anonymi antiquissima Oxoniæ in collegio Corporis Christi. Sed et ita legitur apud Bedam, a quo primum hanc epistolam accepimus, ut jam supra notatum est. Addo et Amalarium Fortunatum, lib. II de div. Offic., c. 1. Postremo id exigit propositio sancti Gregorii : *In quo tu solus*, etc., cum adjungit quod si ex Galliis episcopi advenerint, ipsi auxiliari possint; non autem quod absolute necessarium sit, nisi cum *episcopi in propinquis locis fuerint ordinati.* Unde apparet vitiosam esse quorumdam exemplarium lectionem : *Ordinare episcopum non aliter nisi cum episcopis potes.* Idem notat Beveregius ad can. primum apostol. *Partim ex* Gussanv.

[b] In Turon., *nisi aliqui de Galliis episcopi veniant, qui in ordine*, etc. Apud Bedam, *nam quando de Gallis episcopi venient qui..... testes assistant?* Favet Vatic. D.

[c] Apud Bedam, *ut in ordinatione episcopi pastores quoque alii quorum præsentia valde est utilis, facile debeant convenire.* Consentit Codex Turon.

[d] In eodem Codice et in Turon., consentiente Beda, *in subsequentis quoque copulæ gaudio.*

*Interrog. IX.* — [a] De Arelatensi primatu supra, lib. I, epist. 47. Vide etiam lib. V, epist. 53, et consule de Vita sancti Gregorii commentarios.

[b] Hæc laudantur ab Hincmaro Rhemensi, in opusculo 33, contra Hincm. Laudun., c. 4 : *Falcem*, inquit beatus Gregorius *judicii mittere non potes in ea segete, quæ alteri videtur esse commissa.* Eadem interrogatio nona citatur adhuc ejusdem opusc. c. 17.

[c] Vitiose in Vulgatis, *quasi mundando.*

[d] Turon., *Britannorum vero omnes episcopos.*

[e] Idem Codex, *persuasi auctoritate.* Vatic. D, *roborati auctoritate.*

*Obsecratio Augustini.*

[a] Obsecro ut reliquiæ sancti Sixti martyris nobis transmittantur.

*Concessio Gregorii.*

Fecimus quod petisti, quatenus populus qui in loco quondam sancti Sixti martyris corpus dixerunt venerari, quod tuæ fraternitati nec verum nec veraciter sanctum videtur, certa sanctissimi et probatissimi martyris beneficia suscipiens, colere incerta non debeat. Mihi tamen videtur quia si corpus quod a populo cujusdam martyris esse creditur nullis illic miraculis coruscat, et neque aliqui de antiquioribus existunt qui se a parentibus passionis ejus ordinem audisse fateantur, ita reliquiæ quas petisti seorsum condendæ sunt, ut locus in quo præfatum corpus jacet modis omnibus obstruatur, nec permittatur populus certum deserere, et incertum venerari

*Decima interrogatio Augustini.*

Si prægnans mulier debeat baptizari, aut postquam genuerit, post quantum tempus possit ecclesiam intrare. Aut etiam ne morte præoccupetur quod genuerit, post quot dies hoc liceat sacri baptismatis sacramenta percipere. Aut post quantum temporis huic vir suus possit in carnis copulatione conjungi. Aut si menstrua consuetudine tenetur, an ecclesiam introire ei liceat, aut sacræ communionis sacramentum percipere. Aut vir suæ conjugi permistus antequam lavetur aqua, si ecclesiam intrare possit, vel etiam ad ministerium sacræ communionis accedere. Quæ omnia rudi Anglorum genti oportet habere comperta.

*Responsio beati Gregorii papæ.*

Hoc non ambigo fraternitatem tuam esse requisitam cui etiam et responsum addidisse me arbitror. Sed hoc quod ipse dicere et sentire potuisti credo quod mea apud te volueris responsione firmari. Mulier etenim prægnans cur non debeat baptizari, cum non sit ante omnipotentis Dei oculos culpa fecunditas carnis? Nam cum primi parentes nostri in paradiso deliquissent immortalitatem quam acceperant recto Dei judicio perdiderunt. Quia itaque omnipotens Deus humanum genus pro culpa sua funditus exstinguere noluit, et immortalitatem homini pro peccato suo abstulit, et tamen pro benignitate suæ pietatis fecunditatem ei sobolis reservavit. Quod ergo naturæ humanæ ex omnipotentis Dei dono servatum est qua ratione poterit a sacri baptismatis gratia prohiberi? Illi quippe mysterio in quo omnis culpa funditus exstinguitur valde stultum **1158** est si donum gratiæ contradicere posse videatur.

Cum vero enixa fuerit mulier, post quot dies debeat ecclesiam intrare, [a] Testamenti Veteris præceptione didicisti (*Grat. dist.* 3, *c.* 1) ut pro masculo XXXIII diebus, pro femina vero LXVI debeat abstinere (*Levit.* XII). Quod tamen sciendum est quia in mysterio accipitur. Nam si eadem hora qua genuerit actura gratias intrat ecclesiam, nullo peccati pondere gravatur. Voluptas etenim carnis, non dolor in culpa est. In carnis autem commistione voluptas est, nam [b] in prolis partu dolor et gemitus. Unde et ipsi primæ matri omnium dicitur: *In doloribus paries* (*Genes.* III, 6). Si itaque enixam mulierem prohibemus ecclesiam intrare, ipsam ei pœnam suam [c] in culpam deputamus. Baptizari autem vel enixam mulierem, vel hoc quod genuerit sine mora, si mortis periculo urgetur, vel ipsa hora eadem qua gignit, vel hoc quod gignitur eadem qua natum est, nullo modo prohibetur, quia sicut sancti mysterii gratia viventibus atque discernentibus cum magna discretione providenda est, ita his quibus mors imminet sine ulla dilatione offerenda est, ne dum adhuc tempus ad præbendum redemptionis mysterium quæritur, interveniente [d] paululum morte, inveniri non valeat qui redimatur.

Ad ejus vero concubitum vir ejus accedere non debet quousque qui gignitur ablactetur. Prava autem in conjugatorum moribus consuetudo surrexit ut mulieres filios quos gignunt nutrire contemnant, eosque aliis mulieribus ad nutriendum tradant. Quod videlicet ex sola causa incontinentiæ videtur inventum, quia dum se continere nolunt, despiciunt lactare quos gignunt. Hæ itaque quæ filios suos ex prava consuetudine aliis ad nutriendum tradunt, nisi purgationis tempus transierit, viris suis non debent admisceri, quippe quia et sine partus causa, [e] cum consuetis menstruis detinentur, viris suis misceri prohibeantur, ita ut morte lex sacra feriat si quis vir ad menstruatam mulierem accedat (*Levit.* X). Quæ tamen mulier [f] dum ex consuetudine menstrua patitur, prohiberi ecclesiam intrare non debet, quia ei naturæ superfluitas in culpam non valet imputari, et per hoc quod invita patitur, justum non est ut ingressu ecclesiæ privetur. Novimus namque quod mulier quæ sanguinis fluxum patiebatur, post tergum Domini humiliter veniens vestimenti ejus fimbriam tetigit, atque statim ab ea sua infirmitas recessit (*Luc.* VIII). Si ergo in fluxu sanguinis posita laudabiliter potuit Domini vestimentum tangere, cur quæ menstruum sanguinis patitur, ei non liceat Domini ecclesiam intrare?

Sed dices: illam infirmitas compulit, has vero de quibus loquimur, consuetudo constringit. Perpende

*Obsecratio.* — [a] Hæc obsecratio et responsio non leguntur in Mss. Tell., Carn. et Capuc. Rothomag., nec in Edit. 1504, 1508 et 1518, neque etiam reperiuntur in exemplaribus omnibus Bedæ, unde istam epistolam habemus. Partim ex GUSSANV. Hæc tamen habentur in Vatic. D et in aliis Mss.

*Interrog. X.* — [a] Apud Bedam, *Testamenti veteris præcepto manifestum est, quod ita habet: mulier si suscepto semine*, etc., usque ad *sin autem feminam pepererit, sexaginta sex diebus manebit in sang. purificat. suæ.*

[b] Turon., consentiente Beda, *nam in prolis prolatione gemitus.*

[c] Rhem. et Vatic. D, *in culpam duplicamus.*

[d] Turon., cum Beda, *paululum mora.*

[e] Beda et Rhem., *cum in consuetis menstruis detinentur.*

[f] Vatic. D, Beda et Turon., *dum consuetudinem menstrua patitur.*

autem, frater charissime, quia omne quod in hac mortali carne patimur ex infirmitate naturæ est digno Dei judicio post culpam ordinatum. Esurire namque et sitire, æstuare, algere, lassescere, ex infirmitate naturæ est. Et quid est aliud **1159** contra famem alimenta, contra sitim potum, contra æstum auras, contra frigus vestem, contra lassitudinem requiem quærere, nisi medicamenta quædam [g] contra ægritudines explorare? Feminis namque et menstruus sui sanguinis fluxus ægritudo est. Si igitur bene præsumpsit quæ vestimentum Domini in languore posita tetigit, quod uni personæ infirmanti conceditur, cur non concedatur cunctis mulieribus quæ naturæ suæ vitio infirmantur?

Sanctæ autem communionis mysterium in eisdem diebus percipere non debet prohiberi. Si autem ex veneratione magna percipere non præsumit, laudanda est; sed si perceperit, non judicanda. Bonarum quippe mentium est etiam ibi aliquo modo culpas suas agnoscere, ubi culpa non est, quia sæpe sine culpa agitur quod venit ex culpa. Unde etiam cum esurimus, sine culpa comedimus, quibus ex culpa primi hominis factum est ut esuriremus. Menstrua enim consuetudo mulieribus non aliqua culpa est, videlicet quia naturaliter accidit; sed tamen quod natura ipsa ita vitiata est, ut etiam sine voluntatis studio videatur esse polluta, [h] ex culpa venit vitium, in quo seipsam qualis per judicium facta sit humana natura cognoscat, ut homo qui sponte culpam perpetravit, reatum culpæ portet invitus. Atque ideo [i] feminæ cum semetipsas considerant in menstrua consuetudine, si ad sacramentum dominici corporis et sanguinis accedere non præsumunt, de sua recta consideratione laudandæ sunt. Dum vero percipiendi ex religiosæ vitæ consuetudine ejusdem mysterii amore rapiuntur, reprimendæ, sicut diximus, non sunt. Sicut enim in veteri Testamento exteriora opera servabantur, ita in Testamento novo non tam quod exterius agitur, quam id quod interius cogitatur sollicita intentione attenditur, ut subtili sententia puniatur. Nam cum multa lex velut immunda mandu-

A cari præcipiat, in Evangelio tamen Dominus ait: *Non quod intrat in os coinquinat hominem, sed quæ exeunt de corde, illa sunt quæ coinquinant hominem* (*Matth.* xv, 11). Atque paulo post subjecit, exponens: *Ex corde exeunt cogitationes malæ* (*Ibid.*, 19). Unde ubertim indicatum est quia illud ab omnipotenti Deo pollutum esse in opere ostenditur, quod ex pollutæ cogitationis radice generatur. Unde Paulus quoque apostolus dicit: *Omnia munda mundis, coinquinatis autem et infidelibus nihil est mundum* (*Tit.* 1,15). Atque mox ejusdem coinquinationis causam annuntians, subjungit: *Coinquinatæ sunt enim eorum et mens et conscientia.* Si ergo ei cibus immundus non est, cujus mens immunda non fuerit, **1160** cur quod munda mente mulier ex natura patitur, ei in immunditiam reputetur?

B Vir [k] autem (*Grat. de pœnit., dist.* 7, *q.* 4, *c.* 7) cum propria conjuge dormiens, nisi lotus aqua intrare ecclesiam non debet, sed neque lotus intrare statim debet. Lex autem veteri populo præcepit, ut mistus vir mulieri, et lavari aqua debeat, et ante solis occasum ecclesiam non intrare. Quod intelligi spiritaliter potest quia mulieri vir miscetur quando illicitæ concupiscentiæ animus in cogitatione per delectationem conjungitur. Qui nisi prius ignis concupiscentiæ a mente deferveat, dignum se congregatione fratrum existimare non debet, qui se gravari per nequitiam pravæ voluntatis videt. Quamvis enim de hac re diversæ hominum nationes diversa sentiant, atque alii alia custodire videantur, [l] Romanorum tamen semper ab antiquioribus usus fuit, post admistionem propriæ conjugis, et lavacri purificationem quærere, et ab ingressu ecclesiæ paululum reverenter abstinere.

C Nec hæc dicentes deputamus culpam esse conjugium. Sed quia ipsa licita commistio conjugum sine voluptate carnis fieri non potest, a sacri loci ingressu abstinendum est, quia voluptas ipsa esse sine culpa nullatenus potest. Non enim de adulterio vel fornicatione, sed de legitimo conjugio natus fuerat qui dicebat: *Ecce enim in iniquitatibus conceptus sum, et in*

[g] Turon., *contra ægritudines exponere;* fortasse pro *opponere.*

[h] Ita Beda, Vatic. D ac Rhem. At in Excusis *ex culpæ venit vitio.*

[i] In Vulgatis *feminæ quæ cum.* Expunximus *quæ*, non solum quod superfluum sit, sed etiam quod contra Mss. fidem et in sensus detrimentum additum sit.

[k] Id apud Judæos præceptum, Levit. xvi, vers. 15. Apud gentiles idem factitatum; pluresque vivo perfundebantur flumine, alii in soliis, alii in labris, alii ministris aquam infundentibus lavabant. Meminit Judæorum sanctus Augustinus, libro de Bono conjugali, c. 20. Aliorum Clemens Alexand., initio Protreptici adjuncti Herveti commentario. Idem, lib. III Pædagogi, c. 9, Stromatum VII. Tertullianus innuit lib. de Bapt., c. 5 et 9. Sanctus Justinus, ad finem Apolog. 2 pro Christ., ad Anton., docet dæmones persuasisse paganis lavari antequam ad sacrificia accederent; idque eos a propheta didicisse. Hodierni Judæi non lavant, eo quod non amplius sanctuarium habeant, quasi istam lotionem solius sacrificii causa Dominus præscripserit. Id, lector, tuæ inquisitioni permitto. GUSSANV.

[l] Istum usum certioribus indiciis probari vellem, ne hæc propositio male ab alio videatur fuisse inserta. Sanctus Paulinus, epist. ad Aleth., meminit canthari Romæ in basilica sancti Petri; idem aliis in locis innuit fontes in templorum ingressu fuisse positos. Eusebius, lib. x, c. 4, Histor., consentit quodammodo. Tertullianus in Africa lavandi consuetudinem agnoscit et improbat lib. de Oratione, c. 11, nec aliud sensit in Apolog., c. 39, ut aliquis opinatus est. Sanctus Joan. Chrys., in Oriente refert lavandi morem in nonnullis Ecclesiis, homil. 52 in Matth., nec admodum probat. De re eadem loquitur homil. 74 in Matth., hom, 72 in Joan. hom. 6 in c. II II ad Tim. Vide quid de Hemerobaptistis senserint auctores, ad c. VII Marci. Sanctum Justinum nota præcedente indicavi. Canones investigavi, nec occurrerunt ulli pro his lavationibus decretorii. Itaque confugio ad regulam sancti Augustini, epist. 119, ad Januarium, c. 19. Exsurget forte nostris temporibus historiographus aliquis, qui usum Romanorum, de quo agitur, ab apostolis ad usque sancti Gregorii ætatem haud interrupta serie perducet. GUSSANV.

*delictis peperit me mater mea* (*Psal.* L, 7). Qui enim in iniquitatibus conceptum se noverat, in delicto se natum gemebat, quia portat arbor in ramo humorem vitii quem traxit ex radice. In quibus tamen verbis non ipsam admistionem conjugum iniquitatem nominat, sed ipsam videlicet voluptatem admistionis. Sunt enim multa licita ac legitima, et tamen in eorum actu aliquatenus fœdamur, sicut sæpe irascendo culpas insequimur, et tranquillitatem in nobis animi perturbamus. Et cum rectum sit quod agitur, non est tamen tunc approbabile quod in eo animus perturbatur. Contra quippe vitia delinquentium iratus fuerat qui dicebat : *Turbatus est præ ira oculus meus* (*Psal.* VI, 8). Quia enim non valet nisi tranquilla mens in contemplationis lucem se suspendere, in ira suum oculum turbatum dolebat, quia dum male acta deorsum insequitur, confundi tamen atque turbari a summorum contemplatione cogebatur. Et laudabilis ergo est ira contra vitium, et tamen molesta, quia turbatum se reatum aliquem incurrisse æstimabat. [m] Oportet itaque legitima carnis copula ut causa prolis sit, non voluptatis ; et carnis commistio creandorum liberorum sit gratia, non satisfactio vitiorum. Si quis ergo **1161** sua conjuge non cupidine voluptatis captus, sed solummodo liberorum creandorum gratia utitur, iste profecto [n] de ingressu ecclesiæ, seu de sumendo corporis dominici sanguinisque mysterio, suo est relinquendus judicio, quia a nobis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus nescit ardere. Cum vero non amor procreandæ sobolis, sed voluptas dominatur in opere commistionis, habent conjuges etiam de sua commistione quod defleant. Hoc enim eis concedit sancta prædicatio, et tamen de ipsa concessione metu animum concutit. Nam cum Paulus apostolus diceret : *Qui se continere non potest, habeat uxorem suam*, statim subjungere curavit : *Hoc autem dico secundum indulgentiam, non secundum imperium* (*I Cor.* VII, 9). Non enim indulgetur quod licet et justum est. Quod enim indulgeri dixit, culpam esse demonstravit.

Vigilanti vero mente pensandum est quod in Sina monte Dominus ad populum loculturus prius eumdem populum abstinere a mulieribus præcepit. Et si illic ubi Dominus per creaturam subditam hominibus loquebatur tanta provisione est munditia corporis requisita, ut qui verba Dei perciperent mulieribus misti non essent, quanto magis qui corpus Domini omnipotentis accipiunt custodire in se munditiam carnis debent, ne ipsi inæstimabilis mysterii magnitudine prægraventur? Hinc etiam ad David de pueris suis per sacerdotem dicitur, ut si a mulieribus mundi essent, panes propositionis acciperent ; quos omnino non acciperent, nisi prius mundos eos David a mulieribus fateretur. Tunc autem vir qui post commistionem conjugis lotus fuerit aqua, etiam sacræ communionis mysterium valet accipere, cum ei juxta præfinitam sententiam ecclesiam etiam licuerit intrare.

*Undecima interrogatio Augustini.*

Quæro etiam si post illusionem, quæ per somnium solet accidere, vel corpus Domini quilibet accipere valeat; vel, si sacerdos sit, sacra mysteria celebrare ?

*Responsio beati Gregorii papæ.*

Hunc quidem Testamentum veteris legis (*Grat. dist.* 6, *c.* 1), sicut in superiori capitulo jam diximus, [a] pollutum dicit, et nisi lotum aqua etiam usque ad vesperam intrare ecclesiam non concedit. [b] Quod tamen tunc specialiter ad illum populum, spiritaliter autem intelligens sub eodem intellectu accipiet quo præfati sumus, quia quasi per somnium illuditur qui, tentatus immunditia, [c] veris imaginibus in cogitatione inquinatur. Sed lavandus est aqua, ut culpas cogitationis lacrymis abluat. Et **1162** nisi prius ignis tentationis recesserit, reum se quasi usque ad vesperam cognoscat.

Sed est in eadem illusione valde necessaria discretio, quia valde subtiliter pensari debet ex qua re accidat menti dormientis. Aliquando enim ex crapula, aliquando ex naturæ superfluitate vel infirmitate, aliquando ex cogitatione contingit. Et quidem cum ex naturæ superfluitate vel infirmitate evenerit, omnimodo hæc illusio non est timenda, quia hanc animus nesciens pertulisse magis dolendus est quam fecisse. Cum vero ultra modum appetitus gulæ in sumendis alimentis rapitur, atque idcirco humorum receptacula gravantur, habet exinde animus aliquem reatum, non tamen usque ad prohibitionem percipiendi sacri mysterii, vel missarum solemnia celebrandi, cum fortasse aut festus dies exigit, [d] aut exhiberi mysterium, pro eo quod sacerdos alius in loco deest, ipsa necessitas compellit. Nam si adsunt alii

[m] In Ms. Carnot. lectio est hujusmodi : *Sic itaque bonum est conjugium, et tamen de voluptate carnis habet apud se aliquem reatum, quia legitima carnis copula oportet ut causa prolis sit, non voluptas, et carnis commistio creandorum*, etc. Et forte rectius, et doctrinæ sancti Augustini, lib. I de Nupt. et Conc., c. 12, et lib. V contra Julian., c. 7, etc., convenientius; non ita tamen apud Bedam. GUSSANV. Diversæ lectioni a Gussanvillæo hic notatæ nullus ex Mss. nostris Codicibus favet. In Rhemensi legitur, *causa prolis sit, non satisfactio vitiorum*. In Vatic. D omittitur *et carnis commistio creand. lib. sit gratia.*

[n] Videtur æquiparare ingressum ecclesiæ cum sumptione corporis Domini, quasi sit indignus ecclesiam ingredi, qui dignus non est sacro Christi corpori communicare. In eamdem fere sententiam citatur sanctus Chrysostomus. Videat lector c. 32 lib. IV Dialog. sancti Gregorii, in quo refertur historia cujusdam Curialis qui filiolam suam constupraverat, ideoque ecclesiam ingredi non audebat. GUSSANV.

*Interrog. XI.* — [a] Vulgati, *pollutum Domino*, *et nisi*. Sequimur Bedam et mss. Codices.

[b] Apud Bedam, *quod tamen aliter populus spiritalis intelligens, sub eodem intellectu accipiet, quo præf.* Parum discrepat Cod. Caput. Rothom.

[c] Prius legebatur *vanis imaginibus*, verum apud Bedam et in Mss. nostris constanter legitur *veris*.

[d] Turon. et Vatic. D, *aut exhiberi ministerium*. Vaticanus tamen utramque lectionem exhibet.

qui implere [e] mysterium valeant, illusio per crapulam facta a perceptione sacri mysterii prohibere non debet; sed ab immolatione sacri mysterii abstineri, ut arbitror, humiliter debet; si tamen dormientis mentem turpis imaginatio [f] non concusserit. Nam sunt quibus ita plerumque illusio nascitur, ut eorum animus, etiam in somno corporis positus, turpibus imaginationibus non fœdetur. Qua in re unum ibi [g] ostenditur, ipsa mens rea, non tunc vel suo judicio libera, cum se et dormienti corpore nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem cecidisse. Si vero ex turpi cogitatione vigilantis oritur illusio in mente dormientis, patet animo suus reatus. Videt enim a qua radice inquinatio illa processerit, qui quod cogitavit sciens, hoc pertulit nesciens. Sed pensandum est, ipsa cogitatio utrum suggestione, an delectatione, vel, quod majus est, peccati consensu acciderit. [h] Tribus enim modis impletur omne peccatum, videlicet suggestione, delectatione, consensu. Suggestio quippe fit per diabolum, delectatio per carnem, consensus per spiritum, quia primam culpam serpens suggessit, Eva velut caro delectata est, Adam vero velut spiritus consensit. Et necessaria est magna discretio, ut inter suggestionem et delectationem, inter delectationem et consensum judex sui animus præsideat. Cum enim maliguus spiritus peccatum suggerit in mente, si nulla peccati delectatio sequatur, peccatum omnimodo perpetratum non est. Cum vero caro delectari cœperit, tunc peccatum incipit nasci. [i] Si autem etiam ad consensionem ex deliberatione descendit, tunc peccatum cognoscitur perfici. In suggestione igitur [k] peccati semen est, in delectatione fit nutrimentum, in consensu perfectio. Et **1163** sæpe contingit ut hoc quod malignus spiritus seminat in cogitatione, caro in delectationem trahat, nec tamen animus eidem delectationi consentiat. Et cum caro sine anima delectari nequeat, ipse tamen animus, carnis voluptatibus reluctans, in delectatione carnali aliquo modo ligatur invitus, ut ei ex ratione contradicat, nec consentiat, et tamen delectatione ligatus sit, sed ligatum se vehementer ingemiscat. Unde et ille cœlestis exercitus præcipuus miles gemebat, dicens : *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, et captivum me ducentem in lege peccati, quæ est in membris meis* (*Rom.* VII, 23). Si autem captivus erat, [l] minime pugnabat. Sed et pugnabat, quapropter captivus non erat. Et pugnabat igitur lege mentis, cui lex quæ in membris est repugnabat. Si hoc pugnabat, captivus non erat. Ecce itaque homo est, ut ita dixerim, et captivus et liber : liber ex justitia quam diligit, captivus ex delectatione quam portat invitus.

## EPISTOLA LXV.

### AD AUGUSTINUM ANGLORUM EPISCOPUM.

*Pallii usum concedit. Idem spondet Londinensi, quem a synodo propria statuit ordinandum. Eboracensem integro metropolitani honore vult perfrui. Augustinum Britanniæ totius primatem instituit.*

[a] Gregorius Augustino episcopo Anglorum.

Cum certum sit pro omnipotente Deo laborantibus ineffabilia æterni regni præmia reservari, nobis tamen eis necesse est [b] honorum beneficia tribuere, ut in spiritalis operis studio ex remuneratione valeant multiplicius insudare. Et quia nova Anglorum Ecclesia ad omnipotentis Dei gratiam eodem Domino largiente et te laborante perducta est, usum tibi pallii in ea ad sola missarum solemnia agenda concedimus, ita ut per loca singula duodecim episcopos ordines, qui tuæ ditioni subjaceant; quatenus [c] Londoniensis civitatis episcopus semper in posterum a synodo propria debeat consecrari, atque honoris pal-

[e] Turon., *ministerium*, legiturque hoc loco apud Bedam.

[f] Vatic. D, rejecta negatione, *imaginatio concusserit*; quam lectionem etsi sancti Gregorii scopo convenire videatur, amplecti non audemus, quod nec apud Bedam, nec in aliis Mss. habeatur. Cæteroquin lectionis receptæ optimus est sensus. Indulget sanctus Doctor pollutionem ex nimio cibo passis ut ad sacram Eucharistiam sumendam accedant, si tamen dormientium mentem nulla turpis cogitatio concusserit. Si enim turpibus imaginibus mens fœdata fuerit, tam a sumendo quam a celebrando sacro mysterio censet abstinendum.

[g] Sic restituimus ex Mss. et Beda, etsi sensus paulo sit obscurior. In Vulgatis lego : *ostenditur quod ipsa mens rea non sit tunc, sed suo judicio penitus libera, cum se etsi dormienti nihil meminit vidisse, tamen in vigiliis corporis meminit in ingluviem incidisse.*

[h] Hæc fusius prosequitur sanctus Doctor, lib. IV Moral., num. 49 et seq., necnon hom. 16 in Evang.

[i] Vatic. D, *si autem ad consensionem et deliberationem consentit.* Turon., *si autem jam ex deliberatione consentit.*

[k] Beda et Vatic. D, *peccati initium est.*

[l] Locus hic varie legitur tum in Editis tum in Mss. Apud Bedam, Edit. Colon. 1612, *minime pugnabat. Sed et si pugnabat, quare captivus erat?* In Edit. Chifflet., *minime pugnabat, sed et pugnabat; quapropter et captivus erat, et pugnabat.* In Vulgatis epistolarum sancti Gregorii, *minime pugnabat. Quapropter et captivus erat, et captivus non erat. Sed pugnabat. Igitur legi mentis lex quæ in membris est repugnabat; pugnabat autem, quapropter captivus non erat.* Nostram lectionem concinnavimus ex Mss. Vatic. D, Gemet., Turon. et Capuc., qui consentiunt, nisi quod in Turon. legitur, *si hoc pugnabat captivus erat*, ubi omittitur negatio mendossime.

Epist. LXV (*Al.* 15, *ind.* 7]. — [a] Apud Bedam, lib. I Hist. eccl., c. 29, sic legitur : *Reverendissimo fratri Augustino coepiscopo Gregorius servus servorum Dei.* Gussanv. Aliæ epistolæ ad episcopos a sancto Gregorio scriptæ apud Bedam similem præferunt inscriptionem, nec dubium quin in epistolis, saltem plerisque, servum servorum Dei se profiteretur vir sanctissimus; at brevitatis causa tituli longiores omissi sunt, tum in Mss., tum in Excusis.

[b] In Vatic. A et D, *bonorum beneficia.*

[c] In Vatic. D, *Londonensis.* Londonium vel Londinum seu Londinium, vulgo *London*, Gal. *Londres*, urbs Angliæ primaria et celeberrima ad Tamesim fluvium, comitatus Middelsexiæ caput. *Partim ex* Gussanv. Anglis recens conversis ad fidem prædicante Augustino et sociis, Gregorius duas metropolitanas sedes constituit in Britannia, unam Londini, alteram Eboraci, ita ut per singulas metropoles ordinarentur duodecim episcopi, de quo Beda, lib. I, cap. 29. Certa est provincia quæ habet duodecim episcopos, ex constitutione Gregorii, vel saltem decem aut undecim, et unum metropolitanum, tantum ex instituto Pelagii II, can. *Scitote* 6, quæst. 3. Sed postquam

lium ab hac sancta et apostolica, cui auctore Deo deservio, **1164** sede percipiat. [d] Ad Eboracam vero civitatem te volumus episcopum mittere quem ipse judicaveris ordinandum; ita ut si eadem civitas cum finitimis locis verbum Dei receperit, ipse quoque [e] duodecim episcopos ordinet, ut metropolitani honore perfruatur, quia ei quoque, si vita comes fuerit, pallium tribuere Domino favente disponimus, quem tamen tuæ fraternitatis volumus dispositioni subjacere. Post obitum vero tuum ita episcopis quos ordinaverit præsit, ut Londoniensis episcopi nullo modo ditioni subjaceat. Sit vero inter Londoniæ et Eboracæ civitatis episcopos in posterum honoris ista distinctio, ut ipse prior habeatur qui prius fuerit ordinatus. Communi autem consilio, et concordi actione quæcunque erunt pro Christi zelo agenda disponant, unanimiter recta sentiant, et ea quæ senserint non sibimet discrepando perficiant.

Tua vero fraternitas non solum eos episcopos quos ordinaverit, neque eos tantummodo qui per Eboracensem episcopum fuerint ordinati, sed etiam omnes Britanniæ sacerdotes habeat, Domino Deo nostro auctore, subjectos, quatenus ex lingua et vita tuæ sanctitatis et recte credendi et bene vivendi formam percipiant, atque officium suum fide ac moribus exsequentes, ad cœlestia, cum Dominus voluerit, regna pertingant. [f] Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater. [g] Data die decima Kalendarum Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio, piissimo Augusto, an. 19, post consulatum ejusdem domini an. 18, indict. 4.

## EPISTOLA LXVI.

### AD EDILBERTHUM ANGLORUM REGEM.

*Hortatur ut in subjectis sibi populis Christianam fidem extendat. Augustinum libenter audiat et adjuvet. Docet cur imminenti mundi hujus termino signa præmittat Deus. Mittit xenia, fundit ad Deum preces.*

Gregorius [a] Edilbertho regi Anglorum.

Propter hoc omnipotens Deus bonos quosque ad A populorum regimina perducit, ut per eos **1165** omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ [b] pietatis impendat. Quod in Anglorum gente factum cognovimus, cui vestra gloria idcirco præposita est, ut per bona quæ vobis concessa sunt, etiam subjectæ vobis genti superna beneficia præstarentur. Et ideo, gloriose fili, eam quam accepisti divinitus gratiam sollicita mente custodi. Christianam fidem in populis tibi subditis extendere festina, zelum rectitudinis tuæ in eorum conversione multiplica, idolorum cultus insequere, [c] fanorum ædificia everte, subditorum mores in magna vitæ munditia exhortando, terrendo, [d] blandiendo, corrigendo, et boni operis exempla monstrando ædifica, ut illum retributorem invenias in cœlo, cujus nomen atque cognitionem dilataveris in B terra. Ipse enim vestræ quoque gloriæ nomen etiam posteris gloriosius reddet, cujus vos honorem quæritis et servatis in gentibus. Sic enim Constantinus, quondam piissimus imperator, Romanam rempublicam a perversis idolorum cultibus revocans, omnipotenti Domino Deo nostro Jesu Christo secum subdidit, seque cum subjectis populis tota ad eum mente convertit. Unde factum est ut antiquorum nomen principum suis vir ille laudibus vinceret, et tanto in opinione prædecessores suos quanto et in bono opere superaret. Et nunc itaque vestra gloria cognitionem unius Dei Patris, et Filii, et Spiritus sancti regibus ac populis sibimet subjectis festinet infundere, ut et antiquos gentis suæ reges laudibus ac meritis transeat; et quanto in subjectis suis aliena peccata deC terserit, tanto etiam de peccatis propriis ante omnipotentis Dei terribile examen securior fiat.

Reverendissimus autem frater noster Augustinus, episcopus, in monasterii regula doctus, sacræ Scripturæ scientia repletus, bonis auctore Deo [e] operibus præditus, quæque vos admonet libenter audite, devote peragite, studiose in memoria reservate, quia si vos eum in eo quod pro omnipotente Deo loquitur auditis, idem omnipotens Deus hunc pro vobis

---

Cantuaria, quæ erat caput regni Cantii et sedes regia, ab Ethelberto rege concessa est Augustino, qui sedem sibi et successoribus suis hic locavit, ibique diem obiit et sepultus est.... metropolitica dignitas, quæ a Gregorio statuta fuerat Londini, Cantuariam translata est, ut patet ex epist. Kenulfi regis Merciorum ad Leon. III pontificem, quæ est apud Willelmum D Malmesbur., de regum Anglic. Gestis, lib. I, cap 4.... De primatu Britanniæ diu certatum inter Cantuariensem et Eboracensem episcopos; sed Cantuariensis judicio Rom. pontificum pronuntiatus totius Britanniæ primas, et velut alterius orbis papa. Anselmum Cantuar.... in concil. Barensi sedere jussit Urbanus II juxta Rom. archidiaconum, qui ante pontificem sedere moris erat. *Includamus*, inquit, *hunc in orbe nostro quasi alterius orbis papam*. De quo Willelmus Malmesb., de Gestis pontif. Anglor., lib. I; Eadmerus, lib II, pag. 52. ALTESERRA.

[d] In Collectione Pauli legitur *Eburacham*, et infra *Eburachæ*.

[e] Ad provinciam constituendam Pelagius II requirit decem vel undecim civitates et unum regem, epist. 8. Ibidem episcopum metropolitanum habere decem aut undecim episcopos suffraganeos docet; provinciæ tamen semper aliæ majores, aliæ minores fuere pro arbitrio : v. g., provincia Lugdunensis semper, ut et hodie, quinque fuit civitatum; provincia Belgica prima, quatuor; provincia Germania prima seu Moguntiacensis, totidem; provincia Alpium Graiarum et Penninarum, trium tantum. *Partim ex* GUSSANV.

[f] Hanc conclusionem, quæ deest in mss. et editis D Registri exemplaribus, supplevimus ex Beda loco supra citato. GUSSANV.

[g] Ita apud Bedam et in Collect. Pauli. In Vatic. D legitur : *Data die Kalend. Juliarum, indict. 4.*

EPIST. LXVI [*Al.* 60]. — [a] Varie legitur hujus regis nomen tam in Mss. quam in excusis. In Vatic. D scribitur *Adalbertho*, consentientibus duobus Teller., Norm. et plur. Anglic. In Colbertinis, *Adelberto* vel *Adilberto*, ut etiam in Vatic. F. In Vatic. A, *Ildeberto*. In Vatic. B, *Alliberto*. In Victor., *Adilperchto*. In nonnullis Anglic., *Ethelberto*. Sequimur præcipue Bedam, quem latere non potuit hujus regis nomen. Præterea legendo *Edilberthum* etymologiam nominis hujus habemus; nam *Edit* lingua Saxonica significat honoratum, illustrem. Apud Bedam hic titulus legitur, lib. I, c. 32 : *Domino gloriosissimo atque præcellentissimo filio Edilbertho regi Anglorum Gregorius servus servorum Dei.* In omnibus sancti Gregorii epistolis a Venerab. Beda relatis servum servorum Dei se prag-

exorantem celerius exaudit. Si enim, quod absit, verba ejus postponitis, quando eum omnipotens Deus poterit audire pro vobis, quem vos negligitis audire pro Deo? Tota igitur mente cum eo vos in fervore fidei stringite, atque annisum illius virtute quam vobis divinitus tribuit adjuvate, ut regni sui vos ipse faciat esse participes, cujus vos fidem in regno vestro [f] recipi et facitis custodiri.

Præterea scire vestram gloriam volumus quia, sicut in Scriptura sacra ex verbis Domini omnipotentis **1166** agnoscimus, præsentis mundi jam terminus juxta est, et sanctorum regnum venturum est, quod nullo unquam poterit fine terminari. Appropinquante autem eodem mundi termino, multa imminent quæ ante non fuerunt, videlicet immutationes aeris, terroresque de cœlo, et contra ordinem temporum tempestates, bella, fames, pestilentiæ, terræmotus per loca. Quæ tamen non omnia nostris diebus ventura sunt, sed post nostros dies omnia subsequentur. Vos itaque si qua ex his evenire in terra vestra cognoscitis, nullo modo vestrum animum perturbetis, quia idcirco hæc signa de fine sæculi præmittuntur, ut de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, et venturo judici in bonis actibus inveniamur esse præparati. Hæc nunc, gloriose fili, paucis locutus sum, ut cum Christiana fides in regno vestro excreverit, nostra quoque apud vos locutio latior excrescat; et tanto amplius loqui libeat, quanto se [g] in mente nostra gaudia de gentis vestræ perfecta conversione multiplicant.

Parva autem xenia transmisi, quæ vobis parva non erunt, cum a vobis ex beati Petri apostoli fuerint benedictione suscepta. Omnipotens itaque Deus in vobis gratiam suam quam cœpit custodiat atque perficiat, atque et hic vitam vestram per multorum annorum curricula extendat, et post longa tempora in cœlestis vos patriæ congregatione suscipiat. [h] Incolumem excellentiam vestram gratia superna custodiat, domine fili. [i] Data die x Kalend. Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio piissimo Augusto an. 19, post consulatum ejusdem domini nostri an. 18, indict. 4.

## EPISTOLA LXVII.

AD QUIRICUM EPISCOPUM, ETC.

*Eos qui in hæresi cum Trinitatis invocatione baptizati sunt, si ad Ecclesiam revertantur, non baptizandos; sed aut impositione manuum, aut chrismatis unctione, aut professione fidei reconciliandos. Redeuntes Nestorianos veram de incarnato Verbo fidem docendos, quam hic ipse firmat ex Scripturis; atque si Nestorium anathematizent, si quas recipit Ecclesia synodos venerentur, suscipiendos in propriis ordinibus.*

Gregorius [a] Quirico episcopo, et cæteris episcopis in [b] Hiberia catholicis.

Quia charitati nihil est longe, quos dividunt loca jungat epistola. Lator itaque præsentium **1167** ad

servi servorum Dei in præfat. ad Registrum epistolarum, § 11 pag. 481, propositam.

[b] In Vatic. D, *suæ potestatis*; et additur *vel pietatis*.

[c] Alia sancto Gregorio non multo post sedit sententia, scilicet infra, epist. 76: *Dicite ei..... quia fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant*, etc. In quem locum videat lector quæ dicturi sumus ex Augustino. In Cod. Theodosiano, titulo de paganis, sacrificiis et templis, lege 25: *Cuncta eorum fana, templa, delubra, si qua etiam nunc restant integra, præcepto magistratuum destrui, collocationeque venerandæ Christianæ religionis signi expiari præcipimus.* GUSSANV.

[d] Abest *blandiendo* a Norm.

[e] Vatic. F, *operibus deditus*.

[f] Apud Bedam, *recipi facialis et custodiri*. In Excusis, *recipitis et facitis custodiri*.

[g] Vulgati, *in mente vestra*, quam lectionem præter Mss. testimonium series orationis amplectendam non esse probat.

[h] Hæc conclusio desumpta est ex loco citato Bedæ, qui totam epistolam refert prout habetur in nostris exemplaribus, excepto titulo et conclusione, ut dixi. GUSSANV.

[i] In uno e Colbert. legitur: *Data die Kalend. Januar., indict.* 4. Idem legitur in Victorino et in 2 Rhemensi seu Remig.

EPIST. LXVII [*Al.* 61]. [a] Sic restituimus ex judicio illustrissimi et eruditissimi Petri de Marca archiepiscopi Parisiens., qui in appendice ad concilium Claromontanum, sub Urbano II, de hoc titulo ita loquitur: *Gregorii epistolæ inscriptionem ad Hiberniæ episcopos emendandam duxi*, Iberiam *substituendo, tum quod inquisitio de Nestorianis facta satis docet de Orientis partibus agi, in quibus solis hæresis illa vigebat; tum quod initio epistolæ annotat Gregorius, legatum episcoporum Romam se conferentem in Jerosolymorum urbe epistolas cum aliis rebus perdidisse, quod de Hibernis in ultimo Occidente positis nonnisi absurdissime dici potest, quemadmodum Iberis in finibus Ponti sitis et fidem Christianam ab ipsa Constantini ætate amplexis apprime congruit. Nestorianos ergo per solam fidei professionem recipiendos consultationi respondens dicit Gregorius, neque baptismo iterato, neque manu imposita, vel chrismate collato. Et ille quidem traditionem Patrum laudat, quæ ritum alium erga Nestorianos non adhibendum docebat.* Non desunt tamen manuscripti Cod. qui lectionem hanc confirment. Cluniac., Thuan., qui in indice epistolarum legit *Iberia*, licet in ipsa epistola habeatur *Hibernia*. Codex etiam Vaticanus, numero 622, ex recensione eminentiss. card. Bona, prout significavit mihi in litteris die 9 Septemb. 1670. Sic et Anselmus Lucensis, in Collect. can., l. VIII, c. 24: *Quirico episcopo, et cæteris Iberiæ episcopis*. Nec prætereundus est Christianus Lupus, qui, tomo I Synodorum, etc., in notis ad quintum concilium, pag. 738, legit *Iberiæ*, et pag. 743, *Hiberiæ*. GUSSANV. Eruditorum virorum conjecturæ non inviti consensum præbemus. Eam confirmant Cod. Reg. et Pauli Diaconi Collectio, in cujus indice legitur *in Iberia*. Contemnenda non est hæc Romanorum correctorum observatio ad can. 44, dist. 4, de Consecr., ex epistola ad Quiricum. *Sic*, inquiunt, *emendatum est* (Iberia) *ex originali manuscripto Vaticano. Antea erat Hibernia*. Quod spectat ad hujus episcopi nomen, in veteribus Codd. modo legitur *Quirino*, modo *Quirico*.

[b] Aliis Iberia, regio Asiæ quæ nunc incolis dicitur *Gurgistan*, Gallis autem *la Géorgie*, inter Colchidem ad occasum, et Albaniam ad ortum, Armeniæ majori contermina. Nunc subest dominio proprii principis, sub clientela tamen regis Persarum. GUSSANV. Quid vetat per Iberiam intelligere Hispaniam, sic olim dictam? Vide l. IV Dialog., c. 36, in notis. Iberi apud sanctum Irenæum, lib. I, c. 5, sunt Hispani: *Neque*, inquit, *hæ quæ in Germania sunt fundatæ Ecclesiæ aliter credunt..... neque hæ quæ in Iberis, neque hæ quæ in Celtis*. Nomen Iberiæ retinuit Hispania

beati Petri apostolorum principis Ecclesiam veniens fraternitatis vestræ se asseruit ad nos epistolas accepisse, easque in Jerosolymorum urbe cum rebus quoque aliis perdidisse. In quibus, sicut ipse ait, studuistis inquirere sacerdotes ac plebes quæ Nestorianæ hæreseos errore confusæ sunt, cum ad matrem electorum omnium catholicam Ecclesiam revertuntur, [c] utrum debeant baptizari, an certe solius veræ fidei confessione ejusdem matris Ecclesiæ visceribus adjungi.

Et quidem ab antiqua Patrum institutione didicimus (*Grat. de Cons. dist. 4, c. 44*) ut quilibet apud hæresim in Trinitatis nomine baptizantur, cum ad sanctam Ecclesiam redeunt, aut unctione chrismatis, aut impositione manus, aut sola professione fidei ad sinum matris Ecclesiæ revocentur. Unde [d] Arianos diu post obitum sancti Gregorii, ut liquido constat ex epistola Taionis, Cæsaraugustani episc., ad Quiricum Barcinonensem episc., tomo II Analect. Mabillonii, pag. 69. Florebat enim Taio medio circiter sæculo septimo. Jam sanctus Leander, Hispal. episcopus, nonnullas de baptismo quæstiones proposuerat sanctissimo pontifici, qui respondit epist. 43 lib. I. Cum in Hispania paulo antea grassaretur Ariana hæresis, quidni episcopi Hispaniæ consuluissent summum hunc Ecclesiæ doctorem ac magistrum de Arianorum reconciliandorum ritu? At cur, inquies, post Arianos tot alii commemorantur hæretici, et de eorum baptismo inquiritur ac statuitur? Ariana hæresis quæ in Hispaniis tandiu desævierat, hanc forsitan hæreticorum colluviem invexerat, qui plerique saltem Arianis affines erant. Certe longo jam experimento didicimus in provinciis ubi dominatur hæresis aut Calviniana, aut Lutherana, cæteras impune recipi ac serpere. Imo etiam si tunc Hispania ab his hæresibus omnino libera fuisset, nihil obstabat quominus episcopi de illorum hæreticorum baptismo inquirerent, cum etiam nunc in scholis de illius validitate passim disputetur.

[c] Vide epist. 37 lib. x, indict. 3, et notas ad eam.

[d] Diversis modis in Ecclesia, dum redirent, recipiebantur qui apud hæreticos fuerant baptizati, prout variis laborabant erroribus. Nam primo alii jubebantur rebaptizari, ut Paulianistæ, et cæteri apud quos vitiosa erat baptismi forma; secundo alii non baptizabantur, sed chrismate jubebantur inungi; et hi semper quinque recensentur, tum canone 7 conc. I Constantinop., tum can. 95 Trullano, tum in Euchologio e Bibliotheca Regia desumpto, et a domino de Marca vulgato, tum in (*Vide ejusdem Theod. epist.* 53 *lib.* I) Theodori Studitæ epist. 4, apud Balsamonem, pag. 1099, tum in scripto Timothei presbyteri, ibid., pag. 1050; ibi, inquam, quinque recensentur, scilicet Novatiani, Tetraditæ seu Quartodecimani, Ariani, Apollinaristæ et Macedoniani; tertio alii nec denuo baptizabantur, nec ungebantur, sed, ejurata sua et aliorum hæresi, recipiebantur; quos inter leguntur Nestoriani et Eutychiani in omnibus quos modo memorabam auctoribus (si canonem septimum Constantinopol. excipias) hique sunt ipsi quos concil. Trullanum, can. 95, designavit nomine Manichæorum, Valentinianorum, et Marcionitarum, non quod revera hanc profiterentur sectam, sed ut a concilio eorum impietatem detestante declararentur illorum impietati affines. Quod ad veros attinet Manichæos, Marcionitas et Valentinianos, denuo baptizabantur, ut patet ex dicti Timothei scripto. Quod vero Arianos per impositionem manus in Occidente susceptos ait Gregorius, id de Occidente universo ne intelligas. Nam in Galliis atque Hispaniis, Arianos, cum ad Ecclesiam redirent, chrismate consignatos testantur apertissime concil. Arelat. II, can. 17; Arausic. I, can. 2; Epaon., c. 16; Gregorius, Turon., lib. II Histor., c. 31; lib. IV, c. 27, 28; lib. V, c. 39; lib. IX, c. 15. Porro assertam hic a Gregorio Mag. de Occidente disciplinam, in Romana ipsa Ecclesia, necnon in aliis Italiæ, aut vicinarum provinciarum aliquot usu receptam fuisse colligimus ex Siricii epist. 1, cap. 1, et epist. 4, c. 8; Innoc. I, epist. 2, c. 8, epist. 22, c. 4; Leon. I, epist. 129, c. 7, epist. 135, c. 2. An vero chrismatio illa quatum in Oriente, tum in Galliis atque Hispaniis resipiscentes hæretici consignabantur, ipsum esset confirmationis sacramentum, disputant theologi.

[e] Hoc est, hæretici qui unicam tantum in Christo naturam tuentur, quales fuerunt Eutychiani.

[f] Vulgati habent *Bonosiani*, repugnantibus plerisque Mss., sc. Reg., Corb., Norm., tribus Vatic., Collect. Pauli., etc. Bonosiaci ita dicti a Bonoso quodam in Macedonia episcopo, qui Dei genitricis Mariæ virginitatem post partum illibatam negavit. Illius judicium ad Illyrici episcopos remisit Capuana synodus circa annum 389. De Bonosiacis sive Bonosianis agens Innocentius I, epist. 20, 21, 22, id ipsis non tribuit, quod putat Baronius, *ut Christum Dominum non crederent, et in Trinitatis nomine minime baptizarentur*. Illorum baptismum ratum habet conc. Arelat. II, c. 17: *Bonosiacos autem ex eodem errore venientes (quos sicut Arianos baptizari in Trinitate manifestum est) dum interrogati fidem nostram ex toto corde confessi fuerint, cum chrismate et manus impositione in Ecclesia recipi sufficit.* Suis forte erroribus Photinianum postea adjecerant: Gelasius I enim in synodo Romana, decreto de libris prohibitis, Bonosum cum Ebione, Paulo Samosateno et Photino conjungit, imo ante ipsum Gennadius, de Scriptoribus eccles., c. 14, dixerat Audentium libros scripsisse adversus Manichæos, Sabellianos, et Arianos, maximeque et intentione speciali contra Photinianos, qui nunc Bonosiaci vocantur. De Cataphrygis legendus tractatus de Præscriptionibus hæret., apud Tertullianum, c. 52: *Accesserunt alii hæretici qui dicuntur secundum Phrygas; sed horum non una doctrina est. Sunt enim qui Kata Proclum dicuntur, sunt qui secundum Æschinem pronuntiantur. Hi habent aliam communem blasphemiam, aliam blasphemiam non communem, sed peculiarem suam. Et communem quidem illam qua in apostolis quidem dicant Spiritum sanctum fuisse, Paraclitum non fuisse; et qua dicant Paraclitum plura in Montano dixisse quam Christum in Evangelium protulisse.* Unico vocabulo dicti sunt Cataphrygæ hæretici illi, quia illius hæreseos auctores ac principes, Montanus, Appelles, pseudoprophetissæ Priscilla et Maximilla ex Phrygia prodierunt et in ea provincia potissimum grassati sunt secundo sæculo.

[g] Rhem. et Vatic. D, *perversum sensum sequendo, pravum Montanum.*

A

B

C

D

baptisma non fuit quod in errore positi in sanctæ Trinitatis nomine minime perceperunt. [h] Nec potest hoc ipsum iteratum dici baptisma, quod, sicut dictum est, in Trinitatis nomine non erat datum. Nestoriani vero quia in sanctæ Trinitatis nomine baptizantur, [i] sed eos Judaicæ perfidiæ similes, Incarnationem unigeniti non credentes, suæ hæreseos error obscurat, ad sanctam Ecclesiam catholicam venientes de veræ fidei firmitate et confessione docendi sunt, ut unum eumdemque Dei et hominis Filium, Deum Dominum nostrum Jesum Christum credant, ipsum existentem in divinitate ante sæcula, et ipsum factum hominem in fine sæculorum, quia *Verbum caro factum est, et habitavit in nobis* (*Joan.* I, 14). Verbum vero carnem dicimus factum, non [k] amittendo quod erat, sed suscipiendo quod non erat. Incarnationis enim suæ mysterio unigenitus Patris nostra auxit, sua non minuit. Una itaque persona est Verbum et caro, sicut ipse ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui de cœlo descendit, Filius hominis qui est in cœlo* (*Joan.* III, 13). Qui Filius Dei in cœlo, erat Filius hominis qui loquebatur in terra. Hinc Joannes ait : *Scimus* **1169** *quia Filius Dei venit, et dedit nobis sensum* (*I Joan.* V, 20). Qui nobis quem sensum dederit, illico subjunxit : *Ut cognoscamus Deum verum.* Quem hoc loco verum Deum insinuat, nisi Patrem omnipotentem ? Sed quid etiam de omnipotente Filio sentiat adjunxit : *Et simus in vero ejus Filio Jesu Christo.* Ecce ait verum Deum Patrem, verum ejus Filium Jesum Christum. Quem verum Filium quid esse sentiat apertius ostendit : *Hic est,* inquit, *verus Deus et vita æterna.* Si igitur juxta errorem Nestorii alius Verbum, alius esset homo Jesus Christus, qui verus est homo, utique verus Deus non esset et vita æterna. Sed unigenitus Filius Verbum ante sæcula factus est homo. Hic est ergo verus Deus et vita æterna. Certe cum hunc sancta Virgo conceptura esset, et loquentem ad se angelum audiret, ait : *Ecce ancilla Domini, fiat mihi sicut dicis* (*Luc.* I, 38). Quæ cum eum concepisset, et ad Elisabeth cognatam suam pergeret, ab eadem Elisabeth protinus audivit : *Unde ego digna ut mater Domini mei veniat ad me ?* Ecce eadem Virgo et ancilla Domini dicitur et mater. Ancilla enim Domini, quia Verbum ante sæcula unigenitus æqualis est Patri ; mater vero, quia in ejus visceribus ex sancto Spiritu de ejusque carne factus est homo. Nec alterius ancilla, alterius mater, quia dum unigenitus Dei existens ante sæcula ex ejus utero natus est homo, [l] investigabili miraculo facta est et ancilla hominis per divinitatem, et mater Verbi per carnem. Non autem prius in utero Virginis caro concepta est, et postmodum divinitas venit in carnem ; sed mox ut Verbum venit in uterum, mox Verbum, servata propriæ [m] virtute naturæ, factum est caro. Et perfectus homo, id est in veritate carnis et animæ rationalis, natus est per uterum Virginis unigenitus Filius Dei. Unde et unctus præ participibus dicitur, sicut Psalmista ait : *Unxit te Deus Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis* (*Ps.* XLIV, 8). Unctus quippe est oleo, dono videlicet Spiritus sancti. Sed præ consortibus unctus est, quia omnes nos prius peccatores homines existimus, et postmodum per unctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem qui existens Deus ante sæcula, per sanctum Spiritum in utero Virginis homo conceptus est in fine sæculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus est, ubi conceptus. Nec ante conceptus et postmodum unctus est ; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, a sancto Spiritu ungi fuit. Hanc ergo nativitatis ejus veritatem quicunque a perverso errore Nestorii revertuntur coram sancta fraternitatis vestræ congregatione fateantur, eumdem Nestorium cum omnibus sequacibus suis, et reliquas hæreses anathematizantes. Venerandas quoque synodos quas universalis Ecclesia recipit, se recipere et venerari promittant ; et absque ulla dubitatione eos sanctitas vestra, [n] servatis eis propriis ordinibus, in suo cœtu recipiat, ut dum et per sollicitudinem occulta mentis eorum discutitis, atque eos per veram scientiam **1170** recta quæ tenere debeant docetis, et per mansuetudinem nullam eis contrarietatem vel difficultatem de propriis suis ordinibus facitis, eos ab antiqui hostis ore rapiatis ; et tanto vobis apud omnipotentem Deum æternæ gloriæ crescat retributio, quanto multos colligitis, qui vobiscum in Domino sine fine glorientur. Sancta itaque Trinitas orantes pro nobis sua vos protectione custodiat, vobisque in amore suo dona adhuc multipliciora concedat [o].

## EPISTOLA LXVIII.

### AD VIRGILIUM ARELATENSEM EPISCOPUM.

*Commendat Augustinum episcopum, si ad eum venerit.*

[a] Gregorius Virgilio episcopo Arelatensi.

Quantus sit affectus venientibus sponte fratribus impendendus, ex eo quod plerumque solent charitatis causa invitari, cognoscitur. Et ideo si communem fratrem Augustinum episcopum ad vos venire contigerit, ita illum dilectio vestra, sicut decet, affectuose dulciterque suscipiat, ut et ipsum consolationis suæ bono refoveat, et alios qualiter fraterna charitas colenda sit doceat. Et quoniam sæpius evenit ut hi qui longe sunt positi prius ab aliis quæ sunt emendanda

[h] In Rhem. hæc omittuntur usque ad *Nestoriani.* In Collect. Pauli eadem imo plura sunt prætermissa.

[i] In illa Collec., in Vatic. D et Rhem., *sed eos Judaicæ perfidiæ similes, de Incarnatione unigeniti, suæ hæreseos error obscurat ; et ideo ad sanctam.*

[k] Ita Norm., Corb., etc. ; editi, *non immutando.*

[l] Collectio Pauli, *ininvestigabili miraculo.*

[m] Al., *veritate*, ut habetur in Vulgatis recent. quibus obsequeremur, nisi alio nos ducerent mss. Codices.

[n] Ita statuit Nicænus canon octavus. Excipiebantur hæresum auctores. De hujusmodi erga clericos hæreticos indulgentia, vide Augustinum, lib. II contra Crescon., c. 12.

[o] In Colbert. ac in Collect. Pauli : *Data die decima Kalendar. Jul., indict.* 4.

EPIST. LXVIII [*Al.* 65]. — [a] Exemplar Bedæ sic habet : *Reverendissimo et sanctissimo fratri Virgilio coepiscopo servus servorum Dei.* Lib. I Hist., c. 29.

cognoscant, [b] si quas fortasse fraternitati vestræ sacerdotum vel aliorum culpas intulerit, una cum eo residentes subtili cuncta investigatione perquirite. Et ita vos in ea quæ Deum offendunt, et ad iracundiam provocant, districtos ac sollicitos exhibete, ut ad aliorum emendationem, et vindicta culpabilem feriat, et innocentem falsa opinio non affligat. [c] Deus te incolumem custodiat, reverendissime frater. [d] Data die x Kalend. Juliarum, imperante domino nostro piissimo Mauricio Tiberio Augusto an. 19, post consulatum ejusdem domini nostri anno 18, indict. 4.

## EPISTOLA LXIX.

AD BRUNICHILDEM FRANCORUM REGINAM.

*De corrigendis sacerdotibus qui vitam prave instituunt.*

Gregorius Brunichildæ Francorum reginæ.

Cum scriptum sit : *Justitia elevat gentem, miseros autem facit populos peccatum* (*Prov.* XIV, 34), tunc regnum stabile creditur, cum culpa quæ cognoscitur citius emendatur. Multorum igitur ad nos relatione pervenit, quod dicere sine afflictione cordis nimia non valemus, ita quosdam sacerdotes in illis partibus impudice ac nequiter conversari, ut et audire nobis opprobrium et lamentabile sit referre. Ne ergo postquam hujus nequitiæ hucusque se tetendit opinio, aliena pravitas [a] aut nostram animam aut vestrum regnum peccati sui jaculo feriat, ardenter ad hæc debemus ulciscenda consurgere, ne paucorum facinus **1171** multorum possit esse perditio. [b] Nam causa sunt ruinæ populi sacerdotes mali. Quis enim pro populi se peccatis intercessor objiciat, si sacerdos qui exorare debuerat graviora committat? Sed quoniam eos quorum est locus hæc insequi, nec sollicitudo ad requisitionem, nec zelus excitat ad vindictam, scripta ad nos vestra discurrant, [c] et personam, si præcipitis, cum vestræ auctoritatis assensu transmittamus, quæ una cum aliis sacerdotibus hæc et subtiliter quærere et secundum Deum debeat emendare. Nec enim sunt dissimulanda quæ dicimus, quia qui emendare potest et negligit, participem se procul dubio delicti constituit. Providete ergo animæ vestræ, providete nepotibus, quos cupitis regnare feliciter, providete provinciis ; et priusquam Creator noster manum suam ad feriendum excutiat, A de correctione hujus sceleris studiosissime cogitate, ne tanto postmodum acrius feriat, quanto modo diutius et clementer exspectat. Scitote autem quod Deo nostro magnum sacrificium placationis offertis, si tanti labem facinoris de vestris citius finibus amputatis [d].

## EPISTOLA LXX.

AD CANDIDUM PRESBYT. RECTOREM PATRIMONII.

*Aurelium presbyterum commendat, ut ei oratorium vel locum aliquem committat.*

Gregorius Candido [a] presbytero Galliæ.

Lator præsentium filius noster Aurelius presbyter, a Galliarum partibus veniens, petiit ut sicubi in possessionibus beati Petri apostolorum principis oratorium aut locus qui presbytero vel abbate indiget inveniri potuerit, ei debeat committi, quatenus et ipse subsidium vitæ præsentis inveniat, et nos inveniamur petitioni illius paruisse. Proinde dilectioni tuæ eum omnibus modis commendamus, ut in quo usus exegerit, ei tua dilectio concurrat, et scriptorum nostrorum illic solatium inveniat.

## EPISTOLA LXXI.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Illum aliosve in causa Joannis Diaconi judices arguit, quod Hilarum subdiaconum calumniatorem nulla pœna affecerint. Hunc privatum officio, ac verberibus publice castigatum, jubet exsulare. Eligendum Paschasio episcopo vicedominum et majorem domus.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Cum fortius punienda sint crimina quæ insontibus, C et maxime sacratis ordinibus ingeruntur, **1172** quam sitis culpabiles omnes qui in causa Joannis Diaconi resedistis attende, ut Hilarum [a] criminatorem ipsius nulla ex definitione vestra pœna veniens castigaret. Nec illud ad excusationem vestram credatis esse idoneum, quod vobis quasi judicare volentibus solus frater et coepiscopus noster [b] Paschasius dicitur distulisse. Nam si zelus in vobis rectitudinis viguisset, facilius uni a multis rationabiliter suaderi quam multi ab uno poterant sine causa differri. Quia ergo tantæ nequitiæ malum sine digna non debet ultione transire, suprascriptum fratrem nostrum Paschasium volumus admoneri, ut eum-

[b] In Vatic. D, *si qua se fortasse.... culpa intulerit.* Idem Codex supra, ubi legitur *colenda sit*, habet *consolanda sit* ; consentiuntque Vatic. E et Rhem.

[c] Desumpta est hæc conclusio ex Beda loco supra citato.

[d] Hæc desiderantur in omnibus Mss. nostris præterquam in duobus Teller.

EPIST. LXIX [*Al.* 64]. — [a] Vatic. A, *aut vestram animam.*

[b] Chrysostomus, hom. 45, in cap. XXIII Matth. : *Plebs sine luce cæcutit, sine sale corrumpitur, sine fermento infatuatur, sine duce in foveam cadit, sine nauclero naufragatur, pravis exemplis ruit.*

[c] Augustinum Anglorum episcopum Gregorius in Galliam advocare cogitabat, qui una cum Gallicanis episcopis de sacerdotibus impudice ac nequiter conversantibus inquireret ac emendaret, ut etiam innuit superior epistola.

[d] Legitur in Colb. vet. : *Data die* x *Kalend. Jul., indict.* 4. Certe si hæc epistola a Mellito ejusque so- D ciis delata sit, eodem tempore scripta est ac cæteræ superiores quibus eadem temporis nota affigitur. At vix credi potest a sancto Gregorio tres eodem die ad eamdem reginam epistolas fuisse conscriptas, scilicet 62, 63 et 69, hujus libri.

EPIST. LXX [*Al.* 65]. — [a] Hoc est, in Galliis ; erat enim Italus, gerens curam patrimonii sancti Petri in Gallia. GUSSANV.

EPIST. LXXI [*Al.* 66]. — [a] Pœna calumniatoris, quam uncialibus litteris descriptam prælati habere semper præ oculis deberent. Nunc passim innocentes opprimuntur impune, non diaconi modo, sed etiam presbyteri et pastores ; et sycophantæ foventur, qui aliorum rodunt famam dente maligno, devotionis specie. GUSSANV.

[b] Erat is episcopus Neapolitanus ex 31, supra. GUSSANV. Reg. et Remig., *Paschasius dicitur detulisse.*

dem Hilarum prius subdiaconatus quo indignus fungitur privet officio, atque [c] verberibus publice castigatum [d] faciat in exsilium deportari ut unius pœna multorum possit esse correctio. Cujus [e] si forte lenitatem diaconi sui adhuc opinio lacerata non commovet, et in hoc, quod non credimus, torpens exstiterit, experientia tua hæc quæ diximus faciat, et de illius nobis neglectu renuntiet. Hortandus præterea idem frater ex nostro mandato est, ut se in omnibus vigilantem exhibeat, et Ecclesiæ suæ amplius exhibere disciplinam non negligat, ne et peccatum de his qui ei commissi sunt sustineat, et nos contra se vehementer stimulet, si in officii sui cura, quod non optamus, incautus vel lentus exstiterit. Volumus autem (*Grat. dist.* 89, *c.* 2) ut memoratus frater noster Paschasius et [f] vicedominum sibi ordinet, et majorem domus, quatenus possit vel hospitibus supervenientibus, vel causis quæ eveniunt, idoneus et paratus existere. [Si vero et negligentem eum prospicis, et ea quæ diximus implere differentem, omnis clerus ejus adhiberi debet, ut communi consilio ipsi eligant quorum personæ ad ea quæ prædiximus valeant ordinari [g]. (*Cf. Joan. Diac.*, *l.* IV, *c.* 31; *l.* II, *c.* 54.)

## EPISTOLA LXXII.

AD AGAPITUM ABBATEM.

*Illius monasterio aliud unit a monachis ob hostilitates prorsus desertum.*

Gregorius Agapito abbati.

[a] Ne locis venerabilibus vel quando licet culturæ desit obsequium nostra debet sollicite cura prospicere. Quia igitur monasterium quod in fundo [b] Marciano provinciæ Campaniæ situm est, ita hostilitate faciente, a congregatione funditus dicitur desolatum, ut ne unus exinde monachus, qui aliquam illic sollicitudinem vel curam debeat adhibere, remanserit, tuo illud monasterio cum omnibus rebus suis, vel quæ ei competunt actiones, utile prospeximus [c] uniendum, **1173** ut res ejus tenendi, vel a detinentibus vindicandi libera tibi sit et sine aliqua dubietate licentia. In quo etiam studii tui sit monachos deputare, qui illic tempore quo intervallum de hoste fuerit, et opus Dei celebrare, et decenter debeant deservire. Nec aliqua illud præsumas excusatione negligere, quod ideo curæ tuæ ut sollicitudinem illic debeas adhibere committitur. Ipsum autem monasterium sic tuæ nos ordinationi commisisse cognoscas, ut tamen jurisdictionem illic non episcopus Surrentinus, in cujus civitate monasterium tuum est, sed Nucerinus, cujus est diœcesis, habeat. Nam sic hujus loci ordinationem disponimus, ut tamen jura sua singulis episcopis inviolata servemus.

## EPISTOLA LXXIII.

AD MARINIANUM ABBATEM.

*Ecclesia sancti Georgii curam Mariniano ejusque successoribus committit.*

Gregorius Mariniano abbati.

Quia ecclesiam sancti Georgii positam in loco qui [a] *Ad sedem* dicitur minorem quam oportet diligentiam habere cognovimus, utile esse prospeximus, quoniam monasterium tuum eidem ecclesiæ noscitur esse conjunctum, ejus tibi curam committere, hortantes ut et sollicitudinem illic congruam studeas adhibere, et psalmodiæ officium solemniter exhibere facias. Et quia ecclesiam ipsam reparatione certum est indigere, volumus ut quidquid illuc accedere potuerit, ipse accipere atque in ejus reparationem, ut prævideris, debeas erogare. Hanc vero sollicitudinis curam, quam tibi hujus pagina præcepti mandavimus, tam te quam etiam successores tuos, qui monasterii regimen, Deo auctore, susceperint, exhibere, et quæ constituimus per omnia volumus observare.

## EPISTOLA LXXIV.

AN EUSEBIUM THESSALONICENSEM EPISCOPUM.

*Falsatam ab Andrea monacho nequissimo illius epistolam. Nonnullos Gregorio ipsi ab eodem suppositos sermones. Exigendam a Luca presbytero suspecto fidei confessionem.*

Gregorius [a] Eusebio episcopo Thessalonicensi.

[c] Etiam Augustini ævo virgarum verbera sæpe in judiciis solebant ab episcopis adhiberi. Vide epist. 133. Jam vero publica flagellatio a foro ecclesiastico recessit. Arresto Parlamenti Paris. an. 1562 dictum fuit male et abusive ab officiali judicatum, qui ad publicam fustigationem clericum damnaverat, ecclesiasticisque judicibus facta inhibitio ne hujusmodi pœnam imponerent.

[d] Refertur cap. *Cum fortius*, extr. de calumniator. Vide infra, lib. XIII, epist. 45; eademque statuitur pœna can. 9, caus. 3, q. 4, c. 9; item cap. 3, causa 3, q. 5, et can. 23, dist. 63. Ivo Carnot., epist. 186, ad Aurelian. episcopum : *Oportet ut . . . . . depositum perpetuo carcere damnetis, aut in æternum exsilium detrudatis.* Jam vero clericos in exsilium mittere ecclesiastico judici non licet, sed ad regiam potestatem id spectat, atque ita non semel judicatum testatur Choppin. de sacra Politia, lib. II, tit. 3, num. 12. Idipsum pluribus arrestis confirmatum dicit Fevretius, de Abusu, lib. VIII, cap. 4, num. 11.

[e] In Vatic. A, *cujus . . . . levitatem.*

[f] De vicedominis et hospitalitate vide lib. I epist. 11.

[g] In vet. Colb. : *Data die* X *Kalend. Jul., indict.* 4. In Collect. Pauli et in altero Rhem. : *Data die* VI *Id. Jul. indict.* 4.

EPIST. LXXII [ *Al.* 67 ]. — [a] Ita Mss. Anglic., Norm., Reg., Remig. et plerique. In vet. Ed. : *De rebus venerabilibus vel quando licet*, etc. Ita etiam legimus in Rhem. Recent. editoribus placuit ita mutare hujus epist. initium : *ne rebus venerabilibus vel cuilibet cultui desit*, etc. In Vatic. F, pro *quando licet*, legitur *quando libet.*

[b] In altero Rhem., *Martiniano.*

[c] De hujusmodi unionibus, supra, lib. I, epist. 8.

EPIST. LXXIII [ *Al.* 68 ]. — [a] Hunc alibi, sc. lib. III, indict. 2, epist. 27, dici abbatem de Panormo, observat Finicchiarus, apud Bolland., ad diem 23 April. *Et sicuti nullus*, inquit, *unquam fuit locus Romæ qui sciatur dictus fuisse* Ad sedem, *ita videtur quod de ecclesia Romæ posita abbati similiter Romæ degenti non fuisset sanctus papa per epistolam mandaturus. Quandoquidem tamen ecclesia illa, jam tum, id est anno* 601, *reparatione egebat tanta, ut ejus curam sibi non negligendam ipse pontifex Romanus censeret, vel hinc cognosci datur, quod ea, ubicunque sita, fuerit perquam antiqua, ac verosimiliter ipso quo sanctus Georgius passus est sæculo ædificata*, scilicet quarto ineunte. Exstat festum sancti Georgii in libro Sacram. cum præfatione propria. De hoc sancto martyre agit Tillemontius tom. V Ecclesiast. Hist., pag. 185. Vide Bolland.

Lator præsentium Theodorus, Ecclesiæ vestræ lector, ad sanctorum apostolorum limina veniens, dum omnes, homo quippe novus, haberet **1174** incognitos, Andreæ monacho, qui ad sanctum Paulum inclusus fuerat, res et chartas quas detulit, ut re vera olim noto, innocenter deposuit, credens quidem quod mens ipsius, sicut et nos ante habueramus, cum habitu concordaret. Sed tantæ ille pravitatis inventus est, ut, si ejus stultitiæ sub inclusionis specie paulo adhuc amplius licuisset, multorum animas malitiæ suæ falsitate deciperet, et quocunque potuisset non levia scandala generaret. Nam inter alia quæ idem Andreas pessime cogitavit et fecit, eam quoque quam ad nos misistis, dum apud ipsum a præfato latore esset deposita, ita falsavit epistolam, ut quicunque eam legeret, vos nec catholice, nec recte sapere evidenter argueret. Ex qua re contigit ut dum veritatem studiose quærimus, ejus quæ latebat iniquitas vulgaretur, et tanta in eo reperta sunt quanta nec de scelerato quocunque laico crederentur. Et quia inter diversa mala aliquos etiam sermones scripsit, atque eos ex nostro nomine titulavit, et suspecti sumus ne eos alicubi transmiserit, fraternitas vestra sollicitudinem gerat; et si quid tale repererit, eos et rescindi et omnino faciat aboleri, ut quod imperitus litterarum et Scripturæ divinæ nescius, nostro, sicut diximus, nomine prænotavit, quorumdam animos non possit inficere. Nam nos nec Græce novimus, nec aliquod opus aliquando Græce conscripsimus. Alia vero mala ipsius, vel quid de eo a nobis in concilio statutum sit, antedicti portitoris, quem fraternitati vestræ in omnibus commendamus, quia præsens inventus est, relatione cognoscetis.

[b] Hortamur præterea atque admonemus ut communem filium Lucam presbyterum, de quo populus, quantum dicitur, non modica suspicione mordetur, publice de se satisfacere, et fidem suam moneas confiteri, atque sanctas synodos, quas apostolica veneratur Ecclesia, se suscipere et sequi, modis omnibus fateatur, atque inter alia Nestorium, et Severum, ac sequaces eorum, specialiter anathematizando contemnet, ut hac satisfactione in filiorum vestrorum cordibus nullum per illius occasionem contra vos possit scandalum remanere. Qui si forte, quod non credimus, facere hoc aliqua excusatione distulerit, nihil vobis cum illo commune sit, sed a familiaritate atque communione vestra per omnia segregandus est. Nam, sicut ante jam scripsimus, melius est de ovili dominico morbosam ovem ejicere quam unius vitio sanas amittere.

Hæc igitur, frater charissime, diligenter attende; et ita stude, ut et filios vestros unitos ac devotos, **1175** sicut decet, habere possitis, et hac de causa denuo ad nos querela non redeat. Latorem vero præsentium, ut præfati sumus, in omnibus commendamus, qui, quoniam prius a malo monacho innocenter deceptus est, et postmodum [c] in convictione ejus fortiter perstitit, laboris sui retributionem hic apud vestram fraternitatem inveniat, quamvis quia in æterna ei patria compensetur certus existo. [d] Si autem rursus ad orationem huc ad sanctos apostolos venire voluerit, eum fraternitas vestra sine aliqua mora transmittat. (*Cf. Joan. Diac., l.* IV, *c.* 81.)

## EPISTOLA LXXV.

### AD AURELIUM.

*Consolatur eum de morte fratris et tribulationibus quas patiebatur.*

Gregorius [a] Aurelio ex Francis.

Audito dulcissimi filii mei [b] fratris vestri transitu, quo sim mœrore perculsus epistolaris non valet explere locutio. Sed omnipotentem Deum rogo ut suæ vos gratiæ aspiratione consoletur, vosque et a malignis spiritibus et a perversis hominibus cœlesti protectione custodiat. Nam si quos post illius obitum tumultus quorumdam adversantium sustinetis, nolite mirari. Si vos frui bonis in terra vestra, id est [c] in terra viventium quæritis, mala hominum in terra aliena portare debetis. Peregrinatio quippe est vita præsens; et qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, etiamsi blandus esse videatur. Vobis autem qui patriam quæritis, inter suspiria quæ habetis, etiam gemitus audio humanæ oppressionis exsurgere. Quod mira omnipotentis Dei dispensatione agitur, ut dum veritas per amorem vocat, mundus præsens a seipso animum vestrum per tribulationes quas ingerit repellat; tantoque facilius ab amore hujus sæculi mens exeat, quanto et impellitur dum vocatur. Itaque, **1176** quod cœpistis, hospitalitatis curam impendite, in oratione et lacrymis instantissime laborate. Eleemosynis, quas semper amastis, jam nunc largius atque uberius operam date, ut tanto post in retributione crescat vobis [d] fructus operis, quanto hic excreverit studium laboris.

Epist. LXXIV (*Al.* 69). — [a] De Eusebio et Andrea legendus Photius, Cod. 162 Bibliothecæ.

[b] Relege epist. 42 lib. X, indict. 3, alias epist. 6 libri VII, indict. 2.

[c] Alter Rhem., *in conventione ejus.*

[d] Corbeiens., *si autem reversus.*

Epist. LXXV [*Al.* 70]. — [a] Fortasse legendum *Aureliæ*, ut in titulo epist. 36 libri VII, indict. 15. Verum nomen statuere difficile est propter mss. Codicum penuriam. In paucis enim hæc epistola continetur. Ex Vaticanis solus cod. A eam exhibet. Eamdem quoque reperimus in altero Rhem. et in Victor.

[b] Intelligit fortasse Dynamium patricium, quem sancti Gregorii amicum fuisse constat ex epist. 33 lib. III, indict. 2, et ex epist. 36 libri VII, indict. 15.

[c] Augustinus, in psal. CIII, concion. 4, num. 4: *In terra morientium spes mea, in terra viventium portio mea;* lib. III de Doct. Christ., c. 34, Ecclesia dicitur *terra beatorum, terra viventium, quia in æternum regnatura cum Christo.* Terræ vitæ a terra viventium frustra discrimen quærit Gussanvillæus, neque liber vitæ a libro viventium distinguitur. Vide sanctum Thom., 1 p., q. 24, a. 1.

[d] In laudato Rhem. et in San Victor., *fructus muneris.*

## EPISTOLA LXXVI.

AD MELLITUM ABBATEM

*Dat mandata Augustino, quem adibat, exhibenda, ad faciliorem Anglorum conversionem.*

[a] Gregorius Mellito abbati in Francia.

Post discessum congregationis nostræ, quæ tecum est, valde sumus suspensi redditi, quia nil de prosperitate vestri itineris audisse nos contigit. Cum vero vos Deus omnipotens ad reverendissimum virum fratrem nostrum Augustinum episcopum perduxerit, dicite ei quid diu mecum de causa Anglorum cogitans tractavi, videlicet quia [b] fana idolorum destrui in eadem gente minime debeant, sed ipsa quæ in eis sunt idola destruantur. Aqua benedicta fiat, in eisdem fanis aspergatur, altaria construantur, reliquiæ ponantur, quia si fana eadem bene constructa sunt, necesse est ut a cultu dæmonum in obsequium veri Dei debeant commutari, ut dum gens ipsa eadem fana non videt destrui, de corde errorem deponat, et, Deum verum cognoscens ac adorans, ad loca quæ consuevit familiarius concurrat. Et quia boves solent in sacrificio dæmonum multos occidere, debet his etiam hac de re aliqua solemnitas immutari, ut die dedicationis vel natalitiis sanctorum martyrum, quorum illic reliquiæ ponuntur, tabernacula sibi circa easdem ecclesias quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum faciant, et [c] religiosis conviviis solemnitatem celebrent. Nec diabolo jam animalia immolent, sed ad laudem Dei in esum suum **1177** animalia occidant, et donatori omnium de satietate sua gratias referant, ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant. Nam [d] duris mentibus simul omnia abscidere impossibile esse non dubium est, quia is qui locum summum ascendere nititur necesse est ut gradibus vel passibus, non autem saltibus elevetur. Sic Israelitico populo in Ægypto Dominus se quidem innotuit; sed tamen eis [e] sacrificiorum usus, quos diabolo solebant exhibere, in cultu proprio reservavit, ut eis in sacrificio suo animalia immolare præciperet; quatenus, cor mutantes, aliud de sacrificio amitterent, aliud retinerent, ut etsi ipsa essent animalia quæ offerre consueverant, verumtamen Deo hæc et non idolis immolantes, jam sacrificia ipsa non essent. Hæc igitur dilectionem tuam prædicto fratri necesse est dicere, ut ipse, in præsenti illic positus, perpendat qualiter omnia debeat dispensare. Deus te incolumem custodiat, dilectissime fili.

Et infra : *Agathemero nepoti meo vineam dono, quam posui Vindonissæ, et meo labore constitui; sub ea conditione ut a partibus suis omnibus diebus festis et Dominicis pro commemoratione mea sacris altaribus offeratur oblatio, et Laudunensibus presbyteris atque diaconibus annua convivia concedente Deo præbeantur.* Notandum et illud Theodoreti, de curandis Græcorum Affectibus, serm. 8, in fine, ubi de illustrioribus paganis verba faciens, ait eos neque insignibus monumentis condiri, aut epulis solemnibus honorari solitos, prout martyres nostri : Οὔτε γὰρ τάφους ἔχουσιν ἐπισήμους. οὔτε δημοθοινίαις ἐτησίοις γεραίρονται. Postea tamen cum licentius epularentur, improbata sunt ejusmodi convivia a sanctis Patribus, Ambrosio, homil. de Elia et jejunio, cap. 17; Augustino, epist. 64, ad Aurelium episcopum. Sed et illæ compotationes et epulæ publicis legibus coercitæ fuerunt Capitular. lib. IV, cap. 46; concil. Nannet. can. 10; Antissiodor. can. 2. GUSSANV.

[d] Istius consilii prudentem moderationem non patitur zelus quorumdam immodicus, quos delectat clamare : Exinanite usque ad fundamentum; fibras etiam minimas exstirpate, etc. Tam præpostera agendi ratione plurimi fuerunt in schisma aut hæreses compulsi, quos moderatio retinuisset intra matris Ecclesiæ sinum. Alii forte redirent in unitatis gremium, si morosi quidam objectis spinis viam non sepirent, aut propugnatione quarumdam corruptelarum, aut ritus exigendo, laudabiles quidem, at minus forte necessarios, aut alios minus laudabiles importune exagitando, quos Patres sanctissimi unitatis studio tolerassent. Scilicet *piscatorie nobis est agendum, non Aristotelice*, ut habet epistola episcoporum Ponti ad Leonem imperatorem post Chalcedonense concilium. GUSSANV.

[e] Id probatur ex Levit. XVII : *Et nequaquam ultra immolabunt hostias suas dæmonibus, cum quibus fornicati sunt.* GUSSANV.

[f] In duobus Teller., quibus consentit Edit. Vatic., legitur : Data XII *Kalend. Julii*, sed mendose. Neque melius apud Bedam, ex quo sumpta est hæc epistolæ clausula, scriptum est, XV *Kalend. Juliarum.* Nam eodem Beda teste, lib. I, c. 30, initio, scripta non fuit hæc epistola nisi post Melliti discessum. At ex eodem Beda, c. 29, Mellito Roma proficiscenti Gre-

EPIST. LXXVI [*Al.* 71] — [a] Titulus hic apud Bedam, lib. I Eccles. Histor., cap. 30, ita legitur : *Dilectissimo filio Mellito abbati Gregorius servus servorum Dei.* GUSSANV.

[b] Eadem fuit sancti Augustini mens, epist. 47, ad Publicolam : *Cum templa, idola, luci . . . . . in honorem veri Dei convertuntur, hoc de illis fit quod de hominibus, cum ex sacrilegis et impiis in veram religionem mutantur.* Theodoretus, de curandis Græcorum Affectibus, serm. 8, de Martyribus, destructa quidem esse deorum templa et aras pronuntiat, eorum vero materiam omnem martyrum fanis dedicatam esse. Paulo aliter conc. Epaonense anno 517, can. 33 : *Basilicas hæreticorum, quas tanta exsecratione habemus exosas, ut pollutionem earum purgabilem non putemus, sanctis usibus applicare despicimus.* Anglis ad fidem conversis, censuerat Gregorius fana idolorum destruenda, qua de re Edilbertho regi scripserat hac ipsa indictione epist. 66; sed mutata sententia convenientius judicavit ut expiarentur, et a cultu dæmonum in obsequium veri Dei commutarentur.

[c] Ab ipsis religionis Christianæ primordiis celebrata fuisse religiosa convivia nullus ignorat. Hinc post Cœnam dominicam convivia illa ἀγάπαι dicta, quod Christianæ charitatis essent symbola. Frequentata fuerunt postea ejusmodi convivia in festo Dedicationis ecclesiæ. Sidonius Appollinaris, epistola 15 lib. IV : *Epulum multiplex et capacissima lectisternia para, plurimis viis, pluribus turbis. Ita bonorum contubernio sedit. Ad te venitur quippe, postquam omnibus tempus futuræ dedicationis inclaruit.* Sed et in natalitiis martyrum, et festis aliis idem factitatum, testes sunt plurimi scriptores sacri : Gregorius Nazianzenus, carmine 2 de Vita sua; Nyssenus, in Vita Gregorii Thaumat.; Hieronymus, epist. 19, ad Eustochium; Theodoretus, Histor. Eccles. lib. II, cap. 12, et lib. III, cap. 27; Gregorius Turonensis, lib. I de Vita sancti Martini, cap. 6, et lib. II de Miraculis, cap. 16; Frodoardus, lib. I Historiæ Rhemensis hæc verba ex testamento sancti Remigii laudat : *Vineam tibi (Agricola nepos) eatenus derelinquo, ut diebus festis et omnibus Dominicis, sacris altaribus mea inde offeratur oblatio, atque annua convivia Rhemensibus presbyteris et diaconibus præbeantur.*

[f] Data XV Kalend. Juliarum, imperante domino nostro Mauricio Tiberio, piissimo, Augusto, ann. 19, post consulatum ejusdem domini nostri ann. 18, indict. 4.

## EPISTOLA LXXVII.

AD BONIFACIUM IN CORSICA DEFENSOREM.

*Aleriæ et Adjacii episcopos quantocius eligi curet. Neque opprimi pauperes, neque clericos a laicis judicibus teneri patiatur.*

Gregorius Bonifacio defensori Corsicæ.

Experientia tua non sine culpa est, quod Aleriam atque [a] Adjacium civitates Corsicæ diu sine episcopis esse cognoscens, clerum et populum earum ad eligendum sibi sacerdotem distulerit commonere. Quæ quoniam sine proprio amplius non debent esse rectore, præsenti auctoritate suscepta, clerum et populum singularum civitatum hortari festina ut inter se dissentire non debeant, sed [b] uno sibi consensu unaquæque civitas consecrandum eligat sacerdotem. Et, facto decreto, ad nos is qui fuerit electus, adveniat. Si autem in uno consentire noluerint, sed in duorum se electione diviserint, similiter, decretis ex more factis, ad nos adveniant, ut requirentes de vita, actu et moribus eorum, is [c] qui visus fuerit **1178** ordinetur. Quia vero multi illic pauperes opprimi ac pati præjudicium perhibentur, experientia tua sollicitudinem gerat, et gravari eos contra justitiam non permittat; sed ita studeat, ut nec agentes contra rationem impediri, nec hi contra quos agitur injuste valeant dispendium sustinere.

Præterea pervenit ad nos quod[d] quidam clericorum, te illic posito, a laicis teneantur. Quod si ita est, tuæ hoc culpæ noveris reputari, quia hoc fieri si homo esses, [e] non habuit. Et ideo de cætero sollicitudinem te habere necesse est, ut hoc fieri non permittas; sed si quis contra clericum causam habuerit, episcopum ipsius adeat. Qui si forte suspectus fuerit, exsecutor vel ab ipso, aut si et hoc actor refugerit, a tua est experientia deputandus, qui partes sibi mutuo consensu judices compellat eligere. A quibus quidquid fuerit definitum, ita vel tua, vel episcopi sollicitudine, servata lege, modis omnibus compleatur, ut non sit unde se possint litigiis fatigare [f].

## EPISTOLA LXXVIII.

AD BARBARAM ET ANTONINAM.

*Divinam protectionem eis adprecatur. Quod Romam venire cupiant gaudet. Commendatas Joanni episcopo ac Romano defensori illarum causas. Accepta libenter xenia.*

Gregorius [a] Barbaræ et Antoninæ.

Susceptis epistolis vestris, omnimodo cognita vestra sospitate lætatus sum, atque omnipotentem Deum deprecor, qui vos et a malignis spiritibus in cogitatione, et a perversis hominibus atque ab omni contrarietate, sua protectione custodiat: sicque vos cum timoris sui gratia dignis conjunctionibus ordinet, ut omnes nos in vestra ordinatione lætificet. Vos autem, dulcissimæ filiæ, in ejus adjutorio spem vestram ponite, et sub umbra defensionis illius semper, et orando et bene agendo, malorum hominum insidias declinate. Quæcunque enim humana solatia vel adversitates fuerint, nulla sunt, nisi aut ejus gratia protegat, aut ejus offensa perturbet. In nullo igitur hominum spem ponatis, sed totam mentem in fiducia Dei omnipotentis astringite. Nobis ergo dormientibus, ille vos proteget, de quo **1179** scriptum est: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israel* (*Psal.* CXX, 4).

Quod autem ad beati Petri apostolorum principis limina festinare vos dicitis, opto nimis, et æstuanti desiderio exspecto, ut dignis meritis junctas vos in ejus Ecclesia videam, quatenus et vos de me solamen aliquantulum, et ego de vestri præsentia non parvam lætitiam acquiram. Viro autem reverendissimo fratri meo Joanni episcopo et Romano defensori causas vestras studui commendare, ut quæ cœperunt, Deo auctore, debeant perficere.

**1180** Xenium autem vestrum duas [b] racanas, quas de labore vestro esse mandastis, libenter accepi. Sed tamen cognoscite quia non mihi mandatum credidi. Nam vos de labore alieno laudem quæritis, quia fortasse adhuc ad fusum manum nunquam misistis. Nec

gorius litteras ad Augustinum dedit x Kalend. Julii, seu die 22 Julii. Ipsi enim tunc datæ sunt novem illæ ad Galliarum prælatos et principes epistolæ, sup., a 54 ad 62, quarum nonnullis apponitur x Kalend. Julii, etiam in Collectione Pauli Diaconi. Igitur non XV, sed post X Kalend. Julii scripta est hæc ad Mellitum.

EPIST. LXXVII [*Al.* 74]. [a] Vulgo *Adjazzo*, urbs adhuc episcopalis, insulæ Corsicæ in ora occidua, sub ditione Genuensium. In rebus tamen ecclesiasticis Pisano subest archiepiscopo; olim Ursinium dicebatur. GUSSANV. in Turon. et Norm. legitur *Ajacium*.

[b] De electione per clerum et populum, supra, epist. 6, lib. II, indict. 10.

[c] Excusi, *qui utilior visus fuerit*.

[d] Clericos olim a laicis judicari nefas; Cod. Theodos., leg. ultim., de episcopis: *Clericos etiam quos indiscretim ad sæculares judices deduci debere infaustus præsumptor edixerat, episcopali audientiæ reservamus. Fas enim non est ut divini muneris ministri temporalium potestatum subdantur arbitrio.* Idem videre est apud Avitum Viennensem episcopum, epist. 61. Alii sunt temporum nostrorum mores. GUSSANV.

[e] Ita vet. Editi cum Mss. Norm., plerisque Vatic., utroque Rhemensi. Recentiores habent *non debuit*.

[f] Unus e Colbert. et Vatic. B docent hanc epistolam scriptam fuisse *mense Aug.*, *indict.* 4. In Vatic. D, pro *mense Augusto*, legitur, *mense Martio*.

EPIST. LXXVIII [*Al.* 75]. — [a] Vide supra epist. 35 et epist. 30.

[b] Ῥάκη, βράκη, ῥάκος, ῥάκιον, genus vestimenti ex pilis; pallium tam monachorum quam monastriarum; unde ῥακοδύται, et ῥακενδύται, dicti monachi, palliati apud Nicephorum Xanthopulum, Nicetam Choniatem, et Balsamonem. Reperimus etiam ῥάσα et ῥασοφορῶν. A quibusdam dicuntur *rachinæ*. Sunt et qui putent racanas et rachinas significare stragula seu operimenta lectorum. Vide Joannem Filesacum, comment. in Commonit. Vincentii Lirinensis, num. 9, Rachaenam Germani Parisiensis episcopi memorat Fortunatus in ejus Vita, cap. 45, ubi febricitantem virum, *Dei servi rachaena undique obvolutum diligenter* componit in ejus lectulo diaconus. GUSSANV. Alias hujus vocis notiones require in notis ad epist. 1 hujus libri. Consule quoque Onomasticon Rosweydi, ad Vitas Patrum, et Glossarium Græcum Cangii, ad vocem Ῥάκος.

tamen me res ista contristat, quia opto ut sanctam Scripturam legere ametis, ut quandiu vos omnipotens A Deus viris conjunxerit, sciatis qualiter vivere et domum vestram quomodo disponere debeatis.

# LIBER DUODECIMUS.

## Indictione 5, anno ordinationis ejus duodecimo.

### 1181 EPISTOLA PRIMA.

AD DOMINICUM CARTHAGINENS. EPISCOPUM.

*Quod ex gravi morbo convaluerit gratulatur. Monet, sæpe nobis vitæ inducias concedi, ut paratiores ad judicium veniamus.*

Gregorius Dominico episcopo Carthaginensi.

Quam copiosa cordis vestri sit charitas, lingua interprete demonstratis, dum sic ejus suavitate epistolarum vestrarum verba conditis, ut dulce et jucundum sit omne quod scribitis. Unde fit ut fraternitatem vestram, quam corpore non possumus, dilectionis brachiis amplectamur. Nam quod animis concordibus B longitudo negat itineris, præstat officium charitatis. Et quoniam sicut amantissimorum fratrum sanitate reficimur, ita ægritudine contristamur, omnipotenti Deo gratias agimus, qui mœstitiam nostram nuntio solatus est prosperorum. Qui audientes vos infirmitatem gravissimam incurrisse, priusquam scripta vestra suscepissemus, majori tristitia tenebamur. Sed quia quando de periculo mortis eripimur, ad quid, frater charissime, reservemur incertum est: [a] inducarum tempus ad utilitatem animæ convertamus, et, posituri venturo judici rationes, causam nostram apud eum lacrymis et bonis operibus muniamus, ut securitatem de his quæ gessimus accipere mereamur. Nam et in causis sæcularibus ad hoc frequenter benignus concedit judex inducias, ut C qui ante paratus non fuerat, postmodum paratus ad judicium veniat. Et quale est si quod in [b] terrenis negotiis custodimus pro salute animæ negligamus? Et ideo quia, juxta Joannis apostoli vocem, nullus sine peccato est (*I Joan.* I), cogitationum illecebras; linguæ incontinentiam, delictorum opera ad memoriam revocemus; et dum licet, [c] magno pulsatu, iniquitatum nostrarum maculas deleamus, ut justus et pius Redemptor noster, non juxta merita nostra vindictam exerceat, sed secundum misericordiam suam flectatur ad veniam. Et quia officium nostrum sua solum flere non sufficit, nisi et de alienis sollicitudinem gesserit, curam in commissi gregis custodia **1182** studiosius impendamus, et suadendo, hortando, terrendo, prædicando, in quantum superna clementia vires donat, officium opere implere festinemus, ut desideratum, Creatore nostro largiente, præmium exspectemus. Sed quia boni aliquid operari sine divino auxilio non valemus, junctis omnipotentem Deum, dilectissime frater, precibus exoremus, ut in mandatorum suorum viam cum commisso grege gratia sua duce nos dirigat, atque ipse nobis et intelligere et agere quæ sibi placita sunt concedat, qui misericordiæ suæ dono nomen nos voluit habere pastorum. Præterea ex transmissione vestræ sanctitatis [d] beati Agilei martyris benedictionem ea charitate qua nobis est a vobis transmissa percepimus. [e] Mense Septembri, indictione 5.

### EPISTOLA II.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Det Matthæo viro clarissimo in sustentationem solidos duodecim.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Quoties digna consideratione, sustentationis causa, aliqua mœrentibus conceduntur, et Deum lætificant, et ipsum ditant sine dubio largientem. Ideo experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus quatenus Matthæo viro clarissimo scholastico duodecim solidos dare non differas, quos tuis scito rationibus procul dubio imputandos. Ita ergo cum gratiarum actione jussionem nostram festina implere, ut nulla accipientem possit fatigare dilatio.

### EPISTOLA III.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*De puero quodam e Sicilia Misenum ducto, ubi monachi habitum susceperat.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Lator præsentium Gallus, nauclerus, oblata nobis petitione, noscitur intimasse, asserens puerum se quemdam de Siciliæ partibus venientem **1183** orationis gratia ad Campaniæ partes perduxisse, [a] qui in Misenati portu conjungens, illic in monasterio conversionis causa sese retinuit. Quem cum hic de conditione sua pro sui periculo diligenter inquireret, quantum astruit, jurisjurandi interveniente vin-

LIBER XII. *Al.* LIBER X.

EPIST. I. — [a] Restituimus hic sensum qui in recent. corruptus est vitiosa interpunctione, et adjectione adverbii *ergo*, post *inducarum*.

[b] Excusi, *terrenis judiciis*.

[c] *Et pulsanti aperietur*, Matth. VII, Luc. XI. Quid intersit inter *petitionem*, *quæstionem*, *pulsatum*, vide sanctum Augustinum, lib. I Retractat., cap. 19, ad finem, ubi emendat quod lib. II *de Sermone Domini in monte* exposuerat operose quidem, sed minus recte. GUSSANV. In Norm. legitur *magno planctu*.

[d] Seu *Agilegi*, ut in omnibus fere Mss. nostris legitur. De hoc martyre Carthagine passo consule mar- D tyrolog. Rom., ad diem 15 Octobris.

[e] Hæc nullis in mss. invenimus, nisi quod initio libri duodecimi, ut moris est, præmittitur *mense Septembri* (hoc enim mense incipiebat indictio), deinde subditur *Gregorius Dominico*, etc.

EPIST. III. — [a] In Pratel. et nonnullis Mss., *Messinati*. Editi, *Messenati*. At legendum *Misenati* ex eo constat, tum quod ad Campaniæ partes perductus puer, *illic in monasterio*, etc., tum quod ab Anthemio Campaniæ rectore puerum in monasterio degentem nauclero tradi jubeat in Panormitanas partes reducendum.

culo, liberum se, nullique conditioni obnoxium publica voce professus est. Pro quo ab actionariis publicis se remeantem queritur esse constrictum impetentibus cur servum juris publici furtim de illis partibus auferre præsumpserit. Qui, post illata sibi damna, cautione se quoque ostendit obstrictum eumdem puerum ad partes illas quibus valeret viribus revocare. Unde, pietatis causa permoti, hoc experientia tua nos decrevisse cognoscat, ut ad Panormitanas partes, ubi res agitur, ipsum mancipium, licet jam monachi habitum sumpserit, debeat revocare, eumque Fantino defensori nostro contradere, ut ipse quid de eo fieri debeat, secundum præceptionis nostræ seriem, cujus et te quoque textus poterit informare, salubriter exsequatur. A latore ergo præsentium experientiam tuam volumus [b] fidejussionem accipere, qui mancipium ipsum in sua a te manu suscipiens, illic tibi in Neapolitana civitate pro eo scriptis evidenter spondeat quod illum Fantino defensori nostro sine aliqua excusatione contradat, ut hac præveniente cautela, et precator liber a cautionis suæ reddatur vinculo, et causa mancipii, sicut constituimus, auxiliante Domino, disponatur.

## EPISTOLA IV.

AD FANTINUM DEFENSOREM.

*De finienda Maurentii contra Panormitanam Ecclesiam causa moneat Victorem episcopum.*

Gregorius Fantino defensori.

Gloriosissimus filius noster Maurentius, magister militum, causam de massa Gentina contra Panormitanam Ecclesiam habere se queritur, et ad hoc latorem præsentium, facto mandato, transmisit, quod debeat sine excusatione aliqua terminari. Ideoque experientia tua reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Victorem, servato honore, commoneat ut aut pacifice causam ipsam sine dilatione studeat terminare, aut certe si utilius sibi esse crediderit eam judicio definiri, omni mora cessante, vice sua personam legaliter instituat quæ de eadem massa apud gloriosissimum filium nostrum domnum [a] Venantium patricium et experientiam tuam debeat subire judicium, **1184** ut causa ipsa possit cognita veritate distingui, aut certe alios sibi, si partes voluerint, te imminente, eligant cognitores. Et quidquid mediis sacrosanctis Evangeliis ab eis fuerit statutum ita lege servata tua volumus ad effectum exsecutione perduci, ut nihil inter partes remaneat, unde post hæc [b] redivivo possint litigio fatigari.

## [a] EPISTOLA V.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Maurentii homines commendat.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Postquam gloriosissimo filio nostro Maurentio hoc apud vos solum potest sufficere, quod eum nostrum esse proprium non nescitis, qualiter ei a vobis sit concurrendum scribere non debemus. Sed ne, data occasione, fraternitatem vestram in causa ipsius prætermittere videamur, latores præsentium commendantes, hortamur ut quia eos pro percipiendo precario suo illuc noscitur transmisisse, vestra ope in omnibus [b] fulciantur. Cui, ut melius præstare possitis, quia vos in multis esse non est dubium occupatos, Mennam notarium, quia bene novit esse sollicitus, deputate, ut ipse eos vestro nomine, in cunctis ubi necesse fuerit, studeat adjuvare, quia quid agere debeant, dato sibi capitulari, ut perhibent, sunt instructi. Cumque ego sanctitatem vestram sua in præsenti relatione informaverim, ita vos in ejus causis impendite, ut sicut et nos de fraternitate vestra certi sumus, et ille omnino confidit, vobis suffragantibus, utilitas ipsius, Deo adjutore, salubriter peragatur.

## EPISTOLA VI.

AD THEODORUM CURATOREM.

*Commendat Maurentii homines.*

Gregorius Theodoro curatori.

Quia sic de gloria vestra sicut de charissimo revera filio omnino præsumimus, certi de vobis, eos qui nostri sunt commendamus. Ob quam rem, paterno salutantes affectu, quæsumus ut præsentium portitoribus, quos gloriosissimus Maurentius magister militum ad [a] precarium suum accipiendum transmisit, vestram tuitionem impertire dignemini; quatenus, vobis patrocinantibus, nec moram illic contra rationem nec laborem debeant sustinere, sed quidquid prædicto **1185** gloriosissimo viro competit, gloriæ vestræ opitulatione sine difficultate percipiat, ut et ipse nostris amplius sit devotus obsequiis, et nos pro eo referre gratias, sicut dignum est, valeamus.

[b] In utroque Rhemensi et in Vatic. D, *fidejussorem*.

Epist. IV. — [a] Transpositam esse hanc epistolam censet Gussanvillæus, quod jam indict. præcedenti e vivis sublatum esse Venantium constet. At Venantium hunc ab alio exmonacho, cujus filiæ Barbara et Antonina, secernendum putamus. Uterque sane patricius fuit, sed hic Panormitanus, alter Syracusanus. De Panormitano intelligenda est epist. 55 libri IX, indict. 2. Ad eumdem exstant. epist. 40 hujus libri, et 15 libri XIII.

[b] In recent. Ed., *recidivo*. Veteribus Excusis favent Vatic. A et Victorinus. In paucissimis Mss. hæc epistola continetur.

Epist. V. — [a] Eam in Remigiano tantum, in Victorino, et in Vatic. A, reperimus.

[b] Dicti Codices, *fulciatur*.

Epist. VI. — [a] De precario lege notam *f* ad epist. 46 lib. I. Hic et in superiori epist. *precarium* videtur esse stipendium militare, quod Maurentius magister militum pro se suisque ab ærarii præfectis seu quæstoribus Ravennæ degentibus exposcebat. Dicuntur a Gregorio saccellarii, lib. V, epist. 21, ad Constantinam Aug. *Sicut*, inquit, *in Ravennæ partibus dominorum pietas apud primum exercitum Italiæ saccellarium habet*, etc. Ut, ad obtinendum quantocius hoc stipendium, Marinianus et Theodorus, hic hujus urbis curator, ex epist. 98 lib. IX, ille episcopus, Maurentio faveant, eos rogat sanctus Gregorius.

## EPISTOLA VII.

AD SAVINELLAM, COLUMBAM ET AGNELLAM.

*Idem ad singulas scribens, hortatur ut largioribus eleemosynis cœlestes comparent thesauros.*

Gregorius [a] Savinellæ, Columbæ et Agnellæ a paribus.

Satis me, gloriosa filia, operationis tuæ audita bona lætificant, quod illa agere perhiberis per quæ, dum egentibus misericorditer subvenis, ipsa misericordiam consequaris, et alios, temporaliter nutriendo, bonis in æternum cœlestibus satieris. Et ideo quia fidelis est cui credis, [b] secura commenda ea quæ tribuis, ut in die tribulationis recipias quod impendis. Ait namque egregius prædicator : *Scio cui credidi, et certus sum quia potens est servare depositum meum in illum diem* (*II Tim.* I, 12). Ecce, gloriosa filia, quanta sit bonorum operum certitudo considera, et larga sit semper manus in opere, ut fiat vobis quod scriptum est : *Absconde eleemosynam in sinu pauperis, et hæc pro te exorabit* (*Eccli.* XXIX, 15). Quisquis igitur copiosum in cœlis fructum habere desiderat, seminare, dum tempus est, non omittat, ut manipulos in die messis cum lætitia colligat. Nam *qui seminant in lacrymis, in gaudio metent* (*Psalm.* CXXV, 5). Sed qualis messis ex hujusmodi semente futura sit, dicat Apostolus : *Qui seminat in carne sua, de carne metet et corruptionem ; qui autem seminat in spiritu, de spiritu et metet vitam æternam* (*Gal.* VI, 8). Ne vero inopia nos egestatis inveniat, hanc nobis messem satione multiplici præparemus ; et quanto uberius satiari cupimus, tanto ei a quo totum accepimus largius conferamus. Nam ipse de se Dominus ait : *Esurivi enim, et dedistis mihi manducare ; sitivi, et dedistis mihi bibere ; hospes fui, et collegistis me ; nudus fui, et operuistis me* (*Matth.* XXV, 35), etc., atque in conclusione subjungitur : *Amen dico vobis, quandiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.* Iloc igitur studiosius agite, et hæc agentes in terra vobis retribui nil quæratis, quia superna desiderantibus temporalia nulla sunt. Sed ibi desideria vestra figite, ubi quidquid retribuitur finem non suscipit. Bonum ergo facientes non deficiatis, ut illic vobis thesauros thesaurizare possitis, ubi neque ærugo, neque tinea demolitur, et ubi fures non effodiunt, nec furantur (*Matth.* VI).

Præterea, gloriam vestram paterno salutantes affectu, indicamus per latorem præsentium Hilarum, chartularium nostrum, clavim nos a sacratissimo corpore beati Petri apostolorum principis transmisisse, in qua de catenis quoque ipsius benedictio continetur. Quæ collo vestro suspensa, hoc vobis, eo intercedente, gratia absolutionis fiat, **1186** quod illi fuit causa martyrii. Omnipotens Deus in suo vos timore A custodiat, atque sic cor vestrum ad bonam semper operationem accendat, ut et hic vobis suam gratiam tribuat, et ad gaudia vos postmodum æterna perducat.

## EPISTOLA VIII.

AD COLUMBUM NUMIDIÆ EPISCOPUM.

*De gravi Donadei adversus Victorem episcopum suum querela inquirat sollicite, ut congruam det pœnam reus.*

Gregorius Columbo episcopo Numidiæ.

Quam gravis et auditu ipso intolerabilis Donadei latoris præsentium, qui se asserit fuisse diaconum, sit querela, ab eo data petitio quæ tenetur in subditis fraternitati vestræ faciet manifestum. Sed quia pervenit ad nos quod pro corporali peccato fuisset depositus, dilectio vestra subtili hoc inquisitione perquirat, et si ita est, in pœnitentia retrudatur, ut commissi flagitii vinculum lacrymis possit absolvere. Si vero insons ab hujusmodi perpetratione claruerit, una cum primate concilii, vel aliis fratribus coepiscopisque nostris, omnia quæ petitio ejus continet diligenti a vobis examinatione quærenda sunt. Et si querela ejus veritate fulcitur, et in episcopo ejus Victore, qui contra Deum et sacerdotale propositum tantum committere nefas non metuit, canonici vigoris ista districtio teneatur, ut ex definitione vestra quam sit iniquum quod fecit intelligat, et hic suo ordini reformetur, quia satis perversum et [a] contra ecclesiasticam probatur esse censuram, ut frustra pro quorumdam voluntatibus quis privetur, quem sua culpa vel facinus ab officii quo fungitur gradu, non dejicit [b] (*Grat. dist.* 55, *c.* 7).

## EPISTOLA IX.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Adeodato sent, si revera pauper sit, relaxet ex annuis solidis duobus unum.*

Gregorius Anthemio subdiacono.

Indicavit nobis Adeodatus, præsentium lator, ante multos annos in solo se juris Ecclesiæ nostræ hac conditione ædificium posuisse, ut duos solidos annis singulis ecclesiasticæ rationi persolveret ; et post ejus obitum solum ipsum cum imposito ædificio ad jus Ecclesiæ sine dubitatione aliqua remaneret. Sed quia asserit se in tantam pauperiem pervenisse, ut eosdem duos solidos, sicut promiserat, singulis non possit annis impendere, et ob hoc unum sibi petiit relaxari, experientia tua curet addiscere. Et si pauper ita ut asserit manifeste est, [a] nostra præstatione partem mediam relaxatam volumus, ut annis singulis non amplius quam unum solidum exsolvat, quia et ætatis senium et pauperies ejus indicat ut onus quod petit ei debeat relaxari. Ita ergo hoc servari **1187** studii tui sit, ut tamen proprietatem soli atque impositi

EPIST. VII. — [a] In Colbertinis Mss. varie legitur hujus epist. inscriptio. In uno eadem est ac aliorum passim Codicum vet. quos secuti sumus. In altero tantum habes, *Savinellæ de eleemosyna*. In aliis *Savinellæ, Columbæ et Gallæ*. In Turon., pro *et Gallæ a paribus*, lego *et Gallæ parenti*, quasi Savinella et Columba natæ essent, et Galla mater.

[b] Excusi recentiores, *securo commoda*, et paulo post *retributionis*, pro *tribulationis*.

EPIST. VIII. — [a] Corrupte in recentioribus, *contra Ecclesiam probatur esse censuram*.

[b] In iisdem recent. additur : *Datum mense Octobri, indict.* 5. De hac aut alia nota chronologica omnes Mss. nostri prorsus silent.

ædificii post obitum ipsius [b] Ecclesiæ sollicitudine et vigilanti cura conserves.

## EPISTOLA X.

AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Isidori hæredibus instet ut xenodochium construant, aut jam constructo tribuant legatum.*

Gregorius Fantino defensori.

Ea quæ fienda mandat piæ voluntatis intentio, ut ad effectum valeant pervenire, curæ debet sacerdotalis existere. Proinde experientiæ tuæ præcipimus ut hæredibus Isidori, illustris memoriæ viri, assidue et fortius debeat imminere, ut xenodochium quod [a] auctor eorum per ultimæ voluntatis arbitrium in Panormitana fieri civitate constituit, sine aliqua difficultate, secundum ea quæ sunt disposita implere festinent, ne si amplius hoc adhuc negligendum putaverint, tam nostram quam Dei iram de legibus venientem, quam hujusmodi dispositionem implere differentes merentur, incurrant. Si vero deputata in eorum xenodochio, quod fiendum est, quantitas videtur forte non posse sufficere, locus in quo xenodochium ipsum fuerat constituendum, vel quidquid ibi relictum est, xenodochio sancti Theodori, quod in prædicta civitate a Petro quondam constitutum est, applicetur, quatenus et hæredes a sollicitudine vel labore constituendi xenodochii valeant exui, et voluntas defuncti salubriter sumat effectum, dum etsi in loco alio, ipsi tamen rei quidquid a testatore deputatum est erogetur. Ita ergo experientia tua sollicitudinem gerat, ut unum e duobus sine aliqua debeat fieri tarditate.

## EPISTOLA XI.

AD PASSIVUM FIRMANUM EPISCOPUM.

*Mandat oratorium consecrare, percepta prius donatione legitima, atque illic presbyterum cardinalem constituere.*

Gregorius [a] Passivo episcopo Firmano.

Anio comes castri Aprutiensis, Firmensis territorii, petitoria nobis insinuatione suggessit, quæ habetur in subditis, in suprascripto castro oratorium se sumptu proprio pro sua devotione fundasse, quod in honorem beati Petri apostolorum principis desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ diœceseos, [b] in qua visitationis impendis officium, memorata constructio jure consistit, et nullum corpus ibidem **1188** constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est [c] fundos campulos cum conduma una, boves domitos parium unum, vaccas duas, argenti libras quatuor, lectum stratum unum, [d] in peculio capita quindecim, [e] æramenti capita duo, ferramenta numero quinque, præsentes liberos a tributis fiscalibus solidos sex, [f] gestisque municipalibus alligata, prædictum oratorium solemniter consecrabis. Presbyterum quoque te illic constituere volumus cardinalem, ut quoties præfatus conditor fieri [g] sibi missas fortasse voluerit, vel fidelium concursus exegerit, nihil sit quod ad missarum sacra exhibenda solemnia valeat impedire; sanctuaria vero suscepta sui cum reverentia collocabis.

## EPISTOLA XII.

AD PASSIVUM FIRMANUM EPISCOPUM.

*Opportunum hortetur ut in bonis studiis crescat; tum monachus fiat aut subdiaconus, ac tandem Aprutii pastor.*

Gregorius Passivo episcopo [a] Firmano.

Bene novit fraternitas vestra (*Grat. dist.* 61, *c.* 18) quam longo sit tempore [b] Aprutium pastorali sollicitudine destitutum. Ubi diu quæsivimus qui ordinati debuisset, et nequaquam potuimus invenire. Sed quia Opportunus mihi in moribus suis, [c] in psalmodiæ studio, in amore orationis valde laudatus, religiosam vitam omnimodo agere dicitur, hunc volumus ut fraternitas vestra ad se faciat venire, et de anima sua admoneat, quatenus in bonis studiis crescat. Et si nulla ei crimina quæ per legis sacræ regulam morte [d] mulctanda sunt, obviant, tunc hortandus est ut vel

Epist. IX [*Al.* 10]. — [a] Remig., *nostræ præstationis parte media relaxata*. Victor., *nostræ præsumptionis partem mediam relaxare vol.*

[b] In Vatic. A, *Ecclesiæ sollicitudine vigilanti cuncta serventur*. In Victor., *Eccl. sollicitudines omni vigilantia cuncta conservent*. In his tribus solis Cod. epistolam hanc reperimus. Nec in pluribus exstant duæ quæ sequuntur.

Epist. X [*Al.* 11]. — [a] A quo jus in eos transiit, cujus re vel hæreditate aucti sunt. Gussanv.

Epist. XI [*Al.* 12]. — [a] Passivus erat episcopus cardinalis Firmanæ Ecclesiæ, et visitator Aprutiensis jam a longo tempore orbatæ pastore, ut significat epist. sequens. Ad hunc itaque episcopum pertinebat diœcesis Aprutiensis, non quidem ut ad proprium sacerdotem, sed tanquam ad subsidiarium cui hujus Ecclesiæ cura et sollicitudo erat demandata. De commendata Passivo hac Ecclesia dubitare non sinunt hæc et sequens epistola; proinde nihil hic superabundat, ut subolet Gussanvillæus.

[b] Suadebat Gussanvillæo contextus epistolæ hæc verba delere, quod pugnare viderentur cum iis, *in tuæ diœceseos*. At additum existimo, *in qua visitationis*, etc., ut explicetur quo sensu Aprutium erat diœcesis Passivi. Nimirum ad eum pertinebat, non quod esset ejus episcopus cardinalis, sed quia ipsius erat visitator et episcopus veluti commendatarius.

[c] Alibi, *fundicampos*. De conduma supra, epist. 20 lib. xi. Gussanv.

[d] Gall., *quinze têtes de bétail blanc*. Gussanv.

[e] Sic legimus in Mss., nisi quod in Vatic. A, pro *æramenti*, legitur *æramenta*. Post æramenta commemorantur ferramenta, ordine congruo.

[f] Supra, lib. II, indict. 10, epist. 12. Gussanv.

[g] Ex nomine presbyteri cardinalis subodoratur Gussanvillæus hic agi de parocho seu curione. At observat Mabillonius, comment. in Ord. Rom., pag. 19, quædam oratoria fuisse, in quibus licebat presbyterum habere cardinalem, non qui parochus esset, sed veluti capellanus.

Epist. XII [*Al.* 13]. — [a] Abest *Firmano* a tribus Colbert., quatuor Vatic., omnibus Norm. et Corb., ubi etiam legitur *Passibo*, pro *Passivo*.

[b] Vel *Abrutium*, ut est in Turon. et Vatic. A. Quid sit *Aprutium* disce ex epist. 68 libri x, indict. 3, et ex nota *d* ad l. III Vitæ sancti Gregorii, c. 11 (*Patrol. tom. LXXV, col.* 137, *not.* a).

[c] In multis Mss. legitur *Importunus*. Eumdem esse putamus ad quem sanctus Gregorius scripsit epist. 68 libri x. Quod hic dicitur de psalmodiæ studio, etiam episcopis necessario, illustratur ex Tolet. synodo VIII, c. 2: *Nullius cujuscunque dignitatis ecclesiasticæ deinceps percipiant gradum, qui non totum Psalterium vel canticorum usualium, et hymnorum perfecte noverint supplementum.*

[d] Notat Gussanvillæus nec omnia, nec sola quæ in veteri lege puniebantur morte repellere a promotione;

• monachus, vel a vobis subdiaconus fiat. Et post aliquantulum temporis, si Deo placuerit, ipse ad pastoralem curam debeat promoveri. Si quæ vero gravia obviant, multo magis admonendus est, ut sæculum relinquat, et hæc perfectius defleat. Peto autem ut pro me orare debeas, quia cum tribulationibus cordis fatigor nimiis doloribus corporis [f].

## EPISTOLA XIII.

AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Defuncti Primogeniti notarii res absque mora in tuto collocet, ne Romanæ Ecclesiæ aliisve hæredibus pereant.*

Gregorius Fantino defensori.

Cognoscat experientia tua [a] Primogenitum notarium nostrum de hac pro peccatis luce transisse. Et quoniam sanctam Romanam, cui, auctore Deo, **1189** deservimus, Ecclesiam, et conjugem suam, quæ se tuitioni ecclesiasticæ postea commendavit, hæredes, necnon et filium fratris sui, [b] in unam unciam hæredem idem noscitur reliquisse ; ea propter statim ut hoc præceptum susceperis, antequam eum quisquam obiisse cognoscat, et in substantia illius aliquid fraudis committat, ad locum in quo res ejus sunt reconditæ sine mora curabis accedere, et cum omni sollicitudine ac diligentia studii tui sit, præsente Consentio puero, qui rerum ipsarum esse custos asseritur, adhibitis testibus, solemniter ac subtiliter facere, easque res in loco tutissimo, ut utile prævideris, collocare, quatenus apto tempore huc cum eodem puero, Deo auxiliante, valeant transmitti. Sed et cætera, in quibuslibet rebus [c] sive corporibus quæ de substantia ipsius esse didiceris, cum omni strenuitate in unum congregare et constituere festina, ut nihil de ejus possit qualibet occasione deperire substantia. Hæc igitur omnia ita sollicita et subtili stude cura peragere, ut te illic posito ne dispendium in rebus ipsis eveniat, et cujuslibet fraudis sub qualibet occasione [d] sive exquisitione locus aliquis patere non valeat. Summa vero redituum ejus quæ sit nobis pariter tuis scriptis indicare festina.

## EPISTOLA XIV.

AD AZIMARCHUM SCRIBONEM.

*E maris periculo ereptum hortatur ut divinæ misericordiæ nunquam non meminerit.*

Gregorius Azimarcho Scriboni.

Quanto nos cognitus casus vestri naufragii contristavit, tanto subsequens epistola relevavit, quod verbi gratia, furtum et fornicatio non multabantur morte, repellebant tamen ab ordinatione.

[e] Vide notas in epist. 1 libri v, indict. 13.

[f] In duobus Colbert. et in totidem Vatic. huic epistolæ præmittitur : *Mense Octobri, indict.* 5.

EPIST. XIII [*Al.* 15]. — [a] In Vatic. A, *Primigentium.*

[b] Hæredem unciarium instituerat filium fratris sui, undecim aliis unciis relictis tum Ecclesiæ Romanæ, tum conjugi suæ. De unciario hærede vide in Dig., lib. XXX, tit. 1, leg. 54, § *Inde dicitur*, et in Instit., lib. II, tit. 14, § 6. GUSSANV.

[c] Prius legebatur *sive corporalibus ;* quæ lectio jure displicuit Gussanvillæo. Nostram suppeditaverunt Victor. et Remig., seu alter Rhem., in quibus solis, si Vaticanum A demas, legitur hæc epistola. Per corpora autem intelliguntur non solum armenta et pecora, sed etiam mancipia.

[d] Excusi, vitiose, *sine exquisitione.*

EPIST. XIV *Al.* 17.

A magnitudinem vestram incolumem ad Siciliam pervenisse cognovimus. Et Creatori nostro gratias agimus, qui solita vos pietate protexit, et de maris periculo liberavit. Unde necesse est ut Dei misericordiam, quam in vobis sæpe collatam inspicitis, ita semper in omni actu præ oculis habeatis, ut ejus in vobis gratia cumuletur ; et sicut ab exterioribus periculis, ita quoque ab interioribus eripiat. Paterna igitur dulcedine salutantes, petimus ut de vestra nos incolumitate, quoties se occasio dederit, relevetis.

## EPISTOLA XV.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Laurentium juvet in finiendis Bonifacii numerarii rationibus.*

Gregorius Romano defensori.

B Experientiam tuam non latet in rationibus Bonifacii [a] numerarii nostrum secundum aliquid **1190** interesse, propter quod partem aliquam substantiæ suæ xenodochio quod ad beatum Petrum apostolorum principem constitutum est dereliquit, et suam nobis conjugem commendavit. Et ideo quia Laurentius, vir clarissimus, præsentium portitor, pro rationibus ipsis, id est nonæ ac decimæ indictionis faciendis transmissus est, hujus tibi præceptionis serie injungimus ut ei hac in causa, quocunque necesse fuerit præbere solatia, atque cum æquitate servata juvare festines, quatenus dum te sollicito rationes ipsæ salubriter fuerint terminatæ, et pauperum fiat utilitas, et *mulieris* quæ *commendata* est quies procuretur atque securitas. Quia vero nosti C quemadmodum causæ et maxime tales agantur, si forsitan videris quia rationes ipsæ finiri sine dispendio non possunt, ad gloriosissimum Leontium una cum reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Joanne te ire necesse est, et communi cum eo consilio agere, et, ad quantum potueris eloqui, ei promittere quidquid vel ipsi, vel diversis dandum suffragatoribus fuerit, dummodo per partes non eat, sed celerius finem accipiat. Illud autem præ omnibus tractare vos convenit, utrum cum prædicto gloriosissimo viro antequam rationes incipiantur, aut certe loqui propterea debeatis, ne forte causa in examinatione missa, nobis postea ad decidendum difficultatem adducat. Sed quia melius in præsenti quid oporteat poteritis advertere, quod utilius visum fuerit agite. In hac tamen D promissione sollicitos vos esse necesse est ut omnia inibi comprehensa pro totius causæ decisione plura corpora autem intelliguntur non solum armenta et pecora, sed etiam mancipia.

[d] Excusi, vitiose, *sine exquisitione.*

EPIST. XIV *Al.* 17.

EPIST. XV [*Al.* 16]. — [a] Numerarius sive tabularius qui rationes supputat, librosque servat dati et accepti. De iis multa apud jurisperitos. Meminit et Sidonius Apoll., l. I, epist. 11, et lib. II, epist. 1 GUSSANV. Hanc lectionem in Vulgatis prius corruptissimam restituimus ope Vat. A, qui solus cum Remig. et Victor. epistolam hanc continet. In Ms. Victor. et in recent. Excusis legitur, *non latet quod in rationibus Bonifacii numerarii nostri suorum aliquid apud te interesse audivimus.* Lectio vet. Editorum adhuc mendosior est.

solida nullo modo promittantur, indicantes ei, si causa exegerit, quia pauper omnino defunctus est. Quod ut ita esse cognoscat, exemplar rerum inventarum de substantia ipsius tibi prævidimus dirigendum. Quod si forte apud prædictam solidorum quantitatem consentire noluerit, eligimus potius hoc quod pervenit ad xenodochium reddere, quam inanem invidiam sustinere. Si vero consenserit, studiose agendum est ut exinde securitas remittatur, quatenus post datam securitatem et decisionem causa recidiva exinde alterius nullo modo valeat quæstionis suscitari. Quod autem dederis [b] in tuis rationibus noveris imputandum.

## EPISTOLA XVI.

AD AZIMARCHUM SCRIBONEM.

*Laurentio Bonifacii quondam numerarii rationes apud Leontium exponenti faveat.*

Gregorius Azimarcho Scriboni.

Magnitudinem vestram, quo tempore hic in Romana urbe fuit, cognovisse recolimus Bonifacium quondam numerarium, condito testamento, **1191** partem aliquam hæreditatis suæ xenodochio quod ad sanctum Petrum apostolorum principem situm est reliquisse. Et quoniam gerere nos sollicitudinem diximus ut ad gloriosum filium nostrum Leontium persona pro exponendis ratiociniis ipsius mitteretur, curam ut compleri debuisset habuimus. Idcirco quia Laurentius vir clarissimus præsentium portitor ad hoc illud noscitur esse transmissus, magnitudinem vestram paterna dilectione salutantes, petimus ut ei hac in causa concurrere, atque vestra, sicut de vobis confidimus, salva justitia impendere patrocinia debeatis, quatenus dum sincerissimæ bonitatis vestræ fuerit ope suffultus, et de viduitate mulieris quondam Bonifacii, et de pauperibus quibus, sicut dicimus, idem Bonifacius hæreditatis suæ partem aliquam dereliquit, mercedem apud omnipotentem Deum acquiratis.

## EPISTOLA XVII.

AD MAURILIONEM EXPRÆFECTUM.

*Amice hortatur ut ad se scribat sæpius.*

Gregorius Maurilioni expræfecto.

Valde miramur quod nos, diversis de Sicilia venientibus, gloria vestra incolumitatis suæ nuntio relevare postponit. Et utrum oblivioni charitatis, an occupationi debeat reputari, nescimus. Et ideo salutantes paternæ charitatis affectu, petimus ut, quoties scribendi se occasio dederit, de vestra nos salute, et qualiter circa vos agatur, refovete, quatenus dum secundum desiderium nostrum de prosperitate vestra læti fuerimus effecti, Redemptori nostro pro vobis agere gratias valeamus. Omnipotens Deus misericordiæ suæ vos gratia tueatur, et ab omni adversitate servet illæsos atque custodiat.

## EPISTOLA XVIII.

AD EUPATOREM DUCEM SARDINIÆ.

*Valdarichum commendat.*

Gregorius [a] Eupatori duci Sardiniæ.

Cum lator præsentium [b] Valdarichus illa nos pro sua commendatione scribere postulet quæ magnitudinem vestram æquitatis intuitu sine cujusquam etiam intercessione non dubitamus efficere, petitionem ipsius minime despiciendam prospeximus. Quia ergo ut cum uxore sua, quam hic de Romana civitate esse perhibet, reverti, sicut desiderat, valeat vestris se poscit patrociniis **1192** adjuvandum, paternæ dilectionis salutantes affectu, petimus ut hac in re magnitudinis vestræ tuitionem habeat, et a nullo eos illic contra rationis ordinem impediri permittatis, sed desideriis eorum pro vestra mercede adesse et concurrere debeatis, quatenus et illi se adjutos vestra ope congaudeant, et magnitudo vestra poscentibus impendisse quod justum piumque est videatur.

## EPISTOLA XIX.

AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

*Plectiles sellas viginti quatuor petit.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Cognoscat gloria vestra [a] mandasse nos Anthemio subdiacono ut aliquantas sellas plectiles nobis dirigere studeat. Aut si factas non invenerit, ipsum apud se artificem tollat, ut in domo ipsius debeat laborare, et vel viginti quatuor sellas omnino bonas faciat. Et ideo quia omnino nobis sunt necessariæ, gloria vestra ut hoc fieri possit provideat. Et si forte vos jam aliquas conquisistis, nobis eas transmittite. Sed et Juliano viro clarissimo [b] majori excellentiæ vestræ, aut si quis alter habuerit, eas nobis mittere procuret. Ita ergo gloria vestra faciat, ut hæc quæ scripsimus sollicitudinis vestræ debeant modis omnibus instantia procurari.

## EPISTOLA XX.

AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

*Ad Arogem mittat epistolam suam de juvando in vehendis ad mare trabibus Savino subdiacono.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Propterea quod in Ecclesiis beatorum Petri et Pauli trabes sunt necessariæ, omnino Sabino subdiacono injunximus ut aliquantas [a] de partibus

[b] Ita Mss. Remig., Victor. et Vatic. A, ubi in Vulgatis legitur, *tuis rationibus imputamus.*

EPIST. XVII. *Al.* 19.

EPIST. XVIII [*Al.* 21].—[a] Lib. IX, indict. 2, epist. 6, loquitur sanctus Gregorius de Eupaterio magistro militum in Sardinia. Idem videtur esse ac Eupator ejusdem insulæ dux.

[b] In Remig., *Waldrichilla.* In Vatic. A, *Baldarith.* In San-Vict. *Wandaricilla.* Præter hos Codices nullus hanc epist. exhibet.

EPIST. XIX [*Al.* 23]. — [a] Remig. et Victor., *scripsisse nos.* Præter hos Cod. et Vatic. A, nullus ex nostris Mss. epistolam hanc complectitur.

[b] Hoc est, ejus domus majori.

EPIST. XX [*Al.* 24]. — [a] Baronius, tom. VIII Annal., ad an. 602, contendit legi debere *Brutiorum*, licet reclament omnia fere tam mss. quam edita exemplaria, nisi forte duo Mss. Voss. et Rhem., quæ legunt *Britiorum*. Sanior tamen videtur lectio Baronii, et favet conjectura. Quid enim Sabino subdiacono regionario, Maurentio magistro militum Italiæ, et Arogi duci Beneventano, de quo epistola sequenti, commune cum Britannis? etc. Cæterum Brutii fuere olim Italiæ populi contra Siciliam inter Lucaniam et

Brutiorum incidere et ad locum unde huc per mare duci possint trahere debeat. Sed quoniam solus hoc facere non assurgit, Arogi scripsimus ut homines qui sub eo sunt, cum bobus suis, in ejus deputet ire solatiis, promittentes quia dum res perfecta fuerit, dignum ei xenium transmittemus. Gloria ergo vestra epistolam nostram ad eum sub urbana persona studeat sub celeritate transmittere, quæ ei hoc quod scripsimus deferat, ut antedictus subdiaconus voluntatem ipsius possit agnoscere. Si vero navigii prosperitate inventa discesserit, cuncta ei gloria vestra **1193** per suas epistolas innotescat, ut sciat quid agere debeat, sed et nobis similiter quæ acta fuerint indicate.

## EPISTOLA XXI.

### AD AROGEM DUCEM.

*Ut Savinum incisas pro ecclesiis sanctorum Petri et Pauli trabes ad mare trahentem juvari præcipiat, xenium spondet.*

Gregorius [a] Arogi duci.

Quia sic de gloria vestra sicut revera de filio nostro confidimus, petere aliqua a vobis fiducialiter provocamur, arbitrantes quod minime nos patiamini contristari, maxime in tali re unde anima vestra multum poterit adjuvari. Indicamus autem propter ecclesias beatorum Petri et Pauli aliquantas nobis trabes necessarias esse; et ideo Savino subdiacono nostro injunximus de partibus Brutiorum aliquantas incidere, et usque ad mare in locum aptum trahere debeat. Et quia in hac re solatiis indiget, salutantes gloriam vestram paterna charitate, petimus ut actionariis vestris, qui in illo loco sunt deputetis, ut homines qui sub eis sunt cum bobus suis in ejus transmittere debeant solatium, quatenus, vobis concurrentibus, melius quod ei injunximus possit perficere. Nos enim promittimus quia dum res perfecta fuerit, dignum vobis xenium, quod non sit injuriosum, transmittemus. Nam scimus nos considerare, et filiis nostris qui bonam voluntatem exhibent respondere. Unde iterum petimus, gloriosissime fili, ut ita facere debeatis, ut et nos vobis possimus esse præstito beneficio debitores, et vos mercedem pro sanctorum ecclesiis habeatis.

## EPISTOLA XXII.

### AD GREGORIUM EXPRÆFECTUM.

*Ad vectandas trabes viginti homines suos ac boves commodet Savino.*

Gregorius Gregorio expræfecto,

Scientes [a] quanta erga beatorum Petri et Pauli ecclesias in gloriæ vestræ mente maneat dilectio, A vestrum nobis post Deum adjutorium scriptis decurrentibus adhibere necessario [b] procuramus, confidentes vos facile et devote quidquid pro earum utilitate cognoscitis impertiri, quibus gloriam vestram etiam sponte non dubitamus velle præstare. Et ideo quia in prædictis ecclesiis trabes omnino sunt necessariæ, atque Savino subdiacono ut interim usque ad viginti incidere festinet et ad mare trahere debeat injunximus, paterno salutantes affectu, petimus ut gloria vestra de possessionibus quas illic in emphitheosim habet hac in re homines cum bobus suis faciat præbere solatia, quatenus [et] ipse vestra opitulatione suffultus ad ea explenda quæ sibi injuncta sunt possit esse idoneus, et vos mercedem **1194** valeatis acquirere. Ita ergo, sicut diximus, et ut de B vobis confidimus, agite, gloriose fili, ut et nos vobis gratias referamus, et beatos apostolorum principes pro amore et devotione vestra, quam eorum ecclesiis exhibetis, habeatis in omnibus adjutores.

## EPISTOLA XXIII.

### AD STEPHANUM EPISCOPUM.

*Homines cum bobus ad Savinum juvandum mittat.*

Gregorius Stephano episcopo.

Quamvis fraternitatem vestram officii sui qualitas pro ecclesiarum utilitatibus ultro solatiari commoneat, non tamen ab re est si illud ex abundanti nostra hortemur epistola quod facere vos convenit prona voluntate. Proinde in ecclesiis beatorum Petri et Pauli trabes valde necessarias fraternitati ve- C straæ duximus indicandum. Et quoniam Savino subdiacono ut aliquantas incidere et usque ad mare trahere debeat, unde huc adduci valeant, injunximus, atque in ea re manifestum est eum opus habere solatiis, sanctitas vestra, ut oportuerit, ei toto studio totaque intentione opem ferre studeat, ac in ejus solatio boves hominesque transmittat, ut nullam excusationem inveniat, sed quæ ei præcipimus, vobis opitulantibus, implere sufficiat. Ita ergo fraternitas vestra faciat, ut ei se quantum valet impendat. Nam quantum prædicti subdiaconi culpa est, si vobis concurrentibus piger exstiterit, tanto culpabilius erit et gravius, si qua se occasione fraternitas vestra aut excusare, aut indevotam, quod non credimus, monstrare voluerit. Debes autem scire hanc fraternitati D tuæ curam vehementer incumbere, cujus Ecclesiæ trabes olim cultu proprio consueveras procurare.

---

fretum Siculum; nunc dicitur Calabria inferior, et est in regno Neapolitano. Gussanv. Restitutam a Baronio lectionem prætulimus, quam perperam Gussanvillæus ait ab exemplaribus Mss. impugnari. Præmonere debuisset epistolam hanc in paucissimis reperiri Mss. Sane in nullo tot Codicum a nobis excussorum occurrit nobis præterquam in San-Victorino, qui habet *Britannorum*; in Vatic. A et in Remigiano, in quo legitur *Britiorum*, hoc est, Brutiorum. Anastasius Bibliothecarius, in Gregorio II, scribit pontificem hunc basilicam beati Pauli (alii legunt Petri) apostoli, *aliatis de Calabria trabibus*, restauras-e; probat in Calabria, hoc est in Brutiis, magnam esse materiæ ad ædificandum copiam. Sabinus subdiaconus cujus hic meminit sanctus Gregorius, is esse videtur cui sanctissimus pontifex, epist. 4 libri x, delegata jurisdictione jubet inquirere de nonnullis facinoribus quorum reus agebatur Sisinnius Regitanæ civitatis presbyter. In Brutiis autem erat Regium, ex Cassiodoro, lib. xii Var., epist. 14.

Epist. XXI [*Al.* 25]. — [a] Duci Beneventano de quo lege notam *m* in epist. 46 libri xi, indict. 10. Observa hoc loco gravissimum Gussanvillæi errorem Nam in notis ad laudatam epist. duos simul constituit Beneventi duces, Ariulfum scilicet, ut patet ex nota *i*, et Arogem ex nota *s*; sed Ariulfus erat dux Spoleti, ex Paulo Diac., lib. iv Hist. Langob., c. 17.

Epist. XXII [*Al.* 26]. — [a] In Vatic. A, *quanta gratia ad beatorum*.

[b] Remig. et Victor., *provocamur*. His tribus exem-

## EPISTOLA XXIV.

AD JOANNEM SUBDIACONUM RAVENNÆ.

*Jubet, reprobato Constantio, Maurum, si dignus inveniatur, abbatem ordinari; a peculiaritatis peste mundari monasterium; Claudii abbatis scripta ex ore suo excepta, sed a suo sensu in multis aliena, ad se mitti. Non probat sua in Jobum commentaria publice ad vigilias legi. Magis expedire ut legantur Psalmorum commenta. Nolle se, dum in hoc corpore versaretur, opera sua in publicum facile prodire. Albinum et Augustum commendat.*

Gregorius Joanni subdiacono Ravennæ.

Venientes monachi monasterii quondam abbatis Claudii, petiverunt sibi Constantium monachum abbatem debere constitui. Quos valde ego in sua petitione detestatus sum, quia mihi terrenæ menti esse omnimodo apparuerunt, qui terrenum nimis hominem abbatem quæsiverunt habere. Cognovi enim quod idem Constantius [a] peculiaritati studeat. Quæ res maxime testatur eum cor monachi non habere. Ac deinde cognovi quia ad monasterium quod in [b] Piceni provincia **1195** situm est solus pergere sine aliquo fratrum suorum præsumpsit. Ex qua ejus actione cognovimus quia qui sine teste ambulat recte non vivat, aut quomodo aliis regulam teneat quam sibimetipsi nescit tenere.

Ab hoc igitur recedentes, cellerarium quemdam nomine Maurum petiverunt, cujus vitæ atque industriæ multa testificantur, quia et quondam abbas Claudius eum quibusdam laudabat. Tua itaque experientia sollicite requirat; et si ejus vita ad locum regiminis digna est, a reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Mariniano hunc abbatem ordinari faciat. Si vero est quod ei omnino obviet, et ex sua congregatione invenire aptum minime possunt, ipsi sibi aliunde eligant, et is quem elegerint fiat. Hoc autem prædicto fratri et coepiscopo nostro omnino dicere stude, ut peculiaritatem a quatuor aut a quinque monasterii monachis, in quibus corrigi hactenus minime potuit, studiosissime compescat, et hoc ipsum monasterium a tali peste mundare festinet, quia si illic [c] peculiaritas a monachis habetur, neque concordia neque charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus monachi, nisi despectus mundi? Quomodo igitur mundum despiciunt qui in monasterio positi aurum quærunt? Ita igitur tua experientia faciat, ut neque loci ordinatio differatur, neque ad nos ulterius hac de re querela perveniat.

[d] Præterea, quia idem charissimus quondam filius meus Claudius, aliqua me loquente de Proverbiis, de Canticis canticorum, de Prophetis, de Libris quoque Regum, et [e] de Heptateuco audierat, quæ ego scripto tradere præ infirmitate non potui, [f] ipse ea suo sensu dictavit, ne oblivione deperirent, ut apto tempore hæc eadem mihi inferret, et emendatius dictarentur. (Quæ cum mihi legisset, inveni dictorum meorum sensum valde inutilius fuisse permutatum.) Unde necesse est ut tua experientia, omni excusatione atque mora cessante, ad ejus monasterium accedat, convenire fratres faciat, et sub omni veritate quantascunque de diversis Scripturis chartulas detulit, ad medium deducant, quas tu suscipe, et mihi celerrime transmitte.

De tuo autem reditu, quia molestiam te validam incurrisse cognovimus, Deo propitio, in subsequenti cogitamus.

Illud autem quod ad me quorumdam relatione perlatum est, quia reverendissimus frater et coepiscopus meus Marinianus legi [g] commenta beati Job publice ad vigilias faciat, non grate suscepi, **1196** quia non est illud opus populare, et rudibus auditoribus impedimentum magis quam provectum generat. Sed dic ei ut [h] commenta Psalmorum legi ad vigilias faciat, quæ mentes sæcularium ad bonos mores præcipue informant. Neque enim volo dum in hac carne sum, si qua dixisse me contigit, ea facile hominibus innotesci. Nam quia dilectissime memoriæ Anatolius diaconus quærenti ac jubenti domno imperatori librum Regulæ pastoralis dedit, ægre suscepi, quem sanctissimus frater et coepiscopus meus Anastasius Antiochenus in Græcam linguam transtulit. Et, sicut mihi scriptum est, ei valde placuit, sed mihi valde displicuit ut qui meliora habent inminimis occupentur.

In parte autem tertia beati Job in eo versu in quo scriptum est: *Scio quod Redemptor meus vivit*, suspi-

*solidum dimisisse sit criminis.* Idem a Gregorio factum, non dissimili eventu, narrat Joan. Diac., lib. I, c. 15 et seq.

Epist. XXIV [*Al.* 22]. — [a] Quantum peculiaritatem in monachis detestetur, sæpe indicat Gregorius. Gussanv. Quousque in monachum hoc nequissimo vitio laborantem ipse vir sanctissimus, cum abbas esset, desævierit, docet Joan. Diac., lib. I, c. 15.

[b] Picenum, vulgo *la Marca d'Ancona*, provincia Italiæ, ditionis pontificiæ.

[c] Hieronymus, epist. 22, ad Eustochium, de custodia virginitatis, ubi de monacho, *qui, parcior potius quam avarior, centum solidos quos lina texendo acquisierat moriens dereliquit: Initum est*, inquit, *inter monachos consilium quid facto opus: alii pauperibus distribuendos esse dicebant; alii dandos ecclesiæ; nonnulli parentibus remittendos. Macarius vero, et Pambo, et Isidorus, et cæteri quos Patres vocant, sancto in eis loquente Spiritu, decreverunt infodiendos esse cum eodem dicentes: Pecunia tua tecum sit in perditionem. Nec hoc crudeliter quisquam putet factum. Tantus cunctos per Ægyptum terror invasit, ut unum* plaribus usi summus tantum, quod in aliis desit hæc epistola. Idem dictum velim de epist. 21 præcedenti, et de epist. 23 sequenti.

[d] Hunc locum ex quo constat sanctum Gregorium in homiliis libros illos sacros interpretatum esse, illustravimus in præfationibus seu admonitionibus præviis ad commentarios in lib. Regum, in Cantica canticorum, etc.

[e] Norm., Turon., Reg. et alii, *Heptatico*, legiturque in vet. Excusis.

[f] Recent., *ipse ea suo sensu et stylo.* Sequimur Reg., Colb., Norm., utrumque Rhem., Vatic., Corb., Colb., etc.

[g] Seu libros Moral. in Job tomo I Gregorian. operum contentos.

[h] De commentariis in psalmos pœnit. a Gregorio elucubratis, ut vulgo creditur, hæc minime debent accipi, cum postea innuat se moleste ferre quod scripta sua, dum ipse viveret, hominibus essent nota. Indicat itaque commentarios aut ab Augustino, aut ab Ambrosio, etc., evulgatos.

cor quia prædictus frater et coepiscopus meus Marinianus mendosum codicem habeat. Nam in scrinio nostro idem locus aliter habetur quam hunc in aliorum Codicibus esse cognovi, atque ideo eumdem locum relevari feci, ut sicut in scrinio nostro est, ita quoque hunc et sæpefatus frater meus habeat. Quatuor enim verba sunt, quæ si eidem loco defuerint, non modicum possunt lectori scrupulum generare. Hæc omnia subtiliter et celeriter exsequere. Et si apud excellentissimum exarchum nihil potes, vel hæc non videaris neglexisse quæ potes.

De loco autem Albini quid dicam, de quo nobis aperte contra justitiam respondetur? De quo tamen debes districtius cogitare.

Præterea ante aliquantum temporis experientiæ tuæ præceperamus ut apud eminentissimum filium nostrum præfectum ageret, quatenus cura formarum committi [i] Augusto vicecomiti debuisset, pro eo quod omnino sollicitus atque strenuus vir est. Et ita hactenus distulisti, ut nobis nec quid egeris indicares. Et ideo apud eumdem eminentissimum filium nostrum vel modo omni agere intentione festina, [k] ut formæ prædicto clarissimo viro per omnia committantur, quatenus sollicitudine sua aliquatenus eas valeat reformare. Nam sic despiciuntur atque negliguntur formæ ipsæ, ut nisi major sollicitudo fuerit, intra paucum tempus omnino depereant. Sicut ergo nosti quam necessaria causa sit et generalitati utilis, sic studendum tibi est, ut prædicto, sicut diximus, viro [l] pro sua sollicitudine modis omnibus committatur. [m] Datum mense Januario, indictione 5.

## 1197 EPISTOLA XXV.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Non jungendos matrimonio extra massam in qua nati sunt Petri defensoris filios.*

Gregorius Romano defensori.

Petrus, quem defensorem fecimus, quia de massa juris Ecclesiæ nostræ quæ Vitelas dicitur oriundus sit, experientiæ tuæ bene est cognitum. Et ideo quia ita circa eum benigni debemus existere, ut tamen Ecclesiæ utilitas non lædatur, hac tibi præceptione mandamus, ut eum districte debeas commonere, ne [a] filios suos quolibet ingenio vel excusatione foris alicubi in conjugio sociare præsumat, [b] sed in ea massa, cui lege et conditione ligati sunt socientur. In qua re etiam et tuam omnino necesse est experientiam esse sollicitam, atque eos terrere, ut qualibet occasione de possessione cui oriundo subjecti sunt exire non debeant. Nam si quis eorum exinde, quod non credimus, exire præsumpserit, certum illi sit quia noster consensus nunquam illi aderit, ut foris de massa in qua nati sunt aut habitare aut debeant sociari, sed et [c] superscribi terram eorum. Atque tunc sciatis vos non leve periculum sustinere, si vobis negligentibus quisquam ipsorum quidquam de iis quæ prohibemus facere qualibet sorte tentaverit.

## EPISTOLA XXVI.

AD MAURENTIUM MAGISTRUM MILITUM.

*Ne dimissis aliis, Domitii filium retineat.*

Gregorius Maurentio magistro militum.

Petiit Domitius vir magnificus, ut vestræ gloriæ scribere deberemus, quatenus, navigantibus aliis, et filio suo similiter esset licentia navigandi. Et quamvis de gloria vestra certi sumus quia nihil quod indiscretum est faciat, sed omnia sapienter intendat; hortamur tamen ut si alii relaxantur, ille non debeat retineri, ne forsitan non ex ratione, [e] sed sola fratrum inimicitia retineri videatur. Vos tamen qui præsentes estis, æquitatis consideratione generalem etiam utilitatem attendentes, melius quid expediat potestis advertere.

## EPISTOLA XXVII.

AD QUERTINUM EXPRÆFECTUM.

*Cur pro Bonito præfecturæ administrationem expetente agere nolit.*

Gregorius Quertino expræfecto.

[a] Epistolam gloriæ vestræ suscepimus, in qua

[i] In Turon., *Augusto vicario*. In Rhem., *Augusto huic*. In Vatic. D et E, *Augusto viro clarissimo*. In Vatic. B, *Augusto victori*. Secuti sumus Corb., omnes Norm. et Anglic.

[k] Conceptacula quibus distinguitur aquæductus; Gall., *les bassins, les réservoirs d'eau, les regards*. Canales structiles et arcuati, apud Vitruvium, lib. VIII, c. 7, Græcis δοχεῖα. Sidonius Apoll., Heroino suo, epist. 5 lib. I: *Inter hæc et patuit Roma conspectui, cujus mihi non solum formas, verum etiam naumachias videbar epotaturus*. Erat autem magistratus qui curam formarum gerebat, dictus *comes formarum*, ut legere est in notitia imperii, et apud Cassiodorum, lib. VII Variar., § 6. GUSSANV.

[l] Excusi, reluctantibus Mss., *per sollicitudinem tuam... committantur*.

[m] Hæc habent duo Colbertini, et unus e Vatic., sed initio epistolæ. In Vulgatis legitur *Datum mense Febr.*

EPIST. XXV [*Al.* 28]. — [a] Non eos de quibus agitur vere servos fuisse crediderim, sed aut adoptitios, aut glebæ addictos, quæ species erat honestioris servitutis. Jampridem aiunt in Galliis nullos fuisse servos proprie dictos; memini tamen me legere in consuetudine sive jure municipali Meldensi, probato et edito an. 1509, art. 78, legem sequentem: *Homines conditionis servæ nec possunt nec debent absque venia et indulgentia seniorum suorum uxores ducere liberas, aut alterius quam sint et in qua sint conditionis. Si quid autem in contrarium attentaverint, damnabuntur multæ quam vulgo dicunt* de for de mariage, *quæ cedet in rem seniorum quorum sunt servi*. Exemplum tam simile quam lac lacti est, nisi quod hic multa irrogatur, illic terrore agitur. GUSSANV.

[b] De originariis lege et conditione alicui massæ ligatis, supra, epist. 21 lib. IV. GUSSANV.

[c] Interpretor, volo illis imperari augmentum pensitationis annuæ. Eodem fere sensu legistæ dicunt *superindictum*. Dictat creditor, scribit debitor, terra scribitur, quando tanta mercede conducitur, super scribitur aucto pretio. GUSSANV. In Remig. et Victor. qui soli nobis exhibent hanc epist. cum Vatic. A, legitur *et superscriptam terram eorum*. Hic superscribi terram idem esse videtur, ac appositis titulis Ecclesiæ Romanæ possessioni vindicari, quod vulgo dicimus *être réunie*. Lege notam *b* ad epist. 65 lib. I.

EPIST. XXVI [*Al.* 29]. — [a] Vatic. A, *sed sola factum* inimicitia.

EPIST. XXVII [*Al.* 30]. — [a] Prius legebatur *Gratiæ vestræ*, quod mutavimus viso Ms. Remigiano, in quo

scripsistis ut pro glorioso Bonito filio nostro agere debeamus, quatenus præfecturæ illi administratio committatur. Equidem nos eumdem filium nostrum non modo, sed multi sunt anni quod novimus, et idcirco concurrere illi per omnia festinamus, sed non in illa re de qua amaritudines posset et tribulationes [b] assumere. Nam administratio ipsa uni priori ipsius et alteri minori ipsius oblata est, et miscere se nullo modo voluerunt, scientes omnino grave esse et præsertim hoc tempore, administrationem suscipere. Si ergo illis grave fuerit, quanto magis isti debet esse difficile, qui nobis in actione est? [c] Additur quia et inutile (*Grat. dist.* 88, *c.* 8) et valde laboriosum est hominem litteratum ratiociniorum causas assumere, et in eis se, quod non expedit, obligare. Super hæc autem res illa nos revocat, quia nullum de hac actione bene exisse recolimus, nisi gloriam vestram, de qua omnipotentem Dominum petimus ut eam usque ad finem continua protectione custodiat. Et ideo hoc considerantes, in ejus læsione miscere nos nolumus. Nam quod modo putatur utile, certum est quia postmodum plenum laboris erit atque dispendii. Si autem sic utilitatibus suis æstimat oportere, et vult agere ut hæc administratio sibi committatur, nos contrarii non sumus, sed etiam modo futuris tribulationibus ipsius condolemus, quia quid passurus sit, exemplo præcedentium non nescimus.

## EPISTOLA XXVIII.

### AD COLUMBUM EPISCOPUM NUMIDIÆ.

*Coercendum Paulinum antistitem, qui in clerum suum sævierat, et sacrilega nundinatione sacros ordines vendebat.*

Gregorius columbo episcopo Numidiæ.

Quia bene olim nobis est cognitum fraternitatem tuam sacerdotali gravitate et zelo esse ecclesiastico decoratam, satis oportere prospeximus ut interesse ad cognoscenda ea quæ correptionis indigent debeat, ne, si fuerint dissimulatione postposita, licitum esse sibi credat quisque quod potest. Qualiter autem fratrem nostrum Paulinum, [a] Tegessis civitatis episcopum, clerus suus, vel hi qui in sacro sunt ordine constituti, in se perhibeant [b] corporaliter excessisse, audire non indiges, quippe quia priusquam hæc ad

**1198** A nos querela pertingeret, tibi jam factum est, sicut eis asserentibus didicimus, manifestum. Et quoniam præpositis in subjectorum pœnam fas esse non debet sæviendi, Victori fratri et coepiscopo nostro, [c] qui primatus inter vos locum tenet, curavimus scribendum, ut una cum tua fraternitate vel cum aliis fratribus et cœpiscopis nostris, quos adhibere prospexeritis, inter memoratum fratrem consacerdotem nostrum et clerum [d] ipsius causam subtili debeat investigatione cognoscere. Et ideo dilectio tua immineat atque sollicitudinem gerat, ut ea quæ ad nos perlata sunt inaudita non transeant, **1199** ne discordia in Ecclesia, unde magnopere pellenda est, nutriatur. Et si quidem contra eum clericorum suorum vera querela est, culpam suam quam sponte B [e] emendare despexit, ita Ecclesiastici vigoris definitione cognoscat, ut et de præsenti sentiat quam sit grave quod fecit, et discat de futuro nil se plus agere posse quam licet. Præ omnibus igitur hortamur ut zelum quem propter Deum habere te novimus ardentius studeas exercere.

Et quia memoratus frater noster Paulinus ecclesiasticos ordines per simoniacam dare hæresim, quod audire nefas est, dicitur; una cum antedicto primate vel aliis subtilius hoc et cum omni tibi diligentia sit curæ perquirere. Et si ita, quod absit, inventum fuerit, studendum atque agendum est ut et eum qui præmium accipere, et eum qui dare non metuit, canonicæ ultionis sententia feriat, quatenus C horum emendatio multorum possit esse correptio. Et priusquam hæc radix mortiferat [f] coalescat, et plures interimat, totius concilii definitione damnetur, ut nullus unquam pro quovis ordine accipere, nullus dare aliquid audeat, nec quisquam ex gratia, sed promoveatur ex merito, ne et ordo ecclesiasticus confundatur, [g] et sit probitas vitæ despectui, si præmium meriti indignus acceperit.

Hilaro autem chartulario nostro injunximus ut si causa poposcerit, cognitioni vestræ interesse non renuat. Si ergo necessarium fuerit, vestris illum apicibus ut illuc venire debeat facite certiorem, quatenus simul cum ipso tractantes melius decernere quæ statuenda sunt debeatis [h].

solo ex Mss. Gallic. à nobis examinatis exstat hæc epist. Præterea hoc titulo, *gratia vestra*, nunquam compellat sanctus Gregorius eos ad quos scribit. Infra occurrit *gloriam vestram*.

[a] Remig. et San Vict., *incurrere*.

[b] Hic locus a Gratiano relatus probat ipsius ævo epistolam hanc inter Gregorianas fuisse receptam, licet in paucissimis exstet Mss., adeo ut in solis Remig., Victor. et Vatic. A, nobis occurrerit.

EPIST. XXVIII [*Al.* 32].—[a] Ita plerique Mss. Codd. quidam tamen habent *Tagesis*, ut et antiquiores Editi. In notitia Africæ, tum apud Sirmondum, tomo I, col. 435, tum apud Ruinartum, Hist. persecut. Vandal., pag. 12[illegible], legitur Domnicolus Tigisitanus. Holstenius, annot. in Geogr. Sacram., pag. 69, vult legi *Tuggensis* vel *Tuccensis*, a Tucca urbe Africæ mediterranea, olim episcopali, sub archiepiscopo Carthaginensi. In Edit. Vatic. legitur *Regensis*. Et quidem in Notitia Africæ Ruinartii, inter D episcopos Mauritaniæ recensetur Victor Regiensis, p. 135, et inter episcopos Numidiæ Fortunius Regianensis, pag. 128. At cum nullis in Mss. habeatur *Regensis*, sed constanter *Tegessis*, aut *Tegesis*, quid ultra juvat ariolari de hujus episcopi sede? Veteres Editi manuscriptis consentiunt.

[b] Id est, sævire in subjectos. Dictum supra, epist. 67 lib. III, indict. 11. GUSSANV.

[c] Hic in primatu Numidiæ successit Adeodato, quem lib. III, indict. 2, epist. 49, legimus hujus provinciæ primatem.

[d] Recent., *ipsius causa subtili debeat investigatione cognosci*.

[e] Omnes Norm., *cognoscere despexit*. Vatic. B, *exsecrari despexit*. Vatic. F, *considerare despexit*.

[f] Excusi, *convalescat*. Remig., *concalescat*. Sequimur Turon., Norm., etc.

[g] Norm., *et sit probata vita despectui*.

[h] In duobus Colbert. vet., et in totidem Vatica-

## EPISTOLA XXIX.

AD VICTOREM EPISCOPUM.

*Ut Paulini sævitia in clerum et simonia puniatur ac reprimatur, concilium cogat, ad id vocato, si opus sit, Hilaro.*

Gregorius Victori [a] episcopo.

Quanto lætitiæ nobis est fratres nostros cognoscere erga filios suos paterna charitate decenter esse sollicitos, tanto tristitiæ deputamus quando eos ab illicitis nec aliorum fratrum reverentia, nec sacerdotii prævalet consideratio **1200** temperare. Quam igitur gravis et aspera adversus fratrem nostrum Paulinum, Tegessis civitatis episcopum clericorum ejus vel eorum qui in sacro sunt ordine positi sit querela, fraternitati tuæ liquere non dubium est, quia latere te in vicino non potuit quod ad nos in longinquo pervenit. Et quoniam valde cavendum est ne hoc quod eum frustra in se corporali injuria queruntur excedere, aut licite præsumatur, aut fiat dissimulatione deterius, sic manifesti excessus canonica semper moderatione premendi sunt, ut una res et præteritorum correptio, et esse possit regula futurorum. Proinde simul cum dilectissimo communi fratre Columbo episcopo, vel aliis sacerdotibus quos prævideritis, inter suprascriptum fratrem nostrum et clericos ipsius causam subtili investigatione rimari te convenit. Et si supplicantium querela veritate subsistit, ita hoc regulari emendatione corrigite, ut et quam sit malum quod fecit agnoscat, et officii sui terminos discat de cætero non exire. Nec loci tui, sicut dicitur, ab eo postponi ordinem patiaris, ne illi despectus suus ad periculum, et tibi fiat ad culpam. [b] Nam ad personam in priori loco positam respicit quidquid a minori committitur, nisi sollicite corrigatur.

Illud autem quod idem frater noster Paulinus ecclesiasticos ordines dare sub præmio perhibetur, subtilius a vobis et omnino districte quærendum est. Et si ita, quod non optamus, esse claruerit, sic ad ulciscendum hoc vester se propter Deum zelus accendat, ut et ordinanti avaritia sua convertatur ad pœnam, et illicita ordinatio effectu carens, ambitionis suæ desiderio non fruatur. In qua re hortamur vos atque præ omnibus admonemus, ut ita fraternitas vestra studeat esse sollicita, quatenus priusquam unius vitio simoniacæ illic hæreseos nequitia convalescat, sententiæ vestræ falce facto ex opere A concilio radicitus amputetur. Nam quisquis ad hoc facinus emendandum officii sui consideratione vehementer [c] non arserit, cum ipso se non dubitet habere portionem, a quo prius [d] hoc peculiare flagitium sumpsit exordium. Et ideo, sicut diximus, hinc vigilanter atque studiose agendum est ut concilium vestrum, quod nunc usque sine hujusmodi prava opinione, Deo custodiente, servatum est, **1201** hujus sceleris venena nec polluere possint nec perdere.

Præterea Hilaro chartulario nostro præcepimus ut, si res exegerit, interesse vobiscum non differat. Unde, si necesse fuerit, vestris illi ut ad vos venire debeat epistolis indicate, quatenus hæc omnia una cum eo salubriter Deo possitis adjuvante dirimere.

## EPISTOLA XXX.

AD CONSTANTINUM SCODRITANUM EPISCOPUM.

*Quod in sequenti ad Joannem epistola adversus Pauli flagitium statuitur exsequatur ipse, si potest; sin vero, Joanni ut id exsequatur instet.*

Gregorius [a] Constantino episcopo Scodritano.

Quæ dilectissimus nobis lator præsentium Nemesion (*Grat.* 2, *q.* 7, *c.* 44), qui se dicit Docleatinæ civitatis esse antistitem, de facinore Pauli Docleatini ut ipse asserit, quondam episcopi questus sit, fraternitati tuæ fuerant subtilius indicanda, nisi scire te omnia testaretur, quippe quem et compassum sibi et voluisse subvenire, sed perhibet minime potuisse. Et quia tanti causa flagitii negligi vel transiri non debet impunita, ne ejus imitatione scelesta ab aliis, quod absit, sumatur audacia, fraternitas tua exemplaria scriptorum his subdita, quæ ad reverendissimum fratrem nostrum Joannem primæ Justinianæ civitatis episcopum servantem vices nostras direximus, diligentius relegat. Et si secundum eorum seriem explere se cuncta posse cognoscit, ea quæ illi mandavimus, ipsa omnia ex nostra auctoritate exsequatur et faciat. Si vero hoc tibi quibusdam forte adversantibus obstaculis vides esse difficile, studendum est ut eadem scripta nostra ad antedictum fratrem nostrum sine excusatione perveniant. Cui etiam et te convenit imminere, ut ea quæ ei a nobis mandata sunt districtius exsequi, et nulla debeant occasione lentari; sed ita quæ nequiter acta sunt, emendatione congrua corrigantur, quatenus una res et ultio competens delinquentis, et formido sit aliis in eodem ordine constitutis.

nis, scilicet in Codd. B et E, legitur in epistolæ limine scriptam eam esse *mense Martio, indict.* 5.

Epist. XXIX [*Al.* 33]. — [a] In recent. temere additum est *Panormitano*, quod à Mss. et a vet. Ed. abest. Errori crasso præbuit occasionem, tum quod plurimæ sancti Gregorii epistolæ exstent ad Victorem Panormitanum, tum quod autumarent Editores legendum esse hac in epistola et in superiori *Regensis*, non *Tegessis civitatis*. Hinc opinati sunt sanctum Gregorium potuisse accersere e vicina insula episcopum ad correctionem Regiensis antistitis.

[b] Hanc sententiam ex regula sancti Benedicti excerptam nemo dubitaverit qui legerit, cap. 36, *quia ad ipsum* (abbatem) *respicit quidquid a discipulis delinquitur*.

[c] In Vatic. D et Rhem., *non assurrexerit*.

[d] Recent. Ed., *hoc piaculare*. Peculiare crimen appellat sanctus Gregorius a pecunia simoniace data et accepta.

Epist. XXX [*Al.* 35]. — [a] In Excusis et nonnullis Mss., *Constantio*. Deest *episcopo* in plerisque Cod. Legitur in Vatic, A et uno ex Colbert., *episcopo Scoritano*.

## EPISTOLA XXXI.

AD JOANNEM PRIMÆ JUSTINIANÆ EPISCOPUM.

*Expositis Pauli Docleatini episcopi flagitiis, præscribit remedia.*

Gregorius Joanni episcopo primæ Justinianæ.

Quando mala quæ pœnitentiæ fletu purganda sunt augentur excessibus, ita major delinquentibus est adhibenda correptio, ut et ipsi facinus suum saltem pœna vindicante cognoscant, et alios ab illicitis [a] ecclesiasticæ ultionis timor inhibeat. Dilectissimus itaque lator præsentium Nemesion ad nos veniens indicavit (*Grat.* 2, *q.* 7, *c.* 44), sicut et gestorum exemplaria quæ huc detulit continebant, Paulum [b] Docleatinæ civitatis episcopum, inter alia mala in corporale crimen lapsum, a suis fuisse clericis accusatum, atque, habita cognitione, **1202** ita, quod sine dolore dicere non possumus, claruisse, atque insuper, postquam convictus est, etiam eum libellum in quo ea de quibus accusatus fuerat vera esse confessus est obtulisse; qua de re sententia, illo episcopali deposito, ejus loco se cum fraternitatis vestræ consensu esse episcopum ordinatum; sed nunc eumdem Paulum cum auxilio sæcularium judicum venientem episcopium more prædonis ingressum, ablatisque violenter rebus ecclesiæ, ab eo se projectum [c] et ad summam injuriam ac necem pene perductum. Et quoniam tantæ nequitiæ pravitas, nec dissimulanda, nec leviter attendenda est, fraternitas vestra hæc omnia diligenter curet addiscere, et si ita se ut edocti sumus veritas habet, prædictum Paulum districta faciat exsecutione compelli, ut quæcunque abstulit omni mora vel excusatione cessante restituat. Si vero nihil Ecclesiæ, sed proprium se dixerit abstulisse, quamvis grave et iniquum fuerit ut non a vobis vel a metropolitano ejus hoc peteret, sed temerario ausu manu præsumeret agere, verumtamen si quid proprium tulit, sub fraternitatis vestræ debet examinatione constare si verum est. Sed et illud diligenter quærendum est, si quid male de rebus dilapidavit ecclesiæ, ut ex eo quod nunc abstulit, hoc reformare ac satisfacere modis omnibus compellatur. Si autem differre tentaverit, quousque omne quod dilapidavit, vel de substantia tulit, ecclesiæ restituat, in monasterium mittendus est, ut saltem coactus reddat quod male auferre non timuit. Qui si forte, quod non credimus, post depositionem suam inverecunde ac mente perversa aliquid de episcopatu loqui atque rursus ad hoc qualibet aspirare præsumptione tentaverit, fraternitatis vestræ se contra improbitatem ipsius omnino vigor accendat, atque dominici corporis ac sanguinis communione privatum in monasterium eum usque ad diem obitus sui ad agendam curet pœnitentiam retrudendum, quatenus perpetrati sceleris maculas dignis discat fletibus emundare, quas magis in interitu animæ suæ nequiter augere desiderat. Suprascriptus autem dilectissimus frater noster Nemesion in loco suo et episcopatus officio procul dubio reformetur, et ne denuo hac de re inquietudinem ac molestiam patiatur, sollicitos vos esse necesse est, quia hoc non solum [d] ad hujus munitionem, verum etiam ad aliorum constat emendationem proficere, ut pravorum hominum præsumptio nihil de cætero contra sacrorum canonum statuta, vel ecclesiasticam disciplinam ullo modo audeat attentare.

## EPISTOLA XXXII.

AD UNIVERSOS EPISCOPOS CONCILII BIZACII.

*De Clementio ipsorum primate graviter accusato strenue ac diligenter inquirant.*

Gregorius universis episcopis concilii [a] Bizacii.

Sicut laudabile discretumque est reverentiam et honorem debitum exhibere prioribus (*Grat.* 2, *q.* 7, *c.* 46), ita rectitudinis et Dei timoris est, si qua in eis correctione indigent, **1203** nulla dissimulatione postponere, ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus invadere, si languor non fuerit curatus in capite. Ante multum siquidem temporis quædam ad nos de fratre nostro [b] Crementio primate vestro perlata sunt, quæ cor nostrum non modico mœrore transfigerent. Sed prementibus diversis tribulationibus, et maxime circumsævientibus hostibus, ea nobis non fuit spatium requirendi. Et quoniam ita sunt gravia, ut transiri indiscussa nullo modo debeant, fraternitatem vestram his hortamur affatibus, ut cum omni sollicitudine ac vivacitate veritatis indagare substantiam multis modis debeatis, ut aut si ita [c] sunt [d] ultione canonica resecentur; aut si falsa, fratris

Epist XXXI [*Al.* 34]. — [a] In Norm. et tribus Vatic., *ecclesiasticæ tuitionis.*

[b] Doclea, quibusdam vulgo *Antivari*, Samsoni autem *Catazo*, urbs episcopalis Illyrici ad Scodritanum lacum, vulgo *Lago di Scutari*. Suberat Scodritano episcopo, donec Justinianus patriam suam *Acrida*, quam Justinianam nominavit, metropolim fecit. Vide quæ de Justiniana prima diximus ad epist. 6 lib. III.

[c] In recent. Ed., *a summa injuria ad necem pene perductum*, invitis Mss. Anglic., Norm., etc.

[d] Ita optime Mss. et vet. Ed. In aliis legitur *ad hujus monitionem*. Munitio hic significat defensionem, securitatem, scilicet legitimi episcopi Docleatini.

Epist. XXXII [*Al.* 36]. — [a] In omnibus Norm., duobus Vatic., totidem Colbert. et Corb., *Visachi*. In aliis Colbert. legitur *Vitachi*, et in emendatiore *Bisaceni*. Byzacena provincia una ex septem quibus diœcesis Africana constabat. Vide epist. 59 lib. IX. De ea sæpe in Historia Vandalicæ persecutionis auctore Victore Vitensi a nostro Theod. Ruinartio edita et notis illustrata.

[b] In Vulgatis et nonnullis Mss., *Clementio* vel *Clementino*. Revolve epistolas 58 et 59 libri IX, ubi de eodem primate agitur. Legimus *Crementio* in Turon., omnibus Norm. et Colbert., tribus Vatic., Colb., etc.

[c] In recentioribus additur *ut audita sunt*, supervacue invitisque Mss. Corb., Norm., Turon., Vatic., etc.

[d] Hic quatuor annotabo : 1° canonicam dici ultionem, non arbitrariam; statas enim certasque leges adversus crimina figere oportuit, non cuivis judici permittendus fuit censuræ modus. Nam, auctore Lactantio, minister legis est, non animi, non potestatis suæ; atque adeo non sua, sed legum sententia uti debet, lib. de Ira Dei, c. 17 et 18. Notandum, 2°, ex eod. Lact., c. 17, *non exiguo falli errore qui censuram sive divinam sive humanam acerbitatis nomine infamant..... Bonorum salutem custodire qui malos punit..... Istum esse nocentem qui aut innocenti nocet, aut nocenti parcit..... Irasci rationis esse; auferuntur enim delicta et refrenatur licentia, quod utique juste*

nostri innocentia diu sub nefandæ opinionis dilacerationе non jaceat. Unde ut non quis desidiæ torpor in requisitione sit, admonemus ut non cujusquam personæ gratia, non favor, non blandimenta, vel quodlibet aliud quemquam vestrum vel ad discutiendum quæ nobis nuntiata sunt molliat, vel a tramite veritatis excutiat; sed sacerdotaliter ad investigandam vos propter Deum veritatem accingite. Nam si quis in hoc [e] aut piger esse, aut negligentem se præsumpserit exhibere, dictis criminibus apud omnipotentem Dominum se noverit esse participem, cujus zelo ad perscrutandas subtiliter nefandi causas facinoris non movetur. (*Vide epp.* 58 *et* 59, *ind.* 2.)

## EPISTOLA XXXIII.

### AD FIRMINUM EPISCOPUM ISTRIÆ.

*Gratulatur de illius ad Ecclesiæ unitatem reditu. Ut Satanæ jaculis constantiæ scutum opponat, aliosve, secum revocet, hortatur. Spondet subsidia. Paraturam mittit.*

Gregorius Firmino episcopo Istriæ.

Quem Redemptor noster de servorum suorum numero perire non patitur, ita misericordiæ suæ inspiratione cor ejus illustrat, ut, deserto erroris obscuro, ad cognitionem lucis et viam redeat veritatis. Unde, suscepta charissimæ fraternitatis tuæ epistola, magna in Domino exsultatione gaudemus [a] quod divina te gratia ad unitatem Ecclesiæ a qua pertinacium et imperitorum hominum instinctione disjunctus fueras revocavit. **1204** [b] Sed quia quanto antiquus hostis superatum se conspicit, tanto insidiari acrius non quiescit, omnino sollicitum vigilantemque te esse convenit, atque scutum constantiæ contra jacula ipsius præparare, ut illisa frangantur, et vim interius penetrandi non habeant. Nulla ergo te, charissime frater, rerum desideria, nulli terrores, nulla blandimenta, nullæ seductiones, quæ venenatis verborum sagittis animas [c] feriunt, a reversionis tuæ fervore demolliant, aut retro redire compellant, ne qui fortem superaveras, [d] graviter supereris, et captivus, quod absit, post victoriam tenearis. Sed magis ut mater Ecclesia per totum, Deo propitio, orbem diffusa, ad suum te rediisse gremium non inertem agnoscat, studiosissime tibi vigilandum ac laborandum est ut tecum possis et alios revocare, quatenus damna quæ tuæ aversionis exemplo commiseras non solum reversionis bono resarcias, sed etiam lucrum exhibeas, ut et ad promerendam præteritorum veniam, et futurorum præmia capessenda plus Domino tuo videaris revocasse quam tuleras.

Nobis ergo omnino curæ erit de fraternitatis tuæ quiete, ut dignum est, cogitare, quia postquam nobiscum jam Deo protegente unus es, non aliter utilitates tuas quam nostras attendimus. Aliqua vero nobis de necessitatibus vestris Joannes subdiaconus scripsit; sed credimus de Dei nostri potentia quia sanctus Petrus ad quem reversi estis vos deserere • non habet. Modo autem de benedictione ejusdem sancti Petri transmisimus fraternitati vestræ [f] paraturam unam, quam vos necesse est cum ea charitate qua a nobis est transmissa suscipere. [g] Mense Maio, indict. 5.

## EPISTOLA XXXIV.

### AD CIRIDANUM.

*Cum pro Sitonico id præstitum sit quod ipse jusserat, non perferendum jam ab Ecclesia illius detrimentum.*

Gregorius Ciridano.

Gloriæ vestræ dudum scripta suscepimus, in quibus indicastis sollicitudini vestræ serenissimorum principum jussione [a] curam sitonici fuisse mandatam, atque præceptum esse ut omnis tritici quantitas, **1205** quæ in horreis nostræ Ecclesiæ suscepta fuerat, vobis tradi per omnia debuisset, et scripsistis ut hoc ipsum [b] parari in specie faceremus. Quod quidem quia vestrum, cujus ad nos quidem bona tanta perlata sunt, non fuerit novimus; et scitis quam durum quamque omnino difficile sit ut res quæ nec servari, nec eo tempore ad emendum poterat inveniri, in specie restitui peteretur. Verumtamen, ut exui ab hujus rei sollicitudine valeremus, studii nostri fuit ut etsi cum majori dispendio omnino frumenta ipsa, sicut voluistis, in specie faceremus præparari. Post vero per latorem præsentium Eutychium virum magnificum, qui se illustrem præfectum esse

*sapienterque fit..... Necesse esse justo displicere quæ prava sunt..... Ergo surgendum ad vindictam, non quia læsi sumus, sed ut disciplina servetur, mores corrigantur, licentia comprimatur. Hæc est ira justa.* Pluribus idem prosequitur c. 18, profuerit legisse. Notandum 3° non episcopos modo, sed et primates censuræ canonicæ subjici. Id non obscure innuit papa Adrianus in capitulis ad Pipinum. Indico 5, 6, 14, 20, 27, etc. Notandum 4° prælatos peccantes ab inferioribus juste judicari atque damnari in synodo. Vide epist. 8 hujus libri de Victore primate. Gussanv.

[e] Recent., *aut pigrum se aut negligentem præsumpserit.*

Epist. XXXIII [*Al.* 37]. — [a] Ita Mss., et quidem melius quam Excusi, ubi legimus *quod divinitatis gratia ad unitatem Eccl..... revocavit*, omisso *te*. Vide ad calcem, in appendice, *promissionem cujusd. episc.* quem putamus fuisse Firminum.

[b] Prædicit divino Spiritu afflatus quæ paulo post Firmini constantiam exercuerunt. Vide infra, lib. xiii, epist. 33. Ad calcem epistolarum reperies formulam hujus schismatis ejurandi, quæ prius erat epistola 31 hujus libri.

[c] Ita Turon., Remig., Norm., etc., ubi Editi habent *animas inficiunt.*

[d] Excusi, *gravius a forti supereris;* optime quidem, nisi Mss. contradicerent.

[e] Norman., Corb., Vatic. A et nonnulli, *non debet.*

[f] Est vestimentum, ornatus. Tertullianus de Pallio, c. 3, *tantam igitur paraturam materiarum;* et lib. de velandis Virginibus, c. 12, *manifestæ paraturæ totam circumferunt mulieritatem.* Arnobius, in Psal. lvi, *si ergo contra paraturam dæmonum paratum cor habeas*, etc. Apud Hesychium παρατώριον. Warnefridus in Vita Caroli Magni : *Ornatus vel paratura.* Gussanv. Paratura est limbus textilis, vel ἐπίβλημα, quod apponitur vesti, ornatus causa. Matth. Paris. in Vita Richardi quindecimi abbatis sancti Albani, abbas, *duas cum paraturis brudatis.* Papias, *paramentum paratum.* Altes.

[g] In vet. Colb. legitur *mense Maio, in alio mense Aug.*

Epist. XXXIV [*Al.* 38]. — [a] De sitonico dictum lib. i, epist. 2.

[b] Ita Victor., Vatic A et Remig., in quibus solis epistolam hanc reperimus. In Excusis, *parare in species*, Gallice *en espèce.*

commemorat, aliam nobis epistolam transmisistis, ut quæ summa ejusdem sitonici ab [c] horreariis Ecclesiæ sit suscepta prodi inter acta publica debuisset. Et ideo ne per occasionem Ecclesiæ quædam cuiquam nasci videatur occasio, seu excusatio, et quantitatem, sicut scripsistis, defensores Ecclesiæ prodiderunt, et quæ putaverunt utilia petiverunt. Quod gloria vestra diligenter solliciteque pertractet, et verba eorum non negligat. Nam quidquid post hæc in prædicti sitonici specie damni contigerit, amplius jam ad Ecclesiæ dispendium sciatis nullo modo pertinere, quia nec habitatores civitatis istius, afflicti revera homines, prædictum sitonicum in suo se asserunt detrimento posse suscipere. Hæc igitur omnia gloria vestra cognoscens, ita de his quæ sibi sunt commissa, studeat cogitare, ut et utilitatem publicam faciat, et hujus operis pondus Ecclesiæ nostræ denuo ad gravamen pauperum non incumbat.

## EPISTOLA XXXV.

AD DESIDERIUM VIENNENSEM EPISCOPUM.

*Ne Pancratium diaconum suum a monastica vita revocet.*

Gregorius Desiderio episcopo in Gallia.

Pancratius lator præsentium, ut asserit, diaconus, [a] apostolorum se liminibus repræsentans', a nobis [b] noscitur petiisse ut eum fraternitati vestræ deberemus specialiter commendare. Intimavit etiam nobis quod in clericatus officio [c] vestræ sit Ecclesiæ mancipatus. Unde, divina inspiratione compunctus, gratiam monasticæ conversationis appetiit, illicque in eodem quem sumpsit habitu desiderans permanere, etiam diaconum se ejusdem monasterii factum esse commemorat. De cujus loci servitio avelli nulla patitur ratione. Nunc vero, quantum asserit, fraternitas vestra non quidem impedientis intentu, sed affectu benevolentiæ, in officio eum suæ vult Ecclesiæ revocare. Hortamur igitur ut tam promptæ devotioni ejus, quam in sancto studet habere proposito, minime vestra sit impedimento fraternitas; magis autem quibus valetis adhortationibus pastorali admonitione **1206** succendite, ut fervor hujus desiderii in eo non tepescat; ut qui, a turbulento curarum sæcularium tumultu se segregans, quietis desiderio portum monasterii appetiit, rursum in ecclesiasticarum curarum non debeat perturbationibus implicari, sed in Dei laudibus permittatur secure ab his omnibus, ut postulat, remanere.

## EPISTOLA XXXVI.

AD BONITUM DEFENSOREM.

*Monachis fugitiva mancipia sua colligentibus opem ferat.*

Gregorius [a] Bonito defensori.

Filius noster Fortunatus, abbas monasterii sancti [b] Severini, quod in hac urbe Romana situm est, latores præsentium monachos suos illic pro recolligendis mancipiis juris sui monasterii, quæ illic latitare dicuntur, dirigens, petiit ut experientiæ tuæ ei debeant adesse solatia. Eapropter præsenti tibi auctoritate præcipimus, ut eis in omnibus salva ratione concurrere ac opitulari festines, quatenus, te illic coram posito, atque in hac causa ferente solatia, salubriter hæc citius valeant quæ sibi injuncta sunt ad effectum, [c] Deo auctore, perducere.

## EPISTOLA XXXVII.

AD ROMANUM DEFENSOREM, ANTHEMIUM, ET SAVINUM SUBDIACONOS.

*Romani exprætoris homines ac possessiones commendat.*

Gregorius Romano defensori, Anthemio subdiacono, [a] et Savino subdiacono.

Ea quæ sponte præbere nos convenit petiti negare non possumus. Et ideo quia gloriosus filius noster Romanus exprætore possessiones suas et homines qui in illis sunt partibus vestræ voluit experientiæ commendari, hac vobis præceptione mandamus ut possessiones hominesque ipsius servata æquitate tueri non desinatis, atque ita in omnibus causis utilitatibusque ipsius concurrere ac solatiari studeatis, quatenus et ille se hac adjutum commendatione cognoscat, et vos salubriter [b] injuncta exhibuisse comprobemini.

## EPISTOLA XXXVIII.

AD DEUSDEDIT MEDIOLANENSEM EPISCOPUM.

*De bonis ante episcopatum acquisitis testari posse episcopum; proinde ob legatum ex decessoris illius testamento Luminosam ancillam Dei non molestandam.*

Gregorius [a] Deusdedit episcopo Mediolanensi.

Nulli dubium est (*Grat.* 12, *q.* 5, *c.* 1 *et* 12) quia sicut sacerdotibus res in episcopatu acquisitas nulla

[c] Qui horreorum curam gerunt : vox usitata apud jurisconsultos. Porro horreum est repositorium frumenti, vini, frugum, etc. Varro derivat ab hordeo, Galenus ab ὡραῖα. GUSSANV.

EPIST. XXXV [*Al.* 39]. — [a] Prudentius, in hymno sancti Laurentii : *Apostolorum et martyrum exosculantur limina.* Sanctus Paulinus, in natal. 3 sancti Felicis, *pectora liminibus sterni.* Fortunatus, lib. IV de Vita sancti Martini : *Apollinaris pretiosi limina lambe.* Concil. Cabillon. II, c. 45, *apostolorum limina vel quorumlibet sanctorum invisere.* Sanctorum basilicæ dicebantur eorum limina, quod eas uti et limina apostolorum Romæ existentia peregrini invisere solerent.

[b] Remig., *noscitur sperasse.*

[c] Vatic. D, *vestræ militaverit Ecclesiæ.* Consentit Rhem., Vatic. A et Remig., *vestræ sit Ecclesiæ militatus.*

EPIST. XXXVI [*Al.* 40]. — [a] Is esse videtur quem Joan. Diac., lib. II, cap. 53, vocat Benedictum defensorem Carseolani (in Latio) patrimonii. Quippe nulla alibi Benedicti defensoris mentio.

[b] In Vatic. A, Remig. et Victor., qui tres Codices ex omnibus quos consuluimus soli habent hanc epist., legitur *sancti Semetrii.*

[c] Remig. et San-Victor., *Deo adjutore.*

EPIST. XXXVII [*Al.* 41]. — [a] In Ms. Vatic. A omittitur *et Savino.* Solus hic Codex cum Victor. et Remig. ex omnibus quos recensuimus epistolam hanc continet.

[b] Remig. et Victor., *injunctis exhibuisse per omnia comproberis.*

EPIST. XXXVIII [*Al.* 42]. — [a] Prius legebatur *Deodato.* Sequimur omnes Vatic., Norm., Colbert., etc.

est alienandi licentia, **1207** ita de eis quas ante habuerint, quidquid judicare voluerint non vetantur. Itaque fraternitatem tuam tempore quo ad nos fuit questam esse recolimus quod quædam immobilia quæ Constantius, decessor vester, Luminosæ ancillæ Dei [b] filiæ fratris sui testamenti serie legati titulo dereliquit, jam episcopus acquisisset, decrevisseque nos ut si hoc constaret, nullum ex his Ecclesia vestra præjudicium pateretur. Quod et vos oportet recolere, et molestiam aliquam prædictæ ancillæ Dei non facere, nec ei sine cognitione de his quæ possidet quidquam auferre. Sed si hoc Ecclesiæ vestræ actores probari posse confidunt, vestris nobis epistolis indicate, ut qualiter hoc ipsum constare debeat disponamus; dummodo, cognita veritate, nec Ecclesia vestra pati præjudicium, nec illa injuste videatur affligi, quia, quantum aliqui perhibent, hoc suprascriptus decessor vester non in episcopatu, [c] sed dum adhuc esset diaconus, acquisivit. Unde necesse est ut, sicut diximus, facta probatione debeat constare quod verum est. Eamdem vero ancillam Dei fraternitati vestræ commendamus, ut a nullo eam patiatur gravari vel opprimi, ne si inquietata fuerit, ex hujus causæ occasione hoc pati, quod non decet existimetur. Et ideo si quid forte fuerit quod debeat emendari, aut [d] a plano adhortationis vestræ moderamine corrigatur, aut certe nobis subtiliter nuntietur, quatenus et vos ab invidia sitis extranei, et nos quod convenit facere nullatenus omittamus. [e] Mense Maio, indictione 5.

## EPISTOLA XXXIX.

AD FANTINUM DEFENSOREM.

*Ex Servidei diaconi hæreditate, xenodochio tradat equas decem Luminosæ ancillæ Dei quatuor.*

Gregorius Fantino defensori.

Experientiam tuam jam credimus cognovisse, dilectissimum filium nostrum [a] Servumdei diaconum, hæredem sanctam Romanam Ecclesiam, cui, Deo auctore, deservimus, reliquisse. Et quia legati titulo quatuor equarum capita Luminosæ ancillæ Dei proximæ suæ dari constituit, atque nos, petente dilectissimo filio nostro Florentino diacono, xenodochio Anichiorum, cui præesse dignoscitur, decem equarum capita [b] cum emissario suo prævidimus largiendа, hac tibi idcirco præceptione mandamus ut latori præsentium, qui ad hoc illic ex opere missus est, tam quatuor quæ legata sunt, quam decem equarum capita quas xenodochio concessimus, de equabus **1208** præfati quidem diaconi simul et emissarium sine aliqua debeas excusatione vel mora contradere.

## EPISTOLA XL.

AD VENANTIUM PATRICIUM.

*Spondet se, ubi convaluerit, facta quædam Samsonis allegorice expositurum.*

Gregorius [a] Venantio patricio Panormitano.

Desideratissimæ excellentiæ vestræ scripta suscepi, in quibus tantum de absentis collocutione gavisus sum, quantum ipsum qui locutus est semper mihi cupio esse præsentem. Vultis ergo ut quædam de Samsonis factis allegorice disserantur, sed tanta mihi debilitas corporis accidit, ut si qua subire [b] valuerim, exercere animus non assurgat. Bono autem desiderio vestro congaudeo, quia dum expositionem sacrorum verborum cupitis, quam stricte ipsum auctorem eorumdem verborum quæritis demonstratis. Si igitur vires salutis recepero, auctore omnipotente Domino vestris desideriis parebo. Oro autem ut in cunctis actibus vestris gratia vos superna custodiat, quatenus in bono opere et aspirando vos repleat, et adjuvando confortet.

## EPISTOLA XLI.

AD PANTALEONEM NOTARIUM.

*De Ecclesiarum quarumdam superstitibus tum pecuniis, tum clericis, tum rebus aliis.*

Gregorius Pantaleoni notario.

Exspectabamus ut nos experientia tua de argento Ecclesiarum, vel aliis quas invenit rebus, omnino subtiliter redderet certiores, ut ex ejus renuntiatione quod fieri debuisset deliberare minutius potuissemus. Sed non nos ita renuntiatio tua ut oportebat instruxit. Curæ ergo tuæ sit ut argentum Ecclesiarum, quod clerus et populus habet, apud quos prævideris, in [a] cimiliarchio ecclesiæ sub omni sollicitudine atque cautela deponas, atque de eodem deposito inde susceptum accipias. Argentum vero Ecclesiarum, quod pro peccatis a clero et populo destitutum est, tecum huc defer. Si forte tres aut quatuor clericos de ipsis Ecclesiis cognoveris remansisse, facta notitia, quis quomodo est, vel ubi habitat, nobis defer, ut eis, si necessarium viderimus, quid singulis annis accipere debeant, statuere valeamus. Res vero quæ vetustate perire possunt, tecum similiter defer, ut ex eis quod utile visum fuerit **1209** disponatur.

[b] In Rhemensi et in Vatic. D et E, *filiæ suæ fratribusque suis.*

[c] Hinc patet diaconos res in diaconatu acquisitas alienare potuisse. Idem de presbyteris crediderim. Non ita de episcopis, ut dictum supra. GUSSANV.

[d] Dicimus *de plano*. Unde cognitio planaria in jure, etc., id est, sine strepitu judicii. GUSSANV. In Norm. autem, consentientibus vet. Excusis, legitur, *aut plano adhortationis vestræ moderamine*, omisso *a*.

[e] Ita in tribus Vatic. et in vet. Colbert. In alio Colbert., *mense Aug.*, quod etiam lego in Excusis.

EPIST. XXXIX [*Al.* 43]. — [a] Idem esse videtur de quo libro I epist. 44, col. 536.

[b] Ita legitur sæpe in sacra Scrip., pro *admissario*, ut Eccli. XXXIII, 6; Jerem. V, 8.

EPIST. XL [*Al.* 45]. — [a] Venantium hunc alium esse ab illo patricio qui, cum esset monachus, uxorem duxerat, supra ostendimus in notis ad epist. 4 hujus libri. Confer notas Gussanvillæi in has epistolas, et miraberis viri docti incogitantiam. Quippe in nota ad epist. 4 contendit epistolam hanc loco esse motam, quia Venantius ad quem scriptam eam putat jam anno præterito e vivis sublatus fuerat. In nota autem ad hanc epist. 40, quæ Gussanvillæo est 45, hæc obvervat : *Convaluerat præter spem Venantius, ut supra monuimus.* Ecce convaluit et vivit indict. 5 qui indict. 4 obierat.

[b] Remig., *valuerint.*

EPIST. XLI [*Al.* 46.] — [a] Antea, male, *cimiliarcho*. Quid sit autem cimiliarchium, dixi ad epist. 10, nunc 20, lib. I.

Tu autem protegente Domino inventa navigii prosperitate revertere.

## EPISTOLA XLII.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Salustium admoneat ne posthac Luminoso Ecclesiæ servo sit molestus.*

Gregorius Romano defensori.

Luminosus præsentium lator violentiam se uxoremque suam a Salustio viro clarissimo asserens sustinere, huc necessitate eadem faciente venire compulsus est. Unde quia servum sanctæ Mariæ, quod est [a] parochiæ Grumentinæ, se esse asserit, necesse est ut ecclesiastica tuitione valletur. Experientia itaque tua præfato supplici ecclesiastica non desistat impertiri solatia, eumque de quo queritur admonere, quatenus se ab eorum inquietudine compescat. Si vero est quod sibi in eis rationabiliter dicat posse competere, electorum judicio terminetur, tuaque quidquid definitum fuerit exsecutione modis omnibus impleatur.

## EPISTOLA XLIII.

AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Sic exigendos ait reditus, ut neque contristentur debitores, neque Romana Ecclesia dammum sustineat.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Filii nostri [a] Paschasius vir magnificus et Plancho vir clarissimus conquesti sunt nobis sanctitatem vestram reditus qui sanctæ Romanæ Ecclesiæ debentur non alibi nisi aut in suburbano civitatis, aut in massa quæ dicitur Gelas, velle percipere. Quod ego non ita actum intelligo sicut hi qui murmurant putant. Scio enim sapientiam fraternitatis vestræ, et idcirco vos arbitror sic talia proposuisse, ut per eamdem propositionem quocunque in loco reditus utiles potuissetis accipere. Laudo, frater charissime, intentionem charitatis tantæ, et vehementer amplector, quia sic curam Ecclesiæ nostræ agitis, quæ profecto vestra est, sicut et vestræ quæ nostra est; tamen nec in suburbano, nec de massa Gelas, filii mei excellentissimi Italici et domus Venantii reditus quos promiserunt sunt petendi. Sed sive [b] in Syracusana, sine in Panormitana parte dare voluerint, ad hoc solum vestra sanctitas sit intenta, ut utiles per omnia reditus accipiat, secundum promissionem pacti vel cautionis quam misimus. Ita ergo sanctitas vestra provideat, ut neque dilecti filii mei prædicti de relictis suburbanis sibi necessariis contristentur, nec nostra Romana Ecclesia damnum aliquod vel minorem utilitatem in eorum redituum perceptione sustineat.

## 1210 EPISTOLA XLIV.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Accello, qui ab hostibus captivum Stephanum solidis octo redemerat, restituat pretium.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Stephanus, præsentium portitor, qui uxorem se Ecclesiæ nostræ ancillam habere perhibet, octo se solidis ab Accello seniore de hostibus comparatum innotuit. Et quia ad eorum restitutionem se inopem esse commemorat, experientia tua diligenter inquirat; et si ita esse cognoverit, nec habere unde suum possit pretium reddere, cum prædicto seniore ad quantum potueris ordina, et [a] pretium ei quod tibi statuerit restitue securus, quia tempore quo rationes tuas positurus adveneris, de captivorum redemptione quod dederis tibi restitui faciemus.

## EPISTOLA XLV.

AD EUGENIUM DIACONUM.

*Servis Dei egentibus duas terræ portiones ad annos triginta sex concedit.*

Gregorius Eugenio diacono.

Servi Dei monasterii quod in [a] Blerana civitate est constitutum, de terris suggesserunt necessitatem se gravissimam sustinere. Et quia talibus nos personis oportet ferre consultum, experientiæ tuæ hac auctoritate præcipimus, quatenus appendicem quæ Agellus dicitur, ex corpore massæ Gratilianæ, cum suis finibus eis debeas contradere, quod eis salvo jure Ecclesiæ nostræ in XXXVI annorum spatium concessimus habere. Sed et terrulam modiorum XXX [b] ex prædicta massa, quam pridem a nobis sibi datam possidere noscuntur, pariter in prædicto annorum spatio eos habere concedimus, quatenus tali provisione congregatio illic consistens, hujus rei valeat habere solatium. Experientia itaque tua, hujus præcepti auctoritate suffulta, prædictas terras eis tradere non moretur, ut liberiori animo in Dei laudibus valeant permanere.

EPIST. XLII [*Al.* 48.] — [a] Grumentum, urbs Lucaniæ mediterranea, vulgo nunc *Agrimente*, inquit Gussanvillæus, ex Holstenio, pag. 22. Holstenius, annot. in Ortelium, pag. 89 : *Re*, inquit, *melius expensa*, putat fuisse *Agromento* ad dextram Aciris fluvii. Sed quid Romano Syracusanarum partium in Sicilia defensori, et Agromento in Lucania? ubi Savinus defensor, indict. 3, epist. 5 et 6; hac indict. 5, epist. 21, 22, 23, 24; indict. 6, epist. 21. Sed aliquid causæ esse potuit ut, prætermisso Savino, negotium hoc Romano in vicina provincia defensori committeretur. Forte aberat Savinus aut ægrotabat. Cæterum epistola hæc in tribus tantum Codicibus nobis occurrit, scilicet in Vatic. A, Victor. et Remig., in quo nonnullas varias lectiones observavimus, sed non magni momenti; sic hoc loco pro *parochiæ Grumentinæ*, legitur *parochiæ Ecclesiæ Grumentinæ*. Tres sequentes epistolæ desiderantur quoque in omnibus Mss. nostris, si tres laudatos Codices excipias.

EPIST. XLIII [*Al.* 49]. — [a] Remig., *Paschasinus..... et Blanca.* Vatic. A et Vict., *et Blanco.*

[b] Jam supra observavimus duas fuisse in Sicilia patrimonii Eccl. Romanæ stationes in quibus census pensionesque solvebantur, sc. Syracusis et Panormi.

EPIST. XLIV [*Al.* 50]. — [a] Vatic., Remig. et Victor., *pretium ejus.* Remig. cum Vict. habet *steterit*, pro *statuerit*.

EPIST. XLV [*Al.* 51]. — [a] Blera, vulgo *Bieda*, urbs olim Tusciæ, episcopalis, nunc oppidum patrimonii sancti Petri, Sutrio et Viterbio urbibus finitimum, ad X circiter miilia passuum distans. GUSSANV.

[b] Vatic. A, *et prædictam massam quam.*

## EPISTOLA XLVI.

AD FELICEM PORTUENSEM EPISCOPUM.

*Joannem famulum donat.*

Gregorius Felici episcopo Portuensi.

Charitatis vestræ gratia provocati, ne infructuosi vobis videamur existere, præcipue cum et minus vos habere servitia noverimus, ideo Joannem juris ecclesiastici famulum, natione Sabinum, ex massa Flaviana, annorum plus minus **1211** decem et octo, quem nostra voluntate diu jam possidetis, fraternitati vestræ [a] jure directo donamus atque concedimus; ita ut eum habeatis, possideatis, atque juri proprietatique vestræ vindicetis atque defendatis, et quidquid de eo facere volueritis, quippe [b] ut dominus, ex hujus donationis jure libero potiamini arbitrio. Contra quam munificentiæ nostræ chartulam nunquam nos successoresque nostros noveris esse venturos. Hanc autem donationem a notario nostro perscriptam legimus, atque subscripsimus, tribuentes etiam, non exspectata professione vestra, quo volueritis tempore, alligandi licentiam, legitima [c] stipulatione et sponsione interposita. Actum Romæ.

## EPISTOLA XLVII.

AD VENANTIUM PERUSINUM EPISCOPUM.

*Ecclesio episcopo frigore laboranti hiemales vestes absque mora mittat.*

Gregorius Venantio episcopo Perusino.

Fratrem et coepiscopum nostrum Ecclesium frigore omnino laborare cognovimus, pro eo quod hiemalem vestem non habeat. Et quia aliquid sibi a nobis petiit debere transmitti, fraternitati tuæ ad hoc per latorem præsentium transmisimus [a] amphimalum, tunicam, vel [b] pectoralem, ut a te ei debeat sine mora transmitti. Et ideo ad prædictum fratrem nostrum sub omni illud celeritate stude transmittere, atque nobis hoc ipsum quia transmiseris tuis renuntiare epistolis non omittas, sed ita fac ut ad transmittendum, quia vehemens frigus est, moram aliquam minime facias.

## EPISTOLA XLVIII.

AD LUCIDUM LEONTINUM EPISCOPUM.

*Quem e congregatione sua Joannes abbas delegerit, ordinet pro monasterio presbyterum.*

Gregorius [a] Lucido episcopo Leontino.

Filius noster Joannes, abbas, presbyterum sibi in monasterio suo ex congregatione eadem petit ordinandum. Ideoque fraternitatem vestram præsenti auctoritate duximus adhortandam, quatenus virum quem vobis de congregatione sua [b] ad ordinationem presbyterii obtulerit consecrandum, de eo, sicut est consuetudinis, quæque sunt discutienda subtiliter perquiratis; et si nihil in eo repertum fuerit quod ei possit obviare, canonice, sicut moris est, consecretis. Nihil ei aliud privilegii concedentes, nisi ut in congregatione sua **1212** quoties opportunum fuerit, sacra missarum debeat tantummodo celebrare mysteria. [c] Mense Augusto, indictione 5.

## EPISTOLA XLIX.

AD ROMANUM DEFENSOREM.

*Palatii urbis Romæ ministris annonam ab imperatore concessam postulantibus apud Leontium faveat.*

Gregorius Romano defensori.

Qualem necessitatem diversa officia palatii urbis Romæ [a] de annonis suis sustineant, experientiam tuam credimus non latere. Et ideo quia latores præsentium vice sua illuc omnes elegerunt transmittere, ut apud filium nostrum gloriosum Leontium agere debeant, qualiter ipsæ eis annonæ, sicut a serenissimis principibus largitæ sunt, deputentur impendi, et in hac re etiam sibi petiverunt experientiam tuam debere concurrere, eapropter, quia hoc et etiam illis non petentibus eorum exigit paupertas ac necessitas impertiri, dum aptum opportunumque esse conspexeris, eis de quibus valueris, studii tui sit ita præbere solatia, quatenus hoc quod illis clementissimi principes pietate sibi ingenita concesserunt, et illi consequi valeant, et tu indisertus non videaris existere.

## EPISTOLA L.

AD EULOGIUM ALEXANDRINUM PATRIARCHAM.

*A Monophysitarum errore conversos commendat.*

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.

Latores præsentium Siciliam venientes [a] a Mono-

EPIST. XLVI [*Al.* 52]. — [a] Donatio directa est quæ fit inter vivos, quia directo, id est recta et statim, transfert dominium in donatarium. Papias : *Directum, eo quod in rectum vadat.* ALTESERRA.

[b] Vatic. A et D, Pratellensis, et uterque Rhem., *ut Dominus ex hac donatione jure perfectus, libero potiaris arbitrio.*

[c] Stipulatio unde dicta sit, a stipe, an a stipite, quod ut stipes, firma sit, disceptant Grammatici et Jurisconsulti.

EPIST. XLVII [*Al.* 53]. — [a] Græcis legitur, ἀμφίμαλλον. Erat vestis utrinque villosa, quæ tunicæ superponebatur; hinc sanctus Martinus, referente Sulpicio Sev., dialogo 2, c. 1, *intra amphibalum sibi tunicam latenter eduxit.* Idem enim est *amphimalum*, ac *amphibalum*, quod a Latinis frequentius usurpatur. Vide Paulinum, lib. IV de Vita sancti Martini; Gregorium Turonensem, de Gloria Confessorum, c. 59; Fortunatum, lib. III, vers. 19. Utitur et hac voce sanctus Remigius in testamento apud Flodoardum, lib. I, c. 18 : *Futuro episcopo successori meo amphibalum album paschalem relinquo.* Caputium habuisse annexum probat Cangius, quem consule.

[b] Vatic. A, *vel pectorale ut ante ei.*

EPIST. XLVIII [*Al.* 54.] — [a] Ita Turon., Norm., Anglic. et unus ex Colbert. In Vatic. A, *Lucillo.* In Tellerianis et nonnullis, *Leuntinis.*

[b] Ita habent Mss. Norman., Turon., Vatic., non *presbyteri*, ut prius legebatur in Edit. Gussanv. et aliis.

[c] In duobus Teller., *mense Maio, indict.* V. Consentiunt quidam Vaticani Codices. Melius legitur in Vatic. 3, *mense Aug.* Nam in omnibus pene Codicibus hæc epistola est in fine libri duodecimi. Sic in Norm. penultima exstat. Quid efficacius ad probandum scriptam fuisse desinente indict. 5, quæ scilicet absolvi debuit *mense Septemb.* ineunte.

EPIST. XLIX [*Al.* 22, *ind.* 7]. — [a] Vatic. A, *de Antoninis filiis.* Pessimam hanc lectionem esse convincit epistolæ series. Per officia de annonis suis sollicita intelligendi sunt qui officia gerebant.

EPIST. L [*Al.* 55]. — [a] De Monophysitis supra, epist. 64 lib. IX, nunc 67 lib. XI. Erant propago Nestorianorum et Severianorum. GUSSANV.

physitarum errore conversi sunt, atque sanctæ universali Ecclesiæ semetipsos adunaverunt. Qui ad beati Petri apostolorum principis ecclesiam pertendentes, poposcerunt a me ut eos meis epistolis vestræ beatitudini commendare debuissem, quatenus ab hæreticis qui juxta ipsos sunt nullam jam violentiam perpeti permittantur. Et quia unus eorum dicit monasterium in quo fuit a parentibus suis fuisse constructum, auctoritatem desiderat a sanctitate A vestra percipere ut hi qui in eo sunt hæretici, aut ad sinum sanctæ Ecclesiæ redeant, aut de eodem monasterio repellantur. Hæc a nobis indicata vobis esse sufficiant; nam de vestra beatitudine novimus quia quidquid ad zelum Dei omnipotentis pertinet, cum omni facere fervore festinet. Pro me vero ut oretis peto, quia inter gladios Langobardorum quos sustineo podagræ doloribus vehementer affligor.

# LIBER DECIMUS TERTIUS.

## Indictione VI, anno ab ejus ordinatione XIII.

### 1213 EPISTOLA PRIMA.

AD ROMANOS CIVES.

*Non custodiendum juxta litteram Sabbati diem. Corpus Dominico die necessitatis causa lavari posse.*

Gregorius [a] servus servorum Dei dilectissimis filiis suis Romanis civibus.

Pervenit ad me quosdam perversi spiritus homines, prava inter vos aliqua et sanctæ fidei adversa seminasse, ita ut in die Sabbati aliquid operari prohiberent. Quos quid aliud nisi Antichristi prædicatores dixerim? Qui veniens, diem Sabbatum atque Dominicum ab omni faciet opere custodiri. Quia enim mori se et resurgere simulat, haberi in veneratione vult diem Dominicum; et quia judaizare populum compellit ut exteriorem ritum legis revocet, et sibi Judæorum perfidiam subdat, coli vult Sabbatum.

Hoc enim quod per prophetam dicitur: *Ne inferatis onera per portas vestras die Sabbati* (*Jerem.* XVII, 24), tandiu teneri potuit, quamdiu legem licuit juxta litteram custodiri. At postquam gratia omnipotentis Dei Domini nostri Jesu Christi apparuit, præcepta legis quæ per figuram dicta sunt juxta litteram servari non possunt. Nam si quis dicit hoc de Sabbato esse servandum, dicat necesse est etiam carnalia sacrificia persolvenda, dicat præceptum quoque de circumcisione corporis adhuc usque retinendum. Sed contra se Paulum apostolum audiat dicentem: *Si circumcidamini*, *Christus vobis nihil prodest* (*Galat.* V, 2).

Nos itaque hoc quod de Sabbato scriptum est, **1214** spiritaliter accipimus, spiritaliter tenemus. Sabbatum enim requies dicitur. Verum autem Sab- B batum ipsum redemptorem nostrum Jesum Christum Dominum habemus. Et qui lucem fidei ejus agnoscit, si peccata concupiscentiæ ad mentem per oculos trahit, in die Sabbati onera per portas introducit. Non ergo in die Sabbati per portas introducimus onera, si, in Redemptoris nostri gratia constituti, pondera peccati ad animam per sensus corporeos non trahamus. Nam idem Dominus ac redemptor noster multa in die Sabbati legitur operatus, ita ut Judæos reprehenderet, dicens: *Quis vestrum bovem aut asinum suum non solvit in die Sabbati, et ducit adaquare* (*Luc.* XIV, 5)? Si ergo ipsa per se Veritas non custodiri juxta litteram Sabbatum præcepit, quisquis otium Sabbati secundum legis litteram custodit, cui alteri nisi ipsi Veritati contradicit?

C Aliud quoque ad me perlatum est, vobis a perversis hominibus esse prædicatum, [b] ut Dominicorum die nullus debeat lavari. Et quidem si pro luxu animi atque voluptate quis lavari appetit, hoc fieri nec reliquo quolibet die concedimus. Si autem pro necessitate corporis, hoc nec Dominicorum die prohibemus. Scriptum quippe est: *Nemo carnem suam odio habuit, sed nutrit et fovet eam* (*Ephes.* V, 29). Et rursum scriptum est: *Carnis curam ne feceritis in concupiscentiis* (*Rom.* XIII, 14). Qui igitur carnis curam in concupiscentiis fieri prohibet, profecto in necessitatibus concedit. Nam si Dominicorum die corpus lavare peccatum est, lavari ergo die eodem nec facies debet. Si autem hoc in corporis parte conceditur, cur hoc exigente necessitate toti corpori negatur? D Dominicorum vero die [c] a labore terreno **1215** cessandum est, atque omni modo orationibus insisten-

LIBER XIII. *Al.* LIBER XI.

EPIST. I [*Al.* 3]. — [a] In recent. legitur, *Gregorius gratia Dei episcopus*, *dilectissimis*, etc. Unde occasionem captat Gussanvillæus epistolam hanc pene rejiciendi tanquam adulterinam. *Tota epistola*, inquit, *alterius omnino videtur esse quam Gregorii.* At cur ita videatur, nullam rationem profert. Certe aliter de illa sentimus; redolet enim stylum Gregorianum, et in omnibus pene Mss. habetur. Quod spectat ad inscriptionem hanc, *Gregorius*, *gratia Dei episcopus*, abest ab omnibus Norm., Colbertinis ac plerisque Mss., necnon a vet. Ed. Sane insolens est hic titulus in Gregorii epistolis, unde in ipso abjiciendo non hæsitavimus.

[b] Si Gussanvillæo credimus, *constat ex hac epistola non fuisse tunc morem apud Romanos lavari die Dominico.* Addit inde scrupulum quibusdam injectum de responsione sancti Gregorii ad interrogat. decimam Augustini olim, lib. XII, epist. 31, nunc 64, libri XI. Vanus profecto scrupulus, et a viri prudentis mente procul abigendus. Sane potius constat ex hac epistola tunc moris fuisse apud Romanos lavari etiam die Dominico. Adversus consuetudinem hanc *a perversis hominibus esse prædicatum*, docet nos Gregorius. At eorum inscitiam et errorem statim redarguit.

[c] Ut Christiani vacent orationi, lectioni, conventumque celebrent in ecclesia publicum, ubi divina sacraque fiunt. Id quidem naturali juri congruum, Mosaicæ legis jure, pro sabbatis expressum. In lege nova non statim, ut quidam existimant, præceptum

dum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur.

Hæc, filii charissimi, certa constantia et recta præditi fide custodite, stultorum hominum verba despicite, et omnia quæ ab eis dici cognoscitis nolite facile credere; sed in rationis trutina pensate, ut dum erroris vento forti stabilitate resistitis, ad solida cœlestis regni gaudia pervenire valeatis [d]. (*Joan. Diac., lib.* IV, *c.* 52.)

## EPISTOLA II.

### AD ADEODATUM ABBATEM.

*Illius monasterio Craterense unit.*

Gregorius Adeodato abbati Neapolitano.

Quantum bene dispositæ fratrum congregationi animus noster ex interni desiderii intentione congaudet, [a] tantum ex destitutis et pene in desolatione positis fratribus monasterii sancti Marcellini, ut pastoralis sollicitudinis eis citius cura subveniat, vehementi mœrore concutitur.

Monachi siquidem monasterii, quod Crateras dicitur, Neapolitanæ urbi e vicino fundati, porrecta nos petitione informasse noscuntur locum ipsum ita pene funditus servorum Dei obsequiis destitutum, ut vix illic remanserint qui ipsius solummodo valeant esse custodes. Ob quam rem lacrymabiliter supplicantes a nobis poposcisse noscuntur ut monasterio vestro ipsum unire monasterium deberemus, quatenus per sollicitudinem tuam, et deinceps succedentibus aliis, locus ipse auctore Deo regulari valeat ordinatione disponi. Sed dum huic rei frater et coepiscopus noster Basilius Capuanæ Ecclesiæ præsens fuisset inventus, exstitit valde contrarius, asserens locum ipsum olim [b] monasterio alii diœcesis suæ fuisse conjunctum, et idcirco minime in alterius Ecclesiæ jus debere contradi. Contra quam objectionem Neapolitanæ rursus clerus Ecclesiæ multo esse aliter quam dicebatur oppositis allegationibus replicabat, quibus diversa sentientibus ne constituere quidquam dubie videremur, deputatis cognitoribus instituimus inter eos esse judicium. Quibus renuntiantibus, manifesta ratione comperimus fratrem et coepiscopum nostrum Basilium nullum in prædicto Craterensi monasterio jus habere. Quo cognito, monachis pia poscentibus necessario duximus præbere consensum. Præsentis itaque præcepti nostri auctoritate idem Craterense monasterium cellæ vestræ constituimus uniendum. Hoc præcipue commonentes, ut locus ipse ita cum divino solatio per vos deinceps debeat ordinari, quatenus, dum ab hoste licuerit, deputati a vobis illic monachi debeant jugiter in Dei laudibus permanere, perturbationis vero tempore intra urbem in cellam quippe propriam revocari. Res vero omnes eidem monasterio **1216** competentes, diligenti volumus cura perquiri atque recolligi, easque, ut tibi visum fuerit, apte disponi. Nihilque quod eidem monasterio competit a quoquam detineri permittas, sed omnia in jus cellæ, quippe jam tuæ, reformare non negligas, ut, cunctis salubri ordinatione dispositis, quæ Deo placita nostra sunt auctoritate suffulta perpetuis maneant inconvulsa temporibus.

## EPISTOLA III.

### AD ADEODATUM MONACHUM.

*Permittit donationem ante susceptum monachatum verbo factam scriptis consignari et firmam haberi*

Gregorius Adeodato servo Dei.

Effectum justa postulantibus indulgere, et vigor æquitatis et ordo exigit rationis, præsertim quando petentium voluntatem et pietas adjuvat, et veritas non relinquit. Quia igitur priusquam in [a] monasterio sancti Adriani ubi es conversus, intrares, rerumque tuarum illic donationem emitteres, et domos et hortos intra civitatem, seu terras sationales, vel vineas in fundo, sicut nos docuisti, Carsiniano, pariter et portiones tuas in fundo Fulloniaco, vel ex aliquibus mancipiis tuis quibus a te concessa libertas est, verbo largitus es; ipsaque donatio licet possit jure subsistere, præcipue in hoc quod ab illis tribuitur qui, cum pompis suis sæculum relinquentes, ad Dei se eligunt conferre servitium, quoniam tamen, ne quid futurum tempus oblivionis nubilo huic derogare quidquam valeat largitati, scripturæ hoc desideras tradere monumentis, quod ut queat robustum existere a nobis tibi poscis dari licentiam; idcirco hujus præcepti nostri pagina, liberam tibi hoc fa-

canone Ecclesiæ, non imperatorum voluntate sanci- tum. Ex Justino, Tertulliano, Athanasio, liquet Christianis solitum convenire, sive synaxes agere die solis, quam Dominicam dicimus, extra quam diem vix sacra fuisse facta innuit idem Athanasius, Apolog. 2, ubi de poculo fracto. De feriatione ab operibus ea die primus edixit Constantinus circa medium quarti sæculi. En legem relatam in Cod., tit. *de feriis*: *Omnes judices urbanæque plebes, et cunctarum artium officia, venerabili die solis quiescant. Ruri tamen positi agrorum culturæ libere licenterque inserviant, quoniam frequenter evenit ut non aptius alio die frumenta sulcis, aut vineæ scrobibus mandentur, ne occasione momenti pereat commoditas cœli provisione concessa.* Alii imperatores non tam de opere quam de judiciis statuerunt; sic Theodosius, *ut in die Dominico emancipare ac manumittere liceat, reliquæ causæ vel lites quiescant.* Prohibent tamen spectacula et voluptates obscœnas. In Galliis sexto sæculo plures canones ea de re promulgati sunt, et a nostris regibus in rem judicatam missi. Indico Aurelian. III, c. 28, an. 538; refertur in Vernensi, c. 14, an. 755; Antissiod., c. 16, an. 578; Matiscon. II, c. 1, an. 585; Narbon., c. 4, an. 589; in septimo sæculo, Cabill., c. 18, an. 650; in capitul. Aquisgran., c. 81, an. 789; in Arelat. VI, c. 16, an. 813; Rhemensi, c. 35, an. 813; Paris. VI, c. 1, fuse, an. 829. GUSSANV.

[d] Ex Colbertinis unus et Vatic. F. habent, *mense Septembri, indict.* 6. In Vatic. A. vero legitur *mense Februario.*

EPIST. II [*Al.* 4]. — [a] Norman., *tantum,.... in desolatione positis vehementi mœrore concutitur*, cæteris omissis. Lectionem hanc prætulerunt vet. Edit. Alia lectio est Vaticanorum saltem quatuor.

[b] Recent., *monasterio alio*, quæ lectio tum Mss. consensu, tum grammaticæ legibus reprobatur.

EPIST. III [*Al.* 5]. — [a] Unum fuit ex sex monasteriis quæ Gregorius adhuc prætor urbanus in Sicilia ædificaverat, de quibus consule Annales Bened. Mabillonii, lib. VI, p. 164. Fundi Fulloniaci fit mentio lib. I, epist. 9.

ciendi concedimus facultatem, quatenus dum omnia a te fuerint diligenter expressa, et designatione tua noverint esse quod suum est, quod cunctis modo commune est, et ipsi sine contentione donata possideant, et voluntas tua quid ad quem pertinere voluerit esse non possit ambigua. Quidquid enim hujusmodi scriptura interveniente feceris firmum stabileque et ex rei ipsius veritate et hac nostra auctoritate non dubites, quippe qui non novum aliquid facere [b] quod lege est vetitum, sed dudum factum videris exprimere, et salubriter amputandi causa litigii litterarum memoriæ servanda deponere.

## EPISTOLA IV.

### AD JANUARIUM CARALITANUM EPISCOPUM.

*Desideriæ abbatissæ et Joannis abbatis contentionem, adhibitis episcopis duobus, finiat.*

Gregorius Januario episcopo Caralis.

Quando inter religiosas personas de terrenis rebus controversia nascitur, ita sacerdotali est sollicitudine finienda, ut crescere non possit **1217** ex mora contentio. Desideria siquidem abbatissa, latrix præsentium, huc veniens questa est [a] substantiam parentum suorum, pariter et germani sui sibi rationabiliter competentem, a Joanne abbate indebite detineri. Et quia eamdem causam interveniente petit judicio terminari, fraternitas vestra, adhibitis sibi Innocentio atque Libertino fratribus et coepiscopis nostris, cum eis negotii hujus qualitatem diligenter examinet, et pari consilio communique tractatu ita se in definiendo ex omni latere festinet exhibere sollicitam, quatenus et ipsa omni invidia favoris ac negligentiæ careat, et inter illos post definitionem vestram aliquod non possit litigium remanare. [b] Si vero aliqua ex lege vobis ad proferendam sententiam fuerit nata dubietas, sapientem virum, et quem nostis Dei timorem habere præ oculis, requirite, ut, ab eo quid sit legitimum informati, nullam reprehensionem vestræ definitionis valeat calculus sustinere. [c] Mense Novembri, indict. 6.

## EPISTOLA V.

### AD ETHERIUM EPISCOPUM LUGDUNENSEM.

*Qua ratione providendum sit cum episcopus in infirmitatem incidit et officio suo fungi non potest.*

Gregorius Etherio episcopo.

Quamvis triste sit nobis valde quod loquimur, atque [a] fraterna nos compassione flere potius urgeat quam aliquid de auditis definire permittat, suscepti tamen sollicitudo regiminis cor nostrum instanti pulsat aculeo magna nos Ecclesiis cura prospicere, [b] et antequam earum possit utilitas deperire quod fieri debeat, Deo auctore, disponere. Pervenit igitur ad nos, quibusdam referentibus, quemdam episcopum ita passionem capitis incurrisse, ut quid mente alienata agere soleat, gemitus et fletus audire sit. Ne ergo languente pastore grex, quod absit, insidiatoris laniandus dentibus exponatur, vel Ecclesiæ ipsius utilitates depereant, cauta nos necesse est provisione tractare. Et ideo quia vivente episcopo quem ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, [c] alium loco ejus, nisi recusante eo, [d] nulla sinit ratio ordinari, si intervalla ægritudinis **1218** habere est solitus, ipse data petitione [e] non se ulterius ad hoc ministerium, intellectualia nempe officia subvertente infirmitate, posse fateatur assurgere, et alium loco suo expetat ordinandum. Quo facto, omnium solemniter electione alter qui dignus fuerit episcopus consecretur; sic tamen ut quousque eumdem episcopum in hoc sæculo vita tenuerit, [f] sumptus ei debiti de eadem Ecclesia ministrentur. Enimvero si nullo tempore ad sanæ redit mentis officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque

[b] Indicat, ni fallor, novellam Justiniani 5, cujus breve insertum est Cod., lib. I, tit. 2, post legem 13. Porro in ista lege 13 fit mentio delagati *sine scripta voluntate derelicti*; vique istius legis, si Alciato credimus, quælibet persona, etiam Deo dedicata, habebat liberam testamenti factionem, poteratque bona sua relinquere cui libebat. Id autem correxit novella sequens. Ergo, inquam ego, ineunte sexto sæculo, liberum erat monachis testari, et bona sua cuicunque vellent legare. Vide authenticam *Si qua mulier*, caus. 19, q. 3, relatam. GUSSANV.

EPIST. IV [*Al.* 6]. — [a] Videtur abbatissa adire hæreditatem parentum suorum, fratrisque germani. Ita multis in locis. Jure Romano nihil interest sintne sæculares, an regulares, Cod. *de episcopis et cleric.*, lege 56, *Deo nobis*, § 1. Monasterium autem adit hæreditatem loco filii. Jure pontificio excipiuntur qui professi sunt regulam sancti Francisci, ut videre est in Clement. *Exivi*, § *Cum enim*, tit. *de verb. signif.* Jure Gallico nec monachi, nec monachæ succedunt, hancque consuetudinem sex rationibus stabiliunt juriconsulti, quas enumerare longum foret. GUSSANV. Hæc pugnant contra regulam sancti Benedicti, c. 59, et passim, cujus consule interpretes et commentatores. Vide Concord. Regul. pag. 995.

[b] In judiciis ecclesiasticis legum civilium usus est. GUSSANV.

[c] Nullis in Mss. id nobis occurrit.

EPIST. V [*Al.* 7]. — [a] Recent., *fraterna nos compassio flere.*

[b] In iisdem, *et ne qua earum possit utilitas.*

[c] Ita quinque Vatic., Norm. omnes Rhem., etc., et vet. Excusi, optimo quidem sensu, nam *nisi recusante eo* idem est ac nisi eo episcopale munus abdicante. Recentiores Editores sic locum hunc mutaverunt *alium loco ejus*, *recusante eo*, omnino in contrariam significationem.

[d] Ob crimen episcopus deponitur invitus; ob infirmitatem non deponitur, nisi ipse velit; lib. XI, epist. 47.

[e] Vulgati, *non se ulterius ad hoc ministerium intellectum habere, nec ad alia officia, subvertente.*

[f] De pensionibus, vide Thomassinum, part. III, l. II, c. 29, 30, 31. Istas pensiones bis in conc. Chalced. probatas fuisse scimus in gratiam Domni, Bassiani, Stephani; ut tamen tuta conscientia exigantur, multa cautione opus est, nec consuetudo excusat. De earum usu legitimo plura dicerem, nisi præoccupasset auctor dissertationis Gallicæ de pensionibus, quam an. 1671 edidit approbatione privilegioque munitam. Videtur certe pag. 158 paulo austerior adversus veteranos, qui emeritis XXX, XL, L annorum stipendiis missionem obtinent, retenta pensione in subsidium præsidiumque senectutis; cum tamen pag. 197 non obscure probet in comitiis cleri Gallicani decerni gratiose pensiones in usum nonnullorum; an justitiæ, an eleemosynæ titulo? nam de bonis pauperum largitas ista est. At at, quod dictum est dictum nolo. Nam, ut refert non semel sanctus Augustinus, *plerisque quod volunt sanctum est.* Partim ex GUSSANV.

de animarum utilitate cogitare, inquietos [g] sub disciplinæ vinculo restringere, ecclesiasticarum rerum curam gerere, et maturum atque efficacem se in omnibus exhibere. Qui etiamsi episcopo, qui nunc ægrotat, superstes exstiterit, loco ejus debeat consecrari.

Ordinationes vero presbyterorum vel diaconorum, seu alterius ordinis, si fieri in eadem Ecclesia causa poposcerit, fraternitati tuæ [h] noveris reservandum [i] quatenus, si tuæ est diœceseos, de ejus qui ad hoc eligitur vita, moribus actuque perquiras. Et si placuerit, nec est quod in eo canonicæ districtionis judicium reprehendat, ad destinatum ordinem non aliter nisi te ordinante perveniat. Ita ergo fraternitas tua faciat, atque hæc vigilanti providentia disponat, ut nec Dei Ecclesia neglectum ulterius habeat, et consacerdotes suos non solum verbo, sed etiam exemplo locorum venerabilium curam laudabiliter habere commoneat.

## EPISTOLA VI.

### AD BRUNICHILDEM FRANCORUM REGINAM.

*De privilegiis monasterio et xenodochio concessis, legatis ejus auditis, Menna episcopo absoluto. De episcopo qui capitis infirmitate laborabat. De digamo non ordinando. Missurum se in Gallias qui synodo interesit. Privilegia quæ mittit actis publicis inserenda.*

Gregorius Brunichildæ reginæ Francorum.

[a] Inter alia bona hoc apud vos præ cæteris tenet principatum, quod in mediis hujus mundi fluctibus, qui regentis animos turbulenta solent vexatione **1219** confundere, ita cor ad divini cultus amorem et venerabilium locorum disponendam [b] quietem reducitis, ac si nulla vos alia cura sollicitet. Unde quia hujusmodi præpositorum actio subjectorum magna solet esse munitio, præ aliis gentibus gentem Francorum asserimus felicem, quæ sic bonis omnibus præditam meruit habere reginam.

Epistolis autem vestris indicantibus agnoscentes [c] ecclesiam vos sancti Martini in suburbano Augustodunensi, atque [d] monasterium ancillarum Dei, necnon et [e] xenodochium in urbe eadem construxisse, valde lætati sumus, et gratias omnipotenti Deo retulimus, qui cordis vestri sinceritatem ad hæc operanda compungit. Qua de re ut et nos bonis vestris in aliquo participes haberemur, privilegia locis ipsis pro quiete et munitione illic degentium, sicut voluistis, indulsimus, nec excellentiæ vestræ amplectenda nobis desideria vel ad modicum differre pertulimus.

Paterna præterea charitate salutationis præmittentes alloquium, indicamus illustribus filiis nostris, vestræ vero excellentiæ famulis ac legatis Burgoaldo et [f] Varmaricario, nostrum nos secundum vestra scripta præbuisse secretum. Qui omnia quæ sibi injuncta [g] dixerunt, subtili nobis insinuatione resedisse noscuntur. De quibus curæ nobis erit sequenti tempore excellentiæ vestræ quid actum fuerit indicare. Nam nos quidquid possibile, quidquid est utile, et ad ordinandam pacem inter vos et rempublicam pertinet, summa, Deo auctore, cupimus devotione compleri.

[h] Mennam vero (*Grat.*, 2, *q.* 5, *c.* 7), reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum, postquam, ea quæ de eo dicta fuerant requirentes, in nullo invenimus esse culpabilem, qui, insuper, ad sacratissimum corpus beati Petri apostoli sub jurejurando satisfaciens, ab his quæ objecta ejus opinioni fuerant se demonstravit alienum, reverti illuc purgatum absolutumque permisimus, quia sicut dignum erat ut, si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonice puniremus, ita dignum non fuit ut eum adjuvante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus.

De quodam autem episcopo, quem capitis infirmitas, sicut nobis prædicti magnifici viri dixerunt, administrare suum non sinit officium, fratri coepiscopoque nostro Etherio scripsimus, ut si intervalla ejusdem infirmitatis habuerit, data petitione ad implendum se locum suum profiteatur non posse sufficere, sed alium Ecclesiæ suæ postulet ordinandum, quia vivente episcopo, quem ab administratione officii sui non culpa, sed ægritudo subducit, alium loco ipsius sacri nullo modo permittunt canones ordinari. Si vero nullo tempore ad mentis sanæ redit officium, quæri persona debet vita et moribus decorata, quæ et animarum curam gerere, et ejusdem Ecclesiæ causas utilitatesque salubri valeat ordinatione disponere, [i] talisque sit ut si superstes exstiterit, ejus

[g] Vatic. A, *sub disciplinæ vindicta.*

[h] Tres Vatic., *noverit reservandum.*

[i] Optime in Vatic. F, *quatenus sicut tuæ est diœceseos.*

Epist. VI [*Al.* 8]. — [a] Hic non conveniunt Mss. In Vatic. A legitur, *inter varia quæ de vobis nuntiantur bona, hoc.* Brevius in Vatic. B, *inter omnia hoc.* In Vatic. D et Rhem., *inter cætera hoc.* In Vatic E et F, ac Remig., *inter quæ hoc apud vos.* In Norm., *inter reliqua hoc.*

[b] Vatic. B, *quietem radicitus adhibetis.*

[c] Monasterium erat quod hactenus perseverat sub regula sancti Benedicti ac sancti Mauri congregatione. De hoc monasterio consule Mabill. Annal. Benedict., lib. VII, pag. 195, et sæpius alibi, ut docebunt indices.

[d] Cœnobium est sanctæ Mariæ nunc vulgo dictum sancti Joannis majoris, cujus Parthenonis abbatissa fuit Thalassia. Vide infra, epist. 9, et Annales Benedict., lib. VII, pag. 204.

[e] Cujus curam habebant monachi sub abbate Senatore. Nunc monasterium est Virginum ab octingentis annis sub sancti Andochii patrocinio.

[f] Turon., Corb. et Norm., *Varmario.*

[g] Editi, *dixeratis.*

[b] Ille ipse est Mennas Telesinus in Campania episcopus, qui, apud Gregorium accusatus, eoque jubente, epist. 113 lib. IX. Romam reversus, examinata diligentius causa, tandem purgatus in Galliam remittitur. Neque enim Mennas Telon. in Gallia episcopus apud Romanum pontif., sed apud Virgilium Arelat. metropolitanum suum, imo apostolicæ sedis vicarium, accusatus fuisset. Lib. V, epist. 54. De purgationis modo supra, lib. II, epist. 33; lib. VII, epist. 18, et alibi.

[i] Excusi, *talisque, si superstes exstiterit.*

possit loco succedere. Sed et si qui sunt in sacrum ordinem, **1220** vel ad clericatus ministerium promovendi, antefato reverendissimo fratri nostro Etherio, si tamen ipsius est diœceseos, reservandum nuntiandumque decrevimus, ut inde habita inquisitione, si nulli culpæ quam sacri canones insequuntur subjecti sunt, ipse eos debeat ordinare. Excellentiæ ergo vestræ cura nostræ se dispositioni conjungat, quatenus nec Ecclesiæ utilitates, [k] quarum vobis maximus amor est, pereant, et bonis excellentiæ vestræ mercedis augmenta succrescant.

Similiter vero de quodam bigamo requisiti, an ad sacrum ordinem potuisset accedere, juxta canonicam regulam omnino vetuimus. Absit enim ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra ecclesiasticum institutum fieri permittatis.

Præfati autem viri magnifici filii nostri, dato capitulari, inter cætera petierunt, quod sibi ex vestra perhibuere jussione mandatum, ut talis debeat a nobis in Gallias persona transmitti, quæ, facta synodo, cuncta quæ contra sacratissimos canones perpetrantur omnipotente Deo possit auctore corrigere. In qua re gloriæ vestræ curam cognovimus, quam de vita animæ, et de regni vestri soliditate cogitatis, quia Redemptorem nostrum formidantes, ejusque in omnibus præcepta servantes, et hic agitis ut diu regni vestri gubernacula subsistant, et post longa annorum curricula vos quoque de terreno regno ad regnum cœleste transeatis. Apto autem tempore, si Deo dictum placuerit, veneranda excellentiæ vestræ desideria implere curabimus.

Nos itaque pro munitione locorum de quibus excellentia vestra scripsit, omnia, sicut voluit, sancire studuimus. Sed ne fortasse ab eorum locorum præpositis eadem decreta nostra quocunque tempore supprimantur, pro eo quod eis quædam interdicta esse noscuntur, hæc eadem constitutio gestis est publicis inserenda, quatenus sicut in nostris, ita quoque in regalibus scriniis teneatur.

Omnipotens Deus excellentiam vestram in suo semper timore custodiat, [m] atque ita vestra vota et filiorum excellentissimorum regum nepotum vestrorum, intercedente beato Petro apostolorum principe, cui eos commendatis, adimpleat, ut stabile vobis gaudium de eorum semper incolumitate, sicut cupitis, habere, concedat. [n] Datum mense Novembris, indict. 6.

[k] Excusi, *quarum nobis.*

[l] Oborta tunc in regno civilia bella obstiterunt ne Gregorii legatus adveniret, nec nisi post xxx circiter annos celebrata fuit illa synodus quam in Galliis adversus simoniacos, neophytorum ordinationes, aliasve corruptelas cogi ardentibus votis peroptabat sanctissimus pontifex, ut ostendunt tot ab illo in hanc rem scriptæ ad principes et prælatos auctoritate præcipuos epistolæ, lib. IX, 106, et seqq. ad 110; lib. XI, epist. 55, 57, 59, 60, 61, 68, 69.

[m] Excusi, *ita vestra vota, in filiorum... cui eos commendatis, suspitate adimpleat.*

[n] In solis Colbertinis hanc temporis notam observavimus.

## EPISTOLA VII.

AD THEODERICUM FRANCORUM REGEM.

*Pietatem regis ac prudentiam laudat. Agit de privilegiis iisdem, de illius legatis, de pace cum imperatore stabilienda.*

Gregorius Theoderico regi Francorum.

Scriptorum vestrorum eloquia incolumitatem vestram signantia læti suscepimus, ex quibus ita transcendere vos prudentia ætatem agnovimus, **1221** ut evidenter appareat pro gentis Francorum felicitate excellentiæ vestræ potestatis regiæ gubernacula supernæ gratiæ favore fuisse commissa. Inter quæ hoc quoque in vobis satis laudabile mirandumque est, quod in his quæ filiam nostram præcellentissimam aviam vestram pro omnipotentis Dei amore desiderare cognoscitis juvare sic studiosissime festinatis, ut per hoc [a] et hic feliciter, et in futura vita regnum cum angelis teneatis. Quia ergo hoc Deo donante ex magna venit discretione judicii, ita omnia quæ excellentia vestra voluit citius ac libenter implevimus, ut quantum nobis bona vestra placuerint effectus nostri celeritate monstraremus.

Salutantes præterea vos paterna dulcedine, indicamus, omnia quæ viris illustribus famulis vestris Burgoaldo et Varmaricario filiis nostris apud nos agenda mandastis facta nobis fuisse habito secreto colloquio manifesta. Et valde laudavimus, quia et præsentia sapienter, sicut decet, attenditis, et sic munire futura sempiternæ pacis interventu inter vos et rempublicam festinatis, [b] ut, unum facti, regni vestri firmitatem in perpetuum salubriter extendatis. De quibus succedenti vobis tempore quæ Deo fuerint placita nuntiamus. Nam nos quidquid utile, quidquid probatur esse pacificum, desideramus, et ut fieri valeat studemus. Tantum est ut sicut nostra, ita quoque Dei, quo sine nihil possumus, in eis quæ expediunt, sit voluntas. Sancta Trinitas in suo semper faciat vos timore proficere, et ita cor vestrum placita sibi moderatione disponat, ut et nunc subjectis vestris de vobis, et postmodum vobis de se gaudium sine fine concedat.

## EPISTOLA VIII.

AD SENATOREM ABBATEM.

*Privilegium Xenodochii.*

Gregorius Senatori [a] presbytero et abbati xenodochii.

[b] Quando ad ea ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus sunt monitis provocanda **1222** ita

EPIST. VII [*Al.* 9]. — [a] Recentiores, *et hic felici ter vivatis, et in futura.*

[b] Id est, pace adunati.

EPIST. VIII [*Al.* 10]. — [a] Quatuor Vaticani, duo Teller. et Rhem., *abbati xenodochio* vel *xenodochii Francorum.* Corb., *episcopo vel abb. xenodochii.*

[b] Privilegium hoc et alia duo quæ seqq. epistolis duabus continentur, aut spuria aut interpolata suspicantur nonnulli. Quorum conjecturis opponitur primo Codicum mss. omnium etiam Romanorum consensus; etenim, teste eminentiss. card. Bona. in litteris ad Guss. datis die Octobris 14, anno 1670, exstant in bibliothecæ Vaticanæ Mss., ind. 6, tria privilegia pro xenodochio et monasterio sanctæ Ma-

ardenti desiderio divina prævenientе gratia succenduntur ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri et læto sunt animo concedenda quanto et ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde, juxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum regum Brunichildis ac nepotis ipsius Theoderici, xenodochio quod in civitate Augustodunensi a Siagrio reverendæ memoriæ episcopo et prædicta excellentissima filia nostra regina constructum est, cui tu præesse dignosceris, hujusmodi privilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus, atque firmamus, statuentes nullum regum, nullum antistitum, nullum quacunque præditum dignitate, vel quemquam alium de his quæ xenodochio a suprascriptis præcellentissimis filiis nostris regibus jam donata sunt, vel in futuro a quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis, pro suæ avaritiæ excusatione posse concedere, sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis qui in tuo officio locoque successerint perenni tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri, eorum tamen usibus pro quorum sustentatione gubernationeque concessa sunt modis omnibus profutura.

Item constituimus ut, obeunte abbate atque presbytero suprascripti xenodochii atque monasterii, non alius ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem rex ejusdem provinciæ cum consensu monachorum secundum timorem Dei elegerit ac præviderit ordinandum.

Hoc quoque præsenti capitulo subjungimus, ut loA cum avaritiæ excludamus, nullum de regibus, nullum de sacerdotibus, vel quemcunque alium per se suppositamve personam de ordinatione ejusdem abbatis, vel quibuscunque causis, ad xenodochium ipsum pertinentibus, audere in auro sive alia qualibet specie commodi quidquam accipere, neque eumdem abbatem ordinationis suæ causa dare præsumere, ne hac occasione ea quæ a fidelibus piis locis offeruntur, aut jam oblata sunt, consumantur.

Et quoniam multæ occasiones in deceptionem religiosarum personarum **1223** a pravis illis, ut dicitur, hominibus exquiruntur, abbatem atque presbyterum prædicti xenodochii nullo modo privandum deponendumque esse censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Unde necesse est ut si qua B contra eum hujusmodi querela surrexerit, non solus episcopus civitatis Augustodunensis causam examinet, [c] sed, adhibitis sibi sex aliis coepiscopis suis, subtili hoc investigatione perquirat, quatenus, cunctis concorditer judicantibus, canonicæ districtionis censura aut reum ferire, aut innocentem possit absolvere.

Simili quoque (definitione, [d] juxta desiderium conditorum, decernimus ut nullus eorum qui eidem xenodochio atque monasterio abbas, aut presbyter in posterum fuerit ordinatus ad episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere, [e] nisi prius abbatis officio sit privatus, aliusque loco ipsius subrogatus, ne, res xenodochii vel monasterii iniqua erogatione consumens, gravissimam egestatis necesC sitatem pauperibus ac peregrinis vel cæteris exinde viventibus generet. Episcopum vero tollendi de eodem loco monachum ad ecclesiasticum ordinem pro-

riæ ac pro ecclesia sancti Martini Augustoduni ædificatis, quæ incipiunt: *Quando ad ea ad quæ catholicorum regum corda.* Testimonium illud habes col. 1147 Edit. Paris. an. 1675. Sane primum privilegium saltem in quinque Vatic. legitur; secundum in quatuor, et tertium in tribus, ut ex variarum quæ ex illis descriptæ sunt lectionum excerptionibus intelligimus. Secundo privilegium hoc laudatur in Vita sancti Hugonis monachi Æduensis, sæculo x scripta, quo tempore Frodoardus in Historia Rhemens., lib. III, c. 27, meminit alterius privilegii quod Pardulus Laudunensis episcopus, petente Carolo Calvo, in gratiam Oriniacensis Parthenonis composuit, *non suis verbis, sed sicut beatus Gregorius de quodam monasterio a quadam regina ædificato ipsa petente dictaverat, et ipse quoque dictavit; repetens maledictionis intentationem quam domnus idem Gregorius contra præsumptorem illius monasterii jaculatus sit.* Ex quo intelligitur hoc privilegium cum suis imprecationibus exstitisse in Codd. mss., regnante Carolo Calvo. Certe in Remigiani cœnobii apud Rhemos exemplari, quod annos superat octingentos, integrum reperitur, et in altero Rhemensi, in Turon., Colbert., Corb., Anglic., Norm., etc. Denique, ut cætera taceam, ex alia indubitata Gregorii Mag. epistola quæ est indictionis hujus sexta, constat privilegia pro cœnobiis Æduensibus rogatu Brunichildis ab ipso indulta fuisse. *Privilegia locis ipsis pro quiete ac munitione illic degentium, sicut voluistis, indulsimus. In quibus privilegiis eorum locorum præpositis quædam interdicta exstant*, quæ in vulgatis privilegiis inveniuntur, nempe *ut nullus eorum qui eidem xenodochio atque monasterio abbas aut presbyter fuerit ordinatus, ad episcopatus officium quacunque obreptione sit ausus accedere.* Et quidem si suis moribus ac innatæ mansuetudini relictus esset Gregorius Magnus, nullus dubitat quin a gravi illa comminatione abstinuisset quæ in privilegii hujus clausula legitur. At dandum erat aliquid reginæ auctoritati, quæ severiores Ecclesiæ pœnas in donationis suæ violatores exigebat. Sic Patres concil. Aurelian. IV, anno 541, petente Childeberto rege, xenodochii Lugdunensis rebus cavent, eo pacto, ut *si quis, quolibet tempore, cujuslibet potestatis vel ordinis persona secus attentaverit, ut necator pauperum irrevocabili anathemate feriatur*, can. 15. In similibus causis easdem intentant minas Patres concilii Parisiens. an 557, can. 1; concil. Turon. an. 567, can. 24; concil. Valent. an. 584; adeo ut, juxta Brunichildis voluntatem, atque Gallicanæ ipsius Ecclesiæ sexto sæculo stylum ac morem, privilegiorum Augustodun. clausulam disposuerit Gregorius Mag.

[c] Excusi, *sed adhibitis sex aliis episcopis suis*; quam lectionem rejiciendam putamus, tum quod Mss. Vatic., Norm., Corb., etc., adversetur, tum quod ex illa quis falso posset fingere episcopum Augustodunensem tanquam metropolitanum suos habuisse episcopos, ut nunc vulgo dicuntur, suffraganeos.

[d] Scilicet, Siagrii et Brunichildis.

[e] Excusi, *accedere, ne quacunque*, etc., omissis aliis quæ nobis suppeditaverunt Turon., Corb., quinque Anglic. et Norm. omnes. Nostra lectio verior, et menti sancti Gregorii magis conformis videtur, qui sæpe abbates ad episcopatum provexit, inquit optime Gussanvillæus.

movendum, vel pro aliqua quacunque causa, sine A consensu abbatis atque presbyteri, habere licentiam prohibemus, ne hujus rei usque ad hoc usurpatio perducatur, ut loca quæ acquisitione hominum construenda sunt, ablatione destruantur.

Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri pagina continet, tam tibi quam cunctis qui in eo quo es ordine locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, judicum, personarumque sæcularium, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat. Et nisi vel ea quæ ab illo male ablata sunt restituerit, vel digna pœnitentia illicite B acta defleverit, a sacratissimo corpore ac sanguine Dei et Domini nostri Redemptoris Jesu Christi alienus fiat, atque in æterno examine districtæ ultioni subjaceat. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis recipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant.

## EPISTOLA IX.

### AD THALASSIAM ABBATISSAM.

*Privilegium monasterii sanctæ Mariæ in urbe Augustodunensi.*

Gregorius [a] Thalassiæ abbatissæ.

Quando ad ea ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus sunt monitis provocanda **1224** ita ardenti desiderio divina præveniente gratia succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto sunt alacri et læto animo concedenda quanto et ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde, juxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum regum Brunichildis ac nepotis ipsius Theoderici, monasterio sanctæ Mariæ, ubi ancillarum Dei congregatio est constituta, in urbe Augustodunensi, [b] a reverendæ memoriæ Siagrio episcopo condito, cui præesse dignosceris, hujusmodi privilegia præsentis auctoritatis nostræ decreto indulgemus, concedimus atque firmamus, statuentes nullum regum, nullum antistitum, nullum quacunque præditum dignitate, vel quemcunque alium, de iis quæ eidem monasterio a suprascriptis filiis nostris regibus jam donata sunt, vel in futuro a quibuslibet aliis de proprio fuerint jure collata, sub cujuslibet causæ occasionisve specie minuere vel auferre, sive suis usibus applicare, vel aliis quasi piis causis pro suæ avaritiæ excusatione possit concedere. Sed cuncta quæ ibi oblata sunt, vel offerri contigerit, tam a te quam ab eis quæ in tuo officio locoque successerint, a præsenti tempore illibata et sine inquietudine aliqua volumus possideri, earum tamen usibus pro quarum sustentatione gubernationeque concessa sunt modis omnibus profutura.

Item constituimus ut obeunte abbatissa prædicti monasterii, non alia ibi quacunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quam rex ejusdem provinciæ, cum consensu monacharum, secundum Dei timorem elegerit, ac præviderit ordinandam.

Hoc quoque capitulo præsenti subjungimus, ut locum avaritiæ secludamus, nullum de regibus, nullum de sacerdotibus, vel quemcunque alium per se suppositamve personam, de ordinatione ejus abbatissæ, vel de quibuscunque causis ad monasterium ipsum pertinentibus, audere in auro, vel alia qualibet specie commodi quidquam accipere, neque eamdem abbatissam ordinationis suæ causa dare præsumere, ne hac occasione quæ a fidelibus piis locis [c] offeruntur, aut jam oblata sunt, consumantur.

Et quoniam multæ occasiones, in deceptionem [d] religiosarum personarum, a pravis illic, ut dicitur, hominibus exquiruntur, abbatissam ejusdem monasterii nullo modo privandam deponendamque censemus, nisi causa specialiter criminis exigente. Unde necesse est ut si qua contra eam hujusmodi querela surrexerit, [e] non solum episcopus civitatis Augustodunensis causam examinet, sed, adhibitis sibi sex aliis coepiscopis suis, subtili hoc investigatione perquirat, quatenus, cunctis concorditer judicantibus, canonicæ districtionis censura, aut ream ferire, aut innocentem possit absolvere.

C Hæc igitur omnia quæ hujus præcepti decretique nostri **1225** pagina continet, tam tibi quam cunctis quæ in eo quo es ordine locoque successerint, vel eis quorum interesse potuerit, in perpetuum servanda decernimus. Si quis vero regum, sacerdotum, judicum, atque sæcularium personarum, hanc constitutionis nostræ paginam agnoscens, contra eam venire tentaverit, potestatis honorisque sui dignitate careat, reumque se judicio divino existere de perpetrata iniquitate cognoscat, etc. *ut in superiori.*

## EPISTOLA X.

### AD LUPONEM ABBATEM.

*Privilegium ecclesiæ sancti Martini in suburbano Augustodunensi.*

Gregorius [a] Luponi presbytero et abbati.

D Quando ad ea ad quæ catholicorum regum corda pontificalibus sunt monitis provocanda ita ardenti desiderio divina præveniente gratia succenduntur ut ab eis ultro poscantur, tanto sunt alacri et læto animo concedenda quanto ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde, juxta scripta filiorum nostrorum præcellentissimorum regum Brunichildis ac nepotis Theoderici, Ecclesiæ sancti

Epist. IX [*Al.* 11]. — [a] Ita legitur nomen hujus abbatissæ in Colbert., Vatic., Norman., Anglic. et aliis melioris notæ. In quibusdam Excusis habes *Thessaliæ*.

[b] Aliis Editoribus satis visum est initium hujus epistolæ dare, usque ad hæc verba, *urbe Augustodunensi*, quibus addiderunt, *etc.*, *ut supra*. Multa tamen in serie hujus epistolæ discrepant ab iis quæ in superiori leguntur. Hinc eam ex integro excudendam judicavimus, prius collatam ad Mss. tres Vatic., Colbert., Anglic., Norm.

[c] In tribus Vatic., *aut sacro oblata sunt*.

[d] Vaticani, *religiosarum feminarum*.

[e] Idem Codices, *non solus*.

Epist. X [*Al.* 12]. — [a] In Colbert. ac duobus Vatic., *Lupo*.

[b] Martini, quæ in suburbano civitatis Augustodunensis, etc., [c] *ut supra*, *epist.* 8.

## EPISTOLA XI.

### AD MAXIMUM SALONITANUM EPISCOPUM.

*Illius hominibus non crediturum se deinceps, nisi mandatum legaliter subscriptum habeant.*

Gregorius Maximo episcopo Salonitano.

Alia quidem scripta ad fraternitatem tuam antea feceramus; [a] sed tempore quo homines tuos quos ad nos misisti relaxare voluimus scripsisse te quibusdam nostris comperimus quod [b] Veteranum presbyterum atque Optatum defensorem tunc minime in causa transmiseris, et ideo ea quæ cum eis acta sunt non debere subsistere. Sed et Thomas, Ecclesiæ tuæ defensor, sibi verbo a te dictum perhibuit. Ex qua re jam nec præsentium portitoribus judicavimus esse credendum, ne de ipsis quoque post hæc similiter diceretur. Quia ergo hæc res nos valde fecit ambigere, et cautos esse debere præmonuit, si causam vultis dicere, instructam de cætero personam [c] cum mandato **1226** legaliter facto, tuis ac presbyterorum seu diaconorum [d] in testimonium subscriptionibus roborato, gestisque ex more indito, transmittite, ut quidquid cum ea actum fuerit possit jure subsistere. Nam nos non solum tibi, sed etiam omnibus quod justum legitimumque fuerit parati sumus, Deo juvante, per omnia custodire; tantum est ut tu quod lege præcipitur facere non omittas.

## EPISTOLA XII.

### AD PASCHASIUM NEAPOLITANUM EPISCOPUM.

*Non arcendos Judæos a solemnitatibus suis, sed monitis ac blandimentis ad conversionem accendendos.*

Gregorius Paschasio episcopo Neapolitano.

Qui sincera intentione [a] extraneos a Christiana religione ad fidem cupiunt rectam adducere (*Grat.*, *dist.* 45, *c.* 3), [b] blandimentis, non asperitatibus debent studere, ne quorum mentem reddita [c] ad planum ratio poterat provocare, pellat procul adversitas. Nam quicunque aliter agunt, et eos sub hoc velamine a consueta ritus sui volunt cultura suspendere, suas illi magis quam Dei causas probantur attendere. [d] Judæi siquidem Neapolim habitantes questi nobis sunt, asserentes quod quidam eos a quibusdam feriarum suarum solemnibus irrationabiliter nitantur arcere, ne illis sit licitum festivitatum suarum solemnia colere, sicut eis nunc usque et parentibus eorum longis retro temporibus licuit observare vel colere. Quod si ita se veritas habet, supervacuæ rei videntur operam adhibere. Nam quid utilitatis est quando, et si contra longum usum fuerint vetiti, ad fidem illis et conversionem nihil proficit? Aut cur Judæis qualiter cærimonias suas colere debeant, regulas ponimus, si per hoc eos lucrari non possumus? Agendum ergo est ut, ratione potius et mansuetudine provocati, sequi nos velint, non fugere, ut eis ex eorum Codicibus ostendentes quæ dicimus, ad sinum matris Ecclesiæ Deo possimus adjuvante convertere. Itaque fraternitas tua eos monitis quidem, prout potuerit, Deo adjuvante, ad convertendum accendat, et de suis illos solemnitatibus inquietari denuo non permittat; sed omnes festivitates feriasque suas, sicut hactenus, tam ipsi quam parentes eorum, per longa colentes retro tempora tenuerunt, liberam habeant observandi celebrandique licentiam.

## **1227** EPISTOLA XIII.

### AD BARBARUM BENEVENTANUM EPISCOPUM.

*Ipsum Panormitanæ Ecclesiæ visitatorem sub consueta formula instituit.*

Gregorius Barbaro [a] episcopo Beneventano.

Obitum Victoris, Panormitanæ civitatis antistitis,

[b] In Laudatis Vatic., *sancti Platini.*

[c] Hæc epistola pene eadem est cum octava indicata, mutatis tantum quibusdam vocibus. Nam ubi in altera nominantur abbas et monachi, leguntur hic presbyter et clerici. Præterea hic omittitur quidquid inter ista verba *possit absolvere*, et ultimam clausulam, *hæc igitur omnia*, etc., intercipitur. In paucis Mss. occurrit hoc privilegium, fortasse propter similitudinem cum priori. Exstat integrum in Vatic. E et F, ac in Colb. et dimidiatum in Vatic. A.

Epist. XI [*Al.* 13]. — [a] Rhem. et Vatic. D, *sed tempore quo homines tuos ad nos misisti, rixari noluimus ea mittere scripsisse te, quibusdam nostris narrantibus.*

[b] Vide supra, libro x, indict. 3, epist. 36.

[c] Ejus formam reperies in Dig., lib. III, tit. 3, leg. 65: *Litteras suas dirigere debebit, quibus significet quem adversus eum procuratorem, et in qua causa fecerit, ratumque se habiturum quod cum eo actum sit*, etc. Hic quandoquidem de ecclesiasticis rebus agitur, mandatum oportuit presbyterorum et diaconorum subscriptionibus roborari; quæ tamen praxis, clericorum compage soluta, postmodum obsolevit. Auget.

[d] In quatuor Vatic., *et testium subscriptionibus.*

Epist. XII [*Al.* 15]. — [a] Excusi recent., neglectis Mss., *extraneos ad Christianam religionem.*

[b] Quod blande cum Judæis et infidelibus agendum sit, supra, epist. 34, nunc 35, lib. I, et pluribus aliis; aliquid tamen amplius decernit pro paganis, ut profani eorum ritus non ferantur. Gussanv.

[c] Vel *plena ratio*, ut legitur in Norm. et duobus Vatic.

[d] Jam supra, lib. III, nunc lib. IV, epist. 21, sanctus Gregorius præscripserat de Judæis multa; qui textus refertur extr. lib. V, tit. 6, c. 2, cum pluribus aliis, quorum argumenta subjicere notæ brevitas non patitur. Quæ sint autem piissimæ leges quarum sanctus Gregorius dicta epistola meminit, scire si aves, lector, consule Cod., lib. I, tit. 9, *de Judæis ac cœlicolis.* Tam piæ autem visæ sunt, ut pontifices Alexander III et Clemens III aliquot post sæculis secundum ipsas pronuntiaverint. Uno verbo, in regionibus quæ Judæos fovent sinuntur solemnitates suas agere, cœmeteria synagogasque habere, minantes ruinam instaurare, Christianis quasi ascriptitiis uti, vetitumque illos ad fidem cogere. Cum paganis ac hæreticis aliter actum legibus cum imperatoriis, tum pontificiis, dissimilitudinis fundamenta tu studiosus erue. Ut adjuvem, indico distinct. 45, c. 5, de Judæis, ex Tolet. IV, et caus. 23, q. 5, c. 33, 43, 44. Item extr. lib. V, tit. 6 et 7. Paganis cum Judæis vix unquam bene convenisse docent historici. Judæos autem Christianorum hostes infensissimos, acerrimos, implacabiles, a Christianis suis in urbibus admitti, retineri, id profecto mirabile. Diu est quod eos exclusit Gallia. Gussanv.

directa relatio patefecit (*Grat., dist.* 61, *c.* 16). Quapropter visitationis destitutæ Ecclesiæ fraternitati tuæ operam solemniter delegamus, quam ita te convenit exhibere, ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est in patrimonio ejusdem, a quoquam præsumatur Ecclesiæ. Et ideo dilectio tua ad prædictam Ecclesiam ire properabit, et assiduis adhortationibus clerum plebemque ejusdem Ecclesiæ admonere festinet, ut, remoto studio, uno eodemque consensu talem sibi præficiendum expetant sacerdotem, qui et tanto ministerio dignus valeat reperiri, et a venerandis canonibus nullatenus respuatur. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati et dilectionis tuæ testimonio litterarum ad nos sacrandus occurrat. Commonentes etiam fraternitatem tuam ut nullum de altera eligi permittas Ecclesia, nisi forte inter clericos ipsius civitatis, in qua visitationis impendis officium, nullus ad episcopatum dignus, quod evenire non credimus, potuerit inveniri; provisurus ante omnia ne ad hoc cujuslibet conversationis vel meriti laicam personam aspirare permittas, ne et conatus eorum habeatur inefficax, et in periculum ordinis tui, quod absit, incurras. [b] Monasteria autem, si qua sunt in ipsius constituta parochia, sub tua cura dispositioneque, quousque illic proprius fuerit ordinatus episcopus, esse concedimus.

## [a] EPISTOLA XIV.

AD PANORMITANOS.

*Barbaro episcopo visitatori obediant.*

Gregorius clero, ordini et plebi consistenti Panormi.

Vestri antistitis obitum cognoscentes, curæ nobis fuit destitutæ Ecclesiæ visitationem fratri et coepiscopo nostro Barbaro solemniter delegare. **1228** Cui dedimus in mandatis ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu ministeriisque, a quoquam usurpari patiatur. Cujus vos assiduis adhortationibus convenit obedire, et, remoto strepitu, uno eodemque consensu talem vobis præficiendum expetere sacerdotem, qui et a venerandis canonibus nulla discrepet ratione, et tanto ministerio dignus valeat reperiri. Qui dum fuerit postulatus, cum solemnitate decreti omnium subscriptionibus roborati, et visitatoris pagina prosequente, ad nos veniat ordinandus: provisuri ante omnia ne cujuslibet vitæ vel meriti laicam personam præsumatis eligere, et non solum ille ad episcopatus apicem nulla ratione promoveatur, verum etiam vos nullis intercessionibus veniam promereri posse cognoscite, sed et omnes quos ex vobis de laica persona aspirasse constiterit, ab officio et a communione alienos faciendos procul dubio noveritis.

## EPISTOLA XV.

AD VENANTIUM PATRICIUM PANORMIT.

*Urbicum abbatem electum merito in episcopum, sed reluctantem non cogendum. Crescentis diaconi scrutandos mores. Si neque in hoc, neque in alio consentiant, mittendos Romam legatos.*

Gregorius Venantio patricio [a] Panormitano.

Excellentiæ vestræ electio in persona Urbici abbatis, quia valde nobis placuit, indicamus: quoniam, sicut judicii vestri discretione oportuit, ad Ecclesiæ gubernationem virum quæsistis vigilantem atque sollicitum, et [b] divinæ Scripturæ scientia, quod maxime in sacerdotibus eligendum est, institutum. Sed quia cæteris sic est aliquis præponendus, ut dum ipse exterius proficit, interius non decrescat, quietem ipsius turbare non possumus, ne cum eum ad altiora producimus, minorem illum seipso fieri missum in fluctibus compellamus. Persona vero Crescentis diaconi, propter quod omnino nobis ignota est, prima nobis cura fuit requirere quemadmodum xenodochium cui præfuerat gubernasset, ut ex minimis qualis esse possit in maximis nosceremus. Sed quid nobis portitores scriptorum vestrorum responderint, ab ipsis addiscetis. [c] Hinc autem presbyterum dare omnino nobis excellentia vestra sciat esse difficile, quia [d] personarum nos necessitas ad ordinanda alia loca pastoribus destituta non levis

Epist. XIII [*Al.* 16]. — [a] In recentioribus Ed. legitur *episcopo Beneventano*. Prætulimus lectionem vet. Excusorum, quod firmetur auctoritate Rhemensis, quatuor Vatic., duorumque Colbert. et al. In uno ex Colbert., dissimulato episcopi titulo, exstat solum *Barbaro Carinis*. Carinensis urbs fuit olim episcopalis apud Brutios, non longe a Regio. Existimat autem Rochus Pirrus, tomo II, pag. 461, intelligendum esse de alia hujus nominis urbe in Sicilia haud procul Panormo, ex ruinis Hyccaris oppidi constructa, quam tamen an ullum olim habuerit antistitem, incertum sibi esse ait. Cur autem sanctus Gregorius præter morem aut Beneventano aut Carinensi episcopo tam longe dissito Ecclesiam Panormitanam visitandam commiserit, non video, nisi forte quia iis in locis jam aliis negotiis gerendis detinebatur; vel etiam quia illum virum industrium noverat, et qui alias in eo munere præclare se gesserat, ut cum ei Ecclesiam Hortonensem visitandam commisit, epist. 39 lib. III, nunc 41 lib. IV, etc. *Partim ex* Gussanv.

[b] Quæ sequuntur usque ad finem epistolæ desunt in quinque Vatic., Turon., Rhem., Colbert. et pene omnibus. Exstant tamen in aliis epistolis omnino similibus.

Epist. XIV [*Al.* 19]. — [a] Desideratur hæc epistola in Anglic. et Norm. Codd. At in Colbert., utroque Rhemensi, Turon., et quinque Vatic., legitur.

Epist. XV [*Al.* 14]. — [a] In Vatic. D, *clero et plebi Panormitanæ*. In Norm., *Patricio Panormi*. In tribus Vatic., *Patricio Panormo*.

[b] Maxime requiritur in episcopis evangelica scientia. Hinc forte præscribitur in episcoporum consecratione, *ut duo episcopi ponant et teneant Evangeliorum Codicem super caput et cervicem ejus* qui ordinatur.

[c] Mendose in Editis, *hunc autem..... vobis*. Ex Mss. Norm. maxime errorem hunc emendavimus.

[d] Sat multi, ut fit, honores ecclesiasticos ambiebant, nec prece modo, sed et ad eos pretio grassabantur, ut docent complures sancti Gregorii epistolæ. Pauci tamen inveniebantur digni qui in gurgite tam vasto natarent. Hinc sanctissimo viro angustiæ. Nec enim hominibus beneficia conferre, sed Ecclesiæ per homines volebat providere. Lege epistolam 148, nunc 21, sancti Augustini, ubi apparet quantus

angustat. Et ideo quia Deum timere, **1229** et animæ vestræ novimus vos habere respectum, paterna charitate salutationis alloquium præmittentes, hortamur ut, sicut decet, cauta diligentique investigatione scrutari interius de vita, moribus actuque præfati diaconi debeatis. Et si eum ad Ecclesiæ assurgere regimen agnoscatis, vestra adhortatione omnes in eo se uniant. Si autem aliter vestri sentit sollicitudo judicii, et eum pastoralem curam efficaciter administrare non posse considerat, agendum est cum omnibus concorditer, ut alterum qui aptus visus fuerit de Ecclesia ipsa possint eligere, ut venientes ad nos tam diaconus qui jam electus est quam etiam qui adhuc eligendus est, is qui Deo placuerit ordinetur. Enimvero si in Ecclesia illa neque de presbyteris vel diaconis, sive reliquo clero hujusmodi inveniri potuerit, de alia sibi Ecclesia talem ordinandum eligere festinent antistitem, qui vigilanti sollicitudine exterioribus eorum utilitatibus et sacerdotali adhortatione animabus valeat, Deo miserante, utilis reperiri. Præterea ne qua hac in causa possit esse dilatio, [e] et peccata sic faciant ut nullus de electis aptus existat, hortandus est clerus et populus, ut eis qui ad nos venerint sua debeant vice mandare, quatenus hic habeant eligendi licentiam, nobisque hoc ipsum apicibus suis roboratis propriis subscriptionibus innotescant, ut si vel hic inveniri potuerit, sine difficultate aliqua Christi cooperante gratia consecretur. Quod tamen nos non voluntate impulsi loquimur, sed necessitate compulsi, quia quantum est ad nostræ auctoritatis judicium, de suis volumus ut debeant habere pastorem.

### [a] EPISTOLA XVI.

AD PASSIVUM FIRMANUM EPISCOPUM.

*Passivo ut monasterium in honorem sancti Savini consecret mandat sub consueta formula.*

Gregorius Passivo episcopo Firmano.

Proculus, diaconus Ecclesiæ [b] Asculanæ, petitoria nobis insinuatione suggessit in fundo Gressiano juris sui monasterium se pro sua devotione fundasse, quod in honorem sancti Savini martyris desiderat consecrari. Et ideo, frater charissime, si in tuæ parochiæ memorata constructio jure consistit, et nullum corpus ibidem constat humatum, percepta primitus donatione legitima, id est [c] conduma una, boum par unum, [d] armenta capita quinque, oves et capras promiscuas capita viginti, in fundo Gressiano [e] ubi ipsum monasterium fundatur, uncias octo, in fundo Staciani uncias octo, fundum Paterni in integro, porcos decem, lectisternia, gestisque municipalibus alligata, etc., *secundum morem*. [f] Data mense Decembri, indict. 6.

### 1230 [a] EPISTOLA XVII.

AD JOANNEM SUBDIACONUM RAVENNÆ.

*Marinianum episcopum hortetur, ut causam cum Joanne episcopo absque lite jubeat finiri. Alioquin judicium ipse urgeat, et sententiam exsequatur. Oratorii constructionem ac dedicationem ab Exuperantio episcopo in Joannis diœcesi factam improbat.*

Gregorius Joanni subdiacono Ravennæ.

Lator præsentium Joannes frater et coepiscopus noster aliqua nobis de causis Ecclesiæ suæ dato capitulari noscitur intimasse : quibus cognitis, culpanda a nobis experientia tua fuerat, si ad te perlata hactenus indefinita remanserint. Sed inquirentes agnovimus quod ad notitiam tuam minime sunt perducta. Ipsum ergo quod nobis capitulare porrectum est, his fecimus subter annecti. Agnitis itaque omnibus ac discussis, si ita apud te esse, ut suggestum est, manifesta veritate patuerint, fratrem et coepiscopum nostrum Marinianum adire te volumus, eumque modis omnibus adhortari, ut his quorum in peragendis negotiis Ecclesiæ ipsius interesse dignoscitur, debeat deputare, quatenus, perpensis omnibus cum prædicto viro de his quæ mota fuerint, ecclesiastica inter se debeant tranquillitate decidere. Sin vero elegerint renitendum, experientia tua immineat esse judicium : et quidquid cognitorum inter eos fuerit sententia definitum, te debeat exsequente compleri ; ne diutinis protractionibus dilata paupertas Ecclesiæ ipsius, diversis, sicut jam factum asserit, dispendiis ingravetur.

Indicavit etiam nobis (*Grat.* 16, *q.* 5, *c.* 3), quod quidam Exuperantius episcopus ausu temerario in diœcesi ipsius oratorium construxerit, idque sine præcepti auctoritate contra morem præsumpserit dedicare, missasque illic publicas celebrare non metuit. Quam rem cum summa te celeritate ac districtione convenit emendare, ne ulterius tale aliquid attentare permittas. Oratorium vero quod ab incompetenti persona repereris esse constructum, huic cum proprio te volumus episcopo, si res, ut dictum fuerit pontificum zelus in conquirendis bonis operariis, quæ bonorum cura in fugiendis hisce dignitatibus, quis denique mundanorum sensus circa istas promotiones. GUSSANV.

[e] Ita Mss. Vatic., Norm., Remig., etc., cum in Editis legatur, *et peccatis facientibus, nullus.*

EPIST. XVI [*Al.* 20]. — [a] Abest quoque epist. hæc a Norm. et Anglic., etsi reperiatur in quatuor Colbert., in quinque Vatic., utroque Rhem et Turon.

[b] Asculum, vulgo *Ascoli*, Picenum olim dictum, ad differentiam Asculi, quod Apulum seu Satrianum, vulgo *Ascoli di Satriano*, dicebatur. Primum enim provinciæ Piceni erat; secundum vero Apuliæ Dauniæ. Urbs est hodieque epi copalis Marchiæ Anconitanæ, Romano pontifici subdita. GUSSANV. In Turon. et Colbert. legitur *Ecclesiæ Asculariæ* pro *Asculanæ*.

[c] Quid sit conduma repete ex nota *b*, in epist. 20 lib. XI, indict. *4*.

[d] In quatuor Vatic. et in Colbert., *æramenta capita quinque*.

[e] In Vatic. D et Rhem. *ubi presbyter monasterii fundatur*.

[f] In Colbert., *mense Januario*.

EPIST. XVII [*Al.* 21]. — [a] Huic epistolæ præmittitur, tum in duobus Colbert., tum in plerisque Vatic., *mense Decembri, indict.* 6; et postea *mense Januario, indict.* 6. Cumque duæ illæ temporis notæ unius ejusdemque epistolæ esse non possint, forte prior ad superiorem epistolam pertinet, et posterior ad hanc decimam septimam.

est, ita se habere constiterit, sine mora aliqua reformare.

## EPISTOLA XVIII.

AD QUOSDAM SICILIÆ EPISCOPOS

*Adrianum patrimonii rectorem commendat. Episcopos admonet ne, cum ad infantes consignandos egrediuntur, subjectos suos ultra modum gravent.*

Gregorius Leoni, Secundino, Joanni, Dono, Lucido, Trajano, episcopis Siciliæ.

Sicut nos nobis invicem [a] spiritalia per apostolorum orationem admonemur impertiri suffragia, **1231** ita in his quæ necessitate injuncti regiminis pro dispensatione rerum pauperum Deo per nos fuerint auctore disposita sacerdotalia dignum est solatia non deesse. Latorem siquidem præsentium Adrianum, chartularium nostrum, ad regendum Ecclesiæ nostræ patrimonium, Syracusanarum videlicet partium, dirigentes, fraternitati vestræ necessario duximus commendandum, ut, in quo usus exegerit, [b] vestra ei solatia conferatis, quatenus dum et ad agendum per vos corporalibus, et ad facilitatem explendi quæ cœperit spiritalibus orationum fuerit fultus auxiliis, prospere ea quæ a nobis ei injuncta sunt Deo quoque valeat cooperante perficere. Vosmetipsos autem ita ante conspectum omnipotentis Dei in bonis operibus debetis exhibere, ut inveniri in vestra actione nequeat quod vel Deo judice percuti, vel quolibet homine insidiante valeat accusari. Nam eidem præfato chartulario nostro injunximus ut si qua de reverendissimis fratribus nostris episcopis inordinate acta cognoverit, prius quidem secreta ac modesta adhortatione ipse corripiat : quæ si ita emendata non fuerint, nobis celeriter innotescat.

Præterea relatum est nobis (*Grat., caus.* 10, *q.* 3, *c.* 9), sanctæ memoriæ decessoris mei temporibus per Servumdei diaconum, qui jam tunc ecclesiastici patrimonii curam gessit, fuisse dispositum [c] ut sacerdotes per diversas vestras diœceses constituti, quoties ad consignandos infantes egredimini, ultra modum gravari minime debuissent. Summa enim præfixa fuerat, vobis, ut audio, consentientibus, quæ ab eisdem sacerdotibus pro labore clericorum dari debuisset. Atque hoc quod tunc placuit, nunc, sicut dicitur, minime custoditur. Unde fraternitatem vestram admoneo ut subjectis vestris graves non studeatis existere, sed si qua sunt gravamina temperetis, quia nec ab eo quod semel definitum est deflectere debuistis. Etenim in futura et in præsenti vobis vita prospicitis, si eos qui vobis commissi sunt sine gravamine conservatis.

## EPISTOLA XIX.

AD JULIANUM.

*Dissimulatam ab illo ex verecundia inopiam queritur. Constructo Catanæ monasterio dat solidos annuos decem.*

Gregorius Juliano.

Gloriæ vestræ scripta suscipiens, legenda lætus aperui, sed tristis perlecta replicavi. In eis quippe dicebatur quod pudoris causa fuerit mihi vos ea quæ dicenda erant tempore longo tacuisse. Et certum est quia minus amatur qui adhuc erubescitur. Atque omnimodo contristatus sum, **1232** quia me a vobis comperi minus quam æstimaverim amari. In hoc autem valde [a] me continetis, si mercedis causas mihi assidue providendas studiose requiritis. Nec vobis debet esse verecundiæ ei aliquid de eleemosynis importune dicere, quem constat non res suas, sed ad dispensandum res pauperum habere. De causis itaque [b] mercedis apud episcopum libere agere debuistis, etiamsi meum animum qualis in amore vestro existeret nesciretis. Postquam enim et nos omnino gloriam vestram diligimus, et dispensatoris locum in rebus, sicut scitis, pauperum tenemus, vestra, fateor, verecundia valde accusabilis fuit. Quam ideo tot verbis increpando insequor, ut hanc a corde vestro funditus repellam, et in mercedis causis magnum solatium vestræ provisionis habeam. Monasterio itaque vestro, quod a vobis in Catanensi urbe constructum est, per Adrianum notarium et rectorem patrimonii, emissa præcepti pagina, decem annuos solidos dari deputavimus, quos petimus sine injuria suscipi, quia non hæc vobis nostra oblatio, sed sancti Petri apostolorum principis benedictio offertur [c].

## EPISTOLA XX.

AD HONORIUM TARENTINUM EPISCOPUM.

*Constructo baptisterio uti permittit.*

Gregorius [a] Honorio episcopo Tarentino.

Fraternitate tua indicante didicimus in civitate Tarentina, in qua præesse dignosceris, in ecclesia sanctæ Mariæ baptisterium te noviter construxisse. Et ideo, frater charissime, præsenti auctoritate su-

Epist. XVIII [*Al.* 22]. — [a] Excusi, reluctantibus Mss. Anglic., Norm., Vatic., *specialia*.

[b] Mendose in recent., *vestra eis solatia*. Nimirum Adriani solius hic fit mentio.

[c] Vulgati, *per universas*. Cæterum nomine sacerdotum hoc loco presbyteros intelligit sive parochos per diœceses constitutos. Non enim vox illa tam fuit episcoporum propria, ut presbyteris non fuerit aliquando tributa, quod criticis nonnullis placuit. Innoc. I, epist. ad Victricium, c. 6 et 9, sacerdotis nomine comprehendit presbyteros. Idem videre est in ejusdem epist. ad Exuperium, cap. 1. Sic in epist. ad Decentium Eugub. dixerat : *Nam presbyteri licet sint sacerdotes*, etc. Sic ad Himerium Siricius. Vide in epist. 13 lib. III.

Epist. XIX [*Al.* 23]. — [a] Ita omnes Norm., Vatic., Colbert., Reg. et plerique Mss. ac potiores. In Rhem. legitur *me colitis;* continere autem hic significat *fovere, adjuvare*. Vide supra, lib. V, epist. 30, nota *b*. Eadem ratione continentia apud sanctum Gregorium est stipendium, ut ex epist. 52 libri V liquet, in nota *e*.

[b] Hujus vocis non ubique sensus idem est apud Gregorium; aliquando enim sumitur pro misericordia, gallice *merci*, ut lib. III, epist. 16; hoc loco vero videtur sumenda pro stipendio et præmio, quod recta bonorum Eccles. distributione et erogatione acquiritur.

[c] In Editis additur *mense Februario, indict.* 6, quod abest ab omnibus Mss. nostris.

Epist. XX [*Al.* 24]. — [a] In uno e Colbertinis inscribitur epistola hæc *Bono Episcopo Tarentino*.

scepta, tui desiderii complebis effectum, quatenus per sacrum lavacrum peccatorum illic maculæ deleantur. [b] Mense Februario, indictione 6.

## EPISTOLA XXI.

### AD PASCHALEM ET CONSOLANTIAM.

*Datas restituendæ pecuniæ inducias prorogat. In adversis positos consolatur.*

Gregorius [a] Paschali et Consolantiæ.

Epistolam magnitudinis vestræ latore præsentium deferente suscepimus. Et licet tempora restituendæ pecuniæ in induciis data defluxerint, petitionem tamen vestram nullo modo duximus contristandam. Adriano itaque chartulario nostro, quem illuc ad regendum Ecclesiæ nostræ patrimonium direximus, de præsenti injunximus quæ vobiscum exinde loqui debeat, ut nec ecclesiastica in aliquo negligatur utilitas, et postulatio vestra **1233** sortiatur effectum. Quia ergo plus de animæ vestræ salute quam de terrenarum rerum utilitate debetis esse solliciti, salutantes paterno affectu hortamur ut mens onere tribulationis oppressa contra Deum non murmuret, ne post amissionem rerum etiam animæ sequantur dispendia. Nihil de pravis actibus, nil cum peccato, necessitate quasi faciente, festinetis acquirere; sed spem in Redemptoris nostri misericordia habentes, qui confidentes in se non deserit, tolerabiliter quæ pertulistis incommoda sustinete. Erigite animos. Tribulatio vires non opprimat. Adversa sæculi patientia superet. Pompam mundi mens secura despiciat. Actio vestra se ad ea quæ Dei sunt occupet. Considerantes quam nullum sit quidquid casibus subjacet, quidquid fine concluditur. Et cor se vestrum ultra quam convenit non affligat, sed studeat quatenus in omnipotentis Dei protectione jure confidat, qui et non habita donat, amissa reparat, et reparata custodit. Potens est enim si vos in mandatorum suorum via ambulare cognoverit, et sic illata damna multiplici compensatione sarcire, et vitam vobis quæ toto magis adnisu petenda est, æternam concedere.

## EPISTOLA XXII.

### AD RUSTICIANAM PATRICIAM.

*Infirmam illius valetudinem se dolere significat. Suorum dolorum pertæsus, exoptat mori. Agat ipsa apud impp. ut Beatorem perversa molientem coerceant.*

Gregorius [a] Rusticianæ patriciæ.

Quoties de urbe regia ad nos aliquis venit, curæ nobis est de corporis vestri sospitate requirere, sed peccatis meis facientibus, ea semper audio quæ me pœnitet audire, quia in tanta tenuitate atque debilitate adhuc in vobis referunt podagræ dolores excrescere. Sed oro omnipotentem Dominum [b] ut omnia quæ in vestro corpore aguntur ad salutem animæ dirigantur, ut flagella temporalia æternam quietem vobis præparent, et per eos dolores qui cum fine sunt, gaudia vobis sine fine concedat. Ego autem in tanto gemitu et occupationibus vivo, ut ad dies quos ago me pervenisse pœniteat, solaque mihi consolatio sit mortis exspectatio. Unde peto ut pro me debeatis orare, quatenus de hoc carnis carcere citius educar, ne tantis doloribus diutius torquear.

Præterea indico quemdam hic nomine Beatorem, qui quasi [c] comes privatarum dici vult, venisse, et multa contra omnes agere, maxime autem contra excellentiæ vestræ homines, vel nobilissimarum neptium vestrarum, quasi res publicas quærens. Et nos quidem perverse eum agere non permittimus, sed neque utilitatibus publicis possumus obviare. Vos ergo apud piissimos principes, sicut potestis, agite, ut ei agere prava contradicant. **1134** Nam cum omni strepitu neque utilitas publica agitur, neque aliquid magni est compendii quod repetere videtur. Dulcissimum filium meum domnum Strategium mea peto vice salutari, quem omnipotens Deus sibi vobisque nutriat, vosque semper de sua gratia et de vita illius consoletur. De reversione autem vestra quid scribere debeo, qui quantum eam desiderem scitis. Sed dum causarum obligationes aspicio, mihi in desperatione est, atque ideo Creatorem omnium exoro, ut ubicunque estis, ubicunque fueritis, suæ vos dexteræ extensione protegat, atque a malis omnibus conservet.

## EPISTOLA XXIII.

### AD BONIFACIUM NOTARIUM CORSICÆ.

*Joannem clericum hortetur ut Romam cognoscendus veniat.*

Gregorius [a] Bonifacio notario Corsicæ.

Ea quæ nobis experientia tua de Joanne, Ravennate clerico, indicavit facere, idcirco distulimus, [b] quia de qualitate personæ absentis judicare non possumus. Sed hortare eum ut ad nos venire festinet, quatenus in præsenti mores et personæ ipsius

[b] In Vatic. A, B, E, huic epistolæ præmittitur *mense Feb., indict.* 6. Consentiunt duo alii Mss.

Epist. XXI [*Al.* 25]. — [a] Sic legitur in Turon. Colbert., Norm., aliisque Mss. pene omnibus, et in vet. Edit. Veneta 1504, Paris., Lugd. In Vaticana autem Ed., *Pascali consuli Siciliæ.* Et quidem in plur. Mss. post *Consolantiæ* additur *Siciliæ.* Imo in uno ex Colbert. integer titulus habetur ut in Ed. Vatic.

Epist. XXII [*Al.* 26]. — [a] Ita restituimus ex quinque Vatic., omnibus Norm., Colbert., Reg., etc., et ex antiquioribus editionibus, ut et ex Joanne Diacono. Male autem in plerisque editis, *Rusticiæ.* Est autem illa Rusticiana patricia ad quam Gregorius plures dedit epistolas; de ea vide quæ diximus epist. 21 lib. II, indict. 10, nunc epist. 27. Gussanv.

[b] Norm., *qui omnia. . . . dirigat. Flagella temporalia æternam quietem vobis præparent.* Consentiunt quatuor ex Vatic. et Rhemensis uterque, quoad hæc ultima, *dirigat. Flagella, etc.*

[c] Prius mendose legebatur *comes privatorum.* De hac dignitate lege Cassiodorum, lib. VI Var., c. 8, ubi dicitur hic comes privatarum a privata principum substantia quam gubernabat.

Epist. XXIII [*Al.* 27]. — [a] Infra, epist. 58 et 40. Bonifacius Constantinopolim mittitur; at prius ordinatur diaconus. Proinde hic legendum non putamus *Constantinopolitano*, etsi in Editis omnibus ac plerisque Mss. habeatur. Non legitur in Prateilensi aliisque Norm.

[b] In iisdem Codicibus et in tribus Vatic., *quia in absenti* vel *in absente de qualitate personæ jud. . . . . sed hortare ut ad nos.*

qualitatem subtiliter addiscentes, quid de his quæ petit fieri debeat sine dubietate aliqua disponamus.

## EPISTOLA XXIV.

AD SAVINUM SUBDIACONUM.

*Proculo episcopo ea quæ per absentiam suam fuerant neglecta reparanti opem ferat.*

Gregorius Savino subdiacono regionario.

Quare venerabilis frater noster [a] Proculus episcopus ab Ecclesia sua diu abfuerit experientia tua non ignorat. Ad quam quoniam Deo propitio habita nunc, ut oportuit, satisfactionis purgatione reversus est, ne forte per ejus absentiam in aliquo Ecclesiæ ipsius sit neglecta utilitas, aut aliqua sint de ejus jure subtracta, reparare ea vel corrigere cupienti illi in omnibus æquitate servata solatiari te volumus atque concurrere, ut, tua opitulatione suffultus, in his quæ ab eo agenda sunt, nec difficultatem aliquam quorumdam impedimento sustineat, nec diutius debeat laborare.

## EPISTOLA XXV.

AD SAVINUM SUBDIACONUM.

*Moneat Palumbum episcopum ut res Ecclesiarum tueatur diligentius, sin minus partes illius ipse expleat.*

Gregorius Savino subdiacono regionario.

Pervenit ad nos reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum [a] Palumbum, quod dici grave est, Ecclesiæ suæ vel parochiarum causas **1235** et utilitates negligere, ut non solum res aliquas vel mancipia earum, sed etiam et ministeria apud diversos esse incaute patiatur. Quod ita esse hoc etiam nobis ex parte aliqua innuit ac confirmat, quod Gregorius lator præsentium, qui juris se Emolitanæ Ecclesiæ, quæ in ejus diœcesi constituta est, esse perhibet, ab alio se indebite, eo præsente, queritur servitio subjugari. Ideoque experientia tua prædictum fratrem nostrum studeat commonere, ut res Ecclesiarum vel parochiarum suarum sive ministeria, rationabiliter vindicet atque defendat, et ab aliis detineri nullo modo patiatur. In qua re ne quam forte excusationem valeat invenire, tua ei volumus salva æquitate adesse solatia. Quem si forte, ut hactenus exstitit, videris esse negligentem, ea quæ eum facere oportuerat te agere volumus et implere in omnibus, quatenus Ecclesiarum utilitas nulla occasione depereat; sed et nobis quæque acta fuerint renuntiare festina, ut a nobis quid post hoc facere debeas instruaris. [b] Data mense Martii, indict. 6.

## EPISTOLA XXVI.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Paschasii episcopi negligentiam coram selectis testibus reprehendat.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Pervenit ad nos fratrem et coepiscopum nostrum Paschasium ita desidem negligentemque in cunctis existere (*Grat.*, *dist.* 84, *c.* 1), ut in nullo quia est episcopus agnoscatur; adeo ut neque Ecclesia ipsius, neque monasteria, [a] sive filii, vel oppressi pauperes, ejus erga se dilectionis studium sentiant, nec aliquam supplicantibus sibi in quibus justum est opem defensionis accommodet, et, quod adhuc dici est gravius, consilia sapientum et recta suadentium nulla patiatur ratione suscipere, ut quod per se nequit attendere, ab alio saltem possit addiscere; sed, rebus quæ ad pastoris curam pertinent prætermissis, ad fabricandum naves toto se studio inutiliter occupare. Unde, sicut fertur, contigit quadringentos illum aut amplius jam solidos perdidisse. Hoc quoque ejus culpis adjungitur, quod ita quotidie despectus cum uno aut duobus clericis dicitur ad mare descendere, ut et apud suos in fabula sit, et extraneis sic vilis ac despicabilis videatur, ut nihil habere in se episcopalis vel genii vel reverentiæ judicetur. Quod si ita est, non sine culpa tua esse cognoscas, [b] qui eum objurgare atque coercere, **1236** ut dignum est, distulisti. Quia ergo hoc totum non solum ipsum reprobat, sed etiam ad sacerdotalis officii pertinere probatur opprobrium, volumus ut eum coram aliis sacerdotibus vel quibusdam de filiis suis nobilibus contestari pro hac re debeas, et adhortari ut, vitio torporis excusso, deses esse non debeat, sed in Ecclesiæ suæ ac monasteriorum cura sit vigilans, paternam filiis suis charitatem exhibeat, in defensionem pauperum cum discretione, in quibus justitia suaserit, sit erectus, consilia sapientum libenter suscipiat, quatenus et civitas illa ejus queat sollicitudine consolari, et ipse desidiæ suæ culpas valeat operire. Si vero, quod non credimus, post hanc adhortationem nostram solito adhuc more negligens esse tentaverit, ad nos est modis omnibus

EPIST. XXIV (*Al.* 29). — [a] Is erat episcopus Nicoteræ, ex epist. 48. lib. IX, indict. 2.

EPIST. XXV [*Al.* 30]. — [a] Antea *Proculum*, sed mss. sex Codices optimæ notæ, quos consuluimus quibus similes sunt Edit. 1504, 1508, 1539, et aliæ antiquæ legunt *Palumbum*. Videtur autem Palumbus esse episcopus Consentiæ, de quo fit mentio in epist. 4 l. VII, indict. 1, nunc epist. 3 lib. VIII. GUSSANV. Ad eumdem quoque scribit sanctus Gregorius, epist. 47 lib. IX, indict. 2. Laudatur hæc epist. ab Hincmaro, opusculo 33, c. 43. Ab eodem multæ citantur epistolæ sancti Gregorii, ut tertia libri IX, in capitularibus Caroli Calvi, tit. 7 cap. ultimo. Octava ejusdem libri, in opusc. 33, c. 17; ibid., epist. 108 laudati libri noni. Ejusdem opusculi cap. 20 citatur epist. 107 prædicti libri. Cap. 22, refertur epist. 45 libri XI, ad Theoctistam de hæresi infamatam; cap. 36, epist. 13 ejusdem libri XI; cap. 43, epistola 47 libri IX. In opusculo denique 42, seu in epistola Caroli Calvi nomine scripta ad Adrianum papam, adducitur ex epist. 116 libri IX insigne testimonium.

[b] Hæc nullis in Mss. reperimus.

EPIST. XXVI [*Al.* 31]. — [a] In Excusis, *filii Ecclesiæ*. Ultimam vocem nec in Vaticanis, nec in Norm., Colbert., aut aliis Mss. reperimus; unde illam respuendam duximus; si qui tamen ipsam retinere volnerint, per nos licet. Qui vero sint *filii Ecclesiæ* docemus in notis ad epist. 56 lib. III.

[b] Dura verba episcopo a subdiacono intimanda. Nec leviora sunt quæ sequuntur coram aliis exprobranda. Scribant sancto Gregorio, dicam, hanc qui correptionem improbant, episcopalisque dignitatis læsæ, acerrimum ejusdem dignitatis vindicem, reum, si possint, peragant. AUGET.

transmittendus, ut hic positus discere possit quid vel qualiter secundum timorem Dei agere conveniat sacerdotem. • Data mense Martio, indictione 6.

## EPISTOLA XXVII.

AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Campaniæ episcopos officii sui immemores convocet, atque ut vigilantius agant moneat. Si quem postea noverit desidem, mittat illum Romam.*

Gregorius Anthemio subdiacono Campaniæ.

Quoties illa de fratribus coepiscopisque nostris audimus quæ et illos reprehensibiles ostendere, et nobis tristitiam valeant generare, de eorum nos emendatione non mediocriter cogit necessitas cogitare. Quia ergo nuntiatum nobis est Campaniæ episcopos ita negligentes existere (*Grat., dist.* 84, *c.* 2), ut, immemores honoris [a] sui geniique, neque erga Ecclesias, neque erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhibeant, vel monasteriorum sollicitudinem gerant, seu in oppressorum se et pauperum tuitionem impendant, ideo hac tibi auctoritate præcipimus ut eis a te convocatis, ex nostro illos mandato districte commoneas, quatenus desides ulterius esse non debeant, sed sacerdotalem se habere zelum et sollicitudinem opere doceant, atque ita in his quæ eos juste secundum Deum agere convenit, vigilantes existant, ut nullum nos de eis denuo murmur exasperet. Si quem vero eorum post hæc negligentem esse cognoveris, ad nos eum sine aliqua excusatione transmitte, [b] ut quam sit grave nolle ab his quæ reprehensibilia et valde vituperanda sunt corrigi regulari in se valeant districtione sentire.

## 1237 EPISTOLA XXVIII.

AD JOANNEM SYRACUSANUM EPISCOPUM.

*Cosmam presbyterum, ex qualitate loci ad quem assumptus fuerat afflictum, restituat priori loco.*

Gregorius Joanni episcopo Syracusano.

Quorumdam ad nos relatione pervenit (*Grat., dist.* 74, *c.* 6) Cosmam, qui ex monacho monasterii sanctæ Luciæ a decessore vestro venerandæ memoriæ Maximiano in Ecclesia Syracusana factus subdiaconus atque a vobis postea in possessione quæ Juliana vocatur presbyter dicitur ordinatus, ita nimia tristitia et loci qualitate vehementer afflictum, ut vitam sibi pœnam existimet, [a] et contritionis suæ fuga quærat auxilium. Et ideo quia tales erga subjectos nostros debemus existere quales nobis, si subjecti fuissemus, nostros volueramus esse præpositos, magnæ benignitatis est, si eum in Ecclesia ubi subdiaconi est functus officio sanctitas vestra reducere atque illic presbyterum voluerit constituere cardinalem. Quod et facere quantum arbitramur debetis, si tamen nihil est quod juste contra ipsum animos vestros exasperet. Si vero aliqua culpa est, suis nobis hoc epistolis fraternitas vestra ut scire possimus insinuet. [b] Datum mense Aprilis, indict. 6.

## EPISTOLA XXIX.

AD PHILIPPUM PRESBYTERUM.

*Gavisum se de Andreæ obitu, quod ad æterna gaudia pervenerit. Philippum rogat ut idem sibi a Deo impetret. Ipsi mittit solidos quinquaginta.*

Gregorius [a] Philippo presbytero.

Suscepi epistolas dilectionis tuæ, in quibus mihi innotescere curasti quod vir venerabilis Andreas, presbyter, de hac luce migraverit. De cujus ereptione gavisus sum, quia ad ea quæ semper expetiit gaudia æterna pervenit. De solidis vero qui pro faciendo xenodochio [b] a filio nostro Probo abbate Jerosolymis relicti sunt, hoc quod deliberatum fuerat, ut fieri debuisset, immutari **1238** non potuit. Sed benedictionem parvulam quinquaginta solidos sanctitati vestræ transmisi. Vos igitur pro me, sicut credo quia facitis, enixius orate, ut de præsentis vitæ pelago me omnipotens Deus sua manu eripiat, atque me quiescere in æternæ vitæ littore concedat. Graves enim hic gladiorum oppressiones et causarum tumultus patior. Sed si me diligitis, orando monstrate, quatenus orationis vestræ intercessionem sentiam, et amplius in tot malis atque perturbationibus non affligar. Omnipotens Deus sua vos manu protegat, et pervenire cum vestris ad cœlestia bona concedat. Mense Maii, indictione 6.

## [a] EPISTOLA XXX.

AD DEUSDEDIT MEDIOLANENSEM EPISCOPUM.

*Theodorum cum Defensore ad Venantium mittat, de Theodori expostulationibus inquisiturum.*

Gregorius Deusdedit episcopo Mediolanensi.

Frater et coepiscopus noster Theodorus multa queritur se contra justitiam atque promissionem

[c] Hoc præmittitur in tribus Vatic. et duobus Colbert.

EPIST. XXVII [*Al.* 35]. — [a] Quid honor geniusque episcoporum postulet, non semel exprimit vir sanctissimus. Quatuor hic commemorat : studium erga Ecclesias, paternæ vigilantiæ curam erga filios, monasteriorum sollicitudinem, oppressorum et pauperum tuitionem. In epist. 26, Anthemio, easdem fere dotes episcopo attribuit, in utraque torporem desidiamque exagitat. AUGET. Vide similem loquendi modum, supra, epist. 25.

[b] Lege sancti Petri Damian. lib. I, epist. 12, Alexandro II. Sanctus Chrysostomus, hom. 24, in cap. XI Act. : *Expostularunt cum illo... singulari dispositione accidit illum (Petrum) reprehendi, ut hi discant... Vide autem quam alienus sit a fastu et vana gloria. Incipiens enim Petrus exposuit illis per ordinem*, etc. Idem, in homil. de ferendis reprehensionibus, exemplum affert Moysis a socero homine barbaro reprehensi. *Non inflabatur*, inquit, *vel principatus magnitudine, vel miraculis quæ operatus erat, neque rubore suffundebatur quod tot præsentibus iisque subditis corrigeretur; sed considerabat quod licet magna a se signa fierent, humanæ tamen esset particeps naturæ, quam non raro multa latent, atque ideo cum mansuetudine consilium suscepit. Est nunc videre aliquos*, etc. AUGET.

EPIST. XXVIII [*Al.* 36]. — [a] Gratianus, *contristationis suæ fugam quærat auxilium*. Favent huic lect. Colbert. et Reg.

[b] In eodem Cod. Colbert., *mense Maio*, indict. 6. At paulo antea, ibid., et in alio Colbert., sicut et in mox laud. Reg., legitur *mense Aprili, indict*, 6.

EPIST. XXIX [*Al.* 28]. — [a] Sic antiquæ Editiones et Mss. Codd. Male in aliis : *Philippo episcopo*. GUSSANV.

[b] In Vatic. D et F, *qui... filio nostro Probo abbati... relicti sunt;* quæ lectio alium inducit sensum.

EPIST. XXX [*Al.* 37]. — [a] In tribus Vatic. huic epist. præfigitur *mense Aprili, indict.* 6.

tuæ sanctitatis perpeti, quæ nos facile non duximus credenda. Sed quia hæc relinquere sine inquisitione non possumus, fratri et coepiscopo nostro Venantio ejus causam deputavimus ventilandam, ut subtiliter ipse cognoscat, nobisque renuntiet. Tua itaque fraternitas eumdem episcopum cum defensore Ecclesiæ suæ sub festinatione ad prædictum fratrem dirigat, ut nos, ejusdem negotii cognita veritate, suis ipse epistolis certiores reddat.

## EPISTOLA XXXI

### AD PHOCAM IMPERATOREM.

*Pessimos reges ad populi peccata punienda, optimos ad subditorum consolationem constitui. Hortatur ut afflictæ reipublicæ subveniat.*

Gregorius Phocæ Augusto.

[a] Gloria in excelsis Deo, qui, juxta quod scriptum est, immutat tempora, et transfert regna; et quia hoc cunctis innotuit quod per prophetam suum **1239** loqui dignatus est, dicens : *Quia dominatur excelsus in regno hominum, et cui voluerit ipse dat illud* (*Dan.* IV, 14). In omnipotentis quippe Dei incomprehensibili dispensatione alterna sunt vitæ mortalis moderamina, et aliquando cum multorum peccata ferienda sunt, unus erigitur per cujus duritiam tribulationis jugo subjectorum colla deprimantur, quod in nostra diutius afflictione probavimus. Aliquando vero cum misericors Deus [b] mœrentia multorum corda sua decrevit consolatione refovere, unum ad regiminis culmen provehit, et per ejus misericordiæ viscera in cunctorum mentibus exsultationis suæ gratiam infundit. De qua exsultationis abundantia roborari nos citius credimus, qui benignitatem vestræ pietatis ad imperiale fastigium pervenisse gaudemus. *Lætentur cœli, et exsultet terra* (*Psal.* XCV, 11), et de vestris benignis actibus universus reipublicæ populus nuncusque vehementer afflictus hilarescat. Comprimantur jugo dominationis vestræ superbæ mentes hostium. Releventur vestra misericordia contriti ac depressi animi subjectorum. Virtus cœlestis gratiæ inimicis terribiles vos faciat, pietas subditis benignos. Quiescat felicissimis temporibus vestris universa respublica, prolata sub causarum imagine præda pacis. Cessent testamentorum insidiæ, donationum gratiæ violenter exactæ. Redeat cunctis in rebus propriis secura possessio, ut sine timore habere se gaudeant quæ non sunt eis fraudibus acquisita. Reformetur jam singulis sub jugo imperii pii libertas sua. [c] Hoc namque inter reges gentium et reipublicæ imperatores distat, quod reges gentium domini servorum sunt, imperatores vero reipublicæ domini liberorum. Sed melius hæc orando quam suggerendo dicimus. Omnipotens Deus in cuncta cogitatione et opere cor vestræ pietatis suæ gratiæ manu teneat, et quæque juste, quæque clementer agenda sunt, inhabitator vestri pectoris Spiritus sanctus benigne disponat, [d] ut et temporali regno vestra clementia sublimetur, et post multorum annorum curricula ad cœlestia regna pertingat. [e] Dat. mense Junii, indictione 6.

## EPISTOLA XXXII.

### AD EUSEBIAM PATRICIAM.

*Hortatur ut plus ea quæ animæ quam quæ sunt corporis cogitet.*

Gregorius [a] Eusebiæ patriciæ.

Et si occupata mens vestra [b] divitiis, aut fortasse

EPIST. XXXI [*Al.* 38]. — [a] Olim in rebus lætis et gratiarum actionibus usurpari solitum hymnum *Gloria in excelsis Deo*, jam observavimus lib. v, epist. 39, nota *d*. Antiquum morem suam testificandi lætitiam hujus hymni decantatione, perseverasse usque ad Caroli Mag. tempora, patet ex Anastasio in Leone III. *Pariter*, inquit, *se amplectentes cum lacrymis se osculati sunt* (Leo et Carolus) *et prædicto pontifice* Gloria in excelsis Deo *inchoante*, etc. Verum paulo post hujus hymni loco decantari cœpit *Te Deum laudamus*. Si quidem Stephanus papa exceptus est Rhemis a Ludovico Pio, *præcinentibus pro tanta exsultatione variis Ecclesiæ ordinibus* Te Deum laudamus, etc., ut in ejusdem Ludovici Pii Vita legitur. In more etiam positum erat apud Græcos, his verbis, *Gloria in excelsis Deo*, etc., uti ad gratias agendas, ut expresse docet Chrysostomus homil., 3 in cap. I epist. ad Coloss. Porro qua occasione epistola hæc scripta fuerit, omnes norunt. In superioribus Editionibus, initio libri XI, nunc XIII, legitur sub titulo epist. 1 : *De Phoca coronato*, etc. Verum hoc ad calcem amandandum censuimus. Gregorium arguunt nonnulli, quasi de Mauricio iniquius, de Phoca adulatorie scripserit. Verum, ut taceamus adversum in multis Gregorio fuisse Mauricium, nempe in controversia cum Joanne Constantinopolitano œcumenici titulum usurpante, in Maximi Salonitani ordinatione, in pace cum Langobardis ineunda, indict. 13, epist. 40; ut etiam taceamus immanitate insigni fœdaque avaritiæ labe præclaras Mauricii dotes tunc saltem fuisse deformatas, cum ingentem captivorum numerum jugulari maluit, quam perexigua pecunia in singulorum pretium a Chagano taxata illos redimere; certum est exarchos in Italiam, ut reliquias illic imperii adversus Langobardos tutarentur, missos per impotentiam et avaritiam majora quam hostes ipsi damna Italis attulisse. Adjacentes quoque Italiæ insulas exactionibus nimiis oppressas queritur Gregorius lib. v, epist. 41. Igitur magis æqua sperans tempora, hic ad Phocam scribit : *Releventur vestra misericordia contriti ac depressi animi subjectorum*. Epist. vero 38 : *Domino laudes debemus, quod, remoto jugo tristitiæ, ad libertatis tempora sub imperiali benignitatis vestræ pietate pervenimus*. Denique, epist. 39 : *Deo gratias debemus quod tam dura longi temporis pondera cervicibus nostris amota sunt, et imperialis culminis lene rediit jugum*. Quippe in ipsis imperii primordiis clementiam in subditos ac liberalitatem summam ostendebat Phocas; ficte quidem, nimirum ut exacerbatos ex decessoris sui tum avaritia tum immanitate sibi conciliaret animos. At non divinabat sanctus Gregorius mores ejus brevi mutatos iri in pejus, et Phocam postmodum obscenis se libidinibus mancipaturum ac optimorum virorum cruore satiaturum. Imo etiamsi futurum id prævideret, de præsenti rerum statu, non de futuro, suis in epistolis loqui debuit.

[b] Vulgati, invitis Mss., *mœrentium corda*, *sua decrevit collatione refovere*. Multa alia, prælucentibus Mss., hac in epistola mutavimus; at cum leviora sint, de his monere operæ pretium non duximus.

[c] Idipsum supra notavimus, lib. VIII, epist. 51, nunc lib. X. GUSSANV.

[d] Ita Norm., præsertim et Turon. In Vulgatis legitur, *ut de temporali regno vestra clementia post multorum annorum curricula*, etc.

[e] Nullibi id leginus præterquam in duobus Colbert., ubi tamen pertinere videtur ad epist. sequentem.

regiæ civitatis tumultuosis implicationibus **1240** A nos per epistolas suas visitare postponit, nostrum est tamen etiam aversa filiorum corda dulci charitate prosequi, eaque ad benignum animum et admonendo et orando revocare. Unde nunc debitum salutationis alloquium solvens, hortor ut excellentia vestra a civitatis illius superfluis tumultibus animum avertat, plusque ea quæ animæ quam quæ sunt corporis cogitet. Transitoria esse omnia perpendat. Venturi judicis examen tremendum cum metu et lacrymis quotidie sine cessatione consideret, illumque diem, in quo perturbanda sunt omnia, cum timore ad animum reducat, ut iram judicis in ipso jam die non timeat. Omnipotens autem Deus hæc vestris cogitationibus aspiratione sui spiritus infundat, vosque et hic cum nobilissimo conjuge et tranquille vivere, et B de domni [c] Strategii salute gaudere faciat, atque post longa tempora ad æterna præmia pervenire concedat [d].

## EPISTOLA XXXIII.

### AD SMARAGDUM EXARCHUM.

*Ut Firminum episcopum ad Ecclesiæ unitatem reversum, a Severi molestiis defendat hortatur. Servaturum triginta dierum inducias Cillanem, at Pisanos pacisci noluisse.*

Gregorius Smaragdo patricio et exarcho.

Olim novimus, excellentissime fili, quo desiderio, quave conversione animi, pro [a] adunanda Dei Ecclesia in Istriæ videlicet partibus, zelo Redemptoris nostri, amore æternæ mercedis, studii vestri fervor exstiterit. Quod cum ita sit, ea quæ nobis de illis nuper sunt partibus nuntiata, ad vestram non destitimus perferre notitiam. Firminus siquidem frater et coepiscopus noster, [b] Tregestinæ antistes Ecclesiæ, ante adventum vestræ excellentiæ salubri consilio ab schismate, quo inhæserat, resipiscens, atque ad unitatem matris Ecclesiæ rediens, nostris est epistolis confirmatus, quatenus in vero quem cognoverat sinu matris Ecclesiæ, fortitudine animi fixus ac stabilis permaneret. Quo audito Severus, [g] Gradensis episcopus, ejusdem caput schismatis, [d] eum diversis primum cœpit, si posset, suasionibus a bono revocare proposito. Quod dum perficere Deo auctore minime valuisset, seditionem illi suorum civium excitare non timuit. Quanta vero prædictus frater et coepiscopus noster Firminus ex eadem immissione pertulerit, plenius illic ac veracius e vicino poteritis agnoscere. Directis itaque excellentiæ vestræ jussionibus his qui in Istriæ partibus **1241** locum vestrum agere, Deo auctore, noscuntur, districtius jubetote, quatenus et sæpedictum fratrem nostrum ab illatis debeant defensare molestiis, et quietem illius multis ad imitandum profuturam modis omnibus procurare; ut hæc vestra provisio et conversorum sit optata securitas, et occasio apta sequentium. Excellentiam quapropter vestram paterno salutantes affectu, petimus ut zeli vestri in B hac causa olim exhibiti nunc vehementius fervor incandeat; tantoque vos contra hostes Dei vindices defensoresque reperiant, quanto apud Deum pretiosior est animæ quam defensio corporis. Armet vos contra devios ipsa quæ in vobis fidei viget rectitudo, redintegretur vestris temporibus quod in illis est partibus scissum corpus Ecclesiæ. Habetis in hac causa retributorem vestri operis, rectitudinis ac integritatis auctorem. De divina namque miseratione confidimus quod tanto exteriores hostes nostri valentiores vos contra se reperient, quanto vos inimici rectæ fidei divino in se senserint amore terribiles.

Præterea duas [e] ad Cillanem epistolas misimus, si pacem quæ ab excellentia vestra in triginta diebus C facta est custodiret; et rescripsit eam se servaturum, si tamen ipsi a reipublicæ partibus fuerit custodita. Homines autem illos quos tenuerat omnes cum rebus suis relaxavit. Sed de occisis hominibus suis valde dolet, atque de vobis vehementer suspectus est, quia si, quod Deus avertat, locum invenerit, etiam in pace eum non est dubium excessurum. [f] Ad Pisanos autem hominem nostrum dudum qualem debuimus, et quomodo debuimus, transmisimus; sed obtinere nil potuit. Unde et [a] dromones eorum jam parati ad egrediendum nuntiati sunt.

EPIST. XXXII [*Al.* 39]. — [a] Videtur fuisse filia Rusticianæ patriciæ, ex epist. 21, nunc 27, lib. II, indict. 10; epist. 44 lib. III, nunc 46 lib. IV. GUSSANV.

[b] Rhemensis et Vatic. D, *divinis actionibus*, *aut fortasse*, quod etiam legimus in vet. Ed.

[c] Puto filium fuisse supradictæ Eusebiæ, sicque nepotem Rusticianæ; quod colligo ex epist. 25 lib. VII, nunc 22 lib. VIII, indict. 1; epist. 38 lib. IX, nunc 44 lib. XI; epist. 26 lib. XI, nunc 22 lib. XIII. GUSSANV.

[d] Posset addi *mense Junio*, *indict.* 6, siquidem ita legitur initio epistolæ hujus in tribus Mss. Vatic.

EPIST. **XXXIII** [*Al.* 40]. — [a] Ita melius Vatic., Norm., Colbert., Rhem., etc., quam Excusi, ubi legitur *pro adjuvanda*.

[b] Tergestum, vulgo *Trieste*, urbs Istriæ in Carnorum confinio sita; in intimo recessu sinus Tergestini, *Golfo di Trieste* ab ea dicti. Portum habet capacem, estque episcopatus sub patriarcha Aquileiensi, sive Utinensi archiepiscopo. GUSSANV. Legimus *Tregestum* in quinque Vatic., et in omnibus Norm., imo et in vet. Ed.. quos sequi cogimur.

[c] Patriarcha Aquileiensis post Heliam, ad quem Pelagius II scripsit. Incensa autem a Langobardis D Aquileia, sedem transtulit ad Gradensem Ecclesiam, schismaticorum in illis partibus princeps. Vide quæ diximus ad epist. 16 lib. I. GUSSANV.

[d] In Excusis, *cum diversis præmiorum*, etc., certe dissentientibus saltem plerisque Mss.

[e] Ita in omnibus Norm., Turon., Colbert. et in duobus Vatic. In aliis legitur *Varacinallem* vel *Vasaccillonem*; nullis autem in Mss. reperimus *Tilquinum*, ut est in Excusis.

[f] Pisæ, vulgo *Pisa*, urbs celebris Etruriæ, nunc archiepiscopalis.

[g] De hac voce supra, epist. 37 lib. olim VIII, nunc lib. X. *Liburnæ* quoque aut *Liburnicæ* dictæ sunt hæ naves a Liburnis Illyrici populis. Horatius, epod. 1:

> Ibis Liburnis inter alta navium,
> Amice, propugnacula.

Dromonariorum remigum meminit Cassiodorus, Variar. lib. IV, epist. 15.

## EPISTOLA XXXIV.

AD PANTALEONEM NOTARIUM.

*Quod ad justam mensuram modium quo Ecclesiæ coloni frumenta dabant redegerit laudat. Jubet perceptam ex injusto modio pecuniam colonis pauperioribus secreto distribui.*

Gregorius Pantaleoni notario.

Experientia tua quod vel quale apud sacratissimum corpus beati Petri apostoli jusjurandum præbuerit memor est. Unde nos quoque securi discussionis tibi causam in patrimonio partis Syracusanæ commisimus. Oportet ergo te fidem tuam, et ejusdem beati Petri apostoli timorem semper ante oculos habere, atque ita agere, ut neque ab hominibus in præsenti vita, neque ab omnipotente Deo in extremo judicio valeas reprehendi. **1242** [a] Salerio siquidem chartulario nostro narrante, cognovimus quia modium quo coloni Ecclesiæ frumenta dare compellebantur viginti quinque sextariorum inveneris. Quod omnino exsecrati sumus, atque eamdem discussionis causam te tarde fecisse doluimus. Quia ergo eumdem modium te fregisse et justum fecisse commemoras, gavisi sumus. Sed quia prædictus chartularius summam nobis quoque indicare studuit, quæ de fraudibus conductorum apud experientiam tuam jam de duobus territoriis est collecta, sicut te studiose fecisse fracto injusto modio gaudemus, quia in futuro nobis prospicimus, ita etiam de peccatis præteritis cogitamus, ne si ea quæ fraudulenter conductores a rusticis abstulerunt ad nos perveniunt, peccata quæ ab ipsis perpetrata sunt ad nos trahantur. Et ideo volumus cum omni fide, omni puritate, considerato timore omnipotentis Dei, reducta ad memoriam districtione beati Petri apostoli, per unamquamque massam colonos pauperes et indigentes experientiam tuam describere, atque ex eis pecuniis quæ in fraudibus sunt inventæ, vaccas, oves porcosque comparare, et singulis colonis pauperibus ea distribuere. Quod facere te cum consilio viri reverendissimi domni Joannis episcopi, atque Adriani chartularii nostri et rectoris volumus. Si autem necesse propter consilium fuerit, etiam filius noster domnus Julianus debet adhiberi, ita ut nullus alius agnoscat, sed omnino secretum sit. Vos ergo inter vos pertractate utrum in auro aut certe [b] in pecuniis eisdem colonis pauperibus dari eadem continentia debeat. Quidquid vero communiter steterit, prius descriptionem, sicut dixi, facito, et postmodum singulis juxta qualitatem suæ paupertatis distribuere stude. Ego enim, sicut Magister A gentium testatur, habeo omnia, et abundo; nec pecunias, sed mercedem quæro (*Philip.* IV). Ita ergo age, ut in die judicii de causa [c] mercedis quæ experientiæ tuæ commissa est mihi fructum quem feceris ostendas. Quod si pure, fideliter et strenue egeris, et hic illud in filiis tuis recipies, et postmodum retributionem plenariam in æterni judicis examine habebis.

## EPISTOLA XXXV.

AD CATULUM ET ROMANUM.

*Optatum defensorem in amovendis a sacerdotum contubernio extraneis mulieribus adjuvet.*

Gregorius [a] Catulo, Romano, et Vintarith.

Pervenit ad nos quod qui sunt in sacro ordine constituti in territorio [b] Nursino cum mulieribus extraneis habitent. Quod quia [c] grave et **1243** valde indecens est, Optato defensori præcepimus ut eos debeat adhortari, quatenus, si ita est, nullus eorum cum extraneis mulieribus de cætero audeat habitare. Quod si forte adhortationem ejus neglexerint, hoc quoque ei injunximus, ut ad notitiam fratris et coepiscopi nostri Chrysanthi illud perducere debeat, dummodo per illum corrigat, aut cum ejus auctoritate prædictus defensor studeat emendare. Et ideo magnitudo vestra in hoc capitulo, sicut eam condecet, concurrat, atque eumdem desuper fratrem habeat in omnibus commendatum, ut vobis solatiantibus et quæ ei injuncta sunt salubriter expleat, et in aliis contra rationem laborare non valeat.

## EPISTOLA XXXVI.

AD CHRYSANTHUM SPOLETANUM EPISCOPUM.

*Habitantes cum extraneis mulieribus Nursinos sacerdotes coerceat.*

Gregorius Chrysantho episcopo Spoletano.

Ex quorumdam relatione cognovimus sacerdotes territorii Nursini cum mulieribus extraneis commanere. Pro qua re valde nos fraternitas tua contristatos agnoscat, quæ dudum talia, si tamen cognovit, minime passa est coercere. Sed quoniam Optato præcipimus defensori ut hæc debeat modis omnibus emendare, et si quisquam ex eis in tali capitulo contumax voluerit apparere, ad fraternitatis tuæ eum debeat evocare judicium, ideo sanctitati tuæ necessario duximus scribendum ut si quos de sacerdotibus ad tuam diœcesim pertinentibus cum extraneis cognoverit habitare, vel certe de quibus antedictus Optatus tuæ renuntiaverit sanctitati [a] procaces invenerit, admonitione sacerdotali præmissa, et, si res ita exegerit, etiam canonicam adhibens disciplinam, de

EPIST. XXXIV [*Al.* 41]. — [a] Prius legebatur *Valerio*, quod mutare coegerunt Mss. Norm., Anglic., Vatic., Colbert., etc. Modius de quo hic sexdecim sextariorum tantum esse debuit. Vide notas ad epist. 44 lib. I. Hinc patet quanta fraus ab Ecclesiæ actoribus facta, quam jure exsecratur sanctus pontifex.

[b] Tres Vatic. A, B, F, *in peculiis*. Pecunia autem dicitur *quidquid habent homines in terra; omnium quorum domini sunt pecunia vocatur; servus, vas, ager, arbor, pecus, quidquid horum est, pecunia dicitur*, inquit Augustinus, lib. de Discipl. Christ., c. 1, quod refertur causa 1, q. 3, c. 6.

[c] Hic merces accipienda videtur pro beneficio. Vide lib. III, epist. 3, notam *d*.

EPIST. XXXV [*Al.* 42]. — [a] In Anglic. et Norm. tantum legitur *Catulo et Romano*. Additur *Wintharith* in quinque Vatic., Rhem. et Colbert. vet. In secundo e Colbert., *Cartulario Romano*. In tertio, *Cartulario, Romano, et Winthareth*. In quarto, *Catulo, Romano, et Wictarith*. In quinto *Catulo et Romano*. Editi recent., pro *Wintharith*, habent *Victori*.

[b] De Nursia vide notam *b* ad cap. 1 libri XI Dialog.

[c] In Norm., *ignavum et valde indecens*.

EPIST. XXXVI [*Al.* 45]. — [a] In Norm., Reg., Colb. et plur. aliis Mss., omittitur *procaces invenerit*.

cætero emendare festinet, quia nos audire talia nulla patimur ratione. Sed et presbyterum quem dicunt sine Dei respectu plurimis violentias irrogare, admonere eum vel increpare pro talibus fraternitas tua studeat. Qui si te audire noluerit, a communione eum suspende, ut vel sic incipiat a pravis se actibus removere. [b] Mense Julii, indictione 6.

## EPISTOLA XXXVII.

### AD JOANNEM PANORMITANUM EPISCOPUM.

*Pallii usum concedit.*

Gregorius Joanni episcopo Panormitano.

Apostolicæ sedis benevolentia provocati, fraternitati tuæ, quam Panormitanæ Ecclesiæ [a] speculatoris constat suscepisse officium, pallii usum prævidimus concedendum, illis videlicet **1244** temporibus, atque eo ordine, ut alios quoque insulæ Siciliæ sacerdotes vel decessores tuos usos esse non ambigis. Illud autem admonemus, ut apostolicæ sedis reverentia nullius præsumptione turbetur. Tunc enim status membrorum integer manet, [b] si caput fidei nulla pulset injuria, et [c] canonum maneat incolumis atque intemerata semper auctoritas, ut sicut a nobis hujuscemodi decoris usum ad sacerdotalis officii honorem accepisse te gaudes, ita etiam morum atque actuum probitate susceptum adornare contendas officium. Sic etenim alterno eris invicem decore conspicuus, si ad hujuscemodi corporis habitum mentis quoque tuæ bona concordent.

## EPISTOLA XXXVIII.

### AD PHOCAM IMPERATOREM.

*Diaconi sui absentiam ingeniose excusat. Mittit Bonifacium. Adversus Langobardos auxilium implorat.*

[a] Gregorius Phocæ Augusto.

Considerare cum gaudiis et magnis actionibus gratiarum libet quantas omnipotenti Domino laudes debemus, quod, remoto jugo tristitiæ ad libertatis tempora, sub imperiali benignitatis vestræ pietate pervenimus. Nam quod permanere in palatio, juxta antiquam consuetudinem, apostolicæ sedis diaconum vestra serenitas non invenit, non hoc meæ negligentiæ, sed gravissimæ necessitatis fuit, quia dum ministri omnes hujus nostræ Ecclesiæ tam contrita asperaque tempora cum formidine declinarent atque refugerent, nulli eorum poterat imponi ut ad urbem regiam in palatio permansurus accederet. Sed postquam vestram clementiam, omnipotentis Dei gratia disponente, ad culmen imperii pervenisse cognoverunt, ipsi quoque suadente lætitia [b] ad vestra vestigia venire festinant, qui prius illuc accedere valde timuerant. Sed quia eorum quidam ita senectute sunt debiles, ut laborem ferre vix possint, quidam vero ecclesiasticis curis vehementer implicantur, et [c] lator præsentium, qui primus omnium defensorum fuit, bene mihi ex longa assiduitate compertus est, vita, fide, ac moribus approbatus, hunc aptum pietatis vestræ vestigiis esse judicavi. Unde eum, auctore Deo, diaconum feci, et sub celeritate transmittere studui, qui cuncta quæ in his partibus aguntur, inveniente opportuno tempore, valeat clementiæ vestræ suggerere. [d] Cui rogo ut serenitas vestra pias aures inclinare dignetur, ut tanto nobis valeat celerius misereri quanto afflictionem nostram verius ex ejus relatione cognoverit. Qualiter enim quotidianis gladiis et quantis Langobardorum incursionibus ecce jam per triginta quinque annorum longitudinem premimur, nullis explere **1245** suggestionis vocibus valemus. Sed in omnipotente Domino confidimus quia ea quæ cœpit consolationis suæ nobis bona perficiet; et qui suscitavit in republica pios dominos, etiam exstinguet crudeles inimicos. Sancta itaque Trinitas vitam vestram per tempora longa custodiat, ut de bono vestræ pietatis, quod tarde suscepimus, diutius gaudeamus. (*Joan. Diac., lib.* IV, *c.* 21.)

## EPISTOLA XXXIX.

### AD LEONTIAM IMPERATRICEM.

*Gratulatur de adepto imperio. Divinam illi precatur gratiam. Romanam Ecclesiam commendat.*

Gregorius Leontiæ Augustæ.

Quæ lingua loqui, quis animus cogitare sufficiat quantas de serenitate vestri imperii omnipotenti Deo gratias debemus, quod tam dura longi temporis pondera cervicibus nostris amota sunt, et imperialis culminis [a] lene jugum rediit quod libeat portare subjectis? Reddatur ergo Creatori omnium ab hymnidicis angelorum choris gloria in cœlo, persolvatur ab hominibus gratiarum actio in terra, quia universa respublica, quæ multa mœroris pertulit vulnera, jam nunc consolationis vestræ invenit fomenta. Unde nobis necesse est omnipotentis Dei misericordiam enixius exorare, ut cor vestræ pietatis sua semper dextera teneat, ejusque cogitationes cœlestis gratiæ ope dispenset, quatenus tranquillitas vestra tanto

[b] In omnibus Mss. hæc desiderantur, præterquam in Colbert., ubi ad epistolam seq. videntur pertinere. Utrum tamen habeantur in Vaticanis, necne, non satis intelligitur ex variarum lectionum collectione quæ ad nos pervenit.

EPIST. XXXVII [*Al.* 44]. — [a] Alludit ad episcopi nomen, quod Græce *inspectorem* significat.

[b] Intelligit sedem apostolicam, cui præsidet Romanus pontifex sancti Petri successor. Vide Matth. XVI. GUSSANV.

[c] Leo I, epist. 92, ad Maximum Antioch., c. 4 : *Universæ pacis tranquillitas non aliter custodiri poterit, nisi sua canonibus reverentia intemerata servetur.* GUSSANV.

EPIST. XXXVIII [*Al.* 45]. — [a] Epistolam hanc refert Amalarius, lib. IV de Eccles. Off., c. 25.

[b] Modus loquendi magnam tum animi demissionem tum venerationem significans. Sanctus Paulinus, epist. 23, ad Severum, pag. 147 : *Dum pedes lambo divinos, piarem castis labia immunda vestigiis.* Isaiæ LX, 14 : *Adorabunt vestigia pedum.*

[c] Bonifacius, de quo fit mentio epist. 49, nunc 42, ad quem etiam scripsit epist. 3 lib. XII, nunc 4, lib. XIV. Is fuit postea summus pontifex, dictus Bonifacius. GUSSANV.

[d] Prius legebatur *propter quod rogo.* In multis aliis hanc epistolam ad Mss. sinceritatem revocavimus, a qua in Excusis recesserat.

EPIST. XXXIX [*Al.* 46]. — [a] Ita Turon., Rhem., Colbert., Norm., Anglic., Vatic., quod multum discrepat a vulgata lect., *leve jugum subiit.*

rectius valeat sibi servientes regere, quanto dominatori omnium noverit verius deservire. In amore catholicæ fidei faciat defensores suos, quos fecit ex benigno opere imperatores nostros. Infundat in vestris mentibus zelum simul et mansuetudinem, ut semper pio fervore valeatis et quidquid in Deo exceditur non inultum relinquere, et [b] si quid vobis delinquitur parcendo tolerare. [c] Det nobis in vestra pietate Pulcheriæ Augustæ clementiam, quæ pro zelo catholicæ fidei in sancta synodo Helena nova vocata est (*Act.* 1 *synodi Chalcedonensis*). Omnipotens Dei misericordia largiora vobis cum piissimo domino spatia vivendi concedat, ut quo vestra longius vita extenditur, subjectorum omnium consolatio validius confirmetur.

Rogare forsitan debui ut Ecclesiam beati Petri apostoli, quæ nunc usque gravibus insidiis laboravit, haberet vestra tranquillitas specialiter commendatam. Sed qui scio quia omnipotentem Deum diligitis, non debeo petere quod sponte ex benignitate vestræ pietatis exhibetis. Quanto enim plus timetis Conditorem omnium, tanto amplius ejus potestis Ecclesiam amare, cui dictum est : *Tu es Petrus, et super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, et portæ inferi non prævalebunt adversus eam.* Et cui dicitur : *Tibi dabo claves regni cœlorum; et quodcunque ligaveris super terram, erit ligatum et in cœlo; et quæcunque solveris super terram, soluta erunt et in cœlo* (*Matth.* XVI, 18). Unde nobis **1246** dubium non est quam forti amore ad eum vos stringitis, per quem solvi [d] ab omnibus peccatis enixius desideratis. Ipse ergo sit vestri custos imperii, sit vobis protector in terra, sit pro vobis intercessor in cœlo, ut per hoc quod, relevatis duris ponderibus, in vestro imperio subjectos gaudere facitis, post multa annorum tempora in cœlesti regno gaudeatis (*Joan. Diac., lib.* IV, *c.* 22).

## EPISTOLA XL.

AD CYRIACUM PATRIARCHAM CONSTANTINOPOLITANUM.

*Hortatur ut pacis studio a superbo Universalis titulo abstineat. Commendat Bonifacium diaconum.*

Gregorius Cyriaco patriarchæ Constantinopolitano.

Quanta sit pacis virtus, charissime frater, ex voce dominica diligentius intuentes, quæ ait : *Pacem meam do vobis* (*Joan.* XIV, 27), ita in ejus nos decet dilectione persistere, ut locum præbere discordiæ nullo modo debeamus. Sed quia in radice ipsius vivere aliter non valemus, nisi mente et actu humilitatem, quam ipse auctor pacis docuit, teneamus, cum ea charitate qua dignum est suademus ut profanam elationem quæ animabus semper adversa est, cordis pede calcantes, perversi [a] superbique vocabuli [b] scandalum Ecclesiæ auferre de medio festinetis, ne a pacis nostræ societate divisi inveniri possitis. Sed unus in nobis spiritus, una mens, una charitas, una in Christo, qui sua membra esse nos voluit, sit compago concordiæ. Nam quam durum, quam indecens, quam crudele, quamque a proposito sit sacerdotis extraneum illum pacem quam aliis prædicat non habere, sanctitas vestra consideret, et suos de superbia fratres scandalizare abstineat. Sed hæc magis studeat, ut vanæ ac superfluæ elationis auctorem humilitatis queat ense prosternere, quatenus in ejusmodi victoria suum vos habitaculum sancti Spiritus gratia sibi vindicet, et aperte impleatur in vobis quod scriptum est : *Templum Dei sanctum est, quod estis vos* (*II Cor.* VI, 17).

Præsentium vero portitorem dilectissimum communem filium Bonifacium diaconum vobis in omnibus commendamus, ut quocunque necesse fuerit, solatia vestræ, sicut decet, inveniat sanctitatis.

## EPISTOLA XLI.

AD EULOGIUM ALEXANDRINUM PATRIARCHAM.

*Eulogium ad simoniam evellendam hortatur.*

Gregorius Eulogio episcopo Alexandrino.

Quadam die dum inter me et familiares meos de consuetudinibus Ecclesiarum sermo fuisset exortus, quidam, qui in magna civitate Alexandrina [a] medicinalis arte erat imbutus, [b] collectorem **1247** se apud sophistam suum habuisse perhibuit, summæ pravitatis puerum, quem repente dixit esse diaconum ordinatum. Atque addidit quod per præmia et dationes ordinatus fuisset, quia eamdem consuetudinem in sancta Alexandrina Ecclesia convaluisse fatebatur. Quod ego audiens obstupui, et valde miratus sum, quia sanctissimi ac beatissimi viri domni Eulogii lingua, quæ tam multos hæreticos ad fidem catholicam revocat, simoniacam hæresim de sancta Alexandrina Ecclesia non erasit. Et quis erit cujus exhortatio vel correctio hoc poterit emendare, si magna et admirabilis doctrina ejus hoc sine emendatione reliquerit? Unde pro absolutione animæ vestræ, pro augmento mercedis vestræ, ut ante tremendi oculos Judicis vestra in omnibus perfecta sint opera, festinare debetis simoniacam hæresim, quæ prima in Ecclesia exorta est, a sanctissima sede vestra, [c] quæ nostra est, funditus evellere atque eradicare. Propter hoc etenim contigit ut ecclesiasticorum ordinum a plurimis sanctitas caderet, quia

[b] Excusi, *si quid in vobis delinquitur*. Hic *vobis* significat *contra vos*. Ita psal. L, *tibi soli peccavi* pro *contra te solum*.

[c] Hic Mss. dissident. In Vatic. D et Rhem. : *Redeat in vestra pietate Pulcheriæ Augustæ clementia.* In A et F : *Sedeat vobis in vestra pietate Pulcheriæ Augustæ clementia.* Colb. et Turon., *sed dat nobis*, fortasse pro *se dat nobis..... clementia*, ut legitur in Audoeno, Lyran. et Gemet. In Beccensi, *reddat nobis*.

[d] Hic sequimur Turon., Norm., Colb., duos Vatic. In Excusis et in nonnullis Mss., *ab omnibus peccatorum nexibus desideratis*.

EPIST. XL [*Al.* 47]. — [a] Jam sex anni erant a quibus Cyriacus Constantinopolitanam regebat Ecclesiam, universalisque episcopi vocabulum, invito sancto Gregorio, usurpabat, communione tamen servata.

[b] In Colb. et Norm., *scandalum auferre de medio Ecclesiæ*.

EPIST. XLI [*Al.* 48]. — [a] Norm., *medicinam legerat*. Rhem., *medicinalis erat*.

[b] Vatic. B, *conjectorem*.

[c] De trium sancti Petri sedium, scilicet Romanæ, Alexandrinæ et Antiochenæ unitate vide supra, lib. VII, epist. 40. Lege Hincmarum, opusc. 55, c. 16.

personæ non pro vita et actibus, sed pro præmiis ad eos ordines adducuntur. Si autem morum merita, et non præmia quæruntur, ad ordinationem personæ indignæ non venient. Et tanto plus incipiet vobis merces accrescere, quanto boni quique, qui adducti ad sacros ordines fuerint, de animarum lucris studuerint cogitare.

## EPISTOLA XLII.

AD EULOGIUM PATRIARCHAM ALEXANDRINUM.

*De non amisso oculorum visu, ac de aucto dominico grege gratulatur. Monet susceptas illius eulogias, necnon parata esse grandiora ligna, quibus si eget, scribat Bonifacio.*

Gregorius Eulogio patriarchæ Alexandrino.

Magnas omnipotenti Deo gratias reddimus, quia in ore cordis experimento dulcis fit sapor charitatis, cum impletur quod scriptum est : *Sicut aqua frigida sitienti, sic nuntius bonus de terra longinqua* (*Prov.* xxv, 25). Ante hoc enim temporis Bonifacii chartularii, responsalis mei, qui in urbe regia demoratur, vehementer me scripta turbaverant, quæ dicebant dulcissimam mihi atque suavissimam sanctitatem vestram defectum corporei luminis pertulisse. Ex quibus scriptis gravi mœrore percussus sum. Sed subito, Creatoris ac Redemptoris nostri gratia prosperante, beatitudinis vestræ suscepi epistolam, [a] et, sanam de ea quam audivi corporis molestia agnoscens, exsultavi vehementer, quia tanta lætitia cordis secuta est, quanta prius tristitiæ amaritudo præcesserat. Scimus enim quia in omnipotentis Dei adjutorio multorum salus est vita vestra. Nam tunc inter fluctus nautæ securi navigant, quando gubernator doctus atque artifex ad clavi regimen sedet.

In salutis autem vestræ gaudio [b] hæc quoque mihi est exsultatio addita, quia et imminutos ore vestro Ecclesiæ hostes, et multiplicatos dominicos greges **1248** agnovi. Crescunt enim quotidie per linguæ vestræ vomerem grana cœlestia, atque in supernis horreis multiplicantur ; ita ut in vobis impletum esse gaudeamus quod scriptum est : *Ubi plurimæ segetes, ibi manifesta fortitudo boum* (*Prov.* xiv, 4). Unde aperte colligimus, quia quanto plus ad servitium Dei omnipotentis fugitivos ejus reducitis, tanto apud eum majus meritum habetis. Et quanto meritum majus accipitis, tanto potestis amplius impetrare quæ petitis. Rogo ergo ut pro me peccatore enixius oretis, quia et dolor corporis, et amaritudo cordis, et immensa vastitas mortalitatis inter tot barbarorum gladios me vehementer affligit. Inter quæ omnia non temporalem, sed æternam consolationem requiro, quam per me impetrare non valeo, sed intercessione vestræ beatitudinis hanc me obtinere confido.

Secundo vero anno nulla sanctitatis vestræ scripta suscepi, atque omnino contristatus sum. Et quidem vestra benedictio, quam sine epistola transmisistis, data atque suscepta est. Sed quia plus me lingua vestra quam data lætificat, minoris gratiæ esse credidi quæ dabantur. Communem autem filium Epiphanium diaconum, Alexandro atque Isidoro sanctissimæ [c] Ecclesiæ vestræ diaconis feci scribere, ut constaret quia ea quæ transmissa sunt suscepissem.

Scripsi vero quia grandia ad arbores ac temones faciendos ligna paraveram, sed navis parva quæ venerat, hæc portare non potuit, et nihil mihi exinde rescripsistis. Unde si sunt necessaria, communi filio Bonifacio diacono nostro, quem nunc ad urbem regiam pro faciendis responsis transmittimus, scribite, ut mihi ipse rescribat quatenus præparentur, ut cum beatitudo vestra transmiserit, parata valeant inveniri.

Præterea transmisimus crucem parvulam, in qua de catenis amatorum vestrorum sanctorum Petri et Pauli apostolorum inserta est benedictio, quæ oculis vestris assidue [d] superponatur, quia multa per eamdem benedictionem miracula fieri consueverunt.

Omnipotens Deus cordi beatitudinis vestræ aspiret, ut pro me orare assidue curetis, et vos vestrosque omnes sua dextera protegat, atque post longa annorum curricula ad cœlestia regna perducat.

[e] Eulogias vero sancti Marci a beatissima fraternitate vestra transmissas cum ea charitate qua sunt directæ secundum notitiam earum suscepimus, et gratias affectui vestro referimus, quia ex his exterioribus quales erga nos interius sitis agnoscimus. (*Joan. Diac., lib.* iv, *c.* 52.)

## EPISTOLA XLIII.

AD JOANNEM PANORMITANUM.

*Quem videre peroptabat, manere in Sicilia concedit, ob navigii periculum.*

Gregorius Joanni Panormitano.

Amorem circa nos vestrum, quem corporali nobis visione [a] voluimus exhibere, scriptis et **1249** operibus assidue demonstratis. Sed quid aliud hæc exhibendo agitis, nisi ut plus quæramus videre, quem docemur amplius amare ? Et paulo minus jam etiam murmur accepimus, quia non possumus videre quem amamus. Sed adfuit qui mihi impossibilitatem navigii [b] de vestra gloria narraret, atque ideo quod amavi

Epist. XLII [*Al.* 49]. — [a] In Turon., Rhem., Norman. et Vatic. D, *et sanatos de ea corporis molestia qua vel quam audieram.*

[b] Norman., *hoc quoque mihi est exultationis additum.*

[c] In plerisque Norm. legitur *gloriæ vestræ*, quo sane titulo episcopos a Gregorio compellatos non legimus.

[d] Prius legebatur *supponatur*, quod emendavimus ad Codices Vaticanos, Anglic., Norm.

[e] *Eulogia* idem hic significat ac *benedictio*, qua voce toties utitur sanctus Gregorius ad significanda munera ex charitate data. Eodem sensu usurpantur eulogiæ, regulæ sancti Benedicti c. 54. Vide quæ diximus ad epist. 29 lib. viii, et consule observationes nostri Ilug. Menardi ad Concord. Regul. c. 61, pag. 875.

Epist. XLIII [*Al.* 50]. — [a] Excusi, *voluistis exhiberi*. Nostram lectionem hausimus ex Vatic. A et Remig., in quibus solis Codicibus epistolam hanc invenimus.

[b] Indicant hæc verba falsum esse titulum Excusorum, *Joanni Panorm. episcopo* ; neque enim ita scribit ad episcopos sanctus Gregorius, neque in epistolis aliis ad Joannem Panormitanum episcopum datis istud ipsius videndi desiderium ostendit.

retinui, et quod iratus fueram peperci. Omnipotens Deus sua vos protectione custodiat, et a malis omnibus [c] gratia continua defendat.

## EPISTOLA XLIV.

### AD JOANNEM PANORMITANUM EPISCOPUM.

*Quæ clericis suis justa petentibus promisit exhibeat.*

Gregorius [a] Joanni episcopo Panormitano.

Implenda sunt semper postulantium desideria, quoties illa poscuntur quæ a ratione non deviant. Et ideo quia quædam capitula, quæ servaturum te clericis tuis petentibus promisisti, nostra ab eis [b] postulamur auctoritate firmare, fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut ea quæ præsentia scripta continent sine aliqua debeat refragatione servare. Primum, ut de redditibus Ecclesiæ quartam in integro portionem Ecclesiæ tuæ clericis secundum meritum, vel officium, sive laborem suum, ut ipse unicuique dare prospexeris, sine aliqua præbere debeas tarditate. De hoc vero quod ex fidelium oblatione accesserit, quartam partem in solidis, vel cellario, eis juxta pristinam consuetudinem dare non differas. Reliqua autem omnia mobilia in tua retineas potestate. Immobilia enim ecclesiasticis reditibus aggregentur, ut multiplicata quantitate [c] clericorum tuorum quarta, Deo largiente, proficiant.

[d] Tabularium autem una cum consensu seniorum et cleri memineris ordinandum, qui annis singulis ad amputandam fraudis suspicionem solemniter suas debeat rationes exponere. Vindemiarum autem tempore idem clerus emendi vinum de possessionibus Ecclesiæ tuæ ad justa pretia, in quantum vendendum est, remedium consequatur. Nam satis contra rationem est ut quod potest extraneis venundari, clericis dato pretio denegetur. Possessiones igitur, vel si qua sunt alia ecclesiastico jure competentia, et ab extraneis indebite detinentur, cum omni studio servata civilitate, in jus Ecclesiæ tuæ [e] reparare festina, ut negligens in aliquo videri non valeas. Si quid igitur de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit quod te juste possit offendere (*Grat.*, *dist.* 86, *c.* 23, *caus.* 15, *q.* 7, *c.* 2), facile non credas, nec ad vindictam te res accendat incognita; sed præsentibus senioribus Ecclesiæ tuæ diligenter est **1250** veritas perscrutanda, et tunc si qualitas rei poposcerit, canonica districtio culpam feriat delinquentis. Hæc itaque omnia sic sollicite ac mansuete studii tui sit custodire, quatenus nec tu promissionis tuæ videaris immemor exstitisse, nec illi contra te justam occasionem invenire valeant murmurandi.

[c] In Vulgatis, *gratia assidua.*

EPIST. XLIV [*Al.* 51]. — [a] In uno ex Colbert., *Mariniano Ravennæ episcopo.*

[b] Vulgati, *postulatur.... firmari.*

[c] Ita restituimus ex Mss. Vatic., Reg., Colb. In Corb. tamen legitur, *quartæ... proficiant.* In ed., *clericorum tuorum usibus Deo largiente.... proficiant.*

[d] Id est, dispensatorem quartæ partis redituum Ecclesiæ atque oblationum. Hic clericis portiones distribuebat juxta ipsorum matriculam quæ tabula dicebatur. Augustinus, serm. 355: *Quisquis inventus fuerit habens proprium, non illi permitto ut inde faciat testamentum, sed delebo eum de tabula clericorum.*

[e] Mendose vulgati, *præparare.*

[f] Datum mense Aug., indict. 6. (*Joan. Diac.*, *lib.* x, *c.* 34.)

## [a] EPISTOLA XLV

*seu*

## CAPITULARE PRIMUM.

### AD JOANNEM DEFENSOREM.

*Quid in Januarii, Malacitani episcopi, cujusdam illius presbyteri, necnon Stephani episcopi causis inquirendum ac statuendum sit.*

Gregorius Joanni defensori in nomine Domini eunti in Hispaniam.

In primis requirendum est de persona presbyteri dilectissimi fratris et coepiscopi nostri Januarii (*Grat.*, 2, *q.* 1, *c.* 7); et si ita se veritas habet, sicut ejusdem episcopi petitio continet, in Ecclesiam atque in locum suum modis omnibus idem presbyter revocetur. Si autem dictum fuerit quia contra ipsum causa aliqua mota sive probata est, subtiliter, ipso præsente et pro se rationem reddente, quærendum est et genus causæ, et modus probationis, ut ex hoc recte colligere valeas utrum adhuc in exsilio demorari, an certe in Ecclesiam suam et officium suum debeat revocari.

De suprascripti vero episcopi persona hoc statuendum est, ut si nulla contra eum criminalis causa, quæ exsilio vel depositione digna est, mota sive probata est, is qui eo superstite episcopus perverse ac contra canones in Ecclesia ejus ordinari præsumpsit, sacerdotio privatus, ab omni ecclesiastico ministerio repellatur. Qui etiam eidem dilectissimo Januario fratri et coepiscopo nostro tradendus est, ut aut ab ipso in custodia habeatur, aut certe ab eo ad nos per omnia transmittatur. Episcopi vero qui eum ordinaverunt, vel ordinationi ejus consentientes interfuerunt, in sex mensibus dominici corporis et sanguinis communione privati, agere pœnitentiam decernantur in monasterio, et suprascriptus Januarius loco et ordini suo modis omnibus reformetur. Si vero communione privatis mortis contigerit imminere periculum, benedictio eis viatici non negetur. Si autem episcopi in præjudicium condemnationis vel depositionis memorati episcopi se metu judicis consensisse ac talia fecisse non sua sponte fassi fuerint, et tempus eis abbreviandum est, et modus pœnitentiæ temperandus. Si vero ille qui locum ejus invasit de hac fortasse luce migravit **1251** et alter est ordinatus, quia levior culpa videtur, cum non quasi isti superstiti, sed successisse defuncto videatur, episcopatus illi officium ab illa Ecclesia tantummodo interdicatur ut in alia Ec-

[f] Hæc nullis in Codicibus legimus, præterquam in duobus Colbert., ubi obscurum est utrum ad præsentem epistolam, an ad sequentem pertineant.

EPIST. XLV [*Al.* 52]. — [a] Hæc epistola invenitur in omnibus Vatic., Norm., Anglic., Colbert., Teller., Turon., Rhemens., Corb. In quinque Vatic. legitur: *capitulare quod observandum est a Joanne defensore eunte in Hispaniam.*

clesiâ quæ sacerdote vacaverit, si electus fuerit, possit esse episcopus, [b] ad Malacitanam tamen Ecclesiam nunquam aliquo modo reversurus. Gloriosus autem Comitiolus quidquid prædictus episcopus per violentiam atque insecutionem ipsius expendisse vel damnum pertulisse dato sacramento firmaverit, eidem episcopo restituere condemnetur. Si autem aliter quam antefati episcopi petitio continet actum esse forsitan perhibetur, subtiliter quærendum est, et veritate cognita, cum Dei timore quod justitiæ ordo suaserit judicandum.

Quia ergo Stephanus episcopus in odio suo quædam ficta, et de falsis se capitulis accusatum, neque aliquid ordinabiliter factum, sed injuste se asserit condemnatum, diligenter quærendum est primo si judicium ordinabiliter est habitum, aut si alii accusatores, alii testes fuerunt. Deinde causarum qualitas est examinanda, si digna exsilio vel depositione fuit. Aut si eo præsente [c] sub jurejurando contra eum testimonium dictum est, seu scriptis actum est, vel ipse licentiam respondendi et defendendi se habuit. Sed et de personis accusantium ac testificantium subtiliter quærendum est, cujus conditionis, cujusque opinionis, aut ne inopes sint, aut ne forte aliquas contra prædictum episcopum inimicitias habuissent, et utrum testimonium ex auditu dixerunt aut certe se scire specialiter testati sunt, vel si scriptis judicatum est, et partibus præsentibus sententia recitata est. Quod si forte hæc solemniter acta non sunt, nec causa probata est quæ exsilio vel depositione digna sit, in Ecclesiam suam modis omnibus revocetur. Hi vero qui eum contra Dei timorem et canonum statuta condemnaverunt, excommunicati in monasterium ad agendam pœnitentiam in sex mensibus sunt mittendi, ita sane ut si cuiquam eorum mortis contigerit imminere discrimen, viatici ei benedictio non negetur. Ipse autem qui eo vivente locum ejus temerarie ambivit privatus sacerdotio ab omni ministerio ecclesiastico repellatur, atque eidem dilectissimo fratri et coepiscopo nostro tradatur, ut eum aut ipse ad nos transmittat, aut apud se in custodia habeat. Episcopi vero qui eum ordinare præsumpserunt, vel perversæ ipsius ordinationi præbuere consensum, iidem, communione privati, sex mensibus ad agendam pœnitentiam in monasterio deputentur. Si autem episcopi in præjudicium condemnationis vel depositionis memorati Stephani se metu judicis consensisse, ac talia se fecisse non sua sponte professi fuerint, tempus eis abbreviandum est, et modus pœnitentiæ temperandus. Si igitur is qui prædicti Stephani **1252** locum invasit fortasse defunctus est, atque alius in Ecclesia ejus episcopus ordinatus est, illud de eo statuendum est quod superius de causa fratris et coepiscopi nostri Januarii diximus. Quod si forte aliqua de objectis contra memoratum Stephanum episcopum probata sunt, aliqua vero doceri minime potuerunt, cauta omnino consideratione pensandum est utrum leviora capitula, an certe graviora probata sint, ut ex eis qualiter definitionem tuam [d] formare debeas possis scire. Gloriosus vero Comitiolus, si suprascriptus episcopus innocens esse claruerit, quidquid de rebus ejus, vel Ecclesiæ ipsius tulit, ei sine aliqua restituat dilatione. Sed et quæque se in persecutionem ac violentiam ejus expendisse vel damnum idem episcopus pertulisse juraverit, idem memoratus gloriosus Comitiolus reddat ac satisfaciat. Si autem talem culpam antedictum episcopum commisisse constiterit (*Grat.*, 16, *q.* 6, *c.* 3), quod absit, ut constet eum non irrationabiliter fuisse depositum, eadem ejus depositio confirmetur, et Ecclesiæ res suæ omnes restituantur, quæ ablatæ claruerint, quia delictum personæ in damnum Ecclesiæ non est convertendum. Si enim, ut dicunt, Comitiolus defunctus est, ab hærede ejus quæ ab illo [e] injuste ablata sunt sine excusatione reddantur. (*Joan. Diac., lib.* IV, *c.* 28.)

[a] CAPITULARE II LEGUM IMPERIALIUM.

PRO IMMUNITATE CLERICORUM, JOANNI DEFENSORI EUNTI HISPANIAM.

*Quid in supradictorum causis sit agendum uberius præscribit, collectis imperatorum legibus.*

De persona presbyteri hoc attendendum est (*Grat.*, 11, *q.* 1, *c.* 38), quia si quam causam habuit, non ab alio teneri, sed episcopus ipsius adiri debuit, [b] sicut hæc Novellarum constitutio manifestat, quæ loquitur de sanctissimis et Deo amabilibus ac reverendissimis episcopis, clericis et monachis.

[c] *Petro gloriosissimo præfecto prætorio :* [d] *Si quis contra aliquem clericum, aut monachum, aut diaconissam, aut monastriam, aut ascetriam habet aliquam actionem, adeat prius sanctissimum episcopum, cui horum unusquisque subjaceat. Ille vero causam inter eos dijudicet. Et si quidem utraque pars his quæ judicata sunt* [e] *acquieverit, jubemus per loci judicem hæc executioni perfecte mandari,* etc. Ne vero objiciatur quia de clerico hoc loquitur, non de presbytero,

[b] Malaca, incolis *Malaga*, Gallis autem *Malgue*, urbs olim Hispaniæ Bœticæ maritima, nunc regni Granatensis ad ostia fluvii Bætis, vulgo *Quadalquivirejo*. Emporium celebre, sedem habens episcopalem sub archiepiscopo olim Hispalensi, nunc vero sub Granatensi, ut habet Provinciale Romanum. GUSSANV.

[c] Recent., *eo præsente qui accusatus est*, et infra, *cujus vitæ, cujus conditionis.*

[d] Norm., *firmare debeas.*

[e] Colbert. ac Vatic. A et B, *injuste tulta sunt.*

CAPITULARE II [*Al.* 56]. — [a] Desideratur in Norm., Anglic., Corb. Exstat in quinque Vatic., in tribus Colbert., in Turon., in utroque Rhem., et in duobus Teller., ubi sic incipit : *Joanni defensori eunti in Spaniam exemplum legis.* In Vatic. A præfigitur titulus : *Capitulare legum*, etc., ut in Excusis. In quinque Vatic. Rhem. et Colb., tantum præmittitur *Exemplum legis. De persona.*

[b] Ita omnes Mss. In Excusis, *sicut novella constitutio.*

[c] Excusi, contradicentibus omnibus pene Mss., *Imperator Justinianus Augustus, Petro.*

[d] In Turon., *Petro gloriosissimo præposito.* Additur in duobus Vatic., Rhem. et Colb., *pridie Kalend. Aprilis.*

[e] Vitiose irrepsit particula *non* in recent. Abest ab omnibus Mss., nec legi potest citra sensus jacturam.

sciendum est quia in eadem constitutione, [f] L. 1. A c., legitur appellatione clericorum etiam presbyteros et diaconos contineri. Verba autem legis ista sunt : *Presbyteros autem, et diaconos, et subdiaconos, cantores, et lectores; quos omnes clericos appellamus, et reliqua.* (*Novel.* 123, § *Si quis contra, apud Julianum, cap.* 32 ; *Lib.* 1 *c. Authen. de sanctiss. episcopis.*)

De persona Januarii episcopi sciendum est graviter omnino et contra leges esse actum ut violenter **1253** de Ecclesia traheretur, dum quando si quamlibet aliam injuriam a quocunque episcopus passus fuerit in Ecclesia, injuriantem lex capitali pœna percutiat, et sicut majestatis reum omnibus det accusandi illum licentiam, ut hujus legis series loquitur Codicis libro primo, [g] titulo sexto, constitutione decima : [h] *Imperatores Arcadius et Honorius Augusti,* B *Theodoro præfecto prætor. Si quis in hoc genus sacrilegii proruperit, ut, in Ecclesias catholicas irruens, sacerdotibus et ministris, vel ipsi cultui locoque aliquid importet injuriæ, quod geritur a provinciæ rectoribus animadvertatur, atque ita provinciæ moderator, sacerdotum et clericorum et catholicæ Ecclesiæ ministrorum, loci quoque ipsius et divini cultus injuriam capitali in convictos seu confessos reos sententia noverit vindicandum.* Et post pauca : *Sitque cunctis laudabile factas atroces sacerdotibus aut ministris injurias veluti publicum crimen insequi, atque de talibus reis ultionem mereri,* etc. *Datum* VII *Kalendas Maii, Mediolani, Honorio Augusto quater et Eutychiano consulibus.* (*C. de Episc. et Cler., l. Si quis., et c. Cod. Theod., lib.* XVI, *tit.* 2, *cap.* 31.)

Libri suprascripti [i] tit. 15, const. 2 : *Imperator Honorius et Theodosius Augusti, Jonio præfecto prætor. Fideli ac devota præceptione sancimus nemini licere ad sacrosanctas Ecclesias confugientes* [k] *abducere, sub hac videlicet definitione, ut si quisquam contra hanc legem venire tentaverit, sciat se Majestatis crimine esse retinendum. Data Kalendis Aprilis, Honorio septies et Theodosio tertio consulibus.* Item l. ejusdem tit., [l] constit. 5. *Imperator* [m] *Leo Augustus, Eutychiano præfecto prætor. Præsenti lege decernimus per omnia loca valitura, excepta hac urbe regia, in qua nos divinitate propitia degentes, quoties usus exegerit in-* Certe in ipso fonte habes *quæ judicata sunt acquieverit.*

[f] In quinque Vatic., *in eadem constitutione quinquagesimo primo capitulo legitur.* Sic explicari potest quod habent plerique Mss., L. 1. c.

[g] Duo Rhemens. et quinque Vatic., *titulo tertio constitutione undecima.*

[h] Colbert. ac Rhem., *Imperatoribus Arcadio et Honorio Aug. Theodoro presbytero.*

[i] Remig. et tres Vatic., *tit* 12; Colb., *tit.* 11.

[k] Mendose in Ed., *adducere.*

[l] Remig. cum quatuor Vatic., *constit.* 6.

[m] Quatuor Vatic., *Imperante Leone August. Eritrio præposito,*

[n] In Turon., Colbert. et tribus Vatic., omissis multis, *imperare, post cinguli privationem et verberibus subdendum.* Eadem prætermittuntur in Vatic. D.

[o] Ut ex quorumdam animis scrupulum evellam, qui cum leges principum adducuntur in subsidium canonum, hoc probationis genus habent fastidio,

*vocati, singulis causis atque personis præsentanea constituta præstamus, nullos penitus cujuscunque conditionis de sacrosanctis Ecclesiis orthodoxæ fidei expelli, aut trahi, vel protrahi confugas.* Et post pauca : *Qui hoc moliri, aut facere, aut nuda cogitatione saltem atque tractatu ausi fuerint tentare, capitali et ultima supplicii animadversione plectendi sunt. Ex his ergo locis, eorumque finibus, quos anteriorum legum præscripta sanxerunt, nullos ejici aut expelli aliquando patimur, nec in ipsis Ecclesiis reverendis ita quemquam detineri atque constringi, ut ei aliquid aut victualium rerum, aut vestis negetur, aut requies,* etc. *Data pridie Kalend. Martii Constantinopoli, Leone Augusto tertium consule.* (*De his qui ad Ecclesiam confug. C. lib.* 1, *tit. Fideli et Præsenti.*)

De persona Stephani episcopi hoc attendendum est, quia nec invitus ad judicium trahi, nec ab episcopis alieni concilii debuit judicari, sicut prædicta Novellarum constitutio continet, quæ de episcopis loquitur. Ait enim : *Sed neque pro qualicunque pecuniaria vel criminali causa ad judicem civilem sive militarem invitum episcopum producere vel exhibere citra imperialem jussionem permittimus;* **1254** *sed judicem qui tale aliquid sive ex scripto, sive ex non scripto, præsumpserit* [n] *imperare, post cinguli privationem,* XX *librarum auri pœnam exsolvere jubemus Ecclesiæ cujus episcopus produci aut exhiberi jussus est; exsecutorem similiter post cinguli privationem et verberibus subdendum, et in exsilium deportandum.* Item post multa : *Si autem et a clerico aut laico quocunque* C *aditio contra episcopum fiat, propter quamlibet causam, apud sanctissimum ejus metropolitam, secundum sanctas regulas et nostras leges causa judicetur. Et si quis judicatis contradixerit, ad beatissimum archiepiscopum et patriarcham diœceseos illius referatur causa,* [o] *et ille secundum canones et leges huic præbeat finem.*

Contra hæc si dictum fuerit, quia nec metropolitam habuit nec patriarcham, dicendum est quia a sede apostolica, quæ omnium Ecclesiarum caput est, causa hæc audienda ac dirimenda fuerat, sicut et prædictus episcopus petiisse dignoscitur, qui episcopos alieni concilii habuit omnino suspectos. Quia

D utiliter admonebo id fieri ratione volente, auctoritate duce. Ratio ex jure principum detur, atque ex legum civilium æquitate. Illas appello quæ jus naturale eruunt, illustrant, muniunt, quod jurisconsultis usu venit. Canonistæ plerique aliam ineunt viam, et dum nimis scrupulose, ut omnia concedant auctoritati, verborum vel minutissimos sectantur apices, jus ipsum naturæ aut enervant aut obscurant nimis serviliter. Porro leges principum ipsa canonum auctoritate commendari, vel cæcis notum est. Lucius III, Extr. lib. v, tit. 32, c. 1 : *Statuta canonum,* ait, *principum constitutionibus adjuvantur.* Innocentius III, inib., c. 2, memorat traditionem civilem. Nicolaus I, dist. 10, c. 1, legibus imperatorum in controversiis ecclesiasticis utendum, modo non obvient canonicæ sanctioni. Citatur ibidem, c. 7, ex sancto Augustino, sed alieno sensu. Gelasius, dist. 54, c. 9, 10, 11, 12, vult custodiri legum tramitem. Mitto cætera multo illustriora, quæ in conciliis etiam primariis prostant, GUSSANV.

ergo sententia non a suo judice dicta nihil firmitatis obtineat, lectionis hujus tenor ostendit, lib. C. VII, tit. 48, constit. 4. *Imperatores Gratianus, Valentinianus et Theodosius Augusti, ad Potitum vicarium : Et in privatorum causis hujusmodi forma servetur, ne quemquam litigatorum sententia, non a suo judice dicta, constringat. Data* XII *Kalend. Octobris, Romæ, Ausonio et Olibrio consulibus.* (*Si a non compet. jud. C. l.* VII, *l. Et in privatorum.*)

Illud autem quod dicitur a servis suis accusatus, quia audiri minime debuerunt, hæc constitutio patefacit sic dicens, C. lib. IX, tit. 1, constit. 20. *Imperatores Arcadius et Honorius Augusti, Eutychiano præfecto prætor. Si quis ex familiaribus vel ex servis cujuslibet domus cujuscunque criminis delator atque accusator exstiterit, ejus æstimationem, caput atque fortunas petiturus cujus familiaritati vel dominio inhæserit, ante exhibitionem testium, ante examinationem judicii, in ipsa expositione criminum atque accusationis exordio, ultore gladio feriatur. Vocem enim funestam intercidi oportet potius quam audiri. Majestatis autem crimen tantum excipimus. Data* V *Idus Novembris, Cæsario Atticoque consulibus.* (*De his qui accusare non poss. C. l.* IX, *l. Si quis.*)

Si vero dictum fuerit quia de hoc accusatus est, quod ad majestatis crimen attendit, nec ipsum de eo credendum fuit, si vita vel opinio ejus talis ante non exstitit, sicut lib. Pandectarum XLVIII, ad legem Juliam [P] majestatis, scribit Modestinus, lege *Famosi*, paulo post principium : *Hoc tamen crimen a judicibus non in occasione ob principalis majestatis veneratione habendum est, sed in veritate rei judicatæ. Nam et persona spectanda est, an poterit facere, et ante quid fecerit, et an cogitaverit.*

Quod autem dicit idem episcopus, quia se absente aliqui vilissimi sint testes exhibiti, hoc si verum **1255** est, nullius esse momenti lege noscendum est, Constitutione novella quæ de testibus loquitur, c. 16 : *Hoc quoque sæpius agnovimus, quoniam quidam aut apud locorum defensores, aut apud clarissimos provinciarum judices, aut etiam, ut assolet, hic apud virum clarissimum magistrum census ingrediuntur, et queruntur tanquam ab alio passi aliquid contra leges, aut aliter læsi aut damnificati, testes volentes producere. At ne postea objiciatur eis quia per unam partem gesta confecta sunt, oportet et illum qui impetitur, in ipsa civitate constitutum ubi testimonia dantur, admonitum a judice sive a defensore advenire, et audire attestationes. Si vero noluerit advenire, sed contempserit, ut ex hoc ab una parte testimonia adversus eum inutilia sint, sancimus hujusmodi testimonia ita valere, ac si non ex una parte consisterent, sed etiam ipso præsente fuissent facta. Si enim recusaverit, et venire noluerit, et audire quæ deponuntur, cum utique in publico sit, et non ex inevitabili quadam necessitate venire non possit, similis advenienti erit, et nulla utilitas ex contemptu suo ei adhibebitur, sed videbuntur quidem in utriusque præsentia probationes factæ* [Q]. Ecce admonendus est semper adversarius, ut ad audiendos testes adveniat. Quod quia hic omissum est, necesse est ut quod contra leges actum est firmitatem non habeat. (*Authen. de test.*, § *Et hic vero.*)

Quales autem [R] testes, vel cujus opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt, quæ pene nulli habentur incognitæ ; quæ etiam et illud sanciunt, ut vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat. Quod autem dicitur, quia nihil scriptis judicatum est, [S] legendus est tit. 44 lib. VII Codicis, quia scriptis debuit judicari. Nam ibi inter alia præcipitur ut sententia quæ sine scripto dicta fuerit nec nomen sententiæ habere mereatur. (*Ubi supra*, § *Testes.*)

[a] SENTENTIA JOANNIS DEFENSORIS.

*Exemplum sententiæ pro Januario Malacitano episcopo.*

In nomine Domini, imperatore illo, illa die, illa indictione.

Ille cui officium cognitoris injungitur ita se pura ac intemerata conscientia debet in omnibus exhibere, ut ex his [b] quæ in aliis judicat ipse ultionem æterni examinis non incurrat. Dum igitur ex deputatione beatissimi atque [c] apostolici domni mei papæ Gregorii ego Joannes defensor inter Januarium episcopum Malacitanæ civitatis atque inter illos et illos episcopos [d] cognitor resedissem, necesse habui causam prædicti Januarii interna inquisitione discutere, et a partibus subtiliter quærere veritatem, si, ut petitio ejus continet, transmissis clericis a memoratis episcopis

[P] In Vatic. A, B, F, Remig. et Colbert., *majestatis digest. septimo; Modestinus, lib.* XII *Pandect. post pauca.*

[Q] Hic paulo discrepant Vatic. B et D, ac Rhem., sed hoc loco videntur corrupti.

[R] De testibus duo sunt tituli Extr. lib. II, quos subsequitur alter, *de fide instrumentorum.* In cujus c. 2 hæc lego : *Scripta authentica, si testes inscripti decesserint, non videntur nobis alicujus firmitatis robur habere, nisi per manum publicam facta fuerint, ita quod appareant publicata, aut authenticum sigillum habuerint per quod possint probari.* Reges nostri quo falsitatibus occurrerent, multa sanxerunt, quorum aliqua reperiet lector in magna collatione Ordinationum regiarum, lib. IV, tit. 5. Hanc Ludovici XII legem exscribo : *Notarii nullum pactum exscribent, nisi personas contrahentes probe noverint, aut certe fidis testibus assertoribus ipsis liqueat easdem ipsas esse personas quæ contrahunt, alioquin e notariorum numero expungantur.* Franciscus I, an. 1535, addidit : *Notarii nullum perscribent contractum sine testibus, qui et notariis et personis contrahentibus noti sint.* Contrario usu invalescente instrumentis adulterinis abundamus. GUSSANV.

[S] Vatic. A et F, *legendus est titulus* 19 *lib.* VI *Constitut., quia.* Consentit Turon. mutato 19 in 18. In Rhem., *legendum est ff.* 44 *libri* VI *Constit.*

SENTENT. JOAN. DEF. [*Al.* 55]. — [a] Exstat in quinque Vatic., quatuor Colbert., duobus Teller, utroque Rhem. et Turon. Abest a Norm.

[b] In Rhem., Colbert. et Vatic. A et D, *quæ aliis indicat.*

[c] Addunt Excusi, faventibus paucis admodum Mss., *et jussione.*

[d] Colbert. et Vatic., *cognitores resedissem.*

**1256** una cum hominibus gloriosi Comitioli, de Ecclesia fuerit violenter abstractus. Qui dum multa contra se invicem, sicut gesta testantur, objicerent, ad conclusionis hunc utræque partes aliquando terminum pervenerunt, petentes me de agnitis debere judicare. Unde sollicite relegens quæ acta sunt, et veritatem diligenti investigatione perquirens, nullam in antedicto Januario culpam quæ exsilio vel depositione digna esset puniri, sed magis illum ejectum de Ecclesia violenter inveni. Et quanquam hujusmodi temeritatem legum censura districtissime feriat, ego tamen legum vigorem sacerdotali moderatione temperans, [e] mediis sacrosanctis Evangeliis, quibus præsentibus ab initio in hoc cognitor resedi judicio, ea quæ contra eum statuta sunt, licet jure non teneant, nec alicujus sint momenti, injusta tamen et infirma esse pronuntio, atque illos et illos memoratos episcopos, qui, postposita consideratione sacerdotali, in fratris sui præjudicium atque condemnationem injuste et contra Dei timorem versati sunt, condemnans, in monasterio recipiendos ad agendam in tempus pœnitentiam statuo atque decerno. Illum vero qui locum antedicti sanctissimi Januarii contra sacrorum canonum statuta nequiter præsumpsit invadere, condemnans, privari sacerdotio et ab omni ecclesiastico ordine removeri statuo, ut et hoc quod male est adeptus amittat, nec ad officium quod ante indigne gesserat revertatur. Sæpedictum autem sanctissimum Januarium episcopum absolutum loco suo in episcopatus gradu Deo auctore reverti ac modis omnibus reformari constituo.

## EPISTOLA XLVI.

### AD JOANNEM DEFENSOREM.

*Dissolutos ac depravatos Capricanæ insulæ monachos in viam reducat.*

Gregorius Joanni defensori.

Ubi canonicam districtionem culparum contra se qualitas excitat, postponere quæ corrigenda sunt non debemus, ne dissimulatione vires dare pravis actibus, quos falce disciplinæ resecare nos convenit, videamur. Quia ergo pervenit ad nos monachos monasterii [a] in Capricana insula, quæ juxta Majoricam insulam est posita, ita perverse agere, ac vitam suam diversis facinoribus submisisse, ut non omnipotenti Deo, sed antiquo se hosti, quod cum gemitu dicimus, ostendant potius militare, experientia tua, præsenti auctoritate commonita, ad prædictum monasterium accedere, et vitam moresque illic conversantium subtili studeat investigatione perquirere, et ita quæque resecatione digna repererit, sicut **1257** canonicus ordo [b] desiderat, congrua ultione corrigere, atque eos quæ observare debeant [c] informare, quatenus emendationis tuæ modus, et istos ad viam rectæ conversationis reducere, et te apud nos nullo modo valeat accusare culpabilem.

## EPISTOLA XLVII.

### AD THEODORUM CURATOREM.

*Petrum ejusque matrem amanter commendat.*

Gregorius Theodoro [a] curatori.

Postquam sic de gloriæ vestræ sinceritate præsumimus, ut vestros vos credamus reputare qui nostri sunt, latori præsentium Petro, viro magnifico **1258** ad promerendum bonitatis vestræ gratiam hoc solum sufficere poterat, indicare quia noster est. Sed quoniam paterna commendatio boni filii mentem solet semper accendere, paterna dulcedine salutantes, petimus ut memorato filio nostro, atque memoratæ filiæ nostræ gloriosæ matri ipsius, patrocinii vestri gratiam ostendatis, cosque et illic positos tuitionis vestræ remedio foveatis, et venientes ad nos vestris subsidiis adjuvetis, quatenus dum ea quæ gloria vestra ex se solet impendere, nostra benignius epistola interveniente, præstiterit, et ipsam rem consuetam videatur laudabiliter exhibere, et nos sibi pro sua bonitate gratiarum esse per omnia faciat debitores [b].

[e] Ea de re jam diximus ad epist. 15 lib. VIII. Eamdem formam a laicis judicibus observatam fuisse testis est Cassiodorus, lib. IV Variar., epist. 12. *Mediis sacrosanctis Evangel. cum tribus honoratis quos partium consensus elegerit*, etc.

EPIST. XLVI [*Al.* 54]. — [a] Melius Capraria, vulgo *Cabrera*, insula maris Iberici seu Balearici, Majoricæ adjacens in Austrum, vixque duabus leucis Hispanicis ab ea distans versus promontorium Salinarum. GUSSANV. In omnibus Norm,, Corb., Colbert., et tribus Vatic., *quod in Capria insula juxta Majoricam est positum.*

[b] In Rhem., Colbert. ac Corb., *considerat*. Canonicus ordo leges canonum significat. Eodem sensu *canonicus ordo* sumitur lib. XIV, epist. 6, necnon can. 15 synodi Augustodun. an. 674 : *de abbatibus vero vel monachis ita observare convenit, ut quidquid canonicus ordo vel regula sancti Benedicti edocet, et implere, et custodire in omnibus debeant*. Nemo igitur hic somniet per canonicum ordinem intelligendum canonicorum statum, cum de monachis insulæ Caprariæ agatur.

[c] In solo Vatic. B, *reformare*.

EPIST. XLVII [*Al.* 57]. — [a] Ita in Victor. In Vatic. A, legitur *procuratori*. In his duobus tantum Codicibus reperitur hæc epistola.

[b] In laudato Codice Vatic. subditur *mense Septembri, indict. septima*. At libro duodecimo hæc epistola continetur, qui pertinet ad indict. quintam. Unde patet parum habendam esse rationem notæ hujus chronologicæ.

# LIBER DECIMUS QUARTUS.

## Indictione septima.

### 1259 EPISTOLA PRIMA.

AD PAULUM SCHOLASTICUM.

*Gratulatur tum de illius cum Leone episcopo reconciliatione, tum de zelo in maleficos.*

Gregorius Paulo scholastico [a] Siciliæ.

Quanto nos gloria vestra tristes dudum effecerat, propter quod se adversus reverendissimum fratrem et coepiscopum nostrum Leonem querelas habere aliquas perhibebat, tanto eodem fratre nostro ad nos modo veniente cor nostrum gavisum est, quia in pristinam vos concordiam, Deo propitio, ad invicem rediisse testatus est. Qui etiam inter alia bona quæ in vestris laudibus referebat adjecit omnino vos in ultione maleficorum sollicitos ac districtos, sicut revera nobiles et Christianos oportuit, exstitisse. Unde valde in nobis lætitia quam de vobis sumpseramus excrevit, quia illum vobis per hoc placabilem redditis contra cujus inimicos zeli vestri rectitudinem exercetis. [b] Præterea gloriam vestram paterna dulcedine salutantes, hortamur ut quia satis est moribus vestris accommodum pacem diligere, reparatam inter vos gratiam nullius lingua perturbet, sed sic in vobis erga paternum amorem charitas ardeat, ut eam adversi flatus more flammæ non exstinguant, sed augeant. Nam et eumdem antedictum fratrem nostrum hortati sumus ut ita paternam vobis dilectionem impendat, quatenus reciprocum gloriæ vestræ affectum [c] non otiose, sed velut mutuum tanquam fenerator semper possit exigere.

### EPISTOLA II.

AD VITALEM DEFENSOREM SARDINIÆ.

*De neglectis xenodochiis. De protegendis apud imperatorem Sardis. De quibusdam post lapsum ordinatis in abbates. De constructo in domo Pomponianæ monasterio. De requirendis Ecclesiarum et monasteriorum rebus. De Januarii episcopi infirmitate, tempore sacrificii.*

Gregorius Vitali defensori Sardiniæ.

Experientia tua indicante, comperimus xenodochia in Sardinia constituta gravem habere neglectum. **1260** Unde reverendissimus frater et coepiscopus noster Januarius vehementissime fuerat objurgandus, nisi nos ejus senectus ac simplicitas, et superveniens ægritudo, quam ipse retulisti, suspenderet. Quia ergo ita est positus, ut ad aliquam ordinationem esse non possit idoneus, œconomum ejus Ecclesiæ, atque A Epiphanium [a] archipresbyterum ex nostra districta auctoritate commone, [b] ut eadem xenodochia ipsi in periculum suum sollicite ac utiliter studeant ordinare. Nam si quis illic post hoc neglectus exstiterit, nulla se noverint posse hoc apud nos ratione aliquatenus excusare.

Quoniam vero possessores nos Sardiniæ petiverunt ut, quia diversis oneribus affliguntur, Constantinopolim pro eorum debeas remedio proficisci, licentiam tibi eundi concedimus. Sed et dilectissimo filio nostro Bonifacio scripsimus, ut suum tibi pro remedio illius provinciæ studeat adhibere solatium.

De Ecclesiis autem quas vacare sacerdotibus indicasti, prædicto reverendissimo fratri et coepiscopo nostro Januario scripsimus, ut eas debeat ordinare; B sic tamen, ut non omnes ad episcopatum de Ecclesia ipsius eligantur. Nam sic eum convenit alias ordinare, ut Ecclesiæ suæ de personis quæ in ea [c] possint proficere necessitatem non faciat.

Illud igitur quod ad gubernationem quorumdam monasteriorum personas esse præpositas quæ ante, dum adhuc in monachico et minori essent ordine, lapsæ sunt, indicasti, officium quidem abbatis suscipere nisi omnino correcta vita, et digna præcedente pœnitentia, minime debuerunt. Sed quoniam jam abbatum, sicut dicis, officium susceperunt, de vita, moribus ac sollicitudine eorum cura gerenda est. Et si actus eorum inventi contra officium non fuerint, in eo quo sunt ordine perseverent; alioquin, remotis eis, alii qui commissis sibi animabus prodesse valeant C ordinentur.

Causa præterea de monasterio sancti Hermæ, quod in domo Pomponianæ religiosæ feminæ [d] a fratre nostro constructum est, quia plus blandimentis quam districtione agenda est, experientia tua apud eamdem mulierem cum dulcedine agere studeat, quatenus nec illa in peccatum proprium **1261** auctoris sui debeat postponere voluntatem, et tu utilitates monasterii valeas salubriter procurare. Puellas autem suas quas antedicta Pomponiana in monasterio mutata olim religiosa veste convertit, abstrahi ab ea vel inquietari nullo modo patiaris, sed in ea qua sunt conversatione, Deo protegente, permaneant.

Pro requirendis vero rebus Ecclesiarum, vel monasteriorum, sive piarum causarum, quod scripsisti,

EPIST. I [*Al.* 58, *ind.* 6]. — [a] Abest *Siciliæ* ab Excusis, licet in omnibus Norm., Vatic., Colb., etc., legatur.

[b] Editi, *propterea*.

[c] Iidem, *non odiose*.

EPIST. II [*Al.* 59, *ind.* 6]. — [a] Raro occurrit in his epist. archipresbyteri mentio. Sæpius apud Gregorium Turon., ut lib. I de Gloria mart., capp. 78 et 90, maxime vero lib. V Hist., c. 5, ubi de Munderico in locum Tetrici Lingonensis episcopi adhuc superstitis ordinato, ea tamen lege ut *dum beatus Tetricus* D *viveret, hic* (Mundericus) *Tornodorense castrum ut archipresbyter regeret*.

[b] Excusi, invitis Mss. Corb., Rhem., Norm., Vatic., etc., *xenodochia sine periculo suo*.

[c] Hoc est, ad altiorem gradum promoveri. Idem significat verbum *crescere*. Vide lib. I, epist. 19; lib. VII, epist. 32; et notam *c* ad epist. 18 libri XI, indictionis 10, ubi *augeri* idem significat.

[d] Omittitur *a fratre nostro* in quatuor Vatic., omnibus Norm., Corb. et plerisque.

prius quidem hi quorum interest admonendi sunt, ut ab eis, te insistente atque solatiante, modis omnibus requirantur. Quod si forte vel ipsi negligentes exstiterint, vel certe qui eas requirere debeant inventi non fuerint, tunc omnia ipse perquire, atque ita reperta recollige, ut manu aliquod judicium inferre cuiquam minime videaris.

De xenodochiis itaque Hortulani atque Thomæ nil hactenus horum quæ indicasti cognovimus. Eapropter experientia tua jussionem principis ex hoc datam diligenter inspiciat, et omnia secundum ejus tenorem disponat, et nobis quidquid egerit innotescat.

De hoc igitur quod scripsisti, fratrem et coepiscopum nostrum Januarium tempore quo sacrificium celebrat tantam pati frequenter angustiam, ut vix post longa intervalla ad locum [e] canonis redire valeat quem reliquit, atque ex hoc multos dubitare si communionem debeant de ejus consecratione percipere, admonendi sunt ut nullatenus pertimescant, sed cum omni fide et securitate communicent, quia ægritudo personæ sacri mysterii benedictionem nec mutat nec polluit. Secretius tamen omnino idem frater noster hortandus est, ut quoties aliquam molestiam senserit, non [f] procedat, ne ex hoc et se despiciendum præbeat, et infirmorum animis scandalum faciat.

Præterea Pomponiana, religiosa femina, questa nobis est hæreditatem quondam generi sui Epiphanii, in qua Epiphanius idem Matronam conjugem suam filiam antefatæ Pomponianæ usufructuariam constituerat, monasterio quod in domo sua fundari statuerat, et postea exstincto usufructu modis omnibus profuturam, atque alia quæ eidem Matronæ proprietatis jure probantur competere, ab experientia tua et a reverendissimo fratre et coepiscopo nostro Januario injuste sublata, et exinde nihil hactenus, vel filiæ suæ redditum, vel profecisse monasterio. Quod si ita veritas se habet, et aliquid te indecenter fecisse cognoscis, absque ulla mora ablata restitue; aut certe si aliter esse putas, ne gravari pars adversa præjudicialiter videatur, electorum cum ea judicium hac de causa nullo modo subire postponas, ut utrum vera justaque ejus sit querimonia, definitione judicii declaretur.

## EPISTOLA III.

### AD JOANNEM PANORMITANUM EPISCOPUM.

*Positam Romæ domum cum Epiphanio Romanæ Ecclesiæ diacono permutare concedit.*

Gregorius Joanni episcopo Panormitano.

Sicut rationi contraria procul est abjicienda petitio; ita in his quæ bene desiderantur effectum negare non convenit. Quia igitur, ut fraternitatis tuæ petitio, quæ tenetur in subditis, continet, in qua tecum una presbyteri et diaconi, cæteraque ecclesiastica officia subscribentes præbuere consensum, domum cum horto et balneo suo, atque omnibus ad eam pertinentibus, in hac urbe Roma positam, quæ ad jus Panormitanæ Ecclesiæ ex hæreditate quondam Flori viri magnifici pervenisse dignoscitur, cum dilectissimo filio nostro Epiphanio diacono permutare desideras; propter hoc quod domus ipsa, ita parte detecta, parte diruta, parte igne probatur esse consumpta, ut nihil exinde commodi, sicut testaris, ante multos jam annos tunc usque ecclesiasticis utilitatibus potuisset accedere, atque hac in re nostra tibi dari postulas auctoritate licentiam; provisionis tuæ intentionem diligentius intuentes, postquam et nobis cognitum est domum ipsam in eo esse statu quo asseris, atque ita minante ruina quotidie deteriorem fieri, ut non solum Ecclesiæ tuæ non utilis, sed potius subinde damnosa posse videatur existere; idcirco permutandi tibi eam cum balneo et horto suo, omnibusque generaliter ad eam pertinentibus, juxta petitionem tuam, quam veritatis et rationis apud nos ordo suffulcit, hujus auctoritatis nostræ serie liberam per omnia concedimus facultatem, quatenus hujusmodi accepta licentia, nec te culpa de temeritate vel incautela respiciat, nec ille aliquid dubietatis incurrat. Nam providum salubreque est aliquid compendii procurare, unde nulla spes est lucri, sed magis damni formido.

## EPISTOLA IV.

### AD FANTINUM DEFENSOREM PANORMITANUM.

*Exhilarati episcopi actibus invigilet, tum ut ille clero suo charitatem, tum ut obedientiam illi clerus exhibeat.*

Gregorius Fantino defensori Panormitano.

Talia ad nos de fratre et coepiscopo nostro Exhilarato, sicut et ipse nosti, pervenerunt quæ districta omnino essent ultione plectenda; sed quoniam bis eam reverendissimus frater et coepiscopus noster Leo, qui etiam in causa ejus judicem se fuisse testatus est, levigavit, ad Ecclesiam suam illum retransmittendum esse prævidimus, judicantes sufficere illi hoc quod eum hic **1263** diutius retinentes afflximus. Itaque experientiæ tuæ præcipimus ut erga mores actusque illius curam habeat, atque eum frequenter admoneat, quatenus se ad impendendum clericis suis charitatem benignum, et si res exegerit, ad corrigendas culpas debeat se exhibere sollicitum. Sed et clerum ejus admonere te volumus, ut humilitatem illi, ac obedientiam quam Dominus mandat, exhibeat, nec in aliquo illi superbus præsumat existere. Quod si quis eorum, [a] id est sive episcopus, sive clericus, admonitionem tuam neglexerit, ex hac nostra auctoritate canonica coerctione inobedientiæ cul-

[e] Observat Mabillonius, comment. in Ord. Rom., pag. 48, preces illas quas absoluto trisagio sacerdos submissa voce recitat, *canonicam precem* appellasse veteres, in primis Vigilium papam in epistola ad Profuturum episcopum Bracarensem. Precem illam canonem primus aut inter primos absolute vocat Gregorius, lib. IX, indict. 2, epist. 12. Vide not. 24 ad Lib. Sacram.

[f] Quid sit *procedere* jam alibi docuimus, et fuse exponit nota 471 in Libr. Sacram.

EPIST. III. *Al.* 60, *ind.* 6.

EPIST. IV [*Al.* 61, *ind.* 6]. [a] Ita quinque Vatic., omnes Norm., Corb., etc., cum in Excusis legitur *id est, laicus sive clericus*, aut *vel clerus*.

pam aut tu, sicut prævideris, corrige, aut nobis renuntiare festina, ut disponere valeamus qualiter disciplinæ frenum extra iter suum eos pergere non permittat quos ad excessum aculeus pravæ mentis irritat.

## EPISTOLA V.

AD JOANNEM PANORMITANUM EPISCOPUM.

*Causam Petri cum Fantino defensore perquirat diligenter faciatque judicium.*

Gregorius Joanni episcopo Panormitano.

Quia sunt culpæ in quibus culpa est relaxare vindictam (*Grat.*, *dist.* 28, *c.* 10), quærenda semper est veritas, ut inquiri debeat utrum accusatum noxa condemnet, an a pœna innocentia patefacta subducat. Itaque pervenit ad nos Fantinum defensorem ultionem exercere in Petrum latorem præsentium voluisse, pro eo quod, quantum dicitur, [a] relictam cujusdam diaconi, tempore quo conductor fuerat, marito tradiderit. Sed quoniam iste conjugem diaconi asserit non fuisse, dicens nec virginem illam ad eum venisse, [b] denique ut nec religiosam mutare vestem præsumeret postquam ille in ordine sacro promotus est, adjiciens etiam priusquam [c] ad diaconem perveniret et postea prava illam opinione vixisse, ideo fraternitatem tuam his hortamur affatibus, ut cum Dei, sicut decet, timore, causam hanc subtili omnino investigatione perquirat; et si ita in conjugio diaconi [d] mulier fuisse constiterit, et suprascriptus lator memorato defensori et rectori patrimonii ad vindictam modis omnibus tradatur, et cum competenti emendatione ii qui male sociati sunt disjungantur. Si vero in ejus conjugio non fuit, memoratum Fantinum ex nostro mandato commonere te volumus, ut eis facere nil præsumat, [e] nec falsa illum accusatio apud eum in aliquo prægravet. [f] Quia vero res suas antedictus Petrus apud Ecclesiæ colonos perhibet retineri, volumus ut sine cujusquam impedimento eas habeat, **1264** si tamen ita est exigendi licentia. Nam et si inventus fuerit esse culpabilis, non res suas amittere, sed in se debet dignam ultionem suscipere.

EPIST. V [*Al.* 62, *ind.* 6]. — [a] De relicta diaconi supra, epist. 36 lib. IV.

[b] Ita legitur in Vatic., Norm., Colbert., Rhem., Corb., et in vet. Edit., quem locum sane obscurum hic mutatum legimus in Edit. Vatic., *denique nec religiosam mutasse vestem, postquam.*

[c] In recent., *priusquam ad diaconatum perveniret*, invitis Mss.

[d] Vulgati, *mulierem de qua agitur junctam fuisse.*

[e] In Excusis, *nec illum accusatio.* Corb. et Norm., pro *falsa*, habent *fallax.*

[f] Hic dissentiunt Mss. In Vatic B, E, F, Corb., Colbert., Aud., Lyran., *quia vero reliquam..... perhibet reducere..... cum habeat.* Rhemensis consentit, nisi quod pro *reliquam* habet *relictam.* Becc. et Sag., *rem aliquam.* Vulgatam lectionem retinuimus, rejecta tamen voce *solum* ante *res suas*, quæ sensum evertebat, aliundeque a Mss. abest.

EPIST. VI [*Al.* 1]. — [a] Cæsena, vulgo etiam *Cesena*, urbs Italiæ ad Sapim fluvium, Sarsinam inter et Ravennam, episcopalis sub archiepiscopo Ravennate, sita in Senonibus et in Flaminia, quæ nunc provincia Romandiola dicitur, vulgo *la Romagna*, status ecclesiastici. GUSSANV.

[b] Excusi, *nulla existente causa vel culpa*; et paulo post, *coram testibus quibusdam diaconis.*

[c] Hæc verba videtur sanctus Gregorius ex epistola Patrum Africanorum ad Cœlestinum data hausisse. Sic enim habet: *Nulla Patrum definitione hoc Ecclesiæ derogatum est Africanæ, et decreta Nicæna sive inferioris gradus clericos, sive ipsos episcopos suis metropolitanis apertissime commiserunt. Prudentissime enim justissimeque providerunt quæcunque negotia in suis locis ubi orta sunt finienda; nec cuique provinciæ gratiam sancti Spiritus defuturam... aut quomodo ipsum transmarinum* (id est Romanum) *judicium rectum erit, ad quod testium necessariæ personæ vel propter sexus, vel propter senectutis infirmitatem, multis etiam aliis intercurrentibus impedimentis adduci non poterunt? Nam ut aliqui tanquam a tuæ sanctitatis latere mittantur, nulla invenimus Patrum synodo constitutum*, etc. Certe si unquam jus est revocandi domum, ut loquuntur jurisconsulti Dig. lib. V, *de judiciis*, maxime in causis in quibus testium usus est. GUSSANV.

[d] In uno e Colbert. hæc nota chronologica præfigitur epistolæ, silentibus aliis Mss. In Remigiano post hanc epist. legitur *mense Novembri*, *indictione* 7. Verum hæc ad epist. sequentem pertinere credimus.

EPIST. VII [*Al.* 2]. — [a] Vulgo *Corfou*, insula provinciæ Nicopolitanæ, Epiro adjacens. In multis Norm.

## EPISTOLA VI.

AD MARINIANUM RAVENNATEM EPISCOPUM.

*Fortunatum abbatem injuste depositum restituat, et episcopum reprehendat quod a prædecessore ordinata absque causa mutaverit.*

Gregorius Mariniano episcopo Ravennæ.

Quia incongruum valde est a suscepto officio sola quemquam voluntate suspendi, quem culpa non removet, sollicite disponendum est ut nec prior ordinatio irrationabiliter destruatur, nec sine emendatione quæ male secuta fuerint relinquantur. Fortunatus itaque, lator præsentium, in monasterio sanctorum Laurentii et Zenonis, quod [a] in Cæsenati castro est constitutum, a Natali quondam episcopo officium sibi abbatis asserens esse commissum, nunc se a successore ejus Concordio [b] nulla existente culpa exinde remotum, atque alium in loco suo queritur ordinatum. Quod etiam coram quibusdam diaconis nostris, præsente diacono prædicti Concordii episcopi sui causas allegante, ex parte ita esse perclaruit. Sed quoniam [c] certior in partibus illis ubi res acta est potest esse probatio, fraternitas tua diligenter atque sollicite hoc studeat perscrutari. Et si nulla manifesta causa depositionis exstitit, quæ prædictum Fortunatum abbatis officio removeret, eum in suum locum reformare festinet, atque ejus episcopum digna reprehensione increpare non desinat, cur decessoris sui, nullis provocatus excessibus, destruere ordinationem molitus sit. Si vero aliter quam edocti sumus causam esse pars altera dixerit, subtili veritas investigatione quærenda est; et ita quidquid canonicus ordo poposcerit terminandum, ut nulla ea de re denuo querela remaneat. [d] Data mense Octobri, indictione 7.

## EPISTOLA VII.

AD ALCYSONEM CORCYRÆUM EPISCOPUM.

*Cassiopi castrum sub Corcyræi episcopi jurisdictione permaneat; ex illo tamen non ejiciantur Euriæ sacerdotes.*

Gregorius Alcysoni episcopo [a] Corcyræ.

Non immerito elati cordis retundi postulatur ambitio quando, [b] sacrorum canonum vigore postposito temerariæ præsumptionis excessus aliena illicite concupiscendo, non solum ad generanda dispendia **1265** noxius, verum etiam paci ecclesiasticæ probatur esse contrarius. Relectis igitur fraternitatis tuæ epistolis, quæ [c] de Cassiopi castro, quod in tua situm est diœcesi, ab episcopo Euriæ [d] civitatis prius vel modo sint acta cognovimus, et contristati sumus quod hi qui Ecclesiæ tuæ pro impensa sibi charitate debitores esse debuerant, ei inimici magis fieri nullo sunt pudore prohibiti; denique ut contra ecclesiasticam ordinationem, contra sacerdotalem modestiam, contra sacrorum canonum statuta, prædictum castrum de jurisdictione tua abducere, ac suæ molirentur potestati subjicere, ut fierent quodammodo domini, ubi prius suscepti fuerant peregrini. Qua de re quoniam Andreas, venerabilis memoriæ frater noster, Nicopolitanus metropolita, adnitente sibi quoque [e] principali jussione, in qua ei causæ hujus fuerat injuncta cognitio, prolata, sicut nobis patuit, noscitur statuisse sententia antefatum Cassiopi castrum sub jurisdictione Ecclesiæ tuæ, quemadmodum semper fuit, debere persistere, formam ejusdem sententiæ comprobantes, apostolicæ sedis auctoritate eam favente justitia confirmamus, atque per omnia robustam manere decernimus. Nam nulla æquitatis ratio, nullus canonum ordo consentit ut parochiam alterius alter aliquo modo debeat occupare. Unde licet districtionem contra se non modicam hujus litigii culpa videatur exigere, propter quod ab eis mala pro bonis sint reddita, studendum tamen est ut excessu [f] benignitas non vincatur, nec illud quod extraneis debetur fratribus etiam necessitatem patientibus denegetur, ne nihil charitas agere in episcoporum mentibus judicetur, si sine consolationis remedio hi quibus magna est habenda compassio relinquantur. Oportet ergo ut sacerdotes vel clerus Euriæ civitatis ab antefati Cassiopi castri habitatione nullatenus repellantur, sed et beati Donati sanctum ac venerabile corpus, quod secum detulerunt, in una ecclesiarum antedicti loci quam elegerint, sive intus, sive foris habeant recondendi debita cum veneratione licentiam. Sic tamen ut dilectioni tuæ, in cujus parochia castrum ipsum est positum, emissa procuretur cautione munitio, per quam promittat episcopus Euriæ nullam sibi in eo potestatem, nullum privilegium fore, nullam jurisdictionem, nullam tanquam [g] cardinalis episcopus ulterius auctoritatem defendere; sed pace Deo propitio reddita, ablato venerabili sancti Donati, si maluerint, corpore, ad propria se modis omnibus reversuros. Ut hujus promissionis persistente memoria, nec illi **1266** de cætero quidquam sibi illic principaliter quacunque occasione audeant vindicare, sed omni se tempore esse ibidem hospites recognoscant, et fraternitatis tuæ Ecclesia juris vel privilegii sui in qualibet parte præjudicium non incurrat. [h] (*Vide inf. epp.* 8 *et* 15.)

## EPISTOLA VIII,

### AD BONIFACIUM DIACONUM.

*Apud imperatorem agat ut, subreptam de Cassiopi castro jussionem rescindens, sententiam suam servari præcipiat.*

Gregorius [a] Bonifacio diacono Constantinopoli.

Quoties nos eorum discordia tristes facit qui pacis prædicatores esse debuerant, magna sollicitudine studendum est ut, litigii [b] ablata materia, ad concordiam redeant qui diversa ab invicem voluntate discordant. Quæ igitur de Cassiopi castro, quod in insula Corcyra est positum, acta sint, qualiterve id de jurisdictione Corcyritani episcopi episcopus Euriæ moliatur subtrahere, et suæ nequiter jurisdictioni subjicere, valde prolixum est dicere. Sed dilectioni tuæ ut cuncta subtiliter comprehendat, fratris nostri Alcysonis episcopi Corcyræ scripta transmisimus, atque ejus illic venire hominem fecimus, qui etiam verbo minutius te ad singula possit instruere. Hoc tamen breviter indicamus, [c] quia dum Mauricio quondam imperatori esset in præjudicium Ecclesiæ Corcyritanæ subreptum, nec jussio ejus, quippe quæ contra leges et sacros canones data fuerat, habuisset effectum, et indecisa inter partes contentio remanet

legitur *Corsicæ*, pro *Corcyræ*, sed mendose; qui error in consequentibus emendatur. Omnes cum Colbertinis, Rhem. et tribus Vatic. habent *Alcysoni*. In Vatic. B, *Mariano episcopo Ravennæ*.

[b] Ecclesia regitur canone. Canones autem crebris, ut fit, dispensationibus sauciantur, vilescunt, contemnuntur. Id vero mirum, si forte cuidam minus favemus, opponimus canones; favere si lubet, negligimus. Profero exempli causa concil. Trid., cujus disciplinam nunc vindicamus acriter, nunc violamus impune pro libito. GUSSANV.

[c] Nunc pagus Epiro adjacens in ora boreali Corcyræ insulæ ad mare Ionium sub dominio Venetorum. GUSSANV.

[d] In Excusis, mendose, *Isauriæ*. In omnibus Mss. Anglic., Norm., et in Vatic. F, legitur *Euriæ*. In Colbert., Regio et Rhem. necnon in tribus Vatic., *Eurissæ civitatis*, quod idem est. Eadem lectio perseverat in sequentibus epistolis. Ita legendum esse annotavit eruditus Holstenius in Geogr. Sacræ pag. 117. Euria autem, Italis *San Donato*, urbs Epiri, olim episcopalis, cujus episcopus Marcus Eurias subscripsit concilio Chalcedon., act. 1, et Theodorus concil. Constant. sub Menna. Ejusdem episcopus fuit sanctus Donatus tempore Honorii papæ, unde et ei hodie nomen.

[e] Principalis jussio est jussio principis, seu imperatoris.

[f] Vatic. A et F *ut excessum benignitas non vindicet*. Vatic. D, *ut excessum non videatur perpetrare*.

[g] Id est, titularis, sive principalis, ut in epist. seq., sive proprius, ut epist. 8, nunc. 13. GUSSANV.

[h] In Colbert. vet. et in Vatic. A et F, legitur, initio epist., *mense Novembri, indict.* 7. In alio Vatic., *mense Octobri*, etc.

EPIST. VIII [*Al.* 3]. — [a] De eo supra, lib. XIII, epist. 38. Prius non legebatur *Constantinopoli*, sed ut adderetur persuaserunt Mss. Norm., Vatic., Reg., Colbert., etc.

[b] Recent., *ablata memoria*. Secus in Mss. Norm., utroque Rhemensi, Colbert., etc., ubi legitur *materia* vel *materiæ*.

[c] Recentiores, *quia dum Mauricio imper. esse quodam in præjudicio;* spretis immerito Mss. et Vet. Editis.

sisset [d] aliam illum ad Andream quondam fratrem nostrum tunc Nicopolitanum metropolitam jussionem dedisse, ut quoniam utraque pars ejus erat jurisdictioni subjecta, ipse hanc causam cognoscere et finire canonice debuisset. Qui metropolita, cognita causa prolataque sententia, cujus tibi exemplaria misimus, prædictum Cassiopi castrum sub potestate ac jurisdictione Corcyritani episcopi, cujus et semper fuit diœcesis, esse distinxit. Quam nos sententiam comprobantes, apostolicæ sedis auctoritate prævidimus confirmandam. Et ne ea quæ decrevimus, ita potuissent esse districta, ut nihil benignitatis habere videretur admistum, curæ nobis fuit ita causam pro tempore disponere, sicut sententiæ nostræ, quam ad te misimus, textus ostendit, ut neque episcopus, vel clerus Euriæ civitatis necessitatem habitationis incurrerent, nec Corcyritanæ Ecclesiæ privilegia in aliquo turbarentur. Sed quia [•] inter ipsa primordia serenissimo **1267** domno imperatori subreptum est, atque contra judicatum Nicopolitani metropolitæ quo ecclesiastica rectitudine et canonica ratione suffultum est, episcopo Euriæ, quod nec sine dolore audire vel loqui sine gemitu possumus, cum majori injuria episcopi Corcyritani atque clericorum ejus, antefatum Cassiopi castrum traditum memoratur; ut amota, quod grave est dici, jurisdictione Corcyritanæ Ecclesiæ, ipse illic omnem tanquam principalem habeat potestatem, sententiam nostram nulli dare prævidimus, ne contra jussionem clementissimi domni imperatoris, vel, quod absit, in despectum ipsius aliquid facere videremur. Itaque dilectio tua pietati ejus cuncta diligenter insinuet, atque constanter astruat hoc omnino illicitum, omnino pravum, omnino injustum, et sacris esse valde canonibus inimicum. Et ideo hujusmodi peccatum temporibus suis introduci in Ecclesiæ præjudicium non permittat. Sed quid de hoc negotio judicatum antefati quondam metropolitæ contineat, vel qualiter a nobis ea quæ ab illo decreta sunt confirmata fuerint suggerat, atque id agere studeat, ut cum ejus jussione nostra illic sententia transmittatur, quatenus et serenitati ipsius, sicut dignum est, reservasse, et rationabiliter correxisse quæ male præsumpta sunt videamur. Qua in re omnino danda opera est ut, si fieri potest, etiam jussionem suam ipse tribuat, in qua ea quæ a nobis definita sunt servari præcipiat. Nam hoc facto omnis de cætero subreptionis locus obstruitur. Ita ergo ad compescenda hæc præjudicia vigilantiam tuam cum omnipotentis Dei adjutorio exercere festina, A ut nec modo voluntas eorum qui perversa moliuntur, aliquid contra antiquum ecclesiasticæ consuetudinis statum obtineat, nec post ad exemplum res nefanda proficiat.

Quanta præterea mala, quantasque oppressiones suprascriptus Alcyson, frater et coepiscopus noster, ab actionariis Ecclesiæ Thessalonicensis asserat sustinere, ut possis cognoscere, ipsam quam ad nos misit epistolam dilectioni tuæ transmisimus. Ideoque prædictæ Ecclesiæ responsalem venire ad te facito, atque causam ipso præsente cognosce, et de capitulis quibus te ratio moverit fratri et coepiscopo nostro Eusebio scribe, ut homines suos agere injusta prohibeat, et minores non premere, sed magis in quibus justum fuerit moneat adjuvare. Hoc quoque volumus, B ut ei qui in civitate Nicopolitana metropolita fuerit ordinatus, dilectio tua scribere debeat, quatenus causam de damnis quæ Ecclesiæ suæ illata prædictus frater noster Alcyson queritur cognoscere, et quod justum est debeat definire, quia a decessore ipsius negotium ipsum non decisum, sed legitur reservatum [f].

## **1268** EPISTOLA IX.

AD JOANNEM PANORMITANUM EPISCOPUM.

*Basilicæ consecrandæ dat facultatem.*

Gregorius Joanni episcopo Panormitano.

Basilicam quam a dilectione tua in honorem beatæ semperque virginis Mariæ, per Savinum subdiaconum nostrum et rectorem patrimonii, suggeris esse perfectam consecrandi tibi præceptionis nostræ serie noveris facultatem attributam, quatenus, frater charissime, devotionis tuæ desiderium complens, celebritatis perfectione gratuleris. [a] Data mense Decembri, indictione 7.

C

## EPISTOLA X.

AD GUDUINUM DUCEM.

*Ancillæ Dei stupratorem militem puniat.*

Gregorius [a] Guduino duci Neapolis.

Cum inter multa bona quæ nobis de magnitudine vestra sæpius nuntiantur illud in vobis plus laudabile dicatur existere, quod castitatem diligitis, et disciplinam, sicut dignum est, custoditis, satis mirati sumus quod in milite illo qui ancillam Dei diabolica instigatione perdiderit, districtissima vindicta hactenus facta non fuerit. Nam et moribus et bonitati vestræ valde conveniens fuit ut ante ad nos ultio quam perpetratæ culpæ iniquitas perveniret. Sed quia vindictam hujus sceleris non voluntate vestra, sed aliorum credimus subreptionibus esse suspensam, ne hoc peccatum [b] vel numerum indisciplinati militis, vel

[d] Idem recentiores eadem licentia, *talem illum ad Andream*. Qua mutatione, invitis Mss. Vatic., Norm., Colb., facta, turbatur sensus.

[•] Supra loquitur de subreptione facta Mauricio imp. Hic de alia quam passus erat Phocas initio imperii, agit sanctus Gregorius.

[f] In recentioribus clauditur hæc epist. his verbis: *Data mense Decembrii, indict.* 7, quæ sane absunt a Mss. nostris, et ab antiquis Editis. Pertinent in Mss. ad epist. sequentem, ut mox dicturi sumus.

EPIST. IX [*Al.* 4]. — [a] Ita non legimus, nisi in Vaticanis A, B, E.

D

EPIST. X. [*Al.* 5]. — [a] Appellatur *Guduin*, a scriptoribus Græcis Γουνδόης. Dux exercitus Mauricii sub Prisco, ex Cedreno, an. 17 Mauricii. Ejus egregia belli facinora narrat Simocatta, lib. VII, c. 11 et 12, quem ταξίαρχον appellat. A Petro fratre Mauricii et duce supremo exercitus efficitur ὑποστρατηγὸς, multaque præclare gerit. Idem, lib. VIII, c. 5, 6, 7. GUSSANV. In Colb. quidem, in Regio, et in Norman., legitur *Guduin*, at in Vatic. D, E, F, et in Rhem., *Guduino*. In Corb., *Gunduino*. In Vatic. A, *Gundino*. In Vatic. B, *Guidoni*. In vet. Edit., corrupte, *Desiderio episcopo Galliæ*.

[b] Recent., *vel humerum indisciplinati mil.*, forte

loca illi in quibus commissum est, valeat premere, hortamur ut sine excusatione aliqua vel modo, qualis vobis fervor sit [c] erga castitatis custodiam demonstrantes, ita pro exemplo aliorum districte emendare tantum facinus festinetis, ut et Deum vobis, in cujus hoc ille injuriam perpetravit, et timorem ejus despexit, placabilem faciatis, et nos vobis de zeli vestri rectitudine gratias referamus. Nam tantam iniquitatem inultam remanere nullo modo patimur.

## EPISTOLA XI.

AD JOANNEM EPISCOPUM.

*De trium in episcopos electorum personis, moribus, ac scientia requirat.*

Gregorius Joanni episcopo.

[a] Ne incauta eorum ordinatio qui ad episcopatum eliguntur valeat provenire, vigilanti **1269** de corum personis sollicitudine est requirendum. Indicatum siquidem nobis est Florentinum, archidiaconum Ecclesiæ Anconitanæ, qui ad episcopatum fuerat electus, Scripturæ quidem sacræ scientiam habere ; sed ita ætatis esse senio jam confractum, ut ad regiminis officium non possit assurgere. Addentes etiam ita illum tenacem existere, [b] ut domum ejus amicus ad charitatem nunquam introeat. Rusticus autem, diaconus ejusdem Ecclesiæ, qui similiter electus fuerat, vigilans quidem homo dicitur, sed quantum asseritur, Psalmos ignorat. Florentinum vero, diaconum Ecclesiæ Ravennatis, qui electus ab omnibus memoratur, sollicitum esse novimus, sed qualis sit interius, omnino nescimus. Ideoque fraternitas tua una cum fratre et coepiscopo nostro Armenio, suprascriptæ Anconitanæ Ecclesiæ visitatore, illuc festinet accedere, et diligenter de vita ac moribus singulorum requirere, vel si nullo sibi sunt crimine conscii quod eos ad hoc officium vetet accedere. Pariter etiam requirendum est si hoc quod de præfato archidiacono dictum est, quia nunquam amicus domum ejus ingressus est, si ita se veritas habet, et [c] utrum ex necessitate, an ex tenacia talis sit, aut si ita senex est, ut ad regendum non possit assurgere, vel si, tactis sacrosanctis Evangeliis, sicut nobis nuntiatum est, jusjurandum præbuerit nunquam se ad episcopatum accedere. Sed etiam de Rustico diacono, [d] quantos Psalmos minus teneat, perscrutandum est. Florentino autem diacono Ravennati, si nullum, sicut diximus, crimen est quod obsistat, apud episcopum ejus agi necesse est, ut ei debeat [e] cessionem concedere ; non tamen ex nostro mandato [f] vel dicto, ne contra suam voluntatem eum cedere videatur. Sed hoc ut norunt ii qui eum eligunt, ex se agant ; tu vero de singulis cum omni studio ac sollicitudine omnia quæ scripsimus requirere atque nobis stude subtiliter indicare ut, renuntiatione tua redditi certiores, quid post hæc, Deo auctore fieri debeat disponamus. (*Cf. Joan. Diac. l.* III, *c* 12.)

## EPISTOLA XII.

AD THEODELINDAM LANGOBARDORUM REGINAM.

*Gratulatur de sociato catholicæ fidei filio. Quod Secundo non responderit, causatur podagram. Habitam sub Justiniano synodum mittit. Romanæ Ecclesiæ orthodoxiam tuetur. Regi de facta pace gratias refert.*

Gregorius [a] Theodelindæ reginæ.

Scripta quæ ad nos dudum a Genuensibus partibus transmisistis gaudii vestri nos fecere participes, **1270** propterea quod omnipotentis Dei gratia, et filium vobis donatum, et, quod valde excellentiæ vestræ est laudabile, catholicæ eum fidei novimus sociatum. Nec enim de christianitate vestra aliud credendum fuerat, nisi id studere vos, ut quem divino munere suscepistis catholicæ rectitudinis auxilio muniretis, ut et Redemptor noster familiarem te

quod ignorarunt quid eo loci significaret militaris numerus. Id fuse docetur in notis ad lib. IV Dialog., c. 35. Vide quoque supra, lib. VIII, epist. 5. Certe ubique legitur in Mss. *vel numerum.*

[c] In Vatic. B, E, F, Colbert. vet., et in Remig., *erga charitatis.* Remigianus, initio epistolæ, habet *quod charitatem diligitis*, ubi alii, *quod castitatem diligitis.*

EPIST. XI [*Al.* 6] — [a] Ita passim in Mss. et vet. Excusis. Recentiores, pro arbitrio, sic mutarunt : *ne de incauta eorum ordinatione..... valeat provenire confusio.*

[b] Quod episcopi domus omnibus patere debeat, luculentis testimoniis probat Alteserra in hunc locum, quem lector consulet. Plura de hospitalitate episcopi diximus alias. GUSSANV.

[c] An virtus aut vitium in aliquo defixa sint, hæreant, *cum omni studio ac sollicitudine* requirendum, *subtiliter* indicandum declarat sanctus Gregorius, sollicitus et de defectu hospitii et de causa defectus. Scilicet ubique alterutrum secernere non semper obvium. *Facile* enim *est simulare virtutem*, *difficile habere virtutem*, teste sancto Augustino, lib. I de Moribus Ecclesiæ, c. 1. *Fili*, *diligenter adverte motus naturæ et gratiæ*, *quia valde contrarie et subtiliter moventur ; et vix nisi a spirituali et intimo illuminato homine discernuntur*, docet auctor *de Imitatione Christi*, lib. III, c. 54. Quod si penitius multi revolverent, cautius et ambularent in viis Domini. Vide emin. card. Bona, *de discretione spirituum*, c. 1 et 4. Legere est apud sanctum Augustinum, ibidem, c. 15 : *Quod si virtus ad beatam vitam nos ducit, nihil omnino esse virtutem affirmaverim, nisi summum amorem Dei . . . . . utinam ita sit in mentibus vis, ut nomina sunt in ore omnium !* GUSSANV.

[d] *Quantus* pro *quot* non raro usurpatur. Luc. XV, 17 : *Quanti mercenarii in domo patris mei.* L. II Cod., de præfecto prætorio Africæ, § *Si vero : Et quanti limitanei*, etc. Item : *Milites pro custodia locorum quantos ibi magnitudo tua providerit.* Vide Anton. August., lib. II Observationum, cap. 5. Cæterum Psalmorum ignorantia et tenacitas arcent ab episcopatu. Oportet enim episcopum esse hospitalem et doctorem. Quod de jurejurando subdit sanctus Gregorius, id quidem notabile. Videat lector Glossam, dist. 85, ubi multi canones in utramque partem citantur. De Psalmis et scientia episcopi videat dist. 38 totam, et præsertim c. *Omnes psallentes*, et dist. 23, c. *Qui episcopus*, ex Carthag. concil. Imo dicta dist. 38, c. *Quæ ipsis*, inter ea quæ sunt sacerdotibus necessaria ad discendum, reperio non modo canones pœnitentiales, sed etiam Psalterium. De Psalmorum scientia plura vide ad epist. 45 lib. IV, nunc 48 lib. V. *Partim ex* GUSSANV.

[e] Dictum supra, epist. 19 lib. IV, nunc 17 lib. V.

[f] Recentiores, invitis Mss. Vatic., Norm. et aliis, *vel edicto.*

EPIST. XII [*Al.* 7]. — [a] De ea vide ad epist. 2 lib. IV.

suam famulam cognosceret, et Langobardorum genti novum regem in timore suo feliciter enutriret. Unde oramus omnipotentem Deum ut et vos in mandatorum suorum via custodiat, et eumdem excellentissimum filium nostrum [b] Adulouvaldum in suo faciat amore proficere, quatenus sicut hic inter homines jam magnus est, sic quoque et bonis actibus ante Dei nostri oculos sit gloriosus.

Illud autem quod excellentia vestra scripsit, ut dilectissimo filio nostro [c] Secundo abbati ad ea quæ scripsit subtilius respondere deberemus, quis petitionem illius vel vestra desideria quæ multis esse profutura cognoscit, si ægritudo non obsisteret, duceret postponenda? Sed tanta nos podagræ infirmitas tenuit, ut non solum non dictare, sed etiam ad loquendum vix possemus assurgere, sicut et præsentium portitores legati vestri cognoverunt, qui nos et venientes infirmos invenerunt, et discedentes in summo vitæ periculo atque discrimine reliquerunt. Sed si omnipotente Deo disponente convaluero, ad cuncta quæ mihi scripsit subtiliter respondebo. Eam tamen synodum quæ piæ memoriæ Justiniani tempore facta est per latores præsentium transmisi, ut prædictus filius meus dilectissimus ipsam legens agnoscat quia falsa sunt omnia quæ contra sedem apostolicam vel catholicam Ecclesiam audierat. Absit enim nos cujuslibet sensum hæretici recipere, vel [d] a tomo sanctæ memoriæ Leonis prædecessoris nostri, in aliquo deviare; sed quæcunque a sanctis quatuor synodis sunt definita recipimus, et quæcunque reprobata sunt condemnamus.

Excellentissimo autem filio nostro Adulouvaldo regi transmittere [e] phylacteria curavimus, id est crucem cum ligno sanctæ crucis Domini, et [f] lectionem sancti Evangelii [g] theca Persica inclusam. Filiæ quoque meæ sorori ejus tres annulos transmisi, duos cum hyacinthis, [h] et unum cum albula, quæ eis per vos peto dari, ut apud eos nostra charitas ex vestra excellentia condiatur.

Paterna præterea charitate persolventes salutationis officium, petimus ut excellentissimo filio nostro regi conjugi vestro pro nobis [i] de facta pace **1271**

[b] Fredegarius Adaloaldum vocat, alii Adoaldum. Ilic pene puer successit Agilulfo patri, Langobardorum regi, regnavitque decem annis sub tutela matris sapientissimæ Theodelindæ; verum quorumdam factione una cum matre a suis regno pellitur, et paulo post veneno interiit: in cujus locum electus est Arioaldus dux Taurinatium, cui uxor erat Gundeberga Adulouvaldi soror, circa an. 624. Plura de eo vide apud Paulum Diaconum, in Hist. Langob. GUSSANV.

[c] Omnes fere Mss. legunt *Secundo*, Editi vero *Secundino*. Hæc scripta Secundini fortasse occasionem dederunt scribendi epistolam 54 lib. VII, indict. 2, nunc 52 lib. IX. Num ille est Secundinus, vel Secundus, qui aliquando dicitur abbas apud Ravennam, et de quo crebra fit mentio apud Paulum Diaconum, in Hist. Langob., et maxime lib. IV, c. 42? Mense Martio defunctus est apud Tridentum Secundus servus Christi, de quo jam sæpe diximus, qui usque ad sua tempora succinctam de Langobardorum gestis scripsit Historiam. GUSSANV.

[d] De eo supra, epist. 2 lib. VI.

[e] Variæ sunt hujus vocis significationes, quas vide apud Menardum in Concordia Regularum, cap. 3, pag. 124 et 125. Apud Christianos sumuntur pro sacris reliquiis in auro, vel argento, vel crystallo, aut alia quavis materia cælatis. Vocantur et a Græcis ἐγκόλπια, unde apud Annam Comnenam in Alexiade σταυρὸς ἐγκόλπιος appellatur crux sanctorum reliquias aut sanctæ crucis particulas continens, quam catenulis de collo ad pectus pendentem gestabant. Prohibentur phylacteria in concil. Laod., can. 36, et apud Chrysost., hom. 43, in Matth. c. XXIII. Scilicet intelliguut chartas in quibus continentur incantationes. Loquitur autem sanctus Gregorius de phylacteriis vim quamdam divinam habentibus adversus nociva quæque. Sic Chrysostomus in lib. de precatione, προσευχὴ δὲ ἄμαχον ὅπλον καὶ ἀσφαλὲς φυλακτήριον. Vide annotationes in Matth. XXIII, 5, et religiosam observationem a superstitiosa distingue. Plura de phylacteriis scitu dignissima vir cl. Alteserra, quæ legisse studiosum non pœnitebit. Recens est memoria decreti inquisitionis Romanæ, quo ἐθελοθρησκεία, vel potius ἐθελοδουλία damnatur, per quam nonnulli regulares et sæculares gestatione catenularum in quibusdam corporis membris, se beatæ Virginis dabant mancipio. GUSSANV.

[f] Quam lectionem, cujus Evangelii, obscurum est. Forte quatuor Evangelia, aut unius evangelistæ opus, aut sancti Joannis caput primum. Apud Judæos notum est sacram Scripturam fuisse in varias sectiones distributam, quas singulas singulis Sabbatis in synagogis legerent. Apud Christianos utrumque Testamentum in conventu publico olim legi solitum, non concise et per particulas, ut fit, de quo novo more multi sunt conquesti. Magis ad hunc locum sancti Gregorii facit quod ex Isidoro Pelusiota, lib. II, epist. 150, referunt de parvis Evangeliis quæ religionis causa gestabant mulieres: δελτία μικρὰ . . . . . ὥσπερ νῦν αἱ γυναῖκες τὰ εὐαγγέλια μικρά. Clemens Alexandrinus simile quid videtur innuisse in Protreptico, ante finem, de amuletis loquens: Ὑμεῖς δὲ οὐ βούλεσθε τὸν οὐράνιον αὐτὸν περιάψασθαι τὸν σωτῆρα λόγον, καὶ τῇ ἐπῳδῇ τοῦ Θεοῦ πιστεύσαντες. etc. Id est: *Vos autem ne ipsum quidem verbum cœleste, qui est Servator, alligare vobis vultis, et Dei credentes incantationi*, etc. Sic ista Evangelii lectio fuisset phylacterium non quidem Judaicum, de quo Epiphanius hæresi 15, nec quale prohibent concilia, Agathense, c. 68, Liptinense, c. 5. GUSSANV. Sanctus Gregorius inter cætera phylacteria *mittit lectionem* sancti Evangelii quod appendi collo solitum docet Joan. Chrysost., hom. 19, ad pop. Antioch. *Non cernis*, inquit, *ut mulieres et parvi pueri, pro magna custodia, Evangelia collo suspendunt?* Vide quoque hom. 73, in Matth. Evangelium apponi capiti solitum pro curatione, discimus ex Augustino, in Joan. cap. VII.

[g] Horatius, Ode 38:

Persicos odi, puer, apparatus.

Id est, sumptuosos, exquisitos. Hæc vox apud Latinos obvia pro repositoriis, ut theca nummaria, theca calamorum, etc. Græcis sæpe θήκη, idem ac μνῆμα, σορός. Apud sanctum Augustinum et alios legimus *entechas*, qua voce Græci non videntur usi. Vide caus. 12, q. 1, c. 10, ex sermone *de vita communi clericorum*. Refertur in Aquisgran., an. 836, c. 112. GUSSANV.

[h] Hic *albula* inter lapides pretiosos annumeratur. Forte ipse est de quo Epiphanius. De duodecim gemmis, numero duodecimo, agit, scilicet *onyx*, quem ait nomen sortitum esse propter puritatem albedinis, διὰ τὸ κάθαρον τῆς λευκότητος, ubi notat Patavius alabastritem lapidem a Dioscoride vocari onycem. Apoll. Sidonius, in epithalamio Ruricii et Iberiæ, enumerando gemmas, meminit lapilli albi.

[i] Eo ipso anno factam pacem hanc innuit Paulus Diac., lib. IV, c. 29, quo baptizatum ait, c. 28, Adaloal-

gratias referatis atque ejus animum, sicut consuevistis, ad pacem de futuro per omnia provocetis, quatenus mercedem populi innocentis, qui in scandalo perire poterat, ante conspectum Dei, inter multa bona quæ agitis, invenire possitis [k].

## EPISTOLA XIII.

AD ALCYSONEM CORCYRÆUM EPISCOPUM.

*Beati Donati corpus in Cassiopi castro recondi sinat, salva Ecclesiæ suæ jurisdictione.*

Gregorius Alcysoni episcopo Corcyræ.

Resipiscentibus fratribus et ad salubre se consilium convertentibus non est neganda benignitas, ne plus in episcoporum mentibus culpa videatur posse quam charitas. Venientem igitur ad nos Petrum, Ecclesiæ Euriæ lectorem, cum scriptis fratris et coepiscopi nostri Joannis, coram responsalibus dilectionis tuæ suscepimus, atque eum post relecta scripta, quæ detulerat, curæ nobis fuit requirere si quid contra allegationem eorumdem responsalium tuorum haberet quod diceret. Qui dum nihil sibi aliud injunctum vel responsurum se penitus perhiberet, extra hoc quod episcopi ipsius epistola continebat, ea quæ canonibus congruebant, Deo auctore, sine tarditate decrevimus. Post longum vero tempus suprascriptus Petrus capitulare protulit, quod sibi datum a suo asserebat episcopo, et idcirco moras causa sustinuit. Sed quia in eodem capitulari memoratus [a] sperasse legebatur antistes ut in Ecclesia beati Joannis, [b] quæ intra castrum quod Cassiopi vocatur est posita, sanctum ac venerabile corpus beati Donati **1272** habeat recondendi licentiam, paratum se esse inquiens dilectioni tuæ, propterea quod tua probatur esse diœcesis, munitionem emittere nullum tibi ex hoc præjudicium generari, petitionem ejus sine effectu non prævidimus relinquendam, postquam ita sibi necessitatis tempore desiderat [c] fieri consultum, ut Ecclesiæ tuæ jurisdictionem servare se in omnibus fateatur. Hac itaque ratione permoti, fraternitatem tuam scriptis præsentibus adhortamur, ut sine aliqua mora, vel excusatione, in prænominata beati Joannis Ecclesia recondendi suprascripti sancti venerabile corpus præbeat facultatem, ita sane ut prius scriptura interveniente te muniat nunquam sibi in antefata Ecclesia vel castro, sub quolibet argumento, aliquam jurisdictionem vel privilegium tanquam proprius episcopus vindicare, sed omne illic jus ac potestatem Ecclesiæ tuæ, quippe cujus est parochia, inviolabiliter custodire. Pariter quoque te, sicut idem frater noster petiit, convenit respondere, ut tempore quo miserante Deo pace reddita illi ad propria fuerit revertendi licentia, antedictum venerabile corpus auferendi secum sine aliqua objectione fas habeat. Qua de re [d] ne personale esse videatur quod geritur, et inveniri possit unde recidiva rursus excitetur contentio, etiam successores vestri in hac promissione pro conservandis omnibus sunt per omnia complectendi, quatenus hujusmodi præveniente cautela, nec ille ibidem de cætero sibi quidquam in diœcesi tua contra æquitatem et sacrorum canonum decreta præsumat defendere, et jus Ecclesiæ tuæ ex hujusmodi concessione præjudicium aliquod nulla unquam ratione sustineat [e]. (*Vide sup. epp.* 7 *et* 8.)

## **1273** [a] EPISTOLA XIV.

AD FELICEM SUBDIACONUM.

*Ecclesiæ sancti Pauli ad fovenda lumina amplos concedit reditus.*

Gregorius Felici subdiacono et rectori patrimonii Appiæ.

Licet omnia quæ hic apostolica habet ecclesia beatorum Petri et Pauli, quorum honore et beneficiis acquisita sunt, Deo sint auctore communia, esse debet in administratione actionum diversitas personarum, ut in assignatis cuique rebus cura adhiberi possit impensior. Cum ergo pro ecclesia beati Pauli apostoli, sollicitudo debita nos commoneret ne minus illic habere luminaria idem præco fidei cerneretur, qui totum mundum lumine suæ prædicationis implevit, [b] et valde incongruum esse ac durissimum videretur ut illa ei specialiter possessio non serviret, in qua palmam sumens martyrii capite est truncatus ut viveret, utile judicamus eamdem massam quæ Aquas Salvias nuncupatur, cum omnibus fundis suis, id est cella vinaria, Antoniano, [c] villa Pertusa in foro Pri-

dum filium Agilulfi regis, sc. anno 603, quo *festi Paschalis dies fuit septimo Idus Aprilis;* quo etiam mense Septemb. cœpit indictio septima : *factaque est pax*, inquit, *mense nono usque ad Kalend. Aprilis, indictione octava.* Hinc ad annum 605, quo mensis Aprilis cum octava indictione currebat, productam pacem colligeremus, nisi octavam eamdem indictionem seq. capite 30 assignaret Paulus, tum secundo Phocæ imperantis anno, tum Gregorio ad Christum migranti, cum tamen nemini dubium sit septima indictione obiisse Gregorium; sexta vero, sub finem anni 602, Phocam imperare cœpisse.

[k] In recent. subditur : *Dat. mense Januarii, indict.* 7, quod nulli exhibent e nostris mss. Codicibus. Verum, quod pertinebat ad epistolam sequentem pro hac epistola assignarunt. Corrupte in Collectione Pauli *Data die secunda mensis Martii, indict.* 2.

EPIST. XIII [*Al.* 8]. — [a] In Vatic. D et Rhem., *petisse legebatur.* Apud Gussanv. et in nonnullis Mss., *superasse legebatur.*

[b] Excusi, *quæ in Cassiopi castro est posita,*

[c] Tres Vaticani, Beccensis, et alii ex Norm. cum Regio, *ferri consultum.*

[d] Vatic. B, *ut synodale esse videatur .... et inveniri non possit.*

[e] Addi posset *mense Januario, indict.* 7. Legitur enim in tribus Vatic. et in Colb. vet., quos Codices præferendos putamus duobus Tellerianis, ubi habes *mense August., indict.* 6.

EPIST. XIV [*Al.* 9]. — [a] Hæc epistola in tabula marmorea ad basilicæ sancti Petri parietem affixa legitur. Affixæ hujus tabulæ meminit Joan. Diac., lib. II, c. 20. Ex hac epistola liquet quæ tunc et quanta essent in ecclesiis luminaria. Apud Cassiodorum, lib. III Variar., epist 7, scribit Theodoricus rex episcopo Salonitano ut persolvat pretium LX orcarum olei ad implenda ejus ecclesiæ luminaria comparatarum. De ecclesiæ luminaribus s pe dictum a nobis in notis ad Dialogos.

[b] Vatic. B, et F, *valde incongruum accessisse et durissimum.*

[c] In tabula marmorea : *Villa pertusa. Bifurco. Priminiano.* Consentit Reg.

miano, Cassiano Silonis, [d] Cornelii, Thesselata, atque Corneliano, [e] cum omni jure, instructo, instrumentoque suo et omnibus generaliter ad eam pertinentibus, cum Christi gratia luminaribus deputare, adjicientes etiam eidem cessioni hortos duos inter Tiberim et porticum ipsius ecclesiæ, euntibus a porta civitatis parte dextera, quos dividit fluvius [f] Almon, [g] inter affines horti monasterii sancti Stephani, quod est ancillarum Dei, positum ad sanctum Paulum, et ad fines possessionis Pissiniani, simul et terrulas quæ vocantur Fossa latronis, positas [h] ibidem juxta eamdem porticum euntibus; similiter parte sinistra ad portam ubi nunc vineæ factæ sunt, quæ terrulæ cohærent ab uno latere possessioni Eugenitis quondam scholastici, et ab alia parte possessionibus monasterii [i] sancti Edistii, quæ omnia Deo adjuvante per antedictæ ecclesiæ præpositos qui per tempora fuerint et a præsenti septima indictione volumus ordinari. Et quidquid exinde accesserit, luminaribus ejus impendi, atque ipsos exinde ponere rationes. Idcirco experientiæ tuæ præcipimus ut suprascriptam massam Aquas Salvias cum prænominatis omnibus fundis suis, necnon hortos, atque terrulas quæ superius continentur, de brevibus suis delere debeat ac auferre, et cuncta [k] ad nomen prædictæ ecclesiæ beati Pauli apostoli tradere; quatenus servientes ibi præpositi, omni posthac carentes excusatione, **1274** de luminaribus ejus ita sine nostra studeant sollicitudine cogitare, ut nullus unquam illic neglectus possit existere. Facta vero suprascriptarum omnium rerum traditione, volumus ut hoc præceptum in scrinio ecclesiæ nostræ experientia tua restituat [l].

## EPISTOLA XV.

### AD ANTHEMIUM SUBDIACONUM.

*Exarchum temere loquentem moneat, et ipse per epistolam Romanorum malis speratum procuret levamen.*

Gregorius [a] Anthemio subdiacono.

Quia gloriam vestram fixam valde atque stabilem in suis esse moribus audio, multum lætificor, et sic vobis quæ mihi displicent sicut speciali filio fiducialiter loquor. Excellentissimus enim exarchus aliqua loquitur quæ omnes qui illum amant ad inimicitias illius valeant provocare. De qua re ei per latorem præsentium in excepto quæ mihi visa sunt relegenda dictavi; quæ, si placet, et vobis relegantur, ut sciatis quid ei de re eadem scribere debeatis. Hic autem quanta necessitas, et quæ nos mala constringant, et præsentis responsalis nostri relatione, et ex epistolis fratris et coepiscopi mei Mariniani potestis agnoscere. Unde gloriam vestram decet studiose cogitare, quia nos de sapientia vestra magnam in omnipotente Domino fiduciam habemus, et ubi vos estis, illic causam negligi nullo modo credimus. Ita ergo facite, ut confidentia nostra a sua certitudine non inveniatur aliena. Gratia vos superna custodiat, et prospere agere omnia concedat.

## EPISTOLA XVI.

### FELICIS MESSANENSIS EPISCOPI AD S. GREGORIUM.

*Quærit de consanguinitatis gradibus in quibus nubere licet; de episcoporum vexatione a subditis, ac de ecclesiis quarum dedicationes sunt dubiæ.*

Domino beatissimo et honorabili, sancto Patri Gregorio papæ, Felix vestræ salutis ac sanctitatis amator.

Beatissimæ vestræ salutis ac sanctitatis jura penes Deum sunt manifesta. Dum prædicationibus scilicet apostolicis et doctrinis veræ fidei cultura universa repleta sit terra, per divinorum tamen eruditionem eloquiorum, vestra instruente admonitione exhortatoria, superædificatur orthodoxa Christi Ecclesia apostolica institutione fundata, et a fidelibus patribus firmissime roborata. Ad quam beatissimi omnes apostoli pari honoris et potestatis consortio prædiți, **1275** populorum agmina convertentes, pie sancteque de tenebris ad lumen, de lapsu ad veram fidem, de morte ad vitam, homines divinæ prædestinationis gratia præscitos, salutaribus præceptis ac monitis perduxerunt. Quorum sanctorum apostolorum vestra paternitas honoranda sequens merita, et perfectius implens exempla, Ecclesiam Dei morum probitate et actuum sanctitate condecorat, et fide sacra Christianisque moribus vigens, quæ fieri Deo placita præcipit studiis pontificalibus indesinenter operatur et perficit, servans divinæ legis præcepta, quia *non auditores legis justi sunt apud Deum*, sicut narrat Apostolus, *sed factores legis justificabuntur* (*Rom.* II, 13).

Hæc quidem meditantes, ad nos perlatum est a quibusdam Roma venientibus vos Augustino consodali nostro, per venerabilem sanctitatem vestram postmodum episcopo Anglorum genti ordinato et illuc directo, atque Anglis scripsisse, quos olim ad fidem conversos per vos cognovimus, ut quarta progenie

[d] Ibid., *Corneli tesselata, atque Corneliano.*

[e] Nihil hic necesse est notam adjungere, qua vocabulorum istorum significatus aperiatur. Sufficit indicare lib. III, Dig. tit. 7, qui inscribitur *de instructo vel instrumento legato*, ubi omnia recensentur quibus fundus vel domus possunt instrui, discrimenque statuitur inter ea quæ sunt instructi, quæ sunt instrumentum, quæ sunt instrumenti. Sanctus Gregorius, in hac donatione nihil non comprehendit, res, jumenta, homines. GUSSANV.

[f] Vatic. A, *Armon.*

[g] Vatic. B, *inter fines.*

[h] Excusi, *positas, id est juxta eamdem.* Legendum sane *ibidem* aut *itidem*, ut in Reg. et in Vaticanis. In tabula marmorea legitur *idem*, forte compendiose, pro *ibidem.*

[i] In tabula marm., *sancti Aristi.* In Vatic. A. et B, *sancti Hedesti.* In Vatic. F, *sancti Edisti.*

[k] Reg. et Vatic. F, *ad monasterium prædictæ.*

[l] In tabula marmorea post *restituat* subditur : *Bene vale. Dat.* VIII *Kalend. Februarias, imp. dn. n. Phoca PP. anno secundo, et consulatus ejus anno primo, indict.* 7.

EPIST. XV [*Al.* 28]. — [a] Falsum esse hunc titulum liquet ex his verbis, *gloriam vestram.* Et alia quæ non adaptantur ad clericos. GUSSANV.

EPIST. XVI. — [a] Epistolam hanc hactenus non excusam reperimus in Corbeiensi, Pratel., Gemet. ac Sagiensi, qui Codices vix una in voce discrepant.

conjuncti non separentur. Quæ consuetudo dudum in illis aut in istis partibus, quando una vobiscum ab infantia nutritus atque edoctus fui, non erat, nec in ullis prædecessorum vestrorum decretis vel reliquorum generaliter vel specialiter Patrum institutis legi, aut hactenus ab ullis sapientibus esse concessum didici. Sed semper usque ad septimum originis suæ gradum hæc a sanctis antecessoribus vestris et cæteris sanctis Patribus, tam in Nicæna synodo, quam et in aliis sanctis conciliis congregatis, servari debere reperi, et a recte viventibus ac Dominum timentibus hominibus studiose prævideri cognovi. Dum hæc nobiscum versabantur, supervenere et alia de quibus necessarium nobis videtur vestram consulere auctoritatem. Venerunt quippe ad nos tam [b] Benedictus, Syracusanæ Ecclesiæ episcopus, quam et alii fratres nostri equidem episcopi lacrymantes, ac dicentes per sæculares et laicos nimis se esse turbatos atque animo afflictos super immoderatis actibus eorum, pro quibus et aliqua injusta eis impingebantur.

Sunt etiam quædam eccle-iæ in nostra provincia super quarum consecrationibus dubitatur, et tam propter antiquitatem, quam et propter earum custodum incuriam, nescitur utrum dedicatæ ab episcopis fuerint, necne. Super quibus omnibus nos a vestra sanctitate ac vestræ sanctæ sedis auctoritate instrui precamur; et utrum ea quæ, sicut prædiximus, vos præfato consodali nostro Augustino episcopo et Anglorum genti scripsisse audivimus, specialiter eis aut generaliter omnibus scripta sint scriptis vestris imbui quærimus, et de hac sive de aliis præscriptis rebus pleniter informari cupimus. Nos enim ea quæ legimus, et observari a fidelibus cognovimus, non increpando, **1276** quod absit, vobis significamus, sed quid rationabiliter et fideliter super his observare debeamus requirimus. Et quoniam non modicum murmur super hac re nobiscum versatur, quid respondere fratribus et coepiscopis nostris debeamus a vobis quasi a capite responsum quærimus, ne super his ancipites remaneamus, aut murmur illud tam vestris temporibus quam posteris inter nos aut alios remaneat, rumorque vester, qui semper bonus et optimus fuit, detractionibus lacereturr, vel subrogetur, aut nomen vestrum, quod absit, supervenientibus temporibus blasphemetur. Nos enim quæ recta sunt auctore Deo humili corde servantes, uno vinculo charitatis vobis constricti, vestram religionem in omnibus, ut fideles alumni defendentes, a vobis quæ recta sunt quærimus; scimus enim ut semper sanctæ sedis præsules primo apostoli, deinde successores eorum fecerunt, vos universalis Ecclesiæ, et maxime episcoporum, qui oculi propter contemplationem et speculationem vocantur Domini, curam gerere, ac de religione et lege nostra assidue cogitare, sicut scriptum est : *Beatus qui meditabitur in lege Domini die ac nocte* (*Psal.* I, 2). Quæ meditatio non lectione per figuram litterarum tantum conspecta, sed exuberante in vobis Christi gratia, in vestra cognoscitur conscientia immobiliter insita. Nullatenus de vestro corde recedente lege Christi Domini sacrosancta, sicut in Psalmis dicit Propheta : *Os justi meditabitur sapientium, et lingua ejus loquetur judicium : lex Dei ejus in corde ipsius* (*Psal.* XXXVI, 30), non atramento sed Spiritu Dei vivi vestris in arcanis conscripta; non igitur in tabulis lapideis, sed in tabulis cordis. Exstinguatur, oramus, vestris sapientissimis responsis et auxiliis omnis tenebrarum caligo, ut lucifer nobis resplendeat per vos, sanctissime Pater, et dogmatica definitio omnes ubique lætificans, quia gloriosi sanctæ Ecclesiæ Patres propria et piissima dogmata in æternæ vitæ firmam hæreditatem prædicasse noscuntur. *Et subscriptio* : Incolumem vos et Deo placitum, sancte Pater patrum, orantem pro nobis Dominus custodiat in ævum. Amen.

[b] In nomine hujus episcopi Syracusani videtur error irrepsisse, nam Joannes hanc adhuc regebat Ecclesiam.

## [a] EPISTOLA XVII.

AD FELICEM MESSANENSEM EPISCOPUM.

*Interrogatus respondet de consanguineorum conjunctione, de vexatione episcoporum a subditis, ac de dubia ecclesiarum consecratione. Segregari incorrigibiles, et synodum quotannis congregari præcipit.*

Reverendissimo fratri Felici episcopo, Gregorius servus servorum Dei.

Caput nostrum, quod est Christus, ad hoc sua membra nos esse voluit, ut per ejus largam **1277**

Epist. XVII [*Al.* 32]. — [a] In Corb., Vatic. D, Rhem. et Gemet., legitur pro titulo, *Rescriptum sancti Gregorii ad eumdem Felicem episc.*, quod supponit aliam epistolam Felicis. Nonnulli dubitarunt hanc epistolam esse sancti Gregorii; verum ab eo scriptam evincit testimonium Joannis Diaconi, qui ejus partem retulit lib. II, c. 37. Sed et Hincmarus sæpe de ea mentionem facit, ejusque tertiam fere partem exscribit, tum epist. 37 et 59, tum in tract. de divortio Lotarii et Thetbergæ, interrogat. 5, et quæst. 7, sed fusius interrogat. 12, versus finem. Regino etiam, abbas Prumiensis, qui florebat an. 900, in prima appendice ad librum de Ecclesiasticis disciplinis, c. 30, et alii qui subsecuti sunt canonistæ, plura ex ea retulerunt. Reperitur etiam hæc epistola in multis Codd. mss., Tell., Carn., Bigot., Germ., Vat., Anglic. Verum quam sit corrupta et deformata, clarum est ex multis interpolationibus et repetitionibus inutilibus, quas lector studiosus et prudens inter legendum observabit. Ideo a quibusdam reprobata est, tanquam Gregorio Magno indigna. *Partim ex* Gussanv. Huic docti viri censuræ non audemus subscribere; quin potius hanc epistolam Gregorio dignam judicamus. In ea quædam repetuntur aut ex epistolis, aut ex libro Reg. Pastoral. At hujusmodi repetitiones sancto Gregorio sunt familiares. Illam epist. saltem transpositam putat Gussanvillæus atque ante epist. octavam libri V, nunc 9 lib. VI, reponendam censet, quod Felix cui de privilegiis Anglorum genti concessis respondet Gregorius ille ipse fuerit ad quem scripserat lib. I, indict. 9. Verum ab illo hunc fuisse diversum sic demonstramus : Epistola hæc ad Felicem supponit Augustinum jam in Britanniam missum, imo jam ejus quæstionibus ad novæ Ecclesiæ Anglicanæ optimam gubernationem spectantibus respondisse sanctum Gregorium. Ergo ad alium Felicem scripta est quam ad illum Messanæ episcopum cui inscribitur epist. 40 libri I. Huic enim demortuo successerat Donus, saltem initio indict. 14,

charitatem et fidem unum nos in se corpus efficeret, cui ita nos adhærere convenit, ut quia sine ipso nihil esse possumus, per ipsum possimus esse quod dicimur. Ab arce capitis res nulla nos dividat, ne ab eo, si membrum ejus esse refugimus, relinquamur, et velut dejecti de vite palmites arescamus. Ut ergo Redemptoris nostri habitaculum esse mereamur, in dilectione ipsius toto mentis studio maneamus. Ipse namque ait : *Qui diligit me, sermonem meum servabit, et Pater meus diliget eum, et ad eum veniemus, et apud eum mansionem faciemus* (*Joan.* XIV, 23). Exegit ergo dilectio tua, frater charissime, ut ex auctoritate sedis apostolicæ tuis deberemus consultis respondere. Quod licet non prolixe sed succincte agere festinaremus, propter quasdam importunitates, quæ nostris præpedientibus peccatis in nos supervenere, tuis tamen hæc, per reliqua sanctorum Patrum instituta, studiis perquirere latius et investigare committimus. Non enim potest mens attrita et oneribus atque importunitatibus prægravata tantum boni peragere, et libere de his loqui, quantum delectata et oppressionibus soluta. Non ergo ista ob id prætulimus, ut hæc et alia quæ necessaria fore cognoverimus tuæ sanctitati velimus denegare, sed ut quod hic minus invenitur latius perquiratur.

De tribus enim apostolicam sedem, in qua alitus es et edoctus, capitulis consulendam, prædecessorum tuorum sequens exempla, credidisti, id est de consanguinitatis conjunctione, et de vexatione episcoporum a subditis, et de ecclesiarum dubitatione consecrationum. Quod autem scripsi Augustino, Anglorum gentis episcopo, alumno videlicet, ut recordaris, tuo, de consanguinitatis conjunctione, ipsi et Anglorum genti, quæ nuper ad fidem venerat, ne a bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter et non generaliter cæteris me scripsisse cognoscas. Unde et mihi omnis Romana civitas exstitit testis, nec ea intentione hæc illis scriptis mandavi, ut postquam firma radice in fide fuerint solidati, si infra propriam fuerint consanguinitatem inventi, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est usque ad septimam generationem, conjungantur ; sed adhuc illos neophytos existentes sæpissime eos prius illicita docere [b] vitare, et verbis ac exemplis instruere, et quæ post de talibus egerint, rationabiliter et fideliter excludere oportet. Nam juxta Apostolum, qui ait : *Lac vobis potum dedi, non escam* (*I Cor.* III, 2), ista illis modo, non posteris, ut supradictum est, temporibus tenenda indulsimus, ne bonum quod infirma adhuc radice plantatum erat erueretur, sed cœptum firmaretur, et usque ad perfectionem custodiretur. Sane si in his secus quam debuimus aliquid egimus, [c] non proterviæ, sed commiserando actum esse cognoscas. Unde et testem invoco Deum, qui **1278** cogitationes omnium hominum novit, cujus etiam oculis omnia nuda sunt et aperta. Nam si ea destruerem quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor esse juste comprobarer, testante Veritatis voce, quæ ait : *Omne regnum in seipsum divisum non stabit* (*Luc.* XI, 17), et omnis scientia et lex adversus se divisa destruetur. Ideoque necesse est ut omnes concorditer statuta sanctorum Patrum nostrorum teneamus, nihil videlicet per contentionem agentes, sed, ad omne studium bonæ devotionis unanimes, divinis et apostolicis constitutionibus auxiliante Domino pareamus [d]. (*Vide l.* XI, *ep.* 64.)

O quam bona est charitas, quæ absentia per imaginem præsentia sibimetipsis exhibet per amorem, divisa unit, confusa ordinat, inæqualia sociat, imperfecta consummat ! quam recte prædicator egregius vinculum perfectionis vocat (*Coloss.* III), quia virtutes quidem cæteræ perfectionem generant, sed tamen eas ita charitas ligat, ut ab amantis mente dissolvi jam nequeant. His rite perpensis, [e] charitative jam dictis indulsi, nec præceptum dedi, sed consilium ; nec regulam in his posteris ullis tenendam tradidi, sed de duobus periculis quod facilius sit vitandum ostendi. Si igitur in rebus sæcularibus suum cuique jus et proprius ordo servandus est, quanto magis in ecclesiasticis dispositionibus nulla debet induci confusio, [f] ne ibi discordia locum inveniat, unde pacis debent bona procedere ? Quod hac ratione servabitur, si nihil potestati, sed totum æquitati tribuitur. Quapropter multum cor nostrum magnitudini vestræ congaudet, quod sic vos in vestris actibus studiosos invenimus, ut vos et nostri curam habeatis et talia sciscitando inquirere studeatis, quatenus talia vobis non solum apud homines gloriam, sed et apud omnipotentem Dominum præmia mercedis acquirant.

Cæterum super vexatione episcoporum, de qua nos consulere voluistis, scimus quia a nullis vita præsulum perturbari debet excessibus, quia valde indignum est ut hi qui throni Dei vocantur aliqua motione [g] a regibus vel subditis turbentur. Quoniam si David regum justissimus in Saul, quem constabat jam

ut patet ex epist. 9 libri VI. Si dicas loco motam fuisse hanc epistolam, eamque ad aliam indictionem pertinere, quod omnibus Mss. contrarium est, nec ulla vel levissima conjectura nititur, quid respondebis de tot aliis ad Donum scriptis epistolis ? Itaque Eucarpo successerat Felix Doni decessor. Eucarpum jam anno 580 grandævum agnoscit Pelagius II, ad ipsum scribens. Aliquot ergo ante Gregorii pontificatum annis Messanensem Ecclesiam regebat Felix I. In ejus locum ordinatus est a Gregorio Donus ; cui, non multis ante Gregorii obitum annis, successit Felix II. Non, inquam, multis ; nam ineunte anno 603, Adrianus, ad Syracusanum patrimonium regendum missus, Leoni, Secundino, Joanni, Dono, etc., episcopis Siciliæ, non vero Felici commendatur, lib. XIII, epist. 18.

[b] Abest *vitare* a Gemet, Corb. ac Vatic. D.

[c] In Corb. et Gemet., *non propter ipsa*. Excusi, *non propter ipsam*, ubi nullus est sensus.

[d] Iisdem verbis incipit epist. 53 lib. V. Simile etiam charitatis elogium legitur epist. 33. lib. VIII, et epist. 108, lib. IX.

[e] Vitiose in Excusis, *charitati tuæ*.

[f] Gemet., *confusio, ubi discordia*.

[g] In Vatic. D et Gemet., *a reliquis vel subditis*. In Corb., *a clericis, vel*.

a Domino reprobatum esse manum mittere non præsumpsit, quanto magis cavendum est ne manum detractionis aut vituperationis, sive indiscretionis aut dehonorationis, quidam mittant in unctum Domini, vel in prædicatores sanctæ Ecclesiæ, quia eorum vexatio sive detractio ad Christum pertinet, cujus vice in Ecclesia legatione funguntur? Unde summopere cavendum est omnibus fidelibus ne clanculo aut publice episcopum suum, id est unctum Domini, detractionibus aut vituperationibus dilanient, perpendentes illud exemplum Mariæ, quia pro eo quod Moysi famulo Dei propter Æthiopissam detraxit, immunditia lepræ multata sit (*Num.* XII). Et illud Psalmistæ: *Nolite tangere christos meos, et in prophetis meis* **1279** *nolite malignari* (*Psal.* CIV, 15). Et in lege divina legitur: *Diis non detrahes, et populi tui principi non maledices* (*Exod.* XXII, 28). Unde valde prævidendum est subditis tam clericis quam laicis, ne episcoporum aut præpositorum suorum vitam temere reprehendere audeant, si quid eos fortasse agere reprehensibiliter vident, ne unde mala redarguunt, inde per elationis impulsum in profundiora mergantur. Admonendi sunt etiam ne cum culpas præpositorum suorum considerant, contra eos audaciores fiant. Sed sic eorum prava apud semetipsos [h] considerent, ut, divino timore constricti, ferre sub eis jugum reverentiæ non recusent, quoniam facta episcoporum vel præpositorum oris gladio non sunt ferienda, etiam cum recte reprehendenda videantur; quoniam a prædecessoribus nostris et a reliquis multis sanctis episcopis statutum fore cognovimus, ut oves pastores suos non facile reprehendant, nec eos criminari vel accusare præsumant, quia cum in præpositos delinquimus, ejus ordinationi qui nobis eos præbuit obviamus. Unde Moyses dum contra se et Aaron conqueri populum cognovisset, ait: *Nos enim quid sumus? Nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum* (*Exod.* XVI, 8). Quapropter admonendi sunt subditi utriusque ordinis viri ut cum magistrorum facta conspiciunt ad suum cor redeant, et de eorum increpationibus non præsumant, quia *non est discipulus super magistrum, nec servus super Dominum suum* (*Matth.* X, 24).

De dedicationum vero ecclesiarum dubitatione, super qua inter cætera nos consulere voluistis, hoc vos rite tenere debetis quod ab antecessoribus nostris traditum accepimus, id est, ut quoties tam de baptismo aliquorum, vel confirmatione, [i] quam de ecclesiarum consecratione dubitatio habetur, et nec scriptis nec testibus ratio certa habetur utrum baptizati vel confirmati, sive ecclesiæ consecratæ sint, ut baptizentur tales ac confirmentur, atque ecclesiæ canonice dedicentur, ne talis dubitatio ruina fidelibus fiat, quoniam non monstratur iteratum quod non certis indiciis ostenditur rite peractum. [k] Hæc nos adminiculante divina gratia ita tenere cupimus, vobisque, ut postulastis, tenere et docere mandamus, et ea quæ a sanctis Patribus ante nos sunt statuta non proterve irrumpere, sed fideliter servare optamus. Unde Redemptoris nostri misericordiam exoramus, ut sua vobis in omnibus gratia suffragetur, et effectu implere vos tribuat quod velle concessit, [l] quia in hac re tanto commoda retributionis accrescunt, quanto et studium laboris augetur. Progeniem vero suam unumquemque de his qui fideliter edocti sunt, et jam firma radice plantati stant inconvulsi, usque ad septimam observare decernimus generationem. Et quandiu se affinitate agnoscunt propinquos, ad hujus copulæ non accedere societatem præsumant, nec eam (*Grat.*, *c.* 35, *q.* 2, *et* 3. *c.* 10) quam aliquis ex propria consanguinitate conjugem habuit, vel aliqua illicita pollutione maculavit, in conjugium ducere ulli profecto licet Christianorum vel licebit, quia incestuosus est talis coitus et abominabilis Deo, et cunctis bonis hominibus. Incestuosos vero nullo conjugii nomine deputandos a sanctis Patribus **1280** dudum statutum esse legimus. Ideo nolumus nos in hac re a vobis sive a cæteris fidelibus reprehendi, quia quod in his Anglorum genti indulsimus, [m] non formam dando, sed considerando ne Christianitatis bonum quod cœperant imperfectum dimitterent egimus.

Paterna ergo vos dilectione salutantes, hortamur ut propositas opportunitate occasiones in vestra efficacia enixius elaborare debeatis, atque id modis quibus possibile fuerit omni studio agere contendatis, quatenus prædicabile desiderium vestrum in auxilium omnium, adjuvante Domino, compleatis. Nec hoc quoque in hac sollicitudinis parte relinquimus, quod omnes incestuosi a liminibus sanctæ Ecclesiæ sint separandi, quousque per satisfactionem precibus sacerdotum canonice eidem sanctæ Ecclesiæ catholicæ reconcilientur. Sunt enim mali segregandi a bonis, et iniqui a justis, ut saltem rubore suo conscientias suas recognoscant, et convertantur a pravitatibus suis (*Hincmar.*, *de divortio Lotar. et Thetbergæ*, *interrog.* 5). At si incorrigibiles apparuerint, segregentur a fidelibus usque ad satisfactionem, juxta Salvatoris Domini sententiam, qua inter cætera de peccante in se fratre præcipiendo, ait: *Si peccaverit in te frater tuus, corripe eum inter te et ipsum solum. Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem non audierit te, adhibe tecum unum vel duos, ut in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quod si eos non audierit, dic Ecclesiæ. Si autem et Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus et publicanus* (*Luc.* XVII, 3;

[h] Idem Codices, *dijudicent*.

[i] Ibid.: *De Ecclesiarum consecratione dedicationum in dubium habetur*.

[k] Excusi *hæc vos*, invitis Mss. Vatican., Corb., Turon., Gemet.

[l] Hæc, usque ad *progeniem vero suam*, omissa sunt in Corb., Gemet. et Vatic. D, vel potius sunt transposita; nam leguntur inter hæc verba *egimus*, et *paterna ergo vos*, etc., hoc modo: *Egimus. Quia ergo in hac re tanto... quanto... augetur, paterna dulcedine salut.*

[m] Turon., *non formam dando, sed considerationem.* Corb., *sed consideratione.*

*Matth.* XVIII, 15, *seq.*). His ergo et aliis multis sanctorum Patrum auctoritatibus segregandi sunt mali a bonis, ne pereant justi pro injustis, sicut scriptum est: *Perit justus pro impio* (*Isa.* LVII, 1, *sec. LXX*). Debet enim discretio semper fieri inter bonos et malos, sicut est inter hædos et oves. Manifesta quoque peccata non sunt occulta correctione purganda; sed palam sunt arguendi qui palam nocent, ut dum aperta objurgatione sanantur, ii qui eos imitando deliquerant corrigantur. Dum enim unus corripitur, plurimi emendantur. Et melius est ut pro multorum salute unus condemnetur quam per unius licentiam multi periclitentur. Nec mirum si inter homines hæc ratio custoditur, cum et inter jumenta hoc fieri persæpe cognovimus, ut ea quæ scabiem aut impetiginem habere videntur separentur a sanis, ne illorum morbo cætera sana dámnentur vel pereant. Satius est ergo ut mali aperte corrigantur, quam pro illis boni pereant. Unde volumus vos omnes in unum convenire episcopos, ut de incidentibus causis fiat disceptatio, et salubris de ecclesiastica observatione collatio, quatenus dum per hoc et præterita corriguntur, et regulam futura suscipiunt, omnipotens ubique Dominus fratrum concordia collaudetur. Cujus vobis adesse præsentiam, si hæc observaveritis, scitote, quia scriptum est: *Ubi fuerint duo vel tres congregati in nomine meo, ibi in medio eorum sum* (*Matth.* XVIII, 20). Si ergo dignatur adesse duobus vel tribus congregatis, quanto magis non deerit ubi plures conveniunt sacerdotes? Et quidem quia adhibendum bis in anno concilium Patrum sit regulis institutum, non latet. Sed ne forte aliqua excusatio sit, semel decrevimus congregari, **1281** ut exspectatione concilii nihil pravum, nihil præsumatur illicitum. Nam plerumque etsi non amore justitiæ, metu tamen examinationis abstinetur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio. Hanc, frater charissime, observantiam nostris relinquendam posteris teneamus, et omnia quæ ad eruditionem nostram sacris apicibus scripta sunt custodiamus, atque ad ea quoscunque possumus excitemus. Certum quippe est quia si toto corde præceptis salutaribus nos occupamus, omnem vitiorum labem effugimus, quia dum his quibus ædificamur innitimur, locum sine dubio deceptionis excludimus. Quapropter oportet ut enixius in cunctis studiosos vos circa fratres atque subjectos ostendatis. [n] ut omnes cum quibus aliti estis, atque didicistis sanctæ Romanæ Ecclesiæ præceptionibus parere, apostolicæ sedis præcepta multiplicare apertissimeque nota facere agnoscant; quia quod specialiter tibi tuisque et fratrum tuorum charitati, ut tuæ litteræ innotuerunt, consultis scribimus, generaliter omnibus tenere mandamus. Circa subjectorum autem **1282** actus fraternitas tua sit vigilans, ut vestrum illis exemplum instructio et vita magistra sit; linguæ vestræ exhortatione discant quod metuant, et doceantur quod diligant; ut dum talenta credita cum lucro multiplicantur, in diem retributionis annuente divina gratia audire mereamini: *Euge, serve bone et fidelis, intra in gaudium Domini tui* (*Matth.* XXV, 21, 25.) Curam præterea de omnibus quæ vobis aliisque fratribus nostris, et generaliter cunctis, pro illicitarum rerum prohibitione scripsimus, habere vos per omnia cognoscamus, quia omni studio omnique adnisu necesse est ut fraternitatis vestræ vigilantia compleantur, atque illic omnia quæ pro animarum scripsimus salute fideliter recenseantur; quatenus et vos per hoc vestrum zelum qualiter vobis illicita displiceant ostendatis, [o] et nos utiliter providisse, qui vos ac vestram ad hoc præ cæteris personam elegimus, videamur. Omnipotens autem Deus sua vos protectione custodiat, honoremque [p] perceptum vobis omnibus servare concedat. Amen [q].

[n] Corb., Vatic. D et Gemet. ac Pratell., *ut omnes te qui nobiscum alitus es, atque didicisti sancta.*

[o] Turon., *et nos fideliter obedisse qui.*

[p] Idem Codex cum Norm., *perceptum moribus servare.*

[q] In fine Cod. Corb. et Gemet. legitur *data Kalendis Novembris, indictione* 12, mendosissime.

# APPENDIX

## AD SANCTI GREGORII EPISTOLAS.

**1283** I. [a] *Symbolum fidei dictatum a beato Gregorio papa.*

Credo in unum Deum omnipotentem. Patrem, et Filium, et Spiritum sanctum, tres personas, unam substantiam. Patrem ingenitum, Filium genitum; Spiritum vero sanctum nec genitum nec ingenitum, sed coæternum, de Patre et Filio procedentem. Confiteor unigenitum Filium consubstantialem et sine tempore natum de Patre. Omnium visibilium et invisibilium conditorem. Lumen ex lumine. Deum verum de Deo vero. Splendorem gloriæ. Figuram substantiæ, Qui manens Verbum ante sæcula, perfectus homo creatus est, juxta finem sæculorum; conceptus et natus ex Spiritu sancto, et Maria virgine. Qui naturam nostram suscepit absque peccato. Et sub Pontio Pilato crucifixus est, et sepultus; tertia die resurrexit a

FRAGM. I. — [a] Reperitur initio Registri Gregoriani ante omnes epistolas, in omnibus fere Codicibus manu exaratis; referturque a Joan. Diacono, lib. II Vitæ, c. 2, ubi aliquas diversas lectiones a nobis annotatas reperies. Hoc confessionis fidei symbolum a sancto Gregorio pronuntiatum credimus in ipso suæ ordinationis et inaugurationis solemni ritu.

mortuis. Die autem quadragesimo ascendit in cœlum. Sedet ad dexteram Patris. Unde venturus est judicare vivos et mortuos. Positurus ante oculos omnium omnia occulta singulorum. Daturus sanctis perpetua præmia regni cœlestis, iniquis autem supplicia ignis æterni. Innovaturus sæculum per ignem. Confiteor unam fidem, unum baptisma; unam, apostolicam et universalem Ecclesiam, in qua sola possint laxari peccata. In nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti.

II. *De Laurentii archidiaconi depositione, et Honorati in ejus locum subrogatione.*

[a] Temporibus papæ Gregorii, [b] consulatus Mauricii Augusti anno septimo, depositus est Laurentius, qui primus fuerat in ordine diaconii sedis apostolicæ, propter superbiam et mala sua, **1284** quæ tacenda duximus, et factus est archidiaconus Honoratus coram omnibus presbyteris et diaconibus, notariisque, subdiaconibus, vel cuncto clero in basilica aurea.

III. *Charta quæ relicta est de litania majore, in basilica sanctæ Mariæ.*

Solemnitas annuæ devotionis nos, filii dilectissimi, admonet, ut [a] litaniam quæ major ab omnibus appellatur sollicitis ac devotis debeamus, auxiliante Domino, mentibus celebrare, per quam a nostris excessibus, ejus misericordiæ supplicantes purgari aliquatenus mereamur. Considerare etenim nos convenit, dilectissimi, quam variis continuisque calamitatibus pro nostris culpis atque offensionibus affligamur, et qualiter item cœlestis pietatis nobis subinde medicina subveniat. Sexta igitur feria veniente, a titulo beati Laurentii martyris, qui appellatur Lucinæ, egredientes, [b] ad beatum Petrum apostolorum principem, Domino supplicantes cum hymnis et canticis spiritualibus, properemus, ut ibidem, sacra mysteria celebrantes, tam de antiquioribus quam de præsentibus beneficiis pietati ejus, in quantum possumus, referre gratias mereamur.

IV. [a] *Privilegium monasterio sancti Medardi concessum.*

De Gairaldo abbate sancti Medardi, et de illius monasterio Suessionensi, quod amplissimis privilegiis decorat.

Gregorius omnibus episcopis.

Pretiosissimis lapidibus in diademate Christi merito renitentibus, omnibusque sanctæ Dei Ecclesiæ membris, quorum universale caput est Christus, **1285** Gregorius licet sanctæ Romanæ sedis pontificio sublimetur, humillimus tamen servorum Dei servus.

Quando catholicorum regum corda ad ea quæ pontificalibus sunt monitis provocanda ita ardenti desiderio divina præveniente gratia succenduntur, ut ab eis ultro poscantur, tanto alacri et læto sunt animo concedenda, quanto et ea ipsa quæ cupiunt, si nollent facere, peti debuerant. Proinde juxta filiorum nostrorum præcellentissimorum scripta regum Brunichildis ac nepotis ejus Theoderici, monasterio sanctæ Dei genitricis Mariæ, ac beatorum Petri apostolorum principis, necnon protomartyris Christi Stephani, quod est in Suessorum civitate situm, ubi sanctus Medardus requiescere et vir venerabilis Gairaldus abbas præesse videtur, hujusmodi privilegia auctoritatis nostræ decreto indulgemus, et ea plenius confirmamus privilegia quæ a bonæ memoriæ domino papa Joanne, comitante illustrium regum clementia, Clotarii scilicet et Sigeberti hujus nostræ filiæ jugalis, ipsi loco sub anathematis vinculis sunt concessa vel indulta, concedimus atque firmamus. Statuentes nullum regum, antistitum, vel judicum, nullum, quacunque præditum dignitate, ea quæ a præcellentissimis regibus vel quibuslibet aliis Deum timentibus loco concessa sunt vel conferentur, sub cujuslibet occasionis

---

Fragm. II [*Al. l.* II, *ind.* 10, *ante ep.* 1]. — [a] Hoc desiderator in Mss. Anglic., Norm. et plerisque Vatic. Legitur in Colbert., Vatic. A, B, C, utroque Turon., scilicet S. Gatiani et Majoris monasterii.

[b] Consulatum abolevit Justinianus Aug. an. 541. Hanc dignitatem restituere voluit Justinus imperator post Justinianum, sed irrito conatu. Attamen imperatores nudum consulatus titulum, assumere solebant, et idem fere erat annus consulatus ac imperii. Lege Cangium, in Glossario, ad hanc vocem *Consulatus* et *Consul*.

Fragm. III [*Al. l.* II, *ind.* 10, *ante ep.* 1]. — [a] Etiam nunc litaniæ dividuntur in *majores* et *minores*. Nam quæ in die sancti Marci celebratur vocatur *major*, etsi a litaniis Rogationum, quæ dicuntur minores, discrepare non videatur. Attamen in celeberrima sancti Martini basilica apud Turonos ea die fit *litania septiformis*, a septem choris per totidem portas eodem tempore basilicam intrantibus, et litanias decantantibus; quod fortasse alibi etiam usu receptum erat. Hinc litaniam majorem eamdem fuisse ac septiformem suspicamur, contra Gussanvillæi mentem, cujus lege subjectam notam. Male in omnibus exemplaribus *letaniam*. Græcis λιτὴ et λιτανέια, oratio, precatio, supplicatio. Basilius, epist. 63, litaniam de qua hic mentio, distinguerem a septiformi, de qua serm. in tempore mortalitatis. Major de qua hic mentio, videtur in usu fuisse ante Gregorii tempora, quidquid dicat Durandus, non advertens hæc verba: *Quæ major ab omnibus appellatur*. De litaniis quas Mamertus restauravit, agens Sidonius Apoll., epist. 14, lib. v, agnoscit eas longe antea fuisse in usu; sed vagas, tepentes, infrequentes, oscitabundas, ut nunc fit apud nos aut populi vitio aut incuria pastorum. Justinianus, in Authenticis, novell. 123, cap. 32, vetat litanias fieri sine episcopo, clericis et sacris crucibus. Quid litanias inter et processiones intersit, innuemus infra, ubi de missis publicis. Gussanv. Antiquissimum esse litaniarum seu supplicationum publicarum usum probat sanctus Ambrosius, epist. 40, num. 16.

[b] Superius legitur hæc litania facta in basilica sanctæ Mariæ, et hic in ecclesia sancti Petri, quod hanc chartam dubiæ fidei reddit. Aliunde ab omnibus pene Mss. abest, et qui eam habent Codices pauci sunt recentiores.

Fragm. IV. — [a] De hoc privilegio diu decertatum est. In nullis Mss. nobis occurrit, excepto uno Victorino.

Ex his qui notas in Gregorianas epistolas scripserunt, Alteserra ipsum propugnat. Aliter sentire videtur Gussanvillæus, etsi judicium ferre non audeat. In subscriptionibus multa errata deprehendi constat, ut ex notis marginalibus Philippi Labbei, tomo V Concil., col. 1585, liquet. Cum in omnibus Editis epistolarum sancti Gregorii locum habeat hoc privilegium, illud in appendice servandum censuimus. Alia privilegia a sancto Gregorio concessa vide supra lib. XIII, epist. 8, 9, 10. De privilegio Sublacensibus dato, in quo regula sancti Benedicti approbatur, lege Mabillonium, tom. II Analect., p. 166.

specie, minuere vel auferre, vel suis usibus applicare; sed cuncta quæ Deo servientibus monachis oblata sunt vel offerri contigerit perenni tempore illibata et sine aliqua inquietudine volumus possideri, eorum usibus pro quorum sustentatione concessa sunt modis omnibus profutura. Concedimus etiam ut obeunte abbate, non alius ibi quicunque obreptionis astutia ordinetur, nisi quem communis consensus monachorum elegerit, aut præviderit ordinandum. Caveant autem præfati monachi simoniacam hæresim, ne, potentia regum vel antistitum convicti, loco pastoris suscipiant tyrannum. Quod omnino fieri prohibemus, et eumdem abbatem causa ordinationis suæ aliquid dare præsumere vetamus, ne hac occasione quæ a fidelibus piis locis offeruntur vel oblata sunt, consumantur. Et quia fama religionis Deo servientium monachorum nostras pervenit ad aures, quibus vir vitæ venerabilis Gairaldus præesse dignoscitur, justis petitionibus præcellentissimorum regum Brunichildis atque Theoderici faventes, ob amorem domini Medardi, tantam divini honoris dignitatem et securitatem concedimus perenni tempore mansuram. Auctoritate igitur divina, vice beati Petri apostolorum principis, consensu omnium Romanorum pontificum et voluntate totius senatus Romani, suadente nobis viro apostolico Anserico Suessorum urbis pontifice, et omnium Galliæ episcoporum favente judicio, decernimus ut nullus archiepiscoporum, vel archidiacoporum fratres præfatæ basilicæ de ordinatione sui abbatis vel ecclesiasticorum graduum assumptione inquietet, sed secundum prærogativam ipsius loci vobis modo recitatam, beatissimi prædecessoris nostri domini Joannis papæ tempore decretam, **1286** et apostolica auctoritate firmatam, ordinationem sui abbatis ipsi fratres peragant, et ecclesiasticorum graduum dignitatem suscipiant. Consecrationes quoque fontium, et scrutinii mysteria in ipso monasterio celebrent. Chrismatis quoque ac olei, altaris, calicis, corporalis, a quocunque voluerint pontifice benedictionem expetant, ne tantus honor a quoquam rectore, ullius occasionis causa vel necessitatis, intermittatur, ne vilescat tantæ sublimitatis locus sanctæ Mariæ, et beati Petri, necnon et protomartyris, et domini Medardi meritis sacratus, quem caput monasteriorum totius Galliæ constituimus, nulliusqueditioni patimur subesse. Sed velut hæc sedes Romana speculationem suam toto orbi indicit, et novas consuetudines omnibus mittit, et omnium personarum servitio caret. ita præfatus locus, remota omni consuetudine pessima regum, antistitum, judicum, exemplum divinæ religionis et honestatis cæteris exhibeat monasteriis, et super ea plena gaudeat libertate. Cujus rectores et filii, præsentes et successuri, tantum sub regum custodia positi, admonitionem sancti Petri et successorum suorum hujus sanctæ Romanæ sedis pontificum auctoritate proclament. Et si incumbit necessitas, adeant. Hujus rei gratia fratribus dirigendis in via tanti itineris filia nostra Brunichildis regina XX mansos ingenuos, et totidem serviles, cuncta integritate æternaliter facta præceptione juxta finem Alpium contulit, et multos alios reditus terrarum ob hanc causam delegavit, sitos in ejusdem itineris spatio. Tusiacum vero et Mortinetum fiscos regios communiter ad stipendia fratrum dedit, et ita omnes villas Deo et sancto Medardo traditas, vel tradendas, sua præceptione conclusit, ut quicunque super terras domini Medardi habitare voluerit, vel steterit, sive servus sive liber, cujuscunque sit, alterius dominio privetur, et sanctæ Genitricis servitio aptetur, nec ultra redeundi licentiam habeat. Quod si fugerit, reputetur ut servus nunc ejusque sanctæ Dei Ecclesiæ. De altaribus quoque juxta institutionem domini papæ Joannis apostolica auctoritate confirmamus, ut qui fuerit rector præfati monasterii, fiat præterea altarium præsul, et omnium ecclesiarum sibi pertinentium, et inde præfatorum sanctorum præcipuo altari luminaria exhibeantur, et hospitalitas peregrinorum cum reverentia agatur. Subjungimus et aliud edictum, si causa capitalis criminis abbas est deponendus, non prius deponatur, donec depositores apostolicam auctoritatem requirant, et ita sint tres metropolitani cum suffraganeis suis et abbates quamplurimi. In ipso autem concilio accusatores unusquisque cum XII testibus præsentes assistant, et ita veri judicii examine probent se vidisse, ut audiente concilio obtestentur. Ad ultimum vero ipse abbas rationes suæ excusationis reddat, et jurejurandi pacto supra sacrorum mysteria quatuor Evangeliorum satisfaciat. Tunc vero si convictus fuerit, correctione deponatur; sin autem, suo honori reddatur, et ecclesiasticæ dignitatis mysteria recipiat, et inter sacra missarum solemnia benedictionem **1287** et prædicationem juxta instituta domini papæ Joannis peragat, et suæ conversationis vitam melioribus exemplis deducat. Monachis quoque hanc proponimus sententiam, ut nullus eorum invidia aut odio abbatis, quod absit, comprimatur, vel extranearum personarum censura plectatur. Quod si culpa principalis vitii deliquerit privatim intra claustrum ejusdem monasterii ab ipso abbate et spiritalibus fratribus arguatur, et a corpore sanctæ congregationis segregetur. Quod si perseverante contumacia abscissus fuerit, præcipimus illi ut precatorias accipiens litteras, quodcunque voluerit ingrediatur monasterium, aut causa pœnitentiæ hujus sedis apostolicæ licentiam petat, et susceptis a domino papa litteris, liber suum monasterium repetat. Hæc igitur omnia, quæ hujus apostolicæ auctoritatis et nostræ præceptionis privilegio continentur, præfati monasterii rectoribus et filiis, præsentibus et futuris, et omnibus monasteriis ipsi loco subjectis vel socialis, sub anathemate servanda constituimus. Si quis autem regum, antistitum, judicum, vel quarumcunque sæcularium personarum, hujus apostolicæ auctoritatis et nostræ præceptionis decreta violaverit, aut contradixerit, aut negligenter duxerit, vel fratres inquietaverit, vel conturbaverit, vel aliter ordinaverit, cujuscunque dignitatis vel sublimitatis sit, honore suo privetur, et ut catholicæ fidei depravator, vel

sanctæ Dei Ecclesiæ destructor, a consortio Christianitatis et corpore ac sanguine Domini nostri Jesu Christi sequestretur, et omnium maledictionum anathemate, quibus infideles et hæretici ab initio sæculi usque in præsens damnati sunt, cum Juda traditore Domini, in inferno inferiori damnetur, nisi digna pœnitentia præfatorum sanctorum sibi propitiaverit clementiam et fratrum communem reconciliaverit concordiam.

Ego Gregorius sanctæ Romanæ sedis antistes huic privilegio subscripsi. Etherius Arelatensis archiepiscopus subscripsit. Gregorius Portuensis episcopus subscripsit. Andreas Albanensis episcopus subscripsit. Augustinus Cantuariorum episcopus subscripsit. Anastasius Tyburtinæ episcopus subscripsit. Sergius Prænestinæ episcopus subscripsit. Petrus Anagniæ episcopus subscripsit. Agnellus Sutrinæ episcopus subscripsit. Mellitus Lundoniæ episcopus subscripsit. Joannes Veliternensium episcopus subscripsit. Tiberius Silvæ candidæ episcopus subscripsit. Marinianus Ravennatis Ecclesiæ episcopus subscripsit. Vitulinus **1288** Sipontinensis episcopus subscripsit. Joannes Syracusanorum episcopus subscripsit. Sabinianus Tudertinorum episcopus subscripsit. Eulogius Alexandriæ episcopus subscripsit. Dominicus Carthaginensis episcopus subscripsit. Fortunatus Neapolitanorum episcopus subscripsit. Joannes Surrentinus episcopus subscripsit. Primævius Nurciensium episcopus subscripsit. Felix Portuensium episcopus subscripsit. Gloriosus Ostiensium episcopus subscripsit. Constantius Narniensis episcopus subscripsit. Constantius Mediolanensis episcopus subscripsit. Sutellius Burdegalensium episcopus subscripsit. Vitalis Vesoncensium episcopus subscripsit. Bonifacius Placentiæ episcopus subscripsit. Siagrius Augustodunensium episcopus subscripsit. Flavius Rhemorum archiepiscopus subscripsit. Ansericus Suessorum episcopus subscripsit. Theodericus rex subscripsit. Brunichildis regina subscripsit. Ego Petrus sanctæ Romanæ sedis [Notarius] subscripsi, et sigillavi. Datum VII Kalend. Junii, anno ab Incarnatione Domini 594, indict. 11.

### V. *Decreta sancti Gregorii papæ I.*

I. De officio diaconorum sedis apostolicæ. — II. Qui vel quales ad cubile pontificis deserviant. — III. Si quis ecclesiasticorum titulos ponere præsumpserit. — IV. De non velando feretro Romani pontificis. — V. Ut nihil pro ordinatione vel pallio, etc., detur vel accipiatur. — VI. Si quis de servis Ecclesiæ ad Dei servitium converti desideret.

[a] Regnante in perpetuum Domino nostro Jesu Christo, temporibus piissimi ac serenissimi domini [b] Mauricii Tiberii, et Theodosii Augustorum, ejusdem domini imperii Mauricii anno tertio decimo, [c] indictione tertia decima, quinto die mensis Julii, Gregorius papa coram sanctissimo beati Petri corpore, [d] cum episcopis omnibus ac Romanæ Ecclesiæ presbyteris residens, astantibus diaconibus, et cuncto clero dixit:

V. DECRETA [*Al.* 14, *lib.* IV, *ind.* 13]. — [a] Synodi hujus meminit sanctus Gregorius, lib. v, epist. 57: *Novit autem fraternitas vestra quia prius pallium nisi dato commodo non dabatur. Quod quoniam incongruum erat, facto concilio ante corpus beati Petri... tam de hoc quam de ordinationibus aliquid accipere, sub districta interdictione vetuimus.* Exstant autem illius synodi Acta in Codd. Colbert. Corb. et aliis plurimis, in calce; eorumque meminisse videtur Beda, lib. II Histor., c. 1: *Excepto*, inquit, *libro Responsionum, quem ad interrogationes sancti Augustini primi Anglorum gentis episcopi scripsit, ut supra docuimus..... libello quoque Synodico, quem cum episcopis de necessariis Ecclesiæ causis utilissimum composuit*, etc. Præter mss. Codices epistolarum, alius in quo habentur XL homiliæ in Evangelia, quem ex Bibliotheca Bigotiana accepimus, eadem decreta repræsentat ultimo loco. Ipsa quoque legimus in membranis epistolas decretales summorum pontificum a Sylvestro exhibentibus, quæ nunc exstant in biblioth. RR. Patrum Capucin. Rothomag. — Hoc concilium indictum est a Gregorio papa in causa Joannis presbyteri Chalcedonensis Ecclesiæ, qui cum a Joanne episcopo Constantinopolitano hæresis injuste damnatus fuisset, et ad sedem apostolicam appellasset, auctoritate pontificia synodum hanc ibidem congregari fecit: in qua eum post cognitionem causæ innocentem esse repertum, ideoque, retractato Constantinopolitano synodali judicio desuper habito, juste absolutum fuisse testatur Gregorius libro quinto epist. 15, 16 et 17, ad Joannem episcopum Constantinopolitanum. In hac eadem synodo, post sex canones supra exstantes, sanctus Gregorius implendum indixit illud, de quo libro quinto epistola prima, indictione decima quarta agit, ut nullius sint ponderis quæ de bonis post episcopatum adeptis episcopus testamento disposuisset. Secus vero de his quæ ante episcopatum possedisset. *Reperimus in scripto Codice Sublacensi*, inquit Baron., an. 595, num. 59, *in concilio Romano eumdem Gregorium regulam sancti Benedicti probasse et confirmasse.* SEVER. BIN. — Hæc decreta eadem omnino sunt cum gestis synodi quæ habentur epist. 44 l. IV, præter pauca illa quæ post subscriptiones leguntur. Unde vero illa desumpta sint non video, cum in omnibus mss. Codicibus desint. Quia tamen sunt ad calcem quorumdam editorum regestri exemplarium, ea omittere nolui, ne forte quisquam huic Editioni aliquid deesse conquereretur. GUSSANV.

[b] Duo sunt ejusdem imperatoris nomina; unde removimus virgulam quæ ipsa separabat. Fuit tamen Mauricio Augusto filius *Tiberius* nomine, at ipsum renuntiatum imperatorem, aut etiam Cæsarem, nusquam leginus, quamvis ei destinasset pater veteris Romæ imperium. Præterea si hoc loco Tiberii filii Mauricii mentio fieret, hic ante Theodosium fratrum natu majorem minime commemorari debuisset.—*Mauricii anno* 13. Corrige, decimo; nam cum indictione decima tertia, decimus Mauricii, non decimus tertius currebat, ut apparet ex principio lib. II Epistolarum Gregorii, ubi annum septimum Mauricii imperatoris decimæ indictioni annumerat. SEVER. BIN.

[c] Ex hic notis chronologicis constat gesta hæc eadem prorsus esse cum decretis ad calcem epistolarum excusis, in superioribus Editionibus. Ibi enim idem annus seu imperii seu indictionis notatur. Legitur sane in vulgatis *indictione decima quarta;* sed error est, quem ex Mss. emendavimus.

[d] Mutatis sensim moribus presbyteri in conciliis non sederunt; imo nec ipsi episcopi. In congregationibus coram summo pontifice habitis an. 1563 sedebant, ut apparet in Vita Gallica Bartholomæi a Martyribus, lib. II, c. 22, quem locum non pigebit legisse. Antiquitus sedebant in conciliis presbyteri, sententiam dicebant, subscribebant, vel ipso præsente summo pontifice, ut ex hoc loco liquet, et in alio sub Gregorio II, an. 721. Plurima recensere levioris operæ esset et inutilis cum diversæ partis auctores novi non inficientur usum, de jure tantummodo disputent. In Chalced. conc. presbyteros quasi judices sedisse,

In sancta Romana Ecclesia (*Grat.*, *dist.* 92, *c.* 2), cui divina dispensatio præesse me voluit, dudum consuetudo est valde reprehensibilis exorta, ut [e] quidam ad sacri altaris ministerium cantores eligantur, et in diaconatus ordine constituti modulationi vocis inserviant, quos ad prædicationis officium eleemosynarumque studium vacare congruebat. Unde fit plerumque ut ad sacrum ministerium dum blanda vox **1289** quæritur, quæri congrua vita negligatur, et cantor minister Deum moribus stimulet, cum populum vocibus delectat. Qua in re præsenti decreto constituo ut in hac sede sacri altaris ministri cantare non debeant, [f] solumque evangelicæ lectionis officium inter missarum solemnia exsolvant. Psalmos vero ac reliquas lectiones censeo per subdiaconos, vel si necessitas fuerit, per minores ordines exhiberi. Si quis autem contra hoc decretum meum venire tentaverit, anathema sit. Et omnes responderunt : Anathema sit.

2. [g] Verecundus mos tempore indiscretionis inolevit, ut hujus sedis pontificibus [h] ad secreta cubiculi servitia laici pueri ac sæculares obsequantur; et (*Grat.* 2, *q.* 7, *c.* 58) cum pastoris vita esse discipulis semper debeat in exemplo, plerumque clerici qualis in secreto sit vita sui pontificis nesciunt, quam tamen, ut dictum est, pueri sciunt sæculares. De qua re præsenti decreto constituo ut quidam ex clericis vel etiam ex monachis electi ministerio cubiculi pontificalis obsequantur, ut is qui in loco est reginiinis habeat testes tales qui vitam ejus in secreta conversatione videant, et ex visione sedula exemplum profectus sumant.

3. Consuetudo nova in Ecclesia hac (*Grat.* 16, *q.* 6, *c.* 1) et valde reprehensibilis erupit, ut cum rectores ejus patrimonii urbana vel rustica prædia juri illius competere posse suspicantur, [i] fiscali more titulos imprimant, atque hoc quod competere pauperibus æstimant, non judicio, sed manibus defendant. Et cum per prædicatores suos Veritas dicat : *Nihil per contentionem* (*Philip.* II, 3), etiam ipsum litigiosæ contentionis malum transcendunt; et res quælibet cum æstimatur Ecclesiæ posse competere, per vim tenetur. Proinde præsenti decreto constituo ut si quis ecclesiasticorum unquam titulos ponere sive in rustico sive in urbano prædio sua sponte præsumpserit, anathema sit. Et responderunt omnes : Anathema sit. Is autem qui Ecclesiæ præest si hoc vel ipse fieri præceperit, vel sine sua præceptione factum digna punire animadversione neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes : Anathema sit.

4. Sicut indignos nos beati apostoli Petri reverentia mens fidelium veneratur, ita nostram infirmitatem decet semetipsam semper agnoscere, et impense sibi venerationis onera declinare. Ex amore quippe fidelium hujus sedis rectoribus mos uitra meritum erupit, ut cum eorum corpora humanda **1290** deferuntur, hæc [k] dalmaticis contegant, et easdem dalmaticas pro sanctitatis reverentia sibimet partiendas populus scindat; et cum adsint multa a sacris corporibus apostolorum martyrumque velamina, a peccatorum corpore sumitur quod pro magna reverentia reservatur : de qua re præsenti decreto constituo ut feretrum quo Romani pontificis corpus ad sepeliendum ducitur nullo tegmine veletur. Quam decreti mei curam gerere sedis hujus presbyteros ac diaconos censeo. Si quis vero ex eorum ordine hæc curare neglexerit, anathema sit. Et responderunt omnes : Anathema sit.

5. Antiquam Patrum regulam sequens, nihil unquam de ordinationibus accipiendum esse constituo, neque ex datione pallii, neque ex traditione chartarum, neque ex ea quam nova per ambitionem simulatio invenit appellatione [l] pastelli. Quia enim or-

---

pauci sunt qui non agnoscant; at injuria factum causantur, ut aliquot posteriorum synodorum auctoritatem elevent, quasi vero in conciliis apostolorum seniores non sederint, aut sederint multi. GUSSANV.

[e] Gregorius Turon., de presbyteris et diaconis canentibus multa profert exempla l. VIII Hist., c. 3 et 6. GUSSANV. Lege notam 252 ad Libr. Sacram.

[f] Quamvis antiquitus Evangelium a lectoribus in publico fidelium cœtu legeretur, ut ex duabus potissimum Cypriani epistolis 33 et 34 patet; tempore tamen Hieronymi ceperat id muneris pertinere ad diaconos, ut satis indicat quod Sabiniano scribit sanctus doctor : *Evangelium Christi quasi diaconus lectitabas*. Ex concilii Toletani I, can. 2, probari videtur in Ecclesia Hispanica perseverasse usque ad V sæculum antiquum morem, et lectores legendi Evangelii curam habuisse. Sozomenus, lib. VII, c. 19, commemorans eos qui legunt Evangelium in ecclesia, secundum varios aut locorum aut temporum ritus, assignat episcopum, archidiaconum, diaconos; at lectorum non meminit. Hoc primum decretum non est in Cod. Capucin. Rothomag.

[g] Corrupte in nonnullis Excusis, *verecundum mos torporem indiscretionis involvit*. Ennodius, opusculo 7, meminit cujusdam *præcepti* quo ut omnes episcopi cellulanos haberent cautum erat. Id factum putat Sirmondus, vel a papa, vel a synodo, occasione calumniarum quibus nuper Symmachus papa vexatus fuerat. Gregorius Turon. refert lib. VI Hist., c. 27, Ætherium episcopum Lexoviensem habuisse circa lectum suum multos lectos clericorum.

[h] Idem multis aliis in conciliis statutum pauci exsequuntur. Vide concil. Paris. an. 829, c. 19, 20, 21. Rident impii, deplorant pii inter tantam domesticorum turbam, qui nonnullis famulantur ecclesiasticis, vix unum aut alterum clericali veste, corona, tonsura insignitum reperiri, cum tamen episcopales ædes, si canones audimus, clericorum esse debeant domicilia, non palatia laicorum. Quid si non ad secreta modo cubiculi servitia astant laici pueri, sed et ad tremenda sacri altaris mysteria ministrant pro acolythis pedissequi, an consuetudo excusabit? Id illis qui reformando clero invigilant discutiendum relinquimus. GUSSANV.

[i] De titulis, vide lib. I, ep. 60.

[k] De dalmaticis jam diximus ad epist. 107 lib. IX. Veterum mos fuit mortuos vestitos sepelire, et sæpe pretiosis vestibus ornare. Unde Hieronymus, in Vita sancti Pauli : *Cur et mortuos vestros auratis obvolvitis vestibus? Cur ambitio inter luctus lacrymasque non cessat? An cadavera divitum nisi in serico putrescere nesciunt?*

[l] Pastellus a voce pastus, qua comessatio aut convivium exprimitur. In concil. Nannet., c. 15 : *Pastos autem et comessationes, quas divina auctoritas vetat*, etc. In Trosleiano, c. 6 : *Census ne ab ipsis sacerdotibus sibi exquirant, et exeniis ac pastis vel paraveredis seu caballorum saginationibus presbyteros affli-*

dinando episcopo pontifex manum imponit (*Grat.*, 2, *q.* 7, *c.* 58), evangelicam vero lectionem minister legit, confirmationis autem ejus epistolam notarius scribit, sicut pontificem non decet manum quam imponit vendere (1, *q.* 2, *c.* 4), ita minister vel notarius non debet in ordinatione ejus vocem suam vel calamum venundare. Pro ordinatione vero, vel pallio, seu chartis, atque pastello, eumdem qui ordinandus vel ordinatus est omnino aliquid dare prohibeo. Ex quibus prædictis rebus si quis hinc aliquid commodi appellatione exigere vel deferre forte præsumpserit, in districto Dei omnipotentis examine reatu subjacebit. Is autem qui ordinatus fuerit, si non ex placito, neque exactus, neque petitus, post acceptas chartas et pallium, aliquid cuilibet ex clero gratiæ tantummodo causa dare voluerit, hoc accipi nullo modo prohibemus, quia ejus oblatio nullam culpæ maculam ingerit, quæ ex accipientis ambitu non processit.

6. Multos de ecclesiastica seu sæculari familia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare (*Grat.*, *dist.* 54, *c.* 23), ut, ab humana servitute liberi, in divino servitio valeant familiarius in monasteriis conversari; quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici juris dominium occasionem præbemus. Si vero festinantes ab omnipotentis Dei servitio incaute retinemus, illi invenimur negare quædam qui dedit omnia. Unde necesse est ut quisquis ex juris ecclesiastici vel sæcularis militiæ servitute ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus; et **1291** si mores ejus atque conversatio bono desiderio ejus testimonium ferunt, absque retractatione servire in monasterio omnipotenti Domino permittatur, ut ab humano servitio liber recedat qui in divino obsequio districtiorem appetit servitutem [m].

*Subscriptio episcoporum.*

Gregorius Dei gratia episcopus his decretis subscripsit. Marinianus episcopus civitatis Ravennæ subscripsit. Paulus episcopus civitatis Nepesinæ. Joannes episcopus civitatis Surrentinæ. [n] Gratianus civitatis Numentanæ. Joannes episcopus civitatis Falernæ. Agnellus episcopus civitatis Tarracinensis. Romanus episcopus civitatis Bleranæ. Dominicus episcopus civitatis Centumcellensis. Pelagius episcopus civitatis Anagninæ. Felix episcopus civitatis Portuensis. Joannes episcopus civitatis Veliternæ. Candidus episcopus civitatis Fulginiensis. Luminosus episcopus civitatis Ferentinæ. Baldinius episcopus civitatis Rosellanæ. Secundinus episcopus civitatis Tauromeniæ. Martianus episcopus civitatis Ferensis. Homobonus episcopus civitatis Albanensis. Dominicus episcopus civitatis [o] Utriculanæ. Constantius episcopus civitatis Narniensis. Fortunatus episcopus civitatis Neapolitanæ. Anastasius episcopus civitatis Tiburtinæ. Proculus episcopus civitatis Prænestinæ.

*Subscriptio presbyterorum.*

Laurentius presbyter [p] sancti Silvestri subscripsit. Joannes presbyter sancti Vitalis. Speciosus **1292** presbyter sancti Clementis. Deusdedit presbyter sancti Joannis et Pauli. Andromachus presbyter sancti Joannis et Pauli. Andromachus pre-

*gant.* In capitulis Hincmari ad presbyteros, c. 15: *Ut quando presbyteri per Kalendas simul convenerint, post peractum divinum mysterium, ad necessariam collationem, non quasi ad prandium ibi ad tabulam resideant, et per tales inconvenientes pastellos se invicem gravent*, etc. Citatur dist. 44, c. 9. Vide Extra., titulo de simonia, c. 1. Pastellaticum autem est jus pastus. Vide caus. 1, q. 3, can. *Si quis objecerit. Nullus igitur emat præbendam vel ecclesiam, vel aliquid ecclesiasticum, nec pastellum, nec pastum antea nec postea pro hujusmodi solvat.* GUSSANV.

[m] In his decretis ad calcem epistolarum editis additur: *Si autem et in monastico habitu secundum Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post præfixa sacris canonibus tempora licenter jam ad quodlibet ecclesiasticum officium provehatur, si tamen illis non fuerit criminibus maculatus quæ in Testamento Veteri morte multantur.* Absunt vero a nostris Mss.

[n] In Cod. Bigot., forte melius. *Gratiosus*, ad quem epist. 20 libri III.

[o] Al., *Ocricolanæ*. De qua urbe lege Mabillonium, Itineris Ital. pag. 46.

[p] De his titulis legendus Joan. Fronto, ad Kalendarium Romanum. Hoc autem loco subjiciendas puto alias subscriptiones ut sunt in Codice Bigot.

*Gregorius, gratia Dei episcopus, his decretis subscripsit.*
*Marinianus episcopus civitatis Ravennæ*
*Paulus episcopus civitatis Nepesinæ.*
*Joannes episcopus civitatis Surrentinæ.*
*Gratiosus episcopus civitatis Numentum.*
*Joannes episcopus civitatis.* ***
*Agellus episcopus civitatis Terracinensis.*
*Romanus episcopus civitatis Bleritanæ.*
*Dominicus episcopus civitatis Centumcellensis.*
*Pelagius episcopus civitatis Anagninæ.*
*Felix episcopus civitatis Portuensis.*
*Joannes episcopus civitatis Belliternæ.*
*Candidus episcopus civitatis Dulcimensis.*
*Luminosus episcopus civitatis Ferentino.*
*Virbonus episcopus civitatis Fuscanensis.*
*Balbinus episcopus civitatis Rosellas.*
*Secundus episcopus civitatis Tauromænio.*
*Marcianus episcopus civitatis Ferentis.*
*Homobonus episcopus civitatis Albanensis.*
*Dominicus episcopus civitatis Utriculanæ.*
*Constantinus episcopus civitatis Narniensis.*
*Fortunatus episcopus civitatis Neapolim.*
*Anastasius episcopus civitatis Tiburtinæ.*
*Proculus episcopus civitatis Prænestinæ.*
Incipit subscriptio presbyterorum.
*Laurentinus presbyter tituli sancti Sylvestri.*
*Joannes presbyter tituli sancti Vitalis.*
*Speciosus presbyter tituli sancti Clementis.*
*Deusdedit presbyter tituli sanctæ Praxedis.*
*Deusdedit presbyter tituli sanctorum Joannis et Pauli.*
*Andromachus presbyter tituli apostolorum.*
*Crescens presbyter tituli sancti Laurentii.*
*Rusticus presbyter tituli sanctæ Susannæ.*
*Vibulus presbyter tituli sancti Marcelli.*
*Petrus presbyter tituli sanctorum Julii et Calisti.*
*Spectatus presbyter tituli sancti Vitalis.*
*Stephanus presbyter tituli sancti Marci.*
*Felix presbyter tituli sancti Sixti.*
*Petrus presbyter tituli sanctæ Balbinæ.*
*Justus presbyter tituli sanctorum Nerei et Achillei.*
*Speciosus presbyter tituli sanctæ Damaseæ.*
*Maurus presbyter tituli sanctæ Priscæ.*
*Placidus presbyter tituli sanctæ Sabinæ.*

sbyter Apostolorum. Græseus presbyter sancti Laurentii. Rusticus presbyter sanctæ Susannæ. Vibilus presbyter sancti Marcelli. Petrus presbyter sancti Julii et Callisti. Spectatus presbyter sancti Vitalis. Stephanus presbyter sancti Marci. Felix presbyter sancti Sixti. Petrus presbyter sanctæ Balbinæ. Justus presbyter sanctorum Nerei et Achillæi. Speciosus presbyter sancti Damasi. Maurus presbyter sanctæ Priscæ. Placitus presbyter sanctæ Sabinæ. Victor sanctæ Cæciliæ. Joannes sancti Chrysogoni. Aventius sanctæ Praxedis. Andreas sancti Marci. Joannes sanctorum Joannis et Pauli. Agapitus Apostolorum. Felix sanctæ Sabinæ. Bonus sancti Eusebii. Bassus sancti Prudentis. Joannes sancti Silvestri. Albinus sanctorum Marcellini et Petri. Antonius sanctæ Balbinæ. Candidus sancti Clementis. Romanus sancti Marcelli. Leo sancti Damasi. Aventius sancti Quiriaci. Fortunatus sanctorum quatuor Coronatorum

VI. *Alia sancti Gregorii papæ I decreta.*

Gregorius, gratia Dei episcopus, his decretis subscripsit, et confirmaverunt episcopi et presbyteri numero LVIII.

Gregorius sanctissimus apostolicus papa, ante corpus beatissimi Petri in synodo residens dixit : Hinc maxime nimium dolens et ingemiscens dico, quia aliquot ex Christianis in Occidentis partibus constitutos audio temere contra catholicam fidem **1293** et Patrum statuta agere, ita ut consecratas feminas ducere præsumant mulieres, et propinquas conjugio sortiantur. Quod opportunum est spiritali amputare mucrone, atque, si vestræ placet sanctitati, radicitus evellere, ne seges boni agricolæ, iniquorum mixta horrentibus frutetis, sordescat. Sanctissimi episcopi seu venerabiles presbyteri responderunt : Vere cognoscimus gratia sancti Spiritus cor apostolatus vestri succensum, ut tantæ miseriæ squalorem a fidelium mentibus detergatis. Post hanc omnium consonam responsionem, Gregorius apostolicus papa ante corpus memoratum venerabile Christi apostolorum principis, inferendo sententiam dixit :

I. Si quis presbyterum in conjugium duxerit, anathema sit.

II. Si quis presbyter vel diaconus duxerit uxorem anathema sit.

III. Si quis monacham, quam Dei ancillam appellant, in conjugium duxerit, anathema sit.

IV. Si quis commatrem spiritalem duxerit in conjugium, anathema sit.

V. Si quis fratris uxorem duxerit in conjugium, anathema sit.

VI. Si quis neptem duxerit in conjugium, anathema sit.

VII. Si quis novercam aut nurum suam duxerit in conjugium, anathema sit.

VIII. Si quis consobrinam duxerit in conjugium, anathema sit.

IX. Si quis de propria cognatione, in qua cognatas habuit, duxerit in uxorem, anathema sit.

X. Si quis virginem rapuerit vel furatus fuerit eam, cum sibi consentientibus anathema sit.

XI. Si quis virginem quam sibi non desponsaverit rapuerit vel furatus fuerit in uxorem, una cum sibi faventibus anathema sit.

XII. Si quis hariolos, aruspices vel incantatores observaverit, aut filateriis [*Forte* phylacteriis] usus fuerit, anathema sit.

XIII. Si quis in quamlibet partem præcepta ante emissa apostolicæ Ecclesiæ de cameris et locis diversis temeraverit, et non in omnibus observaverit, anathema sit.

XIV. Si quis homicidium fecerit, agat pœnitentiam decem annis.

XV. Si quis in scelere permanserit, anathema sit.

XVI. Si quis ex clericis laxaverit coronam, anathema sit.

XVII. Et responderunt omnes per singula capitula tertio : anathema sit.

*Subscriptio beati Gregorii papæ.*

Gregorius sanctæ catholicæ atque apostolicæ Romanæ Ecclesiæ, huic constituto a vobis promulgato subscripsi. Agnellus episcopus civitatis Ferentis huic constituto a nobis promulgato subscripsit. Et cæteri subscripserunt. Valete.

**1294** VII. [a] *Concilium Romanum* III, *sive Lateranense, tempore sancti Gregorii papæ I, in quo anno Domini* 601 *pro monachis sequens constitutum edidit.*

Gregorius episcopus, servus servorum Dei omnibus episcopis.

Quam sit necessarium monasteriorum quieti pro-

*Victor presbyter tituli sanctæ Ecclesiæ.*
*Joannes presbyter tituli sancti Chrysogoni.*
*Aventius presbyter tituli sanctæ Praxedis.*
*Andreas presbyter tituli sancti Marci.*
*Joannes presbyter tituli sanctorum Joannis et Pauli.*
*Agapitus presbyter tituli Apostolorum.*
*Felix presbyter tituli sanctæ Sabinæ.*
*Domus presbyter episcopus tituli sancti Eusebii.*
*Bastus presbyter episcopus tituli sancti Prudentis.*
*Joannes presbyter episcopus tituli sancti Sylvestri.*
*Albinus presbyter episcopus tituli sanctorum Marcellini et Petri.*
*Antonius presbyter episcopus tituli sanctæ Balbinæ.*
*Romanus presbyter tituli sancti Clementis.*
*Leo presbyter tituli sancti Marcelli.*
*Aventius presbyter tituli sancti Damasi.*
*Fortunatus presbyter tituli sancti Quiriaci et sanctorum quatuor Coronatorum.*

*Explicit decretum ad clerum, pontificali auctoritate Gregorii papæ Urbis Romæ constitutum, in Christo Jesu Domino nostro. Cui honor et gloria, et imperium cum Patre, et Spiritu sancto, in sæcula sæculorum. Amen.*

VII. Conc. Roman. III. — In Codice mss. viri clarissimi Claudii Hardy senatoris Parisiensis : *Privilegium monasteriorum sub regulari norma degentium a sancto Gregorio papa Urbis Romæ in generali synodo consensu omnium episcoporum atque catholicorum virorum dictatum, necnon sub anathematis et excommunicationis interpositione perpetua-*

spicere, et de eorum perpetua securitate tractare, anteactum nos officium, quod in regimine monasterii exhibuimus, informat. Et quia in plurimis monasteriis multa a præsulibus præjudicia atque gravamina monachos pertulisse cognovimus, oportet ut fraternitatis vestræ provisio eorum de futuro quietem salubri ordinatione disponat, quatenus conversantes illic in Dei servitio, ipsius quoque gratia suffragante, mente libera perseverent. Sed ne ex ea quæ magis emendanda est consuetudine, quisquam monachis quidquam molestiæ præsumat inferre, necesse est ut hæc quæ inferius enumerare curavimus ita fraternitatis studio episcopi debeant custodire, ut ex eis non possit ulterius inferendæ inquietudinis occasio reperiri. Interdicimus igitur, in nomine Domini nostri Jesu Christi, et ex auctoritate beati Petri apostolorum principis, cujus vice huic Ecclesiæ præsidemus, prohibemus, ut nullus episcoporum aut sæcularium ultra præsumat de reditibus, rebus, vel chartis monasteriorum, vel de cellis, vel villis quæ ad ea pertinent, quocunque modo, [seu] qualibet occasione minuere, vel dolos, vel immissiones aliquas facere. Si qua causa forte inter terram venientem ad partem suarum Ecclesiarum et monasteriorum evenerit, et pacifice non potuit [potuerit] ordinari, apud electos abbates et alios patres timentes Dominum, sine voluntaria dilatione, mediis sacrosanctis Evangeliis finiatur. (*Vide lib.* VIII, *epist.* 5.)

Defuncto autem abbate cujusque congregationis, non extraneus eligatur, nisi de eadem congregatione, quem sibi propria voluntate concors fratrum societas elegerit; et qui electus fuerit, sine dolo vel venalitate aliqua ordinetur. Quod si aptam inter se personam invenire nequeant, solerter sibi curent de aliis monasteriis similiter ordinandum. Neque constituto abbate quæcunque persona qualibet occasione præponatur, nisi forte exstantibus (quod absit) criminibus, quæ sacri canones punire monstrantur.

Pariter autem custodiendum est ut, invito abbate, ad ordinanda alia monasteria, aut ad ordines sacros, vel clericatus officium, tolli exinde monachi non debeant [b].

Descriptiones quoque rerum et chartarum monasterii ab episcopo ecclesiasticas fieri omnino vetamus [denegamus]; sed si quando res exigit, abbas loci cum aliis fratribus causas [notitiam] rerum inventarum faciat, et eorum consilio et judicio finiantur [concilia sine præjudicio finiat]. **1295** Obeunte quoque abbate, episcopus in describendis providendisque rebus monasterii acquisitis, vel datis perquirendis [acquirendisve] nullatenus se permisceat. Missas quoque publicas ab eo in cœnobio fieri omnino prohibemus, ne in servorum Dei recessibus et eorum receptaculis ulla popularis [popularibus corruentibus] præbeatur occasio conventus, vel mulierum fiat novus introitus, quod omnino nec expedit animabus eorum; neque audeat ibi cathedram collocare, vel quantamlibet [quamlibet] potestatem habere imperandi, nec aliquam ordinationem quamvis levissimam faciendi, nisi ab abbate loci fuerit rogatus, quatenus monachi semper maneant in abbatum suorum potestate, nullumque monachum sine testimonio vel concessione abbatis in aliqua ecclesia teneat, vel ad aliquem promoveat honorem.

Hanc ergo scriptorum nostrorum paginam omni futuro tempore ab omnibus episcopis firmam statuimus illibatamque servari, ut et suæ Ecclesiæ juvante Domino tantummodo contenti [sint], et monasteria ecclesiasticis conditionibus seu angariis, vel quibuslibet obsequiis sæcularibus nullo modo subjaceant, nullis canonicis juribus [curis] deserviant, sed remotis vexationibus in [ac] cunctis gravaminibus diurnum [divinum] opus cum summa animi devotione perficiant

Universi episcopi respondere [presbyteri et diaconi dixerunt] : Libertati monachorum congaudemus, et quæ nunc de his statuit beatitudo vestra firmamus

*Subscriptiones.*

Gregorius episcopus catholicæ et apostolicæ Romanæ Ecclesiæ huic constituto a nobis promulgato subscripsi.

Agnellus episcopus sanctæ Ecclesiæ Ferentinensis huic constituto a vobis promulgato subscripsi. Humilis [Joannes humilis] episcopus Belitrensis [Velitrnensis] huic constituto a vobis promulgato subscripsi.

Et sic alii omnes episcopi, numero viginti; quatuordecim presbyteri, et diaconi quatuor, die nonas Aprilis, indictione 4 [alias, 3] [c].

*liter firmatum. Gregorius universis sanctæ Ecclesiæ filiis. Quam sit necessarium*, etc. In Codicibus vero Lirinensi, Andegavensi, Flaviniacensi, cujus varias lectiones margini inscripsimus, aliisque passim, appellatur *Decretum Gregorii papæ de libertate monachorum.* — Sanctus Gregorius probe per experientiam agnoscens quantas interdum molestias monachi ab episcopis pati solerent, paulo ante vitæ suæ exitum, quem ob jugem corporis adversam valetudinem proxime imminere sentiebat, monachorum quieti et indemnitati consulere voluit. Quare, collectis episcopis viginti, presbyteris atque diaconis cardinalibus, nonis Aprilis, anno 601, pro monachis edidit hoc synodale decretum quod constitutum appellari consuevit. Ex Vaticana bibliotheca nunc demum integrum et perfectum nobis suppeditarunt annales Baronii; nam in Veneta conciliorum Editione subscriptiones (*quas modo integras edidimus*) episcoporum desiderantur. SEVER. BIN.

[b] In Codice Flaviniacensi hæc inseruntur : *sed si abundantes fuerint qui ad celebrandas Dei laudes vel utilitates loci explendas sufficiant, de his qui superfuerint offerat abbas coram Deo quos dignos potuerit. Quisquis autem ex monasterio ad ecclesiasticum ordinem pervenerit, ulterius illic nec potestatem aliquam nec licentiam habeat habitandi.*

[c] In Codice ms. cœnobii Flaviniacensis, in Burgundiæ ducatu D. Augustodunensis, integræ leguntur subscriptiones, quas hic subjunxisse non ingratum fuerit curiosis lectoribus.

*Marinianus Ravennas episcopus.*
*Joannes episcopus Ecclesiæ Tarentinæ.*
*Joannes episcopus Ecclesiæ Falaritanæ.*
*Pelagius episcopus Ecclesiæ Anagninæ.*
*Romanus episcopus Ecclesiæ Blantanæ.*

**1296** *Concilium Romanum* IV, *sub Gregorio papa I.*

In causa Andreæ monachi impostoris et falsarii, celebratum anno Domini 601.

*Concilium.* In hoc concilio damnatus est Andreas, Græcus homo sub monachali habitu degens apud basilicam sancti Pauli, detectus impostor atque falsarius. Qua de re plura Gregorius lib. IX, epist. 69 (*Nunc epist.* 74 *lib.* XI), ad Eusebium Thessalonicensem episcopum.

VIII. *De causa Maximi prævaricatoris, ejusque satisfactione et pœnitentia.*

[a] Levatus est Maximus præsumptor in Dalmatia contra votum domini papæ Gregorii, a militibus, per indictionem 11, et in contumacia vel præsumptione fuit annis VII. Post hæc, post castigationem et flagella beatissimi atque apostolici papæ Gregorii, egressus Dalmatias venit in civitatem Ravennatem ad beatissimum [b] Marinianum archiepiscopum, et jactavit se tensus intra civitatem in media silice, clamans et dicens : *Peccavi Deo, et beatissimo papæ Gregorio.* Et acta pœnitentia per tres horas, cucurrit exarchus Callinicus, Castorius chartularius Ecclesiæ Romanæ A cum archiepiscopo Mariniano, et elevatus, cœpit ampliorem pœnitentiam coram eis agere. Tunc duxit eum ad sanctum corpus beati Apollinaris, et juravit de omnibus quæ adversus eum dicta de mulieribus vel ex schismate simoniaco fuerant mistum se non esse. Tunc revertens Castorius chartularius adduxit secum diaconum ejusdem Maximi, nomine Stephanum relatorem omnium quæ a Maximo satisfacta essent. Tunc motus ad misericordiam beatissimus papa Gregorius, direxit pallium ad confirmationem ejusdem episcopi, id est VII Kalend. Septembris, indictione secunda.

**1297** IX. *Testandi facultas Probo Sancti-Andreæ abbati concessa.*

[a] In nomine Domini Dei Salvatoris nostri Jesu B Christi, imp. d. n. m. Mauricio Tiberio pp. Aug., anno 13, eodemque don. cons. anno 11, sub diem tertium nonarum Octob., indictione 4, præsidente beatissimo et apostolico papa Gregorio, atque considentibus reverendissimis Menna episcopo [b] Telesino, Basilio Capuano, Constantio Numentano, [c] Montano [d] Sabinense, Victore [e] Fausanense, [f] Joanne presby-

*Luminosus episcopus Ecclesiæ Ferentinæ.*
*Balbinius episcopus Ecclesiæ Rosellæ.*
*Martianus episcopus Ecclesiæ Ferentis.*
*Dominicus episcopus Ecclesiæ Utriculanæ.*
*Fortunatus episcopus Ecclesiæ Neapolitanæ.*
*Proculus episcopus Ecclesiæ Prænestinæ.*
*Paulus episcopus Ecclesiæ Nepesinæ.*
*Generosus episcopus Ecclesiæ Numenti.*
*Angelus episcopus Ecclesiæ Terracinæ.*
*Dominicus episcopus Ecclesiæ Centumcellis.*
*Felix episcopus Ecclesiæ Portuensis.*
*Claudius episcopus Ecclesiæ Ulsinensis.*
*Urbanus episcopus Ecclesiæ Tuscanis.*
*Secundinus episcopus Ecclesiæ Tauromenii.*
*Homobonus episcopus Ecclesiæ Albanensis.*
*Constantius episcopus Ecclesiæ Narniensis.*
*Anastasius episcopus Ecclesiæ Tiburtinæ.*
*Laurentius presbyter sancti Silvestri.*
*Joannes presbyter sancti Vitalis.*
*Speciosus presbyter sancti Clementis.*
*Deusdedit presbyter sanctæ Praxedis.*
*Andronicus presbyter sanctorum Apostolorum.*
*Crescens presbyter sancti Laurentii.*
*Deusdedit presbyter sanctorum Joannis et Pauli.*
*Rusticus presbyter sanctæ Susannæ.*
*Fidelis presbyter sancti Marcelli*
*Petrus presbyter sanctorum Julii et Callisti.*
*Spectatus presbyter sancti Vitalis.*
*Stephanus presbyter sancti Marci.*
*Felix presbyter sancti Sixti.*
*Zoticus presbyter sanctæ Balbinæ.*
*Justus presbyter sanctorum Nerei et Achillæi.*
*Speciosus presbyter sancti Damasi.*

FRAGM. VIII [*Al. lib.* VII, *ind.* 1, *in exord. lib.*]. — [a] Hæc in multis Mss. desiderantur. Exstant in Codice Regio qui erat olim bibliothecæ Floriacensis, et in Colbertino not. 40, ac duobus aliis, initio libri VII, indict. 2.

[b] Mariniano Ravennati Maximi causa committitur ep. 10 libri IX, indict. 2.

IX. *Olim ep.* 22 *l.* IX. — [a] Hæc testandi concessio abest a Mss. Anglic., Norm. et aliis plurimis. Eam exhibent Vaticani, Regius Codex, duo Telleriani, Colbertini plerique, et Remig. In omnibus autem mendose leguntur anni imperii et consulatus Mauricii, tam initio, quam infra ubi repetitur : *In nomine Domini*, etc. In his enim assignatur annus 14, vel 13 imperii cum indictione 4, sed annus nonus decimus Mauricii imperatoris concurrit cum hac indictione, ut liquet ex epistolis 65, 66 et 68, libri XI. In Excusis eorrupte legitur : *Imperantibus domno Mauricio et Tiberio Augustis, anno incarnationis Domini sexcentesimo primo.* Ex duplici nomine imperatoris, qui simul vocabatur Mauricius et Tiberius, duos Augustos conflarunt Editores. In Vatic. A et D, ac in Teller. pro, *sub diem tertium nonarum*, habetur, *sub* C *diem* III *Kalend.* Manuscripti qui assignant annum 14 imperii Mauricii pro ejus consulatu notant annum tertium decimum. In Regio quinque lineolæ perpendiculares hoc modo IIIII docent annum indictionis.

[b] Telesia Samnitum urbs ad confluentem Vulturni et Sabati, episcopalis sub archiep. Beneventano, cujus meminere Livius, Strabo, Ptolomæus, Romana Itineraria.

[c] In Tellerian., *Numano.* In Vatic. D, *Mimiano*, sed pro diversa lectione annotatur, *al. Montano.*

[d] Ita in duobus Teller. et in Vatic. D. In Vatic. E, *Savinense*; consentitque Colbert. vet., sed idem est *Savinense* et *Sabinense.* Excusi habent *Savonense*; putatque Gussanvillæus legendum *Savionense* aut *Sabionense*, quæ, inquit, *urbs episcopalis ex Paulo diacono et aliis est nota.* Aliis est Savona urbs episcopalis Liguriæ sub archiep. Mediolanensi.

[e] Teller. duo, Colbert. ac Vatic. D, *Fausenense.* D In Vatic. A, *Suasanensi.* In Vatic. E, *Fausinense.*

[f] Hic observa presbyteros olim consedisse in synodis cum episcopis, *astantibus diaconis et clero*, ut infra legitur. Post lectionem libelli supplicis Probi sanctus Gregorius designando episcopos nomine *fratrum* et presbyteros nomine filiorum ait : *ut de his quæ petit cum fratribus filiisque nostris quid statuendum sit deliberare possimus.* Ne autem presbyteri sedeant in conciliis judices, distinguunt quidam inter vocem *consultivam* et *judicativam*; an vere an sophistice, inquirent alii. Equidem opinono tantum concilia Romana sub Symmacho in fine quinti sæculi et initio sexti. Ex I concilio hæc verba..... *pari adunatione tractemus, expressis scilicet sententiis sanctes..... universa synodus surgens, Privetur, acclamavit..... Symmachus episcopus dixit : Ergo universitati placet, et ab omnibus recognoscitur et probatur ista sententia? Universa synodus dixit : Placet, et quod omnibus placet, fiat.....* Et infra : *Ut decreta nostra confirmes rogamus.* Quæ statim Symmachus vocat

tero tituli sanctorum Gervasii et Protasii, Deusdedit presbytero tituli sanctorum Joannis et Pauli, [g] Andromacho presbytero [h] tituli Eudoxiæ, Rustico presbytero tituli sanctæ Susannæ, [i] Vibulo presbytero tituli sancti Marcelli, Probino presbytero tituli sancti Cyriaci, Joanne presbytero tituli sanctorum Joannis et Pauli, Agapito presbytero tituli [k] Eudoxiæ, Felice presbytero tituli [l] sanctæ Sabinæ, Gratioso presbytero tituli sanctorum Nerei et Achillei, Bonifacio presbytero tituli [m] sancti Sixti. Astantibus etiam diaconis et [n] clero, Paterius Secundicerius dixit : Probus abbas monasterii sanctorum Andreæ et Luciæ, vestris, si præcipitis, desiderat aspectibus præsentari. Gregorius episcopus sanctæ Ecclesiæ catholicæ urbis Romæ dixit : Veniat. Cumque ingressus fuisset, dixit : Cur adesse volueris fateri te convenit. Probus abbas dixit : Petitionem præ manibus habeo. Postulo a beatitudine domini mei ut eam suscipi et vobis relegi jubeatis. Gregorius dixit : Fiat. Quæ cum suscepta fuisset, Paterius in his recitavit : In nomine Domini Dei nostri Jesu Christi, imperante **1298** domno Mauricio Tiberio piissimo August., anno 14, post consulatum ejusdem domini nostri 13, die tertio Kalend. Octobris, indictione quarta. Ea quæ nunc beatitudini vestræ intimare desidero olim domino meo bene comperta sunt, vestramque mihi conscientiam testem esse scio quæ suggero, quoniam dum ante hos annos ex laico ad religiosum migrassem officium, dispo-
sueram in cellula mea super me solitarius habitare, ibique ipsis paucis diebus qui supersunt vitam transigere : propter quod nec aliquid de substantiola mea ante ordinavi sive disposui, sciens tam ab intestato quam ex testamento filium mihi posse succedere. Quadam autem die, dum inter alios ad obsequia domini mei fuissem ingressus, subito atque inopinato introire in monasterium, atque ut onera abbatis debuissem suscipere præcepistis. Statimque surgentes, non indulto ad deliberandum vel tractandum mihi spatio, ad monasterium jam cum monachis ambulare coactus sum. [o] Unde quia nihil antea quod de substantiola mea occurrit potui ordinare; idcirco lacrymabiliter supplico, ut, concessa per constitutionem vestri decreti licentia, fas mihi sit de omnibus rebus meis voluntatem meam disponere, quatenus nec mihi obedientia mea officiat, nec filio pauperi possit esse damnosa. Nam cunctis notum est quia illos [p] legalis sanctio quidquam de substantia sua prohibet, postquam monasterium ingressi fuerint, ordinare, quibus disponendarum rerum suarum suppetit ante licentia, non autem eos quos ad hoc quod nunquam tractaverant præpositorum suorum parere cogit instantia. Quia sicut legis voluntas hoc ex deliberatione facientibus contradicit, ita [q] eis qui compelluntur a majore succurrit. Hanc autem suggestionem supplicationemque meam Æmiliano **1299** [r] notario sanctæ Ecclesiæ Romanæ noto meo scribendam dictavi, eique propria manu ego Probus servus vester subscripsi, et vobis beatissimo domno meo Gregorio papæ porrexi. Ego Probus servus vester huic petitioni a me oblatæ subscripsi. Gregorius dixit : Postquam textus oblatæ petitionis nobis innotuit, Probus abbas paulisper abscedat, ut de his quæ petit cum fratribus filiisque nostris quid statuendum sit deliberare possimus. Quo recedente, postquam diu de ejus petitione tractatum est, dixit : Probus abbas, quem abesse paululum feceramus, rursus adveniat, ut ea quæ nobis cum fratribus filiisque nostris in commune visa sunt censeamus. Cumque præsentatus fuisset, dixit : Ubi veritas cum ratione concordat, desideria petentis implere non minus justum est quam benignum. Perpensa igitur serie a te petitionis oblatæ, omnia quæ in ea locutus es, ita esse recolimus. Neque enim vel in nostram unquam antea cogitationem ascenderat, ut in quocunque monasterio abbatis tibi curam debuissemus injungere. Sed quodam die, dum de ordinando

*synodi judicium* subscripserunt presbyteri numero LXVII. Ex concilio Rom. V, sub Symmacho : *Universa synodus dixit, una voce dixerunt, clamatum est ab omnibus episcopis et presbyteris : Si quis hæc quæ hodie in sancta synodo prohibita sunt*, etc. *Symmachus..... dixit : Acclamationes vestras synodique judicium præsentia suscipient gesta. Cum resedissent, facto silentio, universa synodus dixit : Quisquis clericorum*, etc. *post hanc formam a nobis prolatam his decretis contraire præsumpserit, statutis canonicis velut schismaticus percellatur.* Ex concil. Rom. VI, sub Symmacho : *Ab universis episcopis et presbyteris acclamatum : Sancta synodus dixit : Cum vestro judicio sancimus. Hæc omnes unanimiter confirmamus. Qui hæc violaverit..... synodi judicium.* Et in subscriptione : *His constitutis synodalibus a nobis probatis atque firmatis annuens subscripsi.* Partim ex GUSSANV.

[g] In Vatic. D legitur *Andromadio* et *Andromarcho*.

[h] In Vatic. A, *tituli Eudoxiæ alias sanctæ Susannæ*.

[i] Hic presbyter vocatur in Colbert. et Vatic. B, D, E, *Vivulus*. In Vatic. A et F, *Jubilus*.

[k] Vatic. A et B, *sanctæ Eudoxiæ*.

[l] Colbert., quinque Vatic. et alii, *Savinæ*.

[m] Vatic. A, *sanctæ crucis*.

[n] Pristinis moribus consulebatur clerus; jamdudum negligitur : ejus autem auctoritas quasi intermortua jacens, vixque ausa respirare, nonnullis tandem episcopis exsuscitantibus reviviscit. Vide *extractum ex actis generalis synodi diœcesis Tornacensis habitæ die 13 mensis Junii an.* 1673, ubi clerus in spem adducitur veteris αὐτονομίας recuperandæ, dum agitur *diligenter ac studiose cum universo Ecclesiæ clero*, de fidei conservatione et incremento, reformatione morum, ac observantia disciplinæ; decernuntur, promulgantur capita *de synodi consilio et assensu*. Scilicet ita latæ leges animum percutiunt gravitate, pondere, æquitate; sæpiusque harum probatores, suasores pudet non esse factores. Vide concil. Antiss. an. 590, c. 45. GUSSANV.

[o] Vaticani quatuor, *unde quia nihil antea de substantiola mea occurri vel potui*.

[p] Vide Alteserram, ad epist. 7 lib. olim VII, indict. 2, et Mabillonium de Re Diplom., lib. I, c. 2, § 10, et notam primam ad epist. 7 lib. IX.

[q] Ita restituimus ex Mss. Vatic., Colbert. et aliis. In Editis legitur, *eis qui compelluntur, maiore vrovidentia succurrit*.

[r] Notariorum episcoporum frequens est mentio in concilio Chalcedonensi, ante quod Epiphanius, in hæresi 71, p. 830, meminit Eutyches et Theoduli notariorum Basilii Aneyrani episcopi. Apud Augustinum, lib. III contra Cresconium, c. 29, in actis consularibus sub Zenophilo, Nundinarius diaconus dicitur exceptor Silvani Cirthensis episcopi Donatistæ,

monasterio cui præesse dignosceris cum nostris filiis tractaremus, atque diu aptam personam huic officio quæreremus, ex improviso te ingrediente, cordi nostro et eorum qui nobiscum ad tractandum aderant subito natum est ut te illic abbatem Deo propitio constituere deberemus. Quod quia renitenti tibi constat impositum, et voluntatis tuæ rigorem vix nostræ potuerunt adhortationes inflectere, necesse fuit, ne forte habere potuisses post spatium redeundi, ut jam ordinatum abbatem ad ipsum te monasterium, cujus nec monachus fuisti, antea mitteremus. [s] Ne ergo hæc obedientia vel dilectioni tuæ tristitiam vel aliis possit inferre jacturam, universas res tuas alienandi, vel ut volueris disponendi liberam tibi per hujus constituti nostri tribuimus statuta licentiam. Per quam eam te in disponendis eis ut tibi placuerit habere noveris facultatem, quam habere poteras antequam monasterium introires. Nec quidquam tibi abbatis officium, quod, sicut dictum est, repente ac invitus nosceris suscepisse, formides obsistere, quia ut in ordinandis disponendisque rebus tuis non haberes licentiam, dilectionem tuam ne post se rediret nostra, ut diximus, coegit instantia. Proinde ne qua te dubium faciat de his quæ volueris ordinare suspicio, nullum unquam Ecclesiæ nostræ vel monasterii tui, sive quolibet nomine alio ex monachicæ conversionis statu vel abbatis officio, quocunque ingenio, vel cujuslibet excusationis specie, contra præsentis seriem constituti venire posse **£300** decernimus; sed tanquam si ingressus monasterium non fuisses, ita omnia quæ de universa facultate tua ordinaveris, disposuerisve, illibata et sine aliqua, Deo auctore, statumus refragatione servanda [t].

X. *Promissio cujusdam* [a] *episcopi, hæresim suam anathematizantis, quam solvi fecit in nomine domini imp. Constantinopoli, sub die* 10 *mensis Februar., indict.* 5.

Quoties cordis oculus nube erroris obductus supernæ illustrationis lumine fit serenus, magna cautela nitendum est ne latenter auctor schismatis irruat, et ab unitatis radice eos qui ad eam reversi fuerant telo rursum erroris abscindat. Et ideo ego ille civitatis illius episcopus, comperto divisionis laqueo quo tenebar, diutina mecum cogitatione pertractans, prona et spontanea voluntate ad unitatem sedis apostolicæ divina gratia duce reversus sum. Et ne non pura mente seu simulate reversus existimer, sub mei ordinis casu spondeo, et anathematis obligatione, atque promitto tibi, et per te sancto Petro apostolorum principi, atque ejus vicario beatissimo Gregorio, vel successoribus ipsius, me nunquam quorumlibet suasionibus vel quocunque alio modo ad schisma, de quo Redemptoris nostri misericordia liberante ereptus sum, reversurum, sed semper me in unitate sanctæ Ecclesiæ catholicæ et communione Romani pontificis per omnia permansurum. Unde jurans dico per Deum omnipotentem, et hæc sancta quatuor Evangelia, quæ in manibus meis teneo, [b] et salutem geniumque illustrium dominorum nostrorum rempublicam gubernantium, me in unitate, sicut dixi, Ecclesiæ catholicæ, ad quam Deo propitio sum reversus, et communione Romani pontificis semper et sine dubio permanere. Quod si, quod absit, aliqua excusatione vel argumento ab hac me unitate divisero, perjurii reatum incurrens, æternæ pœnæ obligatus inveniar, et cum auctore schismatis habeam in futuro sæculo portionem. Hanc autem confessionis promissionisque meæ chartulam notario meo, cum consensu presbyterorum et diaconorum atque clericorum qui, me in hac unitate obligantes, in suprascriptis omnibus prona simul voluntate secuti atque propriis manibus subscripturi sunt, scribendam dictavi, et propria manu subscribens tibi tradidi. Acta in loco illo, die et consulibus suprascriptis. *Subscriptio episcopi illius.* Ego ille episcopus civitatis illius huic confessioni **1301** promissionique meæ, præstito de conservandis suprascriptis omnibus sacramento, subscripsi.

XI. *Exemplum concessionis pallii.*

Dilectissimo fratri Petro Gregorius. Omni convenire novimus rationi ut eos amictu pallii decoremus quos in illis civitatibus, divina inspirante misericordia, sacerdotii honor illuminat, in quibus hoc etiam ab illis qui præteritis temporibus pontifices fieri meruerunt, et ab apostolica sede constat esse indultum. Ideoque charitati tuæ usum pallii, sicut decessores tui habuisse noscuntur, præsenti auctoritate concedimus, atque ea omnia circa honoris tui privilegium

[s] Ex Joanne Gersone, lect. 4 de Vita spirit. animæ, corollar. 4 et sequentibus : *Legislatores ecclesiastici et civiles plerumque sua potestate et auctoritate noscuntur abuti, præsertim ecclesiastici illi qui quidquid ordinant, quidquid monent, quidquid præcipiunt, volunt pro divinis legibus haberi, par æquale quoque robur habere per interminationem damnationis æternæ.* Cætera prætermitto, quibus vir pius opinionem suam aperit de obligatione legum humanarum propter connexionem cum lege divina. Eam multi quasi erroneam impugnavere, fortasse non satis sibi intellectam. Ut in legibus humanis quod juris est divini ab humano secernamus, *præcipuæ cujusdam Theologiæ opus est, quam multi*, inquit idem, *vel ignorant, vel negligunt, vel spernunt.* GUSSANV.

[t] In Excusis additur, *Datum mense Novembris, indict. 4*, sed in Mss. Vaticanis et aliis minime legitur. Neque vero convenire possunt hæc cum aliis notis temporis supra assignatis. Certe datum est hoc diploma eodem die ac tempore quo Romæ habita est synodus antea commemorata, hoc est mense Octobri, non Novembri.

X [*Al. ep.* 31, *ind.* 5]. — [a] Hic episcopus videtur esse Firminus, ad quem exstat epistola 33 lib. XII.

[b] *Per salutem geniumque.* Ea verba male inserta huic promissioni fuisse reor; nec enim catholici per genium imperatorum jurabant. Vide Tertullianum, in Apologetico, c. 32, et ad Scapulam, c. 2 : *Juramus non per genios Cæsarum. Nescitis genios dæmonas dici..... cæterum, dæmonas, id est genios, adjurare consuevimus*, etc. Certe in confesso erat antiquitus genium nihil esse aliud quam dæmonem, ut legere est apud Lactantium, lib. II, c. 15, quem locum quia indico, caute legendum dico. Notant multi ne quidem apud nos in Galliis fuisse permissum jurare per vitam regis et filiorum ejus. Passim in Actis concil. Chalced. jurabant per vestigia imperatoris aut Patrum. GUSSANV.

XI. *Al. ep.* 56, *ind.* 5.

volumus permanere quæ anterioribus temporibus Ecclesiæ tuæ constat esse servata, ut nihil prorsus de privilegiis ejus doleas diminutum. *Et subscriptio domini papæ.* Deus te incolumem custodiat. Datum x Kalend. Octob., imperante domno Justino [*Al.* Justiniano] August. *Et subscripsit domnus papa.*

XII. [a] *De Phoca coronato, et Mauricio interfecto cum filiis suis.*

In nomine Domini Dei et Salvatoris nostri Jesu Christi, per indictionem sextam, die 23 mensis Novembris, temporibus domini et beatissimi papæ Gregorii, coronatus est Phocas, et Leontia Augusta [b] septimo in palatio, [c] quod dicitur Secundianas, et occisus est Mauricius imperator **1302** cum omnibus filiis suis masculis, id est [d] Theodosio jam coronato, Tiberio, Petro, [e] Paulo et Justiniano, simul et [f] Petro fratre suprascripti Mauricii Augusti. Sed et aliqui procerum qui ei cohærebant, id est [g] Constantius patricius et curator, et Placidas, sed et [h] Georgius notarius principis. [i] Venit autem icona suprascriptorum Phocæ et Leontiæ Augustorum Romam VII Kal. Maii, et acclamatum est eis in lateranis [k] in basilica Julii ab omni clero vel senatu. Exaudi, Christe: Phocæ Augusto et Leontiæ Augustæ vita. Tunc jussit ipsam iconam dominus beatissimus et apostolicus Gregorius papa reponi in [l] oratorio sancti Cæsarii martyris intra palatium. (*Joan. Diac., lib.* IV, c. 20.)

XIII. *Fragmenta epistolarum quas Gratianus sancto Gregorio tribuit.*

Gregorius Augustino Anglorum episcopo.

Denique sacerdotes et diaconi (*Dist. 4, can.* 6), et reliqui omnes quos ecclesiastici gradus dignitas exornat, a Quinquagesima propositum jejunandi suscipiant, quo et aliquid [a] ad pensum sanctæ institutio-

FRAGM. XII [*Al. ep.* 1, *lib.* IX]. — [a] Coronatus est Phocas a patriarcha Cyriaco an. 602. Qua de re fuse Theoph. Simocatta, et cæteri historiæ Byzantinæ scriptores. GUSSANV.

[b] Scriptores Græci vocant ἕβδομον. Procopius de Ædif. Justin.: Ἐν προαστείῳ καλουμένῳ ἑβδόμῳ, lib. I, c. 14. Nicephorus patriarcha CP., in Breviario historico, c. 2: Καὶ μίλιες πρὸς τὸ πεδίον πρὸ τῆς πόλεως ὁ ἕβδομον καλοῦσι. Quidam etiam ex Latinis appellant *hebdomum*, quod Idacius, Marcellinus Comes, Anastasius Bibliothecarius, et leges aliquæ Justinianeæ *septimum miliare*. Idem Marcellinus interdum et Victor Tunnunensis nude *septimum* nuncupant. Eadem est sententia Cujacii, lib. XX Observat., qui et addit: *Eadem forte ratione septimum dictum est, quo decimum suburbium Carthaginis, quod auctore Procopio ab ea distabat stadiis* LXX. GUSSANV. Septimum autem palatium est idem ac tribunal hebdomi præ cæteris celeberrimum, in quo imperatores renuntiabantur, et se populo spectabiles præbebant. *Hebdomum* videtur dictum a septimo milliario, quod hoc intervallo distaret Constantinopoli. Refert Idacius Valentem a Valentiniano fratre in consortium imperii vocatum, *Levatum Constantinopoli in milliario septimo in tribunali.* Ubi apud Chronicon Alexandrinum legitur ἐν τῷ Ἑβδόμῳ. Idem occurrit apud Marcellinum Comitem de Arcadio. Conjecturam nostram confirmat quod habet Idacius de Honorio: *Honorium pater suus Theodosius, in eodem loco quo fratrem ejus Arcadium Cæsarem fecit*, id est septimo ab urbe regia milliario. Porro Chronicon Alexand. dicit Arcadium Cæsarem factum ἐν τῷ τριβουναλίῳ τοῦ Ἑβδόμου.

[c] Palatium hoc nomine in urbe vel suburbanis nullum agnoscunt scriptores Byzantini. *Jucundianarum* nomenclaturam habet Procopius lib. I de Ædificiis Justiniani. At illud in Bithynia videtur exstitisse, ex ipso Procopio, tametsi Justinianas ibi restituendum putet Gyllius. Verum cum in Secundianis palatio ita nuncupato in septimo coronatum Phocam tradat Gregorius, quod Theoph. Simocatta, lib. VIII, c. 10, Chronicum Alexandrinum, et Theophanes, in Chronogr., factum volunt in sancti Prodromi æde hebdomiana, intelligendum prorsus videtur tribunal hebdomi, quod alii palatium hebdomi appellant, in quo scilicet imperatores recens renuntiati toti plebi spectandos se præbebant, atque adeo interdum corona donabantur. Cujus moris complura prostant exempla apud ejusce ævi scriptores. GUSSANV.

[d] Vide Chronicum Alexandrinum, Joannem Biclarensem, Theophanem, Cedrenum, Zonaram. GUSSANV.

[e] Istius Mauricii filii nulla mentio est apud scriptores, pro quo *Justinum* substituit auctor Chronici Alex., apud quem ita quinque filii Mauricii recen-

sentur, Theodosius, Tiberius, Petrus, Justinus et Justinianus. GUSSANV.

[f] Petrus hic fuit vir strenuus, dux exercitus contra Persas. De eo Simocatta, lib. III Hist. Mauric., et lib. VIII, Chronicum Alexandrinum, Theophanes et alii. GUSSANV.

[g] In pluribus Mss. appellatur Constantinus. In Chronico Alex. Constantinus Lardis. A Simocatta nude Lardis dicitur lib. VIII, c. 13. Fuit is præfectus prætorio, deinde Logotheta, et curator palatii Hormisdæ, ut est in eodem Chronico Alexan., quam postremam dignitatem attigit hic Gregorius. Sed cum addatur *et Placidas*, legendum ex Mss. sex proximis, *et curator Placidias*, licet in iis corrupte habeatur *de Placidias*; ita ut curator fuerit non Hormisdæ, sed Placidiæ, domus scilicet Augustæ Placidiæ, cujus meminit vetus urbis descriptio. Nam et κουράτων τῶν Ηλακιδίας occurrit in Chronico Alexandrino in eodem Phoca. Atque ea est sententia viri clarissimi Cangii in sua Constantinopoli Christiana. GUSSANV. Quod hic observat Gussanvillæus confirmari potest ex Mss. Colbert.

[h] Qui Philippici ὑποστρατηγὸς dicitur Simocattæ lib. VIII, c. 13. GUSSANV. In Colbert. legitur *Gregorius.*

[i] De isto more mittendi in provincias iconas seu imagines Augustorum, quas lauratas appellabant, multi multa dixere; nos paucis repetemus. Citant, sed male, ex Optato, lib. III, hæc verba, quæ reperio in synodo Nicæna II, in epistola Adriani: *Lauratis et iconibus quæ mittuntur ad civitates et regiones obvii eunt populi cum cereis et incensis, non cera perfusam tabulam, sed imperatorem honorantes.* In leg. *Quidquid*, Cod. Theodos. de publ. lat. num.: *Si sacros vultus inhiantibus forte populis inferimus, hoc sine immodico pretio nuntiari*, etc. Lege Gregorium II, epist. 1, ad Leonem Isaurum; Chrysostomum, serm. in cœna Domini. Refertur in Nicæn. II, act. 2. Græci dicunt λαυράτον et λαβράτον. in Basil., ecloga 56. Cave tamen confundas cum labráto, quod φίλημα βασιλικὸν vocant, sive ἀσπασικὸν βασιλέως, osculum imperatoris. GUSSANV.

[k] Basilicam Juliæ, Romæ memorat Anastasius Biblioth. in Bonifacio et in Cœlestino. GUSSANV. In Colbert. legitur Julii.

[l] Cujus meminit etiam idem Anastasius. GUSSANV. Cæterum hanc imperatorum imaginem super altare positam nemo credat. Olim Donatistæ calumniati sunt catholicos, quod ipsis consentientibus Paulus et Macharius imperatorum imagines in altari tempore sacrificii reposuissent. At falso id rumore niti tantum ostendit Optatus, lib. III de Schism. Donatist., c. 2.

XIII.—[a] Hæc multum accedunt ad ea quæ leguntur regulæ sancti Benedicti, c. 49, de Quadragesimæ ob-

nis adjiciant et eorum qui in laicali ordine consistunt observantiam, sicut loco, ita religione præcellant.

De ipsa vero die Dominica hæsitamus quidnam dicendum sit, cum omnes laici et sæculares illa die plus solito cæteris diebus accuratius cibos carnium appetant; et nisi nova quadam aviditate usque ad mediam noctem se ingurgitent, **1303** non aliter se hujus sacri temporis observationem suscipere putant. Quod utique non rationi, sed voluptati, imo cuidam mentis cæcitati ascribendum est; unde nec a tali consuetudine averti possunt, et ideo cum venia suo ingenio relinquendi sunt, ne forte pejores existant, si a tali consuetudine prohibeantur. Ut enim ait Salomon: *Qui multum emungit, elicit sanguinem* (*Prov.* xxx, 33).

*Et post pauca.*

Par autem est ut quibus diebus a carne animanum abstinemus, ab omnibus quoque quæ [b] sementinam carnis trahunt originem, jejunemus, lacte videlicet, caseo, et ovis.

*Et post pauca.*

Cæterum piscium jus ita Christiano relinquitur, ut hoc ei infirmitatis solatium, non luxuriæ pariat incendium. Denique qui a carne abstinet, nequaquam [c] sumptuosiora marinarum belluarum convivia præparet.

Vinum quoque ita bibere permittitur, ut ebrietatem omnino fugiamus, alioqui restat ut omnia quæ corpori libent similiter faciamus.

servatione: *Augeamus nobis aliquid ad solitum pensium servitutis nostræ.* Jam sæpe admonuimus familiare esse Gregorio regulæ sancti Benedicti sententias et ipsa verba usurpare.

[b] Al., *sementivam.*

[c] Hæc pro Gregorianis habebat Joan. Baptista Mantuanus, cum in poemate de Quadragesima canebat:

*Non tamen illicitum pisces adhibere minutos;*
*Gregorius magnos prohibet, sed longior usus*
*Obstitit et ponti pecuaria magna per omnes*
*Jam volitant procerum mensas, et prandia regum.*
*Sordida Gregorii leges observat egestas.*

[d] Ita affirmant Romani correctores decreti Gratiani, penes quos fides sit; nos autem nullis in Mss. hæc fragmenta invenimus.

Epistolam ad Venerium, episcopum Caralitanum,

*De moribus, vita et morte Agapiti primi papæ.*

([d] Ex vetusto Codice Registri sancti Gregorii papæ in bibliotheca Vaticana asservato.)

Agapitus papa vas catholicum, Evangelii tuba, præco justitiæ, sacra altaris sedisque **1304** vellemina sacrilegis Anthimi infecta fabulis suis catholicis precibus eluit (*De consecr. dist.* 1, *c.* 23).

*Fragmentum epistolæ laudatum a Joan. Diacono lib.* II, *c.* 16.

Multos ex ecclesiastica seu sæculari militia novimus ad omnipotentis Dei servitium festinare, ut ab humana servitute liberi, in divino servitio videantur familiarius in monasteriis conversari. Quos si passim dimittimus, omnibus fugiendi ecclesiastici vel sæcularis juris dominium occasionem præbemus. Si vero festinantes ad omnipotentis Dei servitium incaute retinemus, illi invenimus negare quædam qui dedit omnia. Unde necesse est ut quisquis ex juris ecclesiastici vel sæcularis militiæ servitute ad Dei servitium converti desiderat, probetur prius in laico habitu constitutus; et si mores ejus atque conversatio bono desiderio illius testimonium ferant, absque ulla retractatione, servire in monasterio omnipotenti Deo permittatur, ut ab humano servitio liber recedat, qui in divino obsequio districtiorem subire appetit servitutem. Si autem et in monachico habitu secundum Patrum regulas irreprehensibiliter fuerit conversatus, post præfixa sacris canonibus tempora, licenter jam ad quodlibet ecclesiasticum officium provehatur, si tamen illis non fuerit criminibus maculatus quæ in Testamento Veteri morte multantur.

in hac appendice non admittimus; quamvis enim circumferatur a Gratiano sub nomine Gregorii papæ, causa 35, quæstione 10, c. 1, et ab Anselmo Lucensi, laudato ab eruditissimo Baluzio in suis ad Gratianum notis, pag. 558, eam tamen inter opera sancti Doctoris recensere vetat ingens styli dissimilitudo; vetat Venerius ille ad quem dirigitur epistola, ut pote Gregorii magni ævo prorsus incognitus; vetat denique altum ac perpetuum de ea silentium, tum in omnibus Registri Codicibus manu exaratis ac editis, tum in omnibus omnino scriptoribus ante Anselmum Lucensem et quemdam Polycarpum, de quibus apud Gratianum.

De epistola autem ad Felicem Messanensem, quæ est ultima indictionis 7, aliter censemus, eam edidimus ut genuinum ejus fetum. Vide notam *a* in eamdem epistolam.

# EPISTOLARUM SANCTI GREGORII VARIÆ TABULÆ.

## EPISTOLARUM ORDO RESTITUTUS

### ARGUMENTIS DEMONSTRATUR.

Hic primum agemus de Epistolis unicuique libro restitutis, postea de amotis; deinde si quæ fuerint transpositæ intra eumdem librum, ut ad proprium locum revocarentur, indicabimus. Si vero, dum breves esse laboramus, obscuros quandoque fieri contingat, legendæ sunt ipsæ Epistolæ, debito, ut putamus, ordini redditæ.

### LIBER I. INDICTIONE IX.

I. *Nonæ indictioni tres epistolas restituimus.*

1. Ex libro ultimo, indictione VII, decimam octavam epistolam, quæ nunc est hujus libri decima. Cum scripta est hæc epistola vivebat Petrus, Terracinensis episcopus, cujus meminit. Eum undecimæ indictionis initio mortuum fuisse probant epistolæ

decima tertia et decima quarta indictionis XI. Quod autem ad librum I pertineat hæc epistola, eruitur ex ejusdem libri ep. 35, quam si cum ipsa conferas, posterius fuisse scriptam non dubitabis.

2. Ex Baluzii Miscellaneorum tomo quinto, pag. 469, epistolam Petro subdiacono inscriptam, quam nondum typis excusam primus edidit ipse vir clarissimus Stephanus Baluzius. Sic incipit hæc epistola, quæ nunc est trigesima sexta libri primi, *Pergenti tibi*, etc. Ipsius meminit sanctus Gregorius in epistola olim septuagesima, nunc septuagesima secunda libri primi, dataque est XVII Kalend. Aprilis: igitur præmittenda epistolæ olim quadragesimæ secundæ, nunc quadragesimæ quartæ, post Paschalem festivitatem scriptæ.

3. Ex lib. olim X, quinta indictione, epistolam quadragesimam quartam. Commotus Gennadii fama Droculfus, ex hostibus ad ipsum confugit. Gennadii victorias bellicamque illius gloriam in Epistolis indictione nona datis celebrat sanctus Gregorius: in posterioribus nunquam; imo post indictionis decimæ quintæ initium nulla Gennadii mentio. Ipsius, indictione tertia, successor Innocentius legitur, epistola olim trigesima septima et trigesima octava, nunc vero trigesima octava et trigesima nona. Ergo hæc epistola remanere non debuit in indictione quinta, sed indictio nona ipsi magis convenit.

II. *A nona indictione epistolam nullam amovemus.*

III. *In nona indictione epistolas duas ad proprium locum revocamus.*

1. Decimæ nonæ decimam jungimus, quia in utraque eadem prorsus tum Natali episcopo, tum Honorato archidiacono, simul ab illis præstanda mandantur.

2. Septuagesimam octavam postponimus septuagesimæ nonæ, quam a septuagesima sexta et septuagesima septima in eamdem ac ipsa rem scriptis non bene dividebat.

## LIBER II. INDICTIONE X.

I. *Decimæ indictioni reddimus epistolas quindecim.*

1. Ex lib. ultimo septima indictione epistolam vigesimam primam, quæ nunc est tertia libri hujus. Hac quippe in epistola sanctus Gregorius indicat bellum tunc fuisse Romanos inter et Ariulphum, Langobardorum apud Spoletum ducem. Quod referendum esse ad indictionem decimam fere constat ex epistola olim trigesima secunda, nunc quadragesima sexta ejusdem indictionis scripta ad Joannem, episcopum Ravennatem. Præterea in mss. cod. Colb. veteri, et in Collectione Pauli Diaconi manuscripta, huic epistolæ appositum legimus: V *Kal. Octob.*, *ind.* X.

2. Ex eodem lib., septima indictione, decimam nonam, quæ nunc est hujus libri quarta: quia nimirum data est III Nonas Octobr. indictionis decimæ in Colbert. veteri.

3. Ex hac septima indictione decimam, quæ nunc est hujus libri quinta; quod in Collectione Pauli legatur data III Non. Octobr., indictione X.

4. Ex lib. olim quarto, decima tertia indictione, septimam et octavam, quas vigesimam secundam et vigesimam tertiam hujus libri invenies. Ut autem hæc mutatio fieret, id in causa fuit. Prius haud dubie electus est Joannes in episcopum primæ Justinianæ, quam adversus Hadrianum, episcopum Ecclesiæ suæ suffraganeum, sententiam tulerit. Prius ergo scriptæ sunt decimæ tertiæ indictionis epistolæ olim septima et octava, de unanimi Joannis electione, quam sexta, septima, et trigesima octava undecimæ indictionis, in quibus de Joannis adversus Hadrianum sententia disseritur.

5. Ex libro olim XII, septima indictione, vigesimam, quæ nunc est hujus libri vigesima octava. In Collectione enim Pauli Diaconi, aliisve manuscriptis data est XIV Kal. Junii, ind. X. De Stephano, ad quem scripta est, Siciliæ chartulario, agitur paulo post in epist. tertia lib. III, indict. XI.

6. Ex eadem septima indictione vigesimam secundam, libri hujus vigesimam nonam effecimus: quia in Colb. veteri data est XIV Kal. Junii, ind. X. Præterea, ut jam advertimus, tunc bellum adversus Romanos Ariulfus agebat. Vide indictionis decimæ epistolam olim trigesimam secundam, nunc quadragesimam sextam ad Joan., episcopum Ravennatem.

7. Ex septima adhuc indictione vigesimam tertiam et vigesimam quartam nunc trigesimam et trigesimam primam libri secundi, quia eodem tempore scriptas quo decimæ indictionis epistola olim vigesima secunda, nunc trigesima quinta, legenti non erit obscurum.

8. Ex eadem indictione trigesimam, quæ nunc est libri secundi trigesima secunda. Decima indictione datam eam fuisse ex contextu liquet: *Pensiones*, inquit ad Petrum sanctus Gregorius, *nonæ et decimæ indictionis, quas exegisti, et rationes omnes pariter deporta. Stude, si Deo placuerit, ut in hanc urbem ante natalem beati Cypriani transeas.* Præterea legitur in Collectione Pauli Diaconi data III Nonas Junii indictionis decimæ.

9. Ex septima insuper indictione vigesimam sextam, nunc trigesimam quartam laudati libri. Scripta est non multo post trigesimam, de quo mox diximus. In hac enim trigesima Petro subdiacono dolorem suum de præcipiti Maximiani episcopi sententia sic aperit: *Ægre tamen tuli quod domnum Eusebium* (abbatem ad quem postmodum decimæ indictionis epistolam olim vigesimam quartam, nunc trigesimam sextam dedit) *excommunicavit.... Unde necesse est ut eidem domno episcopo secrete dicas, qualenus in proferendis sententiis præceps non sit.*

10. Ex libro olim quarto decima tertia indictione quadragesimam primam et quadragesimam tertiam, quæ nunc sunt libri secundi quadragesima secunda et quadragesima prima. Ex quo Leontius Ariminensis Ecclesiæ administrationem suscepit, de qua agunt indictionis undecimæ epistola vigesima quarta et vigesima quinta, jam non Arimini sed Romæ degebat Castorius. Vide ibidem, et indictionis decimæ epistolam olim vigesimam secundam, nunc trigesimam quintam. Igitur sub decimæ indictionis finem scripta est quadragesima tertia hæc epistola olim indictioni XIII perperam data, ex qua liquet Castorium adhuc Arimmensem Ecclesiam rexisse. Eodem tempore in eamdem rem data est quadragesima prima ad Luminosum abbatem.

11. Ex septima indictione vigesimam septimam, nunc libri secundi quinquagesimam tertiam ad Honoratum. Honorato successit in legatione Constantinopolitana Sabinianus, indictione undecima. Vide epistolam olim quinquagesimam primam libri III, nunc quinquagesimam secundam. Hæc igitur quam a septima indictione avocamus, ad decimam indictionem revocanda est: vix enim ante finitam indictionem nonam Constantinopolim Honoratus advenerat.

12. Ex mss. codd. epistolam sancti Licinianí episcopi ad sanctum Gregorium sub decima indictione locamus. *Scripsisti*, inquit Licinianus, *de trina tinctione* (Leandro Hispalensi, indictione nona, mense Maio, epistolam olim quadragesimam primam, nunc quadragesimam tertiam) *in qua epistola memorans displicuisse vobis illud opus, sed hoc salubriori consilio statuisse, ut in librorum ductu eas transponeres... Dignetur ergo beatitudo vestra opus ipsum de libro sancti Job transmittere.* Opus illud ad sanctum Leandrum Hispalensem missum legimus indictione decima tertia, epistola olim quadragesima sexta, nunc quadragesima nona. Ex quibus conjicimus epistolam hanc, quæ meminit Gregorianæ epistolæ, nona indictione desinente scriptæ, non ante decimam indictionem fuisse datam, et longe ante duodecimam, qua missos in Hispaniam libros Moralium pene constat.

II. *A decima indictione nullam amovemus epistolam.*

III. *In decima indictione epistolas quatuor ad propria loca revocamus.*

1. Decimam tertiam ad Paulinum legenti, certum erit præponendam illi epistolam ad Maximianum, quæ in editis est vigesima sexta, in manuscriptis vero trigesima octava.

2. Vigesimam secundam ad Joannem Ravennatem mense Julio datam, vigesimæ tertiæ ad Justinum prætorem in Nonas Junii datæ postponimus.

3. Trigesima tertia apud Gussanvill. et in manuscriptis data est mense Augusto, indictione decima : trigesima nona vero apud eosdem data legitur x Kal. Augusti. Hæc igitur præmittenda fuit alteri.

4. Trigesima octava ad Joannem Squillacinum, vigesimæ septimæ ad Grotonenses fuit præponenda, ut in mss. codd. Norm. Anglic., etc. In editis sic mendose incipit : *Obitum Paulini Taurian.*, etc., legendum ut in Vaticanis manuscriptis, *Obitum antistitis Crotoniensis*, etc. Ad Paulinum Taurianensem scripsit sanctus Gregorius diu postea, scilicet indictione secunda, epistolam olim quadragesimam septimam, nunc quadragesimam octavam; ipsoque mortuo, Taurianensis Ecclesiæ visitationem injunxit Venerio, Vibonensi episcopo, epistola olim decima octava indictionis sextæ, nunc tertiæ decima septima.

## LIBER III. INDICTIONE XI.

I. *Undecimæ indictioni epistolas duas reddimus.*

1. Ex decima quarta indictione quadragesimam quartam, seu quæ eadem est, ex libro olim VII, secunda indictione, quadragesimam nonam; estque nunc libri tertii trigesima septima, tum quod in Colbertino veteri data est mense Maio, indictione undecima, ut etiam legitur in editis indictionis secundæ epistola quadragesima nona, tum quod verosimile non est, sanctissimum pontificem piam testamenti dispositionem Pelagio decessori suo commendatam, non ante quintum episcopatus sui annum adimpleri curasse.

2. Ex secunda indictione septuagesimam sextam, quæ nunc est hujus libri tertii sexagesima quarta. Sane Chrysanthum, Spoletanum episcopum, Mevaniensis Ecclesiæ visitatorem eodem fere tempore instituit sanctus Gregorius, quo *res et utilitates* ejusdem Ecclesiæ Honorato commisit procurandas indictione nona, epistola olim septuagesima octava, nunc quadragesima prima; atqui duobus post annis data est ad Chrysanthum epistola hæc, olim septuagesima sexta, indictionis secundæ, quæ sic incipit : *Ante biennium fraternitati tuæ Vivaniensis* (lege *Mevaniensis*) *Ecclesiæ deputaveramus officium.* Reddenda igitur fuit undecimæ indictioni.

II. *Ab undecima indictione epistolam sexagesimam quartam amovemus, eamque indictioni duodecimæ reddimus.*

Ratio hujus translationis infra exponetur, ubi de indictione duodecima.

III. *In undecima indictione epistolas quatuor ad propria loca revocamus.*

1. Quadragesima secunda jungenda omnino quadragesimæ in eamdem rem scriptæ; huic vero præmittenda quadragesima prima, ut advertit Gussanvillæus.

2. Quinquagesimæ primæ et quinquagesimæ secundæ subjungenda sexagesima sexta : in hac enim ut in illis Sabinianus, diaconus, Constantinopolim veniens commendatur.

3. Sexagesima prima Fortunato gratulatur Gregorius, quod a Neapolitanis civibus in episcopum susceptus sit. Igitur præmittenda quinquagesimæ nonæ, quæ ipsum in episcopatu constitutum supponit; et quidem in manuscriptis codicibus præcedit.

4. Sexagesimam quintam sexagesimæ secundæ A sociari expedit quasi libellum commonitorium; idque prius observarat Gussanvillæus.

## LIBER IV. INDICTIONE XII.

I. *Duodecimæ indictioni epistolas tres reddimus.*

1. Ex decima tertia indictione quadragesimam, quæ nunc est hic trigesima prima, et ex undecima indictione sexagesimam quartam, quæ nunc hujus libri est trigesima secunda. Legenti has epistolas planum fiet : 1° trigesimam primam præmittendam fuisse trigesimæ secundæ, in qua ipsius meminit sanctus Gregorius; 2° trigesimam secundam, in qua conqueritur de Joanne Constantinopolitano, ob presbyteros Isauriæ male habitos, fuisse revocandam ad indictionem duodecimam. Etenim decima tertia indictione ante mensem Januarium Joannes, Constantinopolitanus patriarcha, jam Romano pontifici in causa presbyterorum Isauriæ fecerat satis : *Scripta sanctitatis vestræ*, inquit sanctus Gregorius epistola indictionis decimæ tertiæ olim trigesima octava, nunc B decima octava, data Kal. Januarii, *dulcissima atque suavissima de causa Joannis et Athanasii suscepi*, etc.

2. Ex lib. olim VII, prima indictione, primam, quæ nunc est hic quadragesima septima. Nimirum scripta est ad Sabinianum Constantinopoli commorantem; at jam ab anno superiori indictione decima quinta, Sabinianus Constantinopoli redierat (vide hujus indictionis epistolas olim vigesimam tertiam, vigesimam quartam, vigesimam quintam, nunc vigesimam sextam, vigesimam septimam, vigesimam octavam); ipsique Anatolius successerat, ex epistolis olim vigesima septima et vigesima octava, nunc trigesima et trigesima prima. Ergo etiam ante indictionem decimam quintam scripta hæc epistola. Porro eam indictioni duodecimæ ideo tribuimus, quod in ea agatur de epistola sancti Gregorii vigesima ejusdem indictionis ad Maximum Salonitanum, quam ipse Maximus publice scindi paulo ante fecerat.

II. *A duodecima indictione epistolam nullam amovemus.*

C III. *In eadem indictione epistolas quatuor propriis locis restituimus.*

1. In epistola ad Januarium, episcopum Caralitanum, olim decima, nunc octava, pium Theodosia Stephani quondam viri sui desiderium dilatione protrahere legitur. In epistola ad eumdem Januarium, episc. Caralit., olim octava, nunc decima quinta desiderium illud compleri optare. Hanc igitur illa præcedere debuit.

2. Ad indictionem undecimam proxime accedere debet epistola olim decima quinta, si genuina sit appendix de causa Maximi præmissa olim libro VII, ind. I, nunc ad calcem rejecta n. 8. Illam proinde mense Septembri datam conjicimus, ac undecimæ præmittimus, quæ data est mense Octobri.

3. Epistolæ olim vigesima tertia, vigesima quinta, vigesima sexta in eamdem rem scriptæ sunt, ex relatione Cyriaci et Felicis. Illas disjungebat epistola olim vigesima quarta, quæ de aliis alia occasione D negotiis agit, absque ullo temporis indicio. Illis omnibus præmittendam esse quæ erat vigesima septima, qua nempe Felicem episcopum et Cyriacum abbatem in paganorum conversione laborantes commendat, patebit legenti.

## LIBER V. INDICTIONE XIII.

I. *Decimæ tertiæ indictioni epistolas octo reddimus.*

1. Ex libro ultimo, septima indictione decimam quartam, nunc decimam sextam hujus libri. Observat Gussanvillæus in aliquibus manuscriptis finem hujus epistolæ talem esse : *Data* XX *Kal. Januar. ind.* III. At primo nunquam dicitur XX *Kalendas.* Deinde legendum *indictione* XIII sic ostendimus ex ipso epistolæ contextu : *Sabinianus diaconus vestræ dulcissimæ sanctitati curanda vulnera nostra aperiet*, etc. Domitianus vel Datianus ad quem hæc epistola, imperatoris cognatus, Constantinopoli tunc degebat.

Jam vero indictione prima Anatolius, diaconus, Constantinopoli Sabiniano successerat, qui indictione decima quinta Romam reversus legitur epistolis olim vicesima tertia, vicesima quarta, vicesima quinta, tricesima prima, nunc vicesima sexta, vicesima septima, vicesima octava, trigesima quarta. Ergo Sabinianus Romam reversus indict. XV, tribus post annis, nimirum indict. III, minime poterat Constantinopoli, Domitiano Gregorii vel potius totius Italiæ vulnera molestiasque aperire. Quod vero barbarorum gladiis afflictus Gregorius, Domitianam ut sibi compatiatur rogat, id decimam tertiam indictionem aperte innuit. Nam in epistola olim trigesima prima, nunc quadragesima ad Mauricium imperatorem data Kal. Januar., indictione XIII, Gregorius plagas quibus affligebatur enumerans, hæc scribit : *De Romana civitate milites ablati sunt, et quidem alii ab hostibus occisi..... Post hoc plaga gravior fuit adventus Agilulphi*, etc.

2. Ex eadem septima indictione duodecimam, nunc trigesimam primam ejusdem libri quinti. In quibusdam enim manuscriptis legitur data die duodecima Martii, indictione decima tertia. Certa est aliunde hæc temporis nota, tum ex epistolis ad Childebertum, ad Brunichildem, et ad ipsum Candidum decimæ quartæ indictionis initio datis, tum ex ejusdem decimæ quartæ indictionis epistola quinquagesima secunda et sequentibus, ubi Candidus de quo, dissimulato ejus nomine, in laudata agitur epistola, jam in Gallias missus, regibus, episcopis, et Arigio, Massiliensis provinciæ post Dynamium præfecto, commendatur.

3. Ex tertia indictione secundam, nunc libri quinti trigesimam, quia in Collectione Pauli Diaconi, aliisve manuscriptis data legitur mense Martio, indictione decima tertia.

4. Ex septima indictione decimam tertiam, nunc trigesimam secundam libri quinti. Aliquanto sane post Maximiani obitum tempore datam patebit legenti. Obiit autem Maximianus anno 294, ind. XIII. Baronius in notis ad Martyrologium Romanum, Wion in Ligno vitæ, Mabillonius ad lib. I Joan. Diaconi de Vita S. Gregorii, § 35, et in Actis Sanctorum tom. I (pag. 408), Octavius Cajetanus Syracusanus apud Bollandianos, Maximianum die nona Junii demortuum asserunt ; *quod ipsum sanctum eo die colant Syracusani ejus reliquiis gaudentes.* At illorum sententiæ repugnare videtur sanctus Gregorius indictionis decimæ tertiæ epistola olim decima nona, nunc decima septima ad Cyprianum diaconum, quæ sic incipit : *Amarissimas tuæ dilectionis epistolas de domni Maximiani obitu mense Novembri suscepi.* Quis enim credat Cyprianum de Maximiani sub Romana metropoli episcopi et Gregorio amicissimi obitu, non ante elapsos quinque menses ipsum S. Gregorium monuisse? Fortassis sancti Maximiani reliquiarum translationem die 10 Junii factam celebrant Syracusani.

5. Ex secunda indictione decimam quintam, nunc libri quinti tricesimam septimam. Si quidem in Collectione Pauli Diaconi, aliisve manuscriptis data est mense Junio, indict. XIII, neque verosimile est Theodosium jam undecima indictione sancti Martini abbatem (vide hujus ind. ep. 23) ad sex annos monasterii a decessore suo constructi dedicationem distulisse.

6. Ex secunda indictione quartam, nunc quadragesimam quintam hujusce libri quinti. Ad Severum exarchi Ravennæ scholasticum scripta est decimæ tertiæ indictionis epistola olim vigesima nona, nunc trigesima sexta. Nondum finita indictione decima tertia Severo successit Andreas, ad quem decimæ tertiæ indictionis epistola, olim quadragesima quinta, nunc quadragesima octava, de Mariniani episcopi ordinatione. Hanc vero qua Castorius jam undecima indictione Ravennæ degens commendatur, in ipso Andreæ adventu scriptam censemus.

7. Ex secunda indictione nonagesimam quartam et nonagesimam quintam, nunc quadragesimam sextam et quadragesimam septimam libri quinti. Eodem tempore scriptæ sunt ; ab his enim verbis incipit nonagesima quinta : *Responsalium nostrorum relatione comperimus, quod pro amore unitatis Ecclesiæ tantus vos divini zeli ardor accenderit.* In nonagesima quarta vero legitur : *Qualiter vos contra Histricorum schisma, pro unitate Ecclesiæ, amoris olim fervor accenderit, et multorum testificatione, et nostrorum modo plene relatione cognovimus.* In hac olim nonagesima quarta Castorius in Histriam missus Basilio commendatur. De Castorii reditu, et ad pacem jam inclinato Petri et Providentii Histriæ episcoporum animo in decimæ tertiæ indictionis epistola, olim quadragesima nona, nunc quinquagesima prima data mense Augusto loquitur S. Gregorius. Ergo antecedere debuerunt geminæ illæ epistolæ ex indict. II revocatæ. Neque Castorium secunda indictione iterum in Histriam perrexisse cogites : nam Ravennæ in Maximi Salonitani negotio tunc ipsum occupatum ostendunt indictionis ejusdem secundæ, epistolæ olim sexagesima nona, octogesima, octogesima prima ; nunc sexagesima septima, sexagesima nona, octogesima ; donec sanctum Gregorium adiit, ac de Maximi plenissima satisfactione testatus est. Vide indictionis secundæ epistolam olim centesimam trigesimam, nunc centesimam vigesimam quintam ad Maximum, episc. Salonit.

8. Ex eadem indictione secunda removendam epistolam centesimam vigesimam secundam, olim centesimam vigesimam septimam ad Recharedum, jungendamque epistolæ quadragesimæ nonæ hujusce libri quinti, olim quadragesimæ sextæ ad Leandrum, Hispalensem episcopum, censet Nicolaus Antonius in Bibliotheca Hispanica. Nempe duas illas epistolas eodem tempore scriptas esse putat vir doctissimus, eo quod in utraque S. Gregorius meminerit Probini presbyteri. Verum falsa nobis videtur (quod pace tanti viri dixerim) conjectura hæc. Nam in epistola ad Leandrum mentio fit Probini missi in Hispaniam, eoque pergentis : in altera vero Probini jam reducis : *Præterea*, inquit sanctus Gregorius, *indico quia crevit de vestro opere in laudibus Dei hoc quod dilectissimo filio meo Probino presbytero narrante cognovi.* Qui narrabat Gregorio, Romæ sane aut in vicinia tunc aderat, non in Hispania peregrinabatur.

Verisimilior est alia ejusdem eruditissimi scriptoris conjectura, epistolam quadragesimam sextam ad Leandrum, nunc quadragesimam nonam indictionis decimæ tertiæ citius scriptam fuisse. In ea enim Leandro significat libros Moralium se ad ipsum per Probinum transmittere. At vix credi potest libros illos qui jam indictione nona absoluti erant, ut ex epistola quadragesima tertia hujus indictionis liquet, quosque jam Leandro destinabat sanctus Gregorius, indictione tantum decima tertia fuisse missos. Hæc tamen ratio non sufficit ad hanc epistolam, quæ in omnibus manuscriptis Registri per indictiones digesti, indictioni decimæ tertiæ tribuitur, loco suo movendam. Potuerunt enim adesse causæ aliquæ nobis nunc incognitæ tardius mittendi libros illos.

II. *A decima tertia indictione epistolas septem amovemus.*

1. Sub indictione decima septimam, octavam, quadragesimam primam, quadragesimam tertiam reponimus. Sub indictione duodecima, quadragesimam ; quibus autem ad id rationibus coacti fuerimus jam dictum est. Sub indictione decima quarta quinquagesimam sextam et quinquagesimam septimam ; rationes vero mutationis factæ aperiemus cum de epistolarum indictionis XIV ordine disserendum erit.

2. Præterea Gesta Romanæ synodi, quæ sub epistolæ nomine quadragesimo quarto loco erant posita, ad calcem mittimus.

III. *In decima tertia indictione epistolas undecim propriis locis restituimus.*

1. Idem de Saturnino expresbytero, de Jobino dia

cono et abbate, et de tribus subdiaconis lapsis habent epistolæ olim decima sexta et decima septima; quæ posterior, ex plerisque manuscriptis, data est mense Septembri. Utræque igitur præmittenda epistolæ olim quintæ, datæ mense Octobri, quæ Saturninum gravius puniendum statuit; quod *a sacerdotii ordine dejectus, ad explendum ministerium sacerdotii præsumpsisset accedere.*

2. Quæ ad Cyprianum diaconum scripta, olim erat decima nona, nunc decima septima, ad Cyprianum diaconum, in aliis editis sequitur epistolam scriptam mense Februario; post mensem Decembrem tamen scripta non videtur: ejusdem enim Cypriani epistolæ Maximiani obitum nuntianti respondet, quam mense Novembri suscepit Gregorius. Vide ipsam epist.

3. Epistolæ olim trigesimæ secundæ trigesimam quartam in eamdem rem scriptam jungimus: utrique vero præmittimus trigesimam octavam, quæ a trigesima nona disjungi non debet. Hæc trigesimæ secundæ ad Mauricium imperatorem verba: *Ego autem Dominorum jussionibus obedientiam præbens, prædicto consacerdoti meo et dulciter scripsi et humiliter, ut ab hac inanis gloriæ appetitione sese emendet admonui, ad epistolam*, etc.; et hæc, inquam, trigesimam octavam spectant, in qua sic ad Joannem Gregorius: *Ante... ut a tali se præsumptione fraternitas vestra compesceret, non equidem scripto, sed nudo sermone curavi; et quia resecanda vulnera prius leni manu palpanda sunt: rogo, deprecor, et quanta possum dulcedine exposco*, etc. Data est Kal. Januarii hæc trigesima octava, nunc decima octava epistola; aliis proinde multis mensibus Februario, Martio, Aprili, Maio datis, quibus in editis postponitur, est anteponenda.

4. Quadragesimam septimam ad nobiles Syracusanos non multo post decimam nonam ad Cyprianum diaconum datam fere initio indictionis suadet utriusque lectio. Hanc ideo epistolis mense Februario datis anteponimus.

5. Vigesimam tertiam die decima tertia Februarii datam, decimæ octavæ die decimo octavo Februarii datæ præmittimus. Eulogium et Anastasium patriarchas rogat Gregorius in epistola trigesima sexta, ut Joannis Constantinopolitani superbiam junctis animis insequantur. Idem a Gregorio Antiocheno non petit; quod nempe jam demortuus, Antiochenam sedem occupare desiisset. Porro Anastasio prius de sua in Antiochenam sedem restitutione post illius Gregorii obitum, gratulatus est sanctus Gregorius, quam ipsum adversus Joannis Constantinopolitani superbiam sollicitaret. Igitur trigesimam sextam præcedat illa trigesima septima de Anastasii reditu et redintegratione gratulatoria.

6. Quinquagesimam septimam Joanni, Corinthiorum episcopo, datam mense Augusto, quinquagesimæ præmittendam duximus, tum quod in Norm. mss. præcedat, tum quod hæc quinquagesima ejusdem mensis duodecimo die scripta, a quinquagesima secunda et quinquagesima tertia eodem duodecimo die datis atque in eadem negotia scriptis nullatenus sit separanda.

## LIBER VI. INDICTIONE XIV.

I. *Decimæ quartæ indictioni tres epistolas reddimus.*

1. Ex decima tertia indictione quinquagesimam septimam, nunc hujus libri quinquagesimam primam. Non enim prius scriptam esse quam cum Augustinus in Galliam ad socios reversurus Roma proficisceretur, patet legenti. Jungenda igitur indictionis decimæ quartæ epistolis quas per Augustinum tum in Gallias, tum in Angliam misit sanctus Gregorius.

2. Ex libro olim IX, quarta indictione, septuagesimam tertiam, nunc sexagesimam secundam ejusdem libri sexti. Brundusinæ Ecclesiæ institutus fuerat visitator Petrus, episcopus Hydruntinus, indictione decima quarta, epistola vigesima prima. Defuncto quovis episcopo, ut alius in demortui locum quantocius eligeretur, instare solebat sanctus Gregorius. Non ergo Brundusinam Ecclesiam in Romana provincia positam, proprio pastore, per quinque annos carere passus est. Data est igitur hæc epistola, non indictione quarta ut in editis, sed indictione decima quarta mense Augusto.

3. Ex libro olim VII, secunda indictione, septuagesimam septimam, nunc trigesimam quartam libri sexti. Nam, ut ait Gussanvillæus, antecedere debuit epistolam trigesimam tertiam, nunc sexagesimam primam indictionis decimæ quartæ, *quæ rei totius est consummatio*; scilicet, disceptationis de diebus solemnibus quibus pallium gestare consuevisset episcopus Ravennas. Id sane attentius utramque legenti statim patebit. Fatemur tamen epistolam hanc olim septuagesimam septimam indictionis secundæ, hoc loco in manuscriptis reperiri; eamque Joannem Diaconum in illa indictione legisse, ut patet ex lib. IV Vitæ c. 7. Sed inverso ordine plurimas epistolas in Registro collectas, maxime a libro septimo indict. secundæ, nunc autem libro nono usque ad finem nemini attendenti dubium esse potest.

II. *A decima quarta indictione epistolam quadragesimam quartam removemus.*

Eadem est enim cum quadragesima nona secundæ indictionis quam sub undecima indictione reponimus.

III. *In decima quarta indictione Epistolas duas ad propria loca revocamus.*

1. Decima Candido Roma in Gallias proficiscenti data est quasi commonitorium: jungenda ergo quintæ et sextæ quas detulit idem Candidus.

2. Quadragesimam octavam vigesimæ sextæ subjungimus, tum quod hujus initium et illius media pars iisdem fere verbis exprimantur, tum quod in eamdem rem utraque scripta sit, tum denique quod in manuscriptis codicibus utraque sit data mense Martio, indictione decima quarta.

## LIBER VII. INDICTIONE XV.

I. *Decimæ quintæ indictioni epistolas quatuor reddimus.*

1. Ex secunda indictione quinquagesimam, quinquagesimam primam, quiquagesimam secundam. Ex quinquagesima secundæ indictionis epistola Castorius Romæ degens, *quadriennio exspectatus est, ut si de capitis qua detinebatur molestia melioratum se sentiret, ad suam reverteretur Ecclesiam.* Atqui jam undecima indictione Romæ detinebatur (vide epistolam vigesimam quartam ad Leontium, episcopum Urbinatem, et vigesimam quintam ad cives Ariminenses). Restituenda igitur decimæ quintæ indictioni Epistola olim secundæ indictionis quinquagesima, ut pote quatuor ab indict. XI elapsis annis scripta: restituendæ etiam quinquagesima prima et quinquagesima secunda, datæ mense Maio, quas in eamdem rem et eodem tempore quo quinquagesima scriptas apertum est.

2. Ex quarta indictione septuagesimam secundam, nunc quadragesimam quintam hujus libri. Non paucis mensibus ante decimam nonam ad Marinianum, Ravenn. Episcopum, nunc decimam sextam primæ indictionis fuisse datam suadet utriusque lectio. Ergo non alteri debetur indictioni quam antecedenti XV.

II. *A decima quinta indictione nullam removemus epistolam. Nullam quoque intra eamdem indictionem transponendam censemus.*

## LIBER VIII. INDICTIONE I.

I. *Primæ indictioni Epistolas tres reddimus.*

1. Ex libro olim XII, septima indictione, vigesimam quintam; et ex quinta indictione vigesimam, nunc decimam septimam et decimam nonam libri hujus octavi. Utraque non multo post Cypriani diaconi e

Sicilia reditum data est : igitur indictione prima. Reverso enim Romam Cypriano, missus est sub secundæ indictionis initium, ad Syracusanum patrimonium regendum, Romanus defensor. Vide indictionis secundæ epistolam olim decimam septimam, nunc decimam octavam et sequentes quatuor.

2. Ex quarta indictione decimam quintam, nunc trigesimam secundam ejusdem libri octavi Syracusanum patrimonium regere desierat Cyprianus circa primæ indictionis medium, ut jam observatum est. Alexandrum hunc querelam de mercede a Cypriano non reddita ad quartam indictionem distulisse non putamus. Hanc proinde epistolam sub indictionis primæ finem ponimus.

II. *A prima indictione epistolas duas amovemus.*

Primam quam indictioni duodecimæ, et quintam, quam secundæ indictioni reddimus. Causam rationemque prioris amovendæ protulimus, de ornanda indictione XII disserendo : posterioris vero exhibebimus, dum agetur de indict. II.

III. *Hac in indictione duas tantum epistolas debito ordini restituimus.*

1. In prima indictione undecimam olim epistolam ad Eusebium et universos episcopos Siciliæ ordine præpostero dispositam putat Gussanvillæus. Ita quoque visum est eminentiss. card. Baronio ad annum 593, num. 20, 21, 22, atque illustrissimo Petro de Marca *de Concordia Sacerdotii et Imperii*, lib. II, cap. 11, pag. 90 : scilicet hanc epistolam tunc scriptam volunt cum imperatoris edictum in provincias omnes misit S. Gregorius. At 1° huic epistolæ in mss. ista, non alia, apponitur temporis indicatio : *mense Dec. ind.* I, cum tamen imperatoriam legem undecima indictione data suadeat epistola olim sexagesima secunda, nunc sexagesima quinta ejusdem indict. ad Mauricium imperatorem. 2° Epistolam sexagesimam secundam nunc sexagesimam quintam legenti certum erit illam a S. Gregorio, ubi primum per corporis ægritudinem licuit, fuisse scriptam, ut suscepti edicti (quod tamen jam ad episcopos omnes miserat) injustitiam suggereret : *Ego quidem jussioni subjectus*, inquit, *eamdem legem per diversas terrarum partes transmitti feci ; et quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nuntiavi.* 3° Quisquis undecimam ipsam indictionis primæ epistolam attento animo legerit, illam multo post Mauricii edictum tempore datam fatebitur. Non placuerat Mauricio sancti Gregorii censura, quam in sexagesima quinta, olim sexagesima secunda, undecimæ indictionis epistola habemus. Exacerbatum igitur suis monitis principem leniendum habuit sapientissimus pontifex. Commotam illius bilem placavit, curante forsan Theodoro medico, ad quem epist. olim sexagesima quinta, nunc sexagesima sexta ; resque ipsa sic tandem composita est, ut, tum milites, tum hi qui sæculi actionibus erant implicati, in monasteriis quidem susciperentur, at nonnisi certis conditionibus. *Si quis publicis administrationibus fuerit implicatus*, inquiebat Gregorius epistola ad Mauricium imperatorem, olim sexagesima secunda undecimæ indictionis, nunc sexagesima quinta, *rationes ejus possunt per monasterium fieri ; et agi potest ut ab eo loco in quo suscipitur, ejus quoque debita solvantur.* Jam vero in hac olim undecima, nunc quinta primæ indictionis, ad episcopos hoc modo scribit : *Hi qui sæculi actionibus implicati sunt..... si..... monasterium petunt, suscipiendi nullo modo, nisi prius a rationibus publicis fuerint absoluti. Si qui vero ex militaribus numeris in monasteriis converti festinant, non sunt tamen suscipiendi, nisi eorum vita fuerit subtiliter inquisita ; et juxta normam regularem debent in suo habitu per triennium probari, et tunc monachicum habitum, Deo auctore* **suscipere**..... *Qua de re etiam serenissimus et Christianissimus imperator, mihi credite,* A *omnino placatur.* Hæc vero, de qua mox disseruimus, epistola olim 11 indict. I, scripta est mense Decembri ; præmittenda igitur epistolæ olim nonæ, nunc octavæ ad Vitalianum episcopum quam mense Februario datam legimus : subjungenda vero epistolæ olim sextæ, nunc quartæ ad Venantium, quæ mense Novembri data est.

2. Decima quinta in mss. data mense Julio : decima sexta vero mense Martio. Huic igitur illa postponi debet, atque cum epistolis mense Julio datis ordinari.

## LIBER IX. INDICTIONE II.

I. *Secundæ indictioni epistolas septem reddimus.*

1. Ex sexta indictione quinquagesimam tertiam, de excommunicandis Januarii, Calaritani episcopi, consiliariis, quam hujus secundæ indictionis epistolæ primæ idem jubenti subjungimus.

2. Ex lib. ultimo septima indictione undecimam, nunc hujus libri quadragesimam primam. Agit enim B de inquisitione in Maximum Salonitanum, cujus negotium secunda indictione prorsus finitum ostendit indictionis secundæ epistola olim centesima trigesima, nunc centesima vigesima quinta.

3. Ex prima indictione quintam, nunc libri hujus noni undecimam, quæ in plerisque manuscriptis indictionem non habet annotatam. In Colbert. veteri quidem et apud Gussanvillæum legitur : *mense Octobri, indict.* I. Datam tamen censemus indictione secunda : Augustinus enim circa epistolæ medium episcopus appellatur, quem tamen non ante XVI Kal. Dec., indictione prima, anno 597, ordinatum testatur auctor Historiæ Fundationis Monasterii sancti Augustini Cantuariensis Thomas Sprottus ejusdem cœnobii monachus. Porro si hæc epistola, quinta sit primæ indictionis, scripta fuit fere statim post inchoatam indict. hoc est mense Septembri, aut Octobri, proindeque antequam Augustinus esset episcopus. Est itaque ad indict. sequentem amandanda. Præterea C scripta est reverso Romam Joanne Regionario, ut ex ipsa intelligitur. Idem habet temporis indicium epistola olim centesima decima septima, nunc centesima decima indictionis secundæ ad Desiderium episcopum, quæ meminit etiam reditus Joannis ; ex quo iterum suadetur non indictione prima, sed secunda, datam hanc ad Brunichildem epistolam : si enim scripta fuit ineunte ind. I, Joannes jam indict. XV redierat Romam, et ad sanctum Gregorium epistolam Desiderii detulerat. Sed verisimile non est Gregorium Desiderio, Viennensi episcopo, nonnisi post duos annos fere elapsos respondisse scilicet ind. II. Diuturnum certe silentium excusasset, ut solebat, vel ex infirmitate, vel ex negotiis, urbanissimus pontifex.

4. Ex sexta indictione trigesimam secundam et trigesimam tertiam, nunc ejusdem libri noni quinquagesimam et quinquagesimam primam. Cumanam et Misenatem Ecclesias unierat sanctus Gregorius indictione decima ex epistola olim trigesima prima, nunc quadragesima quinta. Quod vero Benenatus D Cumarum et Miseni episcopus diem obierit indictione secunda, discimus ex epistolis olim vigesima quinta, vigesima sexta et quinquagesima tertia, nunc vero septuagesima quinta, septuagesima sexta, septuagesima septima, datis mense Julio, indictione secunda. Igitur trigesima secunda sextæ indictionis epistola, quæ Benenatum adhuc in vivis positum ; et trigesima tertia, quæ ipsum nuper defunctum supponit, secundæ indictioni sunt restituendæ.

5. Ex quinta indictione quadragesimam septimam, nunc libri noni sexagesimam secundam, qua Romanum defensorem recens in Sicilia degentem innuit, quo sub secundæ indictionis initium missus est.

6. Post epistolam olim tricesimam nonam, nunc quinquagesimam nonam secundæ indictionis datam mense Junio, ponenda Recharedi regis ad sanctum Gregorium epistola, quam hoc ordine dispositam in vetustissimo codice reperit vir clarissimus Stephanus

Baluzius, atque in publicam lucem dedit. Huic Recharedi epistolæ respondet sanctus Gregorius infra epistola olim centesima vigesima septima, nunc vigesima secunda supra centesimam.

II. *A secunda indictione epistolas decem amovemus.*

Scilicet quadragesimam nonam et septuagesimam sextam undecimæ indictioni reddimus; quartam, nonagesimam quartam, et nonagesimam quintam indictioni decimæ tertiæ: septuagesimam septimam quartæ indictioni; indictioni decimæ quintæ quinquagesimam, quinquagesimam primam, quinquagesimam secundam; tertiæ indictioni sextam et quinquagesimam quintam. Porro mutationis factæ aut jam prolatæ rationes, aut infra dabuntur, cum de sequentibus libris disseremus.

III. *In secunda indictione epistolas novem propriis locis restituimus.*

1. Quinquagesimæ tertiæ epistolæ ad Vitalem Sardiniæ defensorem in secundum indictionis hujus B locum revocatæ quinquagesimam sextam sociamus, quod utramque redemptus detulerit. Centesimam secundam centesimæ primæ, utramque quadragesimæ tertiæ et quadragesimæ quartæ in eamdem rem scriptis anteponendam certum erit legenti. In Colb. veteri centesimæ primæ subjicitur: *mense Octob. indict.* II.

2. Decimam sextam sequentibus sex postponimus, quod in his de Romani defensoris in Syracusani patrimonii rectorem institutione agatur: in illa vero ipse Romanus patrimonium jam regens, de illustris feminæ testamento jubeatur exquirere. Illis septem præmittenda sexagesima quarta ad Joannem episcopum Syracusanum, si manuscripti Telleriani primi habeatur ratio, in quo data legitur mense Octobri.

3. Sexagesimam quintam sexagesimæ secundæ in eamdem rem non scriptæ jungimus.

4. Trigesimam nonam ex duobus Tellerianis codicibus mense Junio datam, medio circiter loco quinC quagesimam primam inter, mense Maio, et septuagesimam sextam mense Julio ponimus.

5. Vigesimam quintam et vigesimam sextam in duobus Tellerianis codicibus mense Julio datas, epistolæ olim quinquagesimæ tertiæ, nunc septuagesimæ septimæ, eodem mense datæ, atque etiam de Misenatis et Cumani episcopi electione monenti adjungimus.

## LIBER X. INDICTIONE III.

I. *Tertiæ indictioni epistolas sex reddimus.*

1. Ex sexta indictione decimam septimam et decimam octavam, nunc decimam sextam et decimam septimam libri hujus decimi. In manuscriptis quippe duobus Tellerianis data est decima octava, mense Februario, indictione tertia; et a decima septima in eamdem rem scripta separari non potest: utraque vero sextæ indictionis epistolas olim decimam nonam et decimam sextam male disjungebat.

2. Ex quinta indictione nonam, nunc ejusdem libri D decimi trigesimam Castorio notario. Etenim post secundam indictionem nulla Castorii occurrit mentio præter quam hac in epistola. Jam quarta indictione ipsi successerat Joannes subdiaconus. Vide ind. quartæ epistolam olim vigesimam tertiam, nunc vigesimam sextam.

3. Ex secunda indictione sextam, nunc libri hujus quadragesimam secundam. In duobus enim Tellerianis codicibus data est mense Julio, indictione tertia.

4. Ex secunda indictione quinquagesimam quintam. Eodem tempore scriptam eam fuisse quo indictionis hujus quinquagesimæ, utramque legenti non erit obscurum. Hæc vero cum a quinquagesima quarta et sequentibus pro Gregorio expræfecto datis longe distare non debeat, quinquagesimam quintam indictionis secundæ epistolam huc revocamus, et quinquagesimæ præmittimus.

5. Ex quinta indictione decimam quartam, nunc A libri hujus sexagesimam octavam; quæ si cum decima tertia libri olim X, indict. V, conferatur, uno aut altero anno anterior videbitur.

II. *Ab indictione tertia epistolas tres amovemus.*

Scilicet secundam, quadragesimam quintam, et sexagesimam quintam: priorem decimæ tertiæ indictioni, duas posteriores quartæ restituimus; qua ratione aut jam dictum, aut mox in expendenda indict. IV dicendum.

III. *In tertia indictione epistolas quinque ad debitum ordinem revocamus.*

1. Vigesimam quintam et vigesimam sextam mense Julio datas, tum vigesimæ septimæ mense Maio, tum trigesimæ tertiæ mense Junio scriptis postponimus.

2. Trigesimam nonam, quadragesimam, quadragesimam primam mense Augusto datas sub indictionis finem ponimus.

## LIBER XI. INDICTIONE IV.

I. *Quartæ indictioni epistolas septem reddimus.*

1. Ex septima indictione decimam sextam, quæ nunc est prima libri undecimi. In Colb. veteri et in Vatic. aliisque mss. data est Kal. Sept. ind. IV et quidem in hac ut in quadragesima quinta olim tertiæ indictionis epistola Kalendis quoque Septembris data, Simplicius nuper ex Arabia Romam advenisse innuitur.

2. Ex tertia indictione quadragesimam quintam, nunc hujus libri secundam. In Collectione Pauli Diaconi data legitur Kal. Sept. ind. IV. In uno Colb. et in Vatic. mense Sept. indict. IV.

3. Ex tertia indictione sexagesimam quintam, et ultimam, nunc hujus libri undecimi quartam. Data est mortuo Constantio Mediolanensi episcopo, quem die tertia mensis Septembris, hoc est incipiente indictione obiisse legimus in episcoporum Mediolanensium indice. Vide Musei Italici tom. I, pag. 111. Non debuit itaque rejici ad calcem indictionis hæc epiC stola, quæ recentem sancti Gregorii de Constantii morte dolorem testatur. Scriptam enim esse elapso a Constantii obitu anno fere integro quis credat? Conjicimus ergo Constantium diem obiisse supremum 3 Septembris indictionis quartæ, et paulo post papam ad clerum et populum Mediolanensem scripsisse epistolam de cujus ætate inquirimus.

4. Ex septima indictione decimam septimam, nunc libri ejusdem undecimi decimam quartam. In Colb. vet. data est Kal. Nov. ind. IV. Hæc verba (*Candido renuntiante comperimus*) Candidum e Gallia Romam perrexisse innuunt, quem revera Romam quarta hac indictione advenisse testatur sanctus Gregorius, epistola quartæ indictionis olim quadragesima octava, nunc quinquagesima quarta ad Desiderium, Viennensem episcopum, *et quamvis..... Candidus presbyter postmodum veniens*, etc. Hanc vero ad Desiderium epistolam indictione quarta fuisse datam negari non potest; cum in ipsa monachi ad Augustinum in AnD gliam missi commendentur. Sequentes vero epistolas octo in eamdem rem quarta indictione fuisse scriptas ostendemus infra.

5. Ex sexta indictione trigesimam quartam, nunc libri hujus quadragesimam. Distabat nimis a vigesima octava indictionis quartæ; scriptaque videtur mense Martio. S. Gregorio Marinianum a vigiliis, et jejuniis ob sanguinis vomitum dehortanti, quadragesimalis jejunii legem objecerat Marinianus, suamque non adeo gravem esse infirmitatem asseruerat.

6. Ex septima indictione trigesimam primam et decimam quintam, nunc ejusdem Libri undecimi sexagesimam quartam et sexagesimam quintam. Vide infra de amovendis a quarta indictione Epistolis.

II. *A quarta indictione epistolas tres amovemus.*

1. Videlicet septuagesimam tertiam, quam indictioni decimæ quartæ restituimus; septuagesimam

secundam indictioni decimæ quintæ; decimam quintam indictioni primæ.

2. Præterea testandi facultatem Probo abbati concessam, quæ vigesimum secundum inter indictionis hujus epistolas locum obtinebat, ad Epistolarum calcem mittimus.

3. Epistolam quadragesimam octavam aliasve quatuordecim, nempe quadragesimam nonam, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56, 57, 58, 59, 60, 63, 64, 71, necnon indictionis VII decimam quintam et trigesimam primam, etsi quarta indictione datas consentiamus, non tamen dissimulanda sunt quæ nos ad aliud sentiendum et ad expungendas ex indictione IV Epistolas illas movebant argumenta: agitur enim tum de Epistolarum septemdecim chronologia, tum de variis Bedæ capitibus invicem atque cum Gregorio ipso conciliandis.

4. Indictione prima Epistola trigesima ad Eulogium Alexandrinum hæc scribit S. Gregorius: *In solemnitate Dominicæ Nativitatis, quæ hac prima indictione transacta est, plusquam decem millia Angli ab eodem nuntiati sunt Augustino fratre et coepiscopo nostro baptizati.* Jam igitur indictione prima ante Domini Natalem episcopus erat Augustinus; ac proinde Laurentium et Petrum nuntios ab Augustino Romam missos jam indictione prima Gregorius susceperat. Etenim ex Beda lib. I Historiæ, c. 27. *Augustinus ab Arelatensi episcopo ordinatus episcopus, reversusque in Britanniam, misit continuo Romam Laurentium presbyterum et Petrum monachum, qui beato pontifici Gregorio gentem Anglorum fidem Christi suscepisse, ac se episcopum factum esse referrent: simul et de his quæ necessariæ videbantur quæstionibus ejus consulta flagitans; nec mora, congrua quæsitis responsa recepit.* Igitur indictionis septimæ epistola olim trigesima prima, qua interroganti Augustino respondet Gregorius, ad primæ indictionis finem, aut ad initium secundæ videtur revocanda.

5. Illic etiam revocandæ essent ex quarta indictione epistola olim sexagesima tertia ad Virgilium, et sexagesima quarta ad Brunichildem: hanc enim illa supponit, illius vero meminit S. Gregorius in responsione ad septimum Augustini quæsitum.

6. Deinde ex eodem Beda lib. I Historiæ cap. 29. *Gregorius Augustino episcopo (quia suggesserat ei multam quidem ibi esse messem, sed operarios paucos) misit cum præfatis legatariis suis* (Laurentio presbytero et Petro monacho, de quibus cap. 27) *plures cooperatores ac verbi ministros in quibus præcipui erant Mellitus*, etc. Quis credat Gregorium Magnum ad Anglorum conversionem certe promptissimum, postulatos indictione prima ab Augustino, non ante quartam indictionem misisse? Igitur Mellitus cum sociis atque Augustini legatis sub indictionis primæ finem, aut sub initium secundæ, Roma profectus videtur; ac proinde loco movendæ essent novem Gregorii epistolæ, scilicet quadragesima octava indictionis quartæ cum sequentibus octo: in his enim Mellitus ad Augustinum pergens, Galliæ principibus ac prælatis commendatur. Movenda quoque esset septuagesima prima paucis post Melliti discessum diebus scripta.

7. Denique ex Beda lib. I Hist. cap. 29: *Misit* (Gregorius) *per præfatos legatarios et Mellitum, litteras in quibus significat se ei* (Augustino) *pallium direxisse..... Quo in tempore* (cap. 5) *misit etiam Augustino epistolam super miraculis quæ per eum facta esse cognoscebat.* Et cap. 32. *Misit..... Gregorius eodem tempore etiam regi Edilberto epistolam* simul et dona. Igitur ad primam quoque indictionem revocandæ videntur epistolæ illæ quatuor, scilicet, indictionis septimæ decima quinta ad Augustinum, indictionis quartæ quinquagesima octava ad eumdem, sexagesima ad Edilberthum regem, et quinquagesima nona ad Bertham reginam; hanc enim epistolam detulit Mellitus.

8. Verum nec angustis adeo temporum spatiis coercendam Laurentii legationem, nec ipsum quo utitur Beda narrandi modum ita pressius et ad verbum interpretandum esse alia persuadent argumenta: 1° Beda ipse lib. I Histor. cap. 29 et 32, quas Gregorius ad Augustinum episcopum et Edilberthum regem litteras per Mellitum ac socios misit, easdem testatur datas X Kal. Julii, ind. IV. 2° Ex Beda ipso lib. V Histor. cap. 25: *Anno* 601 (qui annus cum indictione IV currebat) *misit papa Gregorius pallium in Britanniam Augustino jam facto episcopo, et plures verbi ministros.* 3° Ipsas Gregorii epistolas legenti patet centesimam decimam indictionis secundæ epistolam ante quartæ indictionis nonam ad Serenum, necnon ante quadragesimam nonam ad Virgilium scriptam fuisse; atqui in quadragesima nona illa Mellitus cum sociis in Angliam pergens commendatur. Indictionis item secundæ epistola centesima duodecima ad Arigium, ante quinquagesimam primam indictionis quartæ ad eumdem scripta est, ut legenti constabit: in hac vero Mellitus cum sociis commendatur. Denique si conferatur epistola centesima quinta indictionis secundæ ad Theodericum ac Theodebertum reges cum epistola olim quinquagesima tertia et quinquagesima quarta indictionis quartæ ad eosdem; has post illam datas fuisse certum erit.

III. *In quarta indictione epistolas tres ad propria loca revocamus.*

1. Vigesimam primam ind. IV, juxta pristinum ordinem, nunc tertiam ind. IV, eodem prorsus tempore datam fuisse, ac sexagesimam quintam olim tertiæ indictionis quæ nunc IV indictionis est quarta, patet eas legenti. Quænam autem loco mota fuerit, docebit Mediolanensium episcoporum index a Mabillonio editus, tom. I Musei Italici pag. 109 et seqq., modo indici huic major quoad obitus mensem ac diem possit adhiberi fides, quam in annorum numero, quo quisque episcopus sedit. Igitur juxta illum indicem, *Deusdedit, episcopus, sedit annos* XXVIII, *mens. unum, dies* XIV. *Obiit* III *Kal. Nov.* Ordinatus ergo fuit XVI Kal. Octob. Atqui Constantii decessoris obitum diei tertiæ mens. Sept. assignat idem catalogus. Mense ergo Sept. scriptam esse conjicimus, tum hanc ad Pantaleonem, tum alteram ad Mediolanenses de Constantii successore ordinando epistolam. Porro non annis XVIII ut habet præfatus index, sed annis VIII sedit Constantius, cum ex epistolis vigesima sexta et vigesima nona indictionis undecimæ certissimum sit anno 595, Gregorio Magno jam pontifice, electum fuisse Constantium.

2. Synodali judicio, quod sub epistolæ nomine vigesimum secundum locum occupabat, et nunc ad calcem est rejectum, apposuerat Gussanvillæus: *Dat. m. Nov. ind.* IV; verum in ipso contextu notat Paterius, *Dat.* III *Non. Octob.* Igitur ad sequentem epistolam olim vigesimam tertiam, nunc vigesimam sextam pertinet hæc nota temporis, quæ in Colbert. vet. ipsi præmittitur; atque etiam in duobus Colb. epistolæ olim vigesimæ quartæ præfigitur: *mens. Dec. ind.* IV; quod vigesimæ tertiæ subjecit Gussanvillæus. Igitur vigesimæ quintæ, nunc trigesimæ præmittendum erit: *Datum mense Januari indictione* IV; quod vigesimæ quartæ, nunc vigesimæ septimæ tribuit idem editor.

3. In sexagesima secunda Candidus Roma ultimo rediens Arigio commendatur, ut supra in epistola ad Asclepiodotum, data Kal. Nov., quam sub septima indictione olim decimam septimam huic indictioni reddimus. Ergo epistolis mense Novembri datis jungenda est quæ erat sexagesima secunda.

4. Quinquagesima octava in collectione Pauli Diaconi data est pridie Kal. Januarii. Eodem tempore scriptam censemus quinquagesimam nonam, quæ Anglorum regem nondum ad fidem conversum innuit. Ambas vigesimæ quintæ mense Januario datæ præmittimus.

### LIBER XII. INDICTIONE V.

I. *Quintæ indictioni unam epistolam reddimus.*

Ex septima indictione vigesimam nonam, quæ nunc est libri hujus duodecimi quadragesima nona. Romano in Syracusanis partibus rectori successit indictione sexta Hadrianus, antea Panormi notarius. Vide ind. VI, Epist. olim 23 et 25, nunc 19 et 21. Ergo tardius scribi non potuit epistola hæc ad Romanum adhuc Syracusis agentem et patrimonium Ecclesiæ curantem, quam in fine indict. V.

II. *A quinta indictione epistolas quinque amovemus.*

Nimirum quadragesimam quartam, quæ ad nonam indictionem seu librum I revocatur; vigesimam, ad primam indictionem; quadragesimam septimam, ad secundam indictionem; nonam et decimam quartam, ad indictionem tertiam. Vide locis indicatis rationes cur fuerint loco motæ.

III. *In quinta indictione epistolas tres propriis locis restituimus.*

1. Decimam septimam præmittimus decimæ sextæ, quam decimæ octavæ jungendam suadet, tum idem utriusque portitor, tum eadem subjecta materies.

2. Vigesima secunda in duobus Colbert. codicibus mense Januario data legitur. Illam proinde vigesimæ quartæ tribusve sequentibus in eamdem rem mense Dec. ac Januario datis postponimus.

3. Trigesimam quartam subdimus trigesimæ quintæ, quod in huius contextu illa huic legatur subdita.

### LIBER XIII. INDICTIONE VI.

I. *Sextæ indictioni nullam reddimus epistolam. Amovemus tredecim.*

1. Prima, non est epistola, sed fragmentum quoddam de Phoca coronato ad calcem a nobis rejectum, n. 12.

2. Secundam seu potius sermonem prius a S. Gregorio habitum quam esset pontifex, homiliis accensemus.

3. Trigesimam secundam, trigesimam tertiam, et quinquagesimam tertiam secundæ indictioni reddimus. Tertiæ indictioni decimam septimam et decimam octavam; quartæ indictioni trigesimam quartam ob rationes jam prolatas; septimæ indictioni quinquagesimam octavam et quatuor sequentes, quia in mss. Norm. Vaticanis et plerisque pertinent ad indictionem septimam, ubi priores collocantur.

II. *In sexta indictione epistolas quatuor ad propria loca revocamus.*

| XLIX. | 43. Urbico abbati. |
| L. | 44. Hadriano notario Panormitano. |
| LI. | 45. Universis Episcopis Siciliæ. |
| LII. | 46. Dono episcopo Messanensi. |
| LIII. | 47. Hadriano notario. |
| LIV. | 48. Desiderio episcopo Galliæ. |
| LV. | 49. Virgilio episcopo Arelatensi. |
| LVI. | 50. Ætherio episcopo Galliæ. |
| LVII. | 51. Arigio episcopo Galliæ. |
| LVIII. | 52. Mennæ Telonæ, Sereno, etc. |
| LIX. | 53. Theoderico regi Francorum. |
| LX. | 54. Theodeberto regi Francorum. |
| LXI. | 55. Clothario regi Francorum. |
| LXII. | 56. Brunichildæ reginæ Francorum. |
| LXIII. | 57. Brunichildæ reginæ Francorum. |
| LXIV. | 31. Augustino episc. Anglorum. *Ind.* VII. |
| LXV. | 15. Augustino episc. *Ind.* VII. |
| LXVI. | 60. Edilberto regi Anglorum. |
| LXVII. | 61. Quirico episcopo, et cæteris episcopis in Hiberia catholicis. |
| LXVIII. | 63. Virgilio episcopo Arelatensi. |
| LXIX. | 64. Brunichildæ reginæ. |
| LXX. | 65. Candido defensori. |
| LXXI. | 66. Anthemio subdiacono. |
| LXXII. | 67. Agapito abbati. |
| LXXIII. | 68. Mariniano abbati. |
| LXXIV. | 69. Eusebio episcopo Thessalonicensi. |
| LXXV. | 70. Aurelio ex Francis. |
| LXXVI. | 71. Mellito abbati. |
| LXXVII. | 74. Bonifacio defensori Corsicæ. |
| LXXVIII. | 75. Barbaræ et Antoninæ. |

*Liber XII. Indict. V.*

| | |
|---|---|
| I. | 1. Dominico episcopo Carthaginensi. |
| II. | 2. Anthemio subdiacono. |
| III. | 3. Anthemio subdiacono. |
| IV. | 4. Fantino defensori. |
| V. | 5. Mariniano episcopo Ravennæ. |
| VI. | 6. Theodoro curatori. |
| VII. | 7. Sibinellæ, Columbæ, etc. |
| VIII. | 8. Columbo episcopo Numidiæ. |

| *Ordo restitutus.* | *Ordo antea vulgatus.* |
|---|---|
| IX. | 10. Anthemio subdiacono. |
| X. | 11. Fantino defensori. |
| XI. | 12. Passivo episcopo Firmano. |
| XII. | 13. Passivo episcopo Firmano. |
| XIII. | 15. Fantino defensori. |
| XIV. | 17. Azimarcho scriboni. |
| XV. | 16. Romano defensori. |
| XVI. | 18. Azimarcho scriboni. |
| XVII. | 19. Maurilioni expræfecto. |
| XVIII. | 21. Eupaterio duci Sardiniæ. |
| XIX. | 23. Maurentio magistro militum. |
| XX. | 24. Maurentio. |
| XXI. | 25. Arogi duci. |
| XXII. | 26. Gregorio expræfecto. |
| XXIII. | 27. Stephano episcopo. |
| XXIV. | 22. Joanni subdiacono Ravennæ. |
| XXV. | 28. Romano defensori. |
| XXVI. | 29. Maurentio magistro militum. |
| XXVII. | 30. Quertino expræfecto. |
| XXVIII. | 32. Columbo episcopo Numidiæ. |
| XXIX. | 33. Victori primati Numidiæ. |
| XXX. | 35. Constantio episcopo Scodritano. |
| XXXI. | 34. Joanni episcopo primæ Justinianæ. |
| XXXII. | 36. Universis Episc. concilii Byzaceni. |
| XXXIII. | 37. Firmino episcopo Istriæ. |
| XXXIV. | 38. Ciridano. |
| XXXV. | 39. Desiderio episcopo in Galliis. |
| XXXVI. | 40. Bonito defensori. |
| XXXVII. | 41. Anthemio et Savino subdiaconis. |
| XXXVIII. | 42. Deusdedit episcopo Mediolanensi. |
| XXXIX. | 43. Fantino defensori. |
| XL. | 45. Venantio patricio Panormitano. |
| XLI. | 46. Pantaleoni notario. |
| XLII. | 48. Romano defensori. |
| XLIII. | 49. Joanni episcopo Syracusano. |
| XLIV. | 50. Anthemio subdiacono. |
| XLV. | 51. Eugenio diacono. |
| XLVI. | 52. Felici episcopo Portuensi. |
| XLVII. | 53. Venantio episcopo Perusino. |
| XLVIII. | 54. Lucido episcopo Leontino. |
| XLIX. | 29. Romano defensori. *Indict.* VII. |
| L. | 55. Eulogio patriarchæ Alexandrino. |

*Liber XIII. Indict. VI.*

| | |
|---|---|
| I. | 3. Romanis civibus. |
| II. | 4. Adeodato abbati Neapolitano. |
| III. | 5. Adeodato servo Dei. |
| IV. | 6. Januario episcopo Caralitano. |
| V. | 7. Ætherio episcopo. |
| VI. | 8. Brunichildæ reginæ. |
| VII. | 9. Theoderico regi. |
| VIII. | 10. Senatori presbytero et abbati. |
| IX. | 11. Talassiæ abbatissæ. |
| X. | 12. Luponi presbytero et abbati. |
| XI. | 13. Maximo episcopo Salonitano. |
| XII. | 15. Paschasio episcopo Neapolitano. |
| XIII. | 16. Barbaro episcopo Beneventano. |
| XIV. | 19. Clero, Ordini et Plebi Panormitano. |
| XV. | 14. Venantio patricio Panormitano. |
| XVI. | 20. Passivo episcopo Firmano. |
| XVII. | 21. Joanni subdiacono Ravennæ. |
| XVIII. | 22. Leoni, Secundino, etc., episc. Siciliæ. |
| XIX. | 23. Juliano. |
| XX. | 24. Honorio episcopo Tarentino. |
| XXI. | 25. Paschali et Consolantiæ. |
| XXII. | 26. Rusticianæ patriciæ. |
| XXIII. | 27. Bonifacio notario Corsicæ. |
| XXIV. | 29. Savino subdiacono regionario. |
| XXV. | 30. Savino subdiacono. |
| XXVI. | 31. Anthemio subdiacono. |
| XXVII. | 35. Anthemio. |
| XXVIII | 36. Joanni episcopo Syracusano. |
| XXIX. | 28. Philippo presbytero. |
| XXX. | 37. Deusdedit episcopo Mediolanensi. |
| XXXI. | 38. Phocæ Augusto. |
| XXXII. | 39. Eusebiæ patriciæ. |
| XXXIII. | 40. Zmaragdo patricio exarcho. |
| XXXIV. | 41. Pantaleoni notario. |
| XXXV. | 42. Catulo et Romano. |
| XXXVI. | 43. Chrysantho episcopo Spoletano. |
| XXXVII. | 44. Joanni episcopo Panormitano. |
| XXXVIII. | 45. Phocæ Augusto. |
| XXXIX. | 46. Leontiæ Augustæ. |
| XL. | 47. Cyriaco patriarchæ Constantinop. |
| XLI. | 48. Eulogio patriarchæ Alexandrino. |
| XLII. | 49. Eulogio patriarchæ Alexandrino. |
| XLIII. | 50. Joanni episcopo Panormitano. |
| XLIV. | 51. Joanni Panormitano. |
| XLV. | 52, 55 et 56. Joanni defensori. |
| XLVI. | 54. Joanni defensori. |
| XLVII. | 57. Theodoro curatori. |

*Liber XIV.*

| | |
|---|---|
| I. | 58. Paulo scholastico Siciliæ. *Ind.* VI. |
| II. | 59. Vitali defensori Sardiniæ. |
| III. | 60. Joanni episcopo Panormitano. |
| IV. | 61. Fantino defensori Panormitano. |
| V. | 62. Joanni episcopo Panormitano. |
| VI. | 1. Mariniano episc. Ravennæ. *Ind.* VII. |
| VII. | 2. Alcysoni episcopo Corcyræ. |
| VIII. | 3. Bonifacio defensori. |
| IX. | 4. Joanni episcopo Panormitano. |
| X. | 5. Guduino duci Neapolitano. |
| XI. | 6. Joanni episcopo. |
| XII. | 7. Theodelindæ reginæ. |
| XIII. | 8. Alcysoni episcopo Corcyræ. |
| XIV. | 9. Felici subdiacono. |
| XV. | 28. Anthemio subdiacono. |
| XVI. | *Felicis Messanensis episc. ad S. Gregorium* [*Hactenus inedita*]. |
| XVII. | 32. Felici episcopo Messanensi. |

*Epistolas* LXIII *propriis indictionibus reddidimus;* LII *intra propriam indictionem e suis locis motas ad illa revocavimus.*

*In summa epistolæ* CXV *antiquo, unde exciderant, ordini restitutæ. Quinque autem epistolis nondum in Registro editis illud auximus.*

# APPENDIX AD EPISTOLAS S. GREGORII.

I. Symbolum fidei.

II. De Laurentii archidiac. depositione. *Olim initio lib.* II *epist., ind.* X.

III. Charta de *Litania* majore. *Olim initio lib.* II *epist., ind.* X.

IV. Privilegium San-Medardense. *Al. epist. ultima lib.* XII, *ind.* VII.

V. Decreta sancti Gregorii papæ. *Al. epist.* 44 *lib.* IV, *indict.* XIII.

VI. Alia sancti Gregorii decreta. *Al. ad calcem lib.* XII, *indict.* VII.

VII. Concil. Rom. III, in quo privilegium monachis concessum. *Al. lib.* VII, *indict.* I, *epist.* 18, *fere integra.*

Concil. Rom. IV.

VIII. De causa Maximi. *Al. in exordio lib.* VII, *ind.* I.

IX. Testandi facultas Probo abbati concessa. *Al. epist.* 22 *lib.* IX, *indict.* IV.

X. Promissio cujusdam episcopi hæresim ejurantis. *Al. ep.* 31 *lib.* X, *indict.* V.

XI. Exemplum concessionis pallii. *Al. epist.* 56 *ejusdem libri.*

XII. De Phoca coronato. *Al. epist.* 1 *libri* XI, *ind.* VI.

XIII. Fragmenta epistolarum quas Gratianus sancto Gregorio tribuit.

# CATALOGUS EORUM

## Ad Quos scripsit S. Gregorius, et Qui ad eumdem scripserunt.

*Numeri respondent his qui in textu crassioribus notis repræsentati reperiuntur.*


Adeodatæ illustri, 1077, 1088.
Adeodato abbati Neapol., 1085, 1215.
Adeodato episcopo, primati provinciæ Numidiæ, 659, 903.
Adeodato servo Dei, 1216.
Adilberto regi Anglorum. *Vide* Edilbertho.
Agapito abbati, 1172.
Agathoni episcopo, 932.
Agilio episcopo, 1144.
Agilulpho regi Langobardorum, 759.
Agnellæ, 1185.
Agnello abbati Ariminensi, 856.
Agnello episc. Terracinensi, 497, 633, 862, 908, 947.
Albanensibus, 635.
Albino episcopo Formiensi, 947.
Alcyssono episc. Epiri, 796; Corcyræ, 1264, 1271.
Alexandro prætori Siciliæ, 1096.
Amandino domestico, 1081, 1083.
Amos episcopo Jerosolymitano, 899.
Anastasio episcopo Antiocheno, 494, 507, 516, 764, 707, 873, 882, 894.
Anastasio episcopo Antiocheno juniori, 962.
Anastasio archiepiscopo Corinthi, 517.
Anastasio presbytero, 879.
Anatolio diacono Constantinopolitano, 973, 982, 992, 1096, 1155.
Andreæ episcopo Nicopolitano, 898, 983.
Andreæ episcopo Tarentino, 656.
Andreæ et Theoctistæ. *Vide* Theoctistæ.
Andreæ illustri, 519.
Andreæ scholastico, 775, 776, 875, 952.
Anthemio subdiacono, 506, 528, 530, 544, 547, 549, 553, 554, 714, 808, 820, 822, 867, 950, 951, 955, 964, 989, 1053, 1072, 1084, 1103, 1104, 1171, 1182, 1186, 1206, 1210, 1235, 1236, 1274.
Antoninæ et Barbaræ, 1118, 1178.
Antonino subdiacono, 583, 632, 639.
Antonio subdiacono, 949.
Aregio *seu* Arigio patricio Galliæ, 833, 1024.
Arigio episcopo, 1011, 1102, 1142.
Ariminensibus, 519, 641, 865.
Aristobolo expræfecto et Antigrapho, 519.
Arogi duci, 1193.
Arsicino duci, 549.
Asclepiadoto patricio in Galliis, 1025, 1102.
Athanasio presbytero de Isauria, 842.
Augustino episcopo Anglorum, 1109, 1150, 1163.
Aureliæ, 885, 1175.
Ausinensibus, 996.
Azimarcho scriboni, 1085, 1189, 1190.
Bacaudæ episcopo Formiensi, 495, 497.
Balbino episcopo Rosellano, 500.
Barbaræ et Antoninæ, 1118, 1178.
Barbaro episcopo Beneventano, 1227.
Basilio, 775.
Benenato episcopo, visitatori Cumanæ Ecclesiæ, 587, 606; episcopo Tundaritano, 994; notario, 642.
Berthæ Anglorum reginæ, 1112.
Bonæ abbatissæ, 650.
Bonifacio viro magnifico Africæ, 722.
Bonifacio episcopo Regiensi, 626, 655, 684, 798, 1084.
Bonifacio defensori, 905, 976, 1177; notario Corsicæ, 1234; diacono, 1266.
Bonito defensori, 1206.
Brunichildæ reginæ Francorum, 794, 828, 835, 936, 1014, 1024, 1148, 1149, 1170, 1218.
Callinico exarcho, 935, 999.
Candido abbati monast. S. Andreæ ad clivum Scauri, 902.
Candido defensori, 707.
Candido episcopo de Urbe veteri, 573, 814.
Candido presbytero, 796, 868, 1171.
Capitulare legum imperialium, 1254.
Capreæ insulæ habitatoribus, 1000.
Capuanis, 758.
Castorio diacono, 755.
Castorio episcopo Ariminensi, 576, 602, 603.
Castorio notario, 753, 819, 837, 991, 1061.
Castorio, 638.
Catulo, Romano, et Vintharith, 1242.
Childebertho regi Francorum, 785, 795.
Chrysanto episcopo Spoletano, 674, 942, 954, 986, 1245.
Ciridano, 945, 1204.
Claudio abbati, 892.
Claudio in Hispaniis, 1026.
Clementinæ patriciæ, 498, 1051, 1052.
Clementio episcopo et primati Byzaceno, 693.
Clothario regi Francorum, 1147.
Colonis patrimonii Syracusani, 944.
Columbæ, 1185.
*S. Columbani ad sanctum Gregorium*, 1036.
Columbo episcopo Numidiæ, 611, 658, 715, 821, 845, 904, 915, 1186, 1198.
Conductoribus massarum per Galliam, 758.
Cononi abbati Lirinensi, 1098.
Consentinis, 1052.
Consolantiæ, 1232.
Constantinæ Augustæ, 708, 750, 768.
Constantino episcopo Narniensi, 987.
Constantio episcopo Mediolanensi, 681, 682, 683, 700, 719, 729, 860, 893, 953, 972, 985, 994, 1034, 1060.
Constantio episcopo Scodritano, 1201.
Corsicanis, 563.
Crotonensibus, 601.
Cypriano diacono, 670, 685, 695, 733, 740, 755, 759, 760, 761, 793, 801, 807, 825, 866, 889, 891.
Cyriaco episcopo Constantinopolitano, 847, 851, 878, 1246.
Cyriaco abbati, 727.
Datiano episcopo Metropolitano, 740.
Decio episcopo Lilybetano, 1089.
Decreta sancti Gregorii, *in Appendice*, 1288.
Defensoribus ecclesiastici patrimonii, 976.
Demetiano, 638.
Demetriano et Valeriano clericis Firmanis, 943.
Demetrio episcopo Epiri, 796.
Demetrio episcopo Neapolitano, 500.
Desiderio episcopo Viennensi, 851, 1006, 1019, 1139, 1205.
Deusdedit episcopo Mediolanensi, 1206, 1238.
Dometio abbati, 949.
Dominicæ uxori Joannis, 886.
Dominico episcopo Carthaginensi, 609, 731, 806, 839, 884, 920, 1087, 1181.
Dominico episcopo Centumcellensi, 499.
Domitiano episcopo, 853.
Domitiano metropolitano, 678, 1077.
Donello erogatori, 988, 1032.
Dono episcopo Messanensi, 798, 823, 886, 896, 1082, 1139, 1250.
Dynamio patricio Galliarum, 647, 885.
Ecclesio episcopo Clusino, 1063, 1075.
Edilbertho Anglorum regi, 1164.
Elpidio episcopo, 853.
Universis Episcopis, de causa trium Capitulorum, 614.
Episcopis concilii Byzacii, 1202.
Episcopis diversarum regionum et provinciarum: Corinthiis, 652; Dalmatiæ, 582, 689; Epiri, 796; Galliæ, 783, 1144; Helladiæ, 789; Hiberiæ, 1166; Illyrici, 540, 585; Italiæ, 502; Numidiæ, 561; Sardiniæ, 932; Siciliæ, 485, 556, 898, 1138, 1230.
Etherio *vel* Ætherio episcopo Galliæ, 1006, 1141, 1217.
Eugenio diacono, 1210.
Eugenio notario, 976.
Eulogio episcopo Alexandr., 507, 770, 836, 882, 887, 916, 917, 990, 1064, 1068, 1212, 1246, 1247.
Eupatori duci Sardiniæ, 1191.
Eusebio abbati, 589.
Eusebio episcopo Thessal., 898, 983, 1072, 1173.
Eusebiæ patriciæ, 1239.
Eutychio episcopo Tyndaritano, 672.
Fantino defensori, 723, 912, 973, 974, 976, 993, 1043, 1050, 1059, 1183, 1187, 1188, 1207, 1262.
Faustino defensori. *Vide* Fantino.
Fausto, 951.
Felici in Sicilia, 942, 959.
Felici episcopo de Acropoli, 605; Messanensi, 528, 553, 571.
*Felicis Messanensis episcopi ad sanctum Gregorium*, 1274.
Eidem Felici, 1276.

Felici Pisaurensi, 826.
Felici Portuensi, 947, 1210.
Felici Sardicæ, 735.
Felici Sipontino, 546, 654, 655, 696.
Felici episcopo, 727.
Felici subdiacono, 976, 1273.
Firmino episcopo Histriæ, 1205.
Fortunato episcopo Fanensi, 859.
Fortunato episcopo Neapolitano, 672, 673, 762, 799, 818, 845, 867, 947, 953, 994, 997, 1005, 1043, 1049, 1056, 1057, 1058, 1071, 1084.
Fragmenta Epistolarum, *in Appendice*, 1302.
Fragmenta de Laurentii depositione, *in Appendice*, 1283.
Fragmenta de Litaniis, 1284.
Fragmenta de Phoca coronato, 1301.
Fratribus in Angliam euntibus, 829.
Gallæ. *Vide* Agnellæ.
Gaudentio episcopo Nolano, 737, 760.
Gaudioso episcopo Eugubino, 995.
Gaudioso magistro militum Africæ, 560.
Gennadio patricio et exarcho Africæ, 550, 558, 559, 568, 686, 838, 846.
Georgio presbytero Ecclesiæ Constantinopolitanæ, 861; præfecto Italiæ. *Vide* Gregorio.
Gesta synodi habitæ a beato Gregorio Romæ, 1288.
Glorioso episcopo Ostiensi, 947.
Gratioso episcopo Numentano, 638.
Gratioso subdiacono, 636.
Gregoriæ cubiculariæ Augustæ, 868.
Gregorio episcopo Antiocheno, 507.
Gregorio expræfecto, 1193.
Gregorio præposito Italiæ, 506.
Gudiscalco duci Campaniæ, 1048.
Guduino duci Neapolitano, 1268.
Gulfari magistro militum, 998.
Hadriano notario Siciliæ, 976, 1055, 1137, 1139.
Heliæ presbytero et abbati provinciæ Isauriæ, 763.
Hilaro monacho Africæ, 566; notario, 1089.
Honorato archidiacono Salonitano, 504, 646.
Honorato diacono, 543.
Honorato subdiacono, 619.
Honorio episcopo Tarentino, 1252.
Hortensibus, 721.
Hospitoni duci Barbaricinorum, 701.
Importuno episcopo Attellano, 577.
Innocentio episcopo, 932.
Innocentio Africæ præfecto, 1067, 1095.
Isacio episcopo Jerosolymitano, 1133.
Italicæ patriciæ, 671, 1031.
Jadertinis, 813.
Januario episcopo Caralitano, 551, 552, 566, 613, 687, 695, 703, 705, 708, 898, 925, 926, 927, 929, 931, 981, 1068, 1107, 1216.
Jobino Illirici præfecto, 584.
Joanni abbati, 625.
Joanni abbati de Regio, 778.
Joanni abbati de monte Sina, 1091.
Joanni episcopo Callipolitano, 657.
Joanni episcopo Constantinopolitano, 489, 507, 662, 741, 803.
Joanni episcopo Corinthiorum, 776, 787, 898, 983.
Joanni Cretensi, 898, 983.
Joanni episcopo Jerosolymitano, 507.
Joanni primæ Justinianæ, 585, 627, 898, 983, 1201.
Joanni episcopo Larissæo, 628, 898, 983.
Joanni episcopo Panormitano, 1245, 1248, 1249, 1262, 1263, 1268.
Joanni Ravennati, 527, 598, 602, 607, 665, 727, 736, 738.
*Joannis Ravennatis Epistola ad sanctum Gregorium*, 668.
Joanni Squillatino *vel* Scillatino, 599, 600, 621.
Joanni Surrentino, 547, 947, 1084.
Joanni Syracusano, 806, 825, 856, 887, 910, 915, 939, 941, 946, 959, 975, 979, 1047, 1075, 1076, 1083, 1118, 1122, 1209, 1230, 1257.
Joanni Velitrano, 578, 614.
Joanni visitatori Ecclesiæ Nepesinæ, 588.
Joanni de Urbe veteri, 498.
Joanni episcopo, 1268.
Joanni præposito Italiæ, 1054.
Joanni religioso, 1109.
Joanni subdiacono, 645, 1108, 1194, 1230.
Joanni et omnibus Crotonæ. *Vide* Crotonensibus.
Joanni exconsuli, 520.
Joanni tribuno Sipontino, 1106.
Joanni defensori, 1250, 1252, 1256.
Juliano scriboni, 957.
Juliano, 1231.
Justino prætori Siciliæ, 487, 596.
Laurentio episcopo Mediolanensi, 565.
Leandro episcopo Hispalensi, 531, 777, 1026.
Leoni episcopo Catanensi, 716, 818, 899, 1055, 1097, 1230.
Leoni episcopo in Corsica, 562; Fanensi, 826.
Leoni Acolytho, 698.
Leontiæ Augustæ, 1245
Leontio Urbinati, 641, 774.
Eidem postea facto episcopo Ariminensi, 825.
Leontio exconsuli, 923, 1076, 1078, 1083.
Libertino episcopo, 932; Siciliæ præfecto, 651, 945; Exprætori, 1061.
*Liciniani Epistola ad sanctum Gregorium*, 620.
Licinio episcopo, 1144.
Lucido episcopo Leontino, 1211, 1230.
Lucillo episcopo de Melita, 605.
Luminoso abbati monast. S. Thomæ de Arimino, 604.
Lupo episcopo Cabilonensi, 1144.
Luponi presbytero et abbati, 1225.
Magno presbytero, 642.
Malcho episcopo Dalmatiensi, 527.
Marcello scholastico, 720. Proconsuli Dalmatiæ, 929.
Marciano episcopo Locrensi, 962.
Mariniano abbati, 642, 1173.
Mariniano episcopo Ravennæ, 787, 791, 809, 815, 817, 865, 889, 890, 898, 905, 907, 909, 954, 991, 1000, 1045, 1046, 1096, 1115, 1116, 1121, 1184, 1264; Ep. Turris, 932.
Martino diacono et abbati, 864.
Martino episcopo in Corsica, 563.
Martino scholastico, 975.
Mastaloni, 776.
Maurentio episcopo, 903.
Maurentio magistro militum, 908, 909, 985, 987, 1192, 1197.
Mauricio Augusto, 675, 747, 757, 765, 804, 841, 852, 880.
Maurilio magistro militum, 590, 591.
Maurilioni expræfecto, 1191.
Mauro abbati a sancto Pancratio, 606.
Maximiano Syracusano, 573, 579, 587, 597, 633, 661, 665, 690, 692, 694, 717, 723.
Maximo præsumptori in Salona, 698, 793, 810.
Eidem episcopo, 992, 1033, 1065, 1225.
Mediolanensibus, 644, 1094, 1105.
Melanthio ep. Rothomag. 1144.
Mellito abbati in Francia, 1176.
Mennæ episcopo Telon., 1144, 1176.
Mevaniensibus, 564.
Misenatibus, 989.
Monachis in Christi-Monte insula constitutis, 545.
Montanæ, 800.
Narsæ patricio, 492, 715; comiti, 802; [a] religioso, 876
Natali episcopo Salonitano, 505, 505, 580, 616, 631.
Neapolitanis, 572, 574, 1086.
Neapolitanis militibus, 591.
Nepesinis, 576.
Nonnoso, 505.
Occilliano tribuno Hydruntino, 1005.
Opportuno de Aprutio, 1090.
Palladio episcopo de Santonibus, 828.
Palladio presbytero, 1092.
Pallii concedendi formula, *in Appendice*, 1301.
Palumbo episcopo Consentiæ, 962.
Panormitanis, 1227.
Pantaleoni notario, 954, 1094, 1208, 1241.
Pantaleoni præfecto Africæ, 714.
Paschali, 658, 1252.
Paschasio episcopo Neapolitano, 1115, 1117, 1126.
Passivo episcopo Firmano, 986, 1187, 1188, 1229.
Paulino episcopo, 580, 962.
Paulo episcopo Neapolitano, 575, 579, 624.
Paulo scholastico, 488, 1259.
Pelagio episcopo de Turnis, 830.
Perusinis, 550.
Petro episcopo, 853.
Petro diacono. *Vide* Petro subdiacono.
Petro subdiacono Siciliæ, 496, 502, 525, 529, 553, 541, 548, 554, 555, 556, 557, 558, 592.
Petro subdiacono Campaniæ, 625, 626, 637, 640, 641, 649, 655.
Petro episcopo Aleriensi de Corsica, 808, 895.
Petro episcopo de Baricis, 636; in Histria, 778; Hydruntino, 807, 838; Terracinensi, 524; Tricalitano 757.
Petro notario, 569, 735.

[a] Non videtur alius a patricio ad quem epistola 6, lib. I.

Petro Siciliensi, 944.
Philippo comiti excubitorum, 520.
Philippo episcopo Epiri, 796.
Philippo presbytero, 1237.
Phocæ Augusto, 1238, 1244.
Præjectæ illustri, 974.
Præjecto episcopo Narniensi, 569.
Primerio episcopo Nuceriæ, 947.
Privilegium sancti Medardi, *in Appendice*, 1284.
Privilegium monachis concessum, *in Appendice*, 1294.
Prisco patricio Orientis, 661.
Probo abbati monast. sancti Andreæ, *in Appendice*, 1297.
Proculo episcopo, 962.
Promissio episcopi, etc. *in Appendice*, 1300.
Protasio episcopo de Aquis Galliæ, 832.
Providentio episcopo in Histria, 778.
Quertino expræfecto, 1197.
Quirico episcopo Hiberiæ, 1106.
Ravennatibus, 755, 792, 817.
*Recharedi regis ad sanctum Gregorium*, 977.
Recharedo regi Visigothorum, 1028.
Respectæ abbatissæ, 858.
Romano defensori, 944, 946, 947, 948, 956, 976, 978, 999, 1041, 1047, 1050, 1082, 1088, 1098, 1105, 1120, 1121, 1189, 1197, 1206, 1209, 1212.
Romano patricio et exarcho Italiæ, 521, 643, 646, 754.
Romano, 1242.
Romanis civibus, 1215.
Rufino episcopo Ephesi, 857.
Rufino episcopo Vivonensi, 823.
Rusticianæ patriciæ, 589, 724, 911, 1123, 1233.
Sabinellæ, *vel* Savinellæ, 1185.
Sabiniano episcopo Callipolitano, 1003.
Sabiniano episcopo Jadertino, 863, 901, 913.
Sabiniano diacono, 725, 746.
Sabino defensori Sardiniæ, 649.
Salonitanis, 657, 812.
Sardis Nobilibus, 702.
Savino *vel* Sabino subdiacono regionario, 571, 632, 961, 976, 1043, 1044, 1206, 1234.
Scholastico defensori, 920, 1105.
Scholastico judici Campaniæ, 635.
Sebastiano episcopo Risiniensi, *vel* Sirmiensi, 518, 769.
Sebastiano episcopo, 866.
Secundino episcopo Tauromenitano, 671, 820, 920, 1062, 1063, 1083, 1230.
Secundo servo Dei, 816, 964.
Senatori presbytero et abbati, 1221.
Sereno episcopo Anconitano, 943, 996.
Sereno episcopo Massiliensi, 830, 1006, 1099, 1144.
Sergio defensori, 901, 960, 976, 1004.
Severo episcopo Anconitano, *Vide* Sereno ep. Anc.; Aquileiensi, 501; Ficulino, 548, 754; scholastico exarchi, 761.
Simplicio episcopo Parisiensi, 1144.
Smaragdo patricio exarcho, 1240.
Spesindeo præsidi Sardiniæ, 1106.
Stephano abbati Lirinensi, 833.
Stephano chartulario, 589.
Stephano episcopo, 855, 1052, 1194.
Syagrio Augustodunensi, 831, 1006, 1013, 1020, 1021, 1022.
Symbolum S. Gregorii, 1283
Symmacho defensori, 545.
Syracusanis Nobilibus, 752.
Tadinatensibus, 995.
Thalassiæ abbatissæ, 1223.
Talitano, 1097.
Taurianensibus, 1052.
Terracinensibus, 634.
Theoderico et Theodeberto, regibus Franciæ, 834, 1016, 1023.
Theoderico, 1145, 1220.
Theodeberto, 1146.
Theodelindæ reginæ Langobardorum, 684, 718, 958, 1269.
Theodoro episcopo Epiri, 796; Lilibætano, 660.
Theodoro episcopo Massiliensi, 541.
Theodoro diacono Eccl. Constantin. 861.
Theodoro duci Sardiniæ, 542; consiliario, 637.
Theodoro medico, 677, 711, 874; curatori Ravennæ, 1001, 1045, 1184, 1257.
Theotimo medico, 664.
Theoctistæ sorori imperatoris, 490, 870, 1126.
Theotisto cognato imperatoris, 805.
Thomæ, 800.
Trajano episcopo Siciliæ, 1230.
Turritanensibus, 1052.
Urbico abbati Montis S. Hermetis, 827, 1136, 1137.
Urbico Dirrachino, 898, 983.
Valentino abbati, 722.
Valeriano et Demetrio clericis Firmanis, 943.
Vantilono, 1024.
Veloci magistro militum, 570.
Venantio episcopo Lunensi, 699, 728, 733, 897, 950, 952, 1074.
Venantio Perusino, 1211
Venantio exmonacho et patricio Syracusano, 522, 824, 1031, 1114.
Venantio patricio Panormitano, 1208, 1228.
Venerio episcopo Vibonensi, 962, 1052.
Victori episcopo Numidiæ, 715, 915, 1190.
Victori Panormitano, 732, 824, 914, 997.
Victori Phausianensi, 932.
Vincentio episcopo, 932.
Vincomalo defensori, 756.
Vintarith, 1242.
Virgilio episcopo Arelatensi, 541, 780, 830, 1006, 1018, 1021, 1140, 1170.
Vitaliano episcopo Sipontino, 899.
Vitaliano magistro militum, 590, 591.
Vitali defensori, 926, 980, 1106, 1259.
Vito defensori, 1120.
Zabardæ duci Sardiniæ, 702.
Zenoni episcopo Epiri, 796.
Zittano magistro militum, 1059.

# INDEX TITULORUM,

## EX REGISTRO EPISTOLARUM S. GREGORII MAGNI EXCERPTUS.

*Indicem hunc ab illustrissimo ac reverendissimo D. Antonio Carafa, S. R. E. cardinali, summo ingenio summaque industria elucubratum, in Registrum Epistolarum beati Gregorii Magni, hoc loco apponere visum est, ad communem scilicet studiosorum commoditatem et utilitatem, et ad tanti viri, atque adeo de re litteraria optime meriti, perpetuum monumentum.*

Antonius Carafa Cardinalis, sanctæ sedis apostolicæ bibliothec., Lectori.

Inter alia studia, quibus superior ætas mea se oblectare consueverat, mirifice quidem epistolarum Gregorii Magni sanctissimique pontificis lectione capiebatur. Quippe animadvertebam posse inde hauriri, cum non injucundam illorum temporum quasi historicam cognitionem, tum vero ad hominis cujusvis ordinis vitam instituendam, prudentiam salutarem: ejus nimirum exemplo, qui et viri patricii, et præfecti prætorio, et monachi, et cardinalis, et legati, summi denique pontificis personam, turbulentissimis præsertim temporibus, sanctissime semper gessisset. Eo igitur tempore effectum est, ut subcisivis horis per æstivos calores quæcunque inter lectitandas eas epistolas notatu digniora videbantur, ne eorum memoria intercideret, in adversaria referrem. Hæc porro (qualiacunque sint) pro ea, quam rerum ecclesiasticarum studiosis præstare debemus, charitate, nobis non invitis excidere nunc passi sumus: quando etiam cum ipsarum epistolarum editione in publicam prodeunt utilitatem.

*De iis quæ speciant ad exordium pontificatus S. Gregorii papæ I.*

Sanctus Gregorius tantum abfuit a desiderio pontificatus, ut nolens eligeretur, * 1, 4, 5, 6, 7, 26, 30, 31, 32.

De Electione ad pontificatum doluit, cum labores ingentes suscipiantur, et dulcissima quies amittatur, atque etiam de periculo in Ecclesia regenda, quam vetustam navem et confractam vocat. Ubi redditur ratio cur sibi molesta fuit electio ad pontificatum, nempe, quod sub colore episcopatus ad sæculum fuerit reductus, cum difficile sit post nego-

* Romanus numerus librum indicat, epistolam arabicus. Edit.

tia sæcularia ad cor redire; quodque tantis terræ curis inserviret, quantis se in vita laicali nequaquam deservisse reminiscebatur, I, 4. 5, 6, 7.

Per terrenas curas mentis rectitudinem et contemplationis aciem amiserat, I, 6, 26.

Ab amore Dei videbat se pene separatum. I, 30.

Quod quanto quis in mundo proficit, tanto ab amore Dei decrescit, I, 31.

Conqueritur de labore in onere pontificatus sub navis putrescentis metaphora, quando ipso negligente crescit sentina vitiorum, I, 43.

Deplorat mentis tranquillitatem amissam, quod aut rara valde, aut nulla cor in sublimia penna contemplationis levet, IX, *ind.* II, 121.

Unde toto pontificatus tempore doluit de suscepto pontificatus onere, cum sub colore ecclesiastici regiminis mundi hujus fluctibus volveretur, XI, 1.

Nec ad appetendum locum procax insistere, nec ad repellendum contumax debet aliquis inveniri, licet nolens et cum angore animi pontificatus onera suscipiantur, I, 27, 32.

Regimen summi pontificis cæteris prælatorum muneribus periculosius est, quin verendum in eo ne potius propter negotiorum multitudinem terreni principis quam pastoris officium geratur, I, 5, 25.

Timorem et humilitatem ait in se præcessisse ex injuncto papatus officio, I, 4, 27.

Respondet sibi gratulantibus pontificatum, I, 4, 5, 7, 21, 26, 38, 43.

Statim inito pontificatu se commendavit orationibus sanctorum virorum et totius Ecclesiæ, I, 4, 21; et 25 ait pro invicem orandum esse. Dum enim nos vobis per orationis opem conjungimur, quasi ambulantes per lubricum vicissim manum tenemus, fitque ex magna provisione charitatis, ut eo singulorum robustius charitas perfigatur, quo in alterum alter innititur.

Idem toto sui pontificatus tempore repetit, II, 4; V, 38; VIII, 2; IX, 67, 74; X, 35, 53, 78.

Significavit prælatis primoribus suam electionem, simul eos admonens de ipsorum officio et moribus, et quomodo in activa vita et contemplativa se gerere deberent, I, 25, 27.

Hortatus est provinciarum episcopos, proponens illis divinum et districtum judicium, in quo cuncta non ex prærogativa sublimioris gradus, sed ex operum meritis examinabuntur, ad mutuam inter se charitatem, utque sint solliciti contra hæreticos, et de proximorum animabus, et in prædicatione verbi Dei, quoniam Dominus gregum ab iis, quibus commisit, pastoribus fructum multiplicati gregis exspectat, II, 51.

Pontificatus initium non esse a quæstibus inchoandum. I, 6.

Dedit operam in exordio pontificatus ut pravæ consuetudines Urbis et Curiæ apostolicis traditionibus contrariæ tollerentur, simonia exstirparetur, apti suæ domus familiares, et secreti cubicularii clerici, vel electi monachi constituerentur : ut qui in loco regiminis est, habeat tales, qui vitam ejus in secreta conversatione videant, quique ex visione sedula exemplum profectus sumant. *In Concil. Rom., olim* IV, 44, *nunc ad calcem Epistolarum.*

Cæteros abusus et vitia tollere studuit, *ibid.*

Nunquam mota non modo non sunt suscitanda, verumetiam quæ prava foris admoventur, modis omnibus sunt sopienda, I, 9.

Legatos per provincias misit, I, 1.

Judicii sui prædecessoris ministris deputatis rationem habuit, non leviter illos ab administratione revocans, I, 1.

Dedit operam ut concilia provincialia semel per annum peragerentur, quibus aliquis sedis apostolicæ nomine præsideret : in quibus tractaretur de utilitate provinciæ et Ecclesiarum, de sublevanda necessitate pauperum et oppressorum, de monendis corrigendisque excessibus, I, 1.

Advocavit ad se prælatos, quibus suis Ecclesiis residere minime licebat, I, 7.

Hortatus est prætores et rectores provinciarum, ut ponerent ante oculos suos rationem, quam reddituri sunt in tremendo judicio Dei de administranda justitia, ad quam nulla lucra pertrahant, nullius vel minæ vel amicitiæ a rectitudinis itinere deflectant : quia vita brevis, et cuncta lucra hic relinquenda, et solas dispendiosorum lucrorum causas nobiscum ad judicium deportamus : quod Dei honorem præ omnibus diligant, nec exerceant simultates cum Ecclesiasticis, I, 2.

Invigilavit paci Urbis, et contra communes hostes Christianorum, I, 3.

Curavit frumentum Romam transmitti, ne fame laboraret; quippe cum non unus quivis homo, sed cunctus simul populus trucidaretur, I, 2, 43, 72.

Aliquando etiam curavit majore cum dispendio Ecclesiæ, XII, 33.

Annonam juxta publica pretia vendi voluit omni tempore, sive minus, sive plus frumenti nasceretur, I, 44.

Annona ad Urbem ex Sicilia præcipue, et etiam ex aliis locis comportabatur, I, 2, 44, 72; X, 33; XII, 49.

### *De iis quæ spectant ad sanctum Gregorium tanquam pontificem.*

Cogitabat primum quis esset, et sui officii finem. Pro delictis enim populi pontifex intercessor eligitur, cujus conditiones sunt, ut sit familiaris et gratus ei apud quem intercessor est constitutus, I, 25.

Idem pontificis officium describit sub metaphora gubernationis navis putrescentis, quæ ad portum dirigenda suscipitur. Nunc, inquit, ex adverso fluctus irruunt, nunc ex latere cumuli spumosi maris intumescunt, nunc a tergo tempestas insequitur : interque hæc omnia turbatus cogor modo [*Hunc locum emendavimus*] in ipsa clavum adversitate dirigere, modo curvato navis latere, minas et impetum fluctuum ex obliquo declinare, I, 43.

Quod recte pascere sit, commissum gregem orando, admonendo, boni operis studium ostendendo, ad æterna pascua perducere, XI, 1.

Curabat summopere, ut cogitatione esse mundus, ne manus quæ diluere sordes debet, tacta quæque deterius inquinaret : quantumque debeat mundari animadvertebat, qui ad æternitatis templum vasa viventia in sinu propriæ conversationis portat. Nec indiscretum quid vel inutile ab eo cogitandum, qui ad exemplum aliis constitutus ex gravitate semper debet ostendere, quantam in pectore rationem portet, I, 25.

Exempla Patrum præcedentium indesinenter intuebatur, ut irreprehensibiliter graderetur, I, 25.

Rectorem operatione debere esse præcipuum docet, quatenus vitæ viam subditis vivendo denunciet, et grex qui pastoris vocem moresque sequitur, per exempla melius quam per verba gradiatur; qui enim loci necessitate exigitur summa dicere, hac eadem necessitate compellitur summa monstrare. Illa namque vox libentius auditorum cor penetrat, quam dicentis vita commendat : quia quod loquendo præcipit, ostendendo adjuvat ut fiat, I, 25.

Operatio ejus non solum utilis sit, sed etiam singularis : sicut honore ordinis superat, ita etiam morum virtute transcendat, I, 25.

Nulla præsentis vitæ appetat, nulla pertimescat : blandimenta mundi, respecto intimo terrore despiciat; terrores autem considerato interno dulcedinis blandimento contemnat, I, 25.

In silentio discretus sit, et utilis in verbo, ne tacenda proferat, aut proferenda reticescat, I, 25.

Recta libere loqui non pertimescat, humanam amittere gratiam formidans, ut improvidi rectores, I, 25.

Præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotium ascendit : ut ante adventum judicis, qui terribiliter sequitur, ipse scilicet clamando gradiatur, I, 25.

Cum ad loquendum rector se præparat, sub quantæ cautelæ studio loquatur attendat : ne si inordinate ad loquendum rapiatur, erroris vulnere audientium corda feriantur : et cum fortasse sapiens videri desiderat, unitatis compagem insipienter abscindat, I, 25.

Contemplationi et actioni ita vacet, ut et singulis compassione sit proximus, et præ cunctis contemplatione suspensus : quatenus et per pietatis viscera in se infirmitatem cæterorum transferat, et per speculationis altitudinem semetipsum quoque invisibilia appetendo transcendat : ne aut alta patens proximorum infirma despiciat, aut infirmis proximorum congruens appetere alta desistat; exemplo Mosis crebro tabernaculum intrantis et exeuntis, qui intus contemplatione rapitur, foris infirmantium negotiis urgetur : intus Dei arcana considerat, foris onera carnalium portat, I, 25.

Quomodo in curis exterioribus se occupare debeat, a quibus funditus vacare rector non potest : verumtamen his sic vacare oportet, ut non mentis oculi obscurentur, nec prorsus illorum cura relinquatur. Sed in hoc loco, inquit, hujus discretionis moderamina video servire non posse : quia tanti quotidie casus imminent, ut mentem simul obruant, cum vitam corporalem necant, I, 25.

De tumultibus in prædicta cura, V, 49.

In rebus dubiis si ambigat, exemplo Mosis, ad tabernaculum recurrat, hoc est orationibus : et intra sacri eloquii paginas Deum consulat, I, 25.

Misericors ita sit, ut talem in compassione se exhibeat, cui subjecti quique occulta quoque sua prodere non erubescant, I, 25.

Oppressos ita sublevabat, ut defensionem mulieris oppressæ defensori commiserit, IX, 62.

Afflictos absentes litteris consolabatur, I, 11.
Et in luctu positos, IX, *ind.* II, 33.
Propter excessum quorumdam episcopum persecutionibus afflictum solatur, III, *ind.* XI, 2.
Et eum qui mœrore afficiebatur ob verba aspera ab ipso in eum prolata, consolatur, X, 68.
Consolatur tribulationibus mundi oppressum, ne post amissionem rerum, etiam animæ sequantur dispendia, XII, 21.
Consolari virum sapientem non est opus, IX, *ind.* II, 99.
Infirmis compatiebatur, et præsertim episcopis, quos secum retinebat, III, *ind* XI, 24 et 25.
Episcopum corporis ægritudine laborantem consolatur, admonens, quod cum frequenter ægritudo ad emendationem concedatur, gratiæ agendæ sunt Deo, ut in illa nobis vita castigatio ista proficiat, V, 3.
Episcopum gravi morbo afflictum ad se evocat, cujus curam gerere, et custodiam habere volebat, monetque cum paucis veniat, quia secum mansus in episcopio quotidiana obsequia de ipsius Ecclesia habebit. Ut si vel ipse, vel hic prius ab Omnipotente fuerit evocatus, inter ejus, qui remaneret manus transire deberet, XI, 33.
Eumdem monet, ne jejunet, XI, 40.
Rusticianæ patriciæ, de ejus sospitate corporis se curam habere dicit, pro qua orabat; ut omnia quæ in ejus corpore agerentur, ad salutem animæ dirigerentur: ut flagella temporalia æternam ei quietem præparent, XIII, 22.
Mulierem (*Imo duas virgines adhuc in tenera ætate*) propter gravissimam ægritudinem patris afflictam consolatur, promittens ei, si parens decederet, suam protectionem, XI, 35.
Alterius tristitiam ac injuriam propriam judicabat, II, *ind.* X, 36.
Humilitatem et zelum pastoris esse, ut honore suspenso æqualem se subditis bene viventibus deputet, et contra perversorum culpas ex zelo justitiæ excrescat; sicut Petrus erga Cornelium, cujus sanctitas vitæ æqualitatis communionem meruit, et adversus Ananiam et Sapphiram zelus ultionis vim aperuit potestatis, I, 25.
Summus locus tunc bene regitur, cum is qui præest, vitiis potius quam fratribus dominatur, I, 25.
Sic servanda est virtus humilitatis, ut non solvantur jura regiminis, ne dum prælatus quisque plus se quam decet dejicit, subditorum vitam restringere sub disciplinæ vinculo non possit. Et sic servanda est disciplinæ severitas, ne dum plus quam necesse est zelus accenditur, mansuetudo funditus amittatur: quia cum Scripturæ sacræ scientia in boni rectoris pectore si est virga districtionis, opus est ut sit etiam manna dulcedinis, I, 25.
Quod non est grande iis nos esse humiles, a quibus honoramur, quia et hoc sæculares quilibet faciunt; sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur, II, *ind.* X, 36.
Rogavit Leandrum ut ex lectione operum Pastoralis et Moralium, defleret ejus peccata, quia e illis libris idipse scire videtur, quod agere prætermiserit, V, 49.
Humilitatis causa o era sua furfurem, sancti Augustini vero siliginem nominavit, V, 37.
Prohibuit sua scripta ad mensam legi, ne id quod ille pro charitate faciebat, sibi vanæ gloriæ ab aliis deputaretur, VII, 9.
Librum in Job se vivente noluit in publicum edi, doluitque se ob instantiam imperatoris edidisse Pastoralem, quem patriarcha Antiochenus in Græcam linguam vertit, XII, 24.
Condemnat seipsum in comparatione pietatis regis Recharedi, conversioni infidelium operam dantis, quod nescit quid dicturus sit ipse in tremendo judicio, si tunc illuc vacuus venerit quo ipse rex greges post se infidelium ducet, IX, *ind.* II, 122.
Humilis in accipiendo æquo animo reprehensiones, VII, 27.
In extollendo merita socii, et deprimendo seipsum dicebat, non solum se esse indignum in honore præsidentium, sed etiam in numero stantium. Loquebatur cum patriarcha Alexandrino, VI, 40.
Conversionem Anglorum aliorum orationibus tribuebat, VIII, *ind.* I, 30.
Profitebatur se esse paratum ab omnibus corripi et emendari, II, *ind.* X, 52.
Et in bono imitari etiam suos minores, quos ab illicitis prohibebat. Stultus est enim, inquit, qui in eo se primum existimat, ut bona quæ viderit, discere contemnat, IV, 9, *ind.* II, 12.
Et se cunctorum sacerdotum esse servum, quatenus sacerdotaliter vivunt, V, 20.
Dicit se portare peccata omnium qui sibi commissi sunt, VII, 32.
Zelum in retinenda auctoritate et dignitate sedis apostolicæ habebat: unde asserit se velle vindicare in Dominum Joannem Constantinopolitanum patriarcham, nomen Universalis subripientem, V, 20.
Quare scribens Constantinæ Augustæ, ait: Et si peccata Gregorii tanta sunt, ut pati talia debeat; Petri tamen apostoli peccata nulla sunt, ut vestris temporibus pati ista mereatur, V, 21.
Canonica districtione id se velle ulcisci profitetur, V, 21, 18.
Contra Joannem Constantinopolitanum favorem Augustæ imploravit, I, 21.
Potius paratum mori se esse testatur, quam beati Petri Ecclesiam diebus suis in aliquo degenerare permittat, IV, *ind.* I, 47.
In tanto se existimet quis omnipotenti Deo placuisse, quanto se perversis hominibus displicuisse cognoverit, X, 36.
Homines non formidandos in causa, in qua Deo placere cupimus, IX, *ind.* II, 79.
Non tam in conservandis juribus sedis apostolicæ, quam in observandis aliorum juribus zelum habendum. Nam sicut ab aliis, inquit, nostra exigimus, ita singulis sua jura servamus, III, *ind.* XI, 29.
Sicut in contumacia persistentibus severos esse convenit, sic iterum humiliatis et pœnitentibus locus veniæ non est denegandus, IX, *ind.* II, 81.
Unde in causa Maximi Zalonitani cum in contumacia persistentem insequi non destitit, et ad pœnitentiam redeuntem amplecti non recusavit. Ad quem etiam epistolam ad ipsum consolandum, scribere voluit, IX, 81.
Et IV, *ind.* I, 47, ait: Mores autem meos bene cognitos habes, quandiu porto; sed si semel deliberavero non portare, contra omnia pericula lætus vado.
Et VII, 31, contra Cyriacum episcopum Constantinopolitanum: Nulli in hac causa nocere appeto, sed humilitatem Deo placitam, et sanctæ Ecclesiæ concordiam custodire.
Et V, 8, de eadem re ad Joannem Constantinopolitanum: Quidquid facere humiliter debui, non omisi; sed quia in mea correctione despicior, restat ut Ecclesiam debeam adhibere.
Prudentia magna usus est, unde aliquando culpam episcopi dissimulans primo aspectu, illam in scriptorem ei familiarem rejecit, ne amicitia laceraretur, et ille contumax evaderet, III, *ind.* XI, 33.
Synodicam epistolam a novo patriarcha Constantinopolitano accepit, non obstante nomine Universalis, inquiens: In suscipienda fratris et consacerdotis nostri Cyriaci epistola synodica, dignum non fuit, ut pro causa profani vocabuli moras facerem, ne virtutem sanctæ Ecclesiæ perturbarem, VII, 27, 34.
Prius egit cum imperatore de abroganda lege iniqua, deinde declaravit episcopis quid in ea re agere deberent, VIII, *ind.* I, 5.
Defensio pauperum debet esse moderata et gravis, ne si quid nimis rigide agatur, homines eum superbire arbitrentur; sed talis sit, ut humiles protectionem sentiant, et oppressores non facile inveniant quod ex malevola mente reprehendant, X, 36.
Tanto cautius debemus ambulare, quanto nos scimus inter Dei inimicos vivere, X, 36.
Scandala quæ ad peccata nos implicant, contemnere oportet, et ea quæ placare sine peccato possumus, modis omnibus mitigare, XI, 44.
In scandalis sedandis non debemus uti auctoritate, sed rationibus et humanitate, exemplo sancti Petri in baptismo Cornelii, rationem reddentis eis qui erant scandalizati, quod gentilem baptizaverat, XI, 45.
Eorum infirmitati consulendum est, qui imperito zelo aguntur, qui ratione et mansuetudine placandi sunt, XI, 45.
Quædam mansuete corrigenda sunt; quædam vero, quæ corrigi nequeunt, æquanimiter toleranda, XI, 46.
Duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse ait, quia is qui locum summum ascendere nititur, gradibus vel passibus, non autem saltibus elevatur. Unde abbati in Angliam transmisso, ut Augustinum adjuvaret, rescripsit ut nonnulla quæ Angli tanquam gentiles faciebant, permittantur, in ordine tamen ad verum Dei cultum, XI, 76.
Mansuetudo et benignitas ejus maxima, cum ipsum fatuum imperator appellavit, mansuete respondit, declarans, quomodo simplicitas sit laudanda, asserens quod valde inutile est, si aut simplicitati prudentia, aut prudentiæ simplicitas desit, confirmans exemplo Domini de serpentis astutia, et simplicitate columbæ. Rogat Deum, ut ita ipsam

placere hominibus faciat, ut æternam ejus gratiam non offendat, v, 40.

Rancorem non retinuit contra nonnullos inobedientes episcopos, sed benigne statimque remisit, inquiens de quodam episcopo : De illo quædam superba cognoveram, sed quia mores suos ipse correxit, meam tristitiam, simul meipsum vincendo, consolatus est, I, *ind.* x, 46.

Nullius offensionis dolorem retinendum esse admonebat, x, 15.

Quam debemus fugere iram, x, 51.

Plus virium habere discretam in correctione remissionem, quam in exsequenda ultione districtionem : adeo ut nonnunquam hæc fideliorem atque subjectum, illa vero obstinatum faciat æmulum; non autem ut zelo rectitudinis subtrahatur, sed ne tales simus in minimis, quales esse debemus in maximis : nam si qualitas excessus severitatem exigit, agendum est, ut culpam ultio corrigat, et correctis post gratia non negetur, x, 15.

Benigne respondit ei, qui se aspere ab ipso reprehensum esse dicebat, x, 52.

In causis in quibus minus benigne agi oportere cognoscebat, desiderabat se non immisceri, sed aliis libentius committebat, III, *ind.* XI, 60.

Afflictis afflictionem non esse addendam asserebat. Quem enim inquit, divina disciplina conterit, ei humana flagella addi superfluum est, II, 34.

Inhumanum credit ipse, si is, qui nos quasi multum timere dicit, in aliquo temperatiorem minime invenire possit, IX, *ind.* II, 66.

Auctorem scandali affirmat nolle se esse, sed eligit potius, ut quæ secutura sunt, per alios exeant, IX, *indict.* II, 79.

Formidinem talem miscendi se super mortem cujuslibet hominis habuit, ut Longobardorum etiam internecioni pepercerit, inquiens : Quia Deum timeo, in mortem cujuslibet hominis me miscere formido, IV, 47.

Tales erga subjectos nostros debemus existere, quales nos, si subjecti fuissemus, nostros vellemus esse præpositos, XIII, 3.

Injustum est, ait quod hi, qui plus amarunt, sine causa ipsum atrocem contra seipsum sentiant, II, 34.

Præjudicia nulli non modo inferre intendit, sed etiam facta æquanimiter portare, nisi forte res pauperum defendere rationabiliter cogeretur, x, 27.

Ad vigilandum hortatur propter insidias diaboli, v, 58.

Exemplo Jacob in pascendis ovibus Laban, curæ susceptı ovilis solerter invigilandum, ne oves Dei aut perversi homines prava loquentes dilanient, aut maligni spiritus oblectamenta vitiorum suadentes devastent, IX, *ind.* II, 48.

Profitetur Ecclesiæ sollicitudinem se nosse negligere, ita ut quæ ad suam notitiam pervenient, minime propter Deum irrequisita relinquat, XII, 11.

Magnam vigilantiam exercuit in negotiis a se commissis, quorum quærebat rationem : unde reprehendit episcopum, qui non statim ei indicasset, quid super negotio sibi commisso egisset, VII, 2.

Justitiæ ita constans administrator fuit, ut a sententia semel juste dicta discedere nullis precibus suaderi posset, ut de pallio archiepiscopo Ravenn., v, 56; VI, 53; IX, *ind.* II, 74.

Et de causa Maximi Salonitani episcopi sic inquit : Maximus Salonitanæ Ecclesiæ prævaricator, postquam per potestates majores sæculi obtinere nihil valuit, ad minores sese contulit, nobisque tam nimietate precum, quam attestatione bonorum operum prævalere contendit, IX, *ind.* II, 67.

De servando ordine justitiæ sic dicit : Si sæcularibus officiis ordo suus, et tradita a majoribus disciplina servatur; quis ferat ecclesiasticos ordines temeraria præsumptione confundi, audita negligere, et emendanda non bene remittendo postponere? IX, 41.

Amicum suum episcopum non servantem canones, se ignorare quis sit, profitetur, III, *ind.* XI, 55.

Contra Judæos, qui Christianam religionem polluerant, rescripsit præfecto Siciliæ, ut omnia districtissime sub omni festinatione corrigeret, uti non solum pro hac ei disciplina gratias referret, sed et testimoniam de bonitate illius, ubi necesse fuerit, præberet, III, *ind.* XI, 38.

Nihil utraque parte inaudita censere voluit, ne alicui præjudicaretur, IX, *ind.* II, 65.

Peccantes gravissimis minis terrebat, ut resipiscerent; unde scripsit Maximiano episcopo Syracusano : Tanta nobis subinde mala quæ audiuntur in ista provincia, nuntiantur, ut peccatis facientibus, quod avertat omnipotens Deus, celeriter eam perituram credamus, IV, 12.

Vitia provinciæ significabat illis, qui præsidebant, ut exstirpare illa curarent, v, 56.

Pejora prioribus eventura prædixit, ut illos a peccato distraheret, x, 36.

Publicos peccatores etiam per epistolas increpabat, asserens se loci sui necessitate compelli, ut tacere non debeat, I, 34.

Hominibus incognitis passim non esse credendum, IX, 59.

Cautus in judicandis aliorum qualitatibus fuit, unde absentis qualitates se judicare non posse respondit : sed inquit, se eum velle hortari ut ad ipsum venire festinet, quatenus in præsenti mores et personam ejus subtiliter addiscentes, quid de his quæ petit, fieri debeat, sine dubietate aliqua disponamus, XIII, 23.

Quæ objiciebantur non temere credebat, nec desidiose quærebat, IX, *ind.* II, 12.

Maximam circumspectionem in delationibus contra personas ecclesiasticas adhibebat, ita ut mala per eas patrata, per litteras non significaret, ne in publicum manarent, I, *ult.*

Excusabat eos, contra quos difficile esset fidem adhibere, IX, *ind.* II, 63.

Nihil se dicere de iis, de quibus nihil sibi constaret, profitebatur, x, 51.

Justis desideriis nullam afferebat moram, III, *indict.* XI, 11.

Quoties ea quæ hortari nos convenit, postulamur, moras ad concedendum facere non debemus, ne differre bona desideria quæ magis fovenda sunt, videamur, IX, *ind.* II, 34.

Quod diffinitum est, statim exsequi jubet. Unde pecuniam pro communi utilitate relictam sine mora dari præcepit. Ratio, inquit, nulla permittit, ut propriis cujusquam usibus applicetur, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur, IX, 51.

Si quid novum petitum esset, non inconsulto et subito concedere volebat, IX, *ind.* II, 108.

In adversis, qua ratione navis Petri sit gubernanda, I, 43.

Clades, persecutiones et tribulationes æquanimiter tolerabat, II, *ind.* x, 46.

Et præsertim quæ inferuntur ab iis qui onera sublevare deberent, quodque tanto magis tolerandi sunt, quanto nos non solum per malitiosam mentem, sed etiam per religiosum habitum persequuntur, VIII, *ind.* I, 2.

Eamdem patientiam habuit in malis a barbarorum gladiis et a perversitate judicum inflictis, v, 37, 42; XIV, 14.

Non solum in prosperis Deum benedicere rectæ mentis est, sed etiam in adversitatibus collaudare : cum nobis incognitum sit ad quod id Creator noster operetur, cum fortasse in prosperis Deum offendimus, unde nos clementi amaritudine vult purgare, x, 31.

Quod dolores in hoc ipso sibi vehementer placent, quia placere in hoc mundo aliquid non permittunt, v, 42.

Justis in hac vita minime sunt promissa gaudia delectationis, sed amaritudo tribulationis, ut medicinæ more per amarum poculum ad dulcedinem æternæ salutis redeant : quia Abel neminem esse suspicabatur, qui Cain non habuisset : boni enim si sine malis fuerint, perfecti esse non possunt, quia minime purgantur, XI, 45.

Consolatoriæ in adversis epistola, VIII, *ind.* I, 2; x, 31, *elegantissime.*

Hortatur ad humilitatem et ad obedientiam, etiam in iis quæ injuste inferuntur, II, *ind.* x, 36; inquit enim : servorum Dei humilitas in afflictionis tempore debet apparere.

In rebus adversis, potissimum in flagellis a Deo illatis, litaniis omnium ordinum placare Deum iratum conabatur : Ejus, inquit, misericordiæ supplicantes, ut a nostris excessibus purgari aliquatenus mereamur, *olim* II, *ind.* x, *in princ.*, *nunc ad Epistolarum calcem.*

Hortabatur populum tempore pestilentiæ, ut omnes importunis fletibus in litaniis omnium ordinum instarent, cum ea quæ ingrata est hominibus; importunitas, judici veritatis placeat, et ut levarent corda sua cum manibus ad Deum : quippe corda cum manibus levare, est orationis nostræ studium cum merito bonæ operationis erigere, ut flagella Dei, quæ ventura metuere debuimus, saltem præsentia et experta timeamus, *olim* XI, 2, *nunc ad calcem Epistolarum.*

Ut litaniæ exaudiantur, vigilantius stupendum est, ut voces actibus adjuventur, XI, 51.

Ibidem ponitur causa flagelli et remedium, cum nostris hostibus multitudo nostrorum peccatorum prosperitatem faciat, *ibid.*

Et II, *ind.* x, 46; v, 40, ait : Ego homo peccator sum, et quia omnipotenti Deo incessanter quotidie delinquo, aliquod mihi apud tremendum examen illius esse remedium suspicor, si incessantibus quotidie plagis feror.

Tolerantia et patientia in adversis habenda, quia recor-

dari oportet labores præcedentium, et dura non erunt, quæ toleramus, juxta illud Act. XIV : *Per multas tribulationes oportet nos introire in regnum Dei.* Quomodo enim sine labore transire possumus æstum hujus sæculi, nos infirmæ oves, in quo graviter sudasse novimus arietes? V, 38.

Quod pro Ecclesia subeundæ sunt adversitates, et undarum spumas perseverantiæ virtute sustinere, VIII, *ind.* I, 24.

In cunctis adversitatibus gratiæ agendæ sunt Creatori, atque de ejus confidentes misericordia patienter omnia toleremus, quia satis minus patimur quam meremur, VIII, 41.

Quod doctrina tribulatis est solamen, VIII, 41.

Hortatur ad bona opera peragenda in adversitatibus, quia in flagellis positos flagellis digna committere, contra ferientem est specialiter superbire, et sævientis acrius iracundiam irritare; atque est primum genus dementiæ nolle quempiam a malis suis juste quiescere, et Deum injuste a sua velle ultione cessare, X, 63.

Patientia ipsius et mala, quæ patiebatur, describuntur, II, *ind.* X, 46; V, 40.

Hortatur eleganter, ut æquo animo tribulationes perferentes in Deum confidant, nec animum despondeant, ne post amissionem rerum, animæ etiam sequantur dispendia, XIII, 21.

Consolationem recipit in adversitatibus, et ad compatiendum et orandum hortatur, nam inquit : Vestri mœroris sordes non mundabitis, nisi ipsi quoque per compassionem manum vestri cordis inquinetis, cum sordida vascula, ut inquinatione terræ careant, cum terra mundari soleant. Sed quia hoc operando simul et orando agitis, si quid pro nobis in vobis terrena actio inquinat, statim aqua orationis lavat, V, 16.

Consolatur episcopum de interitu hominum suorum, VIII, *ind.* I, 2.

De utilitate ex adversis et prosperis capienda mirifice disseruit, quod nec elevari prosperis, nec frangi debeamus adversis, cum tota vita nostra sit quemadmodum viator, qui modo per plana, modo per aspera graditur, ut discamus humiliati quidquid deliquimus flere : et iterum exaltati adversitatis memoriam quasi humilitatis anchoram in mente teneamus; nec hoc Creatoris nostri ira est deputanda, sed gratia, per quam discimus, ut ejus dona tanto servemus verius, quanto humilius tenemus, III, *ind.* XI, 52.

Infirmitates corporis etiam gravissimas patienter sustinebat, cum biennio podagræ doloribus in lectulo detineretur, inquit : Quotidie in morte sum, quotidie repellor a morte : unde instabat, ut orationes pro se ad Dominum funderentur, ut ex corpore educeretur, X, 35; XIII, 22.

Ex podagræ doloribus neque ad loquendum valebat assurgere, XI, 14.

Et vivere sibi pœna erat, et mortem desideranter expectabat, quam ejus genitibus solam esse posse remedium credebat, XI, 32.

Vita in tantis doloribus gravissima pœna sibi videbatur, IX, *ind.* II, 124.

Corporis infirmitatem Dei misericordiam, et dispensationem suæ pietatis esse : quia pœna præsens si animum afflicti convertit, finis est culpæ præcedentis. Et ut dolores nos præcurrentes terreant, et conversos ad timorem districti judicis ab ejus nos animadversione in æternum abscondant. Et quod in ea nihil agendum, nisi delicta nostra ad memoriam revocare, atque omnipotenti Deo gratias agere, quoniam qui ex carnis blandimento multa peccamus, ex carnis afflictione purgamur. Et quod indicium a Deo non esse derelictum, est assidue flagellari. Quod si infirmitas ad timorem Domini minime convertit, initium est pœna sequentis. Denique curandum est, et summopere in fletibus tota mentis conversione vigilandum, ne de tormento ad tormenta transeamus, XI, 30, *eleganter*.

Quandoquidem cum ex periculo mortis eripimur, ad quid reservemur, incertum est : induciarum tempus ad utilitatem animæ convertendum, ut posituri venturo judici rationes, causam nostram apud eum lacrymis et operibus muniamus, ut securitatem de iis, quæ gessimus, accipere mereamur, XII, 1.

Item V, 3, quod ad emendationem ægritudo conceditur, unde Creatori gratiæ sunt referendæ.

Humanis laudibus non delectabatur : unde dicebat, quod cum vindicari in ipsum iniquitas debuisset, laudes pro vindicta recipiebat, I, 7.

Et 26 inquit : Considero namque qui sum, et nihil in me ex hujus boni signo deprehendo.

Episcopo qui sua bona opera multis nuntiavit, dicit ex hoc se collegisse, quod non Dei oculo studebat, sed humano judicio placere. Nos enim, ait, qui sumus, quibus placeri ab hominibus quæritur? quid namque aliud quam pulvis et cinis sumus? III, *ind.* XI, 4.

In humanis laudibus semper ad mentem recurrendum; ut si in ea non invenitur bonum, quod de nobis dicitur, magna tristitia generari debeat, XI, 2.

Nullo honore profitetur se specialiter delectari, nisi in honore sedis apostolicæ sibi delato, quoniam ejus qui tribuit esse etiam judicat, VII, 40.

Nomen Universalis sibi delatum rejicit, inquiens : Scio qui sum, qui estis : loco enim mihi fratres estis, moribus patres : ego non verbis quæro prosperari, sed moribus, VIII, *ind.* I, 30.

Detractationes nullam ei perturbationem afferebant, quia si nobis est testis in cœlo, ut inquit Job. XVI: *Ecce in cœlo testis meus*, et testis in corde, juxta Apostolum, II Cor. I : *Gloria nostra hæc est, testimonium conscientiæ nostræ ;* dimittamus stultos foris loqui, quod volunt, XI, 2.

Item XI, 45, inquit : Qui cor in cœlum fixerunt, verba hominum non debent eos in terra agitare, cum tum maxime in omnipotentis Dei misericordia certe fiducia est, quando pro bono opere adversitatis aliquid in hoc mundo recipitur, ut plena merces in æterna retributione servetur.

Gloriosis titulis non delectabatur, sed ejus humilitas in omnibus relucebat, appellando se servum, sacerdotes fratres et comministros, clericos diversi ordinis dilectissimos filios, laicos dominos, feminas dominas, I, 7; II, *ind.* X, 12; III, *ind.* XI, 11; VII, 8, 25, 26. Nec passus est ut Rusticiana patricia vocaret se ancillam ejus : dicit enim se factum esse servum per episcopatus onera, IX, 44.

Inter insontes episcopos se præbebat æqualem, IX, *ind.* II, 12.

Honor in dignitate servandus : quomodo autem sit servandus, docuit ex verbis Apostoli, Rom. XI : *Quandiu sum gentium apostolus, ministerium meum honorificabo*, qui rursus I Thess. II dicens : *Facti sumus ut parvuli in medio vestrum.* Exemplum, inquit, procul dubio nobis ostendit, ut et humilitatem teneamus in mente, et tamen ordinis nostri dignitatem servemus in honore : quatenus nec in nobis humilitas timida, nec erectio sit superba, V, 43.

Reprehendit eum, qui aliter quam decebat, ei rescripsit, V, 4.

Latino Græce scribenti noluit respondere, IV, 32.

In auctoritate ecclesiastica non culmen transitoriæ potestatis, neque exterioris cultus ornamentum quærendum est, V, 53.

Ab omni specie avaritiæ prorsus erat alienus : unde quod non emebat, nolebat vendere, VII, *ind.* I, 29.

Usque adeo aliena accipere non consueverat, ut etiam quarumdam suarum rerum pretium refutaret, VIII, *ind.* I, 29.

Patrimonium sedis apostolicæ in diversis regionibus existens, in propriis locis expendi utiliter jubebat : nempe in pauperum vestimentis, et infidelibus pueris congregandis, ut baptizati in monasteria traderentur, et Deo proficerent, VI, 7.

Quæ ad eum mittebantur eroganda pauperibus, per illosmet, per quos transmissa erant, erogari jubebat, VII, 9.

Timebat reddere Deo rationem de hujusmodi eleemosynis, sicut de sancti Petri principis apostolorum substantia, VII, 26.

Eleemosynas non dedignabatur recipere, VII, 28.

Pro distributione eleemosynarum rogabat Deum, ut ei concederet illas sine aliquo peccati contagio dispensare, ne unde tribuentes peccata detergebant, ipse inde macularetur, VIII, *ind.* I, 26.

Quæ supererant, pauperrimis monialibus erogari jussit, V, 30.

Xeniis non delectabatur, sed illa respuebat, I, 66 : alia vero ne transmitterentur jubebat, transmissa venundari jussit, quorum pretium transmittentibus remisit, I, 66; IX, 2.

Alia ad usum pauperum fuisse transmissa asserebat, VI, 56.

Quibus xeniis delectaretur, declarat, VI, 19. Quia sanctitas vestra nudis me verbis alloquiis recusat, epistolis quoque xenia conjunxit, quæ nos cum gratiarum actione suscepimus; sed tamen plus mentis vestræ affectu, quam rerum copia delectamur, VI, 65. Xenia vero temporalia a vobis directa, licet nos talibus non egeamus, tamen debita charitate suscepimus. Egemus autem debita charitate, atque commissi vobis regiminis sollicitudine gratulari, *ibid.*

Leontio exconsuli, qui ipsi transmisit oleum sanctæ Crucis et aloes lignum, rescripsit : Munera, quæ trans-

misistis, vestris moribus dissimilia non fuerunt, VIII, *ind.* I, 35.

A prælatis principalioribus non recusavit, ut ab Eulogio Alexandrino patriarcha, et bedictionem sancti Marci appellavit, VII, 40; X, 39.

Munera vero, quæ a pauperibus recipiebat, benedictiones vocabat : eisque ostendebat quomodo quæ modica sunt, fieri possint locupletissima, sic inquiens : Quæ mihi vir Dei pauper spiritu transmisisti, de quibus dicitis : Quid enim det pauper, nisi ea quæ pauperis sunt? sed nisi vos per humilitatis spiritum pauperes essetis, benedictiones vestræ locupletes non fuissent, VIII, *ind.* I, 2.

Et rursus VIII, *ind.* I, 35 : Petitis ut hæc bona mente suscipiam, sed inter ista ad memoriam cujusdam viduæ duo minuta reducite : si enim illa Deo placuit, quæ bono animo pauca obtulit; cur non hominibus placeat, qui mente humili multa dedit?

Principes ob munera sancto Petro transmissa summopere laudat, IX, *ind.* II, 122; XI, 44.

Deus in muneribus non quid datur, sed a quo datur aspicit, IX, *ind.* II, 122.

Munera monasterio sancti Andreæ transmissa probat, XI, 44.

Excusavit se apud Rusticianam patriciam, quod vela ab ipsa sancto Petro transmissa non cum litaniis, sicut cupiebat, ad Ecclesiam fuerunt deportata, sed si voces, inquit, hominum defuerunt, habet ipsa vestra oblatio apud omnipotentem Deum vocem suam, *ibid.*

Libenter recipit munera a mulieribus transmissa : sed reprehendit, quia aliorum labore, non propriis illarum manibus elaborata erant, XI, 78.

Dolor et gaudium sancti Gregorii in actionibus episcoporum, IX, *ind.* II, 4.

Laudabat prælatos et alios superiores bene se gerentes in suo officio, illosque promovebat, cum præpositorum bonitas subjectorum salubris sit regula, VI, 56; X, 35.

Similiter reges conversioni infidelium operam dantes, IX, *ind.* II, 122.

Defendit prælatum falso calumniis oppressum, VI, 2.

Quibus gratulabatur, et qua ratione patriarchæ Antiocheno suam reversionem, ac episcopis ipsi subjectis, V, 39.

Novam electionem Constantinopolitani patriarchæ quibusdam episcopis gratulatur, ut cum ille pro omnibus intercedere debeat, ita pro ejus conversatione et moribus orare omnes debeant, et apud omnipotentem Deum, et ipsi ejus valeant imitatione proficere, et ille ipsorum meritis adjuvetur, VII, 7.

Gratulabatur ascendentibus ad dignitatem, VI, 5. Admonens de ipsorum officio, et de custodienda charitate, pace et unitate sanctæ Ecclesiæ, VII, 4.

Gratulatus est ei qui imperatoris gratiam recuperavit, eum adhortans ad humilitatem tenendam in prosperis et adversis, III, 52.

Et illis qui ex aliquo emerserant periculo, IX, *ind.* II, 33; de infirmitate consolans, quod Deus flagellat omnem filium quem recipit.

Et XII, 14, monet ereptum a naufragio, ut gratias agat Deo, ut sicut ab exterioribus periculis, ita ab interioribus eum eripiat Deus.

Episcopo Ephesino incolumitatem corporis, ut sicut in præsenti vita, quæ quodammodo umbra futuræ est, de transitoria præstitit nos Deus corporis incolumitate gaudere, ita etiam in cœlesti patria, in qua vera vita est, de perfecta animæ salute gratulari, communique faciat exsultatione gaudere, VII, 11.

Episcopo Carthag. valetudinem restitutam post gravissimam infirmitatem, ostendens tempus induciarum ad utilitatem animæ esse convertendum, XII, 1.

Patriarchæ Alexandrino redditam sanitatem, cum ejus vita multorum esset salus, XIII, 41.

Et aliis gratulatur, quod in medio sollicitudinum aulæ imperialis, minime ab illis ipsorum mens sit oppressa, VII, 26.

Schismaticis redeuntibus ad Ecclesiæ communionem, IX, *ind.* II, 97.

Patriarchæ Alexandrino eo quod honorem sanctæ sedi apostolicæ exhibuit, VII, 40.

Eidem conversionem hæreticorum, et Ecclesiæ incrementum, VIII, *ind.* I, 34.

Patriarchæ Antiocheno fidei firmitatem, IX, *ind.* II, 49.

Gratulatur episcopo (*Immo vero monacho, scilicet Secundo, seu Secundino servo Dei*), quod imagines sanctorum et spiritualia ab ipso postulaverit, IX, *ind.* II, 52.

Episcopo Jerosolymitano quod custodiat fidem a sanctis Patribus semel traditam, XI, 46.

Augustino Anglorum episcopo, et reginæ Anglorum conversionem regni ad Christi fidem, XI, 27, 28.

Imperatori suam electionem, XIII, 31.

Sacræ Scripturæ studio vacandum etiam inter exteriora negotia, ut si illa caveri omnimodo non possint, hoc non omnimodo postponatur, III, *ind.* XI, 67.

Religiosum virum secum retinuit, cum quo solatium in verbo Dei habebat, VIII, *ind.* I, 16.

Quæstionibus a privatis viris propositis respondere non dedignabatur. Gregoriæ cubiculariæ Augustæ, quæ ut sibi rescriberet petierat, si ei revelatum fuisset, quod sua peccata essent sibi a Deo condonata, eleganter respondit, quod rem difficilem et inutilem postulaverat, VII, 25.

Et de anima Adæ, quæ in peccato mortua est, et per pœnitentiam salvata, et quomodo diabolus cor hominis ingreditur, VII, 34.

De infantium animabus qui sine baptismo moriuntur, IX, *ind.* II, 52.

Diversos diverse hortatus est ad Dei amorem et proximi : ad compunctionem, et cœlestis patriæ amorem, VII, 26.

De contemnendo obsequio in aula imperiali, et divinæ contemplationi potius vacandum, quam negotiis reipub. implicari, VII, 29.

Quando non est ambigendum de divina gratia jam obtenta, et de ea appetenda, cum ipsam desiderantes appetere, Dei donum sit. Et de divina gratia ita præsumendum, ut non simus negligentes in oratione vel opere, sed petendum orando, quærendum legendo, pulsandum operando, VII, 36.

Rusticianam patriciam hortatus est ut temporalia omnia quam sint fugitiva, pensaret : quia dum hæc loquimur, et tempus currit, et judex supervenit, et mundum, quem sponte nolumus, ecce jam prope est, ut inviti relinquamus, IV, 46.

Quod diabolus quanto cognoscit Dei servum ferventius inhiare cœlesti patriæ, tanto deceptionis molimina ardentius exquirit, ita, ut monachus in ætate quinquagenaria constitutus dicat se adhuc juvenilibus desideriis subjacere : quia majores impetus tentationum monachi patiuntur, quam dum vitam cum pluribus ducunt. Et quod fieri non potest, ut orationibus et Dei laudibus vacemus, sine aliqua interruptione temporis : quia etsi intentio continue prompta est, ipsa tamen humanitatis infirmitas ad semetipsam relabitur, ut aliquando fessa jaceat, atque a studii exercitatione torpescat, IX, *ind.* II, 52.

Declarat ibidem tentationes quæ, cum otiosi stamus, subrepunt, quas tenebras nostri cordis appellat, quas in hac vita volentes nolentesque sustinemus : contra quas nil aliud quæri potest, nisi adjutor in opportunitatibus in tribulatione, VII, *ind.* II, 52.

De tentationibus diaboli, et quomodo superandus est, qui semper munita loca cupit invadere, contra quem voce cordis clamandum est ad Dominum : *Domine, non longe facias auxilium tuum a me, ad defensionem meam respice*, V, 58.

Quod qui terrenis rebus adhærent, quoties congruum juvandi tempus astiterit, nequaquam quod operandum eis est differant, IX, *ind.* II, 119.

Ad superna meditanda Adeodatam illustrem hortabatur, quia qui ista temporalia diligit, somnum vigilans videt, X, 49.

Patriarchæ Constantinopolitano nuper electo propriam infirmitatem accusanti respondet salutare esse propriam infirmationem cognoscere, cum ille infirmior sit qui suam non valet considerare infirmitatem, VII, 5.

Signum sinceritatis dilectio in absentes, et signum boni viri, qui alteri bono viro placet, X, 50.

Ad bona opera peragenda, et ad horas vitæ frequentius psalmodiæ et lacrymis impendendas, atque ad carnis castigationem, quæ quando in voluptatibus vixit, animam mortificavit, hortatur, X, 68.

Ad spem in Deum ponendam, et quod quæcunque humana solatia vel adversitates fuerint, nulla sunt, nisi aut ejus gratia protegat, aut ejus offensa perturbet, XI, 78.

Pro invicem orare hortatur, cum tanto celerius preces nostræ in Dominicæ pietatis aurem subleventur, quanto eas vicissim fusas charitatis ardor exacuit, VI, 19.

Augustinum Anglorum episcopum ad humilitatem hortatus est contra inanem gloriam in miraculis, quæ per ipsum inter illos Deus faciebat, et gloriandum ostendit, quod nomina vestra, dixit Christus, scripta sunt in cœlis., XI, 28.

Intentio sancti Gregorii, neminem gravare, neque animam suam, neque suam Ecclesiam, IV, 17.

Debitum honorem alicui subtrahi non permittebat, V, 59.

Decens officium non præteribat, unde excusavit se quod non rescripserit cuidam per eumdem, quem ille miserat, IX, *ind.* II, 78.

Ita neminem offendere curabat, et omnes fovere cupie-

bat, ut miraretur cur Maurilio exprætectus Siciliæ de sua incolumitate non fecerit ipsum certiorem, adhortans, ut quoties scribendi se occasio dederit, id facere non recuset. XII, 17.

Offensionem erga Cyprianum sibi remitti petiit, cujus multa bona se cognovisse affirmabat, XII, 19.

Alios contristari contra æquitatem non patiebatur, IX, *in.l.* II, 5.

Rationes suæ actionis reddere non subterfugiebat, IV, 47.

Quorumdam ordinationum rationem reddere non neglexit, quas in sancta Romana Ecclesia instituit, ad quorumdam murmurationem tollendam, IX, *ind.* II, 63.

Personam non accipiebat. Nos enim, inquit, nullum pro personali amore defendimus; sed auctore Deo normam justitiæ, postposita cujuslibet personæ acceptione, custodimus, II, *ind.* X, 18.

Semper esse utilem docti viri allocutionem, quia aut discit audiens quod nescire se noverat, aut cognoscit, quod est amplius, id quod se nescisse nesciebat, VIII, *ind.* I, 29.

*De iis quæ spectant ad Principes sæculares.*

Imperatorem pacis Ecclesiasticæ custodem vocat, VII, 6.

Acclamationes fieri jussit in Lateranis Phocæ electo imperatori ab omni clero et senantu his verbis : Exaudi, Christe, Phocæ Augusto et Leontiæ Augustæ vita. Tunc jussit iconam reponi in oratorio sancti Cæsarii martyris intra palatium : mittebatur enim Romam icona imperatoris et uxoris, *olim* XI, 1, *nunc ad calcem epist. in appendice.*

Gratulatur novo imperatori ipsius electionem, adhortans ipsum ad sublevanda ea, in quibus respub. opprimebatur: et ut cœlestis gratiæ virtus eum inimicis terribilem faciat, pietas subditis benignum precatur, XIII, 31.

Quomodo gratulandum iis, qui aliquod reipub. munus suspiciunt, X, 37.

Quod hoc inter reges gentium et reipub. imperatores distat, quod reges servorum sunt domini, imperatores vero reipub. domini liberorum, X, 51; XIII, 31.

Quomodo gratulandum principibus principatum, *ibid.*

Gratulatur regi et reginæ Anglorum conversionem regni quod illa Helenam, hic Constantinum imitati sunt, XI, 27.

Reginam hortatus est ad confirmandum suum virum, *ibid.*

Quodque ipsorum opus ubique audietur, et ab omnibus laudatur, pro quibus Romani fortius orabant, *ibid.*

Novos principes laudibus demulcebat, ut audientes quales esse debeant, fierent mansuetiores, XIII, 38.

Quomodo tractandum sit cum principibus nuper ad fidem conversis, ut rex de regno ad regnum transeat, I, 43.

Libere loquebatur principibus, et summis magistratibus, ut ab erroribus cessarent, III, *ind.* XI, 65; IV, 33. Dicit contra exarchum, qui auxilium cuidam apostatæ dederat, quod talem iniquitatem impunitam remanere propter Deum nullo modo pati volebat, V, 24.

Ad hoc potestas principibus data est, ut qui bona appetunt adjuventur, ut cœlorum via largius pateat, ut terrestre regnum cœlesti regno famuletur, III, *ind.* XI, 65.

Et IV, 24, inquit : Talem ducem Sardinia suscepit, qui sic sciat quæ terrena sunt, reipub. exsolvere, ut bene etiam noverit omnipotenti Deo obsequia patriæ cœlestis exhibere.

Non prætermisit in memoriam revocare principibus genus, licet humile, ut beneficia a Deo in ipsos collata reminiscentes, ad bene justeque agendum illos provocaret, III, *ind.* XI, 65.

Argumentum probitatis reginæ, educatio filii : unde ipsam laudavit, quod non solum gloriam temporalium rerum servavit incolumem, sed etiam æternæ vitæ præmia providit, dum mentem filii in radice veræ fidei materna, ut decuit, et laudabili institutione plantavit : admonens ut filium adhortetur, ut ipsius fides cum operibus enitescat, VI, 5. Et bonam indolem reginæ precatur, XIV, 12.

Laudavit exconsulem de bonis et Christianis operibus, quæ de ipso audiebantur, cum terrenis rebus implicatus esset, mansueto spiritu ageret, humilitatis arcem per omnia custodiret, et singulis quæ justa sunt tribueret, declarans sub similitudine deserviendi cœlesti Jerusalem et Babiloniæ, quando vir probus, et vir malus præficitur, VIII, *ind.* I, 35.

Laudandus est rex a religione, quia esse regem non mirum est; sed esse catholicum, quod alii non merentur, hoc satis est, VI, 6.

Regem catholicum hortatur ad benignitatem semper subditis exhibendam, ut sicut fide ita actione alii reges vincantur, VI, 6.

Quia tunc vere Regi regum, id est, omnipotenti Domino amplius placebit, cum minus sibi crediderit licere quam potest, *ibid.*

Regem ante Deum magnum facit pietas actionis, *ibid.*

Promovebat et hortabatur principes ad propagationem et defensionem fidei catholicæ et Ecclesiæ Romanæ, gratias agens pro collatis beneficiis et pro benevolentia, I, 74.

Regem Hispaniæ operam dantem conversioni Arianorum laudavit, IX, *ind.* II, 122.

Quod in operibus nobis maxime providendum est contra inanem gloriam : unde hortabatur regem ad cordis humilitatem; munditia corporis regiam potestatem temperandam, et iram vitandam, *ibid.*

Quod tenentur principes ad sollicitudinem salutis subditorum, et eorum conversionem. Ad hoc, inquit, illi vobis commissi sunt, quatenus et ipsi vestræ utilitati valeant ad terrena deservire, et vos per vestram providentiam eorum animabus, et quæ sunt æterna prospicere, IV, 25.

Quod per principes qui ad ecclesiam veniunt, multi ad eamdem veniant, VII, 8.

Illis divinum judicium in quo essent de suis subditis reddituri rationem, sæpius proponebat, III, 23.

Ut Deum timerent, ejusdem judicii signa præcedentia exponit, quod ideo præmittantur, ut de animabus nostris debeamus esse solliciti, de mortis hora suspecti, ut venturo judici in bonis actibus inveniamur præparati, XI, 66.

Quod justitiam, quam mente gerunt principes, coram hominibus luce operum demonstrent, I, 48.

Hortatus est principes et patricios ad bene agendum, ex mundi hujus instabilitate et inconstantia, III, *ind.* XI, 52.

Et quod ab eis res adversæ tolerandæ sunt, quia si bonis frui volumus in terra nostra, hoc est in terra viventium, mala hominum in terra aliena portare debemus, peregrinatio quippe est vita præsens, et qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, etiamsi blandus esse videatur, XI, 75.

Reginam Francorum eleganter hortatus est, ut ornet potestatem sapientia; faciat quod Dei est, quia Deus faciet quod ejus est, cum firmamentum regni sit studium contra inimicos Christi : quia in damno est quidquid cum peccato congregatur. In terrenis enim rebus semper causa damni est origo peccati, et nihil injuste perditur, si studetur de injustitia nihil haberi, XI, 63.

Quod feliciter regnare sit scelera in suo regno non permittere, XI, 69.

Tunc enim stabilitur regnum, cum culpa quæ cognoscitur, citius emendatur, *ibid.*

Unde doluit, ut illic habere pravam contingat actionem refugium, unde disciplinæ debet prodire censura, V, 24.

Quod subjectorum culpa, præpositorum deprimit vitam; et cum in subjecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt, sententia retorquetur, IV, 25.

Negotia quæ conscientiam et bonam famam principis tangebant, non legatis, vel aliis agentibus sedis apostolicæ commisit, ut illa cum ipso tractarent : sed ipsius familiaribus viris piis, qui nacti occasionem, cum eo agerent quidquid desiderabat, ut eorum famæ consulere videretur, III, *ind.* XI, 66.

Proponendum principibus, quod Dei flagella declinantur, cum de pravorum hominum correctione Deum placare festinant, declarans quod Dei flagella sunt bellum et pestis, IX, 11.

Principes quomodo possunt superare hostes, IX, *ind.* II, 9. Quod tunc magis principis exercitus contra hostes crescit, cum Dei exercitus ad orationem creverit, III, *ind.* XI, 65.

Et non carnali providentia, sed magis ad futuras Deo largiente victorias orationibus pervenitur, I, 75.

Et IV, 7, sic inquit : Scito excellentissime fili, si victorias quæritis, si de commissæ vobis provinciæ securitate tractatis, nihil vobis magis aliud ad hoc proficere quam zelari sacerdotum vitas, et intestina Ecclesiarum, quantum possibile est, bella compescere.

Probabat eorum consilium qui pacem cum barbaris agebant, ut ad Christum eos adducerent, IV, 23, 24.

Prudentia regis laudatur, quod libentissime ab oratoribus sibi relata accepit, et quod pacem cum republica tractabit, XIII, 7.

Regem hortatus est ad suis regni vitia extirpanda, quæ omnia ipsi significavit, interminans divinum judicium, quod idcirco ipsum admonebat; quia animam ipsius salvari desiderabat, V, 55.

Proponebat principibus propriæ salutis periculum, si delicta corrigere negligerent, cum dissimulans vel ne-

gligens emendare peccata, fiat culpæ particeps, XI, 69.
Miratum se esse dixit, quemdam principem majorem domus suæ delinquentem non vindicasse, IX, *ind.* II, 9.
Principes et maximos viros absolvere renuebat, cum illorum pœnitentiam non videret, IX, *ind.* II, 5.
Neque viros clarissimos aliquid illicite committere patiebatur, sed prius paterne admoneri jubebat, X, 26.
Quod foris inimici affligant, intus judices conturbent, X, 36.
Sacrilegos, si opus esset, ab imperatore puniri curabat, X, 8.
Cæsaris propositum contra hæreticos laudat, VI, 66. Hortatus est eumdem ibidem ad ulciscendas repellendasque injurias, et mala illata ab hæreticis, episcopis catholicis.
Conqueritur, quod ejus leges contra hæreticos non serventur, VI, 66.
Hortatus est reginam Galliæ ad studium revocandi schismaticos, convertendi infideles, nefarios et flagitiosos viros ulciscendi; ut regnum flagellum Dei effugiat, quia si belli flagellum declinaverit, non effugiet pestem. Bella enim, inquit, et pestis ob peccata non punita a Deo immittuntur, cum Deus correctione sceleratorum hominum placetur, IX, 11.
Jussit certiorem fieri imperatorem, quod schismatici ad unitatem fidei sponte venirent, IX, *ind.* II, 9.
Commendabat eos qui præcipue studebant ut schismatici ad gremium Ecclesiæ redirent, illos adhortans ad id enixius perficiendum. Quia inquit, hac in re tanto commoda retributionis accrescunt, quanto studium laboris augetur, V, 47.
Schismaticos ad Ecclesiæ gremium reversos principibus commendabat, ut pertinaces etiam hujusmodi exemplo reverti procurarentur, IX, *ind.* II, 94, 95.
Contra maleficos a prætore imploravit auxilium, ut severius in illos animadverteretur, V, 31.
Modeste et benigne cum imperatore et principibus se gessit in principio, injustas leges et contra ecclesiasticam libertatem ferentibus: ita tamen quod non desiit libere illis sua mala acta improbare, et illas exsequi non permisit, sed ut abrogarentur studuit, III, *ind.* XI, 65.
Prius egit cum ipsis principibus de iniquis jussionibus: deinde declaravit episcopis aliisque inferioribus quid esset agendum super illis, *ibid.*
Imploravit auxilium magistratus pro delegato sedis apostolicæ, inquirente contra non servantes canones et statuta Patrum, inquiens, quod tanto libentius arripuit correctionem causarum ecclesiasticarum, quanto de illius sæcularis potestatis pia mente confidit, IV, 7. Et ut episcopus nullam excusationem haberet animadvertendi in apostatas a fide, magistratus imploravit auxilium, VIII, *ind.* I, 18.
Ad reginam subtrahentem se ab obedientia episcopi sui nuntios legavit, IV, 4.
Quod imperator in causis clericorum non se immiscebat, rescripsit Maximo Salonitano: Postquam, inquit, et nobis et omnibus notum est piissimos dominos disciplinam diligere, et ordines servare, canones venerari, et in causis sacerdotalibus non immiscere; instanter exsequimur, quod et illorum juvat animam, atque rempublicam, et ad quod nos terribilis tremendique judicis respectus impellit, VI, 25.
Imperatori resistere in iis quæ contra canones judicabat, non dubitavit, inquiens: Aliter autem nos id facere pro omnipotentis Dei timore omnimodo non audemus. Et paulo post: Quod vero ipse fecerit, si canonicum est, sequimur: si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus, XI, 47.
Honor ab imperatore sacerdotibus deferendus, V, 40.
Peccatis suis deputabat, quod contumaces episcopi ad sæculares haberent refugium, inquiens; et si episcoporum causæ mihi commissorum apud piissimos dominos aliorum patrociniis disponuntur, infelix ego in Ecclesia ista quid facio? V, 21.
Quod non obstantibus imperatoris interpellationibus, si episcopus contumax non veniret, districtionem canonicam in illum exercere nullo modo cessaret, *ibid.*
Eumdem coram se in honore comparere noluit, non obstantibus imperatoris petitionibus, *ibid.*
Hortatus est exarchum (*Non Exarchum, se Venantium Patricium*) ad obediendum Ecclesiæ, VI, 43.
Mutua charitas, quæ debet esse inter sacerdotem et principem, *ibid.*
Hortatus est reginam Francorum, ne neophyti vel simoniaci in episcopos eligerentur, IX, 11.
Episcopi damnati sententiæ et causæ revisionem ad instantiam exarchi commisit, IX, *ind.* I, 19.
Episcopos excusavit apud principes de illis apud ipsum conquerentes, unde non facile contra illos fidem adhibebat, IX, *ind.* II, 44.
Principibus bona agentibus suo nomine gratias agere potissimum super pace non præteribat, IX, *ind.* II, 99.
Tribunos et magistratus hortatur ad gravamina contra Ecclesiasticam libertatem illata vindicanda, IX, *ind.* II, 101.
Quod orandum est pro vita imperatoris, cujus vita erat causa, ut orthodoxi ad ordines perducerentur, XI, 46.
Regem Galliæ hortatus est, ut congregaretur Synodus contra simoniam, XI, 59, 60, 61, 63.
Ostendit eidem bona ipsi ventura ex reformatione abusuum regni sui, et quæ mala ab illis emanarunt, XI, 59, 60.
Admonet regem Angliæ, ut suum episcopum audiat, si vult ut ille pro ipso a Deo audiatur, XI, 66.
Reginam Galliæ hortatus est ad præbendum auxilium contra impudicitiam sacerdotum, inquiens malos sacerdotes ruinam esse populorum, IX, *ind.* II, 109; XI, 69.
Sententias nonnullas quas tulit, non prius publicari quam imperatori per responsalem significasset, permittebat, ne in despectum illius aliquid agere videretur: cum ejus prædecessor id contra quod sententiam tulit permiserit, XIV, 7.
Ut princeps ad ejus judicium veniret, rescripsit, IX, *ind.* II, 44.
Laudatur imperator eo quod servabat unitatem sacerdotalem, VII, 6.
Signum quod Deum diligant principes, eo quod sacerdotes et Christi famulos diligunt, honoreque afficiunt, IX, 11.
Rationem ejus rei imperatori reddere non pigebat, quæ illi admirationem afferre poterat: unde certiorem ipsum fecit, cur legatos novi patriarchæ apud se moram trahere passus non est, VII, 6.
Jussit defensori mandatum vocandi episcopos provinciæ ad limina apostolorum prætori provinciæ significare, ad removendam omnem suspicionem, ne illorum discessus impediretur, VII, 22.
Certiorem fecit reginam Galliæ de reformatore transmittendo: quod si ei placuerit quamprimum transmitteret, ut cum aliis regni prælatis subtiliter abusus quærat et emendet, XI, 69.
Eidem significavit se velle legare aliquem, ut sedis apostolicæ nomine peracta synodo, perpetrata contra canones corrigat, XIII, 6.
Prædicatores missos ad conversionem infidelium eis commendabat, IV, 23, 24.
Gratiæ agendæ sunt principibus ob præstitam charitatem legatis sedis apostolicæ, IX, 2; XI, 61, 62.
Ad natalem sancti Petri diem principes invitabat, IX, *ind.* II, 9.
Honores viris probis conferri ab imperatore curavit, unde commendavit responsali eum qui non habebat totam pecuniam necessariam pro emenda charta exconsulatus, ut illum opera et aliqua pecunia juvaret: ita tamen si fieri poterat, absque difficultate, ut apud imperatorem suo nomine non uteretur, cum talis esset vir, cui honor sine pretio deberetur, II, 53.
Principes hortatus est, ut annonam piis locis debitam restituere non morarentur: quia quidquid tribuitur pauperi, si subtili consideratione pensetur, non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur, X, 21.
Laudatur amor reginæ Galliarum erga pia loca, XIII, 6.
Commendare se nolle ait Ecclesiam beati Petri Augustæ, cum Deum diligat: quia quanto plus Deum diligit, tanto amplius dictam Ecclesiam amat, XIII, 39.
Petitio Christiani regis non negligenda, V, 55.
Ejus precibus in iis quæ ad religionem spectant; satisfaciendum, VI, 50.
Legatum ad postulationem regis in suo regno concessit, V, 55.
Significavit regi mandata legati, ejusque auxilium imploravit, ut ea perficerentur, *ibid.*
Quod non conceditur principum precibus, non est aliis permittendum, IX, 11.
Quod in aliquo a rigore est recedendum principum gratia, *ibid.*
Principibus est denegandum quod non est concedendum, *ibid.*
Dispensare cum bigamo ad sacros ordines reginæ Francorum denegavit, inquiens: Absit enim ne vestris temporibus, in quibus tam multa pia ac religiosa agitis, aliquid contra Ecclesiasticum institutum fieri permittatis, XIII, 6.
Non permittebat illis sæculares subditos angariare, I 49. Et idem, 61, Gennadio patricio et exarcho Africæ in-

quit : Ita igitur, quæso, aspirante Domino hæc omnia interminationis nostræ præceptione corrigite, ut si non rectitudinis contemplatione, saltem formidine nostræ jussionis, a talibus se gloriosus Theodorus, vel homines ejus abstineant.

Pauperes sæcularibus principibus commendabat, I, 48, asserens, ut salva justitia piis se causis libenter accommodent, et quidquid his juris ratio tribuit, benigne jubeant custodire.

Et 76 præsentium quoque latorem, etc., ut in his, quæ sibi necessaria, justitia tamen præsente, suggesserit, sollicitum ei impendatis effectum.

Hortabatur ut onera et intolerabilia gravamina populorum tollerent, illorumque calamitates sublevarent, cum magis juvetur respub. ex pauco quod colligitur juste, quam ex multo cum peccato, cum id sit causa, ut tot magnæ expensæ in tantis calamitatibus nihil prosint. *Illustris epistola contra istos principes acerbos exactores de Sardinia, Corsica et Sicilia*, V, 41.

Quæ colliguntur, sine peccato esse debent; unde eadem epist. dixit : Idcirco fortasse tantæ expensæ in hac terra minus ad utilitatem proficiunt, quia cum peccati aliqua admixtione colliguntur.

Commendavit provincias principibus, ut ad illas regendas viros probos mitterent, nec paterentur illos a quoquam in ullo contra justitiam prægravari. Unde commendavit insulam Corsicæ, ut gubernatorem, qui bene illam tractaret, ad eam destinaret, et præteritum gubernatorem laudavit : et probabat, si iterum ad eamdem insulam regendam mitteretur, VII, 3.

Regi Francorum rescripsit, ut curaret, ut spoliatus episcopus, suis bonis et episcopatui restitueretur, IX, *ind.* II, 116.

Præfectis significabat quantum in se esset, se afflictis intercessionis suæ solatium non negare, X, 37.

Deus bonos ad populorum regimina perducit, ut per eos omnibus, quibus prælati fuerint, dona suæ pietatis impendat, XI, 66.

Felices populi ob regimen boni regis, XIII, 6.

Calamitates provinciarum commendabat Imperatori, præsertim Italiæ, a Longobardis inflictas, XIII, 38.

Hortatus est Augustam ad sublevanda gravamina reipub., XII, 39.

Patricium hortatus est, ut apud suum regem, in causis pauperum suus animus cresceret : cum nobilium mentium semiplenum bonum videatur, quod sine adjectione relinquitur, XI, 14.

Nutrices filiorum principum hortabatur, ut talia tunc eis suggerant, quæ postmodum ostendant quam bona fuerint, quæ a nutritorum suorum ore suxerunt. Nam verba nutrientium, aut ac erunt, si bona sunt; aut venenum, si mala, VII, 26.

Laudavit eos qui suum officium egregie præstabant apud suos principes pro fide catholica, IX, *ind.* II, 121.

Patriciam hortatus est ad cogitanda ea quæ plus animæ sunt quam corporis, et tremendum Dei judicium, et quod omnia sunt transitoria, XIII, 32.

Consiliarii officium describit, I, 34. Inquiens quod cum amicis omnia tractanda sunt, sed prius de ipsis; et ii adhibendi sunt, qui non tua, sed te diligunt.

Et V, 36, qui assistunt principibus, et sinceris erga eos dilectionibus obstringuntur, illa ipsis suadere debent, atque suggerere quæ animam salvent, et opinioni non derogent.

Jussit principibus ut consiliarios schismaticos ad unitatem redire facerent, IX, *ind.* II, 9.

Ait quod non est mirum si ibi hæretici non possunt adduci, cum consiliarii sint schismatici, *ibid.*

Quod multorum solamen est, ut prudentes viri regibus adhæreant. Nam dum præstandi sibi locum ad animæ utilitatem datum intelligunt, certum est, quia mercedis causas, ubi inveniunt, non postponunt, XI, 14.

Contra consiliarios, qui contra Dei timorem, et statuta canonum consilium episcopo dederunt, jussit excommunicari, sic inquiens : Ut cadentes discant, quatenus incaute ambulare non debeant, IX, 2.

Præfectos et rectores provinciarum et urbium hortabatur, ut exercerent severitatem in fidei Christianæ hostes, sic inquiens : Ita ergo omnia districtissime sub omni festinatione corrigite, ut non solum pro hac vobis disciplina gratias referamus, sed et testimonium de bonitate vestra, ubi necesse fuerit, præbeamus, III, *ind.* XI, 38.

Et ab illis postulavit, ut eorum auxilium pro fidei propagatione impartirentur episcopis, III, *ind.* XI, 62.

Judices quos a pravitate convertere nequibat, litteris apud suos principes notabat, V, 41.

Alios supremos apud principes admonuit, ut principibus suggererent, ne permitterent magistratus prave agere, XIII, 22

Libertates uniuscujusque contra judicum insolentias libere defendebat, VIII, 51.

In eo quod injuste fit, Deus offenditur, et propria opinio gravatur, et principum tempora fuscantur, X, 51.

Quando Deus offenditur ut placatum nobis reddamus hominem, nullo modo hominem placamus, *ibid.*

Nullo modo se passurum inquit, si sibi constarent quæ de quodam judice ferebantur, quin imperatori significaret, cum homines propter justitiam se diligere profiteatur, non autem justitiam propter homines postponere, *ibid.*

Magistratus in suo munere obeundo, prius Deum oportet ut placatum habeat, deinde cum omni sollicitudine impleat principis utilitatem, *ibid.*

Iram in magistratu edomandam, et fugiendam asserit, *ibid.*

Præfectum hortatus est, ut gravissima et vexationes atque violentias judicum corrigat, oppressosque ex tributis sublevet, XI, 5.

Magistratum admonuit, ne in causis ecclesiasticis se immisceret, qui clericos damnatos, et moniales e monasterio egressas defendebat, ei affirmans se non sine debita ultione præteriturum, V, 24.

Conversionem infidelium præfecto commendavit, ut in hoc opere Episcopum adjuvaret, XI, 22.

Magistratus magistratum non gratulabatur, sed potius secum condolebat, X, 37.

Quod Deo et pravis hominibus simul nemo placere potest, X, 36.

Quod grave est, afflictis temporibus locis majoribus præfici : idcirco præfectos hortabatur, ut hujusmodi res aspera fieret mercedis occasio, X, 37.

Gaudere se ait quod præfectus divinis vacaret scripturis, *ibid.*

Magistrum militum hortatur, ut culpam cujusdam sibi remitteret, XII, 19.

Profitetur se nolle misceri, ut aliquis fiat præfectus, XII, 26.

Venantium cancellarium Italiæ ex monacho per epistolam graviter increpavit, I, 34.

*De iis quæ spectant ad legatos et alios ministros S. R. E.*

A sancta sede apostolica nonnisi diaconi legabantur ad imperatorem, XIII, 38.

Eos legabat, qui principibus provinciæ essent grati, I, 2; XI, 69.

Ut debitus honor legatis deferretur curabat, I, 1.

Commendabat illos piis viris, et iis ad quos mittebat, VI, 5, 6; XIII, 38.

Viros religiosos admonebat, ut frequenter legatum sedis apostolicæ visitarent; ut post labores, inquit, quos in causis sæcularibus patitur, in verbo Dei vobiscum inveniat, et quasi quodam candido linteo ejusdem laboris terreni sudorem detergat, VII, 30.

Cui legationis munus obeundum erat, vita provinciæ quibus illa laborabat, declarabat, ut illa exstirparet, V, 48.

Concessit facultates legationis, servato proprio honore Metropolitanorum secundum priscam consuetudinem, V, 54.

Legatum ad postulationem regis concessit, V, 54, 55.

Scripsit omnibus episcopis illius provinciæ, ad quam fuerat legatus destinatus, quod legationem sedis apostolicæ ad eos decreverat, IV, 54.

Legatio necessaria est, ut unus sit ad quem recurri possit, qui ex charitate et pace præsit, *ibid.*

Legatus curet, ut integritas fidei, et quatuor concilia sollicita devotione serventur, *ibid.*

Contentiones inter episcopos exortas compescat, *ibid.*

In gravioribus causis, si opus fuerit episcopos congreget competenti numero, *ibid.*

Causam fidei, aut alicujus eminentis negotii dubietatem, quæ pro sui magnitudine judicio sedis apostolicæ indigeat, examinet, et ad sanctitatis suæ judicium referat, *ibid.*

Omnes episcopi legato obediant, ad ejusque vocationem veniant absque canonico impedimento, *ibid.*

Impediti episcopi mittant suo nomine presbyterum, vel diaconum, *ibid.*

Nullus episcoporum ad longinquiora loca sine auctoritate legati abeat, idque affirmat esse ex consuetudine tam legationis, quam sedis apostolicæ, quæ hoc mandare consuevit, *ibid.*

Scripsit regi de legatione decreta ad ejus regnum V, 55.

Ad regis instantiam dicit se velle decernere legationem propter reformationem quam ipse rex postulabat, XIII, 6.

Auxilium brachii regii invocavit pro legato contra episcopos delinquentes, et quoscunque alios, V, 55.

Legatus non permittat vitia in regno persistere, cum

illa animam regis gravent, *ibid.*

Mandata legato data significavit regi, *ibid.*

Legatum sedis apostolicæ prohibuit cum patriarcha communicare, VII, 34.

Quidquid Delegati decreverint, dicit sibi placere, ita tamen, ut perpendant, ne ipse videatur remissius vel cum injuria sanctæ Romanæ Ecclesiæ agere, IX, *ind.* II, 67.

Legatos misit Joannem abbatem, et Hippolytum notarium ad reginam Longobard. ut ei persuaderent unitatem Ecclesiæ, et obedientiam ejus episcopo, IV, 4.

Reformatio cleri legato sedis apostolicæ cum ordinario loci committitur, XI, 68.

*De iis quæ spectant ad Capitulum, sede vacante.*

Orationes fieri pro electione facienda episcopi præcipiebat, inquiens : Unanimes orate fideliter, ut quicunque fuerit ordinandus, et vobis utilis possit exsistere, et dignum Deo nostro sacerdotale exhibere servitium, I, 58.

Ordinationem bonorum Ecclesiæ vacantis, præsertim mobilium, per inventarium committebat, III, *ind.* XI, 22.

OEconomum in Ecclesiis vacantibus deputabat, I, 11, 81, ne detrimentum pateretur Ecclesia, nec ab illa permittebat illum discedere, donec electio fuisset facta.

Nihil sede vacante in illa diœcesi decernebat : unde monasterium vacans unire noluit quousque in illa civitate fuisset episcopus ordinatus, X, 61.

Commisit ut causa diu dilata terminaretur, cum Ecclesia fuisset ordinata, XI, 16.

*De Postulatione.*

Monachum in episcopum ordinatum postulatum noluit concedere, ne ejus quies interrumperetur, XIII, 15.

Archidiaconum unius Ecclesiæ in episcopum alterius Ecclesiæ eligi non permisit sine licentia sui episcopi, V, 17.

Cessionem diaconi in episcopum alterius ecclesiæ postulanti suo nomine non permittit peti : sed eligentium munus esse ostendit ut ab ejus episcopo petant, cum nolit videri aliquid concedere contra illius episcopi voluntatem, XIV, 11.

*De Electione.*

In electione episcoporum sanctus Gregorius antiquam se ait deliberationem habuisse, pro nullius unquam se miscere persona, sed illorum electionem orationibus prosequi, III, *ind.* XI, 29.

Invigilabat, ut digni in episcopos eligerentur, de quorum moribus et probitate inquisitionem fieri, et hujusmodi viros dignos per provinciam quæri, et inventos examinari jubebat, et postremo ad ipsum transmitti, I, 18; II, *ind.* X, 24; X, 19, inquit, cujus vita vel actus, quia melius possunt illic ubi diu est conversatus, agnosci, curæ tuæ sit, de eo diligenter inquirere.

Et XIII, 15, ait : Persona Crescentis diaconi propterea quod omnino nobis ignota est, prima nobis cura fuit requirere, quemadmodum xenodochium, cui præfuerat, gubernasset, ut ex minimis, qualis esse possit in maximo nosceremus.

Permisit ut eligeretur, cogente necessitate quod melior non inveniretur, si tamen nullum obsisteret canonicum impedimentum; is quem licet bonæ mentis esset, tamen idoneum ad regendum minime judicabat; aptum vero hujusmodi regimini secreto voluit indicare, V, 17.

Electores præ omnibus sunt admonendi, ut in generali causa utilitates proprias non attendant, III, *ind.* XI, 29; V, 23.

Describebat electoribus qualem episcopum eis desiderabat, III, *ind.* XI, 29; V, 22.

Quid agendum sit in electione electoribus significabat, inquiens : Talem eligite, cui semper debeatis obedire; judicari namque a vobis ultra non debet semel prælatus, sed tanto nunc subtiliter judicandus est, quanto postea judicandus non est, III, *ind.* XI, 29.

Admonendi sunt electores quid attendere et considerare debeant, ut sibi ante oculos proponant orbis calamitates, et tremendum Dei judicium, *ibid.*

Electores non debent recedere a laudabili electione designata, III, *ind.* XI, 47.

Electores episcopi hortatur, ut episcopum quem dignum electione judicarunt, imitentur, et ei obediant, VI, 8.

Non locus, sed actio apta perquiritur in electione : quia et ante Deum ille prioris obtinet locum qui in ejusdem oculis, etiamsi hic abjectus sit, bonæ actionis instrumento placuerit, VII, 10.

Quomodo fieri debeat electio, et quæ in ea sunt servanda, et is eligendus est, qui nullius incongruæ voluntati deserviat, III, *ind.* XI, 22.

Diuturnam cogitationem in ordinatione Ecclesiarum habebat : et ejus non erat animus in ea re otiosus, II, *ind* X, 12.

Quod sine mora electio facienda est, quia diu sine proprio rectore Ecclesia esse non debet, VII, 14.

Et I, *ind.* XI, 35, sic inquit : Qui si fortasse admonitionem tuam quolibet modo differre tentaverint, ecclesiasticum in eos vigorem exerce : studebat enim ut electio quantocius fieret, eum amplius illam Ecclesiam sine proprio non patiebatur esse rectore.

Quod ultra tres menses Ecclesiam vacare sacri canones non permittunt, VII, 42, ne cadente pastore Dominicum gregem antiquus, quod absit, hostis insidiando dilaniet.

Electionem episcoporum cito fieri curabat, I, 81; II, *ind.* X, 6; III, *ind.* XI, 35.

Differri electionem dolet, quia si gregi, inquit, pastoris cura defuerit, facile laqueos insidiatoris incurrit, I, 80, atque miratur, inquiens, quod non sine culpa est illius provinciæ defensor, XI, 77.

Commisit ut eorum etiam civium voluntas exploraretur, qui extra civitatem reperiebantur ob Barbarorum incursiones, in electione facienda, III, *ind.* XI, 30.

Is qui est degremio præferatur, I, 58; II, *ind.* X, 25; IX, *ind.* II, 27.

Ex laicis episcopi ne eligantur, II, *ind.* X, 25; III, 41; V, 59; IX, *ind.* II, 106. Et quam fuerit osor et insectator hujus abusus, *ibid.*, 110; XIII, 13.

Laicum religiosam vitam ducentem in studio psalmodiæ, et in amore orationis laudavit; eumdem monachum, vel subdiaconum fieri hortatus est, ut deinde episcopus eligi possit, XII, 12.

Qui favore laici utitur, omnino ab electione repellatur, XIII, 14.

Nec ad preces laicorum electio fiat, IX, *ind.* II, 76.

Electum in episcopum non cogebat, ut acquiesceret electioni, III, *ind.* XI, 15.

Ubi aliquando solebat esse episcopus, præcipiebat ibidem ordinari episcopum ob necessitatem conversionis infidelium, IV, 29.

Ad episcopatus vacantes viros eximiæ probitatis invitabat, cum episcopatus munus sic vacare operibus charitatis, V, 42.

Primates per provincias ubi constituendi erant secundum consuetudinem, curavit ut constituerentur, I, 74, quos ait habuisse originem a beato Petro, I, 77.

Laudatur is qui non temere quemdam in episcopum elegerat, sed caute, sicut decebat, processerat, X, 45.

Quod si electores in unum non convenerint, sed in duos, eosdem transmitti jubet cum inquisitionibus, ut dignior præficiatur, XI, 77.

Si nemo inveniretur idoneus, ad se venirent nomine cleri et populi eorum facultate roborati, ut posset inquiri, et eligi Romæ, qui aptus repertus fuisset, XIII, 15.

Electionem episcopi coram se aliquando fieri præcipiebat, III, *ind.* XI, 40.

Hortatus est metropolitanum, ut Ecclesias sacerdotibus vacantes ordinaret : ita tamen ut non omnes de ejus Ecclesia ad episcopatum eligerentur, ne propria Ecclesia necessario cultu careret, XIII, 47.

*De Confirmatione Electionum Prælatorum.*

Confirmatio electionis episcopi electi, II, 22.

Manus temere imponere inexpertis et incognitis non audebat, X, 34.

Commisit inquiri de vita et actibus electi, si aliquod canonicum haberet impedimentum, si in opere Dei studium habuit, et psalmos novit, *ibid.*

Quod grave est, quando non ex judicio, sed ex solo favore fit electio, X, 62.

Non incaute quem piam promovebat, sed de vita et moribus electi vigilanti sollicitudine per viciniorem episcopum, et visitatorem Ecclesiæ vacantis mandabat inquiri, XIV, 11.

Inhabilem judicavit eum, qui nimis senex erat, et quia juravit se nolle fieri episcopum, *ibid.*

Indignum censuit, qui nunquam amicum in domum suam vocaverat ad charitatem : ideo jussit queri an id commiserit ex tenacia, vel ex necessitate, *ibid.*

Item indignum judicavit, qui ignorabat psalmos, *ibid.*

Et V, 48, ait : Sed nec Joannem presbyterum Psalmorum nescium præsumimus ordinare : quia hæc eum res minus sui profecto habere studium demonstrabat.

Item cum, qui qualis esset interius, omnino ignorabat, nisi prius cognitum non confirmabat, XIV, 11.

Duos in episcopum electos pariter rejecit, alterum, quia filiam habebat, sic inquiens : Nam qua præsumptione ad episcopatum audet accedere, qui adhuc longam sui cor-

poris continentiam, filiola teste, convincitur non habere? alterum, quia simplex erat, et insuper, quia pecuniam dederat ad usuram, x, 62.

Indignum electum in episcopum rejecit, et visitatorem decrevit pro electione iterum facienda, I, 57; V, 48; alium dignum eligit, cujus vita sibi notissima erat.

Indignum in episcopum electum suspendit in omnibus, quousque informatus a responsali, statueret quid esset agendum, IV, 20.

Commisit rectori Siciliæ examen eligendi alium in episcopum, cum electum tanquam indignum rejecisset, VII, 41.

Electi in episcopum, qui ab ipso erat ordinandus, vestes episcopales, et argentum pro ejus usu, ut cum eo deferrentur, admonuit, III, *ind.* XI, 35.

Nullum affirmat se daturum consensum super illius electionem qui non a catholicis fuerat electus, quia, inquit, Vicarius sancti Ambrosii indignus evidenter ostenditur, si electus a talibus ordinatur : agebatur enim de electione episcopi Mediolan., XI, 4.

Inquisitionem electi in episcopum commisit, quem non moribus, sed solum specie tenus dicit se cognoscere, *ibid.*

Nominatos ad se venire præcepit, ut digniorem episcopum eligeret, V, 22.

*De Consecratione Prælatorum.*

Consecrationem electi in Metropolitanum permittit a propriis episcopis fieri, III, *ind.* XI, 30; II, 23.

XI, 4, dicit se ratam habere consecrationem ejus, qui fuerat electus episcopus ab episcopis per Illyricum.

Item VI, 8, approbavit consecrationem episcopi Nicomeditanæ civitatis.

Romam veniebant episcopi, ut consecrarentur, VII, 19, 20, 21; IX, *ind.* II, et alibi, de episcopis electis, ut videre est supra in locis, quæ citantur sub titulo *De Electione.*

*De Auctoritate et Usu Pallii.*

Pallium exigentibus causarum meritis, et fortiter postulanti concedendum, IX, 11.

Quibus temporibus uti pallio archiepiscopus possit, III, *ind.* XI, 56, ubi agit contra archiepiscopum Ravennatens. qui pallium etiam extra missarum solemnia usurpaverat. De ejusdem usu in solemnitatibus et litaniis, donec subtilius veriusque aliquid cognoscatur, V, 11.

Et tantum in missarum solemnibus, V, 53, 56.; VI, 8, 9, 18.

Et IX, *ind.* II, 108, inquit : Quia omnino rationis ordo nos admonet, ut cum usu pallii aliqua simul, sicut diximus, largiri privilegia debeamus; sed quoniam cum honoris augmento cura quoque sollicitudinis debet accrescere, ut cultui vestium, actionis quoque ornamenta conveniant, oportet ut enixius in cunctis se studiis vestra fraternitas exerceat.

Confirmata electione pallium datur, II, 22.

Post electionem metropolitæ, unus ex coepiscopis comprovincialibus mittitur pro pallio, V, 57.

Quod pallium traderetur rescripsit, si tamen promiserit recipiens, decreta reformationis in synodo edita se servaturum, IX, *ind.* II, 108, 109.

Sub districta prohibitione vetuit, ut nihil pro pallio acciperetur, V, 57.

De auctoritate pallii, IV, 53; IX, *ind.* II, 109.

Dedit facultatem defensori sedis apostolicæ tradendi pallium, quatenus fuerit fortiter postulatum, ex exigenbus meritis postulantis, IX, 11.

Ob merita personæ concedit pallium episcopo non metropolitano, et prærogativam supra alios episcopos tribuit, servata tamen prærogativa in omnibus sui metropolitani, IX, *ind.* II, 108.

*De Translatione Prælatorum, et Commendatione Ecclesiarum.*

Episcopos Ecclesiarum, quæ occupatæ ab hostibus detinebantur, transtulit per incardinationem ad Ecclesias vacantes, I, 79, 80; II, *ind.* X, 37.

Episcopo unius Ecclesiæ aliam commendavit, II, *ind.* X, 16, 38; III, *ind.* XI, 15, et causam exposuit.

Reditus Ecclesiæ commendatæ decrevit expendi pro reparatione Ecclesiæ, et subventione cleri : correctionem, et jurisdictionem tamen illius commendavit, IX, *ind.* II, 71.

Episcopos episcopatu vacantes ad suæ ditionis episcopatus invitabat, V, 42.

*De Renuntiatione.*

Voluntarie renuntianti Ecclesiam ob infirmitatis ausam nulli denegabat, eumque de reditibus ejusdem Ecclesiæ sufficienter nutriendum esse censebat, VII, 19, 20, 21; XII, 5.

*De iis quæ spectant ad Episcopos et Præpositos.*

Nuper electum in episcopum de suo officio admonuit, II, *ind.* X, 10.

Et eleganter et copiose ejusdem libri ep. 23 inquiens, quod nomen pastoris non ad quietem, sed ad laborem suscipi existimandum est : unde exhibendum est in opere quod signatur in nomine.

Quod instructio populi, prælati sit actio. In vobis, inquit, quod diligat, cernat : quod imitari festinet, exemplo vestro vivere doceatur : a recto itinere te duce non deviet, ad Deum vos sequendo perveniat, V, 57, ubi multa, quomodo gregem Dei gubernare debeat.

Et ad propri muneris exsecutionem hortatur, ut unusquisque in suo officio sit sollicitus, et gregem sibi commissum sollicitudine et oratione custodiat, V, 54.

Et VIII, *ind.* I, 10, ibique quibus rebus episcopo studendum sit eleganter ostendit.

Idem copiose, IX, 107, ubi ait, quod episcopus dicitur ductor, quia viam salutis gradientibus ostendit. Idem, XIV, 17.

Episcopus irrisiones, dicteria, quæ notarii mores vocant, simulationem et duplicitatem, pompam et vanitatem fugiat; ita ut non sit honor episcopatus ejus totus foris in ostensione, sed in mente; nec irascatur, et dum furit, non crimina servis et familiaribus suis imponat : et episcopatum sarcinam vocat. Et de cura pastorali, V, 15.

In habitu nihil inordinate, V, 11.

Id debemus a Deo in orationibus pro episcopo petere ut ejus divina misericordia ei dono concedat, et prædicare quod diligit, et sequi hoc quod per ipsum prædicare concessit, VI, 19.

Episcopus (*S. Gregorius, loco indicato non episcopum, sed præfectum Illyrici admonet*) nuper electus largitam dignitatem ex solo munere donantis attendat, et ex ipsa concessi regiminis administratione conditorem suum erga se placabilem faciat, II, *ind.* X, 21.

Hortatus est episcopum ad vigilandum supra gregem exemplo terrenorum pastorum, et eleganter de munere pastorali, IV, 35.

Episcopus quomodo in Ecclesia sua conversari debeat, III, *ind.* XI, 63.

De grato animo quem episcopus debet habere in electores, IV, 1.

Quod episcopus ametur et simul timeatur, *ibid.*

Episcopum simplicitati tantum studentem reprehendit, IV, 26.

Episcopatus est vacare operibus charitatis, V, 42

Episcopus is commendatione dignus est, qui ad episcopatum venit invitus, IV, 45.

Mediocritas ab episcopo servanda, V, 48.

Tot sunt episcopi retributiones, quot lucra fuerit operatus animarum, *ibid.*

Episcopus cum loco et mentem mutare debet, VI, 30.

Vacuum nomen tenet episcopi, qui patientibus necessitatem non concurrit, nec alienam inopiam suam credit, *ibid.*

Quod non sufficit in episcopo sola lectio et oratio, et remotum sedere : sed oportet ut largam manum habeat, *ibid.*

Episcopus non plus pecuniæ, quam animabus studeat, cum Christus ab episcopi officio non aurum, sed animas exquirat, VI, 29.

Mirandum est, si is qui vestes habet, argentum habet, cellaria habet, quod pauperibus debeat dare, non habet, VI, 30.

Nihil magis in episcopo quærebat, quam sanctitatem, liberalitatem et sapientiam, *ibid.*

Episcopus stipendiis Ecclesiæ suæ contentus esse debet, nec de publico aliquid percipiat, V, 44.

Hortatur episcopum ad suum officium, ad pacem, charitatem, vigilantiam, cœlestia anhelare, et terrena relinquere, VI, 65.

Episcopatus sicut desiderantibus est denegandus, ita fugientibus offerendus, VII, 4.

Qui renuit pascere oves Dei, et valet, peccat, VII, 4.

Quod signum dilectionis in Deum est pascere ipsius gregem, *ibid.*

Quod fieri non potest, ut quærat quis mentis serenitatem in episcopatu, VII, *ibid.*

Qua ratione mentis serenitas in episcopatu sit quærenda, *ibid.*

Quod episcopum oportet sæculares curas habere, *ibid.*

Quando et quatenus oporteat, *ibid.*

Episcopus statim ac est electus, fidem suam profiteatur et ad papam transmittat; *ibid.*, 4.

Episcopus non debet recedere a solita forma profitendæ fidem, *ibid.*

Episcopus pro suis principibus suoque patriarcha orare debet, VII, 4, 7, 27.

Episcopus non debet deesse in eo quod potest, etiamsi vires non suppetant, ut suum studium in defensione pauperum et oppressorum Deo pateat, X, 36.

Episcopus in omni eo quod agit, inspectorem cordis appetat habere placatum, *ibid.*

Nihil omittat episcopus, ut Deo placeat, cum humani terrores, et gratiæ sint similes fumo, qui levi aura raptus evanescit, *ibid.*

Signum est Deo placuisse episcopum, si pravis hominibus displicuisse cognoverimus, X, *ibid.*

Laudat episcopum a gravitate, eumque hortatur ad justitiam administrandam, canonum rigorem retinendum, excessus sacerdotum moresque reformandos, VIII, *ind.* I, 12.

Pastoris officium commendatur, cum lux gregis sit flamma pastoris, VIII, *ind.* I, 33.

Finis officii episcopi describitur, quando non terrenarum rerum curam, sed animarum ducatum se suscepisse episcopus cognoscere debet, IX, *ind* II, 2.

Quod illa præpositorum sollicitudo utilis est, et illa est cautela laudabilis, in qua totum ratio agit, et furor sibi nihil vendicat. X, 11.

Officium episcopi est non modo sua, sed etiam aliena deflere peccata, XII, 1.

Preces fundendæ pro implorando officio episcopi, *ibid.*

Pascere gregem coram Domino est, orando, admoendo, boni operis studium ostendendo, ad æternæ vitæ pascua cum ipso quem pascit grege pervenire, XII, 1; XIII, 13.

Laudat episcopum (*Immo vero Maurentium magistrum militum*) humana conventicula caventem : quia sæpe animus qui renovari in Deo per compunctionis gratiam desiderat, per prava colloquia veterascit, VIII, 17.

Episcopus sicut patet in nomine; ita affectu probetur in opere, II, *ind.* X, 49.

Lectionem librorum gentilium episcopo vetuit, quos nugas appellat, inquiens : Quia in uno se ore cum Jovis laudibus Christi laudes non capiunt. Et illum reprehendit, quia grammaticam quibusdam exponebat, XIII, 54.

Laudat episcopum (*Non episcopum, sed magistrum militum*) sacræ lectioni vacantem, quem ad societatem in sacro eloquio invitat, cum non invenisset, qui sibi in hoc munere adhæreret ob boni paupertatem, quam vehementer deplorabat, VIII, 17.

Gratulatur episcopo causis sæcularibus occupato, quod sacræ Scripturæ det operam, et ad illam hortatur, III, *ind.* XI, 67.

Regulam pastoralem episcopo postulanti transmisit, V, 4.

Reprehenduntur episcopi usurpantes in electione patriarchæ verba sacræ Scripturæ in personam Christi prolata, *Hæc dies quam fecit Dominus*, etc., VII, 7.

Episcopus sit ambidexter, V, 39

Remedium dedit contra invidiam, quanto scilicet sibi alios invidere quis perpendit, tanto vigilantius, ut sibi nihil nocere valeant, in utilitatibus Ecclesiæ, et Dei servitio perseveret, II, *ind.* X, 15.

Laudatur episcopus quod infirmos visitet, et illos in domum suscipiat, II, *ind.* X, 35.

Episcopus operam dans injustis conviviis reprehenditur, et declaratur quæ sint justa convivia, scilicet ubi nulla absentium vita mordetur, nullus ex irrisione reprehenditur, ubi non inanes in eis sæcularium negotiorum fabulæ, sed verba lectionis sacræ audiuntur, ubi non plus quam necesse est servitur corpori : sed sola ejus infirmitas reficitur, ut ad usum exercendæ virtutis habeatur, II, *ind.* X, 52.

Episcopus largam habeat manum, necessitatem patientibus concurrat, et alienam inopiam credat esse suam, VI, 30.

Laudatur episcopus eleemosynas Romam transmittens, VII, 9.

Episcopus habeat presbyterum, quem in secreto suo inveniat, ubi requiescat post causarum tumultum, VI, 22.

Hortatur episcopum ad unitatem et charitatem, quæ est mater et custos omnium virtutum, II, *ind.* X, 47.

De mutua charitate qua coepiscopis respondebat, eos invitans ad orandum pro invicem, VI, 19.

Quod in alium ex charitate fieri potest sine scandalo, etiamsi ab illo nihil reprehendatur, laudabile est, IV, 32.

Qui particeps erat mensæ decessoris, incongruum judicat ut a successore ab illa pulsetur, *ibid.*

Episcopus subministret necessaria clerico litterarum ignaro, VII, 11.

Admonuit episcopum ut in causis ecclesiasticis viriliter ageret, quod nihil aliud quæreret nisi ut sub consideratione solius omnipotentis Dei cuncta faceret, et nullius persona eum a rigore disciplinæ emolliret : neque vehemens indignatio in rigore, quod absit, aliquo immoderatæ districtionis obduraret, VII, 9.

Admonetur episcopus ut in causis ecclesiasticis ita se gerat, ut a paternæ charitatis gratia non recedat, VI, 44.

Sacerdotale studium, lites terminare, VII, 10.

Episcopus filios suos tueatur, ita tamen ut non maledictis adversariorum occasionem præbeat, IX, *ind.* II, 23.

Episcopus justitiam administrare non differat, IX, *ind.* II, 45.

Curent potissimum episcopi ut justitiam servent cum iis qui ad Ecclesiam confugerint, X, 58.

Hortatur episcopum ut curet non solum hæreticos reducere, sed ut catholici vel in primis bene vivant, ne intra gremium sanctæ Ecclesiæ filii alieni nutriantur, II, *ind.* X, 52.

Episcopus minime sollicitus pro conversione infidelium subditorum redarguitur, et se in illum animadversurum comminatur, IV, 26.

Hortatur episcopum, ut fideles confirmet, apostatas revocet, infideles convertat, VIII, *ind.* I, 1.

Episcopum ob timorem hæreticorum latitantem quæri mandat, quem hortari præcipit ut ad limina apostolorum veniat, et ei expensas subministrari jubet, IX, *ind.* II, 94.

Laudat episcopum perscrutantem vitam suorum sacerdotum, eique mandat ut investigata alteri de ejus mandato renuntiet, inquiens : Nulla res ab investigatione pravorum actuum, vel insinuatione te revocet : nam quanto vigilantiam tuam modo laudamus, tanto culpabilior invenieris, si hujusmodi actus qualibet dissimulatione celaveris, III, *ind.* XI, 50.

Episcopus ignorans quæ fiunt contra Dei servos, nullam potest habere excusationem, III, *ind.* XI, 53.

Objurgationes in sacerdotes mature faciendæ sunt ab episcopis, IV, 1.

Episcopus monasteria non gravet, sed defendat, VI, 29.

Episcoporum adventus ad monasteria ita fiat, ut desideretur a monasteriis, VIII, *ind.* I, 15.

Episcopus non nisi visitandi exhortandique gratia ad monasterium accedat, *ibid.*

Monasteria ab episcopo non graventur occasione hospitii, *ibid.*

Episcoporum frequens adventus in monasterium non sit metuendus, sed desiderabilis, et quomodo id fiat, *ibid.*

Episcopus non permittat minores a majoribus opprimi X, 58.

Episcopus sit diligens in eligendis Ecclesiæ ministris, quia illis delinquentibus, ipse delinquit, X, 24.

Episcopos in omnibus honorare cupiebat, II, *ind* X, 47.

A principibus prægravatos episcopos viriliter defendit, et injuste dejectos non modo inter depositos non habuit, sed in pristinos gradus restitui curavit, et secum retinebat, I, 7, 28.

Episcoporum causas corum imperatore a responsali sedis apostolicæ suscipi jubet, VIII, *ind.* I, 10, 25; XI, 6, 7, 8.

Non sinebat episcopum gravaret inferiores suos clericos. I, 19.

Contra episcopos aliasque personas ecclesiasticas, laicis et clericis libenter administrabat justitiam, III, *ind.* XI, 36, 44.

Quomodo in controversiis episcoporum se gesserit, I, 20.

In diœcesibus episcoporum nihil ordinabat ipsis inconsultis, I, 40, 41; II, 32.

Concedit episcopo presbyterum alterius Ecclesiæ, quem ejus Episcopus illi concedere nolebat : mandavit autem defensori, ut id illi blande et leniter persuaderet, VI, 20.

Noluit concedere contra voluntatem proprii episcopi diaconum, ut posset eligi in episcopum alterius Ecclesiæ, XIV, 11.

Desolatum monasterium alteri monasterio alterius diœcesis unire noluit contradicente episcopo, nisi causa cognita, XIII, 2.

Episcopum suspensum ob contumaciam reliquis provinciæ episcopis significavit, II, *ind.* X, 19.

Episcopo damnato alimenta ab Ecclesia, in qua gessit officium, subministrari humanitatis intuitu jussit, cum nimis impium sit, ut alimentorum necessitati post vindictam subjaceat, III, *ind.* XI, 55.

Episcopo, a quo obedientiam regina et alii episcopi

subtrahere volebant, consilio et auxilio succurrit, IV, 2.

Quod episcopus pro sui officii munere facere debet, multo studiosius agat apostolica auctoritate accedente, IV, 5.

Durum est, et procul a sacerdotis officio, personam positam sub necessitate negligere, et studio congregandi indecenter inhiare pecuniis : idcirco archidiacono a quo episcopus decem solidos abstulerat, restitui mandat, V, 33.

Significavit populo pravitatem sui episcopi, VI, 26.

Valde exsecrabile in episcopis, auferre de patrimonio sancti Petri, quod reges pro Ecclesia servant, VI, 53.

Eleganter rescripsit episcopo, quod pro nihilo duceret inimicitias, quas dicebat contrahere ob frequentes causas a sede apostolica sibi commissas, docens quomodo ista toleranda sunt, et quod tanto constantius est agendum et vigilandum, VII, 2.

Admonet episcopum, ut quanto plus præfectum diligit, tanto plus eum admoneat, ut semper ante cordis oculos Dei judicium habeat in causis quas tractat, VII, 8.

Reprehenditur episcopus quod die Dominico antequam missam celebraret, iverit ad exarandam messem cujusdam, IX, *ind.* II, 1.

A divinis excommunicavit per duos menses consiliarios episcopi, male ipsi consulentes, *ibid.*

Episcopo ob ejus canos et simplicitatem pepercit, *ibid.*

Admonetur episcopus ut justitiam administrare non differat, IX, *ind.* II, 45.

Admonuit episcopum de querelis contra ipsum delatis, ut corrigeretur, *ibid.*

Excusavit episcopum apud nobilem quemdam, quod actores illius episcopi ipsius possessiones occupassent, IX, *ind.* II, 13.

Episcopos Siciliæ ad bene agendum adhortans, ait se defensori sedis apostolicæ injunxisse, ut inordinate acta ipsorum prius secreto corriperet, XIII, 22.

Jussit de scandalis datis per episcopum secreto ipsum admoneri, ut adveniente illo infirmitatis impedimento, quo nonnulli scandalizabantur, cessaret ab illo ministerio. Et scandalizati admonerentur, quod nullatenus pertimescerent, sed cum omni securitate et fiducia communicarent, quia ægritudo personæ sacri mysterii benes dictionem nec mutat, nec polluit, XIII, 47.

Episcopum nimis præcipitem in ferendis sententiis secreto admoneri jubet, XII, 32.

Episcoporum auctoritatem non modo non minuebat, sed roborabat, IX, *ind.* II, 64.

Defensorem prohibet ne clericos contumaces proprii episcopi defendat : sed si causæ meritum postulat, sit intercessor potius quam defensor; si justa proposuerint, eis non denegetur auxilium, ne clericorum disciplina per illius defensionem solvatur, quin potius uniuscujusque episcopi reverentia servetur. IX, *ind.* II, 64.

Defensor item reprehenditur clericorum causas, despectis propriis episcopis, coram se trahens, et jussit ut omnes suos episcopos adirent, inquiens : Si per sedem apostolicam unicuique episcopo jurisdictio non servatur, quid aliud agitur, nisi ut per eos, per quos ecclesiasticus custodiri debuit ordo, confundatur? XI, 37.

Clerici pœnitentes, a defensore e loco pœnitentiæ ejecti, sine mora a proprio episcopo restituantur, *ibid.*

Adversus episcopos nihil ipsis inauditis decernebat : unde episcopo Neapolitano præcepit, ut ad se transmitteret, qui suo nomine ad objecta responderet, IX, *ind.* II, 104.

Reprehenditur episcopus, qui populum ipsius præjudicio in duas divisum partes non conciliabat, *ibid.*

Episcopos dyscolos ad se venire præcipiebat, ut illorum mores componeret : unde episcopum sua ordinatione in Galliam transmissum ob sæculares mores ad se reverti jubet, ut sub ea qua dignum est observantia refrenatus sæculares mores ad sacerdotalem studeat convertere gravitatem. Nam satis noxium atque perniciosum est, ut imitatione ipsius, quæ ædificari debuerant, destruantur, in qua re non solum ille culpabilis, sed etiam qui non restiterit invenitur, IX, *ind.* II, 115.

Necessaria episcopis subministravit, unde caballum ut vehi posset, misit, benedictionem sancti Petri appellans, VIII, 45.

Item episcopo e schismate ad Ecclesiam reverso paraturam unam, XII, 32.

Et vestes episcopis indigentibus, XII, 45.

Reprehendit episcopum habentem societatem cum pravis hominibus, quia qui tales recipit, scelera non corrigit, sed magis aliis talia perpetrandi videtur dare licentiam, XI, 13.

Episcopum certiorem fecit de iis omnibus quæ illius legato acciderant, quem excusavit, cum fuerit expers erroris in quem incidit, XI, 74.

Responsali jussit admonere archiepiscopum Thessalon, ut desisteret a molestiis illatis episcopo Corcyræ, XIV, 8.

Vexari episcopos et superiores a subditis suis non permittebat, ostendens malum quod ex hoc dimanaret, XIV, 17.

Episcopum acriter reprehendit excommunicatione injuriam propriam vindicantem, II, *ind.* X, 49.

Quod episcoporum causæ magna cum diligentia sunt perscrutandæ, IX, *ind.* II, 68.

Episcopus ad opinionem cleri sui debet studere, ut nihil de iis pravum, nihil quod ecclesiasticum dedeceat, audiatur, IV, 5.

Episcopus vigilet in hæreticos et in tollendis abusibus. Nam qui, inquit, non corrigit resecanda, committit, X, 42.

Profitetur se velle punire episcopum, qui delinquentes non puniebat, si deinceps illos impunitos reliquerit, IV, 12.

Episcoporum promissa clericis facta autoritate sedis apostolicæ robarabat, XIII, 44.

Episcopus petiit a sancto Gregorio ut personam a suo latere deputaret, cui causas suas insinuare ipsi papæ subtiliter deberet.

Et contra videntes prave agentes, et tacentes, sic scripsit : Hæc autem si fieri cognoscis, non taceas, sed instanter obsiste : quoniam si hæc aut investigare fortasse neglexeris, aut intellecta celaveris, non solum illos qui hæc agunt, peccati vinculum alligabit; sed te hujus rei non levis ante Deum culpa respiciet, III, *ind.* XI, 48

*De Residentia.*

Episcopum Romam venire cupientem non permisit, sed ei rescripsit, ut pro ipso Deum oraret, I, 66.

Episcopum extra suam Ecclesiam pro aliquo sedis apostolicæ negotio transmissum, non diu patiebatur morari, III, *ind.* XI, 35.

Presbyterum privatum ob absentiam duorum mensium ab Ecclesia sua, si ex justa causa abfuisset, ut asserebat, mandabat restitui in suum locum, IV, 13.

Episcopo non residenti in sua Ecclesia mandat, ut admoneatur ad residendum sub pœna detrusionis in monasterium, VI, 23.

Non licet episcopis pro causis propriis, vel aliis, quocunque voluerint ambulare, sine licentia metropolitani, nisi ad sedem apostolicam contra eumdem, IX, *ind.* II, 8.

Episcopos sine epistolis sui primatis ad comitatum profectos, vel ad conventum celebrandum reprehendit, IX, *ind.* II, 68.

Clerici suas parochias deserere prohibentur, IX, *ind.* II, 65.

Episcopum extra suam Ecclesiam prætoriis deservientem ad suam Ecclesiam reverti compulit, veluti annihilantem sacerdotalem reverentiam in sæcularibus causis, X, 10.

Ut episcopus qui diu a propria Ecclesia abfuit, daret purgationis satisfactionem, ut oportebat, defensori sedis apostolicæ jussit, XII, 24.

Episcopum quem videre cupiebat, ut ad se veniret, invitavit, XII, 45.

Invitavit episcopum ad limina apostolorum, cui se in sacra lectione collegam fore asserit, VIII, 17.

Episcopum ob corporis infirmitatem Romam vocat, cui unum de benedictione sancti Petri caballum misit, X, 45; et X, 55, rescripsit eidem, quid in ejus discessu in Ecclesia ordinare deberet.

Episcopum quantocius ad se venire jussit, ut dilatione postposita ad propria reverteretur, ejus ratiociniis expositis, II, *ind.* X, 20

*De supplenda Negligentia Prælatorum.*

Quod superiore negligente crescit sentina vitiorum, I, 44.

Episcopis negligentibus, scripsit metropolitano, quæ agenda essent, ut suæ provinciæ episcopis significaret, potissimumque id ei commisit, ne ejus honorem imminuere ipse videretur, IV, 26, 34, 35, 39.

Episcopum in suo officio negligentem redarguit, V, 6.

Episcoporum negligentias subtiliter inquirebat, et districtissimis inquisitionibus emendabat, reprehendens illorum negligentias in corrigendis delictis, asseritque prius ultionem tam nefarii delicti, quam delictum ipsum

ad suas aures pervenire debuisse, VIII, *ind.* I, 8, 9; IX, *ind.* II, 115.

Desidiam et negligentiam Paschasii episcopi acriter reprehendit, quod in nulla re agnosceretur episcopus, adeo ut neque Ecclesia ipsius, neque monasteria sive filii Ecclesiæ, vel oppressi, vel pauperes ejus erga se dilectionis studium sentirent, XIII, 26.

Episcopos Campaniæ reprehendit, quod ita negligentes essent, ut immemores honoris sui, neque erga Ecclesias, vel erga filios suos paternæ vigilantiæ curam exhiberent, vel monasteriorum sollicitudinem gererent, seu in oppressorum vel pauperum se tuitionem impenderent, XIII, 27.

Increpatur episcopus, quod monachos turpiter viventes non correxit, X, 22.

Episcopus negligens debitam monasteriorum curam, in culpam reprehensionis incurrit, quia monachis delinquentibus ipse delinquit, et de sua levitate papam contristat, X, 24.

Hortatur episcopum ut sit vigilans, in officio suo cautus et non lentus, et ipsum reprehendit quia non corripuit delinquentes, XI, 71.

Episcopo neligenti vicedominum et majorem domus sibi ordinare jussit, *ibid.*

Quod episcopi sint solliciti in corrigendis subditis: unde verecundum esse dicit, se illum admonere ut Clericum suum sub rigore disciplinæ constringat, IX, *ind.* II, 64.

Præcipit defensori, ut admoneat episcopum haberet curam suæ Ecclesiæ, utilitatesque illius non negligere: eique illam commendavit, ut suum auxilium ad id peragendum impartiretur: quod si etiam episcopus neglexerit, per se ipse defensor perageret, ne Ecclesiarum utilitas ullo modo deperiret, XIV, 2.

In quibus Gregorius episcopum dignum reprehensione censeret, *ibid.*

*De Visitatione.*

Admonetur episcopus, ut si potest, visitet diœcesim, ne baptizati inconsignati remaneant, X, 45.

Visitare curavit Ecclesiam in absentia proprii Episcopi, qui in servitio sedis apostolicæ erat, ut quidquid in festivitate Paschali solemnitas posceret, adimpleretur, II, *ind.* X, 26.

Et in absentia episcopi ægrotantis committit visitatori omnia præter sacerdotum ordinationem, III, *ind.* XI, 24, 25.

Reformationem cleri sæcularis et regularis civitatis Lunensis episcopo Mediolanensi commisit una cum episcopo ejusdem civitatis, qui ad hoc opus coadjutorem postulaverat: ut non permitterent in ea civitate eos esse, qui non gerunt in moribus quod ostendunt in habitu, IV, 22.

Ecclesiam sacerdotibus et cultu divino destitutam visitare fecit, ut presbyteri, et qui curam animarum haberent, ibi constituerentur, I, 15, 53.

Visitatorem ad Ecclesiam vacantem decrevit, quoniam electionem cujusdam in episcopum ejusdem Ecclesiæ non approbaverat, I, 57.

Decernit visitatorem ad Ecclesiam ob diuturnam vacationem, omniaque ei commisit una cum sacerdotum ordinatione, I, 80.

Benenato episcopo injungit visitationem Cumanæ Ecclesiæ, ut interesset electioni faciendæ, et curaret ut nihil de provectionibus clericorum, reditu, ornatu, ministeriisque, vel quidquid illud est, a quoquam præsumeretur Ecclesiæ, II, *ind.* X, 16, 25, 37, 39.

Idem I, 4, et quod laicam personam eligi non permittant.

Idem IX, *ind.* II, 75, 76, 88, 89; V, 23; VII, 20; VII, 15. Idem VI, 21.

Visitatori permisit, ut si non inveniretur dignus qui esset de gremio Ecclesiæ, exterum posset ordinare episcopum, III, 64, 87.

Et XIII, 16, in quibus locis etiam prohibet eligi laicam personam.

Felici episcopo visitationem et curam Ecclesiæ destitutæ commisit, II, *ind.* X, 43.

Admonuit visitatorem ut res Ecclesiæ melius procura ret, V, 44.

Episcopo visitatori centum solidos et unum puerulum orphanum, quem ipse elegerit, pro ipsius labore de eadem Ecclesia visitata dari curavit, III, *ind.* XI, 55.

Quartam quam ejusdem Ecclesiæ episcopum oportebat accipere, a die visitationis visitatori quandiu ibi fuit, applicavit, V, 12.

Reprehenditur visitator qui de publico annonam percepit, V, 44.

Jussit visitatoribus stipendia ministrari ab Ecclesiis quas visitabant, IV, 11.

*De Clericis peregrinis.*

Archidiaconum cæterosque clericos ad propriam remeare Ecclesiam jubeat, V, 9.

Episcopos a se vocatos non permittebat incommodis temporibus peregrinari, I, 72.

Prælatos etiam summos a suis sedibus expulsos secum vivere volebat, I, 28.

Et ab aliis episcopis suscipi mandabat, cum ipsis in Ecclesiasticis sustentationibus convicturos, donec illos in aliis Ecclesiis vacantibus incardinaret, I, 45.

Clericos ad sacros ordines promotos per incertas sedes vagantes ad petitionem suorum episcoporum ad Ecclesiam in qua militaverant redire coegit, IV, 44.

Episcopum fugitivum disciplinam Metropolitani sui vitantem ad eumdem metropolitanum reverti jubet, IX, *ind.* II, 111.

*De Clericis ægrotantibus.*

Laudat episcopum a se accersitum non venisse ob infirmitatem: sed postquam convaluerit, venire jussit, X, 45

Multa esse facienda propter infirmitatem, ex quibus, si sani essemus, jure reprehensibiles videremur, XI, 40 Erubescere enim, inquit, non debemus quod imponit necessitas.

Prohibuit jejunium episcopo ægrotanti, XI, 40, 33

Nulli episcoporum pro qualibet ægritudine, ipso nolente, successorem dari permittebat, XI, 47; XIII, 5.

Episcopo infirmitate detento coadjutorem concedit ad ipsius petitionem, remanente tamen victu pro eodem episcopo, ex ipsius Ecclesia: ordinationes vero sacrorum ordinum viciniori episcopo commisit, XI, 5, 6.

Episcopum ægrotum a vigiliis, precibus, cæterisque solemnibus ministeriis abstinere jubebat, XI, 33.

Ægrotis clericis consueta stipendia, quæ sani lucrantur, deberi decrevit, II, *ind.* X, 8.

*De defensoribus S. R. E. aliisque ministris Ecclesiasticis.*

Administratores patrimonii S. R. E, per provincias mittebat, II, *ind.* X, 21.

Et illorum ministros provincialium judicio eligi relinquebat: indicabat tamen illos, quos aptos judicabat, XIII, 25

Defensor constituitur, et de qualitatibus ipsius, ut nulli conditioni, vel corpori obnoxius teneatur, nec clericus alterius civitatis fuerit, nec in ullo et canonum statuta obvient, V, 29; XI, 38.

Defensori ob remunerationem privilegium concessit, VIII *ind.* I, 14.

Strenuis demandanda sunt negotia S. R. E., IX, *ind.* II, 18.

Fidem, solertiam et operam cujusdam in rebus agendis, alienam ab omni duplicitate defensori commendavit, XI, 39.

Defensoribus pro ipsorum expensis de reditibus bonorum S. R. E. subministrari jubeat, V, 28.

Defensoris munus præcipue circa pia opera veluti ut legata ad pias causas relicta, in eleemosynam pauperibus distribuenda executioni mandentur, et in accipiendis informationibus contra episcopos perverse agentes, et in corrigendis regularium excessibus versabatur, *ibid.*

Injungebat suis ministris, ne angariarent episcopos et ecclesiasticas personas, I, 70.

Defensor sollicite et urbane agat quod agendum est, IX, *ind.* II, 46.

Defensorem proficiscentem in provinciam episcopis illius commendabat, XIII, 17.

Defensor de inordinate actis episcoporum prius secrete eos admoneat, *ibid.*

Defensores falsos districta emendatione compesci jussit, X, 41.

Strenuos et fideles viros sibi ostendi præcipit, ut illos defensores crearet, *ibid.*

Rationes defensoris infidelis videri præcepit, ne ulterius administraret, X, 46.

Falsum defensorem mitti in exsilium jussit nolentem episcopo obedire, *ibid.*

Defensor gravamen quod intulit, sublevet, XIV, 2.

Tabellarius eligendus de consensu seniorum et cleri: et de ejus munere, XIII, 44.

Præcipuam curam habuit eorum, qui sedi apostolicæ deserviebant: bona notarii sedis apostolicæ servari jussit conjugi et filiis, et de ejusdem pueris rationem potissimum haberi, XII, 13.

Bona obvenienti notario sedi apostolicæ deservienti et absenti, defensori curare jussit, IX, *ind.* II, 46.

Administrationes bonorum Ecclesiæ prohibuit laicis committi, sed probatis clericis, VII, *ind.* II, 65.

Laudavit archidiaconum reprehendentem episcopum suum distrahentem bona Ecclesiæ in consanguineos, II, *ind.* X, 19.

Et de vigilantia et districtione in excessibus vindicandis, sic scripsit : Si homo esses, aut discretionem aliquam habuisses, ita regularis disciplinæ debuisti custos existere, ut ea quæ illicite illic committuntur, ante vindicta corrigeret, quam ad nos ejus nuntius perveniret, VIII, *ind.* I, 9.

*De Majoritate et Obedientia.*

Ut episcopo suo populus obediret hortabatur, III, *ind.* XI, 14.

Qualiter obedientia vel sit reverentia præpositis exhibenda ex tuis quoque subjectis ipse non ambigis : scripsit Felici episcopo (*Legendum* episcopo Sardicæ. *Nullum jus in Sardiniam obtinebat primæ Justinianæ episcopus*) in Sardinia, qui primæ Justinianæ episcopo obedire despiciebat, V, 10.

Episcopos metropolitano suo obedire oportet, V, 63.

Et unumquemque suis superioribus, VI, 25, 43.

Ordo graduum ad hoc constitutus est, ne præpositi opprimant subjectos, nec subjecti iterum contra suos præpositos resultent, VIII, *ind.* I, 7.

Ordo vigoris ecclesiastici confunditur, si temere illicita præsumantur, aut impune non concessa tententur, *ibid.*, 27.

Qui se contra præpositos suos erigunt, ostendunt quia servi Dei esse contemnunt, II, *ind.* X, 36.

Non grande est iis nos esse humiles, a quibus honoramur : hoc enim et sæculares faciunt; sed illis maxime humiles esse debemus, a quibus aliqua patimur, *ibid.*

Integerrima obedientia prælato præstanda est, cum judicandus a subditis ultra non sit, qui semel prælatus est, III, *ind.* XI, 29.

Superioribus et præpositis suis non est detrahendum, cum eorum detractio ad Christum pertineat : nam facta suorum episcoporum oris gladio non sunt ferienda, etiam cum recte reprehendenda videntur, II, 30.

*De vita et honestate Clericorum.*

Diaconum spiritu ambitionis inflatum reprimi jussit, ut ultimus inter diaconos constitueretur, I, 83.

Laurentius primus Diaconus sedis apostolicæ ob superbiam et alia mala sua depositus fuit. *Olim* II, *princip.*, *nunc in appendice Epistolarum*.

Contumelia sacerdotum est, de divinis cultibus admoneri : Nam quod ipsi, inquit, debent exigere, turpiter exiguntur, et ad ornatum, et non ad fœditatem actuum eorum pertinere debet officium, IV, 5.

Clerus non relaxetur, sed ad ea quæ Dei sunt instantissime compellatur, IV, 5, ubi plura de correctione.

Clerici debitoribus suis satisfaciant, IX, *ind.* II, 101.

Clerici conventus et patrocinia laicorum caveant, III, 27.

Sacerdotalis ordo intus cadens, foris stare non potest, V, 53.

Episcopus etiam falsa calumnia pressus apud clerum et populum suum præsens de integritate fidei suæ satisfaciat, VI, 2.

Clerici in aliarum Ecclesiarum obsequiis et laboribus non occupentur sed propriæ Ecclesiæ deserviant, IX, *ind.* II, 65.

Grave est clericos in actus laicorum incidere, IX, *ind.* II, 70.

Plerumque quod in laicis culpa non est, in Clericis crimen est, X, 4.

Clerici qui multas violentias commiserunt, admonendi sunt : qui si non audierint, excommunicentur, XIII, 36.

Qui sæculi actionibus implicati sunt, in clero præpropere suscipiendi non sunt : quia dum in ecclesiastico habitu non dissimiliter quam vixerunt, vivunt, nequaquam sæculum student fugere, sed mutare, VIII, *ind.* I, 5.

Ruina populi, mali sacerdotes, XI, 69.

Malorum societas, purgatio bonorum est, XI, 45.

Clerici opinioni et cautelæ providere debent, IX, *ind.* II, 60. Quia, inquit, sicut cauta provisio culparum vias obstruere, et quæ sunt noxia declinare novit : ita neglectus patet excessibus, et quæ sunt cavenda, solet incurrere, quia sapienter illicita superat, qui didicerit etiam non uti concessis.

*De Cohabitatione Clericorum et Mulierum.*

Prohibentur sacerdotes Corsicæ ne cum mulieribus conversentur, excepta duntaxat matre, sorore, vel uxore, quæ caste regenda est, I, 52.

Commonendi sunt episcopi qui cum mulieribus degunt, ne ullo modo cum illis cohabitent, exceptis eis, quas sacrorum canonum censura permittit; id est, matre, amita, germana, et aliis hujusmodi, de quibus prava non possit esse suspicio : melius tamen facient, si etiam a talium sese cohabitatione continebunt, sicut beatus Augustinus, qui nec cum sorore habitare consueverit, dicens : Quæ cum sorore mea sunt, sorores meæ non sunt, IX, *ind.* II, 60; XIII, 35, 36. Contra cohabitantes cum extraneis mulieribus.

Contra sacerdotes impudicos et cum mulieribus cohabitantes implorat auxilium a rege [*Melius legeretur*, a Regina], XI, 69.

*De Præbendis et Dignitatibus.*

Presbyterum qui in loco alterius, injuste altero expulso, ordinatus fuerat, si sine datione aliqua ad eumdem ordinem pervenisset, ut in simoniacam hæresim non incideret, in alia qualicunque vacante Ecclesia ordinari præcepit, IV, 13.

Clericos invitos erescere non cogebat, I, 19; II, *ind.* X, 19, 20.

Violenter ordinatos in aliena Ecclesia, ad suam redire permittebat, XIII, 28.

Clericum alienæ parochiæ suspectum, sed non delinquentem, pietatis intuitu pro sustentanda paupertate in aliena Ecclesia incardinavit, IV, 14. Et expulsum a propria Ecclesia, VI, 11.

Ecclesiam destructam, deinde recuperatam commendavit, cujus reditus pro instauratione et cultu Ecclesiæ jubet expendi, IV, 19.

Dignitates et munera Ecclesiæ inferioribus sunt demandanda, quando is qui ex ordine sequitur, cui competerent, non esset idoneus : quia non locus, sed utilitas est providenda; et non locus, sed actio apta perquiritur, VII, 10.

Ille prioris ante Deum obtinet locum, qui in ejusdem oculis, etiam si sit abjectus, bonæ actionis instrumento placuerit, *ibid.*

Episcopus clerico litterarum ignaro provideat de iis quæ necessaria sunt ad vitæ sustentationem, VII, 11.

Pensiones debitas clericis sòlvi jussit, II, *ind.* X, 44.

*De Regularibus.*

Habitus monachorum quid aliud indicat nisi contemptum mundi? XII, 24.

Abbatis curam et officium describens, ait : Opinio monasterii per ipsius negligentiam non inquinetur : non frequenter foras egrediatur : in causis exterioribus instituat procuratorem; lectioni et orationi vacet : pauperibus quantum poterit largiatur : de hospitalitate sit sollicitus : fratres similiter orationi et lectioni vacent, III, *ind.* XI, 3; XI, 12.

Deformitas monasterii, et regulæ monasticæ dissolutio, proveniunt ex inordinato superioris regimine, dum peccantibus leniter blanditur, dumque inordinate et extra modum irascitur, XI, 48.

Visitatorem abbatem ad monasteria deformata, ubi nulla monasticæ regulæ præcepta custodiebantur, deputavit, I, 51, 52; V, 50.

Reformationem monachorum episcopo commisit, VII, 35. Et eorum correctionem ad instantiam abbatis ejusdem monasterii, X, 22, 23.

Monachorum antiquo hosti militantium visitationem, reformationem et morum correctionem defensori commisit, XIII, 46.

Pueri ante ætatem XVIII annorum non suscipiantur in monasteriis, I, 50.

Monasteria monachorum non fiant habitacula laicorum fingentium se religiose vivere, V, 1.

Tempus probationis biennium, X, 24.

Reprehenditur abbas, qui ante probationem quemdam susceperat ad professionem, *ibid.*

Mulieres in monachorum monasteriis non sint, I, 50.

Mulieres ad monachorum monasteria non accedant, et Monachi eas sibi commatres minime faciant, IV, 42.

Monachos vagantes de monasterio in monasterium ad pristinam regulam abbatis sui revocavit, I, 42.

Et dispersos mandat defensori perquiri, illosque inventos abbati suo restitui, I, 41, 42. Et alios fugitivos inventos in carcerem retrudi, II, 28.

Clerici effecti monachi ad pristinam suam Ecclesiam reverti prohibentur, I, 42.

Monachus effectus ab episcopo sacerdos, manere debet in Ecclesia, in qua ordinatus est, *ibid.*

Monachi vel abbates ad clericatus officium, vel ordinem sacrum accedentes, nullam habeant amplius in illis monasteriis potestatem, VII, 43; neque licentiam habitandi, VIII, *ind.* I, 15.

Sæcularis clericus non possit esse abbas, qui si abbas esse voluerit, desinat esse clericus. Satis enim, inquit, incongruum est, si cum unum ex his pro sui magnitudine diligenter quis non possit explere, ad utrumque judicetur idoneus : sicque invicem et ecclesiasticus ordo vitæ monasticæ, et ecclesiasticis utilitatibus regula monachatus impediatur, IV, 11.

Monachi prohibentur in strepitu causarum forensium versari : ne distracta mens per varias causarum curas de

fluat, et ad celebrandum opus consuetum enervata torpescat, I, 69.

Negotia monasterii per procuratorem agantur, III, *ind.* XI, 3.

Abbatem jam creatum jussit removeri, qui a statu habitus sui lapsu corporis ceciderat, III. *ind.* XI, 23.

Item IV, 6, quia qui tot discipulos per suam negligentiam ad infernum duxit, reliquis unquam præponi non debuit : unde unum ex monasterio reformato jussit in illo monasterio præfici, ut quod illius incuria negligitur, istius sollicitudine servetur.

Ecclesiam sæcularem regularem reddidit ob negligentiam Presbyterorum in missis divinis celebrandis-populo, dummodo abbas presbyterum pro missa in ea Ecclesia celebranda secum haberet, eidem vitæ subsidiis præstitis, IV, 18.

Abbas diaconus si lapsus fuerit, si postmodum in pœnitentia ejus conversatio meruerit, inter monachos prior constituatur, V, 3.

In monasteriis episcopus publicas missas cum sua cathedra non celebret, nisi in die dedicationis vel natalis monasterii : in reliquis diebus per presbyterum ab ipso deputatum, II, 41; VI, 46; VII, 12.

Servi Ecclesiæ fieri monachi volentes, prius in laico habitu probentur. *Olim* IV, 44, *nunc in appendice in Decretis sancti Gregorii.*

Episcopus circa monasteria invigilet, VI, 11.

Monachos presbyteros ordinari permisit ad postulationem episcopi, ob penuriam clericorum : si tamen digni reperti fuissent, VI, 28.

Episcopi monasteria non gravent, sed defendant, VI, 29; VII, *ind.* I, 18.

Presbyteri sæculares molestiis monasteria non afficiant, V, 28; VI, 40; VIII, *ind.* I, 15.

Clerici sæculares ad monasteria non accedant, nisi ad orandum, vel invitati ad missarum solemnia, VII, 43.

Episcopus occasione hospitii monasteria non gravet, VIII, *ind.* I, 15.

Episcopus nonnisi visitandi gratia vel exhortandi ad monasteria accedat, ut desideranter ipsius adventus expectetur, *ibid.*

In monasterio monachorum presbyterum ordinari permisit, qui in eo sacra missarum solemnia celebraret, VI, 42.

Venientes ad religionem charitate suscipiendi sunt, et blandis consolationibus refovendi, ut in ea, quam elegerunt conversatione, modis omnibus Deo adjuvante delectentur persistere, VI, 48.

Abbas moribus et actionibus bonis officio suo respondeat, ut valeat adversæ opinionis occasionem auferre, VII, 18.

Magis dignum admiratione monachum judicasset Gregorius, si unquam aliorum ducatum arripere voluisset, cum suscepisset eorum curam, qui species monachorum tenerent, et multa ibi sub sanctitatis habitu sæcularia agerent, VII, 32.

Hortabatur abbatem ad reformationem suorum monachorum, et ad pacem cum suo episcopo, *ibid.*

Episcopi monachos inobedientes suo abbati non defendant, VII, 35.

Promisit episcopo se daturum ipsi alios monacos, si hi, qui ibi erant, ipsi non placerent : si tamen talia loca essent, ut esset ibi unde subsistere valerent, VII, 43.

Monacho, qui lectioni vacabat, et laborare non poterat, expensas ex suæ matris substantia subministrari jussit, IV, 47.

Nullus episcoporum vel sæcularium de reditibus monasterii vel privilegiis audeat aliquid minuere, VIII, *ind.* I, 15.

Causæ quæ oriuntur inter Ecclesiam episcopi et monasteria, decidantur ab arbitris ab utraque parte electis, *ibid.*

Extraneus non eligatur abbas, sed ex eadem conversatione : quod si apta ibi non reperiatur persona, de aliis monasteriis eligatur, *ibid.*

Cellerarii vitam inquiri mandavit, et quatenus dignus repertus, ordinaretur abbas, XII, 24.

Ejicitur ab electione in abbatem qui solus peregre sine aliquo fratrum suorum ausus est proficisci : ex hoc enim cognoscitur, quod qui sine teste ambulat, non recte vivit, *ibid.*

Nemo viventi abbati qualibet occasione in suo monasterio præponatur (*nisi certis criminibus exstantibus*), VIII, *ind.* I, 15.

Monachi, in viro abbate, non transferantur ad ordinanda alia monasteria, neque ad ordines sacros, neque ad officium clericatus promoveantur, *ibid.*

Abbas de monachis qui in monasteriis supersunt ad alia monasteria ordinanda, aliquos mittere possit : quod si noluerit, episcopus cogat, *ibid.*

Abbas, et nemo alius, attestationem bonorum inventorum monasterii faciat, *ibid.*

Monachum, quem secum retinebat ob solatium quod in verbo Dei cum eo habebat, remisit ad monasterium ob monasterii necessitatem, VIII, *ind.* I, 16.

Jussit ut episcopus monasterio restitueret omnia quæ sub xenii specie ab illo abstulerat, VIII, *ind.* I, 54.

Jussit ut episcopus monachos delinquentes corrigeret, *ibid.*

Monasterium a jurisdictione episcopi omnino exemit, præterquam in abbatis ordinatione, II, 41, 42.

Privilegium exemptionis monasterio tribuit ab omni episcopi jurisdictione, præter diligentiam disciplinæ, V, 57.

Monasteria regularium utriusque sexus a nemine perturbentur, sed illorum causæ ab episcopo tantum cognoscantur, IX, *ind.* II, 64.

Monachus fiat presbyter, quem unanimis congregatio elegerit propter penuriam sacerdotis, IX, *ind.* II, 92.

Presbyter ad monachorum monasterium deserviendum postulandus est ab episcopo, nec alius est deputandus, VIII, 2.

Transmittit monachum pro gubernatione monachorum episcopo Neapolitano, quem tunc præpositum esse decernebat : quod si ejus vita illi placeret, post aliquantum temporis illorum Patrem ordinaret; non tacuit tamen malum cognoverat in eo, quod valde sapiens sibi videbatur, IX, *ind.* II, 91.

Reprehenditur episcopus qui præfecerat in abbatem, quem non probaverat, X, 24.

Episcopo profecturo in locum incognitum quatuor vel quinque monachos pro suo solatio dari jussit, arbitrio tamen episcopi ordinarii, XII, 1.

Quæ acquisivit abbas episcopus factus postquam ab abbatis remotus est officio, ei dari jussit : alia vero ante dictum tempus esse decrevit illius monasterii, cujus fuit abbas : cætera vero ante abbatis officium, illius monasterii esse, in quo conversus fuerat, *ibid.*

Molestias omnes a monasterio auferri jussit, X, 22.

Commendavit unum monasterium ad tempus, atque alterum univit in perpetuum abbati alterius monasterii, X, 61.

Monasterium æque principaliter alteri univit hac lege, ut in utroque sufficiens esset cultus divinus, et esset reservata subjectio episcopo, intra cujus fines erat monasterium, quod alteri in alia diœcesi uniebat, XI, 72; XIII, 2.

Ecclesiam univit monasterio, cujus fructus volebat, ut in illius reparationem erogarentur, XI, 63.

Laudatur episcopus, qui non permisit monasterium monachorum construi juxta monasterium monialium, XI, 23.

Quod tolerabilius est antiquiorem fratrem præficere in abbatem, quam novum et puerum tolerare, XI, 48.

Abbati petenti tres monachos concedere denegavit, præsertim quemdam, quem cognoverat inutilem fore ob simplicitatem et negligentiam, VII, 45.

Abbatem ad se venire, ut secum per aliquod temporis spatium viveret, invitavit, *ibid.*

Mancipium juris publici monachum effectum Fantino defensori jussit contradi, XII, 3.

Non permittebat ut impedirentur clerici monachi fieri volentes, etiam si in sacris essent ordinibus, XII, 35.

Obligatos actionibus publicis, nisi prius essent absoluti, suscipi in monasterio vetuit, VIII, *ind.* I, 5.

Privilegia concessit virorum et mulierum monasteriis a regina Gallorum constructis, XIII, 8, 9, 10.

Lapsi monastico habitu dum adhuc in minori essent ordine, nisi correcta vita, et digna præcedente pœnitentia, in abbates non sunt præficiendi : quod si aliter effectum est, si actus non sunt contra eorum officium, in eo quo sunt ordine perseverent : secus, alii digni sufficiantur, XIV, 2.

Observantiam regularem in primis commendabat, de qua sic inquit : Esto itaque sollicitus, ne regularis districtio vel dilatione aliqua, vel deputatorum remissione lædatur, V, 35.

Prohibuit presbyterum inducere novas consuetudines in monasterium, II, 28.

Monasteriorum fabricas ad finem perduci curabat, II, 32.

De laicis qui tonsurari volebant, actionarios sub rectore fieri omnino libenter ferebat, *ibid.*

Monachi proprium non habeant, I, 42.

Quod monachi esse dicitur, totum in utilitatem monasterii cedere debet, VI, 12.

Rejicitur monachus a dignitate abbatiatus, eo quod ha-

buisset proprietatem, quæ mentem terrenam Monachi indicat, XII, 24.

Proprietas a monachis studiosissime extirpanda est, et monasterium a tali peste mundandum : quia si illic peculiaritas a monachis habetur, nec concordia, nec charitas in congregatione eadem poterit permanere. Quid est autem habitus monachi, nisi contemptus mundi? quomodo igitur mundum despiciunt qui in monasterio positi aurem quærunt, *ibid.*

Hortatus est patriarcham Alexandrinum, et monachis restitui faceret monasterium, hæreticis ex eo pulsis, XII, 49.

Monialium præcipuam curam habebat, IV, 9.

Monasterium sanctimonialium consecrari non permittit, nisi prius inspiciatur, si dos competens illius monasterii fuerit præstita, X, 66.

Oratorium in monasterio monialium. Sacrificia peragenda. Oratorium ipsarum per episcopum consecrandum. Cura et deligentia disciplinæ in moniales episcopo committitur. Clausura, procurator et agens, vir probatus vita et moribus deputandus, cujus ætas atque locus nihil de se pravæ suspicionis objiciat. Immunitas et privilegia illis concessa, III, *ind.* XI, 40; IV, 9; VI, 12.

Morum correctionem et abbatissæ et monialium episcopo commisit, VII, 12.

Juvenculas abbatissas fieri prohibuit, sed sexagenarias probavit, IV, 11.

Quid esset agendum cum virgine, quæ de monasterio exiit, et nupsit, ore tenus commisit, et in scriptis ponere noluit, IV, 27.

Monialem quæ injuste migravit ad aliud monasterium, ad suum reverti jussit, V, 6.

Monialem, quæ bona monasterii dissipaverat, in aliud monasterium deponi jussit, donec ea de re per defensorem cognosceretur, *ibid.*

Corripitur episcopus tolerans medicum vel quemcunque alium sæcularem ingredi monasterium monialium, *ibid.*

Abbatissa non extranea, sed de gremio monialium eligatur, VII, 12.

Confirmatio electionis, sive ordinatio ejusdem ad episcopum spectat, *ibid.*

Administratio bonorum ad abbatissam, excluso episcopo, et quibusvis aliis, pertinet, *ibid.*

Cura ipsius et liberalitas in necessitatibus : et abstinentia, numerus atque illarum lacrymæ, II, 4; VII, 22.

Defensori jubebat, ut illarum statum et necessitatem ipsi significaret, VIII, *ind.* I, 23.

Consecratio monasterii monialium sine dote denegatur, dosque describitur, VIII, *ind.* I, 4.

Monialem apostatam iterum in monasterium recludi et habitum resumi, et laicos contradictores excommunicari jussit, VIII, *ind.* I, 8, 9.

Hortatur episcopum, ut opem afferat mulieri vitam religiosam profitenti, quæ cogebatuo nubere, IX, *ind.* II, 29.

Monialem transmisit ut in abbatissam præficeretur, X, 43.

Laudavit sæcularem mulierem quæ monasterium monialium construxerat, ut sicut religiosa devotione terrena sanctorum honoribus loca construxit, sic quoque cum eis mansiones procurare in cœlestibus festinet, X, 65.

Abbatissam ad monasterium monialium novum constructum eumtem commendavit notario, quod esset sub ejus protectione, X, 67.

Cum muliere religiosa, quæ monasterium in domo sua construxerat : quia plus blandimentis cum ea agendum est, quam districtione, defensori præcipit, ut cum dulcedine agere studeat : quatenus nec illa peccato proprio auctoris sui debeat postponere voluntatem, et utilitates monasterii valeat salubriter procurare. Et similiter, inquit, puellas suas quas in monasterio antedicta mutata olim veste convertit, abstrahi ab ea vel inquietari nullo modo patiatur : sed in ea, qua sunt, conversione, Deo protegente, permaneunt, XIV, 2.

### *De bono castitatis, et conversione conjugatorum.*

Viduarum curam gerebat, idque sacerdotale officium esse asserebat, V, 37.

Ipsarum tuitionem et protectionem defensori sedis apostolicæ commisit, VI, 38.

Bonum honestarum mulierum præcipue curabat, IX, *ind.* II, 26.

Uxorem habentem ingredi religionem permisit, dummodo ejus uxor similiter converteretur, VI, 48; XI, 45. Conjugia religionis causa non solvuntur : et ibidem de virtute continentiæ.

Desponsata poterit ingredi religionem, si voluerit, redditis ei omnibus quæ sponsus acceperat, VII, 23.

Uxori reddi jubet virum suum monachum effectum, XI, 50.

### *De voto et peregrinantibus ad loca sancta.*

Cito revertenti ex sacris locis rescribit, se non bene de illo suspicari (*Imo de illa, scilicet Rusticiana*) : quia quod corporaliter vidit, ex corde minime attendit, IV, 46.

Jussit defensori, ut significaret prætori provinciæ mandatum vocandi episcopos ad limina apostolorum, ut omnis suspicio removeretur, ne illorum discessus impediretur, VII, 22.

Invitavit episcopum ad limina apostolorum, IX, *ind.* II, 74.

Post commendationem presbyteri redeuntis ex liminibus apostolorum præcepit, ut iterum licentiam ei præbeat ejus episcopus, si reverti ad eadem limina voluerit, IX, 69.

Desiderantem venire ad lemina apostolorum incitavit, XI, 74.

Executioni demandari oportet quamprimum quodcunque piæ mentis propositum a Deo suggestum erit, II, *ind.* X, 27.

### *De munere Prædicationis, et Magistris.*

Gaudet episcopum prædicare Evangelium regi infideli, III, *ind.* XI, 67.

Laudavit episcopum in prædicatione verbi Dei, cujus opera Maria patricia conversa ad fidem fuerat, cujus fidem magnum fructum allaturam sperabat, VII, 8.

Defensori Galliæ seminarium puerorum anglorum fieri jussit ex patrimonio sedis apostolicæ, et ut illos congregaret, et in monasterio deinde traderentur ad fidem recipiendam, ut in illa proficerent, VI, 7.

### *De Pace et Bello.*

Sollicitus fuit tempore belli et pacis nondum firmatæ, ut custodes civitatum invigilarent, et murorum vigiliæ herent, IX, *ind.* II, 4, 6.

Ad pacis unitatem cum omnibus semper hortabatur, X, 42. Regi et reginæ Longobardorum gratias egit, IX, *ind.* II, 42, 43. Ad pacem custodiendam cum Sede Apostolica, VII, 4, 5.

Belli tempore pro salute reipub. invigilabat, nihil eorum quæ juvare poterant, prætermittens, unde commisit magistro militum, ut cum aliis magistris militum esset, et faceret quod simul decreverant, II, 3.

Et ad strenue agendum illos hortatur, II, 29.

Quod obsides dignos pro pace ab inimicis accipiant : quod si minus securi videntur, quidquid eis videbitur e repub. peragant, XII, 50.

Quod si inimicos viderint arripere cursum, neglecta pace eorum loca deprædari jussit, *ibid.*

Hortabatur ut obediretur tribuno militum, *ibid.*

Dabat pacem [*Fortasse* operam] peragendæ paci, V, 36.

Pacem inter principes inimicos procurabat, eisque justa pacta proponebat, *ibid.*

### *Munera transmissa.*

Anastasio patriarchæ Antiocheno claves beati Petri apostoli, quæ super ægros positæ multis solent miraculis coruscare, I, 26.

Andreæ de Dibiria clavem sanctissimam sancti Petri apostoli, quæ de ejus catenis interius habet, I, 30.

Joanni exconsuli patricio et quæstori clavem similem, I, 31.

Theodoro consiliario puerum mancipium natione Siculum, Acosinum nomine, tradi præcepit, III, *ind.* XI, 18.

Columbo episcopo Numidiæ claves beati Petri, in quibus de catenis ejusdem continebatur pro benedictione, III, *ind.* XI, 48.

Dynamio patricio Galliarum crucem parvulam insertam de catenis beati Petri, et in extremitatibus de craticula sancti Laurentii. III, *ind.* XI, 53.

Duci Barbaricinorum benedictionem sancti Petri, IV, 23.

Constantiæ Augustæ caput sancti Pauli petenti, dicit se missurum de catenis ejusdem, si limam ducente sacerdote, per eas aliquid pulveris exierit : quia non omnibus conceditur, Deo permittente, IV, 30.

Theodoro medico Constantinopolitano Anatem cum duobus parvulis Atticis, V, 41.

Childeberto regi Francorum claves, VI, 6.

Theotisto clavem auream sancti Petri, VII, 26.

Theodoro medico Constantinopolitano clavem sancti Petri, VII, 28.

Narsæ religioso quatuor camisias, et duo oraria, et puerum, VII, 30.

Eulogio episcopo Alexandrino sex minora pallia Aquitanica, et duo oraria, VII, 40.

Leontio exconsuli clavem, VIII, *ind.* I, 35.

Secundino servo Dei incluso duos homiliarum codices, exiguum vestimentum, imagines Salvatoris, Deiparæ, Petri et Pauli, et Crucem, item clavem sancti Petri, IX, *ind.* II, 52.

Arigio episcopo, et ejus archidiacono duas dalmaticas, et licentiam eis utendi, IX, *ind.* II, 112.

Recaredo regi Hispaniarum clavem parvulam, in qua erat ferrum inclusum de catenis, etc. Crucem in qua erat lignum Dominicæ crucis, et de capillis sancti Joannis Baptistæ, IX, *ind.* II, 122.

Palladio presbytero de monte Sina de benedictione sancti Petri cucullam et tunicam, XI, 2.

Episcopo Clusino caballum qualem invenire potuit, X, 45.

Adilberto regi Anglorum dicit se munera misisse, sed qualia non exprimit, XI, 66.

Savinellæ clavem sancti Petri cum ferro de catenis, II, 7.

Ecclesio episcopo Clusino mittit amphimalum, tunicam vel pectorale, XII, 46.

Eulogio Alexandrino patriarchæ crucem parvulam in qua erat de catenis sanctorum Petri et Pauli, XIII, 42.

Theodelindæ reginæ Longobardorum, Adulovaldo Theodelindæ filio regi misit gesta in synodo tempore Justiniani imperatoris et phylacteria, quæ vocat crucem cum ligno sanctæ crucis Domini; lectiones sancti Evangelii Persica theca inclusas: sorori regis tres annulos, duos cum hyacinthis, et unum cum albula, XIV, 12.

Asclepiodoto patricio Gallorum clavem, in qua erat de catenis, etc., XI, 14.

*De eleemosynis et cura pauperum cujuslibet ordinis.*

Diversos pauperes diversis in locis consistentes per defensores S. R. E. de patrimonio ejusdem juvare fecit: et ita erat per universas provincias promptus illis subvenire, ut præceperit discedentibus ministris, ut exquirerent, et ipsi significarent quinam in illis locis egerent. Quod si neglexissent, acriter eos increpabat, I, 39, 46, 67; IV, 28; X, *ind.* II, 59.

Cosmæ multis debitis obligato, III, *ind.* XI, 58; IV, 45.

Judæis conversis ne inopiam paterentur, IV, 33.

Theodoro medico gratias egit propter pecuniam pauperibus transmissam, IV, 31.

A Libertino expræfecto petiit ne injuriosum duceret, quia de beati Petri, inquit, apostoli rebus, quamvis parva sint quæ offeruntur, pro magna semper benedictione suscipienda sunt, X, 51.

Zenoni episcopo mille modios tritici, aut si plus levare potuerit, usque ad deo millia dari jubet, pauperibus suæ Ecclesiæ distribuendos, VI, 4.

In pœnitentia constitutis victum et vestitum subministrari curavit, I, 18.

Sanctimonialibus non modo victum, sed etiam vestitum et lectisternia subministrari jussit, I, 24; VII, 26.

Monachis, abbati et aliis religiosis, II, *ind.* X, 1; V, 32, 38.

Possessiones pro sustentatione monachorum emi jussit, X, 20.

Nobiles egentes suis eleemosynis juvit, II, 32.

Pro celebranda dedicatione Ecclesiæ egentis singulis annis subventionem diversarum rerum dari jussit, I, 56.

Mancipia pro utilitate parochiæ emi jussit, XI, 23.

Xenodochiis necessaria per defensores tribui voluit, XII, 38.

Gerontocomio lectos et lectisternia, XI, 1.

Mandavit ut fabrica pauperrimi monasterii adjuvaretur, XI, 1.

Vestes pro iis qui baptizandi erant, emi jussit, V, 3; VIII, *ind.* I, 1.

Schismaticis reversis ad Ecclesiæ gremium subveniri mandavit, VI, 39; IX, 11.

Puellam servam redimi jubet, ut ingrediatur monasterium, sicut valde desiderabat, III, *ind.* XI, 40.

Fideles infidelibus in eleemosynis sunt præferendi, II, *ind.* X, 46.

Utilitatem pauperum gravare renuit, sed eis aliquid dari jussit, II, 32.

Orbatis parentibus, parentum debitum relaxavit, III, *ind.* XI, 21.

Viaticum volentibus Romam venire dari jussit, III, *ind.* XI, 36.

Ad bona opera et eleemosynas adhortatio elegans: quod ibi desideria figenda sunt, ubi quidquid retribuitur, finem non suscipit, XII, 7.

Quod pauperibus tribuitur, non est donum, sed mutuum: quia quod datur, multiplicato sine dubio fructu recipitur, X, 21.

Infirma est cautela pro annona, quæ pietatis adjutorio non munitur, *ibid.*

Quod subveniendum est orphano pauperi, IX, *ind.* II, 26, 40.

Eleemosyna reputanda non est quod ex illicitis rebus accipitur. Qui enim, inquit, hac intentione male accipit, ut quasi bene dispenset, gravatur potius quam juvatur. Et copiose de eleemosyna, IX, *ind.* II, 106.

Episcopo jussit eleemosynam facere pauperibus, quos publice petere verecundia non permittit, XI, 34.

*De redemptione captivorum.*

Cura et diligentia in redimendis captivis ex diversis regionibus, VII, 26; IX, 17. Et ex propriis pecuniis non modo liberis, sed etiam servis, VI, 35. Commiseratio in illos, V, 30.

Judæorum servos Christianos Narbonæ degentes, quos auctoritate legis liberare non poterat, propria sua pecunia redimi jussit, VII, 24.

Presbyterum transmisit pro redemptione captivorum, III, *ind.* XI, 16.

Clericum captivum redimi ab Ecclesia cui inservierat, præcipit. Valde enim, inquit, durum est, si de Ecclesia cui militat, remedium nullum veniat, IV, 17.

Æs alienum contractum a diacono ob redemptionem sui ipsius non valente persolvere de sua substantia, commisit episcopo ut de Ecclesiæ bonis illud persolveret, III, *ind.* XI, 41.

Consensit episcopo Fanensi, qui mutuam pecuniam acceperat pro redemptione captivorum, ut sacrata vasa venundaret, VII, 13, 38.

*Quos sanctus Gregorius commendavit.*

Pauperes, potissimum viduas, reliquasque personas auxilio destitutas et afflictas et prægravatas, in quibusvis necessitatibus, apud imperatorem, episcopos et quoscunque alios commendavit, I, 50, 62, 64; IV, 15; VI, 17, 40; IX, 54, 69; X, 6, 47; XI, 14, 36, 77; XII, 5, 6, 37, 39.

Defensores S. R. E. quomodo commendat, I, 3; IX, *ind.* II, 20. Et alios eis, X, 13; XII, 36.

Responsalibus apostolicis apud imperatorem, episcopos, presbyteros, monachos, moniales, et quasvis religiosas personas commendavit, ut auxilium et favorem tam ratione suarum Ecclesiarum, quam ipsorummet in omnibus eorum negotiis et necessitatibus apud imperatorem præstarent, I, 45; IX, *ind.* II, 80.

Regibus et aliis principibus viris, episcopos, patrimonium sancti Petri, et diversos commendavit, VI, 52-59; VII, *ind.* II, 21; XI, 8, 10, 14.

Religiosos et laicos diversis episcopis, VII, *ind.* I, 16; X, 12; XI, 9, 68, 70

Commendavit quemdam clericum litteras nescientem, tam in his quæ spectabant ad illius curam spiritualem quam ad temporalem, VII, 11.

Nobiles viros consulares præfectos suis superioribus, cæterosque viros et feminas illustres commendabat, VII, 3; X, 7, 48, 54, cum quatuor sequentibus epistolis, XI, 17.

Judæos qui ad fidem venerant, I, 71.

Schismaticos ad fidem reversos, IX, *ind.* II, 66.

Pauperes vexatos commendavit exarcho, I, 61.

Commendationem suam, protectionem justitiæ esse dicit: Quia, inquit, ego homines propter justitiam diligo; non autem justitiam propter homines postpono, X, 51.

Cautus erat in commendationibus, ne patrocinium Ecclesiæ ex indiscreta defensione opinionem sanctæ Ecclesiæ inquinaret, sed quatenus decet Ecclesiam, intercessio adhiberetur, IX, *ind.* II, 27.

Commendationes suas ita voluit intelligi, ut earum occasione Ecclesiæ gravamen aliquod non susciperent, IX, *ind.* II, 35.

Noluit commendare Bonitum virum gloriosum, ut præfecturæ administratio illi committeretur: nam quod modo putatur utile, certum est, inquit, quia postmodum plenum laboris erit atque dispendii, X, 26.

Defensori tribuit licentiam adeundi imperatorem pro sublevatione suorum provincialium, asserens se illum commendasse responsali apostolico, XIV, 2.

*De Judiciis.*

Non solum nunquam mota suscitari noluit, verum etiam quæ prava foris admonebat sopire modis omnibus festinabat, I, 9.

Si per arbitros lites terminari non poterant, ad se illas deferri jubeat, XI, 11.

Causam mulieris vexatæ contra justitiam, arbitrorum judicio terminandam defensori commisit, IX, *ind.* II, 99.

Episcopum Syracusanum hortatur, ut litem ortam cum

alio studeat efficere ut electi arbitri definiant, IX, *ind.* II, 13.

Cujusvis controversiam cum ecclesia habentis per electos judices terminari præcipiebat, X, 27.

Præjudicia minime facere intendebat, sed etiam facta æquanimiter portare, nisi forte quia res pauperum defendere rationabiliter cogebatur, ne apud omnipotentem Deum culpabilis inveniri valeret, *ibid.*

Quasdam causas medio juramento terminari, *ibid.*

Controversiam super bonis ecclesiasticis inter episcopum et privatam personam, vel sine jurgio, vel per arbitros terminari præcepit, VIII, 58, 59.

Causam inter metropolitanum et ejus suffraganeum judicio arbitrorum terminandam commisit, VIII, 14.

Aliquid de jure suo cessit, ut lites componeret. Grave nobis est, inquit, cum publico litigare, III, *ind.* XI, 3.

Illarum transactiones confirmabat. Ne forte cujusque excusationis objectu, inquit, quod a religioso proposito, et æquitate dissentit, aliquid in dubium recidiva contentio perducat, et gignat ex pace litigium, VIII, *ind.* I, 11.

Propter diversitatem assertionum partium, dicit nihil indiscussa veritate se potuisse subtiliter respondere, cum de animarum salute, non de rebus terrenis tractetur : sed diligenti inquisitione se veritatem velle rimari, ut animarum curæ consulere possit, VI, 61.

Causam diu protractam cognita veritate sine dilatione terminari jussit, X, 33; XII, 4.

Controversiam inter religiosas personas judicio diligenter terminari jussit : quia sacerdotalis est, inquit, sollicitudinis, ut quando inter religiosas personas de terrenis rebus controversia nascitur, ita finiatur, ut crescere non possit ex mora contentio, XIII, 4.

Ab episcopo leviter et præcipitanter agente causam abstulit, et defensori commisit, IX, *ind.* II 23.

Nullum sine judicio patiebatur condemnari, X, 50.

De rebus pauperum cum mansuetudine disponendis, III, *ind.* XI, 60, ubi inquit : Nihil cum scandalo, nihil cum forali strepitu vobiscum nos velle de causis pauperum definire sciat; sed illud scire vos volumus, taciturnitatem atque patientiam nostram futuris post me pontificibus in rebus pauperum præjudicium non facturam.

### *De Foro competenti.*

Graviores causas coram se discutiendas reservavit, I, 82.

Subdiaconum legavit ad cognoscendum contra quosdam delinquentes in episcopum, III, *ind.* XI, 1.

Præcepit inquiri contra episcopum Pisaurensem de vita et actibus ejus; si quid vero quod sacerdotii integritatem maculaverit, repertum fuerit, ad se referri volebat, V, 28.

Causas et querelas contra episcopos coram se discuti voluit, III, *ind.* XI, 12, 36; XII, 27.

Quod hujusmodi causæ magna cum diligentia sunt perscrutandæ, IX, *ind.* II, 58.

Graviores causas comprovincialium episcoporum sibi reservavit, in cæteris illos per suos metropolitanos admoneri voluit, II, *ind.* X, 35.

Defensor reprehenditur clericorum causas despectis ipsorum episcopis coram se trahens : et jussit ut omnes sicut episcopos adirent. Nam si sua unicuique episcopo jurisdictio non servatur, inquit, quid aliud agitur, nisi ut per nos, per quos ecclesiasticus ordo custodiri debuit, confundatur? XI, 37.

Causam injuste damnati sibi referendam commisit, III, *ind.* XI, 27.

Controversiam, quæ inter ecclesiasticas personas agebatur, ecclesiastico judici terminandam commisit : si vero cum aliis contra quos jurisdictio ecclesiastica non extenditur, jussit probationes accipi, et ad se transmitti : ut sciret quid respondere deberet, II, *ind.* XI, 38.

Stuprum commissum a laico, a notario sedis apostolicæ cognosci jussit, III, *ind.* XI, 41.

Examen cujusdam gravis sceleris ab episcopo et loci prætore haberi voluit, III, *ind.* XI, 50.

Misit episcopum ad inquirendam irregularitatem episcopi lapsi, V, 7.

Clericus vel monachus, vel alia ecclesiastica persona non possit conveniri, nec de eis haberi quæstio, nisi coram proprio episcopo, VI, 11.

Controversia finium regendorum inter duos abbates, episcopo una cum defensore sedis apostolicæ committitur terminanda, VII, 39.

Episcoporum causas suis consiliariis committebat sibi referendas, IX, *ind.* II, 4.

Controversiam inter quosdam ecclesiasticos commisit, appellatione remota perpetuum silentium imponens, IX, *ind.* II, 28.

Tribunum dedit adjunctum episcopo, coram quo causa erat instructa, et ab ipsis illam terminari voluit, XI, 24.

Non patiatur defensor clericos coram laicis trahi, sed coram suis episcopis, XI, 77; XIII, 45.

Quando episcopus suspectus fuerit, partes concordent de arbitris, vel defensor deputet, XI, 77.

Commisit episcopo causam alterius episcopi a suo clero gravissime accusati, ut quæ contra illum sibi delata fuerunt, inaudita non transirent, XII, 28, 29.

Tulit sententiam Gregorius super bonis Ecclesiæ occupatis, XIV, 8.

Episcopos oppressos a principibus tutatus est, et ab illis detentos dimitti, et ipsorum causam coram ecclesiasticis judicibus discuti jubebat, si ob aliquod crimen ab illis detinerentur, I, 33.

### *De Judicibus.*

Judicis actio sit districta, et lingua mitis, VI, 61.

Nulla res ab æquitatis studio, nulla suspendat potentia personarum, sed innitens præceptis Dominicis, omnia quæ sunt certitudini adversa, sunt contemnenda. In defendendis partibus justitiæ constanter insistendum, odia pro veritate si qua sunt, sustinenda : ut tanto major in adventu Redemptoris nostri fructus mercedis inveniatur, quanto ejus mandata non neglecta in favorem justitiæ et defensionem impenduntur, VIII, *ind.* I, 13.

### *De Arbitris.*

Arbitrorum judicium executioni demandandum, ac velut legis judicium habendum, I, 48.

Cætera vide supra in titulo de Judiciis.

### *De Procuratoribus.*

Nihil peragi jussit coram se sine legitimo mandato, XIII, 11.

### *De Dilationibus.*

In controversiis et litibus terminandis dilationem prohibebat. Et æquitati procul dubio convenit, inquit, et vigori, II, *ind.* X, 40.

Præcepit episcopo Neapolitano, ut agentem coram sua jurisdictione frustratoriis dilationibus exagitari non pateretur. Ne ad fatigationem, inquit, et damnum alterius hæc tibi servasse privilegia videamur, VI, 11.

### *De restitutione spoliatorum.*

Præcepit archiepiscopo Salonitano sub pœna primo privationis usus pallii, deinde excommunicationis, ut archidiaconatum restitueret ei quem dolo privaverat : postremo in illo integrum restituto, utrumque coram se causam dicere mandavit, II, *ind.* X, 17, 19.

Ministeria ablata propriæ Ecclesiæ restitui mandavit. Quia res, inquit, ecclesiasticæ causa debent sollicitudine præmuniri, II, 23.

Episcopum episcopatu spoliatum in pristinum statum restitui jussit, II, *ind.* XI, 6, 8; VIII, *ind.* I, 28.

Episcopi causam in conventu episcoporum discuti mandat, III, *ind.* XI, 8, 9. Et remoto detentore, IX, *ind.* II, 113, 114.

Episcopo deposito ob patratum delictum, Ecclesiam qua privatus fuerat, invadenti et diripienti, sub pœna excommunicationis et perpetuæ in monasterium clausuræ, omnia restituere mandavit, et cognosci si allegaverit an bona ea fuerit ante episcopatum adeptus, si quid ex bonis Ecclesiæ dilapidaverit, ut ex illis fieret restitutio, XII, 28, 29.

Confirmavit sententiam latam super spolio; et spoliatoribus unam Ecclesiam ad tempus commodari jussit, ut reliquias, quas secum asportarant, in ea recondere possent, XIV, 7, 13.

Injuste suspensum a sacramento communionis restituit, III, *ind.* XI, 26.

Injuste vexatum absolvi jussit, XI, 24.

### *De Jurejurando*

Pactum ubi sacramenta sunt præstita, inquit, conservetur, et cum dispendio animæ suæ temporalia lucra contraveniendo non appetat : ne et perjuri crimen incurrat, et commoda prave desiderata non capiat, X, 26.

### *De Testibus.*

Quales testes, vel cujus opinionis ad testimonium admittendi sunt, plurimæ leges ostendunt, inquit, quæ pene nulli habentur incognitæ, quæ etiam sanciunt ut vilissimis testibus sine corporali discussione credi non debeat, XIII, *olim* LVI, *nunc capitulare*, 2, *col.* 1252.

### *De Præscriptionibus.*

De præscriptione XL annorum servanda etiam contra S. R. Ecclesiam, I, 9.

### *De Sententia et re judicata.*

Sententiam defensoris sedis apostolicæ per episcopum loci moderari jussit, VIII, *ind.* I, 7.

Revisionem sententiæ contra diversos episcopos commisit, VIII, *ind.* X; IX, 10.

Sententiæ quamprimum executioni demandandæ. Unde aiebat: Sicut sine judicio quemquam nolumus condemnari, ita quæ diffinita fuerint, nulla patimur excusatione differri, X, 50; XI, 52, ait: Nullus unquam contentionibus finis imponitur, si impleri ea quæ judicata fuerint, differantur.

Pœna in invasorem episcopatus, et in episcopos illum ordinantes statuitur, XIII, 45, *et in sententia Joannis defensoris huic epistolæ affixa.*

Nullitates, quibus sententia reddi potest nulla, explicantur, *ibid.*

Revisionem sententiæ diaconi condemnati commisit, et quatenus insans repertus fuerit, bona ejus erepta restitui, nec amplius molestiam ei inferri. Quod si culpabilis extiterit, non bona eripi, sed condigna plecti pœna mandavit, XIII, 5.

Revisionem sententiæ depositionis abbatis commisit, ut si injuste depositus esset, restitueretur, et episcopus, qui eum deposuerat, digna reprehensione increparetur, XIV, 6.

*De Appellationibus.*

Appellatur a sententia episcopi, et ejus gravamine, ad sedem apostolicam, VI, 24.

*De Transactionibus.*

Confirmatio concordiæ super controversia inter defensorem et laicum de rebus pertinentibus ad S. R. E.

Quia valde est, inquit, Ecclesiasticæ moderationi conveniens, ut quæ ordinata fuerint vel decisa, nulla in posterum debeant refragatione turbari, IX, *ind.* II, 57.

*De jure Emphyteotico.*

Emphyteoses a se concessas vetat executioni demandari, nisi in evidentem Ecclesiæ utilitatem, inquiens defensori: quia nec nos sine ratione aliquid dedisse reminiscimur, vel dare disponimus, I, 72.

*De Testamentis.*

Episcopi piarum voluntatum executores sunt, IV, 9; et hortatur eos, ut hoc sollicite et diligenter exsequantur, IV, 8.

Voluntatem defuncti commutavit circa locum tantum construendi monasterium, IV, 15.

Bona relicta pro construendo monasterio si non sufficerent, jussit sibi significari, ut scire posset quid esset de illius constructione deliberandum, IV, 9.

Commisit defensori sedis apostolicæ, ut testamentum episcopi recognosceret, et inquireret, ne aliquid res Ecclesiæ detrimenti pateretur, V, 27.

Defensor auxilium præstet, ut bona relicta pauperibus quamprimum iis erogentur, V, 28.

Testamentum episcopi examinari jussit, et de bonis Ecclesiæ, vel in episcopatu acquisitis, et non ante, irritum declaravit, VI, 1.

Et Ecclesiæ jussit restitui, VI, 21.

Confirmavit legatum ab episcopo factum pro construendo monasterio, quod ante ei promiserat, VI, 1.

Commisit defensori executionem piæ voluntatis pro construendo monasterio, cujus testamenti ipse et prædecessor ejus exsecutores erant a testatore relicti, III, 37; *ind.* II, 24.

Piam voluntatem exsecutioni quamprimum demandari ab eo cui incumbebat, urgebat, II, 32; X, 3, 5, 13; XII, 10, 37; XIII, 29.

Episcopus tueatur monasterium juxta voluntatem fundatoris, nec præter illam quidquam fieri patiatur, VIII, *ind.* I, 31.

Regulares non habent testandi facultatem, sed monasterio acquirunt, IX, *ind.* II, 7.

Testamentum abbatissæ irritum et nullum declaravit, licet proponeretur illam nunquam monastica veste indui voluisse: quod episcopi culpæ ascribendum est; bona illius monasterio applicavit præter legata ad pias causas, IX, *ind.* II, 7.

Pro monasterio monachorum ex voluntate testatoris construendo, ob penuriam monachorum, monasterium monialium erigi jussit, III, 37.

Quod relictum erat pro construendo monasterio, quod in eo loco ex testatoris voluntate perfici non poterat, commutavit, ut totum erogaretur alteri monasterio desituto, XI, 25.

Xenodochium ex voluntate testatoris construi jussit: quod si relictum non sufficeret, totum alteri xenodochio applicari præcepit, XII, 10.

Quod mulier omnia bona ad pias causas relinquere possit, servata tamen prius congrua portione pro filiis, IX, *ind.* II 114.

Et jussit episcopo, ut eidem suo nomine ejus filios commendaret, *ibid.*

Dedit facultatem abbati de iis bonis testandi quæ ante professionem possedit. *Olim* IX, *in privilegio suo ep.* 22. *Probo abbati, nunc in appendice.*

Ancillam Dei super bonis ei relictis ab episcopo ante episcopatum acquisitis non molestari jussit, XII, 37.

*De Spoliis Clericorum.*

Quæ ante episcopatum bona paterna fuisse constat, heredi restitui mandat, IV, 37.

Et ea quæ sunt acquisita post episcopatum, Ecclesiæ decedentis episcopi adjudicat, XI, 20; XII, 37.

Fructus vacantis Ecclesiæ successori dari præcepit, II, *ind.* X, 13.

*De Accusationibus, pœnis, et correctione.*

Episcopum accusatum, et deinde purgatum remisit, inquiens: quia sicut dignum erat, ut si in aliquo reus existeret, culpam in eo canonice puniremus; ita dignum non fuit, ut eum adjuvante innocentia diutius retinere vel affligere in aliquo deberemus, XIII, 6.

Non permisit, ut clerus ad sedem apostolicam contra suum episcopum veniret, sed illius querelas defensori cum quatuor episcopis discutiendas commisit, ut subtiliter et diligenter cognosceret, sibique deinde significaret, ut posset quid esset agendum decernere, IX, *ind.* II, 47.

Cum super episcoporum criminibus fuisset aliquid discutiendum, cum summa districtione grandique cautela uniuscujusque capituli apices quæreus, suam sententiam magis difficulter quam faciliter promulgabat, III, *ind.* XI, 8, 9.

Grave satis est et indecens, inquit, ut in re dubia certa sententia dicatur, X, 29.

Judicium sine favore, aut gratia alicujus peragendum, ne blandimenta molliant, vel a tramite veritatis excutiant, XII, 30.

Caput curandum est, si correctione indiget, ne totum, quod absit, corpus incipiat morbus invadere. Quia sicut laudabile discreptumque est, reverentiam et honorem debitum exhibere prioribus: ita rectitudinis et Dei timoris est, si qua inter eos correctione indigent, nulla dissimulatione postponere, *ibid.*

Ut crimina manifesta vix aut nunquam sine vindicta laxabat, ita in rebus dubiis nunquam certam sententiam proferebat, III, *ind.* XI, 45.

Laicos violentiam miserabilibus personis inferentes repressit, III, *ind.* XI, 5.

Crimina semel audita indiscussa nullo modo præteribat, etiam si accusatus accusatoris redisset in gratiam, III, *ind.* XI, 29. Quia si ill, inquit, non ex charitate, sed ex præmio factum constiterit, majore hoc emendatione plectendum est, V, 28; XII, 30.

Superbiam Joannis Constantinopolitani profitetur se velle vindicare in Domino, V, 20.

Episcopum reprehendit, qui distulit pœnas inferre in idololatras, VIII, *ind.* I, 18.

Minima præcavebat, ne majora impune præsumerentur, IX, *ind.* II, 27.

Episcopus fit particeps culpæ, si crimina non ulciscitur, vel non investigaverit, vel celaverit, III, *ind.* XI, 48.

Episcopum dignum morte ob multa facinora episcopatu privavit, II, *ind.* X, 6.

Ob contumaciam episcopum suspendit, II, *ind.* X, 19.

Exceptis criminibus neminem de sacerdotio deponebat, sed pro qualitate delictorum sacrata communione privabat, III, *ind* XI, 6.

Viciniori episcopo animadversionem *in alium* episcopum commisit, III, *ind.* XI, 43.

Difficiliores excessus, quos ipse episcopus emendare per se non poterat, commisit cum episcopo viciniore determinandos, IV, 22.

Priusquam damnaret episcopum non servantem generalem consuetudinem Ecclesiæ, præcepit quæri, num extaret privilegium derogans consuetudini, III, *ind.* XI, 56.

In contemptores canonum, etiam si supremi essent Prælati, ut patriarchæ Constantinopolitani, se animadversurum profitebatur, inquiens: Si videro sedis apostolicæ canones non servari, dabit omnipotens Deus, quod contra contemptores ejus faciam, III, *ind.* XI, 67.

Clericum in maleficiis sæpe deprehensum corporali supplicio præcepit affici: quatenus, inquit, secundum apostolicam sententiam ex carnis afflictione spiritus salvus fiat, IV, 27.

Conqueritur se non posse punire episcopum variis criminibus obnoxium, ob imperatoris commendationem. Asserit tamen se illi non obtemperaturum, contra temeritatem Maximi invasoris sedis Salonitanæ, V, 21.

Maximo Salonitano veniam postulanti, relicto imperiali patrocinio, pepercit, IX, *ind.* II, 67.

Et de illius publica pœnitentia, quam ipse audiens ad misericordiam rediit, IX, *ind.* II, 82.

Post peractam purgationem, consolatoriam ad eumdem scripsit epistolam, IX, *ind.* II, 82.

Consecratoribus Maximi veniam petentibus pepercit, VIII, *ind.* I, 10.

De iis qui confugiunt ad sæcularium commendationem pro veniæ concessione, V, 34.

Benignitas in ulciscendis delictis, ubi ait, quod prius levi manu vulnera palpanda sunt, quam resecanda, IV, 21.

Benignitate conjuncta cum severitate utebatur : Quia plus, inquit, misericordiæ quam districtæ nos convenit operam dare justitiæ, V, 52.

In dubiis, inquit, melius est non districtionem exequi, sed ad benignas potius partes inflecti, IX, *ind.* II, 23.

Dolor et gaudium in correctione proximi : gaudendum de correctione facinoris, dolendum vero de casu fratris, 5, 58.

Citatur episcopus contumax, et ab ordine suspenditur, et inobedientem profitetur durius punitum iri, VI, 3, 25.

Maxima utebatur circumspectione in ulciscendis criminibus; unde illius delicti pœnam condonavit, quod suam personam respiciebat, ne aliquis in illis ob alia delicta puniendis suspicari posset, quod ob læsam auctoritatem moveretur, VI, 25, 26.

Variis molestiis a contumace episcopo exagitatos liberavit, et in pristinam libertatem restituit, VI, 25.

Clericos Romanum ac Dominicum sine ipsius benedictione ab urbe discedentes revocavit, eisque benigne pœnam condonavit, VI, 29.

Majora mala quando dicuntur, non nisi probata sunt credenda, sed probata citius ulciscenda, IX, 14.

Probatio et cognitio in criminibus ulciscendis Dei exemplo necessaria. Clamor Sodomæ et Gomorrhæ ascendit ad me, descendam ut videam, utrum clamorem quem audivi opere compleverint, et ulciscar : an non est ista, ut sciam? VII, 14.

Episcopus ab archiepiscopo episcopatu privatur, *ibid.*

Mulierem vexatam a quodam Judæo liberari defensori commisit, et Judæum inquiri, et per eos, quorum intererat, vindicari faceret : ut et Deus placari possit, et aliis exemplum correctionis, sit, VII, 44.

Mitius agendum cum eo, qui facile commissum facinus confessus est, VIII, *ind.* I, 24.

Senior quando et quomodo increpandus IX, *ind.* II, 1.

Et quomodo intelligatur illud Apostoli : *Seniorem ne increpaveris.* Canis et simplicitati parcendum, *ibid.*

Commisit depositionem episcopi faciendam coram tribus vel quatuor episcopis, IX, *ind.* II, 63.

Presbyteros et diaconos complices inquiri mandavit, et reos inventos dejici a dignitatis gradu, et in monasterium ad agendam pœnitentiam conjici, *ibid.*

Laicos vero complices communione privari præterquam in articulo mortis, et litaniis et orationibus vacare, *ibid.*

Quanto delinquentium iniquitas Deum potest ad iracundiam provocare, tanto eum placare emendatione districtissima emendum est, IX, *ind.* II, 63.

Quod culpabilis invenitur non modo qui male, et non ex dignitate agit : sed etiam qui malo non resistit, IX, 113.

Contristatus fuit de episcopo, qui tam deses extitit in puniendo sacrilego, ut ante ad eum facti pravitas quam correctio pervenerit, X, 8.

Mandavit instanter agi cum laico defensante sacrilegum detinentem monialem a monasterio extractam, ut eam faceret sine dilatione restitui : et si distulisset, publice contestaretur, ut ad urbem regiam de illius ultione scriberet, X, 8.

Reorum causas non in longum finem distrahi patiebatur, quia sicut reis competens exercenda vindicta est, inquit : ita innocentibus non est absolutio differenda, X, 40, 41.

Gravatum a defensore sedis apostolicæ defendi jubet, nec permittat subdi gravaminibus vel damnis contra justitiam, XI, 19.

Pro deservientium Ecclesiæ culpa, Ecclesia non est deserenda, et illius utilitas negligenda, X, 22.

Personas diligere, et vitia persequi oportet, ne si aliter agere fortasse quis voluerit, transeat in crudelitatem correctio, et perdat quos emendare desiderat. Sic enim, inquit, vulnus debes abscindere, ut non possis ulcerare quod sanum est; ne si plus, quam res exigit, ferrum impresseris, noceas cui prodesse festinas : ipsa enim in te dulcedo cauta, non remissa sit; correctio vero diligens non severa, XI, 12.

Subdiaconum criminatorem cujusdam Diaconi, officio privari, deinde verberibus affectum mitti in exilium jussit, XI, 71.

Sine senioribus Ecclesiæ contra clericum non est inquirendum, XIII, 44. Si quid de quocunque clerico ad aures tuas pervenerit, inquit Joanni episcopo, quod te juste possit offendere, facile non credas, *ibid.*

Qui puniri in partibus non poterant, ad se transmitti jussit, V. 32.

Reprehendit liberos homines, cædi, X, 58.

A sontibus non bona eripi, sed eos condigna pœna plecti jubebat. Etsi insons repertus fuisset is, a quo bona erant erepta, omnia ei restitui mandabat, XIV, 5.

Præterire noluit, ut episcopum hostiliter insequentes impuniti remanerent : sed causam et vindictam commisit judici cum subdiacono a curia ad hunc effectum transmisso, III, *ind.* XI, 2.

De publica pœnitentia et correctione, XIV, 16.

Præpositis in subjectorum pœna, fas esse non debet sæviendi : ideo causa inter episcopum et clerum, qui de excessu episcopi querebatur, commisit alteri episcopo cognoscendam, XII, 28.

Accusatum episcopum de gravissimo crimine, et accusatores coram se venire jussit, X, 50.

In pœnis infligendis perpendendam esse, inquit, conversationem, longam ætatem, ægritudinem diuturnam, et quodvis genus afflictionis : quem enim divina disciplina conterit, ei humana flagella addi superfluum est, II, 34.

*De Calumniatoribus.*

Auctores falsi illati criminis in presbyterum, nisi objecta probaverint excommunicari jussit, et presbyterum in suum locum restitui, IV, 27.

Communione XXX dierum spatio privavit episcopum, qui contra leges canonesque alium episcopum condemnaverat, III, *ind.* XI, 6.

*De Simonia.*

Simoniaca hæresis primum contra sanctam Ecclesiam exorta est, V, 53, 67; IX, *ind.* II, 106.

Pro ordinationibus clericorum nuptiis, et virginibus velandis, asserit nihil accipiendum, nisi a sponte dantibus, IV, 27.

Pro ordinatione, vel pallio, seu charitis atque pastello eumdem qui ordinandus vel ordinatus est, omnino aliquid dare prohibuit. *Olim* IV, 44, *nunc in appendice in decretis sancti Gregorii*, 55, 58. Oportet, inquit, ut neque per commodum, neque per gratiam, aut quorumdam supplicationem aliquos ad sacros ordines episcopi permittant adduci.

Simoniæ in sacris ordinibus condemnatio; et de illius malis, et quod adeptum ex simonia, etiamsi pauperibus erogetur, nihil proficit, IX, *ind.* II, 106.

Simoniæ vitium erat in ordinationibus in Gallia et Germania tempore sancti Gregorii, V, 55, ubi copiose contra simoniam, 55, 58.

Detestatio cupiditatis simoniacæ, XI, 40, 49, 50.

Quid sit ingredi per ostium, XI, 46.

Tempore sancti Gregorii in Orientis Ecclesiis nemo ad sacrum ordinem nisi præmiorum datione pervenire ferebatur, XI, 46.

Simonia eradicanda : propter hoc enim contigit, ut Ecclesiastici ordinis sanctitas a plurimis caderet. Quia personæ non pro vita et actibus, sed pro præmiis ad ordines adducuntur, XI, 41.

Episcopum dantem ordines per simoniam, et recipientem, canonicæ ultionis sententia feriri mandavit, XII, 28.

Ordo ecclesiasticus confunditur, et fit probitas vitæ despectui, si præmium meriti indignus acceperit, *ibid.*

*De Hæreticis.*

Magna omnipotentis Dei gratia, quod in ipsis hæreticis, quia a sanctæ Ecclesiæ doctrina divisi sunt; unitas non est : quoniam omne regnum in se divisum non stabit, VIII, *ind.* I, 2.

Sancta Ecclesia subtilius in sua semper eruditione instruitur, dum hæreticorum quæstionibus impugnatur : ita ut aperte impleatur quod per psalmum dictum est : *Divisi sunt ab ira vultus ejus, et appropinquavit cor illius.* Nam dum ipsi in suo pravo errore dividuntur; cor nobis Dei appropinquat : quia eruditi adversitatibus intellectum ejus subtilius invenimus, VIII, *ind.* I, 2.

Hæretici a semetipsis feriuntur, quia cum contra soliditatem veritatis loquantur, veluti si acuti gladii mittantur, cum saxum feriunt, fracti resiliunt, *ibid.*

Hæresis velut zizania radicitus est vellenda, I, 77.

Episcoporum est festinare, ut seges reddatur ingenua

ab omni zizaniorum scandalo, quatenus ager Domini reditu abundantiore fructificet, *ibid.*

Hæreticis non communicandum, x, 42.

Hæretici præcidendi, ut ex modico damno magnum lucrum fiat : sciat pastor cæterorum se sanitatem non aliter, nisi hujus ejectione posse servare, *ibid.*

Hæretici non sunt admittendi intra domesticas oves, nisi postquam fuerint sanati, *ibid.*

Hæretici infidelibus pejores : minoris enim excessus est veritatem non agnoscere, quam in eadem cognita non manere. Nam aliud est quod ab errante committitur, aliud quod per scientiam perpetratur, I, 16.

Episcopum Aquileiensem reum causa fidei ad se venire jussione imperatoris mandavit, *ibid.*

Socios hæreticorum magna diligentia perquiri faciebat, I, 14.

Dubios in fide, episcopo prius data satisfactione, in recta opinione confirmatos Ecclesiæ restituebat, *ibid.*

Iis ritibus, qui licet in seipsis boni sint, nec ullum contineant errorem, propter hæreticos qui iisdem utebantur, Ecclesiam catholicam uti non debere asserebat, ne ipsi se morem nostrum vicisse gloriarentur, I, 43.

Episcopos qui lapsi fuerant in hæresim, reversos ad unitatem Ecclesiæ ad ulteriorem gradum promoveri prohibuit, I, 77.

Episcopum corruptum præmio Donatistarum, quia alium episcopum fieri permisit, degradari mandavit, XI, *ind.* X, 48.

Invigilandum contra hæreticos, ne quid pereat, aut si captum forte quid fuerit vocibus, divinorum eloquiorum ad gregem Dominicum reducendum; ut ille qui pastor pastorum est, vigilasse nos circa gregem suum, suo dignetur judicio comprobare, *ibid.*

Loca hæreticorum execrandis erroribus deputata in catholicæ religionis reverentiam dedicavit, III, *ind.* XI, 19.

Hortatur rectorem Africæ ne sit negligens in reprimendis hæreticis, IV, 34.

Caulas ovium vigilanti custodia præmunire oportet : quatenus lupus insidians undique pastores sibi repugnantes inveniat, et viam ingrediendi non habeat, IV, 35.

Episcopum ex partibus ad se venire mandavit, ut ex eo veritatem cognoscens super hæreticis repullulantibus ob negligentiam episcoporum, quid esset agendum in talis facinoris ultione disponeret, IV, 34, 35.

Quævis bona opera nulla sunt, si in soliditatem fidei beati Petri non fiunt, IV, 38.

Hortatur renuentem venire ad sedem apostolicam causa fidei : ut veniat, IV, 43.

Gesta contra hæreticos probat, et episcopo gratulatur zelum, quem in illos exercuit, V, 5.

Sententiam in eos qui hæreticos investigare negligunt sub pœna dignitatum, et totius substantiæ amissione mitigari desiderat, inquiens : Optimum est igitur, frater charissime, ut in his quæ foris corrigenda sunt, prius charitas interna servetur, et simus mente subjecti, *ibid.*

Accusatos de crimine cujusvis hæresis, et innocentes repertos, non solum recipiebat, sed catholicos declarabat, VI, 13, 66.

Causam fidei in concilio examinabat, I, 16 ; VI, 15.

Absolvit damnatum de hæresi a patriarcha Constantinopolitano, qui ad sedem Apostolicam appellavit, VI, 66.

Legens et tenens hæreticum librum tanquam hæreticus fuit damnatus, *ibid.*

Legens et tenens apud se hæreticum librum, absolvitur a suspicione hæresis, professione fidei catholicæ prius facta, et eodem libro ab ipsomet damnato cum hæresibus contentis et promittens nunquam amplius se illum lecturum, atque attestans illum simpliciter legisse, VI, 66.

Pagina libelli professionis fidei et abjurationis hæresis. *ibid.*

Suspensus de hæresi primo profitebatur generaliter fidem catholicam, deinde detestabatur errores, de quibus erat suspectus, VI, 66; X, *ind.* II. 42.

Notatur episcopus qui in sua synodica epistola professionis fidei catholicæ damnavit quemdam, qui non reperiebatur damnatus in quatuor conc. generalibus, VII, 34.

Correxit quosdam asserentes hanc hæresimi quod Christus descendens ad inferos, omnes ibi detentos tam fideles quam infideles relaxavit, VII, 15.

De his qui imperito zelo agunt, qui alios quasi hæreticos insequuntur, XI, 45.

Hortatus est episcopum Thessaliæ ad recipiendum presbyterum, si voluerit abjurare, et publice satisfacere in iis omnibus quæ ipsi objiciebantur, et fidem catholicam profiteri : secus vero tanquam excommunicatus haberetur, XI, 74.

*De Schismaticis et Apostatis.*

Hortationibus et rationibus primum agebat cum iis qui ab unitate Ecclesiæ recesserant, II, *ind.* X, 51.

Promisit se illis satisfacturum, si ad se venire voluerint, concedens illis salvum conductum : quos cum affectu, quo decet, dixit se recepturum, et cum gratia sine ulla molestia relaxaturum, V, 51.

Schismatici sicut in pravo studio perdurantes objurgandi detestandique sunt, sic ad sinum matris Ecclesiæ redeuntes consolandi et refovendi, VI, 47.

Schismaticis conversis, ne possent post conversionem alicui necessitati succumbere, aliquid de Ecclesia providit annis singulis tribuendum, VI, 47.

Schismatici redire ad unitatem jussione imperatoris non compellebantur, IX, *ind.* II, 10.

Tempore sancti Gregorii schismatici cum omnipotentis Dei solatio et ipsius labore sua sponte reverti festinabant, *ibid.*

Episcopus schismaticus prius monebatur ad redeundum sub pœna privationis : quia in sua pertinacia perdurasset, alium in ejus locum ordinari mandabat, IX, *ind.* II, 10, 97.

Idolorum cultores, aruspices et sortilegos per episcopum admoneri jussit, ut reverterentur, et contra nolentes pœnas gravissimas infligi, IX, *ind.* II, 65.

Schismaticos ad Ecclesiam redire etiam concessione bonorum, quæ Ecclesiæ competebant, invitabat, inquiens : Nam nulla occasione excusare se volumus, quos ad matris Ecclesiæ sinum redire desiderabiliter exspectamus, IX, *ind.* II, 53.

Libellus adjurationis episcopi, qui in schisma incidit. *Olim* X, 51, *nunc in appendice.*

Schismatici conversi, auctoritate exarchi, ne ab aliis schismaticis molestarentur, curavit, XIII, 33.

Hortatus est exarchum, ut in conversionem schismaticorum incumberet, *ibid.*

Episcopum schismaticum reversum laudavit, et hortatus est ad confirmationem, et ejus necessitatibus subvenit. Quia, inquit, sanctus Petrus ad quem reversi estis, vos deserere non debet, XII, 32.

Commendabat atque laudabat eos, qui maxime studebant, ut schismatici ad gremium Ecclesiæ redirent, et eorum simul virtutes extollebat, IX, *ind.* II, 94, 95, 96.

Mandavit excommunicari eos catholicos, qui filios, mancipiaque sua, vel alios quos in potestate haberent, in Donatistarum hæresim baptizari consenserunt, VI, 36.

*De Judæis et Saracenis.*

Judæi non vi baptizandi, sed magis rationibus suavitateque doctrinæ, quam violentiis vincendi, I, 47.

Neque persequendi, sed mansuetudine et benignitate admonendi atque suadendi ad unitatem fidei, I, 35.

Nec inviti adducendi, sed magis hac temperantia circa eos utendum est, ut trahatur ab eis velle non reniti. Sicut Scriptum est : *Voluntarie sacrificabo tibi,* IX, *ind.* II, 6.

Judæos expulsos ad proprium locum revocavit, I, 35.

Mancipia Christiana servire Judæis prohibuit, III, *ind.* XI, 38; IV, 21. Quod grave et execrandum dicebat, VII, 24.

Servos et ancillas Judæorum ad Ecclesiam confugientes causa fidei, sive olim Christianus, sive tunc fuerit baptizatus, libertatem consequi volebat, IV, 9.

Rustici in infidelitate obstinari, tanto onere pensionis gravandi, ut ad rectitudinem vexationis molestia venire compellantur, IV, 26.

Si Judæi Christiani fieri volebant, aliquid ex pensionibus debitis eis relaxari faciebat, II, 32.

Judæis conversis victum subministrari per subdiaconum sedis apostolicæ faciebat, ne inopia laborarent. IV, 33.

Manichæos comprimere, et ad fidem Christianam suscipiendam hortari jussit, V, 8.

Judæis rusticis in possessionibus Ecclesiæ consistentibus aliquid ex pensionibus minui, ut ad fidem converterentur, permisit : quia, inquit, etsi ipsi minus fideliter veniunt, hi tamen qui ex eis nati fuerint jam fidelibus baptizantur : aut ipsos ergo, aut ipsorum filios lucramur, *ibid.*

Mancipia Judæorum tam Judaica quam pagana, violentia fieri Christiana, nec vendere, nec servire amplius Judæis licebat : sed libera erant. De iliis vero quæ mercimonii causa ex exteris finibus deducta sunt, præscripsit certum terminum : et si constabat illa esse deducta ut venundarentur, pretium volebat illis dari : secus, si ut eis servirent, VI, 32 ; IX, *ind.* II, 36.

Reginam Francorum admonuit minime permitti debere Judæos habere Christiana mancipia. Quam diversum est inquit, caput honorare, et membra ipsius hostibus calcanda

submittere? Quid enim sunt Christiani, nisi membra Christi? IX, *ind.* II, 109, 110.

Nec Samaræis Christianos servire permittebat, VIII, *ind.* I, 21.

Nec pagana mancipia ab ipsis Samaræis circumcidi patiebatur, VI, 33.

Diligentia in conversione infidelium maxima relucet in decernendo Augustino legato cum suis sociis in Angliam pro conversione infidelium, VI, 52, 53, 54, 55, 58, 59.

Seminarium in Gallia construi jussit ex pueris Anglis qui vendebantur, VI, 7.

Monachos misit, ut Augustinum juvarent in conversione Anglorum, illosque commendavit diversis in itinere, XI, 49, 50, 51, 52, 53, 54, 55, 56.

Quinquaginta solidos pro vestimentis eorum qui baptizandi erant, comparandis transmisit, VIII, *ind.* I, 1.

Et ad celebrandum eorum baptismum ex ipsorum voluntate permisit, ut Paschalis solemnitas exspectaretur. Quod si longum solemnitatem Paschalem exspectare videretur, pœnitentia ac abstinentia quadraginta dierum indicta, aut die Dominico, aut si celeberrima festivitas occurreret, idos baptizari præcepit, VIII, *ind.* I, 23.

Magna ipsi erat cura de Judæis baptizandis, ut quid de iis qui baptizari desiderabant, actum fuerit, sibi subtiliter iudicare vellet, *ibid.*

Judæorum privilegia servari præcepit, VIII, *ind.* I, 13.

Synagogas illorum ab ipsis non auferri mandavit, IX, *ind.* II, 6.

Ereptæ synagogæ ab episcopo eis pretium præstari, et codices et ornamenta illis restitui voluit, IX, *ind.* II, 55.

Si synagoga sic vicina esset Ecclesiæ, ut etiam voces psallentium, vel aliquid in ecclesia visum fuerit obfuisse, alium locum pro synagoga illis dari jussit, I, 10.

A Judæis bona auferri, et contra jus eos pati non permittebat, IX, *ind.* II, 54, 55.

Quædam quæ juxta ritum gentium fiebant, ne conversi ad Christianam religionem exasperarentur, in cultum Dei vivi et veri converti jussit. Nam duris mentibus simul omnia abscindere impossibile esse non dubium est. Et ponit exemplum de sacrificiis Israelitico populo concessis in exitu de Ægypto: ut quod diabolo illi exhibebant, Judæi Deo vero offerrent, XI, 77.

Templa, destructis idolis, Deo consecrentur, boves pro sacrificiis occidendi, pro religiosis conviviis die dedicationis, vel natalitio sanctorum martyrum, quorum reliquiæ illic ponuntur, occidantur, et donatori omnium satietate sua gratias referant: ut dum eis aliqua exterius gaudia reservantur, ad interiora gaudia consentire facilius valeant, *ibid.*

Tabernacula circa easdem ecclesias, quæ ex fanis commutatæ sunt, de ramis arborum facere, et religiosis conviviis solemnitatem peragi permisit, *ibid.*

*De Restitutione rerum ablatarum.*

Monachum cum rebus Ecclesiæ, cujus erat famulus, domino suo mandat restitui, V, 35.

Ablatas res et parochias occupatas violenter a quodam episcopo sine mora restitui jussit, VIII, *ind.* I, 28.

Argentum Ecclesiæ penes diaconum detentum restitui curavit, IX, *ind.* II, 16.

Possessionem monasterii cujusdam ab Ecclesia Romana detentam abbati reddi jussit, IX, *ind.* II, 20; XI, 30.

Servum fugitivum jussit quæri et restitui, IX, *ind.* II, 102.

Possessionem ab agentibus episcopi occupatam, et puerum ab alia Ecclesia injuste detentum, statim restitui jussit, IX, *ind.* II, 126.

Injuste detenta reddi voluit, X, 1; XI, 18. Et ablata injuste, X, 25.

Et monasterium patronis reddi, hæreticis, qui illud occuparant, inde expulsis, XII, 50.

Debita et mercedes statim persolvi jubebat, VIII, 32; XI, 18, 49.

Fines subtractos ab Ecclesiæ actionariis in possessione cujusdam privati reponi jussit, XI, 41, 42, 43.

Vela et codices cujusdam monasterii abbati mandavit restitui, X, 14.

*De Sacrilegiis.*

Sacrilegium in persona monialis commissum cum summa severitate vindicari mandavit, IV, 6, 9; ubi monialis in arctiorem clausuram detrudatur in pœnitentiam, jejuniis et orationibus vacet; laicus excommunicetur, Clericus deponatur, et in monasterium detrudatur.

Sacrilegos summopere insectari faciebat, X, 8.

Ducem hortatus est, ut in militem sacrilegum monialis raptorem districte animadverteret, significans se ei esse iratum, quod ultio primum quam iniquitas ad suas aures non pervenerit, XIV, 10.

*De Usuris.*

Illicita lucra fieri non permittebat, neque viris clarissimis parcebat: unde commisit episcopo Neapolitano, ut hortaretur virum clarissimum palatinum cessare ab hujusmodi illicitis lucris cum alterius damno: quod si non cessaverit, brachium præfecti civitatis imploraret, ut rationabiliter emendare faceret, X, 26.

Jussit hortari nobilem, ut lucrum ex alterius damno non exspectaret: sed sicut Christianum decet et nobilem, plus benignus quam rigidus, plus misericors esse deberet quam districtus, IX, *ind.* II, 38.

*De Crimine Falsi, et Mendacio.*

Episcopum mentiri turpissimum, et pejus quam non abstinere a carnibus et aliis, III, *ind.* XI, 53.

*De Sortilegis.*

Laudavit notarium insequentem incantatores et sortilegos, quos districta ultione corrigi jussit, XI, 53.

Maleficos impunitos relinqui non permisit, sed defensori sedis apostolicæ commisit eos punire, cum ab episcopo morte prævento hoc crimen puniri non potuerit, V, 32.

*De Clerico percussore.*

Episcopo jubenti mulierem quamdam crudeliter fustibus cædi, pœnitentiam suspensionis duobus mensibus ab officio indixit, III, *ind.* XI, 45.

Episcopos qui verberibus timeri volebant, damnavit. Nova, inquit, atque inaudita est prædicatio, quæ verberibus exigit fidem, III, *ind.* XI, 53.

*De Clerico maledico, et de iis quæ spectant ad laudationem vel vituperationem.*

Episcopus maledicorum rumores in seipsum conscientia benefactorum diluat, VII, 14.

Nimius esse levitatis ostenditur, si quis mala gravia credere studeat, quæ probari non possunt, *ibid.*

In cunctis quæ in hac vita adversa proveniunt, sola est, sicut nostis, omnipotentis Dei districtio pensanda, atque ad cor semper proprium recurrendum, ut nullius nos ibi lingua implicet, ubi conscientia non accusat, VII, 14.

Nulla habenda est offensio in maledicos, X, 15.

Maledici quando aliquid referunt, duo conantur efficere, se illis quasi fideles ostendere, et ut hi quibus referunt, de aliis prave dubitent, *ibid.*

De detractionibus non curandis eleganter, XI, 2.

In verbis hominum, inquit, nec contristandum, neque lætandum. Ad mentem recurrendum inter verba laudantium et vituperantium: et si in ea non invenitur bonum quod dicitur, maxime dolendum; et si non invenitur malum, maxime lætandum. Detractores vocandi, tranquille admonendi, eisque satisfieri modis omnibus debet. Scientes, inquit, quod de Judæis Veritas dicit: *Ne forte scandalizemus eos.* Si autem satisfieri sibi ex veritate noluerint, habes consolationem, quam in sancto Evangelio conspicias. *Sinite illos, cæci sunt, et duces cæcorum, ibid.*

Pax cum omnibus habenda, *ibid.*

Collocutiones hominum, et murmurationes parvipendendæ, X, 61.

Excommunicavit eos, qui famosos libellos etiam contra se scripserunt, et non seipsos manifestaverunt: eos vero qui ostenderunt errorem suum, absolvit, VI, 31.

Episcopis cæterisque superioribus non detrahendum. Quoniam, inquit, facta suorum episcoporum vel præpositorum oris gladio non sunt ferienda, etiam si recte reprehendenda videntur: cum enim in præpositos delinquimus, Dei ordinationi, qui nobis eos prætulit, obviamus, de quibus Exod. XVI: *Nos quid sumus?* nec contra nos est murmur vestrum, sed contra Deum, XIV, 17.

*De Purgatione Canonica.*

Purgationem canonicam ad tollendum omne dubium contra objecta crimina, et sinistrum rumorem, peracta prius tamen inquisitione, et nulla reperta culpa, episcopo indixit, II, *ind.* X, 33.

Ad diluendam omnem suspicionem, et ad plenissimam satisfactionem, canonica purgatione abbatem absolvit, VII, 18.

*De Lapsis post veram pœnitentiam ad honorem restituendis, vel non.*

Bona eorum qui lapsi sunt, applicanda monasteriis pauperrimis regularium, in quibus pœnitentiam peragant, vel ipsorum legitimis parentibus, si tamen pœnitentes non sunt ex familia ecclesiastica, vel monachi: ita tamen ut sufficienter stipendium pœnitentibus detur, I, 44.

Lapsi in peccatum carnis post acceptum sacrum ordinem, eo ordine carere debent, IV, 26.

Lapsis restitutionem ordinis perbelle denegavit, in-

quiens : Nec vos pro talibus decet petere, ne non rectitudini, sed indisciplinationi, quod absit, videamini consentire, IV, 40.

Nulla ratione lapsum in sacro ordine aut permanere, aut revocari posse asseruit, VIII, *ind.* I, 24.

Presbyterum post lapsum a sui sacerdotii ordine dejectum, qui ministerium sacerdotii postmodum exsequi præsumpsit, communione Dominici corporis perpetuo, nisi in articulo mortis, carere, et in pœnitentia permanere voluit. Si tamen misericordia in pœnitentia dignus esset, arbitrio Episcopi remisit inter laicos communionem recipere posse, etiam ante vitæ exitum, V, 7.

Lapsos post dignam satisfactionem ad honorem posse redire credit, IX, *ind.* II, 52.

Lapsi vel presbyteri, vel diaconi, nullo modo ad sacrum ordinem revocandi, V, 16, 17; ubi reddit rationem, inquiens : Vigor canonicæ procul dubio frangitur disciplinæ, dum pro reversionis spe pravæ actionis desideria quisque concipere non formidat. Et paulo post : Ne hujusmodi non statuta, sed temporaliter dilata credatur eis esse vindicta.

Subdiaconos lapsos inter laicos communionem accipere decrevit, V, 3, 4.

Diaconum ablatem lapsum, si in pœnitentia ejus conversatio meruerit, inter monachos in priore loco esse censuit, *ibid.*

Sollicitudo Gregorii in lapsos clericos, V, 4.

Curam et sollicitudinem monasterii commisit, non tamen ordinis executionem restituit, *ibid.*

Lapsus episcopus episcopatu privatus fuit, I, 41.

*De Sententia Excommunicationis.*

Excommunicatos publiceque delinquentes increpabat, et eos per epistolas monere, et ad resipiscendum hortari non est dedignatus, I, 3.

Excommunicationis sententia non est ferenda pro vindicta propriæ injuriæ, II, *ind.* X, 49.

Non præcipitanter, nec per iram, sed magna circumspectione sententia excommunicationis ferenda est, II, 34.

Contumacibus sacerdotibus venire remuentibus post secundam et tertiam admonitionem ministerium sacri officii interdici jussit, III, *ind.* XI, 56.

Eis qui ab ecclesiastica communione suspensi sunt, nullus religiosus secundum canonum præcepta jungatur, IV, 27.

Excommunicatos pœnitentes absolvit, *ibid.*

Absolvit populum ab excommunicatione, quia communicaverat episcopo excommunicato, VI, 26.

Excommunicatum ob libertatem ecclesiasticam læsam redeuntem absolvi jussit, et in ejus domo missam celebrari, et ejus oblationes suscipi, VI, 43, 44.

Viciniores admonuit excommunicatum episcopum vitare, et illum declinantes laudavit, et communicantes absolvit, et ne de cætero fiat hortatus est, VI, 27.

Episcopos cæterosque religiosos excommunicatis communicantes, ad se pro absolutione venire jussit, VII, 17.

Non permisit participationem sacræ communionis perseveranti in excommunicatione, nisi in mortis articulo, VIII, *ind.* I, 7.

Excommunicatus a suo superiore, ab altero ad communionem admitti non debet, nisi causa cognita, quod injuste fuisset excommunicatus : ut nec injustitia diu insontis afflictione prævaleat, nec disciplinæ vigor aut frangi, aut ex indiscreta valeat præsumptione dissolvi, IX, *ind.* II, 37.

Familiam communione privatam propter ejus dominam absolvi mandavit, X, 32.

Mandavit excommunicari consiliarios, qui injuste episcopum condemnarunt, IX, *ind.* II, 1.

Excommunicati e liminibus Ecclesiæ ejiciendi, IX, 64.

Principes, et maximos viros, quorum pœnitentia non videbatur, absolvere renuebat, inquiens : Quia si Deo satisfactum non fuerit, quid nostra relaxatio vel gratia poterit certe conferre ? IX, *ind.* II, 5.

Qui dicunt, quia compulsus quispiam necessitate si anathematizatus fuerit, anathematis vinculo non tenetur, ipsi sibi testes sunt, quia Christiani non sunt : proinde despiciendi per omnia, et anathematizandi sunt, ut unde veritatem fallere se credunt, inde in peccatis suis veraciter ligentur, XI, 45.

A sancti Petri pace segregari, appellat excommunicationem, IX, *ind.* II, 68.

*De Primatu Ecclesiæ Romanæ, et in eam obedientia.*

Quatuor patriarchæ Romani pontificis correctioni subjiciuntur, IX, *ind.* II, 12, 59, ait : Nescio quis ei episcopus subjectus non sit.

Ordinatus in Ecclesia Romana ab illa ulterius egredi licentiam non habet, V, 38.

Primatus sancti Petri et Ecclesiæ Romanæ explicatur in iis epistolis, in quibus sanctus Gregorius conqueritur de superbia Joannis Constantinopolitani episcopi nomen Universalis subripientis, quod Ecclesiæ Romanæ a synodo Chalcedonensi oblatum fuit, V, 20, ait. Certe pro beati Petri apostolorum principis honore per venerandam Chalcedonensem synodum Romano pontifici oblatum est : sed nullus eorum unquam hoc singularitatis vocabulum assumpsit, nec uti consensit, ne dum privatum aliquid daretur uni, honore debito sacerdotes privarentur universi. Et V, 21, 18, 19; VII, 33; IX, *ind.* II, 68.

De primatu Petri et Ecclesiæ Romanæ inquit : Ipse sublimavit sedem, in qua etiam quiescere et præsentem vitam finire dignatus est, et Petrus in successoribus sedet, Petri sedes in tribus locis, nempe in Ecclesia Romana, Alexandrina, Antiochena, quæ unius est unitas Ecclesiæ, VII, 40.

Constantinopolitanam Ecclesiam sedi apostolicæ esse subjectam non esse dubitandum inquit, IX, *ind.* II, 12.

Ad Romani pontificis sententiam super novis hæresibus exortis recurritur, X, 55; ubi, inquit, laus sit in excelsis et gloria, cujus dono adhuc in sede Petri clamat vox Marci.

De diacono sedis apostolicæ responsali concelebrante cum patriarcha Constantinopolitano sic inquit : Meus vero Diaconus cum prædicto fratre nostro Cyriaco missarum solemnia celebrare non debet : quia per profanum vocabulum culpam superbiæ aut commisit, aut sequitur ; ne si, quod absit, procedit, ei in tali elatione posito vanitatem stulti nominis confirmare videamur, VII, 34.

Nomen Universalis a patriarcha Alexandrino papæ oblatum est, VIII, *ind.* I, 30.

Hæreses ab Ecclesia Constantinopolitana exortas enumeravit, V, 32; VII, 27.

Sanctus Ignatius communis Ecclesiæ Romanæ et Antiochenæ, et sanctus Petrus itidem, V, 39, asserens nos habere de scriptis sancti Ignatii, Amen, Gratia, etc.

Appellatio in causis fidei ad sedem apostolicam, VI, 13, 66.

Ad sedem apostolicam datur recursus in causis contra Episcopos, VI, 24.

Patriarcha Alexandrinus ad visitandum papam misit, qui illum ad unitatem cum Ecclesia Romana hortatus est. Quadam, inquit, se peculiaritate constringi erga Ecclesiam Alexandriæ, cum beatus Marcus Evangelista a sancto Petro magistro suo Alexandrinis transmissus sit : ipsumque admonuit, ut diligenter suas litteras perlegeret, quibus non responderat, VI, 60.

Synodica epistola a novo patriarcha statim post electionem ad papam mittitur, in qua fidem Catholicam profitetur, VI, 66 ; VI, 5.

Consuetudo sedis apostolicæ non scribendi ad novum patriarcham, antequam synodica epistola ejus nomine papæ reddatur, VI, 66.

Ad synodicam epistolam novi patriarchæ Constantinopolitani sanctus Gregorius eleganter respondit de cura pastorali, et de custodienda charitate, et unitate sanctæ Ecclesiæ, VII, 5.

Ab usitata formula professionis fidei patriarcham recedere non debere admonuit, VII, 34.

Magnam inquit esse protectionem sancti Petri in urbe, in qua sine magnitudine populi, sine adjutoriis militum, tot annis inter gladios illæsi Deo auctore servamur, VIII, *ind.* I, 22.

Præcipit patriarchæ Hierosolymitano ut fugitivum acoluthum perquiri faciat, et repertum ad ipsum transmittat, VIII, *ind.* I, 6.

Exordium sacerdotalis ordinis in Africa ab apostolica sede, VIII, *ind.* I, 33.

De ordinationibus apostolicæ sedis pontificum, an post beatissimum virum Hormisdam aliqua sint addita requisitus, respondit usque ad Vigilii papæ tempora expositas ordinationes præsulum fuisse, IX, *ind.* II, 52.

De veritate Ecclesiæ sic inquit mulieri, quæ schismatico nupsit : Quia talis viri conjugem nec ad modicum esse decuit a communionis unitate distinctam, considerare debuisti quanta multitudo fidelium in matris Ecclesiæ sinu consistat, quantisque virtutibus sacerdotes, qui in ista fide defuncti sunt, coruscarunt : vel quanta adhuc corpora sua miracula faciant, atque eos non dijudicare, sed plus tantis viris ac sacerdotibus, quam tibi credere debuisti, VII, 37.

De unitate Ecclesiæ, et quod stantes in ea cœlestis patriæ gaudia contemplantur, IX, *ind.* II, 52.

*De Episcopis limina sanctorum apostolorum Petri et Pauli visitantibus.*

Consuetudo tenuit, inquit, ut fratres et coepiscopi nostri Romam semel in triennio de Sicilia convenirent : sed nos eorum labori consulentes constituimus, ut suam huc

semel in quinquennio præsentiam exhiberent. Et quia jam diu est, quod huc minime convenerunt, eos hortari te volumus, ut natalem sancti Petri hic, Deo perducente, nobiscum debeant celebrare. Eidem defensori jussit, significari provinciæ prætori mandatum suum vocandi episcopos provinciæ ad limina apostolorum, ad omnem suspicionem removendam, ne illorum impediretur discessus, VII, 22.

Venientes ad limina apostolorum impediri prohibebat, I, 74.

*De Concilio.*

Concilium provinciale contra hæreticos convocari jussit, I, 74.

In concilio provinciali agendum est de utilitate provinciæ et Ecclesiarum. De sublevanda necessitate pauperum et oppressorum. De monendis errantibus, corrigendisque excessibus provinciæ. Ut absint odia, invidia, et discordia: sed concordia et charitas intersit. Denique omnia cum maturitate et tranquillitate gerantur, I, 1; III, *ind.* XI, 48, 49; IX, *ind.* II, 106.

Concilium bis in anno habendum, inquit: Episcoporum etiam concilia sicut tam tuæ mos dicitur fuisse provinciæ, quam quod sanctorum canonum auctoritate præcipitur, bis in anno celebrare te volumus, ut si quis inter eos a sui forma propositi, actionis, atque morum qualitate discordat, sociali possit fratrum increpatione redargui, et pro securitate commissi gregis, animarumque statu, paterna valeat circumspectione tractari, IV, 9.

Concilium bis in anno habendum, ex regulis Patrum permisit, sine excusatione aliqua semel in anno congregari, IX, *ind.* II, 106; XIV, 17.

De cogendo concilio, et ejus causa sic ait: Volumus nos in unum convenire episcopos, ut de incidentibus causis fiat disceptatio, et salubris de ecclesiastica observatione collatio: qualenus per hoc et preterita corrigantur, et regulam futura suspiciant, *ibid.*

De utilitate concilii sic ait: Nam plerumque etsi non amore justitiæ, metu tamen examinis abstinetur ab hoc quod omnium notum est posse displicere judicio, IX, *ind.* I, 106.

Concilium provinciale ad Primatem convocare spectat, III, *ind.* XI, 48, 49.

Peracto concilio provinciali, primas provinciæ certiorem facere debet summum pontificem de omnibus actibus illius, III, *ind.* XI, 49.

Nihil addendum vel minuendum in IV synodo sub anathematis pœna, III, *ind.* XI, 10; sed illius fidem illibatam custodiendam esse, IV, 3; IX, *ind.* II, 52.

Quatuor synodos sicut quatuor libros sancti Evangelii recipiebat, II, *ind.* XI, 10.

Concilium sine papæ auctoritate et contra ipsius auctoritatem peractum, cassandum, V, 18, 21; IX, *ind.* II, 68.

Perspicere debent episcopi in synodo convocata, ne quid contra canones agatur, *ibid.*; ubi asserit se confidere imperatorem nihil permissurum contra canones in concilio fieri.

Episcopis Galliæ synodum celebrare præcepit per episcopum et abbatem a se transmissum, qui illius acta sibi renuntiaret, IX, *ind.* II, 106; et in scriptis redacta per eumdem episcopum ad ipsum transmitterentur, IX, *ind.* II, 107.

Certiores fecit regem et reginam Galliarum de omnibus, quæ in mandatis dedit præsidenti sedis apostolicæ super synodum congregatam, illosque hortatus est, ut hoc opus Dei adjuvarent, IX, *ind.* II, 109, 110.

Ab Ecclesia Constantinopolitana depravatæ sunt synodi Ephesina et Chalcedonensis, VI, 14; VII, 34; IX, *ind.* II, 48.

Exemplaria conciliorum apud sedem apostolicam integra conservantur, XIV, 12.

*De iis quæ ad Sacramenta spectant.*

In baptismo omnia peccata dimittuntur, exemplo exitus Ægypti, XI, 45.

Monachi infantes de sacro fonte non suscipiant, IV, 42.

Baptizati ab hæreticis non sunt rebaptizandi, sed cum revertuntur ad sinum matris Ecclesiæ, aut unctione chrismatis ut in Oriente: aut manuum impositione, ut in Occidente: aut sola professione fidei reconciliandi; secus si non essent in nomine sanctissimæ Trinitatis baptizati, tunc essent rebaptizandi, ut Cataphrygæ; Nestoriani vero minime, XI, 67.

Quando dubitatio est, an sit aliquis vel baptizatus, vel confirmatus, si nec scriptis, nec testibus ratio certa habetur, baptizandi vel confirmandi sunt, ne talis dubitatio ruinâ fidelibus fiat: quoniam non monstratur iteratum, quod non certis indiciis ostenditur rite peractum, XIV, 17.

Presbyteri infantes non in fronte, sed in pectore signent, IV, 9.

Permisit presbyteros confirmare posse, ubi episcopi deessent, IV, 26.

Sacerdotes per universas diœceses episcopi in infantibus consignandis non gravent, sed conventiones cum illis factas servent, XIII, 16.

In eremo alii hostes inveniuntur, qui pœnitentia vincendi sunt, antequam perveniatur ad terram promissionis, XI, 45.

Pœnitentia est commissa flere, et iterum plangenda declinare, XI, 45.

*De Ætate et Qualitate Ordinandorum.*

Pueri ad sacros ordines nullatenus admittantur; ne tanto periculosius cadant, quanto citius ad altiora conscendere festinant. Nulla sit in ordinatione venalitas, potentia, vel supplicatio personarum. Deus offenditur, si ad sacros ordines quisque non ex merito, sed ex favore, quod absit, aut ex venalitate provehitur, III, *ind.* XI, 48.

Sed ne unquam ii, qui ordinati sunt, pereant, provideri debet quales ordinentur, ut prius aspiciatur, si vita eorum continens in annis plurimis fuit: si studium lectionis, si eleemosynæ amorem habuerint. Quærendum quoque est, ne forte fuerit bigamus. Videndum etiam ne sine litteris, aut obnoxius curiæ compellatur post sacrum ordinem ad exactionem publicam redire, IV, 26.

Nemo ad subdiaconatum promoveatur, nisi prius continentiam promittat, I, 44.

Subdiaconi sint cælibes: quod si conjugati, vel uxoribus careant, vel ordinis executione, IV, 36.

Violenter promotum in pristinum gradum revocavit, II, *ind.* X, 17, 19.

Ordinati non sunt reordinandi, II, *ind.* X, 46.

Si cum culpa quis ad ordinem accedit, pœnitentia ei indicenda est, et ordo tamen servatur, II, *ind.* X, 46.

Mandatum de promovendo pro sacerdote paupere dedit, IV, 14.

In ecclesia ministris carente clericos ordinari ad instantiam magistri militum jussit, IX, II, 34.

Viri rectæ fidei ad ordines perducantur, XI, 46.

*De Legibus et Constitutionibus.*

Legem iniquam imperatoris, licet publicari fecerit, tamen declaravit non esse servandam, III, *ind.* XI, 62, 65.

Legem justam imperatoris comprobavit, III, *ind.* XI, 65, 66.

Professus est se velle servare statuta suorum prædecessorum, neque eorum benefacta revocare, quod verecundum et turpe esse existimavit, II, *ind.* X, 52; III, *ind.* XI, 60.

Si ea, inquit, destruerem, quæ antecessores nostri statuerunt, non constructor, sed eversor juste comprobarer, XIV, 17.

Et VI, 12, inquit: Justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua a successoribus desiderant mandata servari, prædecessoris sui procul dubio voluntatem et statuta custodiant.

Nimis est asperum et præcipue bonis sacerdotum moribus inimicum niti quempiam quacunque rationis excusatione, et quæ bene sunt ordinata rescindere, et exemplo suo docere cæteros sua quandoque post se constituta dissolvere, VIII, *ind.* I, 14.

De Pelagio prædecessore suo contra superbiam Joannis Constantinopolitani episcopi, sic ait: Cujus nos rectitudinis zelo per omnia inhærentes, statuta ipsius sine refragatione Deo protegente servamus: quia dignum est ut rectam decessoris sui viam gressibus inoffensis incedat, quem de eodem loco ad reddendam rationem æterni judicis tribunal exspectat, IX, *ind.* II, 68.

Civiles Imperatorumque leges et constitutiones servari mandabat, XIII, 45.

*De sacra Scriptura.*

Sacra Scriptura Dei epistola est ad creaturam suam, ad cujus studium hortatur, inquiens: Stude, quæso, et quotidie Creatoris tui verba meditare, disce cor Dei in verbis Dei, ut ardentius ad æterna suspires, ut mens vestra ad cœlestia regna majoribus desideriis accendatur: tanto tunc major ei erit requies, quanto modo ab amore conditoris sui requies nulla fuerit, V, 31.

De ejus utilitate sic inquit: Opto ut sanctam Scripturam legere ametis, ut quandiu vos omnipotens Deus viris conjunxerit, sciatis qualiter vivere et domum vestram quomodo disponere debeatis, XI, 78.

In intellectu sanctæ Scripturæ respui non debet quidquid sanæ fidei non resistit. Sicut enim ex uno auro alii murenulas, alii annulos, alii dextralia ad ornamentum faciunt: ita ex una scriptura scientiæ expositores quique per innumeros intellectus, quasi varia ornamenta componunt, quæ tamen

omnia ad decorem cœlestis sponsæ proficiunt, III. *ind.* XI, 67.

Romani codices multo veriores quam Græci, VI, 14.

Novis codicibus non credendum, *ibid.*

Verba sanctæ Scripturæ non sunt usurpanda in usum humanum : unde reprehendit quosdam episcopos, qui illud psalmi CXVII : *Hæc dies quam fecit Dominus*, etc., accommodarunt electioni novi patriarchæ, VII, 7.

Lectionem sancti Evangelii theca Persica inclusit, XIV, 12.

*De Consuetudine.*

In una fide, inquit, nihil officit sanctæ Ecclesiæ consuetudo diversa, I, 43.

Consuetudinem contra catholicam fidem radicitus veluti zizaniam evelli jubebat, I, 77.

Consuetudines ecclesias gravantes remittebat, I, 66.

Consuetudines cleri, ecclesiæ et presbyterorum sine cunctatione servari jubebat, II, *Ind.* X, X ; *ind.* XI, 56.

Episcopi erga suos metropolitanos consuetudinem servent, IX, *ind.* II, 8.

Consuetudines veteres inquit se reparasse, novas et utiles constituisse, IX, *Ind.* II, 12.

Consuetudines novas contra monasterium induci prohibebat, II, 28.

*De Privilegiis.*

Privilegium personale episcopo syracusano concessit, ut tanquam sedis apostolicæ delegatus parvulas causas ipsi sedi reservatas propter maris spatia cognosceret et terminaret : majores vero et difficiles ad se referri jussit, II, *ind.* X, 7.

Privilegia singularum ecclesiarum se servare profitetur, inquiens : Absit hoc a me, ut statuta majorum consacerdotibus meis in qualibet ecclesia infringam : quia mihi injuriam facio, si fratrum meorum jura perturbo, II, *ind.* X, 52.

Exemit episcopum a jurisdictione metropolitani, et responsali sedis apostolicæ Constantinopoli cognoscere illius causas motas et movendas commisit : arduas vero judicio sedis apostolicæ reservavit, III, *ind.* XI, 7.

Allegans privilegium contra generalem Ecclesiæ consuetudinem, de illo docere debet, III, *ind.* XI, 56 ; VIII, *ind.* I, 28 ; IX, *ind.* II, 112.

Obsistentibus Romanis clericis, mappularum usum primis tantum diaconis Ecclesiæ Ravennat. concessit, quibus tantum Romani clerici utebantur, III, *ind.* XI, 56.

Propter insolentias monachorum baptisterium ab ipsorum Ecclesia jussit tolli, et ibi altare erigi, III, *ind.* XI, 59.

Privilegium concessit episcopo Ravennat. utendi pallio in litaniis, præter usitatum morem, ne ipsum contristaret, V, 11.

Monasteriorum privilegia servari mandabat, VIII, *ind.* I, 34.

Illaque confirmabat, de quibus sic ait : qui nova concedimus, vetera libentissime reparamus, IX, *ind.* II, 111, 112.

Privilegia libenter concedebat monasteriis utriusque sexus, piis locis, xenodochiis, a laicis, præsertim regibus constructis : Ut in illorum bonis, inquit, in aliquo ipse particeps haberetur, XIII, 6, 8.

*De relaxatione et dispensatione sacrorum Canonum.*

Dispensare cum bigamo ad sacros ordines, instante regina Galliarum, noluit, inquiens : Absit ne vestris temporibus aliquid contra canonicum institutum permittatis, XIII, 6.

Remisit gradus affinitatis in Anglia ob adventum illorum ad fidem, XIV, 17.

Gravissime injunxit custodiri cognationis impedimenta usque ad sextum gradum, *ibid.*

*De Rescriptis.*

Omnes controversias sive lites legali ordine finiri mandabat, I, 59. Salva semper tamen justitia et æquitate in omnibus, III, *ind.* XI, 34.

Discussionem causæ commisit in partibus ob difficultatem probationum propter longinquitatem locorum, III, *ind.* XI, 36.

Admonebat eum cui committebatur causa, omnem culpam in ipsum apud Deum rejici, si jus et justitiam non administraret, *ibid.*

Noluit committere causam episcopi accusati in partibus, cum onus probandi accusatoribus incumbat, VI, 24.

Causam episcopi ad sedem apostolicam reclamantis defensori sedis apostolicæ commisit, IV, 37.

Sua rescripta intelligi volebat, si preces veritate niterentur, et si factum aliter quam expositum esset, sibi significari voluit, X, 32.

*De Ecclesiis ædificandis et consecrandis, illarumque sacris vasis et indumentis.*

Ecclesiam Minturnensem funditus tam cleri quam plebis destitutam desolatione, Ecclesiæ Formiensi univit, I, 8.

Propter vicinitatem et populi raritatem Cumanam Ecclesiam æque principaliter Misenatæ univit, II, *ind.* X, 45.

Item de Ecclesia Carinensi Ecclesiæ Regitanæ, VI, 10.

Treverensium [*Legitur* Trium Tabernarum *in ep. laud.*] Ecclesiam propter desolationem vicinæ Ecclesiæ univit, II, *ind.* X, 50.

Ecclesiam Tarracinensem episcopo Fundano commendavit, III, *ind.* XI, 35.

Propter periculum barbaricæ invasionis ad securiorem locum ejusdem diœcesis episcopatum transtulit, III, *ind.* I, 11.

Laudavit ecclesiam prope suum populum ædificari, VIII, *ind.* I, 1.

Oratorium cum debita dote et presbytero cardinali consecrari præcepit, XII, 11.

Sollicitus fuit circa sarta tecta, unde trabes pro ecclesiis sanctorum Petri et Pauli incidi præcepit, et ad mare deduci, pro quibus bonum xenium promisit, XII, 20, 21, 22, 25.

Pecuniam pro reparatione ecclesiarum, quæ in ruinis erant, dari jussit, X, 44.

Oratorium ab episcopo in aliena diœcesi sine ordinarii licentia dedicatum, qui missas publicas etiam in eo celebravit, ordinario loci adjudicavit, XIII, 17.

Metropolitas et episcopos in Anglia constituit, XI, 65

Quæ jussit præparari ad celebrandam dedicationem oratorii, XII, 11.

Consecrationem Ecclesiæ non permittebat fieri, nisi prius sufficiens dos stabilita esset tam pro cultu quam pro deservientibus in illa, II, *ind.* X, 5, 12 ; VIII, *ind.* I, 4 ; X, 17, 66.

Nec baptisterium construatur, nec presbyter cardinalis instituatur, IX, *ind.* II, 70 ; X, 2.

Ecclesiam in possessione juris sanctæ Romanæ Ecclesiæ ædificari jussit pro utilitate illius gentis, VI, 22.

Ecclesiam crematam demum instauratam consecrari concessit cum sanctorum reliquiis, VI, 45.

Sanctorum reliquias pro consecrandis altaribus misit, VI, 49.

Sanctorum reliquias Gregorio expræfecto in illorum sanctorum honorem basilicam propriis sumptibus ædificare volenti, ab episcopo illas habente dari mandavit, IX, *ind.* II, 25.

In simili idem præcepit episcopo Spoletano, et aliis, IX, *ind.* II, 71, 72, 83 ; XI, 31.

De Brandeo quod sanctarum reliquiarum loco in dedicatione ecclesiæ mittitur sic ait, IV, 30. Cognoscat autem tranquillissima domina, quia Romanis consuetudo non est, quando sanctorum reliquias dant, ut quidquam tangere præsumant de corpore : sed tantummodo in pyxide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur, quod levatum in Ecclesia dedicanda debita cum veneratione reconditur : et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora deferantur.

Ministri Ecclesiæ sacris vestibus nisi pro missis non utantur, VIII, *ind.* I, 27.

Consecrandi novam ecclesiam dedit facultatem, XIV, 9.

Baptisterii constructionem confirmavit, XIII, 20.

Ecclesia est consecranda, dummodo nec scriptis, nec testibus ratio certa habeatur, utrum sit consecrata : sic de baptizato et confirmato, XIV, 17.

Monasteria sine mora construi jubebat, II, 32 ; IV, 15.

Sarta tecta ecclesiarum totius provinciæ episcopo commisit, IV, 11.

*De Celebratione Missarum.*

Missas privatis in domibus celebrari permisit, VI, 43, 44.

Nullam mentionem Maximi prævaricatoris in missa fieri jussit, VII, 17.

De Martyrologio quo utebatur Ecclesia Romana, sic inquit : Præter illa quæ in ejusdem Eusebii libris de gestis sanctorum martyrum continentur, nulla in archivo hujus nostræ Ecclesiæ, vel in Romanæ urbis bibliothecis esse cognovi, nisi pauca quædam in unius codicis volumine collecta. Nos autem pene omnium martyrum distinctis per dies singulos passionibus collecta in uno codice nomina habemus, atque quotidianis diebus in eorum veneratione missarum solemnia agimus. Non tamen in eodem volumine, quis qualiter sit passus indicatur, sed tantummodo nomen, locus et dies passionis ponitur, VIII, *ind.* I, 29.

Alleluia de Hierosolymorum Ecclesia ex traditione beati Hieronymi. Subdiaconi ex antiqua consuetudine spoliati procedunt lineis tunicis. Kyrie eleison non secundum Græ-

cos dicitur. Oratio Dominica in missa dicitur ex traditione apostolorum, qui solummodo ad hanc orationem consecrabant, IX, *ind.* II, 12.

Cantores ad sacri altaris ministerium non sunt eligendi. Diaconi vocis modulationi non debent inservire, in Synodo Romana, *olim* IV, 44, *nunc in App., in Decr. S. Gregorii.*

In invasionibus litanias recitari jussit, inquiens : Omni hebdomada quarta et sexta feria litaniam inexcusabiliter indicatis, et contra barbaricæ crudelitatis incursus supernæ protectionis auxilium imploretis, XI, 51.

*De Feriis.*

Episcopi denuntiationem Paschæ juxta priscam consuetudinem a metropolitanis petere debent, IX, *ind.* II, 8.

Tabernacula arborum circa ecclesias, et religiosa convivia fieri, solemnibus diebus permisit, XI, 76.

Prædicantes die Sabbati nihil operandum, quasi Antichristi sunt reputandi. Die Dominico corpus lavare ob necessitatem non prohibetur : lavari pro luxuria ac voluptate semper prohibitum. Nutrire enim, inquit, et fovere carnem suam cunctis permittitur : secus in concupiscentiis, XIII, 1.

Dominico die a labore terreno cessandum est, atque omnimodo orationibus insistendum, ut si quid negligentiæ per sex dies agitur, per diem resurrectionis Dominicæ precibus expietur, *ibid.*

Sabbatum requies dicitur : verum autem Sabbatum ipsum redemptorem nostrum Jesum Christum Dominum habemus, *ibid.*

*De Reliquiis et Veneratione Sanctorum.*

Sanctorum reliquias decenter conservari curabat, IV, 30.

Ubi nullum esset corpus humatum, illas condi mandabat, IX, *ind.* II, 15.

Miracula sanctorum Patrum quærebat, ut scriberet : atque ex eis librum Dialogorum condidit, III, *ind.* IX, 51.

Sanctorum reliquias in monasterio monialium debita veneratione condi, ad postulationem ejus quæ monasterium construebat, jussit, II, 23.

De observantia et veneratione sanctarum reliquiarum. Sudarii sancti Pauli, cujus catenas limari per sacerdotem permittebat, ut parum quid ex limatura petentes, hanc benedictionem accipiant. Quibusdam, inquit, petentibus diu per catenas ipsas ducitur lima, et tamen ut aliquid exinde exeat, non obtinetur, IV, 30.

Tenacissimus et cautus illarum fuit, illasque postulantibus non dedit. Reliquiæ sanctorum in Romana Ecclesia non tanguntur, sed tantummodo in pixide brandeum mittitur, atque ad sacratissima corpora sanctorum ponitur, quod loco reliquiarum habetur, et tantæ per hoc ibidem virtutes fiunt, ac si illuc specialiter eorum corpora illata essent, IV, 30.

Aloem, thymiama, storacem et balsamum sanctorum martyrum corporibus offerenda transmisit, IX, 52.

Imagines Salvatoris et santorum habere laudavit, easque misit. Quia illum, inquit, toto corde, tota mente diligis, cujus imaginem præ oculis habere desideras, *ibid.*

Ab re non facimus, si per visibilia invisibilia demonstramus. Imaginem Salvatoris non quasi Deum colere debemus, sed ad recordationem filii Dei, inquit, in ejus amore recalescas, cujus te imaginem videre desideras. Et nos quidem non quasi ante divinitatem ante illam prosternimur, sed illum adoramus, quem per imaginem aut natum, aut passum, sed in throno sedentem recordamur. Et dum nobis ipsa pictura quasi scriptura ad memoriam filium Dei reducit, animum nostrum aut de resurrectione lætificat, aut de passione demulcet, *ibid.*

De virtute clavis sancti Petri sic inquit : ut per ipsum a maligno sis defensus, per cujus signum munitum te esse credis, *ibid.*

Laudavit zelum episcopi, qui sanctorum imagines confregit atque projecit, ne quid manu factum adorari posset : sed reprehendit, quod illas confregerit. Idcirco, inquit, pictura in ecclesiis adhibetur, ut hi qui litteras nesciunt, saltem in parietibus videndo legant, quæ legere in codicibus non valent, IX, *ind.* II, 105; XI, 13.

Sanctorum reliquiæ ex una ad aliam ecclesiam asportandæ, non alibi quam in ecclesia deponebantur, XIV, 7, 13.

Sanctus Paulus capite truncatus est apud aquas Salvias, et de illius Ecclesia, XIV, 14.

De reliquiis sanctorum Petri et Pauli ad Brunichildam reginam Francorum sic inquit : Ut vestra devotio laudabilis et religiosa magis magisque clarere possit, providendum vobis est, ut sanctorum beneficia cum reverentia et debito honore condantur, et servientes ibidem nullis oneribus nullisque molestiis affligantur : ne forsitan necessitate exterius imminente, in Dei servitio inutiles segnesque reddantur, et injuriam, quod absit, neglectumque beneficia sanctorum collata sustineant, VI, 50.

Petenti sanctorum reliquias pro dedicatione ecclesiæ quam construxerat, concedere distulit, ut docentibus miraculis, et amor, inquit, vobis cresceret in veneratione sanctorum, et major fieret exultatio gaudiorum, X, 65.

*De Immunitate Ecclesiarum.*

Libertatem ecclesiasticam non impediri curabat, I, 61.

Admonuit episcopos Siciliæ, ne angarias et gravamina paterentur a defensoribus prætextu sedis apostolicæ, nec eis obedirent, nisi ipse scripserit, I, 70.

Mandavit episcopo libertati ecclesiasticæ operam dare, ne clerici a laicis opprimerentur, IV, 26.

Neminem a custodia et vigiliis murorum excusari voluit, nec ipsius vel ecclesiæ, nec enim clericos a defensione civitatis exemptos necessitatis tempore censebat, VIII, *ind.* I, 18.

Rusticos possessiones ecclesiæ non deserere, ut privatorum culturam acciperent, mandavit, IX, *ind.* II, 64.

Mandavit episcopo, ut defenderet bona suæ Ecclesiæ, quam nullo pacto gravari volebat, cujus gratia privilegia transmisit, et protectionem sedis apostolicæ ei promisit, XI, *ind.* II, 100.

Theoderico et Teodeberto regibus Francorum inquit : Audivimus quia Ecclesiarum prædia tributa nunc præbeant, et magna super hoc admiratione suspendimur, si ab eis illicita quærantur accipi, quibus etiam licita relaxentur, IX, *ind.* II, 110.

Filios defensoris de massa juris ecclesiastici foris alibi in conjugio sociari prohibuit, X, 27.

Ea quæ juri publico a religiosis locis debebantur sine mora defensori committebat, ut super eis indicaret vocandis, X, 28.

Præpositus Diaconiæ constituitur, XI, 27.

Contra violatores et invasores ecclesiarum, XIII, 6.

Hortatus est eos qui in septis ecclesiasticis residebant, ut exirent, X, 50.

Jussit defensori, ut non pateretur clericos coram laicis trahi, sed coram suis episcopis, XI, 77.

*De Dispensatione Redituum Ecclesiasticorum, et illorum Cura.*

De reditibus Ecclesiæ quatuor juxta consuetudinem oportere fieri portiones scribit visitatori Ecclesiæ Ariminensis. Unam, quæ clero præbenda sit : aliam, quæ pauperibus; de reliquis autem duabus partibus tres fieri volumus. Unam sartis tectis profuturam : aliam pro sustentatione sui Castorio proprio episcopo dirigendam : reliquam tibimet retinendam, V, 44.

Quartam omnium bonorum ecclesiasticorum, sive de præteritis reditibus, sive de iis, quæ obvenient, vel obvenientibus, secundum distributionem canonicam clericis dispensari jussit, IV, 11; VIII, *ind.* I, 7; XIII, 42, *de fidelium oblationibus.*

Portionem cleri et pauperum de reditibus episcopatus cum defensore ab episcopo fieri jussit, quam prædecessor non observaverat, XI, 34.

Lites cum camera apostolica sopiri jubebat etiam cum detrimento cameræ. Nos enim, inquit, non solum nunquam mota suscitari nolumus; verum etiam quæ prava foris admonemur, sopire modis omnibus festinamus, I, 9, 13, 65.

Quando scribebat defensoribus et aliis agentibus sedis apostolicæ, aiebat se illos illuc misisse, ut non tantum pro utilitatibus ecclesiasticis, quantum pro sublevandis pauperum necessitatibus vice sua fungerentur, et eos magis a cujuslibet oppressionibus vindicaret, I, 20, 55; II, 32.

Diligens in re familiari sic erat, ut curaret ne ex injustis lucris sæculi Ecclesiæ inquinarentur, I, 44, 82.

Defensorem laudavit, quod mensuram frumenti falsam et injustam fregerit, XIII, 34.

Rusticis satisfieri, et compensationem dari, in quibus fuerant injustis mensuris defraudati, curavit, *ibid.*

Inspiciebat ne coloni et rustici in agris Ecclesiæ gravarentur, et eorum filiorum rationem habebat, et eos, qui ab ipsis erant relicti, benigne tractabat, et juxta vires eos solvere cum justis ponderibus volebat, I, 44.

Laudavit archidiaconum, qui reprehendit episcopum suum de distractione bonorum Ecclesiæ in consanguineos, II, *ind.* X, 19.

Inventarium omnium bonorum cujuslibet Ecclesiæ tam mobilium quam stabilium fieri Episcopis jubebat, III, *ind.* XI, 41, 50.

Idem in Ecclesiis omnibus vacantibus, IV, 11.

Et ut ad se transmitteretur, IX, *ind.* II, 72.

Tempore vindemiæ vinum venundari clericis de possessionibus Ecclesiæ jussit, XIII, 44.

Rusticis quod mutuo ab aliis acciperent, ne ab illis gravarentur, a suis conductoribus dari jussit, v, 8.

Rusticos defensori obedire mandabat, ix, *ind.* ii, 19.

De expensis defensoribus dandis, sic ait : Ne quam necessitatem in expensis tua experientia patiatur, de reditibus S. R. E. qui illic, te providente, aggregati sunt, omnes expensas tuas te facere volumus : et si quid superfuerit, nobis, cum veneris, defer, v, 28.

Quod solutum erat pro utilitate Ecclesiæ, mandavit restitui solventi, v, 52.

Titulos urbanis prædiis et rusticis ecclesiasticis propria auctoritate a clericis poni prohibuit. *Olim* iv, 44, *nunc in App. in Decr. Gregorii.*

Patrimonium sedis apostolicæ pauperum expensis profici aiebat, vi, 5.

Seminarium Anglorum in Gallia ex patrimonio Sedis Apostolicæ fieri jussit, vi, 7.

Donavit manumissis S. R. E. peculium ingredienti monasterium, ut monasterio cederet, et remanenti in sæculo, ut si contingeret sine liberis legitimis decedere, ad patrimonium ejusdem S. R. E. devolveretur, vi, 12.

Non prætermisit omni diligentia, bona S. R. E. recuperare : Quæ a detentoribus, inquit, existimanda sunt, cujus et qui erogentur, nempe sancti Petri et Christi pauperibus. De quibus cuidam episcopo scripsit, valde esse execrabile, ut quod a regibus gentium servatum est, ab episcopo dicatur ablatum, vi, 53, 55.

Censuario propter paupertatem et senectutem, medietatem canonis, ejus vita durante, relaxavit, xii, 9.

Sellas plectiles fieri, et sibi transmitti jussit, xii, 19.

Rationes numerari S. R. E. sine dispendio terminari jussit, xii, 15, 16.

Bona Ecclesiæ destitutæ servari, et sibi deferri jussit, et illis clericis, si forte aliqui remanserunt, necessaria subministrari constituit, xii, 40.

Reditus S. R. E. extra solum accipi voluit, et ubique : ita tamen, ut quod redditur, acciperetur, xii, 42.

Tempus restituendæ pecuniæ prorogavit, xiii, 21.

Utilitates monasterii monialium apud eam, quæ illud construxerat, blandimentis et dulcedine procurari jussit, xiii, 47.

Hortatus est conductores massæ S. R. E. in Gallia ad fidelitatem, bene que agendum, sicut decet famulos beati Petri, ut cognoscerent cui inservirent : quia sicut hæc appellatio, inquit, clariorem familiam demonstrat, ita reliquos morum claritate præcedere debet, v, 31.

Et illis promisit se transmissurum ad regem hominem cum litteris commendatitiis, qui ipsos tueretur, *ibid.*

*De rebus ecclesiæ alienandis, vel non.*

Possessiones ecclesiarum injuste occupatas restitui mandavit, i, 73, ii, 32.

Pro requirendis Ecclesiæ bonis defensori rescripsit, ut moneret prius eos quorum interest, x, 1.

Providebat ne ecclesiæ depauperarentur, et res distractas et venditas, per defensorem S. R. E recuperari jubebat, i, 64.

Distrahentes vero puniebat, *ibid.*

Propter paupertatem emphyteoticum censum, qui solvebatur a monasterio Monachorum, reduxit ad minorem censum, ii, *ind.* x, 1.

De bonis S. R. E. monasterium monialium erigi jussit, iii, *ind.* xi, 17.

Servulum consiliario de Ecclesia bene merito donavit, iii, *ind.* xi, 18.

Præjudicium suis successoribus in rebus pauperum sua taciturnitate facere nolebat. Loquebatur de rebus S. R. E., iii, *ind.* xi, 60.

Vasa Ecclesiæ direpta undique per Siciliam dispersa recolligi jussit rectori ejusdem provinciæ, et ecclesiis propriis restitui, inventario eorumdem vasorum apud se remanente, iv, 16.

Episcopo sacra vasa pro redemptione captivorum vendi permisit : ita tamen, ut coram defensore id perageretur, et propter exonerationem episcopi, et ne præter quantitatem necessariam indebite distraherentur, vii, 13, 38 ; ix, *ind.* ii, 17.

Episcopo qui quædam abstulerat a monasterio xenii nomine, sic ait : Pariter questi sunt fraternitatem tuam, quædam de monasterio sub xenii quasi specie abstulisse : necesse est, ut si quid te indecenter recolis accepisse, sine dilatione restituas, ne avaritiæ graviter te culpa redarguat, quem largum erga monasteria sacerdotalis magis debuerat munificentia demonstrare, viii, *ind.* i, 34.

De bonis Ecclesiæ, quæ episcopo et clero carebat, curam habuit, ut apud defensorem deponerentur, ix, *ind.* ii, 31, 32.

Jussit defensori, ut non pateretur aliquid juris Ecclesiastici super quibusdam prædiis subripi, pro quorum tuitione privilegia imperatoris transmisit, x, 53.

Bona Ecclesiæ per episcopum dilapidata ex bonis ipsius episcopi, quæ ante Episcopatum possederat, restitui voluit, xii, 29.

Agellum servis Dei in monasterio constitutis ob gravissimam necessitatem donavit, xii, 44.

Permutatio in evidentem utilitatem, xiv, 3.

Hortum S. R. E. monasterio ancillarum Dei dari voluit, ii, 4.

In rebus Ecclesiæ retinendis, sive recuperandis, districtio non est servanda, dum ex pravæ rei cessione nec Ecclesia gravatur, et pauperi misericorditer subvenitur, ix, *ind.* ii, 26, *notabiliter*.

In dubiis melius est districtionem non exsequi, sed potius ad benignas partes inflecti, *ibid.*

Possessionem juris ecclesiastici sub specie libellorum concedere nolnit. Et propter malos scribones nec probo viro possessionem juris ecclesiastici voluit committere, x, 64.

Massam apud aquas Salvias cum omnibus fundis suis pro luminaribus ecclesiæ sancti Pauli donavit, xiv, 14.

Archidiaconi ecclesiarum resistebant episcopis dilapidantibus et distrahentibus bona ecclesiarum, de Honorato archidiacono contra Natalem episcopum Salonitanum, ii, *ind.* x, 19, 20.

*De Religiosis domibus.*

Xenodochiorum curam, correctionem, redituum rationes episcopum diligenter curare hortatur, iv, 27.

Curam de quibuslibet religiosis domibus cum primis habebat, unde debitam annonam diaconiæ Neapolitanæ per prætorem restitui jussit, x, 21.

Hospitalitatem servanti possessionem S. R. E. reddi jussit, quam prius habebat, sine aliqua pensione, vita ipsius durante, ut etiam ipse in bono laudandoque opere illius concurreret, xi, 21.

Exprimuntur immunitates concessæ xenodochio a Regina Galliarum et episcopo Augustodun. constructo, xiii, 8.

Ad se inquit spectare curam venerabilium locorum, et de illorum utilitate cogitare, iv, 19.

Xenodochiis neglectis ob senectutem episcopi, œconomum præfecit, ut illorum curam haberet, xiii, 47.

Gerontocomio succurrit, xi, 1.

Is qui magis utilitatibus in xenodochio, quam mercedibus studuit, de levitate reprehenditur, ii, 32.

Pecuniam legatam in eleemosynas pauperum permisit converti in emendis bonis stabilibus pro diaconia, v, 28.

Translationem civium cum episcopo faciendam super expensis hospitibus dandis, x, 28.

*De Sepulturis.*

Romani pontificis corpus quando effertur, nullo tegmine velari præcipit in concilio Romano. *Olim* iv, 44, *nunc in app., inter dec. S. Gregorii.*

Pro sepulturis nihil accipiendum, viii, *ind.* i, 3.

Nisi id quod parentes vel proximi vel hæredes pro luminaribus sponte offerre voluerint, ix, *ind.* ii, 37.

## Tituli, de quibus in excerptis Em. Card. Carafæ juxta b. Gregorii doctrinam pertractatur.

A

*De* Accusationibus, *pœnis et correctione*, 1422.

*De ætate et qualitate ordinandorum*, 1433.

*De alienandis rebus Ecclesiæ, vel non*, 1440.

*De Apostatis* et *Schismaticis*, 1416.

*De Appellationibus*, 1421.

*De Arbitris*, 1420

*De Auctoritate et usu pallii*, 1401.

B

*De Bello et pace*, 1415.

C

*De Calumniatoribus*, 1425.

*De iis quæ spectant ad Capitulum, sede vacante*, 1599.

*De Captivorum redemptione*, 1419.

*De Celebratione Missarum*, 1437.

*De Castitatis bono et conversione conjugatorum*, 1415.

*De Clericis peregrinis*, 1408.

*De Clericis ægrotantibus*, 1408.

*De Clericorum vita et honestate*, 1410.

*De Clericorum spoliis*, 1422.

*De Clerico percussore*, 1429.
*De Clerico maledico, et iis quæ spectant ad laudationem vel vituperationem*, 1429.
*De Concilio*, 1432.
*De Commendatione Ecclesiarum*, 1401.
*De Cohabitatione Clericorum, et mulierum*, 1410.
*De Confirmatione electorum Prælatorum*, 1400.
*De Consecratione Prælatorum*, 1401.
*De Consecrandis Ecclesiis et ædificandis*. 1436.
*De Constitutionibus et legibus*, 1434.
*De Consuetudine*, 1435.
*De Correctione, et de Accusationibus*, 1422.
*De Crimine falsi, et mendacio*, 1429.

D

*De Defensoribus S. R. E. aliisque ministris Ecclesiasticis*, 1409.
*De Dignitatibus, et de Præbendis*, 1410.
*De Dilationibus*, 1420.
*De Dispensatione, et de Relaxatione sacrorum Canonum*, 1435.
*De Dispensatione redituum ecclesiasticorum, et illorum cura*, 1439.

E

*De Ecclesiæ Romanæ Primatu*, 1431.
*De Ecclesiæ rebus alienandis, vel non*, 1440.
*De Ecclesiasticorum redituum dispensatione et cura*, 1439.
*De Ecclesiis ædificandis et consecrandis, illarumque sacris vasis et indumentis*. 1436.
*De Ecclesiarum immunitate*, 1438.
*De Electione*, 1399.
*De Eleemosynis et cura pauperum*, 1416.
*De Emphyteotico jure*, 1421.
*De iis quæ spectant ad episcopos et præpositos*, 1402.
*De Episcopis limina SS. Apostolorum Petri et Pauli visitantibus*, 1432.
*De Excommunicationis sententia*, 1430.

F

*De Falsi crimine*, 1429.
*De Feriis*, 1437.
*De Foro competenti*, 1419.

H

*De Hæreticis*, 1425.

I

*De Immunitate Ecclesiarum*, 1438.
*De Indumentis, et vasis Ecclesiarum*. 1436.

J

*De Judæis et Saracenis*, 1427.
*De Judicibus*, 1420.
*De Judiciis*, 1418.
*De Jurejurando*, 1420.

L

*De Laudatione et vituperatione*, 1429.
*De Legatis et aliis ministris Ecclesiæ Romanæ*, 1398.
*De Lapsis post veram pœnitentiam ad honorem restituendis*, 1430.
*De Legibus et Constitutionibus*, 1434.

M

*De Magistris, et de Munere Prædicationis*, 1415.
*De Majoritate et obedientia*, 1409.
*De Mendacio, et de crimine falsi*, 1435.
*De Ministris. Vide de Legatis*, 1398.
*De Missarum celebratione*, 1437.
*De Munere prædicationis, et magistris*, 1415.
*Munera transmissa*, 1416.

O

*De Obedientia et de Majoritate*, 1409.

P

*De Pace et bello*, 1415.
*De Pœnis. Vide, de Accusationibus et corr.*, 1422.
*De Pallii auctoritate et usu*, 1401.
*De Pauperum cura, de Eleemosynis, etc.*, 1416.
*De Peregrinantibus ad loca sancta*, 1415.
*De iis quæ ad Pontificatus exordium spectant*, 1380.
*De iis quæ ad seipsum Pontificem spectant*, 1382.
*De Postulatione*, 1399.
*De Præbendis et dignitatibus*, 1410.
*De Prædicationis munere, et Magistris*, 1415.
*De Prælatorum negligentia supplenda*. 1407.
*De iis quæ ad Præpositos spectant*, 1402.
*De Præscriptionibus*, 1421.
*De iis quæ ad Principes sæculares spectant*, 1392.
*De Primatu Ecclesiæ Romanæ, et in eam obedientia*, 1433.
*De Privilegiis*, 1435.
*De Procuratoribus*, 1420.
*De Purgatione canonica*, 1438.

Q

*Quos S. Gregorius commendavit*, 1418.

R

*De Rebus Ecclesiæ alienandis, vel non*, 1440.
*De Redituum Ecclesiasticorum dispensatione*, 1439.
*De Redemptione captivorum*, 1417.
*De Regularibus*, 1411.
*De Relaxatione et dispensatione sacrorum canonum*, 1435.
*De Religiosis domibus*, 1441.
*De Reliquiis, et veneratione Sanctorum*, 1437.
*De Renuntiatione*, 1402.
*De Rescriptis*, 1435.
*De Residentia*, 1406.
*De Restitutione spoliatorum*, 1428.
*De Restitutione rerum ablatarum*, 1428.
*De Romanæ Ecclesiæ Primatu*, 1229.

S

*De Sacra Scriptura*, 1434.
*De iis quæ ad Sacramenta spectant*, 1433.
*De Sacrilegis*, 1429.
*De Saracenis*, 1427.
*De Schismaticis et apostatis*, 1427.
*De Sanctorum reliquiis, et veneratione*, 1437.
*De Sententia excommunicationis*, 1430.
*De Sententia, et re judicata*, 1421.
*De Sepulturis*, 1441.
*De Simonia*, 1425.
*De Sortilegis*, 1429.
*De Spoliis Clericorum*, 1422.
*De Supplenda negligentia Prælatorum*, 1407.

T

*De Testamentis*, 1421.
*De Testibus*, 1420.
*De Transactionibus*, 1421.
*De Translatione Prælatorum et commendatione Ecclesiarum*, 1401.

V

*De Vasis sacris et indumentis*, 1436.
*De Visitantibus limina Apostolorum*, 1421.
*De Visitatione*, 1407.
*De Vituperatione, et laudatione*, 1429.
*De Voto, et peregrinantibus ad loca sancta*, 1408.
*De Usuris*, 1429.

# INDEX CANONUM

Qui ex primo tomo (*primo et secundo hujus editionis*) Operum S. Gregorii desumpti sunt.

*Numeri respondent his qui crassiori charactere in textu expressi sunt, a col. 509 tomi LXXV usque ad ultimam tomi LXXVI.*

Ex prima parte Decreti.

Dist. 13. can. 2. *Nervi*, 1065.
Dist. 38. can. 10. *Qui ea*, 493.
can. 13. *Indignum*, 6.
Dist. 44. can. 12. *Non liceat*, 741.
Dist. 45. can. 9. *Disciplina*, 641.
can. 14. *Sunt namque*, 620.
can. 15. *Vera justitia*, 1600.
Dist. 46. can. 1. *Hoc habet*, 742.
can. 2. *Sunt nonnulli*, 559.
Dist. 47. can. 3. *Omnes hujus*, 630.
Dist. 50. can. 17. *Quid est hoc*, 1250.
can. 18. *Ferrum*, 575.
can. 55. *Considerandum*, 1527.

Ex secunda parte.

Causa 1. q. 3. can. 10. *Vendentes*, 1646, 1648.
C. 2. q. 1. can. 20. *Deus omnipotens*, 628.
C. 3. q. 7. can. 3. *Qui sine*, 449.
can. 5. *In gravibus*, 11.
C. 7. q. 1. can. 48. *Adversitas*, § 3. *Abel*, 675, 1239.
C. 8. q. 1. can. 10. *Sciendum*, 1156.
Ibid. § *Obedientia*, 1155.
C. 11. q. 3. can. 60. *Ipse*, 1555.
can. 61. *Judicare*, 1555.
can. 62. *Tunc vera*, 1555.
can. 88. *Plerumque*, 1555.
can. 99. *Quid ergo*, 1156.
olim concederetur, 518, 936. Citra consensum imperatoris quandoque non concedebatur, 518, 936, 937. Nonnisi exigentibus meritis, et fortiter postulantibus dabatur, 937. Et præstito fidelitatis sacramento, 518. Pallium Syagrio mittere recusat Gregorius, eo quod ille qui accepturus venerat, schismaticus esset, 937. Quibusdam, sed non omnibus episcopis Græcis pallium dabat Gregorius, 586. Græci patriarchæ suis subditis, Roma non repugnante, illud concedebant, *ibid*. Pallium nisi dato commodo olim non dabatur, quod amplius fieri prohibetur, 788. Pallium humilitatem indicat, 682. Et alias virtutes, 1034. Episcopus pallio superbe utens increpatur, 666. Pallium transmittendo Gregorius qualiter esset vivendum monebat, 1028, 1034, 1244. Qua mente suscipi debeat, 781, 787, 798, 806, 1014. Gregorii ætate nondum inducta erat pallii necessitas, nec ab illo pendebat potestas ecclesiastica, 781. Gregorii VII ætate nullus archiepiscopus sine pallio sua sinebatur obire munia, 518. Cur pallium in missa solum usque ad Evangelii recitationem episcopus gestare consuevit, 665, 785. Cur in litaniis non gestandum, 666, 739. Pallium a nullo olim extra missarum solemnia deferebatur, 666, 1013. Pallio extra Ecclesiam non utebantur episcopi Ravennates, nisi in translationibus reliquiarum, 739. Pallium in secretario induendum, 737. Ejusdem concedendi formula, 1301.

Pallium a Gregorio mittitur Constantio Mediolanensi episcopo, 682. Virgilio Arelatensi, 781, 783, 785. Joanni Ravennati, 737. Mariniano Ravennati, 787. Joanni Corinthiorum archiepiscopo, 788. Andreæ Nicopolitano, 797. Domo Messanensi, 798. Joanni Syracusano, 806. Maximo Salonitano, 992. Pallium ab antiquis temporibus Arelatensi episcopo concessum, 1156.

Palmaria insula maris Tyrrheni, 545. In ea insula et vicinis pueri ante decimum octavum ætatis annum in monasteriis recipi prohibentur, *ibid*.

Palmatianæ vestes quid sint, 553. Palmata vestis olim apud Romanos in pretio erat, 554. Per Palmatianas Baronius significari putat uvas seu vinum Palmatianum, *ibid*.

Palmitem infructuosum tolli, et fructuosum purgari quid significet, 952.

Palpebras dormitare quid sit, 38. Qui palpebræ gressus præcedant, 56.

Palumbus Consentiæ episcopus, 896, 982, 1234.

S. Pancratii Ecclesia Romæ ab Honorio condita, presbyteris commissa, deinde monasterio unita, 697. Monasterium illud postea Carmelitis discalceatis cessit, *ibid*. Hæc Ecclesia cur tituli honorem non habuerit, nec cardinalem presbyterum, 698. In hac Ecclesia opus Dei quotidie peragendum, 697. S. Pancratii reliquias Palladio episcopo mittit Gregorius, 828.

Pancratius diaconus a monastica vita non revocandus, 1205.

Panis quadratus, 201. Panes signo crucis signari consueti, *ibid*. Panis trifidus in S. Trinitatis memoriam, 202. Panis per decem dies miraculo multiplicatus, 361.

Panormus urbs Siciliæ, 557. Panormitani episcopi : Agatho, 469. Victor, 557, 1227. Joannes, 1243. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.*

Pantaleo notarius sedis Romanæ, 654, 960. Ei ut Ecclesiæ vasa a clericis Siculis vendita requirat, præcipitur, 915. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.*

Pantaleo Africæ præfectus, 714.

Papa. *Vide* Romanus pontifex.

Papyrus quid sit, unde oriatur, et in quem usum adhibeatur, 173.

Paradisus. Fons de medio paradisi surgens et irrigans faciem terræ, quid signet, 877.

Paralytica sanata, 336.

Paratura quid sit, 1204.

Parangariæ. *Vide* Angaria.

Parens etiam ad cognatos extenditur, 582. Parvulis aliquando regni cœlestis aditus a parentibus clauditur, 400. Quantum peccent parentes qui liberos peccantes non corrigunt, 401.

Pares. Epistolæ a paribus quæ sint, 507, 508, 563, 831, 834, 661, 850. A pari aliud facere desusceptum, 661.

Pariculæ vel pariclæ litteræ quæ sint, 507.

Paries duritiam significat subditorum, 29. Parietem fodere quid sit, *ibid*.

Parochia seu parœcia et diœcesis passim apud veteres indifferenter usurpantur, 577, 578, 808, 1265. Unde diœcesis episcopi aut curionis districtus nomen parœciæ habuerit, *ibid*. Parochiæ dictæ sunt a Gregorio vici vicanæque Ecclesiæ, 367. In una urbe ætate Gregorii plures parochiæ, 674.

Pascha. De Paschate quæstio diu et multum agitata, 932. Paschatis denuntiatio pontifici Romano commissa, 933. Die Epiphaniæ fiebat ista denuntiatio, *ibid*. In Sardinia Paschatis denuntiatio ad metropolitanum pertinebat, 932, 933. In assignanda Paschatis die Scoti ab Ecclesia dissidebant, 1036, 1037 *et seqq.*, 1038. Gallicanæ Ecclesiæ Cyclum Paschalem Anatolii primum amplexæ sunt. 1037. Victor papa cum Judæis Pascha celebrari prohibuit, 1037. At non paruerunt Orientales, *ibid*.

Paschalis orphanus, 638.

Paschalis, 1232.

Paschasinus episcopus Lilibætanus in concilio Chalcedonensi S. Leonis papæ legatus, 661.

Paschasius episcopus Massiliensis Virgilium inter et Licerium locatur, 541.

Paschasius episcopus Neapolitanus, 1115, 1172. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.* Jubetur instituere vicedominum et majorem domus, 1172.

Paschasius sedis apostolicæ diaconus vir miræ sanctitatis, 444. Ejus sunt duo libri de Spiritu sancto luculentissimi, *ibid*. Cultor fuit pauperum et sui contemptor, *ibid*. Laurentii antipapæ partes errore deceptus fuetur, *ibid*. Post mortem pœnis addictus ob errorem, a Germano Capuano episcopo liberatur, 445. Ad ejus corpus dæmoniacus sanatur, 444. Cur ejusdem sanctitas miraculo probata, et culpa pœnis purgata, 445.

Paschasius Radbertus Corbeiensis monachus in suo de corpore et sanguine Domini libro Gregorii Dialogos laudat, 107.

Paschasius vir magnificus, 1209.

Passivus episcopus Firmanus, 943. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.*

Passivus, 589.

Pastellus quid, 1290. Pro pastello nihil accipiendum, 1290.

Pastor. Huic oculis infirmo annuum alimentum præberi jubet Gregorius, 554.

Pastores dicuntur præcones, 17, 511. Quid sit pastorem aquam limpidissimam bibere, 1. Universus ordo pastorum duodecim bobus mare portantibus significatur, 19, 512. Humilitas accessum ad curam pastoralem, cum necesse est, non fugiat, 1. A pastoris officio repellantur ambitiosi, 3. Nemo per concupiscentiam culminis ducatum suscipiat perditionis, 4. Qui vacat, pastoralem curam non expetat, et qui expetiit, adeptum timeat, 1. Pastorale officium declinari pertinaciter non debet, 8, 621. Etiam jubente Deo non nisi cum formidine suscipiendum, 8, 507. Ad casum properat qui illud appetit, *ibid*. Quando illud deserere liceat, 217, 220. Qui valet Dei oves pascere, et renuit, ostendit se pastorem summum minime amare, 6, 848. Pastionis cura testimonium est dilectionis, 6. Pastoris electio diutius dilata gregi quantum damnosa, 564. Invitis non est præficiendus pastor, 573, 645. Sicut locus regiminis desiderantibus negandus est, ita fugientibus offerendus, 848. Pastori per ostium intrare quid sit, 963, 1134. — Pastoris boni effigies, 13, 508. Pastoris vigilantis imago in Laban, 963. Si pro grege se objicit, murum pro domo Israel opponit, 17, 510. Qui mundi blandimenta terroresque bonus pastor despiciat, 509. Pastor bonus gubernatori navis comparatur, 849. Lux gregis est pastoris flamma, 921. Pastor eligitur pro delictis populi intercessor, 507, 550. Ejus doctrinam et magisterium vita commendet, 2, 15. In ejus pectore virga sit et manna, 23. Quæ verbis prædicat, moribus non impugnet, 3. Vitiorum sit expers, 11. Ejus oculi non sint lippi, 12. In sanctorum Patrum vestigiis oculos figat, 14, 508. Cæteros morum integritate superet, 15. Sacri eloquii præcepta meditetur, 33. In dubiis sacri eloquii paginas requirat, 19, 512. Illis cœli animalibus sit similis, quæ oculis in circuitu et intus plena erant, 39. Operatione sit præcipuus, 15, 508. Sanctos pastores cur vitiis majoribus superatis, minimis obnoxii relinquantur, 102. — Pastor quibus virtutibus fulgeat, 6, 10, 15, 509, 510, 840. Recto incessu gradiatur, 11. Discretione polleat, *ibid*. Gravitatem præ se ferat, 14, 508. Aliorum medicus non sit qui in facie vulnus portat, 10. Ad Deum intercessor non accedat, qui per culpam displicet, 10, 11. Mundus sit cogitatione qui in aliorum cordis maculas tergat, 508. Verbo et exemplo doceat, 17, 511. Ita sit in silentio discretus, ut sit utilis in verbo, 16, 510. Sermones suos sale discretionis et sapientiæ condiat, 17, 511. Prava nullo modo, sed ne recta quidem nimie et inordinate proferat, 18. Subditos morum virtute transcendat, 509, 511. Veritatem non deserat, 622. Zelo ferveat, 31. Non tamen immoderato, sed circumspecto, 32. Humilitas pastoribus necessaria, 852. Boni pastores a subditis argui gaudent, 28. Omnes pastoris virtutes charitate decorentur, 16. Pastorale munus ex charitate exerceat, 840. Dominicarum ovium pastores, quo facilius gregem capiat, diabolus aggreditur, 611. — Pastoris nomen non suscipitur ad quietem, sed ad laborem, 586. Pastores vasa Domini ferre qui dicantur, 508. Redemptor noster non quærit aurum, sed animas, 816. In multis pastoralis animarum cura, aut levis, aut nulla, 834, 836. Si pastoris cura defuerit, grex per avia graditur, et inimici laqueos incurrit, 550, 564. Pastoris est ex adverso ascendere et in prælio stare, 17, 510. Pastoris est oves congregare, lupi dispergere, 580. Pastori

servanda in corde humilitas, et in opere disciplina, 22. Pastor ut interiora possit infundere, etiam exteriora providere necesse est, 26. Sollicitudo subditis sub certa mensura impendatur, 27. Gratia major acquiritur, si de commissis ovibus lucrum offerat Domino sollicitudo pastoris, 1074. Pastor singulis sit compassione proximus, 18, 511. Ad Deum ascendat per contemplationem et ad infirmos descendat per compassionem, 18, 19, 511, 512. Bene agentibus sit per humilitatem socius, et contra delinquentes per zelum justitiæ erectus, 20, 21, 22, 513. Zelo pastorali humilitas non officiat, aut vice versa, 514. Qua intentione a subditis diligi studeat, 28. Mater subditorum sit, non dominus, 513. Vitiis potius quam fratribus dominetur, 22, 513. In eo sit juste consulens misericordia, et pie feriens disciplina, 514. Subditos ad amorem potius quam ad timorem provocet, 586. Pastor quamlibet recta denuntians, si non diligitur, libenter non auditur, 28. In lingua pastoris vitam esse aliam plebs agnoscat, 586. Pastoris doctrina subditis sit gratus coercitionis stimulus, et vita imitationis exemplum, *ibid.* Quid diligant, quid timeant subditi, sermo ejus aperiat, *ibid.* Pastoris non unam omnibus adhortationem adhibeat, 33. — Pastor qui ingrediatur ut abominationes aspiciat, 30. Quid sit aggerem a pastore comportari, et munitiones ædificari, 31. Quid castra ab eo erigi contra Jerusalem, et arietes in gyro poni, *ibid.* Doceat pastor quæ aperta vitiorum prælia, quæ sint metuenda occulta, 31. Quid sit sartaginem ferream, et murum ferreum poni inter pastorem et subditos, 32. Pastor quæ docet exequatur, 38. Prius opere quam voce doceat, 100, 508. Nec dormitet, nec dormiat, *ibid.* Pastores mansueti habeant æmulationem justitiæ, iracundi mansuetudinem adjungant æmulationi, 57. Pastor sollicitus contraria singulorum vulneribus medicamenta opponat, 96. Qui moneat eum qui vitiis contrariis est obnoxius, 97. Summa ejus in instruendis singulis discretio, *ibid.* In pastoris lingua et moribus exhortationis divinæ pascua inveniant subditi, 644. Inexcusabilis est pastor, si ipso ignorante, lupus oves comedat, 663. An pastoribus per se vel per substitutos partes suas explere sit licitum, 694. Sæpe ex culpa præsidentium deterior fit vita subjectorum, 855. — Pastor bene viventium subditorum sit socius, erga perversos jura rectitudinis intrepidus exerceat, 20, 27. Sciat super culpas erigi humilis pastor, 21, 22, 51. Qui contra culpas minus accenditur, earum reus ipse tenetur, 31. Iram Dei, si tacet pastor, meretur, 17, 511. Væ pastoribus tacentibus, 75. Increpare delinquentes negligens, eos tacendo occidit, 523. Cum in subjecto peccatum non corrigitur, in eos qui præsunt sententia retorquetur, 702. Peccantium iniquitas increpando aperienda, 17. Pastor culpas insequatur, sed personas diligat, 524. Sic jura disciplinæ exerceat, ut pietatis viscera non amittat, 23. Ipsi miscenda lenitas cum severitate, 23. Si districtio est virgæ quæ feriat, sit consolatio baculi quæ sustentet, 24. Si increpando excesserit, ad pœnitentiæ lamenta recurrat, 32. Quædam vitia subditorum prudenter dissimulanda, 29. Quædam etiam aperte cognita, toleranda, *ibid.* Et quædam licet occulta, perscrutanda, *ibid.* Delinquentium ex ignorantia vel infirmitate correptiones ex seipso discat pastor esse moderandas, 30. — Pastor quæ caveat, 1, 509. Ne opera ejus bona tumor elationis exstinguat, 2. Superbia non cæcutiat, 12. Pastoribus interdicta dominatio, 23. Caveat ne dum subjectorum inopiam satiat, se mucrone ambitionis occidat, 26. Dominationem et arrogantiam fugiat, 594. Pastorum imperitia voce veritatis increpatur, 3. A nimia quæstionum subtilitate abstineat, 11. Quid sit pastorem fracto pede vel manu esse, 11. Præ carnalibus operibus non caliget, 12. Carnis petulantia non laboret, *ibid.* Turpibus cogitationibus non delectetur, 13, 14. Avaritia non laboret, 12. Terrenæ sollicitudinis pondere non deprimatur, 11. Rerum sæcularium sollicitudo pastori quam noxia, 24. Ejus oculos mundanus pulvis non obscuret, 25. Sæcularia negotia ex compassione toleranda, nunquam ex amore requirenda, 26. Metuat pastor ne dum cura ab eo exterior agitur, ab interna intentione mergatur, 26, 27. Pastoris mentem curarum multiplicitas devastat, 172. Tanto ei in re qualibet subripitur, quanto latius in multis occupatur, *ibid.* Qua cautione temporalibus vacare debeat, 514, 849, 850. Veniente lupo, pastor silendo non fugiat, 16. Pastoribus ab elatione et adulatione timendum, 21. Vigilet pastor, ne se cupido placendi hominibus pulset, 27. Sic curam regiminis temperet, quatenus subditus sic in libertatem vocis prodat, ut tamen libertas in superbiam non erumpat, 28. Pudeat pastores cum consuluntur, quid respondeant addiscere, 34. Caveat pastor ne subditos juvando, se deserat, 99. — Pastori occulta piacula tentationesque aperiantur, 19, 20, 512, 513. Cum tentationum fluctus parvuli tolerant, ad pastoris mentem quasi ad sinum matris recurrant, 19. Auditis etsi pulsetur pastor, non inquinatur, aut subvertitur, sed a propriis potius tentationibus liberatur, 20. Languente capite frustra membra vigent, 24. Subditi non libenter prædicationis verbum a pastore suscipiunt, a quo suæ exteriorum indigentiæ non subvenitur, 26. Mens subditorum in vocis libertatem sic prodeat, ut in superbiam contra pastorem non erumpat, 28. Subditi pastorum vitam temere non judicent, 39. Si quæ prava pastoris videant, de reverentia et obedientia ei debitis nihil minuant, *ibid.* David Saulum reveritus optimos subditos significat, *ibid.* Illatas molestias aliquando aperire utile, 51. Vulnera clausa plus cruciant, *ibid.* Grex melius per exempla quam per verba graditur, 508. Subditorum obedientia pastori debetur, 645. Juxta meritum plebium solent superno judicio personæ provideri pastorum, *ibid.* Subditorum culpæ pastoris imperitia et vitia tribuuntur, 3. Sæpe ex merito plebium delinquit vita pastorum, 855. Tenentur plebes pro suis pastoribus orare, *ibid.* — Pastores mali per Saul signantur, 39. Quid sit pastorem aquam pedibus perturbare, 4. Pastores mali lutum pro aqua ovibus propinant, 4. Pastores mali nec ipsi in regnum intrant, nec alios intrare permittunt, 10. Pastor caveat ne dum loco delectatur gloriæ, fiat subditis auctor ruinæ, 11. Gregi videt falsa et stulta pastor malus, 17, 510. Pastores muti ac timidi carpuntur, 16, 17, 510. Pastor hypocrita simulatione disciplinæ ministerium regiminis vertit in usum dominationis, 23. Pastores carnales aliis adulantur, 27. Alios dominatione terrent, 28. Perversa pastorum exempla quot mortibus digna, 38. Plura de pastoribus. *Vide* Episcopus, Prælatus, Rector.

Pastoralis. *Vide* Regula.

Patenæ cur primis sæculis grandiores essent, 897.

Pater. Patrum exempla indesinenter debet intueri sacerdos, 14. Patres nostri antiqui, non reges hominum, sed pastores fuere pecorum, 20. Patris appellatio divina est, 1080. Paternum alloquium aliquid bonis mentibus semper addit, 1025.

Pateria S. Gregorii amita, cujus indigentia larga eleemosyna subvenit, 528.

Paterius Rom. Ecclesiæ notarius et Secundicerius, ex Gregorii operibus librum Testimoniorum edidit, 106, 757.

Pati. Minus patimur quam meremur, 1087.

Patiens eligit mala perpeti, quam per ostentationem bona sua occulta cognosci, 43. Qui vir patiens melior expugnatore urbium, 43. Patientes quibus consiliis muniendi, 44, 45. Patientes diligere studeant quos tolerant, 44. Quibus similes sint patientes, 45. Unde cavere debeant, *ibid.*

Patientia est custos nostræ conditionis, 43. Qui in patientia animas nostras possideamus, *ibid.* Bonorum patientia altaris fossa signatur, 43. Viro quam digna patientiæ victoria. *ibid.* Patientiæ comes benignitas, 44. Virtus est coram hominibus adversarios tolerare, sed virtus coram Deo diligere, *ibid.* Ad patientiam nos cogit Deus tot et tanta ab hostibus patiendo, 51. Ira perturbatos patientia ad mentem saniorem revocat, 57. Patientia miraculis anteponenda, 160. Patientiæ ad flagella utiliter toleranda, quanta necessitas, 385. Novit levigare patientia, quod grave est, et constantia superare quod sævit, 913. Adversa sæculi patientia superat, 1233.

Patriam cœlestem suam putantibus, in hac velut aliena labores tolerandi, 50. Qui suspirat ad patriam, ei tormentum est peregrinationis locus, 1175.

Patriarchæ in Ecclesia quem inter se ordinem servent, 507. Honor patriarchis omnibus denegatur, universalis patriarchæ nomine ab uno usurpato, 773. Patriarchæ recens ordinati olim ad se invicem synodicam fidei suæ epistolam mittere solebant, 490, 515, 516, 844, 850, 962, 966.

Patriciatus summa dignitas quæ sola morte solvatur, 492. Inter insignia patriciatus numerantur chlamys et calcei Romani, 493, 520.

Patricii a quo instituti, et quæ eorum origo, 492, 493, 686. Patriciorum quæ sit dignitas, 493. Rectores provinciarum sæpe patricii nominantur, *ibid.* Patricii sæpe consules vocati, *ibid.* Galliarum patricii erant provinciæ præfecti, et supremi in bello duces, 647. Patricii suum habebant Stratorem, 675.

Patrimonia Ecclesiæ Romanæ in diversis provinciis erant, 487. Duæ stationes erant patrimonii ejusdem Ecclesiæ in Sicilia, una Panormi, altera Syracusis, 593. Petro subdiacono committitur cura patrimonii in Sicilia, 486 Ante B. Petri corpus ejusdem patrimonii curam suscipit, 558. Patrimonium S. Petri in Gallia in possessionibus maxime consistebat, 758. Illud patrimonium regibus Galliarum commendatum, 1102. Hujus patrimonii reditus S. Gregorius vult expendi in Anglorum puerorum, et vestimentorum pauperum emptione, 796 Patrimonii Gallicani reditus ad se mitti postulat Gregorius,

648, 831, 832. In pauperum expensis proficiebat illud patrimonium, 794. Patrimonium Ecclesiæ vocatur res pauperum, 834, 835. Patrimonii cura episcopis aliquando commissa, 979. Patrimonium Ecclesiæ laicis non committendum, 982. Cur Gentio Scriboni locanda non sit Ecclesiæ possessio, 1088. Patrimonium Ecclesiæ Ravennatis in Sicilia, 1097. Rectores patrimonii S. Petri : Appiæ, Felix subdiaconus, 976, 1273. In Campania, Petrus subdiaconus Campaniæ. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.* In Calabria, Sergius, 901, 960, 976, 1004. In Corsica, Bonifacius notarius, 976, 1234. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.* In Dalmatia, Antoninus, 583, 632, 639. In Gallia, Candidus presbyter, 796. *Vide ejus titulum.* Panormi, Benenatus, 593. *Vide ejus titulum.* Fantinus, 973, 976, 1263. Savinus, 1268. Salonæ Antonius subdiaconus, 647. In Sardinia, Vitalis, 926. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.* In Sicilia, Petrus subdiaconus Siciliæ. *Vide eumdem indicem.* Cyprianus diaconus. *Vide eumdem indicem.* Romanus, 944, 956, 976. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.* Sabinus, 976. Hadrianus notarius, 1055, 1231, 1232, 1242. In Tuscia, Eugenius diaconus, 1210. In usum rectoris quædam vertebantur, quæ ex summa pensionis accipi debebant, 534.

Patrocinium ecclesiasticum laicis concessum, 933. Ad laicorum patrocinia clerici non confugiant contra Ecclesiæ disciplinam, 707. Per sanctorum patrocinia eorum sæpe intelliguntur reliquiæ, 276.

Paula femina, 891.

Paulinus Nolanus episcopus captus non a Wandalis, sed a Gothis, 115, 277. Quomodo in potestatem Wandalorum venerit, 115. Ejus eleemosynæ remuneratæ, 248. Egenis omnia distribuit, 277. Et seipsum tradit ut captivum redimat, 280. Quomodo liberatur, *ibid.*, 281. Paulinus a Delphino Burdigalæ baptizatus, a Lampio Barcinone ordinatur, 566. Nulli Ecclesiæ ordinatione sua alligatus, 763. A S. Augustino petit Paulinus utrum prosit alicui quod corpus ejus in terra sepeliatur, 457.

Paulinus Taurianensis episcopus, 962. Præficitur monasterio S. Theodori in Sicilia, 528, 529. Ecclesiæ Liparitanæ ab Syracusano episcopo præficitur, 580. Ei Taurianensis Ecclesiæ visitatio committitur, 580. Paulinus in Sicilia peregrinus, 580.

Paulinus Tegessis episcopus in clerum sæviens, et sacros ordines vendens, coercendus, 1198 *et seqq.*, 1199, 1200 *et seqq.*

Paulinus episcopus Maximo Salonitanæ sedis invasori non communicat, 812, 813.

Paulinus presbyter monasterii S. Erasmi, 506.

S. Paulus apostolus animarum rector præstantissimus, 9. Cur Paulus ab Areopagitis dictus sit seminiverbius, 18. Paulus singulis fuit compassione proximus, præ cunctis contemplatione suspensus, 18, 321, 511. Charitatis compage summis simul et infimis junctus, 19, 321, 512. Judæis factus tanquam Judæus, non amittendo fidem, sed extendendo pietatem, 19, 512. Qui Paulus omnibus placere studeat, et non studeat, 28. Paulus sapientibus debitor et insipientibus, qui utrosque doceat, 40. Qui protervos Corinthios confundat, 41. Thessalonicenses pusillanimes laudibus erigit, 42. Cur patientiam Timotheo, Tito æmulationis studium commendet, 57. Magnus susceptæ Ecclesiæ colonus Paulus, *ibid.* Petri et Pauli virtus dispar in miraculo, quorum meritum dispar non est in cœlo, 205. Paulus ter rogat Deum, nec postulatum impetrat, 265. Scientia Pauli Christus crucifixus, 321. Cur Dominus Paulo prostrato et correpto statim facienda non dixerit, 93. Persecutor immanis diu destructus debuit jacere, ut eo solidius post in bonis surgeret, 94. Ex Pauli conversione quanta secuta sint miracula, 321. — Paulus ex charitate personam infidelium in se expressit, 19, 512. Paulus fratribus bene agentibus prælatum se nesciens, cum peccantibus summum se esse recoluit, 22, 513. Paulus ardenti zelo velut sartagine frixus, 32. Provida ejus sollicitudo, 57. Ejus constantia ex devicta mentis levitate, 61. In naufragio navis cordis ejus integra stetit, 1029. Pauli prudentia prædicationem verbi pro infirmitate auditorum moderantis, 99. Raptus in cœlum, adhuc timet ne reprobus efficiatur, 869. Ejus erga incestuosum Corinthium indulgentia, 503. Dominici corporis membra ipsis apostolis partialiter subjici noluit, 742. Quomodo Christi bonus odor esset, 924. Cur Paulus bona agenda esse dixit, ut potestas sæculi non timeretur, 98. Quomodo judicia Dei incomprehensibilia esse dixerit, 241, 244. Paulus a Pharisæis et Saducæis unitis oppressus, malam eorum concordiam solvit, 71, 72. Cur se a sanguine omnium mundum esse dixerit, 75, 523. Tentatione in bono robustior factus, 87. Cur Damasci persecutionem clam fugerit, 220. Virgis cæditur pro Christo, quem gladiis insequebatur, 321. Ingressum suum ad populos vacuum dixisset, si contumelias non pertulisset, 876. Vir quidam ossa quæ prope B. Pauli sepulcrum erant, levare volens, subita morte moritur, 709. Corpus B. Pauli in Ecclesia sua miraculis et terroribus coruscat, 708, 709. SS. Petri et Pauli corpora quando translata, 710. De catenis S. Pauli particulæ lima excussæ per modum reliquiarum mittuntur, 711. Miraculum omnino singulare in earum distributione quandoque factum, *ibid.*

Paulus Samosatenus hæreticus, 1168.

Paulus Africanus episcopus a S. Gregorio Romam vocatur, 715, 716. Ne proficiscatur ab exarcho Africæ prohibetur, 839. Ejus causam Gregorius vult cognoscere, *ibid.* Multa pro defensione catholicæ fidei tum a Donatistis, tum a catholicis passus est, 839. Ut se purget, imperatori seipsum sistere permittitur, 846. Paulus a Gregorio commendatur, 901.

Paulus Docleatinus episcopus ob flagitia puniendus, 1201 *et seqq.*, 1202 *et seqq.*

Paulus Nepesinus episcopus, 1291. Neapolim visitatoris munus exercendi causa missus, 575. Hunc Neapolitani in episcopum suum postulant, 574. Hunc prius probandum censet Gregorius, 574, 575. Reditum ad suam Ecclesiam meditantem hortatur Gregorius ut in Neapolitana perseveret, 579. At postea ei revertendi facultas conceditur, 649. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.*

Paulus episcopus in monasterio pœnitentiæ causa inclusus, 661.

Paulus diaconus Corinthius promissione deceptus ab accusatione episcopi sui desistit, 779. Huic cur Gregorius parcat, 780. Ei consueta stipendia dari jubentur, *ibid.*

Paulus diaconus S. Gregorii vitæ scriptor quo anno vivebat, 106. Dialogos pluribus in locis Gregorio tribuit, *ibid.* An solas Gregorii Magni quas ad Adhelardum abbatem Epistolas misit, colligere potuit, 965, 966.

Paulus clericus Sardus in maleficiis deprehensus in pœnitentiam datur, 707.

Paulus scholasticus, 1259. De hoc queritur Gregorius quod sibi de pontificatu fuerat gratulatus, 488.

Pauperes qui monendi sint, 36. Pauperes consolandi, *ibid.* Plerumque fit ut dives sit humilis, pauper vero superbus, *ibid.*, 599. Utrum pauperi peccatori danda eleemosyna, 65. De spoliis pauperum non facienda eleemosyna, 68. Pauperum res dispensandas habet Episcopus, 1252. Bona Ecclesiæ dicuntur bona pauperum, 638, 640. Pauperibus honestis ac verecundis ampliores quam mendicantibus partes distribuendæ, 1117. Res pauperum cum mansuetudine disponendæ, 672.

Paupertas humilitatis custos, 184. Paupertatis securitas divitiis præferenda, 304. Paupertatem simulantes deluduntur, 305.

Phausianensis in Sardinia episcopus, Victor, 932.

Pax. Qui servare pacem non curat, ferre fructum spiritus recusat, 68. Pacis cultoribus quæ monita danda, 69. Pacis amor zelum et constantiam non inflectat, 69. Pax duplex, altera quam Dominus relinquit, altera quam dat, *ibid.* Pace præsenti quomodo uti debeamus, 69. Pax transitoria est vestigium pacis æternæ, *ibid.* Qui Christus venerit non pacem mittere, sed gladium, 70. Quanta culpa pax cum pessimis teneatur, 70. Pax in correptione proximi qui subsistere possit, *ibid.*, 772. Perversorum nequitia in pace juncta, eorum malis actibus robur augetur, 71. Pacis simulatæ malum, 671. Cur pacem Redemptor noster in magno munere discipulis suis reliquerit, 1073. Pax, si fieri potest, cum omnibus habenda, 1095. Pacis excellentia, 1246. Ad pacem servandam necessaria humilitas, *ibid.* Pacem spondet Cillanes, 1241. Pisani recusant, *ibid.* Pax cum Langobardis. *Vide* Agilulfus.

Peccare est a Deo fugere, 877. Aliud est quod ab erraute committitur, aliud quod per scientiam perpetratur, 501.

Peccator qui dicatur exaltare cornu, 88. Nemo hominum in hoc mundo sine peccato est, 877. Cum peccatoribus pacem tenere, eorum vitia dissimulando, quanta culpa, 70. Mira Dei pietas ad se peccatorem revocantis, 82. Peccatoris præsens prosperitas fumo et rotæ comparata, 492. Qui repentina concupiscentia victi peccant, quibus monitis adjuvandi, 89. Quæ consulto peccantibus ob oculos ponenda, 91. Qui consulto peccant, sæpe in desperationem aguntur, *ibid.* Ad peccandum nec tenebras quærere, quanta impudentia, 89. Non tam prave facta, quam pravitatis studia Dominus insequitur, 91. Qui spiritu et carne peccaverunt, semper essentialiter viventes, spiritu et carne sine fine morientur, 576. Peccatoris conversio majus est miraculum resurrectione mortuorum, 521. Peccata expertis quid timendum, 81. Transactas ad memoriam culpas revocent, quatenus pollui in futuris erubescant, 82.

Peccata cordis etsi homines, non tamen Deum latent, 6. Peccata cordis

Deus eo citius abluit, quo hæc exire ad opera non permittit, 86. Peccata ex infirmitate et peccata ex certa malitia in quo differant, 91. Peccata præcipitationis leviora sunt peccatis ex studio factis, *ibid.* Parva caventium, et majora perpetrantium peccata reprehensio, 92. Elatione minoris justitiæ via fit ad foveam gravioris culpæ, *ibid.* Peccatum tribus modis impletur, suggestione, delectatione et consensu, 85, 1162, 1165. Primum per hostem, secundum per carnem, tertium per spiritum perpetratur, 86. Peccata cogitationum qui fiant, et facta qui ignorentur, 5. De quibus moneri debeant qui cogitatione sola peccarunt, 85. Advertant utrum delectatione vel etiam consensu deliquerint, *ibid.* Non est cogitationis culpa, sed operis, quando intus consensionis opere voluntas implevit, *ibid.* Qui desiderio peccati innocentiam coram Deo amittit, 52. Suggestione peccatum agnoscimus, delectatione vincimur, consensu ligamur, 85, 86. Qui illicita quæ faciunt laudant, plus ore quam opere delinquunt, 88. Hi quid facere debeant, *ibid.* Peccatum cum voce et peccatum cum clamore quid sit, 89. In factis peccare et in studiis qui differant, 91. Peccatis aliorum consentiens, reus est, 659.

Peccatum Originale. Per primum hominum omne genus hominem in mortis et corruptionis pœna damnatum, 883. Per secundum hominem modo a morte animæ, et postea ab omni corruptione carnis nos liberandos confidimus, *ibid.* Ante baptismum omnis anima originalis peccati vinculis obstricta, 970.

Peccatum veniale. Qui minimis, sed crebris culpis sunt obnoxii, quomodo monendi, 91, 92. Ex levium peccatorum multitudine quantum periculum impendeat, 91. Qui peccata minima negligit devitare, a statu justitiæ non repente, sed partibus totus cadit, 92. Cur sæpe in parva deterius quam in majori culpa peccemus, *ibid.* Parva et minima peccata possunt in futuro sæculo relaxari, 444. Venialia peccata signantur lignis, feno, stipula, *ibid.* Paschasius diaconus a peccato ignorantiæ post mortem liberatus, 445.

Peccati pœna in inferno est æterna, 449, 452. Cur peccatum quod in se est finitum, pœna puniatur æterna, 449. Qui eorumdem peccatorum sunt rei, iisdem pœnis afficiendi, 429. In peccatorum pœnis Deus corda hominum, non facta pensat, 449. Peccata eleemosynis redempta non iteranda, 65. Ad peccata post pœnitentiam non redeundum, 1131. Non tantum universa, sed etiam singula peccata sunt deflenda, 84.—Peccata operum quomodo plangenda, 84, 85. Item peccata cogitationum, 85. Non prodest peccatum deserere, nisi fletibus mundetur, 87. Quid peccata fatentibus nec caventibus dicendum, 89. Hi quo melius vident malum quod faciunt, eo deterius pereunt, *ibid.* Suo testimonio sunt condemnandi, *ibid.* Tardius peccatum solvitur, quod et per consilium solidatur, 91. Quædam peccata in futuro sæculo possunt relaxari, 441. Sed nec minima illic remittentur, nisi bonis hoc actibus hic adhuc positus, ut illic obtineat, promereatur, 444. *Vide* Peccatum veniale, aliena peccata remittenda ut nostra remittantur, 473. Peccata dimissa quandoque redeunt, *ibid.* Peccata, si non puniantur, iram Dei provocant, 642. Non debent relinqui impunita, ne ex hoc cæteri audaciam sumant, 1201. Peccata manifesta non sunt occulta correctione purganda, 1280. De peccatis remissis homo securus fieri non debet, 869.

Peculiaritas in monacho damnanda, 1194, 1195.

Peculium dicitur a pecunia, quasi parva pecunia, 800. Quid et cujus sit peculium, *ibid.* Peculium servitutis, seu dominicum quid sit, *ibid.*

Pecunia dicitur quidquid habent homines in terra, et cujus domini sunt, 1242. Pecuniam in sudario ligare quid sit, 10. Pecunia a Deo precibus impetrata, 189.

Pelagius papa I recens ordinatus pro more veteri confessionem fidei suæ ad Childebertum regem misit, 490. Ad Sapaudum Arelatensem, 542. Invisus Occidentalibus episcopis quod synodum quintam reciperet, 682.

Pelagius papa II. Ab eo didicerat Gregorius quæ de Martino monacho in suis Dialogis narrat, 313. Liber missus a S. Gregorio ad schismaticos Histriæ est Pelagii epistola septima, 616. Pelagii conatus ad schisma extinguendum irriti, 682. Argentum quod erat super corpus B. Petri mutare volens, terretur, 708. Synodi acta in qua episcopi universalis titulum assumpsit Joannes, dissolvit, 741.

Pelagius Anagninæ civitatis episcopus, 1291.

Pelagius episcopus de Turnis, 850.

Pelagius diaconus et Theodorus Cæsareæ Cappadociæ episcopus fuere causa scandali ex trium capitulorum damnatione orti, 616.

Pelagius hæreticus et in Ephesina synodo damnatus ut nos a Christo vacue redemptos assereret, negavit per Adamum nos in anima mortuos esse, 802. Pelagianus est qui negat diabolum in cor hominis ingredi, 884.

Peltrasius, 896.

Pennæ columbæ deargentatæ, quæ, 896.

Pensio dicitur id quod pro alicujus rei usu datur, 606. Merces dicitur inhabitationis alienarum ædium, *ibid.* Est etiam reditus quisque annuus, *ibid.* Dicitur onus possessionis, 734. Pensiones in concilio Chalcedonensi probatæ, 1218. Ut tuta conscientia exigantur, multa cautione opus, *ibid.*

Per. Aliqui volunt hanc præpositionem idem significare ac durante, etc., 743, 749, 750.

Percussio clerici causa correctionis pro gravioribus culpis olim licita, 664. A quo exercenda, *ibid.* Publicæ virgarum percussioni addictus ab episcopo clericus, *ibid.* Episcopus qui feminam cædi jusserat duobus mensibus ab officio suo suspenditur, 656, 657.

Peregrinatio est vita præsens, 1175. Quibusnam peregrinationis locus sit tormentum, *ibid.* Peregrinationes anniversariæ religionis causa susceptæ, 320.

Peregrinus presbyter dicitur qui non est cardinalis seu titulatus, 697, 698.

Peregrinus B. Benedicti discipulus, 257.

Perfectio. Cæteræ virtutes perfectionem generant, sed eas etiam charitas ligat, ut ab amantis mente dissolvi nequeant, 781. Anima navi adversum flumen conscendenti similis, 94. Cur neminem Deus in hac vita perfectum esse velit, 308.

Περιοδεῦται erant visitatores non Episcopi, 501.

Persarum imperium quomodo imperatori Mauricio subditum, 678. Persarum imperator Domitiani episcopi prædicatione non est ad fidem conversus, 680.

Perscrutari aliquando passive sumitur, 975, 976.

Persecutionem frustra se pati gloriantur schismatici, 615. Persecutio, dum non rationabiliter sustinetur, nequaquam proficit ad salutem, *ibid.* Persecutiones sunt pie viventium, 876. Minus pie vivit, qui minus persecutionem pertulerit, *ibid.* Persecutio pro fide. *Vide* Martyrium.

Perseverantia. Quid prædicandum his qui inchoata bona non consummant, 94. Qui cœpta bona districte non exequitur, dissolutione negligentiæ manum destruentis imitatur, *ibid.* Melius bona non incipere, quam ab his quæ cœpta sunt cogitatione retrorsum redire, 829. Perseverantiæ incertitudo sanctos tenet anxios et humiles, 854.

Persica theca quid sit, 1270.

Personarum acceptio in judicibus mala, 582. Personarum acceptio prohibetur, 643. Personæ publicæ sunt magistratus, officiales, tabellarii, 687.

Persuasio Thessalica quid sit, 735.

Pertinacia humilitati opponitur, 7. Qui monendi sunt pertinaces, 60, 61. Pertinacia ex superbia generatur, 60. Ejus remedia, 60.

Perversus. Non ita omnes boni subtrahuntur, ut soli in mundo perversi remaneant, 368. Perversorum adversitatibus lacerari solent divinis intenti operibus, 846.

Perusia urbs Etruriæ, 300, 550. Marcus Antonius in hac urbe ab Augusto obsessus, fame coactus deditionem fecit, *ibid.* Hæc eadem urbs a Gothis capta anno obsidionis septimo, *ibid.* Perusini episcopi : Herculanus, 300. Venantius, 1211.

Pes fractus quid signet in pastore, 11. Pedem habens fractum olim a sacerdotio repulsus, 11.

Pestilentia sub specie sagittæ visa est Romanos ferire, 432. Pestilentiæ flagellum quo animo suscipiendum, 1087 *et seqq.* Qua ratione ii qui hoc flagello percutiuntur consolandi, 1087, 1088.

Peti, postulari, desiderari, eligi, pro eodem sumuntur, 634. Postulare tamen majus est quam petere, *ibid.*

Petronilla monasterio, in quo conversa erat, omnia quæ habebat titulo donationis contulit, 685. Ab Agnello notario stuprata e monasterio rapitur, *ibid.* Pœnitentiæ in eodem monasterio amandari jubetur, 686.

Petronius notarius sanctæ Romanæ Ecclesiæ, 553.

S. Petrus apostolus a petra Petrus dictus, 888. Petrus Ecclesiæ principatum tenens, contra solos malos erectus est, 21. Petrus apostolorum coryphæus, 202, 743. B. Petri miles quis dicendus, 526. Petrus et sedes apostolica reciproce dicuntur, *ibid.*, 831, 832. Ire ad B. Petrum, idem est ac ire ad summum pontificem Romanum, 619. Primatus Petri et Ecclesiæ Romanæ, 668, 669, 743, 748. Petro Ecclesiæ cura commissa, 748. Ecclesia in apostolorum principis soliditate firmata est, 888. In principatu sola apostolorum principis sedes in auctoritate convaluit, *ibid.* Ipse Petrus in cathedra sua nunc usque in successoribus suis sedet, *ibid.* Beati Petri Sedes in tribus locis una est et unius sedes, 888, 1247. Petri prærogativæ, 1129.—Petri humilitas erga Cornelium, zelus contra Ananiæ et Sapphiræ culpam, 21, 22, 513. Petrus increpationem Pauli libenter accipit, 28. Qua potesta-

tem regni cœlestis acceperat, querelæ fidelium non ex potestate, sed ex ratione respondit, 1129 *et seqq.*, 1130. Petri et Pauli virtus dispar in miraculo, quorum meritum non est dispar in cœlo, 205. Petrus ab angelo liberatus, qui ad se reversus dicatur, 217. Cur Judæos prius increpavit de his quæ fecerant, quam moneret quid facerent, 93. Petrus Tabitham orando suscitavit, Ananiam et Sapphiram morti increpando tradidit, 261. Clavium S. Petri virtus ad ægros sanandos 517, 519, 520, 872. Crux parvula cui de Petri catenis particulæ sunt insertæ mittitur, 648, 1248. Ejus virtus, *ibid.* Quandoque particulæ de catenis S. Petri non possunt lima excuti, 711. Argentum quod erat supra caput B. Petri mutare volens Pelagius II terretur, 708. Corpus S. Petri in Ecclesia sua miraculis et terroribus coruscat, *ibid.* Orientales corpora SS. Petri et Pauli levare non possunt; Romani vero ex Domini pietate ea levare merentur, 710, 711. SS. Petri et Pauli corpora quando translata, 710. Eorumdem reliquias mittit Gregorius Palladio episcopo, 826. Et Brunichildi reginæ, 829. S. Petri apparitiones diversæ, 333, 389, 392.

Petrus Aleriensis episcopus in Corsica, 808. In convertendis Corsicanis incumbit, 893.

Petrus Anagniæ episcopus, 1287.

Petrus episcopus de Baricis, 656.

Petrus Histriæ episcopus, 778.

Petrus Hydruntinus episcopus, 807. Trium Ecclesiarum visitatio ei injungitur, 808. Visitator erat Brundusinæ Ecclesiæ, 838.

Petrus Numidiæ episcopus, cujus causa Columbo dirimenda committitur, 821, 822.

Petrus in Oriente episcopus, 853. Quod in Cyriaci ordinatione clamaverat, Hæc dies quam fecit Dominus, carpitur, 854.

Petrus Terracinensis episcopus, 524, 634.

Petrus Tricalitanus episcopus, 1137. Ecclesiæ Agrigentinæ visitator, 737.

Petrus diaconus Neapolitanus, quod sit fœnerator, in episcopum non eligendus, 1086.

Petrus diaconus responsalis provincia Ravennæ defunctus, 667.

Petrus diaconus, 579.

Petrus diaconus cum Gregorio in Dialogis collocutor, an fuerit monachus, 115. Videtur esse ille Petrus subdiaconus ad quem sæpe et familiarissime scribit, *ibid.*

Petrus subdiaconus Romanæ sedis vicarius et rector patrimonii S. Petri in Sicilia instituitur, 486, 488, 489. Synodi quotannis in Sicilia celebrandæ moderator constituitur, 486. In pluribus negotiis sive ecclesiasticis, sive laïcis a Gregorio adhibetur, tum in Sicilia tum in Campania. *Vide Indicem alphabeticum Epistolarum.*

Petrus notarius in Regio, 569, 735.

Petrus defensor, 1197.

Petrus acolythus Sabiniani diaconi apud Constantinopolim apocrisiarii minister, 899.

Petrus clericus Neapolitanus accusatus, Sedem apostolicam adiit, 1072.

Petrus lector Ecclesiæ Eurianæ, 1271.

Petrus abbas, 453.

Petrus monachus unus ex S. Augustini sociis, 1113.

Petrus Iberiæ monachus sanctitate conspicuus, 452.

Petrus ecclesiasticæ familiæ major cur in inferno magno pondere religatus ac depressus visus sit, 433.

Petrus monasterii cujusdam fundator, 689.

Petrus vir clarissimus Vicedominus Rusticianæ, 1122.

Petrus Siciliensis, 944.

Petrus conductor, 536.

Petrus Lucilli Melitensis episcopi filius res Ecclesiæ ablatas restituere jubetur, 1041.

Petrus Judæus, Christianus factus postridie sui baptismatis synagogam Judæorum occupat, 930.

Petrus, 1263.

Phanum. *Vide* Fanum.

Pharisæi resurrectionem mortuorum admittebant, 71. Inter hos et Sadducæos cur Paulus dividere studuerit, *ibid.*, 72. Pharisæi liquabant culicem, et camelum glutiebant, 92.

Phausiana urbs Sardiniæ sub archiepiscopo Turritano, 708. In hac urbe quæ diu vacabat, episcopus ordinandus, 708. Phausianensis episcopus, Victor, 1095.

Φελόνιον vestis sacra ad usum episcopi et presbyteri, 190. Est etiam idem ac penula, genus vestis vilioris, *ibid.*

Philagrius luminibus orbatus et vexatus plurimum commendatur, 1034, 1035 *et seqq.*

Philaster librum scripsit de hæresibus, 862.

Philippus comes excubitorum, 520.

Philippus episcopus Epiri, 796.

Philippus presbyter, 1237.

Philisthæos cur diutius Deus reservarit, 308.

Phinees zelus quantum Deo placuerit, 70.

Phocas. Phoca imperium adeunte, reipublicæ fausta omnia sperat Gregorius, 1239. Phocæ non adulatur, 1239. Phocas clementiam primum et liberalitatem fingit, 1239. Apud Phocam diaconi apocrisiarii absentiam excusat Gregorius, 1244. Bonifacium mittit, *ibid.* Auxilium a Phoca adversus Langobardos implorat, *ibid.* Phocas coronatur, 1301.

Photiniani sic dicti a Photino, 1066. Dicti etiam Bonosiaci, 1168. Quomodo erga eos se gesserit Gregorius, 1066.

Photius patriarcha Constantinopolitanus Gregorium tanquam auctorem Dialogorum laudat, 107. Ab eo creditur depravatus locus Dialogorum Gregorii, ubi de processione Spiritus sancti agitur, 118.

Phræneticus sanatus, 356.

Phylacteria sumuntur pro sacris Reliquiis in auro, vel argento, vel crystallo cælatis, 1270, 1271. Quæ phylacteria a conciliis prohibita, 1271.

Piceni provincia, 1194, 1195.

Pictura hoc idiotis cernentibus præstat, quod legentibus scriptura, 1100.

Pietas falsa quæ et cujus sit, 23. Sic jura disciplinæ exercenda, ut pietas non deseratur, *ibid.* Oleo signatur pietatis mollities, 23.

Piger. Qui monendi sint pigri, 55. Vanæ pigri excusationes, 56. Qui dicatur piger æstate frustra mendicaturus, *ibid.*

Pigritiæ pravi effectus, 55. Qui pigredo sopórem immittere dicatur, *ibid.* Frigoris nomine pigritia intelligitur, 56.

Pimenius Amalphitanus episcopus ad residentiam cogendus, 808, 809.

Pisæ urbs Etruriæ, 1241.

Pisaurum urbs Umbriæ in Italia, 755. Pisaurensis episcopus arguitur quod monachorum quietem turbaret, sua in eorum monasterio posita cathedra, 826. Pisaurensis episcopus, Felix, 826.

Piscis miraculo inventus, 153. Pisces minores ad infirmitatis solatium in jejunio permittuntur, majores vero prohibentur, 1303.

Placentia urbs episcopalis sub archiepiscopo Bononiensi, 295, 296. Placentini Episcopi : Sabinus, 296. Bonifacius, 1288.

Placendum soli Deo, 626.

Placidus puerulus a Tertullo patre S. Benedicto traditus, 220. Benedictum e petra fontem educentem comitatur, 221. In aquam lapsus a Mauro liberatur, 225. Quo tempore martyrium passus, 239.

Placidus vir magnificus, 1139.

Placitum vox juris et fori cujus significatio multiplex, 606.

Plancho vir clarissimus, 1209.

Plateárum nomine præsentis vitæ latitudo figuratur, 23. A latitudine plateæ dictæ sunt, *ibid.*

Plebs. Cur ad pastoris electionem plebis consensus requisitus, 573. Juxta meritum plebium solent superno judicio personæ provideri pastorum, 645.

Plumbum quis in fornace inveniatur, 53.

Pluvia quibusdam locis divinitus parcens, 297, 300.

Poculum amaræ potionis mellis dulcedine temperatum quid significet, 59.

Pœna. Eos non potest absolvere par pœna, quorum dispar est causa, 617. Quomodo pœna præsens finis sit culpæ præcedentis, et quomodo initium pœnæ sequentis, 1114.

Pœnitentes sic de spe fiduciam habeant, ut securitate non torpescant, 85. Quibus fallaciis diabolus animam pœnitentem decipere conetur, 85. Adversus pœnitentes peccata sua plangentes durior disciplina non est adhibenda, 679.

Pœnitentia. Flagellati ad pœnitentiam revocantur, 51. Mira Dei erga peccatores misericordia pœnitentiæ est incentivum, 82. Innocentiæ torpenti præponitur fervens pœnitentia, 83, 84. Quid sit dare potum in lacrymis in mensura pœnitentibus, 84. Quo quis sua respicere non cessat peccata, eo ipsa a Deo minus respiciuntur, *ibid.* Peccati modum adæquet modus pœnitentiæ, 86. Quibus monitis excitandi, qui peccata quæ deserunt, non plangunt, 87. Ut scriptor cessans scribere non propterea scripturam delevit; ita qui desinit peccare, nec peccata fletibus delet, *ibid.*, 88. Pœnitentiam baptismo præmittendam credidit Petrus, 88. Nemo a peccatis debet esse securus, donec ea plangendi tempus præterierit, 869. — Pœnitentia sine emendatione inanis est, 86. Qui monendi sunt, qui peccata plangunt, quæ non deserunt, *ibid.*, 87. Qui admissa plangit, nec ea deserit, pœnæ gravioris culpæ se subjicit, 86. Mali sæpe inaniter compunguntur, 87. Pœnitentia non est mera cessatio a peccatis, 87. Pœnitentiam vere agere est commissa plangere, et plangenda declinare, 1132. Cor non solum conterendum, sed etiam humiliandum, 88. Post lavacrum mundus esse negligit, qui post lacrymas vitæ innocentiam non custodit, 87. Peccata fatentibus, nec caventibus quid dicendum, 89. Suo sunt testimonio condemnandi, *ibid.* Viventes in infernum descendunt, *ibid.* Pœnitens in judicio securus stabit, 645, 656. Pœnitentia veniam meretur, 969. Quænam pœnitentia contra peccatum valeat, 1132. Induciæ nobis ad pœnitentiam datæ, 1181. Post pœnitentiam per triennium actam non

licet perverse vivere, 1130, 1131, 1132. Honorati viri et episcopi aliquando pœnitentiæ agendæ causa, in monasteria retrusi, 643.

Pœnitentia ut sacramentum. Potestas ligandi et solvendi quibus data, 253.

Pœnitere. Quid facere debeant qui peccata deplorant operum, 84. Singula quæque admissa considerent, ut se totos lacrymis mundent, 84. De quibus monendi qui sola cogitatione peccarunt, 85, 86.

Pollutio nocturna quando communionem et celebrationem missæ impediat, 1161 *et seqq.*

Polypticum est Commentarius in quem acta referuntur, 593. Est etiam tabula plures habens plicas, 956.

Pompa mundi. *Vide* Mundus.

Pompeiana religiosa femina, 543, 1107. Pomponiana dicitur, 1260, 1261.

Pompeianus abbas unius ex iis quæ Benedictus construxit monasteriis, 221.

Pompeius episcopus injuste condemnatus, 1060.

Pomponiana. *Vide* Pompeiana.

Ponderis vitium quid sit, 13.

Ponderosus quid sit, 13.

Pons. Cur in visione per pontem justi transire ad amœna loca visi sint, 432, 433, 436.

Pontifex. *Vide* Episcopus.

Pontifex Romanus. *Vide* Romanus.

Populonium civitas Etruriæ, quæ diversa habet nomina, 296, 500. Hujus Ecclesiæ visitatio Balbino episcopo Rosellano committitur, 500. In ea fere omnino destituta presbyteri ac diaconi ordinandi, 501. Populonii episcopus, Cerbonius, 296 *et seqq.*

Porcus. In porcum ingredi permittitur diabolus, 328. Sub porci figura diabolus Ecclesiam Deo recens dicatam deserit, 344. Porcorum multitudine repleta visa est Ecclesia quæ Arianis cedenda erat, *ibid.*

Porta. Quid sit de porta usque ad portam ire, 75. Porta Flaminea Romæ, 1125. Porta Metroni Romæ, *ibid.*

Portare. Onera invicem portanda, 79. Levius portat qui se portari meminerit, 80.

Portitor. Hæc vox antiquissima, 1121.

Portus Romanus, seu Portus Augusti, urbs Etruriæ, 947. Portuenses episcopi : Felix, 947, 1288, 1291. Gregorius, 1287.

Portus Venetis urbs Liguriæ, 729.

Possessionis onus est pensio a colono debita, 734. Possessio triginta annorum in sæcularibus rebus sufficit, et olim valebat in Ecclesiasticis, 496. Videtur primum extensa a S. Gregorio ad quadraginta annos pro Ecclesiasticis, *ibid.* *Vide* Præscriptio. Possessio qui interrumpatur, 497. Quibus possessio probetur argumentis, 666. Possessio emphyteutica quid sit, 536, 1088. Bona juris Ecclesiæ in emphyteusim non danda, nisi ad majorem ejusdem Ecclesiæ utilitatem, 557. Monachus qui in terra possessionem quærit, monachus non est, 304. Non tamen vituperandi monachi, quibus ad vitæ necessaria possessiones assignatæ, *ibid.* Virginibus Deo dicatis aliquæ possessiones olim a parentibus assignatæ, 328.

Possessor non est dominus, sed jus in re habet, 695. Inter dominum et possessorem distinctio est, 696.

Postulantium desideria quando implenda, 1249, 1262.

Postulari dicitur, qui communi cleri et populi decreto ad episcopatum eligitur, 601, 808, 866, 996. Postulatio qui differat ab electione, 602, 634. Postulare majus est quam petere, 634. Postulari, peti, eligi, desiderari pro eodem sumuntur, *ibid.* Postulatio quid sit apud canonistas, 808, 809. Si postulatio cum electione concurrat, quid agendum, 809.

Potentia. Plerumque etiam justos cum temporalis potentia sustollit, velut in laqueo culpa comprehendit, 78. Potentiam bene regit qui et tenere illam noverit, et impugnare, 21.

Potestas. Quot in potestatis culmine tempestates, 10. Potestas regia sanctorum, 16. Potestas Christianorum qualis, 509. Potestas principibus a Deo data ut cœlorum via omnibus largius pateat, 676. Ut intestina Ecclesiarum bella compescant, 686. Potestas et amor magnam inter se cognationem habent, 875. Potestas sub ratione restringenda, 1048. Potestatum sæcularium erga religionem Christianam reverentia, 3.

Præcepta Dei majora quam præcepta principum, 540. Præcepta Domini regibus custodienda, 1150.

Præceptio et præceptum significant Regum et illustrium personarum mandata scripto tradita, 956, 957.

Præcipites qui sint admonendi, 55, 56. Nihil præcipiti judicio decernendum, 597.

Præconis officium suscipit quisquis ad sacerdotium accedit, 17, 510.

Prædestinatio quo pacto precibus impetretur, 181. Tunc precibus impletur, quando est prædestinatum ut precibus obtinerentur quæ fuere prædestinata, 184.

EPIST. XXVIII (ad Sebastianum episcopum Rhisiniensem). — Ut Anastasii patriarchæ a sede sua pulsi, quem secum in honore suo vivere cupiebat, animum exploret. 481
EPIST. XXIX (ad Aristobolum expræfectum et antigraphum). — Illum consolatur, et rogat ut in epistolis suis e Latino in Græcum convertendis, non verba, sed sensum reddat. 482
EPIST. XXX (ad Andream illustrem). — De sua ad episcopatum assumptione dolet; clavem a corpore sancti Petri transmittit. 485
EPIST. XXXI (ad Joannem exconsulem, atque patricium et quæstorem). — Clavem sancti Petri, et de catenis ejus transmittit. *Ibid.*
EPIST. XXXII (ad Philippum comitem excubitorum). — Episcopatui cur tandem consenserit exponit; Italiæ causas commendat. 484
EPIST. XXXIII (ad Romanum patricium et exarchum Italiæ). — Blandum episcopum, aut in synodo judicari, aut in Ecclesiam suam reverti concedat. *Ibid.*
EPIST. XXXIV (ad Venantium exmonachum patricium Syracusanum). — Venantium, quod monasticum habitum dimiserit, increpat; ut quantocius resipiscat, hortatur; quorumnam consilia ipsi audienda sint, docet. 486
EPIST. XXXV (ad Petrum episcopum Terracinensem). — Concessum prius Judæis locum restituat. A Christiana religione discordes benigne alliciendi. 489
EPIST. XXXVI (ad Petrum subdiaconum). — Commonitorium sibi datum assidue relegat. Quædam addit monita summam spirantia æquitatem ac prudentiam. *Ibid.*
EPIST. XXXVII (ad Joannem episcopum Ravennatem). — Maurilioni expræfecto opem ferat. 492
EPIST. XXXVIII (ad Malchum episcopum Dalmatiæ). — Stephanum episcopum ad judicium compellat, et quod judicatum fuerit exsequatur. *Ibid.*
EPIST. XXXIX (ad Anthemium subdiaconum). — De neglectis pauperibus eum arguit. Domnis Paterniæ, Palatinæ et Vivianæ largum et liberale subsidium offerri jubet. 493
EPIST. XL (ad Felicem episcopum Messanensem). — Ut Paulinus peregrinus episcopus sancti Theodori monasterium regat. *Ibid.*
EPIST. XLI (ad Petrum subdiaconum). — Dispersos per Siciliam monachos in Messanensi sancti Theodori monasterio congreget. 494
EPIST. XLII (ad Anthemium subdiaconum). — Monachos vagos, peculiaritati studentes et uxoratos coerceat; e clericatu vero ad monachismum conversos Ecclesiam in qua militarunt repetere non sinat. 495
EPIST. XLIII (ad Leandrum episcopum Hispalensem). — De onere episcopali gemit. Lætatur de Recharedi regis conversione. Inductum ab Hispanis ex Arianorum occasione unicæ in baptismo mersionis ritum probat. Nonnullos mittit Codices. 496
EPIST. XLIV (ad Petrum subdiaconum Siciliæ). — Plurima contra jus facta emendari jubet. De subdiaconorum cælibatu decernit. 498
EPIST. XLV (ad universos episcopos per Illyricum). — Ut episcopos ab hostibus expulsos suscipiunt, eisque necessaria subministrent. 508
EPIST. XLVI (ad Petrum subdiaconum). — Ut Godiscalchi filio inopi et cæco ad victum necessaria suppeditet, præcipit. *Ibid.*
EPIST. XLVII (ad Virgilium Arelatensem, et Theodorum Massiliensem episcopum). — Judæos non esse ad baptismum cogendos, sed ad fidem amplectendam suaviter excitandos. 509
EPIST. XLVIII (ad Theodorum ducem Sardiniæ). — Ut

officialem suum cum Juliana abbatissa judicium subire præcipiat. Pompeianam vero in pia causa salvo jure protegat. 511
Epist. XLIX (ad Honoratum diaconum). — Quid imperatoribus pro Sardiniæ incolis suggerendum sit. 512
Epist. L (ad Anthemium subdiaconum). — Ne cum monachis habitent mulieres. Ne in quarumdam insularum monasteriis pueri ante 18 ætatis annum suscipiantur. 513
Epist. LI (ad universos monachos in Christi monte insula constitutos). — Abnormes illos monachos Horosio abbati obedire jubet. *Ibid.*
Epist. LII (ad Symmachum defensorem). — De construendo in Corsica monasterio; de corrigendis monachis in Gorgonia; de sacerdotum cum mulieribus conversatione. 514
Epist. LIII (ad Felicem episcopum Sipontinum). — Canusinam ecclesiam visitare, atque in ea duos parochiales presbyteros ordinare præcipit. 515
Epist. LIV (ad Joannem episcopum Surrentinum). — Ut in sancti Stephani monasterio sanctæ Agathæ reliquias solemniter collocet. *Ibid.*
Epist. LV (ad Anthemium subdiaconum). — Ut neque pauperes opprimi, neque liberæ mulieris filium ad servitutem cogi patiatur. 516
Epist. LVI (ad Petrum subdiaconum). — Quid ad celebrandam dedicationem dare debeat ad erogandum pauperibus. 517
Epist. LVII (ad Severum episcopum). — De eligendo Ariminensi episcopo. *Ibid.*
Epist. LVIII (ad Arsicinum ducem, clerum, ordinem, et plebem Ariminensis civitatis). — Ne Ocleatinum in episcopum eligant. 518
Epist. LIX (ad Anthemium subdiaconum). — Palatinæ annuos triginta solidos pro sustentatione tribuat. *Ibid.*
Epist. LX (ad clerum, ordinem et plebem consistentem Perusiæ). — Ne episcopi electionem diutius differant. 519
Epist. LXI (ad Gennadium patricium et exarchum Africæ). — Ut Theodorum magistrum militum a pauperum et Ecclesiæ vexatione abstinere jubeat. *Ibid.*
Epist. LXII (ad Januarium archiepiscopum Caralis Sardiniæ). — Ut a quorumdam molestiis Catellam, salva justitia, tueatur. 520
Epist. LXIII (ad Januarium episcopum Caralis Sardiniæ). — Pompeianam, ne contra æquitatem gravetur, commendat. 521
Epist. LXIV (ad Januarium archiepiscopum Caralitanum). — Catellam religiosam feminam commendat. *Ibid.*
Epist. LXV (ad Anthemium subdiaconum). — Injuste titulatam Petronii domum, Theodoræ illius viduæ restituendam. 522
Epist. LXVI (ad Felicem episcopum Messanensem). — Quæ servandæ sint consuetudines, quæ abrogandæ. Ne munera sibi mittat, aut Romam veniat, amice monet. *Ibid.*
Epist. LXVII (ad Petrum subdiaconum). — Ut Pastori oculis infirmo annuum præstet alimentum. 523
Epist. LXVIII (ad Anthemium subdiaconum). — Sacram suppellectilem Venafranæ Ecclesiæ, quam clerici Judæo vendiderant, restitui curet, ac reos ad pœnitentiam compellat. 524
Epist. LXIX (ad Petrum subdiaconum Siciliæ). — Monasterii lites ac negotia omnia perito e laicis viro committenda. 525
Epist. LXX (ad universos episcopos per Siciliam). — A fictorum defensorum angariis quomodo sibi caveant. *Ibid.*
Epist. LXXI (ad Petrum subdiaconum). — Ut Cyriacum et Joannam conjugem ejus ex Judæa Christianam tueatur. 526
Epist. LXXII (ad Petrum subdiaconum). — Ne ante hiemem Siculi episcopi omnes Romam veniant. Frumenti copiam ultra solitum comparet Petrus, ac congruo tempore in Urbem transmittat. *Ibid.*
Epist. LXXIII (ad Petrum subdiaconum). — De restituendis Taurominitanæ Ecclesiæ possessionibus atque pecuniis. 527
Epist. LXXIV (ad Gennadium patricium et exarchum Africæ). — Illum ad comprimendos hæreticorum adversus Ecclesiam conatus incitat. Ne primas ex ordine loci eligatur. Ne extra civitatem resideat. Ne qui Romam venire voluerint Numidæ episcopi impediantur. 528
Epist. LXXV (ad Gennadium, patricium, et exarchum per Africam). — Gennadium impense laudat, quod non terreno consilio, sed ut Christiana religio propagetur, gentes expugnet. De datis Romanæ Ecclesiæ patrimonio incolis gratias agit. Hilarium ejusdem patrimonii rectorem commendat. 529
Epist. LXXVI (ad Gaudiosum magistrum militum Africæ). — Post officiosa verba, commendat Hilarium. 530
Epist. LXXVII (ad universos episcopos Numidiæ). — Quod prius nolebat, jam ex antiqui moris reverentia concedit, seniorem episcopum eo ipso in primatem eligi. Donatistam excipit. Numidas antistites hortatur ad pacem, ad Ecclesiæ defensionem, ad sollicitudinem de proximorum animabus. 531
Epist. LXXVIII (ad Leonem episcopum in Corsica). — Visitationem injungit Saonensis Ecclesiæ. 532
Epist. LXXIX (ad Martinum episcopum in Corsica). — A Tainatensi Ecclesia ad Saonensem transire concedit. 533
Epist. LXXX (ad clerum et nobiles Corsicæ). — Quod episcopi electionem nimium distulissent, instituit ipse Martinum. Interea dum hic adveniet, Leoni curam visitationis injungit. *Ibid.*
Epist. LXXXI (ad clerum, ordinem et plebem Mevaniensem). — Ut tandem in episcopi electione consentiant hortatur. Interea Ecclesiæ curam Honorato presbytero committit. 534
Epist. LXXXII (ad Laurentium episcopum Mediolanensem). — Ut aliquem cum quo de postulata pecunia lis orta dirimatur instituat. 535
Epist. LXXXIII (ad Januarium archiepiscopum Caralitanum). — Comprimendum Liberati diaconi ambitum, neque illum absque solemni episcopi sui cessione ullatenus incardinandum. 536
Epist. LXXXIV (ad Hilarum monachum Africæ). — Ut coacto quamprimum concilio, in Argentium Lamigensem episcopum inquiratur. 537
Epist. LXXXV (ad Gennadium patricium Africæ). — Droctulfum de hostibus reversum commendat. 538
EPISTOLARUM LIBER II. 539
Epistola prima (ad Petrum notarium). — Tropæanis monachis, si religiose vivant, modis omnibus subveniendum. *Ibid.*
Epist. II (ad Præjectum episcopum Narniensem). — Ex mortiferæ luis occasione, cives ad pœnitentiam et fidem hortandos. *Ibid.*
Epist. III (ad Velocem magistrum militum). — Ut Ariulphum Langobardorum ducem, si ad Romanas vel ad Ravennates partes excurrat, a tergo insequatur. 540
Epist. IV (ad Sabinum subdiaconum). — Hortum Feliciani monasterio ancillarum Dei tradendum. *Ibid.*
Epist. V (ad Felicem episcopum Messanensem). — Basilicam, percepta prius legitima et secura dote, consecrandam. 541
Epist. VI (ad Neapolitanos). — In Demetrii ob nefanda crimina depositi locum, absque mora et discordia, episcopum eligant. 542
Epist. VII (ad Maximianum episcopum Syracusanum). — Vices suas in Sicilia gerat, reservatis tamen majoribus causis. 543
Epist. VIII (ad Candinum episcopum). — Ne ægrotanti clerico consueta negentur stipendia. 544
Epist. IX (ad Neapolitanos). — Paulum experiantur diutius; humili charitate ipsi jungantur; quem tandem, si fructum animarum fecerit, atque ita Deus inspiret, episcopum obtinebunt. 545
Epist. X (ad Paulum episcopum Neapolit.). — Sic interea fungatur episcopalibus muniis, ut Neapolitanorum testimonia et vota firmentur. 546
Epist. XI (ad Nepesinos). — De Leontio illuc transmisso, ut ei obediant. 547
Epist. XII (ad Castorium episcopum Ariminensem). — De oratorio sanctæ crucis consecrando. 548
Epist. XIII (ad Importunum episcopum Attellanum). — Suffraganeum episcopum monet de presbytero a se, ut in quadam diœcesis illius ecclesia præsit, deputato. 549
Epist. XIV (ad Joannem episcopum Velitranum). — Episcopi sedes in tutiorem locum transferatur. *Ibid.*
Epist. XV (ad Paulum episcopum). — Paulum, cui Neapolitanam Ecclesiam commiserat, de redito citius cogitantem, ut ibi perseveret hortatur. De Petro diacono respondet, nihil illi timendum, nullumque apud se fore locum subreptioni. 550
Epist. XVI (ad Maximianum episcopum Syracusanum). — Paulinum Taurianensem episcopum Ecclesiæ Liparitanæ præficit. 551
Epist. XVII (ad Paulinum episcopum). — In Liparitana Ecclesia resideat, Taurianensem vero opportuno tempore visitet. 552
Epist. XVIII (ad Natalem episcopum Salonitanum). — Increpato de assiduis conviviis Natali, ut Honoratum archidiaconum suo loco restituat jubet. *Ibid.*
Epist. XIX (ad universos Dalmatiæ episcopos). — Quid in causa Natalis et Honorati actum sit explicat. 554
Epist. XX (ad Antoninum subdiaconum). — Exposita iterum eadem causa, Antonino præcipit ut ad Honoratum loco suo restituendum Nataleni hortetur: hunc, ni pareat, primum usu pallii, deinde communione privet. Restituto tandem Honorato, personam mittat episcopus; ipse vero

archidiaconus Romam veniat, uterque causam dicturi. Advocatur etiam pro Malcho episcopo fidejussor. 555

Epist. XXI (ad Jobinum Illyrici præfectum). — Vastatam a barbaris provinciam ejus regimine recreari gaudet. Patrimonii rectorem commendat. Natali episcopo ne opem contra justitiam ferat hortatur. 557

Epist. XXII (ad universos episcopos Illyrici). — Joannis episcopi ordinationem confirmat. *Ibid.*

Epist. XXIII (ad Joannem episcopum). — Gratulatur quod unanimi omnium consensu electus sit. Ipsum ex more pallio donat, et vicariatu apostolicæ sedis. Ad pastorale munus summa prudentia et charitate implendum hortatur. 558

Epist. XXIV (ad Maximianum episcopum Syracusanum). —Ut laudatum a Felice presbyterum diligenter examinet, eumque Romam, si episcopatu dignum perspexerit, mittat. 560

Epist. XXV (ad Benenatum episcopum). — Cumanæ Ecclesiæ visitationem delegat, ut tum Ecclesiam illam tueatur, tum ex ipsius clero idoneum sacerdotem eligi procuret. 561

Epist. XXVI (ad Joannem episcopum). — Ecclesiæ Nepesinæ visitationem injungit. 562

Epist. XXVII (ad Rusticianam patriciam). — Bonum quod dono Conditoris in corde concipitur, celeri ac firma devotione complendum. Si quis contra nos calumnias molitur, ad Deum tota spes mentis inflectenda. *Ibid.*

Epist. XXVIII (ad Stephanum chartularium). — Monachos duos sui status desertores jubeat retrudi; monasterio consuetudines novas imponi non sinat. 563

Epist. XXIX (ad Maurilium et Vitalianum).—Ariulphum, si Romam pergat, a tergo insequantur. 564

Epist. XXX (ad Maurilium et Vitalianum). — De dubia Suanensium fide, ac de parato Ariulphi exercitu monet. *Ibid.*

Epist. XXXI (ad cunctos milites Neapolitanos). — De obedientia Constantio tribuno exhibenda. 565

Epist. XXXII (ad Petrum subdiaconum Siciliæ). — De patrimonii regimine plurima præcipit, in quibus elucent justitia, religio, prudentia, et liberalis erga egenos animus; familiaris quoque in Petrum dilectio facile advertitur. *Ibid.*

Epist. XXXIII (ad Justinum prætorem). — Ut, deposita omni suspicione, Leoni episcopo a falsis criminationibus plenissime purgato charitatem omnem et congruam reverentiam exhibeat. 571

Epist. XXXIV (ad Maximianum episcopum Syracusanum). — Eusebium abbatem, quem imprudenter afflixerat, consoletur. 572

Epist. XXXV (ad Joannem episcopum Ravennatem).— Gratulatur ob exhibita Castorio episcopo infirmo charitatis officia. Hunc ad se per Siciliam transmitti petit. Suffraganeorum antistitum, quos a Roma dividebant hostes interpositi, Ravennati curam committit. 573

Epist. XXXVI (ad Eusebium abbatem). — Ipsum de superbia arguit, quod redditam a Maximiano episcopo gratiam et communionem respueret. Eidem erogat solidos centum. 574

Epist. XXXVII (ad Joannem episcopum Squillacinum). — Joannem ea lege Squillacinum episcopum instituit, ut ad Lissitanam Ecclesiam revertatur, si illam ab hostibus liberam effici contigerit; abstineat ab illicitis ordinationibus, susceptumque pastoris officium digne gerat. 575

Epist. XXXVIII (ad Joannem episcopum). — Crotoniensis Ecclesiæ, post antistitis obitum, visitationem et curam mandat. 576

Epit. XXXIX (ad clerum, ordinem, et plebem Crotonæ). — Ut Joanni episcopo visitatori obediant, atque idoneum sibi postulent sacerdotem. 577

Epist. XL (ad Joannem episcopum). — Ut de causa Viulandi contra Gravinianum, amota dilatione, judicet. *Ibid.*

Epist. XLI (ad Castorium episcopum). — Ne Castorius episcopus ejusve successores, mortuo Ariminensi abbate, res monasterii describant aut administrent : ne alium ab eo quem congregatio poposcerit abbatem ordinent, ne in monasterio missas publicas faciant. 578

Epist. XLII (ad Luminosum abbatem), — Scribit omnia gravamina a monasterio illius oblata, ut ibi divinum opus summa tranquillitate ac devotione peragatur. 580

Epist. XLIII (ad Felicem episcopum). — Trium vacantium Ecclesiarum visitationem injungit. 581

Epist. XLIV (ad Lucillum episcopum). — Ut clericos suos terrarum Africanæ Ecclesiæ, quas tenebant, pensionem absque mora cogat persolvere. *Ibid.*

Epist. XLV (ad Benenatum episcopum). — Cumanam et Misenatem Ecclesias unit, ac utriusque pontificem constituit Benenatum. 582

Epist. XLVI (ad Joannem episcopum). — Quod ejus epistolis non responderit, morbum causatur. Hortatur ut Romani animum ad pacem cum Ariulpho ineundam inclinet. De schismaticis Istriæ episcopis ad unitatem compellendis, se ad impp. scripturum asserit. Ordinatum non esse iterum ordinandum. Monendum de Neapolitanæ urbis periculo exarchum. Misericordiam prius fidelibus quam Ecclesiæ hostibus faciendam. Se de Natalis episcopi correctione consolatum. A Malcho episcopo dudum patrimonii rectore rationes desposcit. 583

Epist. XLVII (ad Dominicum episcopum). — Gratulatoriæ de ordinatione sua epistolæ dilationem eximia charitate compensari. Virtutum hanc matrem quam variis effert laudibus inconcussa stabilitate tenendam. Ut Romanæ Ecclesiæ privilegia defendit, sic singulis quibusque Ecclesiis sua jura servat. 586

Epist. XLVIII (ad Columbum episcopum). — Maximianum Pudentianæ Ecclesiæ antistitem, adunato concilio, deponendum, si, pecunia corruptus, Donatistam episcopum in civitate sua fieri permisit. Alia quædam privata negotia privatim definienda. Donatistarum hæresim dilatari gemit, ac ne ad illam Catholici deficere permittantur, succendit pastoralem zelum. 588

Epist. XLIX (ad Januarium archiepiscopum). — Auditis de Januario episcopo querelis, Joannem notarium mittit qui partes ad judicium compellat, et quæ judicata fuerint exsequatur. Januarium ob id maxime increpat, quod nulla, nisi propriæ injuriæ causa, Isidorum excommunicaverit. 590

Epist. L (ad Joannem episcopum). — Desolatam ab hostibus trium Tabernarum Ecclesiam unit Velitranæ. 591

Epist. LI (ad universos episcopos). — Frustra de persecutione gloriari schismaticos. Damnatis tribus capitulis, nihil in fide immutatum. Ex Italiæ flagellis, quod ipsa erraverit, non recte inferri. Pelagii librum mittit, quem si puro corde perlegant, illos ad Ecclesiam filios suos invitantem reversuros confidit. 592

Epist. LII (ad Natalem episcopum). — Profana quibus indulgebat convivia, et sacræ lectionis negligentiam non bene ab ipso excusari. De exhortationis studio gratulatur. Se laudatum dolet. Non modo ad Ecclesiam hæreticos, sed et illos qui intra Ecclesiam sunt ad vitæ rectitudinem revocandos. De spreta sua et decessoris sententia queritur, parcit tamen ad ordinem reverso, summamque in judicanda illius causa spondet æquitatem. 595

Epist. LIII (ad Honoratum diaconum). — Ut Venantio chartas exconsulatus, oblatis XXX auri libris, postulanti apud impp. faveat. 598

Epist. LIV (Incipit epistola sancti Liciniani episcopi de libro regularum, ad sanctum Gregorium papam urbis Romæ directa). — Librum Regulæ pastoralis laudat : objicit tamen non fore qui sacra mysteria celebrent, nisi ordinentur nonnunquam minus periti. Libros in Job, aliosve morales a Gregorio conscriptos postulat. 599

EPISTOLARUM LIBER III. 603

Epistola prima (ad Petrum subdiaconum). —Epiphanium subdiaconum mittit, qui de seditione in Paulum episcopum commota inquirat. Ut illum in reos agentem adjuvet, absque ulla dilatione aut personarum acceptione, præcipit instantius. Ad civitatis ecclesias revocanda mancipia. *Ibid.*

Epist. II (ad Paulum episcopum). — Illum de accepta injuria consolatur. 604

Epist. III (ad Joannem abbatem). — Bonifacii in præpositum ordinationem probat. Sancti Joannis tunicam petit. In causa cum Floriano vult aliquid oedi, ut ad compositionem perducatur. Abbatem arguit quod tum ipse, tum fratres sacram lectionem et orationem negligant. Illum hortatur ad sollicitiorem de fratrum animabus, de hospitibus, ac de pauperibus curam. 605

Epist. IV (ad Bonifacium episcopum). — Vitandum in operibus bonis humanæ laudis desiderium. 606

Epist. V (ad Petrum subdiaconum). — Ut viduam in omnibus causis ab iniquorum violentia tueatur. *Ibid.*

Epist. VI (ad Joannem episcopum). — Sacra eum communione privat, ob damnatum injuste Adrianum episcopum, quem in locum et ordinem suum restitui jubet. 607

Epist. VII (ad Joannem episcopum). — Iniquam Adriani damnationem Joannis metropolitani machinationibus procuratam fuisse ostendit, ex judicii ordine. Hunc exinde ab omni in illum jurisdictione abstinere statuit, et sacræ communionis, nisi pareat, privationem minatur. 609

Epist. VIII (ad Natalem archiepiscopum). — Florentium episcopum, absque concilii judicio depositum, ab exsilio revocandum; causamque illius, convocatis episcopis, retractandam. 611

Epist. IX (ad Antoninum subdiaconum).— Ut Florentio, si aconvocatis episcopis absolvatur, res suas omnino restitui curet. 612

Epist. X (ad Savinum subdiaconum). — Ut Evangelii quatuor libros, sic quatuor concilia suscipit ac veneratur Gregorius. Chalcedonensis fidem in quinta synodo violatam non fuisse declarat. Savino proinde ad Ecclesiæ unitatem remeandum. 613

Epist. XI (ad ordinem et plebem Albanensem). — Ordinatum ipsis episcopum. *Ibid.*

Epist. XII (ad Maximianum episcopum). — Agrigentini episcopi accusatores et ad ejus causam spectantia documenta Romam mittat. 614

Epist. XIII (ad Agnellum episcopum).— Agnellum Terracinensi Ecclesiæ ita præficit, ut Fundensis Ecclesiæ jura protestatemve illi non subtrahat. *Ibid.*

Epist. XIV (ad Terracinenses). — Hortatur ut Agnello episcopo suo in omnibus obediant. 615

Epist. XV (ad Scholasticum judicem). — Cum Florentius subdiaconus a Neapolitanis electus episcopatum fuga declinarit, de alio eligendo cogitandum. 616

Epist. XVI (ad Petrum episcopum). — Valerianum presbyterum pro redemptione captivorum advenientem commendat. *Ibid.*

Epist. XVII (ad Gratiosum subdiaconum). —Floræ abbatissæ domum cum hortis et hospitiis ad construendum monasterium tradat. 617

Epist. XVIII (ad Theodorum consiliarium). — Acosimi pueri donationem, jam Theodoro factam scripto firmat. 618

Epist. XIX (ad Petrum subdiaconum). — Ut sancti Severini reliquias ad ecclesiæ consecrationem mittat. *Ibid.*

Epist. XX (ad Gratiosum episcopum).—Sancti Anthemii Ecclesiam unit Numentanæ. 619

Epist. XXI (ad Paschalem, Demetianum et Castorium). — Orphanis patris substantiam Ecclesiæ obligatam reddit, debitaque ab illo pecunias omnino condonat. 620

Epist. XXII (ad Antoninum subdiaconum).—Salonæ episcopum curet eligi, qui Romæ ordinetur. In electione solum vitæ ac morum decus attendendum moneat. Descriptas Ecclesiæ res selectis viris custodiendas committat. Ab illis abstineat Malchus episcopus, Romamque administrati patrimonii rationes tandem expleturus venire festinet. *Ibid.*

Epist. XXIII (ad Petrum subdiaconum).—Deponendum ob crimina Secundinum abbatem, postulatumque a congregatione ordinandum Theodosium. 622

Epist. XXIV (ad Leontium episcopum). — Ut infirmo et absente Castorio episcopo, Ariminensem Ecclesiam regat. *Ibid.*

Epist. XXV (ad Ariminenses cives). — Illos de episcopi sui infirmitate accusat, ut Leontio in omnibus obediant jubet. 623

Epist. XXVI (ad Magnum presbyterum). — Quem Laurentius quondam episcopus immerito excommunicaverat, absolvit. Ipsum hortatur ut Ecclesiæ suæ pure ac diligenter ministret, clerumque ac populum de idoneo episcopo absque dissensionibus eligendo admoneat. *Ibid.*

Epist. XXVII (ad Marinianum et Benenatum). — Ut in Bonifacium inquirant; qui, si inventus fuerit reus, sacra privetur communione, atque in monasterium retrudatur. 624

Epist. XXVIII (ad Romanum patricium). — Ut Armenio orphano egenti ac nobili, locum vel operam provideat, unde quotidianis stipendiis sustentetur. 625

Epist. XXIX (ad presbyteros et clerum Mediolanensem). — Ad Constantii, quamvis sibi notissimi et amici, electionem non sollicitat. Qualis esse debeat pastor, quis eligentium affectus, egregie depingit. Ex terrarum plagis mundi finem ac judicium proximum suadet. 626

Epist. XXX (ad Joannem subdiaconum). — Ut Mediolanensium apud Genuam scrutetur vota; quæ si in Constantium consentiant, hunc a propriis episcopis faciat consecrari. 627

Epist. XXXI (ad Romanum patricium). — Constantium sibi amicissimum commendat. 628

Epist. XXXII (ad Honoratum archidiaconum). — Ejus absolutionem firmat. Ea vero de quibus erat conquestus, Antonino discutienda committit. *Ibid.*

Epist. XXXIII (ad Dynamium patricium).— Quadringentos solidos de reditibus Ecclesiæ Romanæ se accepisse significat. Mittit crucem sacris reliquiis refertam. 630

Epist. XXXIV (ad Petrum subdiaconum). — Ut Festum episcopum civibus suis conciliet. 631

Epist. XXXV (ad Petrum subdiaconum). — Ex clero Neapolitano mittendos Romam duos vel tres, qui vice omnium episcopum eligant. Futuro episcopo deferenda necessaria. Paulo secedenti dandos pro labore solidos centum cum mancipio uno. *Ibid.*

Epist XXXVI (ad Sabinum defensorem). — Ut Januarium episcopum et Epiphanium presbyterum criminibus accusatos Romam perducat. Pompeianam vero, Theodosiam et Isidorum adjuvet Romam venire cupientes. 632

Epist. XXXVII (ad Bonam abbatissam). — Monasterium construi præcipit, et omnia a Joanne presbytero ipsi legata confirmat. 633

Epist. XXXVIII (ad Libertinum præfectum).—Ut Nasam Judæum seductorem puniat, nec non Christiana mancipia ab illo comparata liberet. 635

Epist. XXXIX (ad episcopos Corinthios). — Diaconum mittit, qui de audita Adrianum inter et episcopos ejus accusatores reconciliatione inquirat. 636

Epist. XL (ad Petrum subdiaconum). — Numerium diaconum, si episcopatu dignum judicet, Romam mittat consecrandum. Catellam servam, si animo sincero monasticum habitum petit, a Felice redimat. *Ibid.*

Epist. XLI (ad Pantaleonem notarium). — Stuprator virginis aut eam ducat, aut corporaliter castigatus in monasterium detrudatur. Diaconus captivus Ecclesiæ sumptibus redimatur. 637

Epist. XLII (ad Felicem episcopum). — Ecclesiarum ministeria, pecuniæ, etc., Ecclesiæ Sipontinæ describantur, quorum index Romam mittatur. 638

Epist. XLIII (ad Felicem episcopum). — Episcopum de illato a nepote stupro arguit, ipsique imponit latæ in reum sententiæ exsecutionem. 639

Epist. XLIV (ad Bonifacium episcopum). — Stephaniæ res a decessoris sui actoribus occupatas restituat. *Ibid.*

Epist. XLV (ad Andream episcopum). — Ut sacerdotium ipse deponat, si peccati cum concubina sit conscius, hortatur. Quod mulierem fustibus cædi jusserit, a missarum celebratione per duos menses abstinere jubet. 640

Epist. XLVI (ad Joannem episcopum). — Andream episcopum, si concubinam in sacro ordine constitutus contigerit, a ministerio prohibendum. Suspendendum eumdem a missarum celebratione ob cæsam fustibus mulierem. Expendendas quoque clericorum de illo querelas. 641

Epist. XLVII (ad Clerum Ecclesiæ Salonitanæ). — Honorati electionem in episcopum approbat. 642

Epist. XLVIII (ad Columbum episcopum). — Præmisso singularis benevolentiæ testimonio, illum ne pueros ordinari, neve ordines ex favore aut ex venalitate conferri sinat, atque ut sibi concilii statum indicet, hortatur. De catenis beati Petri aliquid clavibus inclusum mittit. *Ibid.*

Epist. XLIX (ad Adeodatum episcopum).—Post amicam salutationem, eum hortatur ad explendum officium; imprimis ne ullos nisi provectiores ætate, et mundos opere ordinet; ne sit in ordinatione venalitas. Maximiani episcopi utatur consilio. Tandem peracta synodo, se de ejus concordia certiorem faciat. 644

Epist. L (ad Theodorum episcopum). — Ipsum laudat quod sacerdotum vitam sollicite perscrutetur ac renuntiet. Paulum episcopum in monasterio ad pœnitentiam permanere præcipit. Hujus describendas res ac servandas. De Bonifacio graviter accusato inquirendum. 645

Epist. LI (ad Maximianum episcopum). — De miraculis Patrum in Italia factis scribere cogitans, Maximianum rogat ut ea quorum meminit indicet 646

Epist. LII (ad Priscum patricium).— Ex prosperitatis et adversitatis vicissitudine humilitatem suadet. Gratulatur de recuperata impp. gratia. Sabinianum et Castum commendat. *Ibid.*

Epist. LIII (ad Joannem episcopum). — Responsionem de causa Joannis et Athanasii presbyterorum simulatam, ineptam, ac Joannis episcopi sanctitati nullatenus congruentem, scelesto juveni tribuit, ad cujus consilia nimium ille inflectebatur. Ut dicta causa juxta canones finiatur, instat acerrime. Sabinianum apocrisiarium suum commendat. 647

Epist. LIV (ad Theotimum medicum). — Post amicissimam salutationem commendat Sabinianum. 649

Epist. LV (ad Maximianum episcopum). — Agathonis episcopi in quem districte fuit vindicatum sustentationi providet. 650

Epist. LVI (ad Joannem episcopum). — Ne in plateis pallium ulterius ferat, nisi a Romanis pontificibus id sibi concessum ostenderit. Ne in secretario ipso cum pallio deinceps sedeat. In quosdam e clericis suis inquirat; contumacibus interdicat sacro ministerio. Primis duntaxat Ravennatis Ecclesiæ diaconibus mappularum usum concedit. *Ibid.*

Epist. LVII (Joannis Ravennatis episcopi ad Gregorium papam). — Singulis sibi objectis submisse respondet, et Ecclesiæ suæ privilegia ex consuetudine tuetur; quæ ne minuantur postulat. 654

Epist. LVIII (ad Cyprianum diaconum). — Si non habet Cosmas unde solvat, cum illius creditoribus pasciscatur; atque ejusdem filios, pactam summam persolvens, liberet. 656

Epist. LIX (ad Secundinum episcopum).—Baptisterium

de monasterio auferatur, ut monachis liceat opus Dei securius celebrare. 657
Epist. LX (ad Italicam patriciam). — In ipsis pauperum causis, ne litigiis immisceatur, silentium eligit. Cypriano potestatem facit ut cum Italica, si id ipsa velit, salvo pauperum jure, causam absque lite finiat. *Ibid.*
Epist. LXI (ad Fortunatum episcopum). — Quomodo in Ecclesia sua conversari debeat. 658
Epist. LXII (ad Eutychium episcopum). — Ut in convertendis idolorum cultoribus perseveret hortatur. Ipsi prætoris postulat patrocinium. 659
Epist. LXIII (ad Fortunatum episcopum). — De monasterio Gratiosæ abbatissæ consecrando. 660
Epist. LXIV (ad Chrysanthum episcopum).—Mevaniensi Ecclesiæ quærat episcopum, presbyteros ordinet, ibique consignet infantes. 661
Epist. LXV (ad Mauricium Augustum). — Precatur ut legem temperet vel immutet, qua tum publicis rationibus implicatos, tum milites, in monasteriis suscipi prohibuerat. 662
Epist. LXVI (ad Theodorum medicum). — Ostensa latæ legis iniquitate, Theodorum hortatur ut epistolam suam imperatori offerens, ipsi de revocanda lege suadeat. 665
Epist. LXVII (ad Domitianum metropolitanum). — Allatam dudum a se raptus Dinæ, Genes. xxxiv, juxta spiritalem sensum expositionem propugnat. Domitiano gratulatur, tum quod sæcularibus causis occupatus Scripturas meditetur, tum quod Persarum imperatori fidem prædicaverit. 666
EPISTOLARUM LIBER IV. 667
Epistola prima (ad Constantium episcopum). — Quod concordi omnium assensu fuerit electus, gratulatur. Monet respondendum suorum affectibus, necessitatibus succurrendum, corrigenda mature vitia. In bonis profectum precatur. Pallium mittit. *Ibid.*
Epist. II (ad Constantium episcopum). — Theodelindam reginam et tres episcopos, ob tria capitula a Constantio divisos, susceptis epistolis suis, ad illius communionem reversuros sperat. Pacem cum Langobardis exoptans, petit ut se de Francorum cum Langobardorum rege gestis faciat certiorem. 669
Epist. III (ad Constantium episcopum). — Nullam a Constantio datam de tribus capitulis cautionem. Chalcedonensis synodi fidem in Romana Ecclesia integram servari. Divisis proinde episcopis ad unitatem redeundum. 670
Epist. IV (ad Theodelindam reginam). — Quod sese a Constantii communione suspenderit, dolet. Nihil contra Chalcedonensis synodi fidem Justiniani temporibus actum asserit. Hortatur ut Constantii ordinationem suscipiat, eique communione jungatur. 671
Epist. V (ad Bonifacium episcopum). — Cleri sui moribus et famæ consulat. Id de subdiaconis ejus decernit, quod supra de Siculis, lib. 1, epist. 44. 672
Epist. VI (ad Cyprianum diaconum). — Petronillæ conversæ et Agnelli ejus corruptoris facinus discutiat, et puniat, atque ablata monasterio curet restitui. *Ibid.*
Epist. VII (ad Gennadium patricium). — Columbo episcopo in Numidiæ concilium inquirenti, et pravos correpturo faveat. Compescat intestina Ecclesiarum bella. 673
Epist. VIII (ad Januarium episcopum). — Stephani defuncti voluntatem de monasterio construendo curet adimpleri. 674
Epist. IX (ad Januarium episcopum). — Singulis ancillarum Dei monasteriis probatus vir deputandus, a quo sic procurentur negotia, ut monialibus exinde vagari non liceat. Illarum lapsibus decernuntur pœnæ. Concilia bis in anno celebrentur. Judæorum servi ad Ecclesiam fidei causa fugientes in libertatem vindicentur. Ne in baptizatorum frontibus iteretur chrismatio, solum pectus ungant presbyteri, deinde episcopi frontem. Monasterium juxta Petri defuncti voluntatem construatur, si congrua adsit redituum quantitas. 675
Epist. X (ad universos episcopos Dalmatiæ.) — Ne absque consensu et permissu suo ullum Salonæ episcopum ordinent. Si tamen in aliquem alium a Maximo consentiant omnes, consecretur. 677
Epist. XI (ad Maximianum episcopum). — Etiam novorum redituum quartæ partes juxta canonicam distributionem dispensandæ. Presbyter aliusve clericus abbas non fiat, nisi relicta Ecclesiæ cui ministrabat cura. Defuncto episcopo, Ecclesiæ res diligenter, at gratis, describendæ. Visitatoribus et eorum clericis tribuendum stipendium. Virgo nondum sexagenaria non fiat abbatissa. 679
Epist. XII (ad Maximianum episcopum). — Puniendum facinus quo ablata est cujusdam uxor, et alteri venundata. 681
Epist. XIII (ad Clementium episcopum). — Adeodatus presbyter, si sola ægritudinis causa Ecclesiæ suæ defuerit, in locum suum restituendus. 682
Epist. XIV (ad Maximianum episcopum). — Ut Felicem diaconum in sua Ecclesia suscipiat. 683
Epist. XV (ad Januarium episcopum). —Theodosiæ, monasterium in domo sua construere cogitanti, concurrat. 684
Epist. XVI (ad Cyprianum diaconum). — Dispersa, quæ in Siciliam detulerant Itali sacerdotes, Ecclesiarum vasa colligantur, ac summa cautione serventur. 685
Epist. XVII (ad Felicem episcopum.) — Solidos duodecim quibus Tribunus clericus redemptus fuit, redemptori restituat ex Ecclesiæ pecuniis. 686
Epist. XVIII (ad Maurum abbatem). — Dat monachis in perpetuum ecclesiam sancti Pancratii, tum ne missarum celebratio deinceps negligatur, tum ut ad martyris corpus opus Dei peragatur quotidie. 687
Epist. XIX (ad Leonem acolythum). — Ecclesiam sanctæ Agathæ in Subura commendat. 688
Epist. XX (ad Maximum præsumptorem). — Maximum violenter intrusum, ejusque ordinatores episcopos, ab omni sacerdotali officio submovet, donec de imperatoriæ jussionis veritate constiterit. 689
Epist. XXI (ad Venantium episcopum). — Christianum mancipium retinere Judæis non liceat; qui vero Judæorum terras dudum coluut Christiani, peragant colere jure colonario. 690
Epist. XXII (ad Constantium episcopum). — Hortatur ut Venantium Lunensem episcopum in cleri sui ac cæterorum religiosorum emendatione adjuvet. 691
Epist. XXIII (ad Hospitonem ducem Barbaricinorum). — Felici et Cyriaco in convertendis ab idololatria Barbaricinis laborantibus faveat. 692
Epist. XXIV (ad Zabardam ducem Sardiniæ). — Gratias agit quod eo pacto cum Barbaricinis facere pacem disponat, ut Christo serviant. 693
Epist. XXV (ad nobiles ac possessores in Sardinia). — Quod rusticos suos ab idolorum cultu non avertant arguit; id præstare si nequeunt, saltem Felici et Cyriaco ad hoc opus missis opem ferant. *Ibid.*
Epist. XXVI (ad Januarium episcopum). — Clericos, a quibus despiciebatur, ad disciplinam cogendos. Rusticum in infidelitate pertinacem pensionis onere premendum. Clerici carne lapsi irrevocabiliter deponantur. Accurate, antequam ordinentur, examinandi. Sardiniæ presbyteris id concedit quod vetuerat, ut nempe, quos baptizabunt, si episcopi desint, chrismate in frontibus tangant. 694
Epist. XXVII (ad Januarium episcopum). — A xenodochis rationes exigat; ii sint notæ probitatis atque industriæ clerici. Qui Epiphanium presbyterum scriptis epistolis accusavit, si in probatione deficiat, communione privetur. Paulus clericus in maleficiis deprehensus detur in pœnitentiam. Gratis ordinentur, vel connubio jungantur clerici; gratis velentur virgines. Ad laicorum patrocinia clerici non confugiant. 697
Epist. XXVIII (ad Candidum defensorem). — Ut Albino luminibus privato singulis annis duos tremisses præbeat. 700
Epist. XXIX (ad Januarium episcopum).—Phausiana quæ pridem habuerat episcopum, nunc quoque habeat. *Ibid.*
Epist. XXX (ad Constantinam Augustam).— Ut Constantinam caput sancti Pauli postulantem deterreat, varia recenset prodigia. Addit hanc esse Romanis consuetudinem, ut reliquias petentibus brandea solum concedant. Ad objectam Græcorum consuetudinem respondet. Tandem e catenis sancti Pauli particulas lima excutiendas promittit. *Ibid.*
Epist. XXXI (ad Theodorum medicum).—Gratias refert de transmissa in pauperes pecunia. Ad sacræ Scripturæ lectionem hortatur. Commendat Narsetem. Mittit munera tabulas. 705
Epist. XXXII (ad Narsem patricium). — Causam presbyterorum cum Joanne patriarcha se ad canonum normam omnino exacturum declarat. Commendatum a se Theodoro Narsetem. Epistolæ brevitatem excusat, quod tribulationibus prematur. 707
Epist. XXXIII (ad Anthemium subdiaconum). — Judæis conversis tribus det solidos singulis annis. 708
Epist. XXXIV (ad Pantaleonem præfectum). — Ut Donatistarum audaciam comprimat, et Paulum episcopum Romam quantocius mittat, hortatur. *Ibid.*
Epist. XXXV (ad Victorem et Columbum episcopos). — Coacto concilio, Donatistis prompte ac fortiter obsistant. Mittant ad se Paulum episcopum, quo edocente, Donatistarum facinoribus planius cognitis, de illis puniendis ac comprimendis tutius decernat. 709
Epist. XXXVI (ad Leonem episcopum). — Ne subdiaconi cum suis uxoribus misceantur. Speciosi subdiaconi uxor, in monasterium ob secundas nuptias detrusa, di-

mittatur. 710
Epist. XXXVII (ad Maximianum episcopum). — Euplo patris et matris bona reddi jubet. 711
Epist. XXXVIII (ad Theodelindam reginam). — Ab imperitis seductam dolet. Sanctarum quatuor synodorum, maxime Chalcedonensis, fidem in Romana Ecclesia integram servari profitetur. Hortatur ne extra Constantii episcopi communionem maneat. 712
Epist. XXXIX (ad Constantium episcopum). — Brixianis civibus non juret se tria capitula minime damnasse, sed in epistola integram Chalcedonensis synodi fidem profiteatur. Joannem Ravennatem intra Missarum solemnia non nominet, nisi id postulet antiqua consuetudo, aut ab illo soleat ipse nominari. Theodelindæ iterum scribens, jam quintæ synodi non meminit, quæ tamen contra priores quatuor statuit nihil. Compescat Fortunatum. Ursicinum e status sui conditione non pulset. 713
Epist. XL (ad Marcellum scholasticum).—Pro Maximo indulgentiam postulanti amice indicat id rectitudinem disciplinæ non pati. 715
Epist. XLI (ad clerum, ordinem et plebem Hortonæ).—Barbarum visitatorem delegat. Ante omnia monet ne laicam personam in episcopum eligant. 716
Epist. XLII (ad Valentinum abbatem). — Ne monachi feminas in monasterium inducant, aut eas sibi commatres faciant. 717
Epist. XLIII (ad Bonifacium virum magnificum). — Veniat Romam, de fide sua, jam non per epistolas, sed per semetipsum responsurus. Qui cum eo dubia patiuntur, secure venire posse, cum non potestate, sed ratione erga ipsos usurus sit. *Ibid.*
Epist. XLIV (ad Maximianum episcopum). — Quosdam e Bacaudæ episcopi clero, ad sacros ordines in Sicilia promotos, ad ipsum illos repetentem transmittat. 718
Epist. XLV (ad Fantinum defensorem).—Solidos sexaginta mittit pro Cosma persolvendos. *Ibid.*
Epist. XLVI (ad Rusticianam patriciam). — Festinum nimis illius e monte Sina reditum reprehendit. 719
Epist. XLVII (ad Sabinianum diaconum). — Maximi, qui Gregorii scripta publice scindi fecerat, superbiam comprimendam. Ejus calumniæ de Malcho episcopo occiso quid respondendum. Monendum de duobus Romanum. 720
EPISTOLARUM LIBER V. 721
Epistola prima (ad Joannem Ravennatem episcopum). — Non præponendos monasteriis clericos Ecclesiis deservientes. *Ibid.*
Epist. II (ad Felicem episcop. et Cyriacum abbatem).—Introducendos in monasterium a Theodosia fundatum servos Dei. 723
Epist. III (ad Venantium episcopum).—Presbyteri, diaconi et subdiaconi qui se luxuriæ crimine maculaverint suo gradu in perpetuum dejecti maneant. Peracta pœnitentia communionem accipiant inter laicos. Saturnino expresbytero monasteriorum quorumdam curam suscipere concedit. Mittit baptizandæ mulieri vestem, et Columbo presbytero Codicem regulæ pastoralis. *Ibid.*
Epist. IV (ad Constantium episcopum). — Id de lapsis decernit quod antecedenti epistola. Constantio scribit ut Joannem puniens iram caveat. Ut ejusdem Constantii famæ consulatur. Finiendam Romæ causam Fortunati. 725
Epist. V (ad Dominicum episcopum). — Gratulatur quod pastorali zelo Donatistas coercere studuerit; severiorem tamen in episcopos id negligentes Africani concilii sententiam non probat. 726
Epist. VI (ad Victorem episcopum). — Gregorium abbatem longa, ob negligentiam, pœnitentia afflictum restituat. Martiam sanctimonialem revocet. Tradatur Victoria Fantino diligenter examinanda. Anastasius medicus ne in monasterium virginum deinceps ingrediatur. 727
Epist. VII (ad Venantium episcopum). — Saturninum expresbyterum, si post lapsum ministraverit, communione privet usque ad diem obitus. 728
Epist. VIII (ad Cyprianum diaconum).—Persequatur Manichæos. Judæis vero qui ad Christum fuerint conversi minuenda pensionum onera. Mutuos det rusticis solidos. 729
Epist. IX (ad Petrum notarium).—Miriensis Ecclesiæ tunc reddenda ministeria, cum ibi ordinatus fuerit episcopus. 731
Epist. X (ad Felicem episcopum). — Districtam, nisi primæ Justinianæ episcopo primati suo pareat, minatur correptionem. *Ibid.*
Epist. XI (ad Joannem episcopum). — Pallio in litaniis solemnibus uti, quatuor duntaxat per annum diebus, concedit. 732
Epist. XII (ad Petrum episcopum). — Agrigentinæ Ecclesiæ redituum quartam partem in visitationis stipendium assignat. 733
Epist. XIII (ad Gaudentium episcopum).—Capuanæ Ecclesiæ visitationem injungit. 734
Epist. XIV (ad clerum Ecclesiæ Capuanæ).—De visitatione Ecclesiæ Capuanæ Gaudentio commissa. *Ibid.*
Epist. XV (ad Joannem episcopum). — Quinque in illo carpit. Ravennatem Ecclesiam honorare desiderat, sed honorem ex superbia abripi non patitur. 735
Epist. XVI (ad Datianum episcopum). — Amice rogat ut sibi afflicto compatiatur. 736
Epist. XVII (ad Cyprianum diaconum).—Dolet de Maximiani episcopi obitu. Joannem Catanensem archidiaconum in successorem indicat. 737
Epist. XVIII (ad Joannem episcopum). — Quid cum Joanne tum ipse, tum decessor Pelagius, egerint, ob usurpatum episcopi universalis titulum. Ab hoc ut abstineat rogat, multisque urget momentis. Cavendum ipsi ab adulatoribus. 738
Epist. XIX (ad Sabinianum diaconum). — Epistolam superiorem, ob reverentiam imperatoris, suavitate respersam, det Joanni episcopo. Principi is callide persuaserat ut Gregorium ad pacem secum servandum hortaretur. Sabiniani adversus ejus superbiam animum excitat Gregorius. 743
Epist. XX (ad Mauricium Augustum). — Laudat imperatoris zelum pro Ecclesiæ pace. Joannis episcopi hypocrisim depingit. Ambitioso quem usurpabat titulo Ecclesiam totam, venerandas synodos, pias leges, ipsius Christi mandata turbari; illius proinde superbiam imperiali auctoritate constringendam. Se vero, nisi humiliter ac suaviter admonentem audiat Joannes, illi cum Deo invicte restiturum. 744
Epist. XXI (ad Constantinam Augustam).—Ut Joannis ambitioni se opponere pergat hortatur. Perstringit illius hypocrisim, perversitatem ac superbiam. Conqueritur imperatorem illi et Maximo patrocinari. Huic, ob principis reverentiam, quod nesciente se ordinatus sit indulget, alia ejus facinora discutienda et judicanda reservat. 748
Epist. XXII (ad nobiles Syracusanos). — Cum episcopi electionem Gregorii arbitrio commisissent, talem eis ordinare studet, qui Maximianum decessorem imitetur. 751
Epist. XXIII (ad Castorium notarium). — Ad eligendum quantocius episcopum Ravennates hortetur. Non largum præmiis, sed dignum meritis eligant. *Ibid.*
Epist. XXIV (ad Romanum exarchum). — Ne Speciosum presbyterum episcopo suo resistentem tueatur, neque patrocinetur sanctimonialibus ad sæculum reversis. 752
Epist. XXV (ad Severum episcopum). — Visitationem Ecclesiæ Ravennatis commendat. 753
Epist. XXVI (ad Ravennates). — Commissam Severo Ravennatis Ecclesiæ visitationem. *Ibid.*
Epist. XXVII (ad Cyprianum diaconum). — Attendat num res Ecclesiæ minuerit defunctus episcopus. Ad successoris electionem clerum et populum hortetur. *Ibid.*
Epist. XXVIII (ad Castorium diaconum). — Pisaurensis episcopi aliorumve sacerdotum vitam perscrutetur; si quid sinistrum invenerit, renuntiet. Tutorem tueatur, ut quæ sibi pro pauperibus injuncta sunt valeat exsequi. 754
Epist. XXIX (ad Vincomalum defensorem). — Illum instituit Ecclesiæ defensorem. 755
Epist. XXX (ad Mauricium Augustum). — Imperatoribus pro triginta libris auri in eleemosynam missis gratias agit. Scribonem laudat, tum de fideli summæ illius distributione, tum de rogis militum liberali manu factis. *Ibid.*
Epist. XXXI (ad conductores massarum). — Donec adveniat Gallicani patrimonii rector, Arigio patricio obediant. 756
Epist. XXXII (ad Cyprianum diaconum). — Defuncto Maximiano episcopo, nonnullos e clericis ab eo propter maleficium in carcerem conjectos, gravibus afficiat pœnis. 757
Epist. XXXIII (ad Gaudentium episcopum).— Capuanis clericis Neapoli ministrantibus quartam distribuat. Archidiacono inopi restituat solidos decem. 759
Epist. XXXIV (ad Cyprianum diaconum). — Ciceronem monachum lapsum Misenati Ecclesiæ, cujus fuerat famulus, restituat. *Ibid.*
Epist. XXXV (ad Cyprianum diaconum). — Monachos tres ad monasterium sancti Martini cogat redire; faveat ejusdem monasterii procuratoribus; eidem reddat mancipia. 760
Epist. XXXVI (ad Severum scholasticum).—Componendam cum Agilulpho Langobardorum rege pacem exarcho persuadeat. *Ibid.*
Epist. XXXVII (ad Fortunatum episcopum).—Monasterium in honorem sancti Petri et sancti Michaelis dedicet, in quo missas celebrent presbyteri ibi deservientes; mo-

nachis tamen proficiat quidquid a fidelibus offerri contigerit. 761
Epist. XXXVIII (ad Eliam presbyterum et abbatem).—Excusationem ejus accipit; mittit Evangelia; Epiphanium diaconatu Romanæ Ecclesiæ alligat; modestam subsidii petitionem liberalitate vincit. 762
Epist. XXXIX (ad Anastasium episcopum). —De ejus in Antiochenam sedem restitutione gratulatur, et suas Italiæque calamitates strictius narrat. 763
Epist. XL (ad Mauricium Augustum). — Conqueritur quod fatuus appellatus sit, quod de Ariulphi ad pacem animo plus aliis credatur quam sibi; quod interim captiva ducatur Italia. Imperatorem, ut debitam sacerdotibus reverentiam impendat, multis hortatur. Quas accepit ipse enumerat plagas. Gregorium præfectum et Castorium magistrum militum excusat. Diversum fore ab imperatorio divinum judicium. 765
Epist. XLI (ad Constantinam Augustam). — Imperatori suggerat Corsos ac Siculos inique ac nimium gravari. Etsi minus in Italiæ expensas haberetur pecuniæ, compescendos tamen oppressorum gemitus. 768
Epist. XLII (ad Sebastianum episcopum). — Ad amorem cœlestium se hujus vitæ doloribus impelli. Quos patitur recenset. Sebastianum, quod oblatæ ab Anastasio Ecclesiæ regimen suscipere noluerit, laudat. Si ad hoc unquam consentire decreverit, petit ut in amore sibi alium non præponat. 769
Epist. XLIII (ad Eulogium et Anastasium episcopos).—Tum Pelagii decessoris sui, tum suas ad Joannem, titulum universalis episcopi sibi arrogantem, epistolas mittit. Hortatur enixe ut communi consilio atque uno spiritu illius superbiam insequantur. 770
Epist. XLIV (ad Leontium episcopum).—De visitatione Ariminensi melius procuranda. 774
Epist. XLV (ad Andream scholasticum). — Castorium chartularium commendat. 775
Epist. XLVI (ad Basilium). — Laudat ejus zelum pro Ecclesiæ unitate. Ipsum excitat ne a procuranda schismaticorum reversione deterreatur. 776
Epist. XLVII (ad Mastalonem). — Ipsius pro Ecclesiæ unitate zelum laudat. A procuranda schismaticorum reversione non deterreatur. *Ibid.*
Epist. XLVIII (ad Andream scholasticum). — Exclusis ob culpas Donato, ob ignorantiam Joanne, Marinianum sibi probe notum invitum ordinatum esse, quem Andreæ commendat. 777
Epist. XLIX (ad Leandrum episcopum). — Libros in expositionem beati Job, et librum Regulæ Pastoralis transmittit. 778
Epist. L (ad Joannem abbatem). — Ad monasterium sancti Andreæ proficiscatur, vitiosos coerciturus ac puniturus. 779
Epist. LI (ad Petrum et Providentium episcopos).—Scribit de fide eis satisfacturum se, promittitque Romam venientibus nullam molestiam illaturum. *Ibid.*
Epist. LII (ad Joannem archiepiscopum). — Laudat Secundinum episcopum quod Anastasii causam recte discusserit ac finierit. Clericis qui ab Anastasii accusatione desiterant, Paulo quidem et Clematio, ignoscit, Euphemio vero atque Thomæ sacris ordinibus quos pro sceleris præmio perceperant in perpetuum interdicit. Singulis consueta stipendia vult erogari, et Paulo restitui quidquid in Ecclesiæ utilitatem expenderat. 780
Epist. LIII (ad Virgilium episcopum). — Vices illi suas in regno Childeberti concedit. Monet ut simoniacam labem prohibeat, et ne ex laicis repente fiant episcopi. De pallii usu, et quatenus vices apostolicas obire debeat. 782
Epist. LIV (ad universos regni Childeberti episcopos). —Virgilio Arelatensi, cui vices suas commisit, obediant; ab eo vocati veniant ad synodum; nec ad longiuqua loca sine illius auctoritate pergant. 785
Epist. LV (ad Childebertum regem). —Virgilio se vices suas et pallium regis petitu concessisse; hortatur vicissim ut illi faveat in prohibenda simonia, et ne ex laicis repente fiant episcopi. 787
Epist. LVI (ad Marinianum episcopum). — Pallii usum concedit, firmat privilegia Ravennatis Ecclesiæ. 789
Epist. LVII (ad Joannem episcopum). — Post nequissimum decessorem Anastasium, Corinthios sic regat, ut præcedentis contagii omnes abstergat maculas. Concedit pallii usum. Hortatur ut in subjectis sibi locis simoniam compescat. 790
Epist. LVIII (ad universos episcopos per Helladiam). — Gratulatur de Anastasii correctione, cujus casus sit illis cautela. Joanni illius successori obediant. Non patiantur, aut dato præmio, aut alicujus gratia vel supplicatione clericos ordinari vel promoveri. 792

EPISTOLARUM LIBER VI. 793
Epistola prima (ad Marinianum episcopum). —In Joannis decessoris ejus testamento quid ratum esse debeat. *Ibid.*
Epist. II (ad clerum et plebem Ravennæ). — Rectam omnino esse Mariniani episcopi fidem testatur. 795
Epist. III (ad Maximum Salonitanum). — Maximus de simonia et de aliis multis accusatus Romam citatur. *Ibid.*
Epist. IV (ad Cyprianum diaconum). — Modiorum tritici duo millia det Zenoni episcopo egenis distribuenda. 796
Epist. V (ad Brunichildem reginam). — Laudat illam a recta filii educatione. Candidum presbyterum patrimonii quod erat in Gallia rectorem designatum commendat. *Ibid.*
Epist. VI (ad Childebertum regem). — Laudat in illo studium fidei catholicæ, Candidumque commendat patrimonii rectorem, Dynamii patricii loco, designatum. 797
Epist. VII (ad Candidum presbyterum). — Jubet ex reditibus patrimonii pueros Anglos, et in usum pauperum vestimenta emere. 799
Epist. VIII (ad episcopos Epiri). — Andreæ in metropolitanum electionem probat. Hortatur ut illum imitentur, illi obediant, illi sint concordes, atque ut gregi suo invigilent singuli. Promovendi apud illos clerici non pecunia, non personæ ullius gratia, sed moribus suis commendentur. *Ibid.*
Epist. IX (ad Donum episcopum). — Pallio, quo ipsum decorat, morum ornatum adjungendum monet. Antiqua Messanensis Ecclesiæ privilegia firmat. 801
Epist. X (ad Bonifacium episcopum). —Regiensi Ecclesiæ unit Carinensem. 802
Epist. XI (ad Fortunatum episcopum). — Gratianum Venefranæ Ecclesiæ diaconum Neapolitanæ incardinari permittit. Vetat ne coram laicis in jus vocentur clerici, ac ne causarum judicium ipse differat. Hortatur ad pastoralem vigilantiam. *Ibid.*
Epist. XII (ad Montanam et Thomam). — Montanam et Thomam Romanæ Ecclesiæ famulos manumittit. Eosdem a Gaudioso presbytero hæredes institutos, legatis frui concedit. 803
Epist. XIII (ad Cyprianum diaconum). — Decio Lilybetano episcopo in reformando Ecclesiæ suæ statu opem ferat. 805
Epist. XIV (ad Narsem comitem).—Athanasium presbyterum in Manichæi dogma cecidisse, Joannem vero ab hæresi immunem declarat; Pelagianum esse qui negat mortuam, cum peccavit, Adami animam. Ephesinæ synodi recentiores Codices falsatos suspicatur, requirendos monet vetustos. *Ibid.*
Epist. XV (ad Joannem episcopum). — Joannem presbyterum inique damnatum absolvit, atque ab omni hæreseos labe purum denuntiat. Eumdem commendat Joanni episcopo Constantinopolitano. 807
Epist. XVI (ad Mauricium Augustum). — Joannem presbyterum prorsus innocentem alligi denuo velut hæresi obnoxium non permittat. 808
Epist. XVII (ad Theotistum). — Joannem presbyterum, ab impositosibi hæreseos crimine facto concilio absolutum, tueatur ab omni molestia. 809
Epist. XVIII (ad Joannem episcopum). — Pallii usum concedit et antiqua firmat privilegia. 810
Epist. XIX (ad Dominicum episcopum).— Ut mutua ipsorum dilectio cœleste gaudium acquirat, mutuis sese orationibus adjuvent. *ibid.*
Epist. XX (ad Cyprianum diaconum).— Persuadeat Leoni Catanensi episcopo ut Joanni episcopo Syracusano quemdam presbyterum cedat. 811
Epist. XXI (ad Petrum episcopum). — Commendat Ecclesias tres propriis episcopis destitutas. 812
Epist. XXII (ad Petrum episcopum). — Ut Ecclesiam et baptisterium consecret. 813
Epist. XXIII (ad Anthemium subdiaconum).— Amalphitanum episcopum in Ecclesia sua residere cogat. *ibid.*
Epist. XXIV (ad Marinianum episcopum).— Probat non nullos immerito conqueri quod causa inter Ravennatem Ecclesiam et Claudium abbatem Romæ discutiatur; æquam spondet sententiam. 814
Epist. XXV (ad Maximum Salonitanum).— Obediat tandem, ac post triginta dies, omni excusatione omissa, Romam veniat, ubi illius causæ juxta canones finis imponatur. Interim sacra communione ob superbiam privatus maneat, nec Paulino episcopo, nec Honorato archidiacono sit molestus. 815
Epist. XXVI (ad Salonitanos).— Se non privato odio contra Maximum moveri; mirari autem se quod ex illis vix pauci a Maximi communione abstinuerint. 817
Epist. XXVII (ad clerum et populum Jaderæ).—Se contra

Maximum solo justitiæ zelo moveri asserit. Hortatur ut a Maximi communione se suspendant, atque ab illis sacram communionem percipiant quos Maximo non communicare noverint. 818

Epist. XXVIII (Ad Candidum episcopum).—Aptos ad presbyterale officium monachos cum consensu abbatis assumat, et presbyteros ordinet. 820

Epist. XXIX (Ad Marinianum episcopum).— Ne contra decessoris sui dispositionem, supra, epist. 1, firmatam, monasterium gravet. Ne male suadentes audiat. Ne plus pecuniæ studeat quam lucrandis animabus. A clericis monasteria molestiam pati non sinat. *Ibid.*

Epist. XXX (Ad Secundum). — Pacem cum Agilulpho rege procurare festinet. Marinianum episcopum ad misericordiam in pauperes excitet. 821

Epist. XXXI (Ad Ravennates).— Qui adversus Castorium contestatorios libellos de nocte posuit sacra communione sit privatus, nisi publice aut contestationis veritatem ostendat, aut errorem suum confiteatur. 822

Epist. XXXII (Ad Fortunatum episcopum).— Si Judaicum aut paganum mancipium ad Christianam fidem converti desiderat, in libertatem vindicetur. 823

Epist. XXXIII (Ad Leonem episcopum).—Si pagana mancipia circumciderint Samaræi, in libertatem illa vindicet, non reddito Samaræis pretio. 824

Epist. XXXIV (Ad Castorium notarium). —Inquirat quot ab ultima antiquitate litaniæ solemnes fuerint in quibus Ravennas episcopus pallio uteretur. 825

Epist. XXXV (Ad Anthemium subdiaconum).— Pecuniam mitt t in captivorum redemptionem, cui studiose jubet incumbere. *Ibid.*

Epist. XXXVI (Ad Secundinum episcopum).— Sincerum, si a soceri sui successione abstinuerit, ab hujus creditoribus vexari non sinat. Illi vero, ut vitæ subsidium reperiat, liberam procuret quo voluerit eundi licentiam. 826

Epist. XXXVII (Ad Columbum episcopum).— Rogatiano ejus diacono scripta ad rectorem patrimonii Siciliæ dedisse, ut causa quædam citius finiatur. Petrum quondam Numidiæ episcopum ad Columbum a se mitti, quem, cognita ibi melius causa, canonice cum consciis judicet. Catholicorum filios aut mancipia baptismo Donatistarum infici non ferat. 827

Epist. XXXVIII (Ad Anthemium subdiaconum).— Alexandriam relictam Vincomali commendat. 828

Epist. XXXIX (Ad Cyprianum diaconum). —Reversum a schismate Joannem commendat, cui det annuos octo solidos. 829

Epist. XL (Ad Donum episcopum).—Georgii, si rectius ille vixerit, sustentationi subveniat. *Ibid.*

Epist. XLI (Ad Rufinum episcopum).—In Ecclesia Massæ Nicoteranæ presbyterum ordinandum, qui episcopi in pœnitentiam deputati vice', baptizet ac celebret Missas. 830

Epist. XLII (Ad Victorem episcopum).—Ut in monasterio presbyterum ordinet. *Ibid.*

Epist. XLIII (Ad Venantium Patricium). — Contristatum se de illius et Joannis episcopi discordia; huic reverentiam exhibeat, causasque suas agant, illæsa charitate. *ibid*

Epist. XLIV (Ad Joannem episcopum).—Hortatur ut Venantio pristinam ostendat benevolentiam. 831

Epist. XLV (Ad Leontium episcopum). — Facultatem tribuit Ecclesiam dedicandi. Fundatorum illius donationes confirmat. 832

Epist. XLVI (Ad Felicem episcopum). — Cathedram suam e monasterio faciat amoveri, nec illic missas publicas denuo peragat. *Ibid.*

Epist. XLVII (Ad Leonem episcopum). — Reversum ab Histricorum schismate Joannem tueatur, et annuo refoveat subsidio. 833

Epist. XLVIII (Ad Urbicum abbatem). —Agat honemin monasterio suscipiat, si illius uxor similiter converti voluerit *ibid.*

Epist. XLIX (Ad Palladium episcopum). — Mittit reliquias ad dedicationem quatuor altarium in basilica quam Palladius construxerat. 834

Epist. L (Ad Brunichildem reginam). — Reliquias mittit, quas postulabat. Hortatur ut eorum qui his deservient quieti prospiciat. 835

Epist. LI (Ad fratres in Angliam euntes). — Hortatur Augustini socios ut cœptum in Angliam peragant iter. Augustino quem illis abbatem constituit obediant. 836

Epist. LII (Ad Pelagium et Serenum episcopos). — Commendat Augustinum in Angliam euntem cum sociis, et Candidum rectorem patrimonii. *Ibid*

Epist. LIII (Ad Virgilium episcopum). — Commendat Augustinum ac simul Candidum presbyterum; monetque ut huic patrimonii pensiones restituat quas collegerat ipsius decessor. 837

Epist. LIV (Ad Desiderium et Syagrium episcopos). — Augustinum et Candidum commendat. 838

Epist. LV (Ad Protasium episcopum). — Ut Virgilium Arelatensem de pensionibus Romam mittendis urgeat, et Candidum habeat commendatum. 839

Epist. LVI (Ad Stephanum abbatem). — Laudat de ordine congregationis, quem ut servet sollicite, hortatur. Gratias agit de cochlearibus ac circulis. 840

Epist. LVII (Ad 'Arigium patricium). — Commendat Augustinum, ejusque socios, et Candidum. 841

Epist. LVIII (Ad Theodericum et Theodebertum). — Augustinum, cui injunxit ut aliquos secum e vicino presbyteros ducat in Angliam, commendat, et Candidum Ecclesiastici rectorem patrimonii. *Ibid.*

Epist. LIX (Ad Brunichildem Francorum reginam). — Ut Augustino in Angliam eunti et Candido rectori patrimonii tuitionem et auxilium impendat. 842

Epist. LX (Ad Eulogium episcopum). — Speciali charitatis vinculo ambos ipsos constringi observat: hinc dolenti congeniscit; ac ne illius dolorem augeat, reticet mala quæ a Langobardis patitur. Miratur quod epistolæ adversus Joannis Constantinopolitani superbiam non responderit. Mutua mittit munera. 843

Epist. LXI (Ad Castorium notarium). — Quod in pallii usu olim servatum juraverint Ravennates viri graves ac fideles, id Ravennæ servandum. 844

Epist. LXII (Ad Petrum episcopum).— Opportuno abbati sancti Leontii reliquias concedat. 846

Epist. LXIII (Ad Gennadium patricium).— Queritur impeditum Paulum episcopum ne Romam veniret. Se, ubi primum ex morbo convaluerit, in causæ illius cognitione versaturum. *Ibid.*

Epist. LXIV (Ad Dominicum episcopum). — Pastorale munus ex charitate exercendum. Quod illud ita exerceat Dominicus, ipsi gratulatur, ac de xeniis gratias agit. 847

Epist. LXV (Ad Mauricium imperatorem). — Africanos quosdam episcopos Roma Constantinopolim mittit, qui Mauricio ipsi testentur imperatori contra Donatistas leges negligi. Mauricii animum adversus legum suarum contemptores excitat. 848

Epist. LXVI (Ad Athanasium presbyterum).— Ipsum ab omni hæreseos labe purum pronuntiat, idque se Constantinopolitano episcopo scripturum spondet. 849

EPISTOLARUM LIBER VII. 851

Epistola prima (Ad Fortunatum episcopum). — Uxorem, quæ libera approbata est, viro suo restituat; neque hic de illa iterum abjicienda cogitet. *Ibid.*

Epist. II (Ad Columbum episcopum). — Dimissum jam in regiam urbem Paulum episcopum. Tardius ad se Columbum scripsisse. Ejus excusationem confutat. *Ibid.*

Epist. III (Ad Gennadium patricium). — Rogat ne occupato animo de Ruferio comite ac concivibus ad se vocatis ferat sententiam. Anastasium tribunum loco suo restitui petit. 853

Epist. IV (Ad Cyriacum episcopum). — Appetendam quietem; sed pro multorum lucro aliquando postponendam. Curandum episcopo ne cogitationum perturbatio, quæ funditus repelli non potest, animum obruat. Vicaria fidei confessione, ac mutua ipsorum charitate, Ecclesiæ unitatem firmari. Abstinendum ab universalis episcopi titulo. Hæreticis accensendum non fuisse Eudoxium. *Ibid.*

Epist. V (Ad Cyriacum episcopum).— Laudem tribuit, quod humiliter ac modeste de se sentiat; inde fortem illum esse conjicit. Amicissime hortatur, ut sublata occasione scandali, quæ pacis et dilectionis sunt custodiat. Commendat fidem Joannis et Athanasii. 858

Epist. VI (Ad Mauricium Augustum). — De Cyriaci electione gratulatur. 859

Epist. VII (Ad Petrum, Domitianum, et Elpidum). — Illos reprehendit quod in Cyriaci ordinatione clamassent: *Hæc dies, quam fecit Dominus*. Pastorum culpas subjectis, subjectorum pastoribus nocere. 860

Epist. VIII (Ad Stephanum episcopum). — Invitum laudanti laudes rependit pro assidua illius prædicatione, qua Maria patricia aliive multi ad Ecclesiam revocati. Hortandum Constantinum præfectum ut Dei judicium semper ante oculos habeat. 862

Epist. IX (Ad Joannem episcopum).— De missa Romam eleemosyna gratias agit. In causis judicandis solum Deum consideret. Ne ad mensam scripta sua deinceps faciat legi. 638

Epist. X (Ad Agnellum abbatem).—Præpositum ex vitæ merito eligat. Fratribus sollicite invigilet. 864

Epist. XI (Ad Rufinum Ephesinum episcopum). Commendat clericum quemdam litteras nescientem. 865

Epist. XII (Ad Respectam abbatissam). — Monasterium sancti Cassiani privilegiis donat. 866

Epist. XIII (Ad Fortunatum episcopum).—E sacris vasis tantum coram Joanne defensore vendat, quantum pro captivis redimendis erit opus. 867

Epist. XIV (Ad Constantium episcopum). — Obtrectationibus non moveatur. Depositi a se episcopi loco alium

intra tres menses ordinet. *Ibid.*
Epist. XV ( Ad Georgium presbyterum ).— Descendentem ad inferos Jesum Christum, solos illos liberasse, qui eum et venturum esse crediderunt, et præcepta ejus vivendo tenuerant. 869
Epist. XVI ( Ad Agnellum episcopum ). — Formiensis Ecclesiæ visitationem delegat. 870
Epist. XVII ( Ad Sabinianum episcopum ). — Exposita Maximi contumacia, Sabinianum ab illo jam dissentientem aliosve Maximo adhærentes Romam vocat ; quibus securitatem omnem, necnon, si id justitia patitur, absolutionem spondet. 871
Epist. XVIII (Ad Martinum diaconum).—Illum de objectis criminibus canonice purgatum loco suo et ordini restituit. 872
Epist. XIX (ad Marinianum archiepiscopum). — Deprecante onus episcopale ob infirmitatem Castorio, alium Ariminensibus ordinandum episcopum. Hunc a clero et plebe eligi, a Ravennate episcopo examinari, atque, ut consecretur, Romam mitti jubet. 873
Epist. XX (ad clerum et plebem Ariminensem).—Propter episcopi sui infirmitatem alium qui dignus sit, eligant. 874
Epist. XXI (ad Sebastianum episcopum). — Ut clerum et plebem Ariminensem ad idonei antistitis electionem urgeat. 875
Epist. XXII (ad Cyprianum diaconum). — Siciliæ episcopos olim tertio quoque anno, jam quinto Romam proficisci solitos, ad Natale sancti Petri convenire sic procuret, ut inde nulla prætori oriatur suspicio. Moneat quoque Liparitanum et Regitanum episcopos. Libertinum consoletur. *Ibid.*
Epist. XXIII (ad Fortunatum et Anthemium). — Stephanum, ut desponsatæ sibi monasterium ingressæ res ablatas restituat, hortentur. Si renuat, indicent, ut reddere cogatur. 876
Epist. XXIV (ad Candidum presbyterum). — Christianos quatuor redimat, qui in Judæorum servitio Narbonæ detinebantur. 877
Epist. XXV (ad Gregoriam). — Peccata sua confessam, at de illorum remissione anxiam, consolatur, allato peccatricis, quam Marthæ sororem putat, exemplo. Divinam veniæ revelationem frustra postulari ostendit. *Ibid.*
Epist. XXVI (ad Theoctistam patriciam). — Gratulatur quod inter hominum tumultus studeat lectioni, atque ad æterna suspiret. Utrum eadem sint Augustæ studia quærit. De compunctione duplici agit fusius. Theoctistam hortatur ut regiorum puerorum institutioni studiose invigilet, mutuamque illis inspiret charitatem et mansuetudinem in subjectos. Pecuniæ, quam Theoctista miserat, dimidia parte captivos redemit ; reliqua fovet moniales, quarum sanctitate servatam censet Romam. Mittit clavem a corpore sancti Petri, de qua miraculum narrat. 879
Epist. XXVII (ad Anastasium episcopum). — Universalis vocabulum a Constantinopolitano episcopo usurpari, non magni interesse sentiebat cum imperatore Anastasius. Gregorius hocce vocabulo universam Ecclesiæ fidem corrumpi contendit. 882
Epist. XXVIII (ad Theodorum medicum). — Missas in captivos et pauperes eleemosynas laudat. Clavem a corpore sancti Petri vicissim mittit. 883
Epist. XXIX (ad Andream). — Contemnendas sæculi dignitates, ut cœlestibus liceat studiis vacare. 884
Epist. XXX (ad Narsam religiosum).— Afflictum consolatur. A Christiano adversa non recusanda ostendit. Cur monasteriorum incolis, aliisve Constantinopoli degentibus non scribat. Gaudet de Esychiæ transitu. Domnæ Dominicæ quid agendum. Mittit munuscula. Anatolium commendat. 885
Epist. XXXI (ad Cyriacum episcopum). — De submovendo profano vocabulo, ut pax Ecclesiæ conservetur, et scandala multorum auferantur. 888
Epist. XXXII (ad Anastasium presbyterum).— De contentione tollenda quæ inter patrem monasterii, quod Neas dicitur, et Jerosolymorum episcopum exorta erat. 889
Epist. XXXIII (ad Mauricium augustum).— Contendit se temere indiscretum nominatum fuisse, quod Cyriacum episcopum Constantinopolitanum, qui universalem se nominat, reprehenderit. 891
Epist. XXXIV (ad Eulogium episcopum).—Romæ susceptos et ad communionem admissos Cyriaci responsales ; suum vero Diaconum Cyriaco, intolerabilis superbiæ reo, communicare non debuisse. Orthodoxam quidem ejus synodicam ; sed in ea damnari Eudoxium quemdam, hactenus, ut ipse putat, indamnatum. Isauriæ monachos, sub Joanne Cyriaci decessore, de hæresi inique damnatos ostendit. 892
Epist. XXXV (ad Dominicum episcopum). — Corripiat monachos regularem disciplinam fuga eludentes atque impune vagantes. Episcopos ab illis defensandis deterreat. 895
Epist. XXXVI (ad Dynamium et Aureliam). — Orationi, lectioni, et operibus bonis semper intenti, ad meliora proficiant. Codicem pollicetur. *Ibid.*
Epist. XXXVII (ad Dominicam).— Quod ad Ecclesiæ unitatem redierit congaudet. Hortatur ut Romam ad virum suum veniat. 896
Epist. XXXVIII (ad Donum episcopum). — Faustino quindecim argenti libras, aut ex Ecclesiæ pecunia, aut e sacratis vasis, in filiarum redemptionem tribuat. 897
Epist. XXXIX (ad Joannem episcopum). — Exortam inter abbates duos de agrorum finibus contentionem, ipso præsente, agrimensore adhibito finiendam. *Ibid.*
Epist. XL (ad Eulogium episcopum).—Sancti Petri sedem Romæ, Alexandriæ, et Antiochiæ, unius esse atque unam ; inde singularem episcoporum ibi sedentium unionem. Laudat quod hæreticos oppugnet. Ligna offert. Mittit vicissim munera. 898
Epist. XLI (ad Cyprianum rectorem). — Ecclesiæ Locrensi idoneum episcopum ordinari procuret. 901
Epist. XLII (ad Marinianum episcopum). — Cum neque lapsum episcopum loco suo restitui, neque ultra tres menses Ecclesiam vacare permittant canones, Cornelii ordinet episcopum. *Ibid.*
Epist. XLIII (ad Marinianum episcopum).— De submovendo clericorum dominio in monasteriis. 902
Epist. XLIV (ad Cyprianum diaconum). — Curet ne Theodorus maleficus, aut Messanensium clericorum aliquis Paulæ adversetur. *Ibid.*
Epist. XLV (ad Claudium abbatem).— Romam quantocius veniat. 903
EPISTOLARUM LIBER VIII. *Ibid.*
Epistola prima (ad Petrum episcopum). — Hortatur ut ab idolorum cultu incolas pergat avertere. Pro baptizandorum vestimentis mittit solidos quinquaginta. *Ibid.*
Epist. II (ad Anastasium episcopum Antiochenum). — Ipsi adversus hæreses animos addit. Laudato mutuæ charitatis vinculo, et commemoratis amici muneribus, diuturnam illi precatur vitam. 905
Epist. III (ad Donum episcopum Messanensem.— Nusquam vendendum humandi corporis locum. Restituenda quædam mancipia. 907
Epist. IV (ad Venantium episcopum). — Ut monasterium consecret concedit. 908
Epist. V (ad plurimos metropolitas et episcopos).— Publicis rationibus obligatos, neque in clero, neque in monasterio suscipiendos ; milites vero per triennium prius probandos quam monachicum habitum induant. 909
Epist. VI (ad Amos Jerosolymitanum patriarcham). — Petrum Romanæ Ecclesiæ acolythum fugitivum jubeat comprehendi, ipsumque sacra communione privatum Romam mittat. 910
Epist. VII (ad Leonem episcopum).—Segregatam ex ecclesiæ suæ redituum quartam portionem clericis juxta laboris meritum dividat. 911
Epist. VIII (ad Vitalianum episcopum).— Tulliani magistri militiæ filiam ad religiosum habitum revocet ; detrudat in monasterium ; obsistentes a sacra communione suspendat. 912
Epist. IX (ad Sergium defensorem). — De filia Tulliani magistri militiæ ad religiosum habitum resumendum cogenda. 913
Epist. X (ad sabinianum Jaderæ episcopum). — Se quantum illius cum Maximo communione offensum, tantum pœnitentia mitigatum. Commendatam responsali suo illius in urbe regia causam. Hortatur ad pastoralem sollicitudinem. Ipsi de Florentii episcopi causa inquisitionem mandat. *Ibid.*
Epist. XI (ad Candidum sancti Andreæ abbatem).—Confirmat concordiam et transactionem inter monasterium sancti Andreæ, et Maurentium magistrum militiæ. 914
Epist. XII (ad Adeodatum et Maurentium episcopos). — Illorum de ecclesiastico ordine ac rectitudine curam laudat ; ut perseverent hortatur. Commendat Paulum episcopum. 915
Epist. XIII (ad Columbum). — Paulum episcopum commendat. 916
Epist. XIV (ad Bonifacium primum defensorem).—Defensores septem honore regionariorum decorandos statuit. 917
Epist. XV (ad Marinianum Ravennæ episcopum). — Monasterio sanctorum Joannis et Stephani multa concedit privilegia. 918
Epist. XVI (ad Marinianum Ravennæ episcopum).—Redeuntem Roma Claudium abbatem impense commendat. 920
Epist. XVII (ad Maurentium). — De sacræ lectionis studio gratulatur. Sic studentium deflet raritatem ; se collegam spondet. *Ibid.*
Epist. XVIII (ad Agnellum Terracinensem episcopum).— Perquisitos idolorum cultores puniat ; a murorum vigiliis neminem patiatur excusari. 921
Epist. XIX (ad Maurentium magistrum militum).— Comitiolo de Romana Ecclesia bene merito pristinam impendat favorem. 922
Epist. XX (ad Marinianum episcopum Ravennæ). —

Commendat uxorem Joannis, quæ in controversiam suæ conditionis vocabatur. *Ibid.*

Epist. XXI (ad Joannem episcopum Syracusanum). — Felicem Christianis parentibus natum, a Samaræi servitio liberet. 923

Epist. XXII (ad Rusticianam patriciam). — Ut Romam veniat hortatur. Gratias agit pro decem auri libris in captivorum redemptionem expendendis. *Ibid.*

Epist. XXIII (ad Fantinum defensorem).—Ut Judæos ad Christianam fidem accedentes juvet, pergat Agrigentum. 924

Epist. XXIV (ad Sabinianum Jaderæ episcopum). — Gratulatur quod ubi obediendum est, obediat; ubi resistendum, resistat. Ipsius animum firmat adversus Maximi odium. Presbyterum nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse declarat. 926

Epist. XXV (ad Victorem episcopum Panormitanum).— Judæos in his quæ ipsis concessa sunt nullo incommodo afficiendos. 927

Epist. XXVI (ad Joannem episcopum Syracusanum).—Quæ clerici vasa sacra vendiderant Pantaleo notarius requirat. 928

Epist. XXVII (ad Joannem episcopum Syracusanum).— Ne Catanenses diaconi campagis calceati procedere præsumant. *Ibid.*

Epist. XXVIII (ad Victorem et Columbum episcopos).— Valentionem episcopum occupatas ex Crisconii parochia Ecclesias, necnon ablatas defuncti parochiæ hujus episcopi res, Crisconio restituere compellant. 929

Epist. XXIX (ad Eulogium episcopum Alexandrinum).— Ignotum sibi, quem postulabat Eulogius, Eusebii librum de martyrum gestis. Cur brevia ligna miserit. Spondet longiora; pretium recusat. 930

Epist. XXX (ad Eulogium episcopum Alexandrinum).— De Alexandrinæ urbis hæreticis conversis atque de fidelium concordia gratulatur. Scribit vicissim de Anglorum conversione. De Eudoxio hæretico aliisve fatetur sibi ab Eulogio factum satis. Universalis papæ titulum a synodo Chalcedonensi suis decessoribus oblatum, sed rejectum, respuit. 931

Epist. XXXI (ad Secundinum). — Ne patiatur Monasterium in laicæ personæ potestatem venire. 934

Epist. XXXII (ad Scholasticum defensorem). — Ecclesiæ colono mercedem juxta laboris modum solvat. *Ibid.*

Epist. XXXIII (ad Dominicum). — Modestiam illius, charitatem, atque apostolicæ sedis reverentiam laudat. *Ibid.*

Epist. XXXIV (ad Joannem Episcopum Scilitanum). — Castelliensis monasterii privilegia servet illæsa. Quædam sub xenii specie ablata reddat. Monachorum actibus invigilet. Monasterii jura tueatur. Donatum sibi ab Abbate agrum restituat. (Vide sup. ep. 31.) 935

Epist. XXXV (ad Leontium exconsulem).— Jerusalem cives nonnunquam Babyloniæ servire, et vicissim. Laudat Leontii mansuetudinem, humilitatem, justitiam. Ipsi pro muneribus gratias agit, et de catenis sancti Petri scobem clave inclusam largitur. 937

EPISTOLARUM LIBER IX. 939

Epistola prima (ad Januarium episcopum Caralitanum). — Illum increpat quod dominico die, ante missarum solemnia, cujusdam messem invertisset sulcis, et, peracto sacro, terminales lapides ipse effodisset. *Ibid.*

Epist. II (ad Vitalem Sardiniæ defensorem).— Decretam adversus Januarii consiliarios excommunicationem exsequatur. Restituat integrum xenii pretium. 940

Epist. III (ad Januarium Caralitanum episcopum).— Pro concesso sepulturæ loco exigendum nihil. Si vero pro luminaribus aliquid offeratur, licet accipere. *Ibid.*

Epist. IV (ad Januarium caralitanum episcopum).— Donec ordinata cum Agilulpho pax confirmetur, cavendum ab iterata in Sardiniam incursione. Januarium de exarata messe iterum ex fraterna dilectione objurgat. 941

Epist. V (ad Marcellum Dalmatiæ proconsulem).— Illum redarguit ob præstitum Maximo favorem. Docet qua ratione in gratiam secum redire possit. 943

Epist VI (ad Januarium Caralitanum episcopum).— Occupatam a Petro recens baptizato synagogam Judæis restituendam; hos ad fidem non cogendos. Conciliandos inter se hostium metu civium animos, ac muniendam fortius civitatem. 944

Epist. VII (ad Januarium Caralitanum episcopum). — Etsi monachicam vestem non induerit abbatissa, irritum tamen ex imp. lege illius testamentum; reddenda proinde monasterio quæ aliis illicite donavit Sirica. 945

Epist. VIII (ad episcopos Sardiniæ).—Paschalem denuntiationem, ex more, a metropolitano suscipiant; nec absque illius licentia ex insula egrediantur. 947

Epist. IX (ad Callinicum Italiæ exarchum).— Gaudet de schismaticis ad Ecclesiam redeuntibus. De hoc monendos imperatores. Id unum ab illis vetitum, ne schismatici ad unitatem compellantur. Conqueritur de majore domus Callinici. Hunc rogat ne Justinum schismaticum deinceps in consilium vocet. 948

Epist. X (ad Marinianum Ravennatem episcopum).— Caritanæ insulæ ordinet episcopum, nisi Joannes, ab ipso admonitus, ad Ecclesiæ unitatem et ad propriam plebem revertatur. Maximi causam discutiat ac finiat, adhibito, si opus sit, Constantio Mediolanensi. 950

Epist. XI (ad Brunichildem reginam).— Pallium Syagrio episcopo concedit. De sacris ordinibus præmio vel gratia non conferendis eam admonet, et ne ex laicis repente fiant episcopi. Laudat ejus erga Augustinum charitatem, hortaturque ut schismaticos ad concordiam revocare atque idololatriæ reliquias, et alia in regno suo vitia coercere studeat. De codice ad eam transmisso agit. 951

Epist. XII (ad Joannem Syracusanum episcopum).— Se (ut querebantur nonnulli) in ordinandis missæ ritibus quibusdam Constantinopolitanæ Ecclesiæ consuetudines non fuisse imitatum. 955

Epist. XIII (ad Joannem Syracusanum episcopum).— Ecclesiæ ejus actores, cum Felice, absque dilatione, judices eligant. 958

Epist. XIV (ad Felicem in Sicilia).— Se ad Joannem episcopum scripsisse, ut actores Ecclesiæ suæ deputet, qui cum Felice ipso sine mora judicium subeant. 959

Epist. XV (ad Chrysanthum episcopum Spoletanum).— Martyrum reliquias in basilica Reatina collocet. *Ibid.*

Epist. XVI (ad Serenum Anconitanum episcopum)— Severum diaconum suum de restituendo Firmanæ Ecclesiæ argento admoneat. 960

Epist. XVII (ad Demetrianum et Valerianum).— Statuit ne impensa in illorum redemptionem Ecclesiæ pecunia ab illis aliquando repetatur. *Ibid.*

Epist. XVIII (ad Romanum defensorem).—Patrimonium Ecclesiæ in Sicilia commendat. 961

Epist. XIX (ad Syracusani patrimonii colonos).—Ut obediant Romano defensori. *Ibid.*

Epist. XX (ad Petrum in Sicilia). — Romano Syracusani patrimonii regimen adeunti auxilium ferat. *Ibid.*

Epist. XXI (ad Libertinum expræfectum).— Novum defensorem Romanum consiliis juvet. 962

Epist. XXII (ad Ciridanum). — Romano defensori faveat. *Ibid.*

Epist. XXIII (ad Joannem Syracusanum episcopum). — Commissas Romano defensori causas Leontii adversus Leonem episcopum, et Archelaum medicum. 963

Epist. XXIV (ad Romanum defensorem). Neglectam per plurimos annos Rusticæ testatricis voluntatem tandem adimpleri curet. *Ibid.*

Epist. XXV (ad Joannem Surrentinum episcopum, etc.). Gregorio expræfecto basilicam ædificare cupienti reliquias concedant. 964

Epist. XXVI (ad Romanum defensorem). — Donatam ab Ammonia Romanæ Ecclesiæ domum, Calixeno illius nepoti, Stephaniæ filio, reddat. *Ibid.*

Epist. XXVII (ad Romanum defensorem). — Ecclesiastica patrocinia non omnibus indiscrete impendenda. 965

Epist. XXVIII (ad Antonium subdiaconum, et Dometium abbatem). — Concordiæ reconciliationem xenodochium inter et monasterium sua auctoritate firmat. 966

Epist. XXIX (ad Venantium Lunensem episcopum). — Fidentiam aut Adeodatæ filiæ recens conversæ facere satis suadeat, aut hanc apud judices adjuvet. 967

Epist. XXX (ad Anthemium subdiaconum).— Monasterio sancti Marci Massam Veneris restituendam curet. *Ibid.*

Epist. XXXI (ad Faustum). — Ecclesiæ Vulturnæ ministeria apud Anthemium absque dubitatione deponat. 968

Epist. XXXII (ad Anthemium subdiaconum).—A Fausto Ecclesiæ Vulturnæ ministeria suscipiat, in tuto habeat, et describat. *Ibid.*

Epist. XXXIII (ad Andream). — Ut illum de infirmitate consoletur, ipsam divini amoris pignus ac fructuosi palmitis purgamentum esse ostendit. 969

Epist. XXXIV (ad Venantium episcopum). — Presbyteros vel diaconos in Aldionis civitate ordinet, atque ipsos ad infidelium conversionem adhortetur. *Ibid.*

Epist. XXXV (ad Constantium Mediolanensem episcopum). — Joannem præfecturæ vices acturum commendat; ea tamen lege ut (quod contigerat in Vigilio) inde non gravetur Ecclesia. 970

Epist. XXXVI (ad Fortunatum Neapolit. episcopum).— Reversis e Gallia Judæis negotiatoribus, Christiana quæ adduxerint mancipia aut iis tradantur qui emptionem injunxerant, aut Christianis intra quadragesimum diem venundentur. Caveat a Basilio Judæo filiis suis Christianis mancipia donante. *Ibid.*

Epist. XXXVII (ad Chrysanthum Spoletanum episcopum). — Ne confugientibus ad illius diœcesim monachis communionem indiscrete reddi patiatur. Mancipio ea lege manumisso ut monachus fieret, monasterium deserere non liceat. 971

Epist. XXXVIII (ad Anthemium subdiaconum).—Apud Felicem agat, ut recepta a Mauro pretii sorte sit contentus. 972
Epist. XXXIX (ad Romanum in Sicilia defensorem). — Gaudioso inopi solidos sex singulis annis tribuat. 973
Epist. XL (ad Romanum defensorem). — Ut, omni cunctatione et excusatione abjecta, id exsequatur quod supra epist. 26, fuerat mandatum. *Ibid.*
Epist. XLI (ad Julianum scribonem).—Se humanis rationibus a justitiæ zelo non revocari ; inquisiturum proinde in Maximum, et juxta canones laturum sententiam. 974
Epist. XLII (ad Agilulphum Langobardorum regem). — De pace composita gratias agit. Petit ut ducibus suis præcipiat ne pacem turbent. 975
Epist. XLIII (ad Theodelindam Langobardorum reginam). — Gratias refert quod ad faciendam pacem se studiosius impenderit. *Ibid.*
Epist. XLIV (ad Felicem in Sicilia). — Ipsum de Joanne episcopo quasi judicium refugiente immerito conqueri, cum illud ipse distulerit. Ad finiendam cito judicii censura item hortatur. 976
Epist. XLV (ad Joannem Syracusanum episcopum). — Mala Felicis fide exposita, hortatur ut motam ab illo controversiam absque mora jubeat finiri. 977
Epist. XLVI (ad Sergium defensorem).—Obvenientem a Joanne Pantaleonis socrui hæreditatem describat, dum hic Ecclesiæ negotiis destinetur. Relictam quoque apud Joannem sacram supellectilem diligentissime inquirat. 978
Epist. XLVII (ad Sabinum subdiaconum). — Regitani cleri adversus episcopum suum querelas una cum episcopis quinque perscrutetur, ut, illorum relatione certior factus, ipse Romæ decernat. 979
Epist. XLVIII (ad Paulinum Taurensem episcopum, etc.). — Regium una cum Savino pergant, de cleri adversus episcopum querelis inquisituri. *Ibid.*
Epist. XLIX (ad Anastasium Antiochenum episcopum). — Gratulatur ob rectam fidei professionem. Agendas Deo gratias quod soli ad ordines promoveantur orthodoxi. Pro imperatore hæreticos comprimente orandum. Inquirendum Anastasio genuinum Ephesinæ synodi exemplar. Arcendos a sacris ordinibus simoniacos. 980
Epist. L (ad Anthemium subdiaconum). — Benenatum facinus abnegantem, Romam cum accusatore aliisve personis mittat. 982
Epist. LI (ad Anthemium subdiaconum). — Reliquum pecuniæ pro castro construendo datæ apud Benenatum perquirat, eamque in illud ipsum ex toto curet impendi. *Ibid.*
Epist. LII (ad Secundinum). — Scripta illius laudat, veritatem, charitatem atque humilitatem spirantia. Solitarios quasi monmoachos ab antiquo hoste singularius impeti. Orientales Ecclesias uno sensu integram sancti Leonis et Chalcedonensis synodi fidem sequi. In defensores trium capitulorum invehitur. Epistolam Ibæ definitioni sanctæ synodi adversari probat. Incertam animæ originem : at illam originali peccato donec baptizetur certissime obstringi. Mittit imagines earumque legitimum usum exponit. *Ibid.*
Epist. LIII (ad Constantium Mediolanens. episcopum). — Clericis Comanis, si ad Ecclesiæ unitatem redeant, se controversam possessionem concedere paratum. 992
Epist. LIV (ad Anatalium diaconum Constantinopolit.). — Constantii episcopi homines commendat. 993
Epist. LV (ad Fantinum defensorem Panormitanum). — Pro Judæorum Synagogis irrationabiliter occupatis et consecratis pretium solvat Victor episcopus. *Ibid.*
Epist. LVI (ad Fantinum). — Candidum defensorem, Joanni Judæi ex navis pretio debiti soluti chirographum restituere compellat. 994
Epist. LVII (ad Præjectam illustrem). — Gesta inter ipsam et Fantinum defensorem approbat. *Ibid.*
Epist. LVIII (ad Martinum scholasticum).—Se ab illo de episcoporum causis levius instructum sententiam proferre non posse. Agat cum Joanne Syracusano episcopo. 995
Epist LIX (ad Joannem episcopum Syracusanum). — Indicat quid Bizacenus primas egerit, ne a Romano episcopo judicaretur. De illius causa, quod placuerit, loquatur cum Martino Scholastico. *Ibid.*
Epist. LX (ad Romanum aliosve patrimonii ecclesiastici defensores). — Ne mulieres cum episcopis aut clericis in sacris ordinibus constitutis habitent; ea lege, ut uxores non relinquant, sed caste regant. 996
Epist. LXI (incipit epistola Recharedi regis Gothorum ad beatum Gregorium Romensem episcopum directa). — Excusat quod ipsum non ante quatuor annos de conversione sua monuerit. Mittit aureum calicem. Venerationem summam ac benevolentiam testatur. Leandrum Hispalensem commendat. 997
Epist. LXII (ad Romanum defensorem). Defensorum nomen usurpantes compescat. Fortunatum amoveat ab Ecclesiæ negotiis. Martianum Joanni episcopo, Romanæ Ecclesiæ patrimonium curanti, inobedientem exsulare cogat. 999
Epist. LXIII (ad Joannem episcopum Syracusanum). — Ad deponendum Lucillum episcopum quatuor episcopos adhibeat. Sacerdotes vel diaconos criminis conscios, gradu suo dejiciat, laicos sacra privet communione, Melitenses ad episcopi electionem hortetur. *Ibid.*
Epist. LXIV (ad Vitalem Sardiniæ defensorem). — Sic tueatur clericos, ut neque episcopi reverentia, neque illorum disciplina solvatur. Ne Ecclesiæ rura a cultoribus deseri, aut monasteria, quæ solis subsunt episcopis, ab aliis perturbari sinat. 1000
Epist. LXV (ad Januarium Caralitanum episcopum). — Continendos in officio clericos contumaces. Relictam monasterio viduæ substantiam a clerico restituendam. Coercendos tum dehortationibus, tum corporalibus pœnis idolorum cultores, aruspices, atque sortilegos. Res Ecclesiæ, non laicis, sed probatis clericis committendas. 1001
Epist. LXVI (ad Anatolium diaconum). — Ex Istriæ schismate ad Ecclesiæ unitatem reversis faveat. 1003
Epist. LXVII (ad Constantium Mediolanensem episcocum). — Ut cum Mariniano Ravennate de Maximi Salonitani causa judicet. *Ibid.*
Epist. LXVIII (ad Eusebium Thessalonicensem, etc.). — Neque Constantinopolitano episcopo œcumenici titulum sibi arroganti, ullo modo consentiant : neque in Synodo, si de rebus aliis agatur, statuta vetera sinant convelli. *Ibid.*
Epist. LXIX (ad Maurentium magistrum militum). — Arguit quod Neapolitanum episcopum ea quæ patroni civitatis erant usurpantem non cohibeat. Hortatur ne concessam per aliquot annos eleemosynam jam quasi debitum patiatur exigi. Neapolis privilegia et Prochytæ insulæ causas commendat. 1005
Epist. LXX (ad Passivum Firmanum episcopum). — Oratorium sancti Savini consecret. 1007
Epist. LXXI (ad Chrysanthum episcopum Spoletanum). — Sanctuaria sancti Savini Valeriano notario Firmano concedat. *Ibid.*
Epist. LXXII (ad Constantinum Narniensem episcopum). — Ecclesiæ Interamnæ jam Visitatori administrationem integram committit. *Ibid.*
Epist. LXXIII (ad Maurentium magistrum militum). — Theodosium abbatem commendat, ne gravius in murorum vigiliis affligatur. 1008
Epist. LXXIV (ad Domnellum erogatorem). — Singularem testatur benevolentiam. Excusat quod, Castorio ad ipsum veniente, non scripserit. 1009
Epist. LXXV (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). — Misenatis Ecclesiæ visitationem injungit. *Ibid.*
Epist. LXXVI (ad Misenates). — Fortunato Visitatori obediant, atque idoneum sibi eligant episcopum. 1010
Epist. LXXVII (ad Anthemium subdiaconum). — Importuni, Attellanæ civitatis episcopi, testamentum discutiat. Tum Attellæ, tum Cumis aptum episcopum quantocius eligi procuret. *Ibid.*
Epist. LXXVIII (ad Eulogium patriarcham Alexandrinum). — Commendati ab ipso hominis finitæ citius negotia. Queritur quod de Constantinopolitani episcopi arrogantia nihil rescribat. Ligna cur non miserit longiora. 1011
Epist. LXXIX (ad Marinianum Ravennatem episcopum). — Ipsi et Castorio de Maximo commendat judicium, cujus modum præscribit. 1012
Epist. LXXX (ad Castorium notarium). — Det Maximo epistolam suam redditæ communionis et gratiæ testem; modo purgatus ille ac pœnitens Sabinianum et alios in charitate suscipiat. *Ibid.*
Epist. LXXXI (ad Maximum Salonitanum episcopum). — Obedienti, pœnitenti, ac purgato reddit gratiam et communionem, atque usum pallii concedit. 1013
Epist. LXXXII (ad Anatolium diaconum Constantinopolitanum). — Marcellino de Romana Ecclesia bene merito faveat, atque ipsum apud imperatorem excuset. *Ibid.*
Epist. LXXXIII (ad Fantinum defensorem Panormitanum). — Januariam ab Anastasii et Bonifacii molestiis tueatur. 1014
Epist. LXXXIV (ad Benenatum Tundaritanum episcopum). — Ut oratorium in honorem sanctorum Severini et Julianæ consecret. 1015
Epist. LXXXV (ad Fortunatum Neapolitanum). —Januariæ reliquias sanctorum Severini et Julianæ dare jubet. *Ibid.*
Epist. LXXXVI (ad Constantium Mediolanens. episcopum). — Reliquias ea lege concedit, ut prius servientium alimoniis provideatur quam dedicetur locus. *Ibid.*
Epist. LXXXVII (ad Gaudiosum Eugubinum episcopum). — Tadinatis Ecclesiæ visitationem delegat. 1016
Epist. LXXXVIII (ad Tadinates). — Gaudioso episcopo visitatori obediant, atque idoneum sibi eligant sacerdotem. *Ibid.*
Epist. LXXXIX (ad Severum Anconitanum episcopum).

— Æsinæ civitatis visitationem injungit. 1017
Epist. XC (ad Æsinenses). — Severo episcopo visitatori obediant, dignumque sibi eligant episcopum. *Ibid.*
Epist. XCI (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum).— Barbatianum, si cautus sit in regimine et humilis in suo sensu, abbatem instituat. 1018
Epist. XCII (ad Victorem Panormitanum episcopum). — Præchoritano monasterio presbyterum ex ipsis monachis ordinet. *Ibid.*
Epist. XCIII (ad Gulfarem magistrum militum). — Post laudatum illius in schismaticis ad Ecclesiam reducendis zelum, ad perseverantiam et revertentium protectionem hortatur. 1019
Epist. XCIV (ad Romanum defensorem). — Istros quosdam, ut in Siciliam ad episcopum suum cito perveniant, adjuvet. Episcopum ipsum ut Romam veniat adhortetur, atque itineris expensam præbeat. 1020
Epist. XCV (ad Callinicum Italiæ exarchum). — Quosdam Ecclesiæ unitati redditos ac Roma in Istriam redeuntes commendat. *Ibid.*
Epist. XCVI (ad Marinianum Ravennatem episcopum).— Eosdem commendat quos supra. 1021
Epist. XCVII (ad habitatores insulæ Capreæ). — Gratulatur de imperturbato ecclesiasticæ unitatis amore. Mariniano mandatum de constituendo illis episcopo schismatis inimico. *Ibid.*
Epist. XCVIII (ad Theodorum Ravennæ curatorem). — Pacis in eo studium laudat. Monet juratam dolose ab Ariulfo pacem. Pactum ipse sua manu subscribere recusat. Augusti causam ad justitiæ leges linienda. Mœrentem consolatur Theodorum, ad quem mittere responsalem parat. 1022
Epist. XCIX (ad Occilianum tribunum Hydruntinum). — Hortatur ut gravatam a Viatore extribuno Hydruntinam civitatem levet. 1024
Epist. C (ad Sabinianum Callipolitanum episcopum).— Ne patiatur Callipolitanos angariis prægravari. 1025
Epist. CI (ad Sergium defensorem). — Fruniscendum Ecclesiæ Hydruntinæ debitorem, si sponte non solvat, cogat ad judicium. *Ibid.*
Epist. CII (ad Sergium defensorem). — Mancipium ab ipsius Gregorii Germano Hydruntum fugiens curet comprehendi, ac navi Romam deferri. 1026
Epist. CIII (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum).— Ne milites in monasterio virginum hospitentur. *Ibid.*
Epist. CIV (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum).— Ut Neapolitani cives ad concordiam redeant, virum apprime instructum Romam mittere festinet. *Ibid.*
Epist. CV (ad Serenum Massiliensem episcopum). — Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat, monet imagines in Ecclesiis esse servandas. 1027
Epist. CVI (ad Syagrium, Ætherium, Virgilium et Desiderium episcopos). — Contra simoniacos, ac neophytos, et vetita mulierum contubernia, nec non synodorum, quæ quotannis haberi debent neglectum, stylum acuit; atque ut synodi quotannis fiant. De his omnibus in synodo tractari jubet, et ad se per Cyriacum abbatem referri. 1028
Epist. CVII (ad Aregium episcopum Vapincensem). — Eum de suorum obitu consolatur, hortaturque ut sollicite suo munere fungatur. Dalmaticarum usum illi, et archidiacono ejus permittit jubetque ut synodo per Syagrium cogendæ intersit. 1033
Epist. CVIII (ad Syagrium episcopum).—Laudat eum ob operam Augustino navatam; pallii usum concedit; statuit ut Ecclesia Augustodunensis primum in ea provincia post Lugdunensem locum obtineat; de synodoiterum. 1035
Epist. CIX (ad Brunichildem reginam Francorum). — De iis qui ex laicis repente fiunt episcopi, aut per simoniam ordinantur. Ut synodum ad hæc exstirpanda cogi jubeat, atque edicto constituat ne Judæis Christiana mancipia habere liceat. 1037
Epist. CX (ad Theodericum et Theodebertum reges Francorum). — Quod multi res simoniam ordinentur, tributa a prædiis ecclesiasticis exigantur, ex laicis repente fiant episcopi. Synodum ad hæc emendanda celebrari curent, statuantque ne Judæis Christiana mancipia habere liceat. 1039
Epist. CXI (ad Virgilium episcopum Arelatensem). — Confirmat privilegia per Virgilium papam Arelatensi monasterio concessa. 1041
Epist. CXII (ad Desiderium episcopum Galliæ). — De pallio ipsius prædecessoribus concesso nihil in Ecclesiæ Romanæ scrinio reperiri. Mittat proinde, si quid in Ecclesiæ suæ chartis invenerit. 1043
Epist CXIII (ad Syagrium episcopum Augustodunensem). — Ut Menatem et Theodorum episcopos in Italiam redire compellat. *Ibid.*
Epist. CXIV (ad Virgilium et Syagrium episcopos). — De suscipienda causa Syagriæ, quæ religionem professa cum esset, marito violenter juncta dicebatur. 1044
Epist. CXV (ad Syagrium episcopum Augustodunensem). —De parochiis episcopo Taurinensi subtractis, et episcopo in iisdem constituto, ut eas illi restituendas curet. 1045
Epist. CXVI (ad Theodericum et Theodebertum reges Francorum). — Ut episcopo Taurinensi restituantur ipsius parochiæ in regno Francorum sitæ, in quibus ordinatus fuerat novus episcopus. 1047
Epist. CXVII (ad Brunichildem reginam Francorum). — Hilarium commendat, ut illum tuitione sua protegat. 1048
Epist. CXVIII (ad Vantilonum et Arigium). — Hilarium commendat, ut illi suum patrocinium impendant. *Ibid.*
Epist. CXIX (ad Asclepiadotum patricium). — Hilarium commendat, ut ejus patrocinium suscipiat. 1049
Epist. CXX (ad Claudium in Hispaniis). — Eum laudat, ex virtutis fama sibi dilectum. Ut in luce veritatis atque cœlestis patriæ amore proficiat hortatur. Cyriacum abbatem et legatum suum commendat. 1050
Epist. CXXI (ad Leandrum Hispalensem episcopum). — Epistolam illius, charitatis calamo scriptam, ex humilitate sermonis altitudinem cordis ostendere. Se nulla dignum laude, cujus mores deprimit honor onerosus, qui victus pondere culpas culpis jungit, qui e monasterii tranquillitate raptus, mentis naufragium passus est. De podagræ doloribus pie consolatur. Pallium mittit. *Ibid.*
Epist. CXXII (ad Recharedum Visigothorum regem). — Regem laudat de conversa ad fidem Gothorum gente, de oblatis beato Petro muneribus, de contempta Judæorum pecunia, qua legem in ipsos latam rescindi deprecabantur. Hæc Dei laudi monet tribuenda, cavendasque cordis humilitate, munditia corporis, atque animi lenitate, antiqui hostis insidias. Reliquias mittit. 1052
Epist. CXXIII (ad Venantium et Italicam). — Morbis afflictum ex suis ipsius molestiis atque ex generali totius orbis percussione, quæ mundi finem proximum indicat, consolatur. 1056
Epist. CXXIV (ad Donellum erogatorem). — Ægrum consolatur. Gaudet de militari toga illi denuo imposita. Quam exarchus mutuo acceperat pecuniam restituendam monet. Romanæ civitati præcipua cura subveniat. 1057
Epist. CXXV (ad Maximum Salonitanum episcopum). — Gratulatur de plena satisfactione. Pallium mittit. Quod eo significatur moribus exprimat. Cum Sabiniano episcopo, Honorato archidiacono, Massiano clerico, jam non ex odio sed ex charitate agat. 1058
Epist. CXXVI (ad Constantium Mediolanensem episcopum). — Ne Philagrium, aut ab Ecclesiæ suæ hominibus, aut a collectæ exactoribus, aut a Dertonensi episcopo, injuste gravari patiatur. 1059
Epist. CXXVII. — In celebratione Paschæ, rejecto Victorii cyclo, Scotorum morem sequendum, cui Anatolius ab Hieronymo laudatus favit. De episcopis per simoniam ordinatis, aut post lapsum tempore diaconatus; ac de monachis monasteria sua deserentibus consulit sanctum Gregorium, quem videre summopere cupit. Laudat ejus Pastoralem librum, petitque expositiones in Ezechielem et in Cantica. 1061
EPISTOLARUM LIBER X. 1065
Epistola prima (ad Romanum in Sicilia defensorem). — Ablatas, tum a Lucillo quondam episcopo, tum a Petro illius filio, res Melitensis Ecclesiæ jubet restitui. Trajano jam episcopo monachos in solatium ita concedit, ut idipsum reservet diœcesani episcopi arbitrio. Quæ idem Trajanus, dum erat abbas, acquisivit, non ejus, sed monasterii esse declarat. Alia quædam ut tollat permittit. *Ibid.*
Epist. II (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). — Ecclesiam pro monachis, absque missis publicis, baptisterio et presbytero cardinali consecret. 1068
Epist. III (ad Fantinum defensorem). — Colligat Romani mancipia, atque illorum laboris fructus ad constructum a Romano ipso monasterium mittat. *Ibid.*
Epist. IV (ad Savinum subdiaconum regionarium). — In Sisinnium presbyterum de idololatria et sodomia accusatum inquirat diligentissime. Illum, si adsint indicia, detrudat in carcerem. Eumdem cogat ad reddendum orphanis Victoriani presbyteri filiis depositum. 1069
Epist. V (ad Savinum subdiaconum). — Moneat Mariam ut voluntatem patris sui tandem impleat, et relictas, tum libertis, tum ecclesiæ sancti Georgii duas uncias substantiæ, vel invita persolvat. 1070
Epist. VI (ad Theodorum curatorem). — Joannis præfecti uxorem commendat. *Ibid.*
Epist. VII (ad Marinianum Ravennatem episcopum).— Joannis præfecti uxorem commendat. 1071
Epist. VIII (ad Marinianum Ravennatem episcopum). — Se contristatum valde, quod monialem e manasterio iterum abductam revocare neglexerit. Ut vel nunc id præstet

impense hortatur. 1071
Epist. IX (ad Joannem episcopum Syracusanum). — Basilio Capuano antistiti, pro Cethego et Flora, auri libras decem per Maximum solvat. 1072
Epist. X (ad Romanum defensorem). — Basilium episcopum forenses causas actitantem ultra quatuor dies in Sicilia morari non sinat. 1073
Epist. XI (ad Godiscalcum ducem). — Arguit quod iratus monasterii januas frangi et bona diripi fecerit. Monachi ad hostes fugam non imputandum abbati. Ut monasterio et abbati adversari desinat, imo ut tuitionem impendat, hortatur. *Ibid.*
Epist. XII (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). — Fuscum abbatem, et monasterium ejus commendat. 1075
EPIST. XIII (ad Dominicum episcopum Centumcellensem). - Commendat Luminosam viduam Zemarchi ut ei comitiva servetur.
EPIST. XIV (ad Demetrium episcopum Neapolitanum). - Ut quosdam prius in fide dubios, jam vero catholicam communionem repetentes excipiat.
EPIST. XV (ad Balbinum episcopum Rosellanum). - Ut Populonensem Ecclesiam visitet, ac presbyteros diaconosque ordinet, praecipit.
EPIST. XVI (ad Severum episcopum Aquileiensem). - Praecipit ut Romam veniat cum sequacibus suis in synodo judicandus.
EPIST. XVII (ad universos episcopos Italiae). - Ut filii Langobardorum in haeresi Ariana baptizati ad fidem catholicam concilientur.
EPIST. XVIII (ad Petrum subdiaconum). - Ut Marcello ad victum et vestitum necessaria provideat, pastores in lapsorum locum et vicem curet substitui.
EPIST. XIX (ad Natalem episcopum Salonitanum). - Honoratum archidiaconum suo restituat; deinde, si manet controversia, Romae causam d [...] cant.
EPIST: XX (ad Honoratum diaconum Salonitanum). - De contentione ipsius contra episcopum suum, et de custo [...] ia rerum Ecclesiae.
EPIST. XXI (ad Natalem episcopum Salonitanum). - De pontificatu gratulanti animum aperit, atque orationis deposcit subsidium.
EPIST. XXII (ad Nonnosum). - Maurentium de possessione quam petiit dicit se exauditurum.
EPIST. XXIII (ad Gregorium praepositum Italiae). - Mutuam testatur dilectionem.
EPIST XXIV (ad Anthemium subdiaconum). - Ut quibusdam ancillis Dei, Paulino presbytero, et duobus monachis certam solidorum summam eroget.
EPIST. XXV (ad Joannem episcopum Constantinopolitanum, et cae [...] eros patriarchas). - Pastoris onus, dotes, officia late prosequitur, ac demum fidem ad conciliorum normam profi [...] etur.
EPIST. XXVI (ad Anastasium patriarcham Antiochenum). - Conqueritur de onere pastorali.
EPIST. XXVII (ad Anastasium archiepiscopum Corinthi). - Ordinationem suam gemens indicat, et Bonifacium defensorem commendat.
EPIST. XXVIII (ad Sebastianum episcopum Rhisiniensem). - Ut Anastasii patriarchae a sede sua pulsi, quem secum in honore suo vivere cupiebat, animum exploret.
EPIST. XXIX (ad Aristobolum expraefectum et antigraphum). - Illum consolatur, et rogat ut in epistolis suis e Latino in Graecum convertendis, non verba, sed sensum reddat.
EPIST. XXX (ad Andream illustrem). - De sua ad episcopatum assumptione dolet; clavem a corpore sancti Petri transmittit. 48
EPIST. XXXI (ad Joannem exconsulem, atque patricium et quaestorem). - Clavem sancti Petri, et de catenis ejus transmittit. 48
EPIST. XXXII (ad Philippum comitem excubitorum). - Episcopat [...] i cur tandem consenserit exponit; Italiae causas commendat.
EPIST. XXXIII (ad Romanum patricium et exarchum Italiae). - Blandum episcopum, aut in synodo judicari, aut in Ecclesiam suam reverti concedat.
EPIST. XXXIV (ad Venantium exmonachum patricium Syracusanum). - Venantium, quod monasticum habitum dimiserit, increpat; ut quautocius resipiscat, hortatur; quorumnam consilia ipsi audienda sint, docet.
EPIST. XXXV (ad Petrum episcopum Terracinensem). - Concessum prius Judaeis locum restituat. A Christiana religione discordes benigne alliciendi.
EPIST. XXXVI (ad Petrum subdiaconum). - Commonitorium sibi datum assidue relegat. Quaedam addit monitasummam spirantia aequitatem ac prudentiam.
EPIST. XXXVII (ad Joannem episcopum Ravennatem). - Maurilioni expraefecto opem ferat.
EPIST. XXXVIII (ad Malchum episcopum Dalmatiae). - Stephanum episcopum ad judicium compellat, et quod judicatum fuerit exsequatur.
EPIST. XXXIX (ad Anthemium subdiaconum). - De neglectis pauperibus eum arguit. Domnis Pateriae, Palatinae et Vivianae largum et liberale subsidium offerri jubet.
EPIST. XL (ad Felicem episcopum Messanensem). - Ut Paulinus peregrinus episcopus sancti Theodori monasterium regat.
EPIST. XLI (ad Petrum subdiaconum). - Dispersos per Siciliam monachos in Messanensi sancti Theodori monasterio congreget.
EPIST. XLII (ad Anthemium subdiaconum). - Monachos vagos, peculiaritati studentes et uxoratos coerceat; clericatu vero ad monachismum conversos Ecclesiam in qua militarunt repetere non sinat.
EPIST. XLIII (ad Leandrum episcopum Hispalensem). - De onere episcopali gemit. Laetatur de Recharedi regis conversione. Inductum ab Hispanis ex Arianorum occasione unicae in baptismo mersionis ritum probat. Nonnullos mittit Codices.
EPIST. XLIV (ad Petrum subdiaconum Siciliae). - Plurima contra jus facta emendari jubet. De subdiaconorum caelibatu decernit.
EPIST. XLV (ad universos episcopos per Illyricum). - Ut episcopos ab hostibus expulsos suscipiunt, eisque necessaria subministrent.
EPIST. XLVI (ad Petrum subdiaconum). - Ut Godiscalchi filio inopi et caeco ad victum necessaria suppedi [...] et, praecipit.
EPIST. XLVII (ad Virgilium Arelatensem, et Theodorum Massiliensem episcopum). - Judaeos non [...] sse ad baptismuni cogendos, sed ad fidem amplectendam suaviter excitandos.
EPIST. XLVIII (ad Theodorum docem Sardiniae). - Ut officialem suum cum Juliana abbatissa judicium subire praecipiat. Pompeianam vero in pia causa salvo jure protegat.
EPIST. XLIX (ad Honoratum diaconum). - Quid imperatoribus pro Sardiniae incolis suggerendum sit.
EPIST. L (ad Anthemium subdiaconum). - Ne cum monachis habitent mulieres. Ne in quarumdam insularum monasteriis pueri ante 18 aetatis annum suscipiantur.
EPIST. LI (ad universos monachos in Christi monte insula constitutos). - Abnormes illos monachos Horosio abbati obedire jubet.
EPIST. LII (ad Symmachum defensorem). - De construendo in Corsica monasterio; de corrigendis monachis in Gorgonia; de sacerdotum cum mulieribus conversatione.
EPIST. LIII (ad Felicem episcopum Sipontinum). - Canusinam ecclesiam visitare, atque in ea duos parochiales presbyteros ordinare praecipit.
EPIST. LIV (ad Joannem episcopum Surrentinum). - Ut in sancti Stephani monasterio sanctae Agathae reliquias solemniter collocet.
EPIST. LV (ad Anthemium subdiaconum). - Ut neque pauperes opprimi, neque liberae mulieris filium ad servitutem cogi patiatur.
EPIST. LVI (ad Petrum subdiaconum). - Quid ad celebrandam dedicationem dare debeat ad erogandum pauperibus.
EPIST. LVII (ad Severum episcopum). - De eligendo Ariminensi episcopo.
EPIST. LVIII (ad Arsicinum ducem, clerum, ordinem, et plebem Ariminensis civitatis). - Ne Ocleatinum in episcopum eligant.
EPIST. LIX (ad Anthemium subdiaconum). - Palatinae annuos triginta solidos pro sustentatione tribuat.
EPIST. LX (ad clerum, ordinem et plebem consistentem Perusiae).- Ne episcopi electionem diutius differant.
EPIST. LXI (ad Gennadium patricium et exarchum Africae). - Ut Theodorum magistrum militum a pauperum et Ecclesiae vexatione abstinere jubeat.
EPIST. LXII (ad Januarium archiepiscopum Caralis Sardiniae). - Ut a quorumdam molestiis Catellam, salva justitia, tueatur.
EPIST. LXIII (ad Januarium episcopum Caralis Sardiniae). - Pompeianam, ne contra aequitatem gravetur, commendat.
EPIST. LXIV (ad Januarium archiepiscopum Caralitanum). - Catellam religiosam feminam commendat.
EPIST. LXV (ad Anthemium subdiaconum). - Injuste titulatam Petronii domum, Theodorae illius viduae restituendam.
EPIST. LXVI (ad Felicem episcopum Messanensem). - Quae servandae sint consuetudines, quae abrogandae. Ne munera sibi mittat, aut Romam veniat, amice monet.
EPIST. LXVII (ad Petrum subdiaconum). - Ut Pastori oculis infirmo annuum praestet alimentum.
EPIST. LXVIII (ad Anthemium subdiaconum).- Sacram suppellectilem Venafranae Ecclesiae, quam clerici Judaeo vendiderant, restitui curet, ac reos ad poenitentiam compellat.
EPIST. LXIX (ad Petrum subdiaconum Siciliae). - Monasterii lites ac negotia omnia perito e laicis viro committenda.
EPIST. LXX (ad universos episcopos per Siciliam). - A fictorum defensorum angariis quomodo sibi caveant.
EPIST. LXXI (ad Petrum subdiaconum). - Ut Cyriacum et Joannam conjugem ejus ex Judaea Christianam .
EPIST. LXXII (ad Petrum subdiaconum). - Ne antehiemem Siculi episcopi omnes Romam veniant. Frumenti copiam ultra solitum comparet Petrus, ac congruo tempore in Urbem transmittat.
EPIST. LXXIII (ad Petrum subdiaconum). - De restituendis Taurominitanae Ecclesiae possessionibus atque pecuniis.
EPIST. LXXIV (ad Gennadium patricium et exarchum Africae). - Illum ad comprimendos haereticorum adversus Ecclesiam conatus incitat. Ne primas ex ordine loci eligatur. Ne extra civitatem resideat. Ne qui Romam venire voluerint Numidae episcopi impediantur.
EPIST. LXXV (ad Gennadium, patricium, et exarchum per Africam). - Gennadium impense landat, quod non terreno consilio, sed ut Christiana religio propagetur, gentes expugnet. De datis Romanae Ecclesiae patrimonio incolis gratias agit. Hilarium ejusdem patrimonii rectorem commendat.
EPIST. LXXVI (ad Gaudiosum magistrum militum Africae). - Post officiosa verba, commendat Hilarium.
EPIST. LXXVII (ad universes episcopos Numidiae). - Quod prius nolebat, jam ex antiqui moris reverentia concedit, seniorem episcopum eo ipso in primatem eligi. Donatistam excipit. Numidas antistites hortatur ad pacem, ad Ecclesiae defensionem, ad sollicitudinem de proximorum animabus.
EPIST. LXXVIII (ad Leonem episcopum in Corsica).- Visitationem injungit Saonensis Ecclesiae.
EPIST. LXXIX (ad Martinum episcopum in Corsica). - A Tainatensi Ecclesia ad Saonensem transire concedit.
EPIST. LXXX (ad clerum et nobiles Corsicae). - Quod episcopi electionem nimium distulissent, instituit ipse Martinum. Interea dum hic adveniet, Leoni curam visita tionis injungit.
EPIST. LXXXI (ad clerum, ordinem et plebem Mevaniensem). - Ut tandem in episcopi electione consentiant hortatur. Interea Ecclesiae curam Honorato presbytero committit.
EPIST. LXXXII (ad Laurentium episcopum Mediolanensem). - Ut aliquem cum quo de postulata pecunia lis ortadirimatur instituat.
EPIST. LXXXIII (ad Januarium archiepiscopum Caralitanum). - Comprimendum Liberati diaconi ambitum, neque illum absque solemni episcopi sui cessione ullatenus incardinandum.

EPIST. LXXXIV (ad Hilarum monachum Africae). - Ut coacto quamprimum concilio, in Argentium Lamigensem episcopum inquiratur.
EPIST. LXXXV (ad Gennadium patricium Africae). - Droculfum de hostibus reversum commendat.
EPISTOLARUM LIBER II.
EPISTOLA PRIMA (ad Petrum notarium). - Tropaeanis monachis, si religiose vivant, modis omnibus subveniendum.
EPIST. II (ad Praejectum episcopum Narniensem). - Ex mortiferae luis occasione, cives ad poenitentiam et fidem hortandos.
EPIST. III (ad Velocem magistrum militum). - Ut Ariulphum Langobardorum ducem, si ad Romanas vel ad Ravennates partes excurrat, a tergo insequatur.
EPIST. IV (ad Sabinum subdiaconum). - Hortum Feliciani monasterio ancillarum Dei tradendum.
EPIST. V (ad Felicem episcopum Messanensem). - Basilicam, percepta prius legitima et secura dote, consecrandam.
EPIST. VI (ad Neapolitanos). - In Demetrii ob nefanda crimina depositi locum, absque mora et discordia, episcopum eligant.
EPIST. VII (ad Maximianum episcopum Syracusanum).- Vices suas in Sicilia gerat, reservatis tamen majoribus causis.
EPIST. VIII (ad Candinum episcopum). - Ne aegrotanti clerico consueta negentur stipendia.
EPIST. IX (ad Neapolitanos). - Paulum experiantur diutius; bumili charitate ipsi jungantur; quem tandem, si fructum animarum fecerit, atque ita Deus inspiret, episcopum obtinebunt.
EPIST. X (ad Paulum episcopum Neapolit.).- Sic interea fungatur episcopalibus muniis, ut Neapolitanorum testimonia et vota firmentur.
EPIST. XI (ad Nepesinos).-De Leontio illuc transmisso, ut ei obediant.
EPIST. XII (ad Castorium episcopum Ariminensem). - De oratorio sanctae crucis consecrando.
EPIST. XIII (ad Importunum episcopum Attellanum). - Suffraganeum episcopum monet de presbytero a se, ut in quadam dioecesis illius ecclesia praesit, depu [...] ato.
EPIST. XIV (ad Joannem episcopum Velitranum). - Episcopi sedes in tutiorem locum transferatur.
EPIST. XV (ad Paulum epis [...] pum). - Paulum, cui Neapolitanam Ecclesiam commiserat, de reditu citius cogitantem, ut ibi perseveret hortatur. De Petro diacono respondet, nihil illi timendum, nullumque apud se fore locum subreptioni.
EPIST. XVI (ad Maximianum episcopum Syracusanum). -Paulinum Taurianensem episcopum Ecclesiae Liparitanae praeficit.
EPIST. XVII (ad Paulinum episcopum). - In Liparitana Ecclesia resideat, Taurianensem vero opportuno tempore visitet.
EPIST. XVIII (ad Natalem episcopum Salonitanum). - Increpato de assiduis couviviis Natali, ut Honoratum archidiaconum suo loco restituat jubet.
EPIST. XIX (ad universos Dalmatiae episcopos). - Quid in causa Natalis et Honorati actum sit explicat.
EPIST. XX (ad Antoninum subdiaconum). - Exposita iterum eadem causa, Antonino praecipit ut ad Honoratum loco suo restituendum Na alem hortetur: hunc, ni pareat, primum usu pallii, deinde communione privot. Restituto tandem Honorato, personam mittat episcopus; ipse verc archidiaconus Romam veniat, uterque causam dicturi. Advocatur etiam pro Malcho episcopo fidejussor.
EPIST. XXI (ad Jobinum Illyrici praefectum). - Vastatam a barbaris provinciam ejus regimine recreari gaudet. Patrimonii rectorem commendat. Natali episcopo ne opem contra justitiam ferat hortatur.
EPIST. XXII (ad universos episcopos Illyrici). - Joannis episcopi ordinationem confirmat.
EPIST. XXIII (ad Joannem episcopum). - Gratutatur quod unanimi omnium consensu electus sit. Ipsum ex more pallio donat, et vicariatu apostolicae sedis. Ad pastorale munus summa prudentia et charitate implendum hortatur.
EPIST. XXIV (ad Maximianum episcopum Syracusanum). - Ut laudatum a Felice presbyterum diligenter examinet, eumque Romam, si episcopatu dignum perspexerit, mittal.
EPIST. XXV (ad Benenatum episcopum). - Cumanae Ecclesiae visitationem delegat, ut tum Ecclesiam illam tueatur, tum ex ipsius clero idoneum sacerdotem eligi procuret.
EPIST. XXVI (ad Joannem episcopum). - Ecclesiae Nepesinae visitationem injungit.
EPIST. XXVII (ad Rusticianam patriciam). - Bonum quod dono Conditoris in corde concipitur, celeri ac firma devotione complendum. Si quis contra nos calumnias molitur, ad Deum tota spes mentis inflectenda.
EPIST. XXVIII (ad Stephanum chartularium). - Monachos duos sui status desertores jubeat retrudi; monasterio consuetudines novas imponi non sinat.
EPIST. XXIX (ad Maurilium et Vitalianum). - Ariulphum, si Romam pergat, a tergo insequantur.
EPIST. XXX (ad Maurilium et Vitalianum). - De dubia Suanensium fide, ac de parato Ariulphi exercitu monet.
EPIST. XXXI (ad cunctos milites Neapolitanos). - De obedientia Constantio tribuno exhibenda.
EPIST. XXXII (ad Petrum subdiaconum Siciliae). - De patrimonii regimine plurima praecipit, in quibus elucent justitia, religio, prudentia, et liberalis erga egenos animus; familiaris quoque in Petrum dilectio facile advertitur.
EPIST. XXXIII (ad Justinum praetorem). - Ut, deposita omni suspicione, Leoni episcopo a falsis criminationibus plenissime purgato charitatem omnem et congruam reverentiam exhibeat.
EPIST. XXXIV (ad Maximianum episcopum Syracusanum). - Eusebium abbatem, quem imprudenter afflixerat, consoletur.
EPIST. XXXV (ad Joannem episcopum Ravennatem). - Gratulatur ob exhibita Castorio episcopo infirmo charitatis officia. Hunc ad se per Siciliam transmitti petit. Suffraganeorum antistitum, quos a Roma dividebant hostes interpositi, Ravennati curam committit.
EPIST. XXXVI (ad Eusebium abbatem). - Ipsum de superbia arguit, quod redditam a Maximiano episcopo gratiam et communionem respueret. Eidem erogat solidos centum.
EPIST. XXXVII (ad Joannem episcopum Squillacinum). - Joannem ea lege Squillacinum episcopum instituit, ut ad Lissitanam Ecclesiam revertatur, si illam ab hostibus liberam effici contigerit; abstineat ab illicitis ordinationibus, susceptumque pastoris officium digne gerat.
EPIST. XXXVIII (ad Joannem episcopum). - Crotoniensis Ecclesiae, post antistitis obitum, visitationem et curam mandat.
EPIT. XXXIX (ad clerum, ordinem, et plebem Crotonae). - Ut Joanni episcopo visitatori obediant, atque idoneum sibi postulent sacerdotem.
EPIST. XL (ad Joannem episcopum). - Ut de causa Vinlandi contra Gravinianum, amota dilatione, judicet.
EPIST. XLI (ad Castorium episcopum). - Ne Castorius episcopus ejusve successores, mortuo Ariminensi abbate, res monasterii describant aut administrent: ne alium ab eo quem congregatio poposcerit abbatem ordinent, ne in monasterio missas publicas faciant.
EPIST. XLII (ad Luminosum abbatem), - Scribit omnia gravamina a monasterio illius oblata, ut ibi divinum opus summa tranquillitate ac devotione peragatur.
EPIST. XLIII (ad Felicem episcopum). - Trium vacantium Ecclesiarum visitationem injungit.
EPIST. XLIV (ad Lucillum episcopum). - Ut clericos suos terrarum Africanae Ecclesiae, quas tenebant, pensionem absque mora cogat persolvere.
EPIST. XLV (ad Benenatum episcopum). - Cumanam et Misenatem Ecclesias unit, ac utriusque pontificem constituit Benenatum.
EPIST. XLVI (ad Joannem episcopum). - Quod ejus epistolis non responderit, morbum cansatur. Hortatur ut Romani animum ad pacem cum Ariulpho ineundam inclinet. De schismaticis Istriae episcopis ad unitatem compellendis, se ad impp. scripturum asserit. Ordinatum non esse iterum ordinandum. Monendum de Neapolitanae urbis periculo exarchum. Misericordiam prius fidelibus quam Ecclesiae hostibus faciendam. Se de Natalis episcopi correctione consolatum. A Malcho episcopo dudum patrimonii rectore rationes desposcit.
EPIST. XLVII (ad Dominicum episcopum). - Gratulatoriae de ordinatione sua epistolae dilationem eximia charitate compensari. Virtutum hanc matrem quam variis effert laudibus inconcussa stabilitate tenendam. Ut Romanae Ecclesiae privilegia defendit, sic singulis quibusque Ecclesiis sua jura servat.
EPIST. XLVIII (ad Columbum episcopum). - Maximianum Pudentianae Ecclesiae antistitem, adunato concilio, deponendum, si, pecunia corruptus, Donatistam episcopum in civitate sua fieri permisit. Alia quaedam privata negotia privatim definienda. Donatistarum haeresim dilatari gemit, ac ne ad illam Catholici deficere permittantur, succendit pastoralem zelum.
EPIST. XLIX (ad Januarium archiepiscopum). - Auditis de Januario episcopo querelis, Joannem notarium mittit qui partes ad judicium compellat, et quae judicata fuerint exsequatur. Januarium ob id maxime increpat, quod nulla, nisi propriae injuriae causa, Isidorum excommunicaverit.
EPIST. L (ad Joannem episcopum). - Desolatam ab hostibus trium Tabernarum Ecclesiam unit Velitranae.
EPIST. LI (ad universos episcopos). - Frustra de persecutione gloriari schismaticos. Damnatis tribus capitulis, nihil. in fide immutatum. Ex Italiae flagellis, quod ipsa erraverit, non recte inferri. Pelagii librum mittit, quem si pura corde perlegant, illos ad Ecclesiam filios suos invitantem reversuros confidit.
EPIST. LII (ad Natalem episcopum). - Profana quibus indulgebat convivia, et sacrae lectionis negligentiam non bene ab ipso excusari. De exhortationis studio gratulatur. Se laudatum dolet. Non modo ad Ecclesiam haereticos, sed et illos qui intra Ecclesiam sunt ad vitae rectitudinem revocandos. De spreta sua et decessoris sententia queritur, parcit tamen ad ordinem reverso, summamque in judicanda illius causa spondet aequitatem.
EPIST. LIII (ad Honoratum diaconum). - Ut Venantio chartas exconsulatus, oblatis XXX auri libris, postutanti apud impp. faveat.
EPIST. LIV (Incipit epistola sancti Liciniani episcopi de libro regularum. ad sanctum Gregorium papam urbis Romae directa). - Librum Regulae pastoralis laudat: objicit tamen non fore qui sacra mysteria celebrent, nisi ordinentur nonnunquam minus periti. Libros in Job, aliosve morales a Gregorio conscriptos postulat.
EPISTOLARUM LIBER III.
EPISTOLA PRIMA (ad Petrum subdiaconum). - Epiphanium subdiaconum mittit, qui de seditione in Paulum episcopum commota inquirat. Ut illum in reos agentem adjuvet, absque ulla dilatione aut personarum acceptione, praecipit instantius. Ad civitatis ecclesias revocanda mancipia.
EPIST. II (ad Paulum episcopum). - Illum de accepta injuria consolatur.
EPIST. III (ad Joannem abbatem). - Bonifacii in praepositum ordinationem probat. Sancti Joannis tunicam petit. In causa cum Floriano vult aliquid oedi, ut ad compositionem perducatur. Abbatem arguit quod tum ipse, tum fratres sacram lectionem et orationem negligant. Illum hortatur ad sollicitiorem de fratrum animabus, de hospitibus, ac de pauperibus curam.
EPIST. IV (ad Bonifacium episcopum). - Vitandum in operibus bonis humanae laudis desiderium.

EPIST. V (ad Petrum subdiaconum). - Ut viduam in omnibus causis ab iniquorum violentia tueatur.
EPIST. VI (ad Joannem episcopum). - Sacra eum communione privat, ob damnatum injuste Adrianum episcopum, quem in locum et ordinem suum restitui jubet.
EPIST. VII (ad Joannem episcopum). - Iniquam Adriani damnationem Joannis metropolitani machinationibus procuratam fuisse ostendit, ex judicii ordine. Hunc exinde ab omni in illum jurisdictione abstinere statuit, et sacrae communionis, nisi pareat, privationem minatur.
EPIST. VIII (ad Natalem archiepiscopum). - Florentium episcopum, absque concilii judicio depositum, ab exsilio revocandum; causamque illius, convocatis episcopis, retractandam.
EPIST. IX. (ad Antoninum subdiaconum). - Ut Florentio, si aconvocatis episcopis absolvatur, res suas omnino restitui curet.
EPIST. X (ad Savinum subdiaconum). - Ut Evangelii juatuor libros, sic quatuor concilia suscipit ac veneratur Gregorius. Chalcedonensis fidem in quinta synodo violatam non fuisse declarat. Savino proinde ad Ecclesiae unitatem remeandum.
EPIST. XI (ad ordinem et plebem Albanensem). - Ordinatum ipsis episcopum.
EPIST. XII (ad Maximianum episcopum). - Agrigentini episcopi accusatores et ad ejus causam spectantia documenta Romam millat.
EPIST. XIII (ad Agnellum episcopum). - Agnellum Terracinensi Ecclesiae ita praelicit, ut Fundensis Ecclesiae jura protestatemve illi non subtrahat.
EPIST. XIV (ad Terracinenses). - Hortatur ut Agnello episcopo suo in omnibus obediant.
EPIST. XV (ad Scholasticum judicem). - Cum Florentius subdiaconus a Neapolitanis electus episcopatum fuga declinarit, de alio eligendo cogitandum.
EPIST. XVI (ad Petrum episcopum). - Valerianum )presbyterum pro redemptione captivorum advenientem commendat.
EPIST. XVII (ad Gratiosum subdiaconum). - Florae abbatissae domum cum hortis et hospitiis ad construendum monasterium tradat.
EPIST. XVIII (ad Theodorum consiliarium). - Acosimi pueri donationem, jam Theodoro factam scripto firmat.
EPIST. XIX (ad Petrum subdiaconum). - Ut sancti Severini reliquias ad ecclesiae consecrationem mittat.
EPIST. XX (ad Gratiosum episcopum). - Sancti Anthemii Ecclesiam unit Numentanae.
EPIST. XXI (ad Paschalem, Demetianum et Castorium). - Orphanis patris substantiam Ecclesiae obligatam reddit, debita que ab illo pecunias omnino condonat.
EPIST. XXII (ad Antoninum subdiaconum). - Salonae episcopum curet eligi, qui Romae ordinetur. In electione solum vitae ac morum decus attendendum moneat. Descriptas Ecclesiae res selectis viris custodiendas committat. Ab illis abstineat Malchus episcopus, Romamque administrati patrimonii rationes tandem expleturus venire festinet.
EPIST. XXIII (ad Petrum subdiaconum). - Deponendum ob crimina Secundinum abbatem, postulatumque a congregatione ordinandum Theodosium.
EPIST. XXIV (ad Leontium episcopum). - Ut infirmo et absente Castorio episcopo, Ariminensem Ecclesiam regat.
EPIST. XXV (ad Ariminenses cives). - Illos de episcopi sui infirmitate accusat, ut Leontio in omnibus obediant jubet.
EPIST. XXVI (ad Magnum presbyterum). - Quem Laurentius quondam episcopus immerito excommunicaverat, absolvit. Ipsum hortatur ut Ecclesiae suae pure ac diligenter ministret, clerumque ac populum de idoneo episcopo absque dissensionibus eligendo admoneat.
EPIST. XXVII (ad Marinianum et Benenatum). - Ut in Bonifacium inquirant; qui, si inventus fuerit reus, sacra privetur communione, atque in monasterium retrudatur.
EPIST. XXVIII (ad Romanum patricium). - Ut Armenio orphano egenti ac nobili, locum vet operam provideat, unde quotidianis stipendiis sustentetur.
EPIST. XXIX (ad presbyteros et clerum Mediolanensem). - Ad Constantii, quamvis sibi notissimi et amici, electionem non sollicitat. Qualis esse debeat pastor, quis eligentium affectus, egregie depingit. Ex terrarum plagis mundi finem ac judicium proximum suadet.
EPIST. XXX (ad Joannem subdiaconum). - Ut Mediolanensium apud Genuam scrutetur vota; quae si in Constantium consentiant, hunc a propriis episcopis faciat consecrari.
EPIST. XXXI (ad Romanum patricium). - Constantium sibi amicissimum commendat.
EPIST. XXXII (ad Honoratum archidiaconum). - Ejus absolutionem firmat. Ea vero de quibus erat conquestus, Antonino discutienda committit.
EPIST. XXXIII (ad Dynanium patricium). - Quadringentos solidos de reditibus Ecclesiae Romanae se accepisse significat. Mittit crucem sacris reliquiis refertam.
EPIST. XXXIV (ad Petrum subdiaconum). - Ut Festum episcopum civibus suis conciliet.
EPIST. XXXV (ad Petrum subdiaconum). - Ex clero Neapolitano mittendos Roman duos vel tres, qui vice omnium epi-copum eligant. Futuro episcopo deferenda necessaria. Paulo secedenti dandos pro labore solidos centum cum mancipio uno.
EPIST XXXVI (ad Sabinum defensorem). - Ut Januarium episcopum et Epiphanium presbyterum criminibus accusatos Romam perducat. Pompeianam vero, Theodosiam et Isidorum adjuvet Roman venire cupientes.
EPIST. XXXVII (ad Bonam abbatissam). - Monasterium construi praecipit, et onmia a Joanne presbytero ipsi legata confirmat.
EPIST. XXXVIII (ad Libertinum praefectum). - Ut Nasam Judaeum seductorem puniat, nec non Christiana mancipia ab illo comparata liberet.
EPIST. XXXIX (ad episcopos Corinthios). - Diaconum mittit, qui de audita Adrianum inter et episcopos ejus accusatores reconciliatione inquirat.
EPIST. XL (ad Petrum subdiaconum). - Numerium diaconum, si episcopatu dignum judicet, Romam mittat consecrandum. Catellam servam, si animo sincero monasticum habitum petit, a Felice redimat.
EPIST. XLI (ad Pantaleonem notarium). - Stuprator virginis aut eam ducat, aut corporaliter castigatus in monasterium detrudatur. Diaconus captivus Ecclesiae sumptibus redimatur.
EPIST. XLII (ad Felicem episcopum). - Ecclesiarum ministeria, pecuniae, etc., Ecclesiae Sipontinae describantur, quorum index Roman mittatur.
EPIST. XLIII (ad Felicem episcopum). - Episcopum de illato a nepote stupro arguit, ipsique imponit latae in reum sententiae exsecutionem.
EPIST. XLIV (ad Bonifacium episcopum). - Stephaniae res a decessoris sui actoribus occupatas restituat.
EPIST. XLV (ad Andream episcopum). - Ut sacerdotium ipse deponat, si peccati cum concubina sit conscius, hortatur. Quod mulierem fustibus caedi jusserit, a missarum celebratione per duos menses abstinere jubet.
EPIST. XLVI (ad Joannem episcopum). - Andream episcopum, si concubinam in sacro ordine constitutus contigerit, a ministerio prohibendum. Suspendendum eumdem a missarum celebratione ob caesam fustibus mulierem. Expendendas quoque clericorum de illo querelas.
EPIST. XLVII (ad Clerum Ecclesiae Salonitanae). - Honorati electionem in episcopum approbat.
EPIST. XLVIII (ad Columbum episcopum). - Praemisse singularis benevolentiae testimonio, illum ne pueros ordinari, neve ordines ex favore aut ex venalitate conferrisinat, atque ut sibi concilii statum indicet, hortatur. De catenis beati Petri aliquid clavibus inclusum mittit.
EPIST. XLIX (ad Adeodatum episcopum). - Post amicam salutationem, eum hortatur ad explendum officium; imprimis ne ullos nisi provectiores aetate, et mundos opere ordinet; ne sit in ordinatione venalitas. Maximiani episcopi utatur consilio. Tandem peracta synodo, se de ejus concordia certiorem faciat.
EPIST. L (ad Theodorum episcopum). - Ipsum laudat quod sacerdotum vitam sollicite perscrutetur ac renuntiet. Paulum episcopum in monasterio ad poenitentiam permanere praecipit. Hujus describendas res ac servandas. De Bonifacio graviter accusato inquirendum.
EPIST. LI (ad Maximianum episcopum). - De miraculis Patrum in Italia factis scribere cogitans, Maximianum rogat ut ea quorum meminit indicet
EPIST. LII (ad Priscum patricium). - Ex prosperitatis et adversitatis vicissitadine humilitatem suadet. Gratulatur de recuperata impp. gratia. Sabinianum et Castum commendat.
EPIST. LIII (ad Joannem episcopum). - Responsionem de causa Joannis et Athanasii presbyterorum simulatam, ineptam, ac Joannis episcopi sanctitati nullatenus congruentem, scelesto juveni tribuit, ad cujus consilia nimium ille inflectebatur. Ut dicta causa juxta canones finiatur, instat acerrime. Sabinianum apocrisiarium suum commendat.
EPIST. LIV (ad Theotimum medicum). - Post amicissimam salutationem commendat Sabinianum.
EPIST. LV (ad Maximianum episcopum). - Agathonis episcopi in quem districte fuit vindicatum sustentationi providet.
EPIST. LVI (ad Joannem episcopum). - Ne in plateis pallium ulterius ferat, nisi a Romanis pontificibus id sibi concessum ostenderit. Ne in secretario ipso cum pallio deinceps sedeat. In quosdam e clericis suis inquirat; contumacibus interdicat sacro ministerio. Primis duntaxat Ravennatis Ecclesiae diaconibus mappularum usum concedit.
EPIST. LVII (Joannis Ravennatis episcopi ad Gregorium papam). - Singulis sibi objectis submisse respondet, et Ecclesiae suae privilegia ex consuetudine tuetur; quae ne minuantur postulat.
EPIST. LVIII (ad Cyprianum diaconum). - Si non habet Cosmas unde solvat, cum illius creditoribus pasciscatur; atque ejusdem filios, pactam summam persolvens, liberet.
EPIST. LIX (ad Secundinum episcopum). - Baptisterium de monasterio auferatur, ut monachis liceat opus Dei securius celebrare.
EPIST. LX (ad Italicam patriciam). - In ipsis pauperum causis, ne litigiis immisceatur, silentium eligit. Cypriano potestatem facit ut cum Italica, si id ipsa velit, salvo pauperum jure, causam absque lite finiat.
EPIST. LXI (ad Fortunatum episcopum). - Quomodo ia Ecclesia sua conversari debeat.
EPIST. LXII (ad Eutychium episcopum). - Ut in convertendis idolorum cultoribus perseveret hortatur. Ipsi praetoris postulat patrocinium.
EPIST. LXIII (ad Fortunatum episcopum). - De monasterio Gratiosae abbatissae consecrando.
EPIST. LXIV (ad Chrysanthum episcopum). - Mevaniensi Ecclesiae quaerat episcopum, presbyteros ordinet, ibique consignet infantes.
EPIST. LXV (ad Mauricium Augustum). - Precatur ut legem temperet vel immutet, qua tum publicis rationibus implicatos, tum milites, in monasteriis suscipi prohibuerat.
EPIST. LXVI (ad Theodorum medicum). - Ostensa latae legis iniquitate, Theodorum hortatur ut epistolam suam imperatori offerens, ipsi de revocanda lege suadeat.
EPIST. LXVII (ad Domitianum metropolitanum). - Allatam dudum a se raptus Dinae, Genes. XXXIV, juxta spiritalem sensum expositionem propugnat. Domitiano gratulatur, tum quod saecularibus causis occupatus Scripturas meditetur, tum quod Persarum imperatori fidem praedicaverit.
EPISTOLARUM LIBER IV.
EPISTOLA PRIMA (ad Constantium episcopum). - Quod concordi omnium assensu fuerit electus, gratulatur. Monet respondendum suorum affectibus, necessi atibus succurrendum, corrigenda mature vitia. In bonis profectum precatur. Pallium mittit.

EPIST. II (ad Constantium episcopum). - Theodelindam reginam et tres episcopos, ob tria capitula a Constantio divisos, susceptis epistolis suis, ad illius communionem reversuros sperat. Pacem cum Langobardis exoptans, petit ut se de Francorum cum Langobardorum rege gestis faciat certiorem.
EPIST. III (ad Constantium episcopum). - Nullam a Constantio datam de tribus capitulis cautionem. Chalcedonensis synodi fidem in Romana Ecclesia integram servari. Divisis proinde episcopis ad unitatem redeundum.
EPIST. IV (ad Theodelindam reginam). - Quod sese a Constantii communione suspenderit, dolet. Nihil contra Chalcedonensis synodi fidem Justiniani temporibus actum asserit. Hortatur ut Constantii ordinationem suscipiat, eique communione jungatur.
EPIST. V (ad Bonifacium episcopum). - Cleri sui moribus et famae consulat. Id de subdiaconis ejus decernit, quod supra de Slculis, lib. I, epist. 44.
EPIST. VI (ad Cyprianum diaconum). - Petronillae conversae et Agnelli ejus corruptoris facinus discutiat, et puniat, atque ablata monasterio curet restitui.
EPIST. VII (ad Gennadium patricium). - Columbo episcopo in Numidiae concilium inquirenti, et pravos correpturo faveat. Compescat intestina Ecclesiarum bella.
EPIST. VIII (ad Januarium episcopum). - Stephani defuncti voluntatem de monasterio construendo curet adimpleri.
EPIST. IX (ad Januarium episcopum). - Singulis ancillarum Dei monasteriis probatus vir deputandus, a quo sie procurentur negotia, ut monialibus exinde vagari non liceat. Illarum lapsibus decernuntur poenae. Concilia bis in anno celebrentur. Judaeorum servi ad Ecclesiam fidei causa fugientes in libertatem vindicentur. Ne in baptizatorum frontibus iteretur chrismatio, solum pectus ungant presbyteri, deinde episcopi frontem. Monasterium juxta Petri defuncti voluntatem construatur, si congrua adsit redituum quantitas.
EPIST. X (ad universos episcopos Dalmatiae.) - Ne absque consensu et permissu suo ullum Salonae episcopum ordinent. Si tamen in aliquem alium a Maximo consentiant omnes, consecretur.
EPIST. XI (ad Maximianum episcopum). - Etiam novorum redituum quartae partes juxta canonicam distributionem dispensandae. Presbyter aliusve clericus abbas non fiat, nist relieta Ecclesiae cui ministrabat cura. Defuncto episcopo, Ecclesiae res diligenter, at gratis, describendae. Visitatoribus et eorum clericis tribuendum stipendium. Virgo nondum sexagenaria non fiat abbatissa.
EPIST. XII (ad Maximianum episcopum). - Puniendum facinus quo ablata est cujusdam uxor, et alteri vanundata.
EPIST. XIII (ad Clementium episcopum). - Adeodatus presbyter, si sola aegritudinis causa Ecclesiae suae defuerit, in locum suum restituendus.
EPIST. XIV (ad Maximianum episcopum). - Ut Felicem diaconum in sua Ecclesia suscipiat.
EPIST. XV (ad Januarium episcopum). - Theodosiae, monasterium in domo sua construere cogitanti, concuarat.
EPIST. XVI (ad Cyprianum diaconum). - Dispersa, quae in Siciliam detulerant Itali sacerdotes, Ecclesiarum vasa colligantur, ac summa cautione serventur.
EPIST. XVII (ad Felicem episcopum.) - Solidos duodeem quibus Tribunus clericus redemptus fuit, redemptori restituat ex Ecclesiae pecuniis.
EPIST. XVIII (ad Maurum abbatem). - Dat monachis in perpetuum ecclesiam sancti Pancratii, tum ne missarum celebratio deinceps negligatur, tum ut ad martyris corpus opus Dei peragatur quotidie.
EPIST. XIX (ad Leonem acolythum). - Ecclesiam sanctae Agathae in Subura commendat.
EPIST. XX (ad Maximum praesumptorem). - Maximum violenter intrusum, ejusque ordinatores episcopos, ab omni sacerdotali officio submovet, donec de imperatoriae jussionis veritate constiterit.
EPIST. XXI (ad Venantium episcopum). - Christianum mancipium retinere Judaeis non liceat; qui vero Judaeorum terras dudum colunt Christiani, peragant colere jure colonario.
EPIST. XXII (ad Constantium episcopum). - Hortatur ut Venantium Lunensem episcopum in cleri sui ac caeterorum religiosorum emendatione adjuvet.
EPIST. XXIII (ad Hospitonem ducem Barbaricinorum). - Felici et Cyriaco in convertendis ab idololatria Barbaricinis laborantibus faveat.
EPIST. XXIV (ad Zabardam ducem Sardiniae). - Gratias agit quod co pacto cum Barbaricinis facere pacem disponat, ut Christo serviant.
EPIST. XXV (ad nobiles ac possessores in Sardinia). - Quod rusticos suos ab idolorum cultu non avertant arguit; id praestare si nequeunt, saltem Felici et Cyriaco ad hoe opus missis opem ferant.
EPIST. XXVI (ad Januarium episcopum). - Clericos, a quibus despiciebatur, ad disciplinam cogendos. Rusticum in infidelitate pertinacem pensionis onere premendum. Clerici carne lapsi irrevocabiliter deponantur. Accurate, antequam ordinentur, examinandi. Sardiniae presbyteris id concedit quod veluerat, ut nempe, quos baptizabunt, si episcopi desint, chrismate in frontibus tangant.
EPIST. XXVII (ad Januarium episcopum). - A xenodochis rationes exigat; ii sint notae probitatis atque industriae clerici. Qui Epiphanium presbyterum scriptis epistolis accusavit, si in probatione deficiat, communione privetur. Paulus clericus in maleficiis deprehensus detur in poenitentiam. Gratis ordinentur, velconnubio jungantur clerici; gratis velentur virgines. Ad laicorum patrocinia clerici non confugiant.
EPIST. XXVIII (ad Candidum defensorem). - Ut Albino luminibus privato singulis annis duos tremisses praebeat.
EPIST. XXIX (ad Januarium episcopum). - Phausiana quae pridem habuerat episcopum, nune quoque habeat.
EPIST. XXX (ad Constantinam Augustam). - Ut Constantinam caput sancti Pauli postulantem deterreat, varia recenset prodigia. Ad lit hanc esse Romanis consuetudinem, ut reliquias petentibus brandea solum concedant. Ad objectam Grecorum consuetudinem respondet. Tandem e catenis sancti Pauli particulas lima excutiendas promittit.
EPIST. XXXI (ad Theodorum medicum). - Gratias refert de transmissa in pauperes pecunia. Ad sacrae Scripturae lectionem hortatur. Commendat Narsetem: Millit munera tabulas.
EPIST. XXXII (ad Narsem patricium). - Causam presbyterorum cum Joanne patriarcha se ad canonum normam omnino exacturum declarat. Commendatum a se Theodoro Narselem. Epistolae brevitatem excusat, quod tribulationibus prematur.
EPIST. XXXIII (ad Anthemium subdiaconum). - Judaeis conversis tribus det solidos singulis annis.
EPIST. XXXIV (ad Pantaleonem praefectum). - Ut Donatistarum audaciam comprimat, et Paulum episcopum Romain quantocius mittat, hortatur.
EPIST. XXXV (ad Victorem et Columbum episcopos). - Coacto concilio, Donatistis prompte ac fortiter obsistant. Mittant ad, se Paulum episcopum, quo edocente, Donatistarum facinoribus planius cognitis, de illis puniendis ac comprimendis tutius decernat.
EPIST. XXXVI (ad Leonem episcopum). - Ne subdiaconi cum suis uxoribus misccantur. Speciosi subdiaconi uxor, in monasterium ob secundas nuptias detrusa, dimittatur.
EPIST. XXXVII (ad Maximianum episcopum). - Euplo patris et matris bona reddi jubet.
EPIST. XXXVIII (ad Theodelindam reginam). - Ab imperitis seductam dolet. Sanctarum quatuor synodorum, maxime Chalcedonensis, fidem in Romana Ecclesia integram servari profitetur. Hortatur ne extra Constantii episcopi communionem maneat.
EPIST. XXXIX (ad Constantium episcopum). - Brixianis civibus non juret se tria capitula minime damnasse, sed in epistola integram Chalcedonensis synodi fidem profiteatur. Joannem Ravennatem intra Missarum solemnia non nominet, nisi id postulet antiqua consuetudo, aut ab illo soleat ipse nominari. Theodelindae iterum scribens, jam quintae synodi non meminit, quae tamen contra priores quatuor statuit nihil. Compescat Fortunatum. Ursicinum e status sui conditione non pulset.
EPIST. XL (ad Marcellum scholasticum). - Pro Maximo indulgentiam postulanti amice indicat id rectitudinem disciplinae non pati.
EPIST. XLI (ad clerum, ordinem et plebem Hortonae). - Barbarum visitatorem delegat. Ante omnia monet ne laicam personam in episcopum eligant.
EPIST. XLII (ad Valentinum abbatem). - Ne monachi feminas in monasterium inducant, aut eas sibi commatres faciant.
EPIST. XLIII (ad Bonifacium virum magnificum). - Veniat Romam, de fide sua, jam non per epistolas, sed per semetipsum responsurus. Qui cum eo dubia patiuntur, secure venire posse, cum non potestate, sed ratione erga ipsos usurus sit.
EPIST. XLIV (ad Maximianum episcopum). - Quosdam e Bacaudae episcopi clero, ad sacros ordines in Sicilia promotos, ad ipsum illos repetentem transmittat.
EPIST. XLV (ad Fantinum defensorem). - Solidos sexaginta. mittit pro Cosma persolvendos.
EPIST. XLVI (ad Rusticianam patriciam). - Festinum nimis illius e monte Sina reditum reprehendit.
EPIST. XLVII (ad Sabinianum diaconum). - Maximi, qui Gregorii scripta publice scindi fecerat, superbiam comprimendam. Ejus calumniae de Malcho episcope occiso quid respondendum. Monendum de duobus Romanum.
EPISTOLARUM LIBER V.
EPISTOLA PRIMA (ad Joannem Ravennatem episcopum). - Non praeponendos monasteriis clericos Ecclesiis deservientes.
EPIST. II (ad Felicem episcop. et Cyriacum abbatem). - Introducendos in monasterium a Theodosia fundatum servos Dei.
EPIST. III (ad Venantium episcopum). - Presbyteri, diaconi et subdiaconi qui se luxuriae crimine maculaverint suo gradu in perpetuum dejecti maneant. Peracta poenitentia communionem accipiant inter laicos. Saturnino expresbytero monasteriorum quorumdam curam suscipere concedit. Mittit baptizandae mulieri vestem, et Columbo presbytero Codicem regulae pastoralis.
EPIST. IV (ad Constantium episcopum). - Id de lapsis decernit quod antecedenti epistola. Constantio scribit ut Joannem puniens iram caveat. Ut ejusdem Constantii famae consulatur. Finiendam Romae causam Fortunati.
EPIST. V (ad Dominicum episcopum). - Gratulatur quod pastorali zelo Donatistas coercere studuerit; severiorem tamen in episcopos id negligentes Africani concilii sententiam non probat.
EPIST. VI (ad Victorem episcopum). - Gregorium abbatem longa, ob negligentiam, poenitentia afflictum restituat. Martiam sanctimonialem revocet. Tradatur Victoria Fantino diligenter examinanda. Anastasius medicus ne in monasterium virginum deinceps ingrediatur.
EPIST. VII (ad Venantium episcopum). - Saturninum expresbyterum, si post lapsum ministraverit, communione privet usque ad diem obitus.
EPIST. VIII (ad Cyprianum diaconum). - Persequatur Manichaeos. Judaeis vero qui ad Christum fuerint conversi minuenda pensionum onera. Mutuos det rusticis solidos.
EPIST. IX (ad Petrum notarium). - Miriensis Ecclesiae tune reddenda ministeria, cum ibi ordinatus fuerit episcopus.
EPIST. X (ad Felicem episcopum). - Districtam, nisi primae Justinianae episcopo primati suo pareat, minatur correptionem.
EPIST. XI (ad Joannem episcopum). - Pallio in litaniis solemnibus uti, quatuor duntaxat per annum diebus, concedit.
EPIST. XII (ad Petrum episcopum). - Agrigentinae Ecclesiae redituum quartam partem in visitationis stipendium assignat.

EPIST. XIII (ad Gaudentium episcopum). - Capuanae Ecclesiae visitationem injungit.
EPIST. XIV (ad clerum Ecclesiae Capuanae). - De visitatione Ecclesiae Capuanae Gaudentio commissa.
EPIST. XV (ad Joannem episcopum). - Quinque in illo carpit. Ravennatem Ecclesiam honorare desiderat, sed honorem ex superbia abripi non patitur.
EPIST. XVI (ad Datianum episcopum). - Amice rogat ut sibi afflicto compatiatur.
EPIST. XVII (ad Cyprianum diaconum). - Dolet de Maximiani episcopi obitu. Joannem Catanensem archidiaconum in successorem indicat.
EPIST. XVIII (ad Joannem episcopum). - Quid cum Joanne tum ipse, tum decessor Pelagius, egerint, ob usurpatum episcopi universalis titulum. Ab hoc ut abstineat rogat, multisque urget momentis. Cavendum ipsi ab adulatoribus.
EPIST. XIX (ad Sabinianum diaconum). - Epistolam superiorem, ob reverentiam imperatoris, suavitate respersam, det Joanni episcopo. Principi is callide persuaserat ut Gregorium ad pacem secum servandum hortaretur. Sabiniani adversus ejus superbiam animum excitat Gregorius.
EPIST. XX (ad Mauricium Augustum). - Laudat imperatoris zelum pro Ecclesiae pace. Joannis episcopi hypocrisim depingit. Ambitioso quem usurpabat titulo Ecclesiam totam, venerandas synodos, pias leges, ipsius Christi mandata turbari; illius proinde superbiam imperiali auctoritate constringendam. Se vero, nisi humiliter ac suavitor admonentem audiat Joannes, illi cum Deo invicte restiturum.
EPIST. XXI (ad Constantinam Augustam). - Ut Joannis ambitioni se opponere pergat hortatur. Perstringit illius hypocrisim, perversitatem ac superbiam. Conqueritur imperatorem illi et Maximo patrocinari. Huic, ob principis reverentiam, quod nesciente se ordinatus sit indulget, alia ejus facinora discutienda et judicanda reservat.
EPIST. XXII (ad nobiles Syracusanos). - Cum episcopi electionem Gregorii arbitrio commisissent, talem eis ordinare studet, qui Maximianum decessorem imitetur.
EPIST. XXIII (ad Castorium notarium). - Ad eligendum quantocius episcopum Ravennates hortetur. Non largum praemiis, sed dignum meritis eligant.
EPIST. XXIV (ad Romanum exarchum). - Ne Speciosum presbyterum episcopo suo resistentem tueatur, neque patrocinetur sanctimonialibus ad saeculum reversis.
EPIST. XXV (ad Severum episcopum). - Visitationem Ecclesiae Ravennatis commendat.
EPIST. XXVI (ad Ravennates). - Commissam Severo Ravennatis Ecclesiae visitationem.
EPIST. XXVII (ad Cyprianum diaconum). - Attendat num res Ecclesiae minuerit defunctus episcopus. Ad successoris electionem clerum et populum hortetur.
EPIST. XXVIII (ad Castorium diaconum). - Pisaurensis episcopi aliorumve sacerdotum vitam perscrutetur; si quid sinistrum invenerit, renuntiet. Tutorem tucatur, ut quae sibi pro pauperibus injuncta sunt valeat exsequi.
EPIST. XXIX (ad Vincomalum defensorem). - Illum instituit Ecclesiae defensorem.
EPIST. XXX (ad Mauricium Augustum). - Imperatoribus pro triginta libris auri in eleemosynam missis gratias agit. Scribonem laudat, tum de fideli summae illius distributione, tum de rogis militum liberali manu factis.
EPIST. XXXI (ad conductores massarum). - Donec adveniet Gallicani patrimonii rector, Arigio patricio obediant.
EPIST. XXXII (ad Cyprianum diaconum). - Defuncto Maximiano episcopo, nonnullos e clericis ab eo propter maleficium in carcerem conjectos, gravibus afficiat poenis.
EPIST. XXXIII (ad Gaudentium episcopum). - Capuanis clericis Neapoli ministrantibus quartam distribuat. Archidiacono inopi restituat solidos decem.
EPIST. XXXIV (ad Cyprianum diaconum). - Ciceronem monachum lapsum Misenati Ecclesiae, cujus fuerat famulus, restituat.
EPIST. XXXV (ad Cyprianum diaconum). - Monachos tres ad monasterium sancti Martini cogat redire; faveat ejusdem monasterii procuratoribus; eidem reddat mancipia.
EPIST. XXXVI (ad Severum scholasticum). - Componendam cum Agilulpho Langobardorum rege pacem exarcho persuadeat.
EPIST. XXXVII (ad Fortunatum episcopum). - Monasterium in honorem sancti Petri et sancti Michaelis dedicet, in quo missas celebrent presbyteri ibi deservientes; monachis tamen proficiat quidquid a fidelibus offerri contigerit.
EPIST. XXXVIII (ad Eliam presbyterum et abbatem). - Excusationem ejus accipit; mittit Evangelia; Epiphanium diaconatu Romanae Ecclesiae alligat; modestam subsidii petitionem liberalitate vincit.
EPIST. XXXIX (ad Anastasium episcopum). - De ejus in Antiochenam sedem restitutione gratulatur, et suas Italiaeque calamitates strictius narrat.
EPIST. XL (ad Mauricium Augustum). - Conqueritur quod fatuus appellatus sit, quod de Ariulphi ad pacem animo plus aliis credatur quam sibi; quod interim captiva ducatur Italia. Imperatorem, ut debitam sacerdotibus reverentiam impendat, multis hortatur. Quas accepit ipse enumerat plagas. Gregorium praefectum et Castorium magistrum militum excusat. Diversum fore ab imperatorio divinum judicium.
EPIST. XLI (ad Constantinam Augustam). - Imperatori suggerat Corsos ac Siculos inique ac nimium gravari. Etsi minus in Italiae expensas haberetur pecuniae, compescendos tamen oppressorum gemitus.
EPIST. XLII (ad Sebastianum episcopum). - Ad amorem coelestium se hujus vitae doloribus impelli. Quos patitur recenset. Sebastianum, quod oblatae ab Anastasio Ecclesiae regimen suscipere noluerit, laudat. Si ad hoc unquam consentire decreverit, petit ut in amore sibi alium non praeponat.
EPIST. XLIII (ad Eulogium et Anastasium episcopos). - Tum Pelagii decessoris sui, tum suas ad Joannem, titulum universalis episcopi sibi arrogantem, epistolas mittit. Hortatur enixe ut communi consilio atque uno spiritu illius superbiam insequantur.
EPIST. XLIV (ad Leontium episcopum). - De visitatione Ariminensi melius procuranda.
EPIST. XLV (ad Andream scholasticum). - Castorium chartularium commendat.
EPIST. XLVI (ad Basilium). - Laudat ejus zelum pro Ecclesiae unitate. Ipsum excitat ne a procuranda schismaticorum reversione deterreatur.
EPIST. XLVII (ad Mastalonem). - Ipsius pro Ecclesiae unitate zelum laudat. A procuranda schismaticorum reversione non deterreatur.
EPIST. XLVIII (ad Andream scholasticum). - Exclusis ob culpas Donato, ob ignorantiam Joanne, Marinianum sibi probe notum invitum ordinatum esse, quem Andreae commendat.
EPIST. XLIX (ad Leandrum episcopum) - Libros in expositionem beati Job, et librum Regulae Pastoralis transmittit.
EPIST. L (ad Joannem abbatem). - Ad monasterium sancti Andreae proficiscatur, vitiosos coerciturus ac puniturus.
EPIST. LI (ad Petrum et Providentium episcopos). - Scribit de fide eis satisfacturum se, promittitque Romam venientibus nullam molestiam illaturum.
EPIST. LII (ad Joannem archiepiscopum). - Laudat Secundinum episcopum quod Anastasii causam recte discusserit ac finierit. Clericis qui ab Anastasii accusatione destiterant, Paulo quidem et Clematio, ignoscit, Euphemio vero atque Thomae sacris ordinibus quos pro sceleris praemio perceperant in perpetuum interdicit. Singulis consuela stipendia vult erogari, et Paulo restitui quidquid in Ecclesiae utilitatem expenderat.
EPIST. LIII (ad Virgilium episcopum). - Vices illi suas in regne Childeberti concedit. Monet ut simoniacam labem prohibeat, et ne ex laicis repente fiant episcopi. De pallii usu, et quatenus vices apostolicas obire debeat.
EPIST. LIV (ad universos regni Childeberti episcopos). - Virgilio Arelatensi, cui vices suas commisit, obediant; ab eo vocati veniant ad synodum; nec ad Jonginqua loca sine illius auctoritate pergant.
EPIST. LV (ad Childebertum regem). - Virgilio se vices suas et pallium regis petitu concessisse; hortatur vicissim ut illi faveat in prohibenda simonia, et ne ex laicis repente fiant episcopi.
EPIST. LVI (ad Marinianum episcopum). - Pallii usum concedit, firmat privilegia Ravennatis Ecclesiae.
EPIST. LVII (ad Joannem episcopum). - Post nequissimum decessorem Anastasium, Corinthios sic regat, ut praecedentis contagii omnes abstergat maculas. Concedit pallii usum. Hortatur ut in subjectis sibi locis simoniam compeseat.
EPIST. LVIII (ad universos episcopos per Helladiam). - Gratulatur de Anastasii correctione, cujus casus sit illis cautela. Joanni illius successori obediant. Non patiantur, aut dato praem [...] o, aut alicujus gratia vel supplicatione clericos ordinari vel promoveri.
EPISTOLARUM LIBER VI.
EPISTOLA PRIMA (ad Marinianum episcopum). - In Joannis decessoris ejus testamento quid ratum esse debeat.
EPIST. II (ad clerum et plebem Ravennae). - Rectam omnino esse Mariniani episcopi fidem testatur.
EPIST. III (ad Maximum Satonitanum). - Maximus de simonia et de aliis multis accusatus Romam citatur.
EPIST. IV (ad Cyprianum diaconum). - Modiorum tritici duo millia det Zenoni episcopo egenis distribuenda.
EPIST. V (ad Brunichildem reginam). - Laudat illam a recta filii educatione. Candidum presbyterum patrimonii quod erat in Gallia rectorem designatum commendat.
EPIST. VI (ad Childebertum regem). - Laudat in illo studium fidei catholicae, Candidumque commendat patrimonii rectorem, Dynamii patricii loco, desiguatum.
EPIST. VII (ad Candidum presbyterum). - Jubet ex reditibus patrimonii pueros Anglos, et in usum pauperum vestimenta emere.
EPIST. VIII (ad episcopos Epiri). - Andreae in metropolitanum electionem probat. Hortatur ut illum imitentur, illi obediant, illi sint concordes, atque ut gregi suo invigilent singuli. Promovendi apud illos clerici non pecunia, non personae ullius gratia, sed moribus suis commendentur.
EPIST. IX (ad Donum episcopum). - Pallio, quo ipsum decorat, morum ornatum adjungendum monet. Antiqua Messanensis Ecclesiae privilegia firmat.
EPIST. X (ad Bonifacium episcopum). - Regiensi Ecclesiae unit Carinensem.
EPIST. XI (ad Fortunatum episcopum). - Gratianum Venetranae Ecclesiae diaconum Neapolitanae incardinari permittit. Vetat ne coram laicis in jus vocentur clerici, ac ne causarum judicium ipse differat. Hortatur ad pastoralem vigilantiam.
EPIST. XII (ad Montanam et Thomam). - Montanam et Thomam Romanae Ecclesiae famulos manumittit. Eosdem a Gaudioso presbytero haeredes institutos, legatis frui concedit.
EPIST. XIII (ad Cyprianum diaconum). - Decio Lilybetano episcopo in reformando Ecclesiae suae statu opem ferat.
EPIST. XIV (ad Narsem comitem). - Athanasium presbyterum in Manichaei dogma cecidisse, Joannem vero ab haeresi immunem declarat; Pelagianum esse qui negat mortuam, cum peccavit, Adami animam. Ephesinae synodi recentiores Codices falsatos suspicatur, requirendos monet vetustos.
EPIST. XV (ad Joannem episcopum). - Joannem presbyterum inique damnatum absolvit, atque ab om [...] haereseos labe purum denuntiat. Eumdem commendat Joanni episcopo Constantinopolitano.
EPIST. XVI (ad Mauricium Augustum). - Joannem presbyterum prorsus innocentem affligi denuo velut haeresi obnoxium non permittat.

EPIST. XVII (ad Theotistum). - Joannem presbyterum, ab imposito sibi haereseos crimine facto concilio absolutum, tueatur ab omni molestia.
EPIST. XVIII (ad Joannem episcopum). - Pallii usum concedit et antiqua firmat privilegia.
EPIST. XIX (ad Dominicum episcopum). - Ut mutua ipsorum dilectio coeleste gaudium acquirat, mutuis sese orationibus adjuvent.
EPIST. XX (ad Cyprianum diaconum). - Persuadeat Leoni Catanensi episcopo ut Joanni episcopo Syracusano quemdam presbyterum cedat.
EPIST. XXI (ad Petrum episcopum). - Commendat Ecclesias tres propriis episcopis destitutas.
EPIST. XXII (ad Petrum episcopum). - Ut Ecclesiam et baptisterium consecret.
EPIST. XXIII (ad Anthemium subdiaconum). - Amalphitanum episcopum in Ecclesia sua residere cogat.
EPIST. XXIV (ad Marinianum episcopum). - Probat non nullos immerito conqueri quod causa inter Ravennatem Ecclesiam et Claudium abbatem Romae discutiatur; aequam spondet sententiam.
EPIST. XXV (ad Maximum Salonitanum). - Obediat tandem, ac post triginta dies, omni excusatione omissa, Romam veniat, ubi illius causae juxta canones linis imponatur. Interim sacra communione ob superbiam privatus maneat, nec Paulino episcopo, nec Honorato archidiacono sit molestus.
EPIST. XXVI (ad Salonitanos). - Se non privato odio contra Maximum moveri; mirari autem se quod ex illis vix pauci a Maximi communione abstinuerint.
EPIST. XXVII (ad clerum et populum Jaderae). - Se contra Maximum solo justitiae zelo moveri asserit. Hortatur ut a Maximi communione se suspendant, atque ab illis sacram communionem percipiant quos Maximo non communicare noverint.
EPIST. XXVIII (Ad Candidum episcopum). - Aptos ad presbyterale officium monachos cum consensu abbatis assumat, et presbyteros ordinet.
EPIST. XXIX (Ad Marinianum episcopum). - Ne contra decessoris sui dispositionem, supra, epist. 1, firmatam, monasterium gravet. Ne male suadentes audiat. Ne plus pecuniae studeat quam lucrandis animabus. A clericis monasteria molestiam pati non sinat.
EPIST. XXX (Ad Secundum). - Pacem cum Agilulpho rege procurare festinet. Marinianum episcopum ad misericordiam in pauperes excitet.
EPIST. XXXI (Ad Ravennates). - Qui adversus Castorium contestatorios libellos de nocte posuit sacra communione sit privatus, nisi publice aut contestationis veritatem ostendat, aut errorem suum confiteatur.
EPIST. XXXII (Ad Fortunatum episcopum). - Si Judaicum aut paganom mancipium ad Christianam fidem converti desiderat, in libertatem vindicetur.
EPIST. XXXIII (Ad Leonem episcopum). - Si pagana mancipi circumciderint Samaraei, in libertatem illa vindicet, non reddito Samaraeis pretio.
EPIST. XXXIV (Ad Castorium notarium). - Inquirat quot ab ultima antiquitate litaniae solemnes fuerint in quibus Ravennas episcopus pallio uteretur.
EPIST. XXXV (Ad Anthemium subdiaconum). - Pecuniam mitt t in captivorum redemptionem, cui studiose jubet incumbere.
EPIST. XXXVI (Ad Secundinum episcopum). - Sincerum, si a soceri sui successione abstinuerit, ab hujus creditoribus vexari non sinat. Illi vero, ut vitae subsidium reperiat, liberam procuret quo voluerit eundi licentiam.
EPIST. XXXVII (Ad Columbum episcopum). - Rogatiano ejus diacono scripta ad rectorem patrimonii Siciliae dedisse, ut causa quaedam citius finiatur. Petrum quondam Numidiae episcopum ad Columbum a se mitti, quem, cognita ibi melius causa, canonice cum consciis judicet. Catholicorum filios aut mancipia baptismo Donatistarum infici non ferat.
EPIST. XXXVIII (Ad Anthemium subdiaconum) - Alexandriam relictam Vincomali commendat.
EPIST. XXXIX (Ad Cyprianum diaconum). - Reversum a schismate Joannem commendant, cui det annuos octo solidos.
EPIST. XL (Ad Donum episcopum). - Georgii, si rectius ille vixerit, sustentationi subveniat.
EPIST. XLI (Ad Rufinum episcopum). - In Ecclesia Massae Nicoteranae presbyterum ordinandum, qui episcopi in poenitentiam deputati vice, baptizet ac celebret Missas.
EPIST. XLII (Ad Victorem episcopum). - Ut in monasterio presbyterum ordinet.
EPIST. XLIII (Ad Venantium Patricium). - Contristatum se de illius et Joannis episcopi discordia; huic reverentiam exhibeat, causasque suas agant, illaesa charitate.
EPIST. XLIV (Ad Joannem episcopum). - Hortatur ut Venantio pristinam ostendat benevolentiam.
EPIST. XLV (Ad Leontium episcopum). - Facultatem tribuit Ecclesiam dedicandi. Fundatorum illius donationes confirmat.
EPIST. XLVI (Ad Felicem episcopum). - Cathedram suam e monasterio faciat amoveri, nec illic missas publicas denuo peragat.
EPIST. XLVII (Ad Leonem episcopum). - Reversum ab Histricorum schismate Joannem tueatur, et annuo refoveat subsidio.
EPIST. XLVIII (Ad Urbicumabbatem). - Agathonemin monasterio suscipiat, si illius uxor similiter converti voluerit
EPIST. XLIX (Ad Palladium episcopum). - Mittit reliquias ad dedicationem quatuor altarium in basilica quam Palladius construxerat.
EPIST. L (Ad Brunichildem reginam). - Reliquias mittit, quas postulabat. Hortatur ut corum qui his deservient quieti prospiciat.
EPIST. LI (Ad fratres in Angliam euntes). - Hortatur Augustini socios ut coeptum in Angliam peragant iter. Augustino quem illis abbatem constituit obediant.
EPIST. LII (Ad Pelagium et Serenum episcopos). - Commendat Augustinum in Angliam euntem cum sociis, et Candidum rectorem patrimonii.
EPIST. LIII (Ad Virgilium episcopum). - Commendat Augustinum ac simul Candidum presbyterum; monetque ut huic patrimonii pensiones restituat quas collegerat ipsius decessor.
EPIST. LIV (Ad Desiderium et Syagrium episcopos). - Augustinum et Candidum commendat.
EPIST. LV (Ad Protasium episcopum). - Ut Virgilium Arelatensem de pensionibus Romam mittendis urgeat, et Candidum habeat commendatum.
EPIST. LVI (Ad Stephanum abbatem). - Laudat de ordine congregationis, quem ut servet sollicite, hortatur. Gratias agit de cochlearibus ac circulis.
EPIST. LVII (Ad 'Arigium patricium). - Commendat Augustinum, ejusque socios, et Candidum.
EPIST. LVIII (Ad Theodericum et Theodebertum). - Augustinum, cui injunxit ut aliquos secum e vicino presbyteros ducat in Angliam, commendat, et Candidum Ecclesiastici rectorem patrimonii.
EPIST. LIX (Ad Brunichildem Francorum reginam). - Ut Augustino in Angliam eunti et Candido rectori patrimonii tuitionem et auxilium impendat.
EPIST. LX (Ad Eulogium episcopum). - Speciali charitatis vinculo ambos ipsos constringi observat: hinc dolenti congemiscit; ac ne illius dolorem augeat, reticet mala quae a Langobardis patitur. Miratur quod epistolae adversus Joannis Constantinopolitani superbiam non responderit. Mutua mittit munera.
EPIST. LXI (Ad Castorium notarium). - Quod in pallii usu olim servatum juraverint Ravennates viri graves ac fideles, id Ravennae servandum.
EPIST. LXII (Ad Petrum episcopum). - Opportuno abbati sancti Leontii reliquias concedat.
EPIST. LXIII (Ad Gennadium patricium). - Queritur impeditum Paulum episcopum ne Romam veniret. Se, ubi primum ex morbo convaluerit, in causae illius cognitione versaturum.
EPIST. LXIV (Ad Dominicum episcopum). - Pastorale munus ex charitate exercendum. Quod illud ita exerceat Dominicus, ipsi gratulatur, ac de xeniis gratias agit.
EPIST. LXV (Ad Mauricium imperatorem). - Africanos quosdam episcopos Roma Constantinopolim mittit. qui Mauricio ipsi testentur imperatori contra Donatistas leges negligi. Mauricii animum adversus legum suarum contemptores excitat.
EPIST. LXVI (Ad Athanasium presbyterum). - Ipsum ab omni haereseos labe purum pronuntiat, idque se Constantinopolitano episcopo scripturum spondet.
EPISTOLARUM LIBER VII.
EPISTOLA PRIMA (Ad Fortunatum episcopum). - U **[...]** orem, quae libera approbata est, viro suo restituat; neque hic de illa iterum abjicienda cogitet.
EPIST. II (Ad Columbum episcopum). - Dimissum jam in regiam urbem Paulum episcopum. Tardius ad se Columbum scripsisse. Ejus excusationem confutat.
EPIST. III (Ad Gennadium patricium). - Rogat ne occupato animo de Ruterio comite ac concivibus ad se vocatis ferat sententiam. Anastasium tribunum loco suo restitui petit.
EPIST. IV (Ad Cyriacum episcopum). - Appetendam quietem; sed pro multorum lucro aliquando postponendam. Curandum episcopo ne cogitationum perturbatio, quae funditus repelli non potest, animum obruat. Vicaria fidei confessione, ac mutua ipsorum charitate, Ecclesiae unitatem firmari. Abstinendum ab universalis episcopi titulo. Haereticis accensendum non fuisse Eudoxium.
EPIST. V (Ad Cyriacum episcopum). - Laudem tribuit, quod humiliter ac modeste de se sentiat; inde fortem illum esse conjicit. Amicissime hortatur, ut sublata occasione scandali, quae pacis et dilectionis sunt custodiat. Commendat tidem Joannis et Athanasii.
EPIST. VI (Ad Mauricium Augustum). - De Cyriaci clectione gratulatur.
EPIST. VII (Ad Petrum, Domitianum, et Elpidum). - Illos reprehendit quod in Cyriaci ordinatione clamassent: *Hoec dies, quam fecit Dominus.* Pastorum culpas subjectis, subjectorum pastoribus nocere.
EPIST. VIII (Ad Stephanum episcopum). - Invitum landanti laudes rependit pro assidua illius praedicatione, qua Maria patricia aliive multi ad Ecclesiam revocati. Hortandum Constantinum praefectum ut Deijudicium semper ante oculos habeat.
EPIST. IX (Ad Joannem episcopum). - De missa Romam eleemosyna gratias agit. In causis judicandis solum Deum consideret. Ne ad mensam scripta sua deinceps faciat legi.
EPIST. X (Ad Agnellum abbatem). - Praepositum ex vitae merito eligat. Fratribus sollicite invigilet.
EPIST. XI (Ad Rufinum Ephesinum episcopum). Commendat clericum quemdam litteras nescientem.
EPIST. XII (Ad Respectam abbatissam). - Monasterium sancti Cassiani privilegiis donat.
EPIST. XIII (Ad Fortunatum episcopum). - E sacris vasis tantum coram Joanne defensore vendat, quantum pro captivis redimendis erit opus.
EPIST. XIV (Ad Constantium episcopum). - Obtrectationibus non moveatur. Depositi a se episcopi loco alium intra tres menses ordinet.
EPIST. XV (Ad Georgium presbyterum). - Descendentem ad inferos Jesum Christum, solos illos liberasse, qui eum et venturum esse crediderunt, et praecepta ejus vivendo tenuerant.
EPIST. XVI (Ad Agnellum episcopum). - Formiensis Ecclesiae visitationem delegat.
EPIST. XVII (Ad Sabinianum episcopum). - Exposita Maximi contumacia, Sabinianum ab illo jam dissentientem aliosve Maximo adhaerentes Romam vocat; quibus securitatem omnem, necnon, si id justitia patitur, absolutionem spondet.

EPIST. XVIII (Ad Martinum diaconum). - Illum de objectis criminibus canonice purgatum loco suo et ordinirestituit.
EPIST. XIX (ad Marinianum archiepiscopum). - Deprecante opus episcopale ob intirmitatem Castorio, alium Ariminensibus ordinandum episcopum. Hunc a clero et plebe eligi, a Ravennate episcopo examinari, atque, ut consecretur, Romam mitti jubet.
EPIST. XX (ad clerum et plebem Ariminensem). - Propter episcopi sui infirmitatem alium qui dignus sit, eligant.
EPIST. XXI (ad Sebastianum episcopum). - Ut clerum et plebem Ariminensem ad idonei antistitis electionem urgeat.
EPIST. XXII (ad Cyprianum diaconum). - Siciliae episcopos olim tertio quoque anno, jam quinto Romam proficisci solitos, ad Natale sancti Petri convenire sie procuret, ut inde nulla praetori oriatur suspicio. Moneat quoque Liparitanum et Regitanum episcopos. Libertinum consoletur.
EPIST. XXIII (ad Fortunatum et Anthemium). - Stephanum, ut desponsatae sibi monasterium ingressae resablatas restituat, hortentur. Si renuat, indicent, ut reddere cogatur.
EPIST. XXIV (ad Candidum presbyterum). - Christianos quatuor redimal, qui in Judaeorum servitio Narbonae detinebantur.
EPIST. XXV (ad Gregoriam). - Peccata sua confessam, at de illorum remissione anxiam, consolatar, allato peccatricis, quam Marthae sororem putat, exemplo. Divinam veniae revelationem frustra postulari oslendit.
EPIST. XXVI (ad Theoctistam patriciam). - Gratulatur quod inter hominum tumultus studeat lectioni, atque ad aeterna suspiret. Utrum eadem sint Augustae studia quaerit. De compunctione duplici agit fusius. Theoctistam hortatur ut regiorum puerorum institutioni studiose invigilet, mutuamque illis inspiret charitatem et mansuetudinem in subjectos. Pecuniae, quam Theoctista miserat, dimidia parte captivos redemit; reliqua fovet moniales, quarum sanctitate servatam censet Romam. Mittit clavem a corpore sancti Petri, de qua miraculum narrat.
EPIST. XXVII (ad Anastasium episcopum). - Universalis vocabulum a Constantinopolitano episcopo usurpari, non magni interesse sentiebat cum imperatore Anastasius. Gregorius hocce vocabulo universam Ecclesiae lidem corrumpi contendit.
EPIST. XXVIII (ad Theodorum medicum). - Missas in captivos et pauperes eleemosynas laudat. Clavem a corpore sancti Petri vicissim mittit.
EPIST. XXIX (ad Andream). - Contemnendas saeculi dignitates. ut coelestibus liceat studiis vacare.
EPIST. XXX (ad Narsam religiosum). - Afflictum consolatur. A Christiano adversa non recusanda ostendit. Curmonasteriorum incolis, al [...] sve Constantinopoli degentibus non scribat. Gaudet de Esychiae transitu. Domnae Dominicae quid agendum. Mittit munuscula. Anatolium commendat.
EPIST. XXXI (ad Cyriacum episcopum). - De submovendo profano vocabulo, ut pax Ecclesiae conservetur, et scandala multorum auferantur.
EPIST. XXXII (ad Anastasium presbyterum). - De contentione tollenda quae inter patrem monasterii, quod Neas dicitur, et Jerosolymorum episcopum exorta erat.
EPIST. XXXIII (ad Mauricium augustum). - Contendit se temere indiscretum nominatum fuisse, quod Cyriacum episcopum Constantinopolitanum, qui universalem se nominat, reprehenderit.
EPIST. XXXIV (ad Eulogium episcopum). - Romae susceptos et ad communionem admissos Cyriaci responsales; suum vero Diaconum Cyriaco, intolerabilis superbiae reo, commucare non debuisse. Orthodoxam quidem ejus synodieam; sed in ea damnari Eudoxium quemdam, hactenus ut ipse putat, indamnatum. Isauriae monachos, sub Joanne Cyriaci decessore, de haeresi inique damnatos ostendit.
EPIST. XXXV (ad Dominicum episcopum). - Corripiat monachos regularem disciplinam fuga eludentes atque impune vagantes. Episcoposab illis defensandis deterreat.
EPIST. XXXVI (ad Dynamium et Aureliam). - Orationi, lectioni, et operibus bonis semper intenti, ad meliora proficiant. Codicem pollicetur.
EPIST. XXXVII (ad Dominicam). - Quod ad Ecclesiae unitatem redierit congaudet. Hortatur ut Romam ad virum suum veniat.
EPIST. XXXVIII (ad Donum episcopum). - Faustino quindecim argenti libras, aut ex Ecclesiae pecunia, aut e sacratis vasis, in filiarum redemptionem tribuat.
EPIST. XXXIX (ad Joannem episcopum). - Exortam inter abbates duos de agrorum finibus contentionem, ipso praesente, agrimensore adhibito finiendam.
EPIST. XL (ad Eulogium episcopum). - Sancti Petri sedem Romae, Alexandriae, et Antiochiae, unius esse atque unam; inde singularem episcoporum ibi sedentium unionem. Laudat quod haereticos oppugnet. Ligna offert. Mittit vicissim munera.
EPIST. XLI (ad Cyprianum rectorem). - Ecclesiae Locrensi idoneum episcopum ordinari procuret.
EPIST. XLII (ad Marinianum episcopum). - Cum neque lapsum episcopum loco suo restitui, neque ultra tres menses Ecclesiam vacare permittant canones, Cornelii ordinet episcopum.
EPIST. XLIII (ad Marinianum episcopum). - De submovendo clericorum dominio in monasteriis.
EPIST. XLIV (ad Cyprianum diaconum). - Curet ne Theodorus maleficus, aut Messanensium clericorum aliquis Paulae adversetur.
EPIST. XLV (ad Claudium abbatem). - Roman quantocius veniat.
EPISTOLARUM LIBER VIII.
EPISTOLA IRIMA (ad Petrum episcopum). - Hortatur ut ab idolorum cultu incolas pergat avertere. Pro baptizandorum vestimentis mittit solidos quinquaginta.
EPIST. II (ad Anastasium episcopum Antiochenum). - Ipsi adversus haereses animos addit. Laudato mutuae charitatis vinculo, et commemoratis amici muneribus, diuturnam illi precatur vitam.
EPIST. III (ad Donum episcopum Messanensem. - Nusquam vendendum humandi corporis locum. Restituenda quaedam mancipia.
EPIST. IV (ad Venantium episcopum). - Ut monasterium consecret concedit.
EPIST. V (ad plurimos metropolitas et episcopos). - Publicis rationibus obligatos, neque in clero, neque in monasterio suscipiendos; milites vero per triennium prius probandos quam monachicum habitum induant.
EPIST. VI (ad Ames Jerosolymitanum patriarcham). - Petrum Romanae Ecclesiae acolythum fugitivum jubeat comprehendi, ipsumque sacra communione privatum Romam mittat.
EPIST. VII (ad Leonem episcopum). - Segregatam ex ecclesiae suae redituum quartam portionem clericis juxta laboris meritum dividat.
EPIST. VIII (ad Vitalianum episcopum). - Tulliani magistri militiae filiam ad religiosum habitum revocet; detrudat in monasterium; obsistentes a sacra communione suspendat.
EPIST. IX (ad Sergium defensorem). - De ulia Tulliani magistri militiae ad religiosum habitum resumendum cogenda.
EPIST. X (ad sabinianum Jaderae episcopum). - Se quantum illiuscum Maximo communione offensum, tantum poenitentia mitigatum. Commendatam responsali suo illius in urbe regia causam. Hortatur ad pastoralem sollicitudinem. Ipsi de Florentii episcopi causa inquisitionem mandat.
EPIST. XI (ad Candidum sancti Andreae abbatem). - Confirmat concordiam et transactionem inter monasterium sancti Andreae, et Maurentium magistrum militiae.
EPIST. XII (ad Adeodatum et Maurentium episcopos). - Illorum de ecclesiastico ordine acrectitudine curam laudat; ut perseverent hortatur. Commendat Paulum episcopum.
EPIST. XIII (ad Columbum). - Paulum episcopum commendat.
EPIST. XIV (ad Bonifacium primum defensorem). - Defensores septem honore regionariorum decorandos statuit.
EPIST. XV (ad Marinianum Ravennae episcopum). - Monasterio sanctorum Joannis et Stephani multa concedit privilegia.
EPIST. XVI (ad Marinianum Ravennae episcopum). - Redeuntem Roma Claudium abbatem impense commendat.
EPIST. XVII (ad Maurentium). - De sacrae lectionis studio gratulatur. Sic studentium deflet raritatem; se collegam spondet.
EPIST. XVIII (ad Agnellum Terracinensem episcopum). - Perquisitos idolorum cultores puniat; a murorum vigiliis neminem patiatur excusari.
EPIST. XIX (ad Maurentium magistrum militum). - Comitiolo de Romana Ecclesia bene merito pristinam impenlat favorem.
EPIST. XX (ad Marinianum episcopum Ravennae). - Commendat uxorem Joannis, quae in controversiam suae conditionis vocabatur.
EPIST. XXI (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Felicem Christianis parentibus natum, a Samaraei servitio liberet.
EPIST. XXII (ad Rusticianam patriciam). - Ut Romam ven at hortatur. Gratias agit prodecem auri libris in captivorum redemptionem expendendis.
EPIST. XXIII (ad Fantinum defensorem). - Ut Judaeos ad Christianam tidem accedeates juvet, pergat Agrigentum.
EPIST. XXIV (ad Sabinianum Jadere episcopum). - Gratulatur quod ubi obedi ndum est, obediat; ubi resistendum, resistat. Ipsius animum firmat adversus Maximi odium. Presbyterum nulla ratione in sacro ordine post lapsum aut permanere aut revocari posse declarat.
EPIST. XXV (ad Victorem episcopum Panormitanum). - Judaeos in his quae ipsis concessa sunt nullo incommodo afliciendes.
EPIST. XXVI (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Quae clerici vasa sacra vendiderant Pantaleo notarius requirat.
EPIST. XXVII (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Ne Catanenses diaconi campagis calceati procedere praesumant.
EPIST. XXVIII (ad Victorem et Columbum episcopos). - Valentionem episcopum occupatas ex Crisconii parochia Ecclesias, neenan ablatas defuncti parochiae hujus episcopi res, Crisconio restituere compellant.
EPIST. XXIX (ad Eulogium episcopum Alexandrinum). - Ignotum sibi, quem postulabat Eulogius, Eusebii librum de martyrum gestis. Cur brevia ligna miserit. Spondet longiora; pretium recusat.
EPIST. XXX (ad Eulogium episcopum Alexandrinum). - De Alexandrinae urbis haereticis conversis atque de fidelium concordia gratulatur. Scribit vicissim de Anglorum conversione. De Eudoxio haeretico aliisve fatetur sibi ab Eulogio factum satis. Universalis papae titulum a synodo Chalcedonensi suis decessoribus oblatum, sed rejectum, respuit.
EPIST. XXXI (ad Secundinum). - Ne patiatur Monasterium in laicae personae potestatem venire.
EPIST. XXXII (ad Scholas icum defensorem). - Ecclesiae colono mercedem juxta laboris modum solvat.
EPIST. XXXIII (ad Dominicum). - Modestiam illius charitatem, atque apostolicae sedis reverentiam laudat.
EPIST. XXXIV (ad Joannem Episcopum Scilitanum). - Castelliensis monasterii privilegia servet illaesa. Quaedam sub xenii specie ablata reddat. Monachorum actibus invigilet. Monasterii jura tueatur. Donatum sibi ab Abbate agrum restituat. (Vide sup. ep. 31.)
EPIST. XXXV (ad Leontium exconsulem). - Jerusalem cives noununquam Babyloniae servire, et vicissim. Laudat Leontii mansnetudinem, humilitatem, justitiam. Ipsi pro muneribus gratias agit, et de catenis sancti Petri scobem clave inclusam largitur.

EPISTOLARUM LIBER IX.

EPISTOLA PRIMA (ad Januarium episcopum Caralitanum). - Illum increpat quod dominico die, ante missarum solemnia, cujusdam messem invertisset sulcis, et, peracto sacro, terminales lapides ipse effodisset.

EPIST. II (ad Vitalem Sardiniae defensorem). - Decretam adversus Januarii consiliarios excommunicationem exsequatur. Restituat integrum xenii pretium.

EPIST. III (ad Januarium Caratitanum episcopum). - Proconcesso sepulturae loco exigendum nihit. Si vero pro luminaribus ahquid offeratur, licet accipere.

EPIST. IV (ad Januarium caralitanum episcopum). - Donea ordinata cum Agitulpho pax confirmetur, cavendum ab iterata in Sardiniam incursione. Januarium de exarata messe iterum ex fraterna dilectione objurgat.

EPIST. V (ad Marcellum Dalmatiae pr consulem). - Illum redarguit ob praestitum Maximo favorem. Docet qua ratione in gratiam secum redire possit.

EPIST VI (ad Januarium Caralitanum episcopum). - Occupatam a Petro recens baptizato svnagogam Judaeis restituendam; hos; d fidem non cogendos Conciliandos interse hostium metu civium animos, ac muniendam fortius ciritatem.

EPIST. VII (ad Januarium Caralitanum episcopum). - Etsi monachicam vestem non induerit abbatissa, irritum tamen ex imp. lege illius testamentum; reddenda proinde monasterio quae aliis illicite donavit Sirica.

EPIST. VIII (ad episcopos Sardiniae). - Paschalem denuntiationem, ex more, a metropolitano suscipiant; nec absque illius licentia ex insula egrediantur.

EPIST. IX (ad Callinicum Italiae exarchum). - Gaudet de schismaticis ad I celesiam redeuntibus. De hoc monendos imperatores. Id unum ab illis vetitum, ne schismatici ad unitatem compellantur. Conqueritur de majore domns Calliniei. Hune rogat ne Justinum sebismaticum deinceps in consilium vocet.

EPIST. X (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Capritanae insulae ordinet episcopum, nisi Joannes, ab ipso admonitus, ad Ecclesiae unitatem et ad propriam plebem revertatur. Maximi causam discutiat ac finiat, adhibito, si opus sit, Constantio Mediolanensi.

EPIST. XI (ad Brunichildem reginam). - Pallium Syagrio episcopo concedit. De sacris ordinibus praemio vel gratia non conferendis eam admonet, et ne ex laicis repente fiant episcopi. Laudat ejus erga Augustinum charitatem, hortaturque ut schismaticos ad concordiam revocare atque idololatriae reliquias, et alia in regno suo vitia coercere studeat. De codice ad eam transmisso agit.

EPIST. XII (ad Joannem Syracusanum episcopum). - Se (ut querebantur nonnulli)in ordinandis missae ritibus quibusdam Constantinopolitanae Ecclesiae consuetudines non fuisse imitatum.

EPIST. XIII (ad Joannem Syracusanum episcopum). - Ecclesiae ejus actores, cum Felice, absque dilatione, judices eligant.

EPIST. XIV (ad Felicem in Sicilia). - Se ad Joannem episcopum scripsisse, ut actores Ecclesiae suae deputet, qui cum Felice ipso sine mora judicium subeant.

EPIST. XV (ad Chrysanthum episcopum Spoletanum). - Martyrum reliquias in basilica Reatina collocet.

EPIST. XVI (ad Serenum Anconitanum episcopum) - Severum diaconum suum de restituendo Firmanae Ecclesiae argento admoneat.

EPIST. XVII (ad Demetrianum et Valerianum). - Statuit ne impensa in illorum redemptionem Ecclesiae pecunia ab illis aliquando repetatur.

EPIST. XVIII (ad Romanum defensorem). - Patrimonium Ecclesiae in Sicilia commendat.

EPIST. XIX (ad Syracusani patrimonii colonos). - Ut obediant Romano defensori.

EPIST. XX (ad Petrum in Sicilia). - Romano Syracusani patrimonii regimen adeunti auxilium ferat.

EPIST. XXI (ad Libertinum expraefectum). - Novum defensorem Romanum consiliis juvet.

EPIST. XXII (ad Ciridanum). - Romano defensori faveat.

EPIST. XXIII (ad Joannem Syracusanum episcopum). - Commissas Romano defensori causas Leontii adversus Leonem episcopum, et Archelaum medicum.

EPIST. XXIV (ad Romanum defensorem). Neglectam per plurimos annos Rusticae testatricis voluntatem tandem adimpleri curet.

EPIST. XXV (ad Joannem Surrentinum episcopum, etc.). Gregorio expraefecto basilicam aedilicare cupienti reliquias concedant.

EPIST. XXVI (ad Romanum defensorem). - Donatam ab Ammonia Romanae Ecclesiae domum, Calixeno illius nepoti, Stephaniae filio, reddat.

EPIST. XXVII (ad Romanum defensorem). - Ecclesiastica patrocinia non omnibus indiscrete impendenda.

EPIST. XXVIII (ad Antonium subdiaconum, et Dometium abbatem). - Concordiae reconciliationem xenodochium inter et monasterium sua auctoritate ficmat.

EPIST. XXIX (ad Venantium Lunensem episcopum). - Fidentiam aut Adeodatae filiae recens conversae facere satis suadeat, aut hanc apud judices adjuvet.

EPIST. XXX (ad Anthemium subdiaconum). - Monasterio sancti Marci Massam Veneris restituendam curet.

EPIST. XXXI (ad Faustum). - Ecclesiae Vulturnae ministeria apud Anthemium absque dubitatione deponat

EPIST. XXXII (ad Anthemium subdiaconum). - A Fausto Ecclesiae Vulturnae ministeria suscipiat, in tuto habeat, et describat.

EPIST. XXXIII (ad Andream). - Ut illum de infirmitate consoletur, ipsam divini amoris pignus ac fructuosi palmitis purga nentum esse ostendit.

EPIST. XXXIV (ad Venantium episcopum). - Presbyteros vel diaconos in Aldionis civitate ordinet, atque ipsos ad infidelium conversionem adhortetur.

EPIST. XXXV (ad Coastantium Mediolanensem episcopum). - Joannem praefecturae vices acturum commendat; ea tamen lege ut (quod contigerat in Vigilio) inde non gravetur Ecclesia.

EPIST. XXXVI (ad Fortunatum Neapolit. episcopum). - Reversis e Gallia Judaeis negotiatoribus, Christiana quae adduxerint mancipia aut iis tradantur qui emptionem injunxerant, aut Christianis intra quadragesimum diem venundentur. Caveat a Basilio Judaeo filiis suis Christianis mancipia donante.

EPIST. XXXVII (ad Chrysanthum Spoletanum episcopum). - Neconfugientibus ad illius dioecesim monachis communionem indiscrete reddi patiatur. Mancipio ea lege manumisso ut monachus fieret, monasterium deserere non liceat.

EPIST. XXXVIII (ad Anthemium subdiaconum). - Apud Felicem agat, ut recepta a Mauro pretii sorte sit contentus.

EPIST. XXXIX (ad Romanum in Sicilia defensorem). - Gaudioso inopi solidos sex singulis annis tribuat.

EPIST. XL (ad Romanum defensorem). - Ut, omni cunclatione et excusatione abjecta, id exsequatur quod supra epist. 26, fuerat mandatum.

EPIST. XLI (ad Julianum scribonem). - Se humanis rationibus a justitiae zelo non revocari; inquisiturum proinde in Maximum, et juxta canones laturum sententiam.

EPIST. XLII (ad Agilulphum Langobardorum regem). - De pace composita gratias agit. Petit ut ducibus suis praecipiat ne pacem turbent.

EPIST. XLIII (ad Theodelindam Langohardorum reginam). - Gratias refert quod ad faciendam pacem se studiosius impenderit.

EPIST. XLIV (ad Felicem in Sicilia). - Ipsum de Joanne episcopo quasi judicium refugiente immerito conqueri, cum illud ipse distulerit. Ad finiendam cito judicii censura litem hortatur.

EPIST. XLV (ad Joannem Syracusanum episcopum). - Mala Felicis fide exposita, hortatur ut motam ab illo controversiam ab **[...]** que mora jubeat finiri.

EPIST. XLVI (ad Sergium defensorem). - Obvenientema Joanne Pantaleonis socrui haereditatem describat, dum hic Ecclesiae negotiis destinetur. Relictam quoque apud Joannem sacram supellectilem diligentissime inquirat.

EPIST. XLVII (ad Sabinum subdiaconum). - Regitani cleri adversus episcopum suum querelas una cum episcopis quinque perscrutetur, ut, illorum relatione certior factus, ipse Romae decernat.

EPIST. XLVIII (ad Paulinum Taurensem episcopum, etc.). - Regium una cum Savino pergant, de cleri adversus episcopum querelis inquisituri.

EPIST. XLIX (ad Anastasium Antiochenum episcopum). - Gratulatur ob rectam fidei professionem. Agendas Deo gratias quod soli ad ordines promoveantur orthodoxi. Pro imperatore haereticos comprimente orandum. Inquirendum Anastasio genuinum Ephesinae synodi exemplar. Arcendos a sacris ordinibus simoniacos.

EPIST. L (ad Anthemium subdiaconum). - Benenatum facinus abnegantem, Romam cum accusatore aliisve personis mittat.

EPIST. LI (ad Anthemium subdiaconum). - Reliquum pecuniae pro castro construendo datae apud Benenatum perquirat, eamque in illud ipsum ex toto curet impendi.

EPIST. LII (ad Secundinum). - Scripta illius laudat, veritatem, charitatem atque humilitatem spirantia. Solitarios quasi monmoachos ab antiquo hoste singularius impeti. Orientales Ecclesias uno sensu integram sancti Leonis et Chalcedonensis synodi fidem sequi. In defensores trium capitulorum invehitur. Epistolam Ibae definitioni sanctae synodi adversari probat. Incertam animae originem: atillam originali peccato donec baptizetur certissime obstringi. Mittit imagines earumque legitimum usum exponit.

EPIST. LIII (ad Constantium Mediolanens, episcopum). - Clericis Comanis, si ad Ecclesiae unitatem redeant, se controversam possessionem concedere paratum.

EPIST. LIV (ad Anatalium diaconum Constantinopolit.). - Constantii episcopi homines commendat.

EPIST. LV (ad Fantinum defensorem Panormitanum). - Pro Judaeorum Synagogis irrationabiliter occupatis et consecratis pretium solvat Victor episcopus.

EPIST. LVI (ad Fantinum). - Candidum defensorem, Joanni Judaei ex navis pretio debiti soluti chirographum restituere compellat.

EPIST. LVII (ad Praejectam illustrem). - Gesta inter ipsam et Fantinum defensorem approbat.

EPIST. LVIII (ad Martinum Scholasticum). - Se ab illo de episcoporum causis levius instructum sententiam proferre non posse. Agat cum Joanne Syracusano episcopo.

EPIST LIX (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Indicat quid Bizacenus primas egerit, ne a Romano episcopo judicaretur. De illius causa, quod placuerit, loquatur cum Martino Scholastico.

EPIST. LX (ad Romanum aliosve patrimonii ecclesiastici defensores). - Ne mulieres cum episcopis aut clericis in sacris ordinibus constitutis habitent; ea lege, ut uxores non relinquant, sed caste regant.

EPIST. LXI (incipit epistola Recharedi regis Gothorum ad beatum Gregorium Romensem episcopum directa). - Excusat quod ipsum non ante quatuor annos de conversione sua monuerit. Mittit aureum calicem. Venerationem summam ac benevolentiam testatur. Leandrum Hispalensem commendat.

EPIST. LXII (ad Romanum defensorem). Defensorum nomen usurpantes compescat. Fortunatum amoyeat ab Ecclesiae negotiis. Martianum Joanni episcopo, Romanae Ecclesiae patrimonium curanti, inobedientem exsulare cogat.

EPIST. LXIII (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Ad deponendum Lucillum episcopum quatuor episcopos adhibeat. Sacerdotes vel diaconos criminis conscios, gradu suo dejiciat, laicos sacra privet communione, Melitenses ad episcopi electionem hortetur.

EPIST. LXIV (ad Vitalem Sardiniae defensorem). - Sic tueatur clericos, ut neque episcopi reverentia, neque illorum disciplina solvatur. Ne Ecclesiae rura a cultoribus deseri, aut monasteria, quae solis subsunt episcopis, ab aliis perturbari sinat.

EPIST. LXV (ad Januarium Caralitanum episcopum). - Continendos in officio élericos contumaces. Relictam monasterio viduae substantiam a clerico restituendam. Coercendos tum dehortationibus, tum corporalibus poenis idolorum cultores, aruspices, atque sortilegos. Res Ecclesiae, non laicis, sed probatis clericis commitendas.

EPIST. LXVI (ad Anatolium diaconum). - Ex Istriae schismate ad Ecclesiae unitatem reversis laveat.
EPIST. LXVII (ad Constantium Mediolanensem episcocum). - Ut cum Mariniano Ravennate de Maximi Salonitani causa judicet.
EPIST. LXVIII (ad Eusebium Thessalonicensem, etc.). - Neque Constantinopolitano episcopo oecumenici titulum sibi arroganti, ullo modo consentiant: neque in Synodo, si de rebus aliis agatur, statuta vetera sinant convelli.
EPIST. LXIX (ad Maurentium magistrum militum). - Arguit quod Neapolitanum episcopum ea quae patroni civitatis erant usurpantem non cohibeat. Hortatur ne concessam per aliquot annos eleemosynam jam quasi debitum patiatur exigi. Neapolis privilegia et Prochytae insulae causas commendat.
EPIST. LXX (ad Passivum Firmanum episcopum). - Oratorium sancti Savini consecret.
EPIST. LXXI (ad Chrysanthum episcopum Spoletanum). - Sanctuaria sancti Savini Valeriano notario Firmano concedat.
EPIST. LXXII (ad Constantinum Narniensem episcopum). - Ecclesiae Interamnae jam Visitatori administrationem integram committit.
EPIST. LXXIII (ad Maurentium magistrum militum). - Theodosium abbatem commendat, ne gravius in murorum vigiliis affligatur.
EPIST. LXXIV (ad Domnellum erogatorem). - Singularem testatur benevolentiam. Excusat quod, Castorio ad ipsum veniente, non scripserit.
EPIST. LXXV (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Misenatis Ecclesiae visitationem injungit.
EPIST. LXXVI (ad Misenates). - Fortunato Visitatori obediant, atque idoneum sibi eligant episcopum.
EPIST. LXXVII (ad Anthemium subdiaconum). - Importuni, Attellanae civitatis episcopi, testamentum discutiat. Tum Attellae, tum Cumis aptum episcopum quantocius eligi procuret.
EPIST. LXXVIII (ad Eulogium patriarcham Alexandrinum). - Commendati ab ipso hominis finitae citius negotia. Queritur quod de Constantinopolitani episcopi arrogantia nihil rescribat. Ligna cur non miserit longiora.
EPIST. LXXIX (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Ipsi et Castorio de Maximo commendat judicium, cujus modum praescribit.
EPIST. LXXX (ad Castorium notarium). - Det Maximo epistolam suam redditae communionis et gratiae testem; modo purgatus ille ac poenitens Sabinianum et alios in charitate suscipiat.
EPIST. LXXXI (ad Maximum Salonitanum episcopum). - Obedienti, poenitenti, ac purgato reddit gratiam et communionem, atque usum pallii concedit.
EPIST. LXXXII (ad Anatolium diaconum Constantinopolitanum). - Marcellino de Romana Ecclesia bene merito faveat, atque ipsum apud imperatorem excuset.
EPIST. LXXXIII (ad Fantinum defensorem Panormitanum). - Januariam ab Anastasii et Bonifacii molestiis tueatur.
EPIST. LXXXIV (ad Benenatum Tundaritanum episcopum). - Ut oratorium in honorem sanctorum Severini et Julianae consecret.
EPIST. LXXXV (ad Fortunatum Neapolitanum). - Januariae reliquias sanctorum Severini et Julianae dare jubet.
EPIST. LXXXVI (ad Constantium Mediolanens, episcopum). - Reliquias ea lege concedit, ut prius servientium alimoniis provideatur quam dedicetur locus.
EPIST. LXXXVII (ad Gaudiosum Eugubinum episcopum). - Tadinatis Ecclesiae visitationem delegat.
EPIST. LXXXVIII (ad Tadinates). - Gaudioso episcopo visitatori obediant, atque idoneum sibi eligant sacerdotem.
EPIST. LXXXIX (ad Severum Anconitanum episcopum). - Aesinae civitatis visitationem injungit.
EPIST. XC (ad Aesinenses). - Severo episcopo visitatori obediant, dignumque sibi eligant episcopum.
EPIST. XCI (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Barbatianum, si cautus sit in regimine et humilis in suo sensu, abbatem instituat.
EPIST. XCII (ad Victorem Panormitanum episcopum). - Praechoritano monasterio presbyterum ex ipsis monachis ordinet.
EPIST. XCIII (ad Gulfarem magistrum militum). - Post laudatum illius in schismaticis ad Ecclesiam reducendis zelum, ad perseverantiam et revertentium protectionem hortatur.
EPIST. XCIV (ad Romanum defensorem). - Istros quosdam, ut in Siciliam ad episcopum suum cito perveniant, adjuvet. Episcopum ipsum ut Romam veniat adhortetur, atque itineris expensam praebeat.
EPIST. XCV (ad Callinicum Italiae exarchum). - Quosdam Ecclesiae unitati redditos ac Roma in Istriam redeuntes commendat.
EPIST. XCVI (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Eosdem commendat quos supra.
EPIST. XCVII (ad habitatores insulae Capreae). - Gratulatur de imperturbato ecclesiasticae unitatis amore. Mariniano mandatum de constituendo illis episcopo schismatis inimico.
EPIST. XCVIII (ad Theodorum Ravennae curatorem). - Pacis in eo studium laudat. Monet juratam dolose ab Ariulfo pacem. Pactum ipse sua manu subscribere recusat. Augusti caus [...] m ad justitiae leges tinien [...] am. Moerentem consolatur Theodorum, ad quem mittere responsalem parat.
EPIST. XCIX (ad Occilianum tribunum Hydruntinum). - Hortatur ut gravatam a Viatore extribuno Hydruntinam civitatem levet.
EPIST. C (ad Sabinianum Callipolitanum episcopum). - Ne patiatur Callipolitanos angarus praegravari.
EPIST. CI (ad Sergium defensorem). - Fruniscendum Ecclesiae Hydruntinae debitorem, si sponte non solvat, cogat ad judicium.
EPIST. CII (ad Sergium defensorem). - Mancipium ab ipsius Gregorii Germano Hydruntum fugiens curet comprehendi, ac navi Romam deferri.
EPIST. CIII (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Ne milites in monasterio virginum hospitentur.
EPIST. CIV (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Ut Neapolitani cives ad concordiam redeant, virum apprime instructum Roman mittere festinet.
EPIST. CV (ad Serenum Massiliensem episcopum). - Cyriacum abbatem ad Syagrium euntem commendat, monet imagines in Ecclesiis esse servandas.
EPIST. CVI (ad Syagrium, AEtherium, Virgilium et Desiderium episcopos). - Contra simoniacos, ac neophytos, et vetita mulierum contubernia, nec non synodorum, quae quotannis haberi debent neglectum, stylum acuit; atque ut synodi quotannis fiant. De his omnibus in synodo tractari jubet, et ad se per Cyriacum abbatem referri.
EPIST. CVII (ad Aregium episcopum Vapincensem). - Eum de suorum obitu consolatur, hortaturque ut sollicite suo munere fungatur. Dalmaticarum usum illi, et archidiacono ejus permittit ju [...] etque ut synodo per Syagrium cogendae intersit.
EPIST. CVIII (ad Syagrium episcopum). - Laudat eum ob operam Augustino navatam; pallii usum concedit; statuit ut Ecclesia Augustoduneasis primum in ea provincia post Lugdunensem locum obtineat; de synodoiterum.
EPIST. CIX (ad Brunichildem reginam Francorum). - De iis qui ex laicis repente fiunt episcopi, aut per simoniam ordinantur. Ut synodum ad haec exstirpanda cogi jubeat, atque edicto constituat ne Judaeis Christiana mancipia habere liceat.
EPIST. CX (ad Theodericum et Theodebertum reges Francorum). - Quod multi res simoniam ordinentur, tributa a praediis ecclesiasticis exigantur, ex laicis repente fiant episcopi. Synodum ad haec emendanda celebrari curent, statuantque ne Judaeis Christiana mancipia habere liceat.
EPIST. CXI (ad Virgilium episcopum Arelatensem). - Confirmat privilegia per Virgilium papam Arelatensi monasterio concessa.
EPIST. CXII (ad Desiderium episcopum Galliae). - De pallio ipsius praedecessoribus concesso nihil in Ecclesiae Romanae scrinio reperiri. Mittat proinde, si quid in Ecclesiae suae chartis invenerit.
EPIST CXIII (ad Syagrium episcopum Augustodunensem). - Ut Menatem et Theodorum episcopos in Italiam red [...] re compellat.
EPIST. CXIV (ad Virgilium et Syagrium episcopos). - De suscipienda causa Syagriae, quae religionem professa cum esset, marito violenter juncta dicebatur.
EPIST. CXV (ad Syagrium episcopum Augustodunensem). - De parochiis episcopo Taurinensi subtractis, et episcopo in iisdem constituto, ut eas illi restituendascuret.
EPIST. CXVI (ad Theodericum et Theodebertum reges Francorum). - Ut episcopo Taurinensi restituantur ipsius parochiae in regno Francorum sitae, in quibus ordinatus fuerat novus episcopus.
EPIST. CXVII (ad Brunichildem reginam Francorum). - Hilarium commendat, ut illum tuitione sua protegat.
EPIST. CXVIII (ad Vantilonum et Arigium). - Hilarium commendat, ut illi suum patrocinium impendant.
EPIST. CXIX (ad Asclepiadotum patricium). - Hilarium commendat, ut ejus patrocinium suscipiat.
EPIST. CXX (ad Claudium in Hispaniis). - Eum laudat, ex virtutis fama sibi dilectum. Ut in luce veritatis atque coelestis patriae amore proficiat hortatur. Cyriacum abbatem et legatum suum commendat.
EPIST. CXXI (ad Leandrum Hispalensem episcopum). - Epistolam illius, charitatis calamo scriptam, ex humilitate sermonis altitudinem cordis ostendere. Se nulla dignum laude, cujus mores deprimit honor onerosus, qui victus pondere culpas culpis jungit, qui e monasterii tranquillitate raptus, mentis naufragium passus est. De podagrae doloribus pie consolatur. Pallium mittit.
EPIST. CXXII (ad Recharedum Visigothorum regem). - Regem laudat de conversa ad fidem Gothorum gente, de oblatis beato Petro muneribus, de contempta Judaeorum pecunia, qua legem in ipsos latam rescindi deprecabantur. Haec Dei laudi monet tribuenda, cavendasque cordis humilitate, munditia corporis, atque animi lenitate, antiqui hostis insidias. Reliquiasmittit.
EPIST. CXXIII (ad Venantium et Italicam). - Morbis afflictum ex suis ipsius molestiis atque ex generali totius orbis percussione, quae mundi finem proximum indicat, consolatur.
EPIST. CXXIV (ad Donellum erogatorem). - AEgrum consolatur. Gaudet de militari toga illi denuo imposita. Quam exarchus mutuo acceperat pecuniam restituendam monet. Romanae civitati praecipua cura subveniat.
EPIST. CXXV (ad Maximum Salonitanum episcopum). - Gratulatur de plena satisfactione. Pallium mittit. Quod eo significatur moribus exprimat. Cum Sabiniano episcopo, Honorato archidiacono, Massiano clerico, jam non ex odio sed ex charitate agat.
EPIST. CXXVI (ad Constantium Mediolanensem episcopum). - Ne Philagrium, aut ab Ecclesiae suae hominibus, aut a collectae exactoribus, aut a Dertonensi episcopo, injuste gravari patiatur.
EPIST. CXXVII. - In celebratione Paschae, rejecto Victorii cyclo, Scotorum morem sequendum, cui Anatolius ab Hieronymo laudatus favit. De episcopis per simoniam ordinatis, aut post lapsum tempore diaconatus; ac de monachis monasteria sua deserentibus consulit sanctum Gregorium, quem videre summopere cupit. Laudat ejus Pastoralem librum, petitque expositiones in Ezechielem et in Cantica.
EPISTOLARUM LIBER X.

EPISTOLA PRIMA (ad Romanum in Sicilia defensorem). - Ablatas, tum a Lucillo quondam episcopo, tum a Petro illius filio, res Melitensis Ecclesiae jubet restitui. Trajano jam episcopo monachos in solatium ita concedit, ut idipsum reservet dioecesani episcopi arbitrio. Quae idem Trajanus, dum erat abbas, acquisivit, non ejus, sed monasterii esse declarat. Alia quaedam ut tollat permittit.

EPIST. II (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Ecclesiam pro monachis, absque missis publicis, baptisterio et presbytero cardinali consecret.

EPIST. III (ad Fantinum defensorem). - Colligat Romani mancipia, atque illorum laboris fructus ad constructum a Romano ipso monasterium mittat.

EPIST. IV (ad Savinum subdiaconum regionarium). - In Sisinnium presbyterum de idololatria et sodomia accusatum inquirat diligentissime. Illum, si adsint indicia, detrudat in carcerem. Eumdem cogat ad reddendum orphanis Victoriani presbyteri tiliis depositum.

EPIST. V (ad Savinum subdiaconum). - Moneat Mariam ut voluntatem patris sui tandem impleat, et relictas, tum libertis, tum ecclesiae sancti Georgii duas uncias substantiae, vel invita persolvat.

EPIST. VI (ad Theodorum curatorem). - Joannis praefecti uxorem commendat.

EPIST. VII (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Joannis praefecti uxorem commendat.

EPIST. VIII (ad Marinianum Ravennatem episcopum) - Se contristatum valde, quod monialem e manasterio iterum abductam revocare neglexerit. Ut vel nunc id praestet impense hortatur.

EPIST. IX (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Basilio Capuano antistiti, pro Cethego et Flora, auri libras decem per Maximum solvat.

EPIST. X (ad Romanum defensorem). - Basilium episcopum forenses causas actitantem ultra quatuor dies in Sicilia morari non sinat.

EPIST. XI (ad Godiscaleum ducem). - Arguit quod iratus monasterii januas frangi et bona diripi fe [...] erit. Monachi ad hostes fugam non imputandum abbati. Ut monasterio et abbati adversari desinat, imo ut tu [...] tionem impendat, hortatur.

EPIST. XII (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Fuscum abbatem, et monasterium ejus commendat.

EPIST. XIII (ad Romanum defensorem). - Fuscum abbatem juvet, ut absque mora quae monasterii sui sunt recipiat.

EPIST. XIV (ad Fantinum defensorem). - Fusco abbati, monasterii sui Codices et vela restitui faciat.

EPIST. XV (ad Clementinam patriciam). - Nullum sibi odii vel iracundiae circa illam scrupulum, sed paternam omnino dilectionem inesse significat. Ut offensas nobiliter condonet hortatur.

EPIST. XVI (ad Turritanos et Taurianenses). - Venerio episcopo visitatori obediant, idoneumque sibi eligant sacerdotem.

EPIST. XVII (ad Venerium et Stephanum episcopos). - Sub consueta formula visitationis munus injungit.

EPIST. XVIII (ad Clementinam Patriciam). - Ne Amandum a Surrentinis ad episcopatum electum detineat.

EPIST. XIX (ad Authenium subdiaconum). - Inquirat de Amandi vita in episcopum electi, eumque Romam quamprimum mittat.

EPIST. XX (ad Anthemium subdiaconum). - Ne acceptam ad possessiones emendas pecuniam, in alios usus expendant Surrentini monachi.

EPIST. XXI (ad Joannem Italiae praepositum). - Conqueritur de subtracta Neapolitanae diaconiae annona.

EPIST. XXII (ad Leonem Catanensem episcopum). - Sancti Viti monasterium tueatur a quorumdam molestiis; junctos vero mulieribus monachos dignat emendatione corrigat.

EPIST. XXIII (ad Adrianum notarium Siciliae). - Agat quoque, tum ut puniatur supradictorum monachorum scelus, tum ne quis illorum bona invadat.

EPIST. XXIV (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Ejus erga monasteria negligentiam arguit. Mauricii aliorumve monachorum fugam dolet. Vetat ne monachi deinceps, nisi per biennium probati, tonsurentur. Neve milites absque suo ipsius consensu in monasteriis suscipiantur.

EPIST. XXV (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Theodoro portas, et Rustico aquaeductum tandem restituat. Causam deinde adversus illos moveat, si voluerit.

EPIST. XXVI (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum). - Joannem polatinum hortetur ut neque saponarios affligat, neque ipsorum nonnullis faveat a pactione juramento firmata recedentibus. Hortantem si non  Joannes, accedat praefecti auctoritas.

EPIST. XXVII (ad Zitanum magistrum militum). - Fatetur persolvenda etiam a religiosis tributa.

EPIST. XXVIII (ad Fantinum defensorem). - Causas Sabinianum inter et Theodorum episcopum, tum de impensis in hospites, tum de allis suo judicio de finiat.

EPIST. XXIX (ad Constantium Mediolanensem episcopum). - Dubiam adhuc Pompeii episcopi causam certa sententia finiri nondum posse.

EPIST. XXX (ad Castorium notarium). - Iterum monet ut de possessione quae monasterio concessa dicebatur quod justum est faciat.

EPIST. XXXI (ad Libertinum expraetorem). - Hortatur ut adversa patienter sustineat, et vestes ad suorum usus suscipiat lubens.

EPIST. XXXII (ad Secundinum episcopum Taurominitanum). - Benignius agendum erga Leonis uxorem, quae, ob adulterii suspicionem a marito discedens, cum religiosam vestem induisset, ad ipsum, inconsulto Secundino, redie rat.

EPIST. XXXIII (ad Secundinum episcopum). - Si revera Dulcinus episcopus substantiae suae sex uncias Ecclesiae Locrensi et sex monasterio sancti Christophori reliquerit, nullam jam dicto monasterio molestiam irrogari patiatur.

EPIST. XXXIV (ad Ecclesium Clusinum episcopum.) - De Joanne Diacono a Balneoregiensibus in episcopum electo sollicite inquirat.

EPIST. XXXV (ad Eulogium patriarcham Alexandrinum). - Quod citius non responderit biennii causatur podagram. Palaestinos monachos, qui de Agnoitarum errore interrogareni, non Romam, sed Constantinopolim adiisse. Se ad Anatohum in Agnoitas idipsum ex Latinis Patribus scripsisse, quod ex Graecis ad se Eulogius.

EPIST. XXXVI (ad Maximum Salonitatum episcopum). - Se de Sclavis irruptionem facientibus affligi. Adversus iniquos judices defendat strenue, sed modeste, pauperes atque oppressos. Photinianistas ad Ecclesiae sinum revocare pergat.

EPIST. XXXVII (ad Innocentium Africae praefectum). - Se Innocentii praefectura gaudet ex dilectione; dolet ex gra [...] itate muneris, quam illi aeternae mercedis occasionem tieri peroptat. Factas indicat cum Langobardorum rege inducias. Suos in Job postulanti laudat Augustini libros. De protecto Romanae Ecclesiae patrimonio gratias agit.

EPIST. XXXVIII (ad Januarium Caralitanum episcopum). - Curet ut nec violentiam patiantur qui ad ecclesiam refugerint, nec ii qui hactenus sunt oppressi damna sustineant.

EPIST. XXXIX (ad Eulogium patriarcham Alexandrinum). - Quae ex Scripturis Agnoitae sumebant argumenta singula dissolvit, atque in ipsos disserit uberius. Deesse sibi peritos Graeci sermonis  queritur.

EPIST. XL (ad Fortunatum Neapolitanum episcopum) - A pueris Petrum de tentatione sceleris accusantibus veritatem accuratius exigat, Petro ipso id postulante.

EPIST. XLI (ad Anthemium subdiaconum). Illati Petro criminis veritatem una cum Fortunato episcopo diligemisime inquirat.

EPIST. XLII (ad Eusebium Thessalonicensem archiepiscopum). - Commendato pacis studio hortatur ne a quibusdam Chalcedonensem synodum respuentibus orthodoxorum animos patiatur offendi.

EPIST. XLIII (ad Venantium Lunensem episcopum). - Ad illius petitionem mutit ancillam Dei, quam monasterio praeficiat, cui maximam ipse praestet curam.

EPIST. XLIV (ad Venantium Lunensem episcopum). - Fesulanis solidos viginti, vel etiam plures, in Ecclesiarum reparationem tribuat.

EPIST. XLV (ad Ecclesium Clusinum episcopum). - De infirmitate condolet. Gratulatur de prudenti episcopi electione. Equum mittit. Baptizatos consignaturus ad Ecclesias accedat.

EPIST. XLVI (ad Joannem episcopum Syracusanum). - Agat ne apud Leontium exconsulem injustum aliquid patiatur Crescentius vicarius.

EPIST. XLVII (ad Joannem Syracusanum episcopum). - Apollomum magistrum militum commendat.

EPIST. XLVIII (ad Leontium exconsulem). - Apollonium commendat.

EPIST. XLIX (ad Adeodatam illustrem). - Illius animunt ad temporalium contemptum, aeternorum vero amorem confirmat. Joanni et Leontio commissam indicat Decii episcopi causam.

EPIST. L (ad Domitianum metropolitanum). - Nondum Romam venisse Leontium. Se illi suffragatum in exsequendis imperatorum jussis. Commissam eidem ac Joanni episcopo Theodori episcopi causam.

EPIST. LI (ad Leontium exconsulem). - Se nulli unquam protectionem, nisi favente justitia, postulasse. Etsi in rebus publicis fraudem fecerit Libertinus, substantiam ejus caedi debuisse, non libertatem. Iram in vindictam malorum sequi debere rationem animi, non p [...] aeire.

EPIST. LII (ad Amandinum domesticum). - Se ad illius votum, et missa suscepisse, et pro Joanne praefecto scripsisse ad exarchum. Quae vero ad ipsum de Libertino scripsit, non moleste debuisse suscipi, sed ut candide ab amico .

EPIST. LIII (ad Romanum defensorem). - Admoneat Leontium ne adversus Neapolitanorum civium jura malorum hominum verbis assensum praebeat.

EPIST. LIV (ad Donum Messanensem episcopum). - Gregorium expraefectum commendat.

EPIST. LV (ad Leontium exconsulem). - Gregorium expraefectum commendat.

EPIST. LVI (ad Amandinum domesticum). - Gregorium expraefectum commendat.

EPIST. LVII (ad Secundinum et Joannem episcopos). - Gregorium expraefectum commendat.

EPIST. LVIII (ad Bonitacium Regiensem episco [...] um). - Gregorii cum Ecclesia su [...] causam absque dilatione finiat ips [...] usve homines habeat commendatos.

EPIST. LIX (ad Joannem et Fortunatum episcopos, et Anthemium subdiaconum). - Gregorii homines ac possessiones commendat.

EPIST. LX (ad Azimarchum scribonem). - Quod tardius ad Siciliam venerit Gregorius, non studio factum, sed corporis infir [...] itate.

EPIST. LXI (ad Adeodatum abbatem Neapolitanum). - Illius monasterio Gazarense quousque Neapoli ordinetur antistes, Puteolanum vero in perpetuum unit.

EPIST. LXII (ad Neapolitanos). - Neque Joannem in episcopum eligendum fuisse, quod non castus; neque Petrum, si incautus sit ac fenerator. Alium igitur ex Ecclesiae suae clero aptum sibi provideant.

EPIST. LXIII (ad Dominicam Carthaginensem episcopum). - Docet quo animo suscipiendum sit pestilentiae flagellum; quis fructus ex eo colligendus; qua ratione qui percutiuntur consolandi.

EPIST. LXIV (ad Romanum defensorem). - Scriboni quamvis bono non locandam Ecclesiae possessionem, sed annis singulis in offerendum Gentioni quod ex locatione fuisset lucratus.

EPIST. LXV (ad Adeodatam). - Excusat moram in dandis reliquiis, quas tandem mittit.
EPIST. LXVI (ad Decium Lilybetanum episcopum). - Solitis cautionibus adhibitis, constructum ab Adeodata monasterium consecret.
EPIST. LXVII (ad Hilarium notarium). - Missam pro sustentatione monasterii navem in cunctis tueri praecipit.
EPIST. LXVIII (ad Opportunum). - Ob asperam correctionem contristatum lenit, atque ad perfectam conversionem hortatur.
EPISTOLARUM LIBER XI.
EPISTOLA PRIMA (ad Joannem abbatem). - Ejus se orationibus commendat, aeterna bona ipsi praecatus. Mittit lectos [...] t lectisternia in peregrinorum usum.
EPIST. II (ad Palladium presbyterum). - Obloquentium verbis contristatum solatur. Docet quid erga detrahentes agendum sit. Orationes petit, mittit vestes.
EPIST. III (ad Pantaleonem notarium). - Deusdedit diaconum in Mediolanensem episcopum faciat ordinari, atque illic Romanae Ecclesiae utilitates sollicite disponat.
EPIST. IV (ad Mediolanenses). - Laudato post obitum Constantio, gratulatur quod Deusdedit in episcopum elegerint. Alium respuit a Langobardis electum.
EPIST. V (ad Innocentium Africae praefectum). - Victoris Phausianensis episcopi querelas ad ipsum defert, ut Africanorum judicum vexationes cohiheat.
EPIST. VI (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Florentium ejus diaconum Anatolio apud Constantinopolim diacono suo commendat. Propositae ordinationi assentitur. Exprobrat in commissa quadam causa negligentiam.
EPIST. VII (ad Anatolium diaconum). - Mariniani episcopi diaconum commendat.
EPIST. VIII (ad Alexandrum Siciliae praetorem). - Joannem  Ravennatis Ecclesiae patrimonii in Sicilia Rectorem commendat
EPIST. IX (ad Leonem Catanensem episcopum). - Severum commendat.
EPIST. X (ad Talitanum). - Talitanum, publici patrimonii curatorem, hortatur ut a publicanorum molestiis Romanae Ecclesiae patrimonium defendat.
EPIST. XI (ad Romanum defensorem). - Apud Alexandrum agat, ut causa illius cum Tecla abbatissa absque mora et contentione [...] niatur.
EPIST. XII (ad Cononem Lirinensem abbatem). - Qua cura et solertia monasterium sibi commissum regere debeat. Commendat Columbum presbyterum.
EPIST. XIII (ad Serenum Massiliensem episcopum). - Non confringendas fuisse sanctorum imagines; non adorandas quidem, sed ad instructionem permittendas. Hac ratione demulcendos, quos fractis imaginibus alienarat, fidelium animos. Pravos homines a conturbernio et societate sua removendos.
EPIST. XIV (Ad Asclepiodotum). - Gallicanum romanae Ecclesiae patrimonium commendat, et clavim mittit cum reliquiis.
EPIST. XV (Ad Arigium episcopum Vapincensem). - Post amicissimam salutationem Candidum presbyterum commendat.
EPIST. XVI (Ad Mediolanenses) - Redeunti Mediolanum Arethusae charitatem impendant, agantque ut illius causa mox ordinato episcopo finiatur.
EPIST. XVII. (Ad Anthemium subdiaconum). Theodoram viduam commendat, ne, ob ingratum fihi animum, cui nubenti sua donaverat omnia, inopiam p [...] t [...] atur.
EPIST. XVIII (Ad Anthemium subdiaconum). - Helenae homines a Romanae Ecclesiae actoribus injuste detineri non sinat.
EPIST. XIX Ad Anthemium subdiaconum). - Donatum commendat.
EPIST. XX (Ad Scholasticum defensorem). - Calumnioso episcopo inopi, ultra datam condumam, vineolam locet. Eidem episcopium restituat, non ablatis inde quae decessor episcopus pater suus acquisierat. Ipsi tandem legati partem tradat.
EPIST. XXI (Ad Romanum defensorem). Argentio, hospitali viro, terrulae modiorum decem usum et fructus ad liberaliorem hospitalitatem concedat.
EPIST. XII (Ad Spesindeo Sardiniae praesidem). - Victori episcopo in Sardis convertendis ac baptizandis concurrat.
EPIST. XXIII (Ad Vitalem Sardiniae defensorem). - Bonifacium in Barbaricinis mancipiis comparandis adjuvet.
EPIST. XXIV (Ad Joannem tribunum Sipontinum). - Hortatur ut cum Vitaliano episcopo de epistolae hujus latoris libertate decernat.
EPIST. XXV (Ad Januarium Caralitanum episcopum.). - Laudat quod virorum monasterium in domo ancillarum Dei monasterio cohaerente construi noluerit. Monachos lamen aut in ipso mon alium discedentium loco, aut in destituto quodam monasterio  jubet, ipsumque Januario commendat.
EPIST. XXVI (Ad Jo nuem subdiaconum). - Apud praefectum agat pro Joanne argentario.
EPIST. XXVII (Ad Joannem religiosum). - Joannem mensis pauperum et exhibendae diaconiae praepositum rationibus homini reddendis immunem declarat; sed rationem Deo positurum hortatur, ut opus suum impleat solertius.
EPIST. XXVIII (Ad Augustinum Anglorum episcopum). - De Anglis conversis laetari Romanos omnes. Laetandum et Augustino de dono Dei; sed cavendum ex operatione virtutum cordis elationem. Miracula, tum a Moise nondum culpa soluto, tum a reprobis ipsis edita. In his non suam, sed Dei gloriam quaerat et animarum salutem. De uno in nobis signo gaudendum, scilicet dilectione.
EPIST. XXIX (Ad Bertham Anglorum reginam). - De Anglorum conversione gratulatur. Ne regis animum ad perfectam Christianae fidei dilectionem succendere diutius negligat, hortatur impense.
EPIST. XXX (Ad Venantium exmonachum patricium Syracusanum). - Tum suae, tum illius podagrae occasione docet vitae hujus poenas esse Dei verbera peccatores ex misericordia corrigentis. In illis proinde revocanda in memoriam delicta, agendas Deo gratias, praevertendum poenitentia Dei judicium.
EPIST. XXXI (Ad Paschasium Neapolitanum episcopum). - Venantio sancti Severini reliquias ad oratorii consecrationem concedat.
EPIST. XXXII (Ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Concessas Candido abbati reliquias. Se tot ac tantis aegritudinibus affectum, ut vivere poena sit. Preces apud Deum petit, ut flagella mitiget, et patientiam concedat.
EPIST. XXXIII (Ad Marinianum Raveanatem episcopum). - Hortatur ut disposita Ecclesia Romam contendat, ubi quietus, Gregorio ipso curante, a vomita sanguinis sanari possit. Interim abstineat a jejuniis, vigiliis et concionibus.
EPIST. XXXIV (Ad Paschasium Neapolitanum episcopum). - Quam il ius decessor ex pecuniis Ecclesiae detinuerat cleri vel pauperum portionem, ipse juxta praescriptum in hac epistola modum distribuat.
EPIST. XXXV (Ad Barbaram et Antoninam). - De imminente patris morte vehementer afflictas consolatur.
EPIST. XXXVI (Ad Joannem Syracusanum episcopum). - Suum de Venantii desperato morbo dolorem testatur. Agendum in primis ut ad monasticum habitum vel in extremis redeat. Se, quod imperatori ipsi filias suas jam commendet Venantius, plorimum impediri. Illas quoad ejus facere poterit tueatur Joannes. Huic Romam congruo empore venire amice permittit.
EPIST. XXXVII (Ad Romanum defensorem). - Defereadas ad episcopos elericorum causas, ne episcopalis jurisdictio violetur.
EPIST. XXXVIII (Ad Vitum defensorem). - Illum Ecclesiae defensorem instituit.
EPIST. XXXIX (Ad Romanum defensorem). - Vitum defensorem constitutum commendat.
EPIST. XL (Ad Marinianum Ravennatem episcopum). -
EPIST. XLI (Ad Romanum defensorem). - De possessionum Fausti fi [...] bus injuste pervasis.
Ob eruptionem sanguinis temperet a jejunio, atque ab omni exasperatione caveat.
EPIST. XLII (Ad Joannem episcopum). De possessionum Fausti finibus injuste pervasis.
EPIST. XLIII (Ad Joannem Syracusanum episcopum) - Dilatam din Rusticianae causam de invasis possessionis suae finibus tandem finiat.
EPIST. XLIV (Ad Rusticianam patriciam). - Rogat ne deinceps in epistolis se illius ancillam vocitet. Suspensa jam quae beato Petro obtulit vela. De illius podagra, et tristatur, et gaudet. Monasterium sancti Andreae, cui et ipsa eleemosynam miserat, ab hoc apostolo diligentissime custodiri probat ex variis miraculis.
EPIST. XLV (Ad Theoctistam patriciam). - Multis ostendit ejus animum detract onibus tu [...] bari non debere, sedandum tamen tranquilla et humili ratione obloquentium murmur. Ostendit etiam, primo religionis causa conjugia non debere dissolvi; secundo peccata omnia in baptismate funditus dimitti; tertio post poenitentiam triennio factam licentiam non esse peccandi; quarto etiam illum anathematis vinculo teneri qui, necessitate compulsus, id de quo reprehenditur anathematizaverit. Plerosque falso in quatuor illis capitulis imperito zelo accusatos, plarandos tamen accusatores illos ratione et mansuetudine, idque Theoctistae ipsi erga suos agendum.
EPIST. XLVI (ad Isacium Jerosolymitanum episcopum). - Synodicae illius epistolae respondens, Ecclesiam arcae confert, extra quam salus nulla. Laudat Isacii fidem, quam profitetur suam. Gaudet compressa sub Christianissimo imperatore haereticorum ora. Isacium hortatur ut in Ecclesiis suis compescat simoniam, ac quaedam compescendo, quaedam tolerando jurgia mitiget.
EPIST. XLVII (ad Anatolium diaconum Constantinopolitanum). - Neque Joannem, neque episcopum alium ob corporis infirmitatem deponendum.
EPIST. XLVIII (ad Urbicum abbatem). - Inconstantiam ac temeritatem illius increpat. Quis in Lucusiano monasterio abbas, quis praepositus essed ebeat, ipse praecipit.
EPIST. XLIX (ad Urbicum abbatem). - De Lucusiam monasterii pecunia Petro Tricalitano episcopo det solidos XL.
EPIST. L (ad Adrianum notarium). - Agathosae maritum suum, nolente ipsa tonsuratum et monachum, reddi jubet.
EPIST. LI (ad universes Siciliae episcopos). - Adversus imminentem hostium invasionem binas per hebdomadam litanias indicant, et fideles a saeculari perversitate dehortentur.
EPIST. LII (ad Donum Messanensem episcopum). - Id compleatur quod Placidum inter et Messanensis Ecclesiae actores judicatum est.
EPIST. LIII (ad Adrianum notarium). - Incantatores et sortilegos insequi pergat.
EPIST. LIV (ad Desiderium Galliae episcopum). - Quod episcopus grammaticam artem docere non debeat. Quos cum Laurentio et Mellito mittit in Britanniam monachos commendat.
EPIST. LV (ad Virgilium Arelatensem episcopum). - Ut synodus ad eradendam simoniam cogatur insistat. Serenum episcopum a pravorum hominum societate cohibeat. Monachos ad Augustinum euntes habeat commendatos.
EPIST. LVI (ad Aetherium episcopum Lugdunensem). - Ut insistat ad synodum cogendam. De privilegiis Ecclesiae suae mittat exemplaria. Irenaei scripta non inveniri. Commendat monachos ad Augustinum in Angliam missos.
EPIST. LVII (ad Arigium episcopum Vapincensem). - Damnandae in concilio simoniae operam impendat. Faveat monachis ad Augustinum euntibus.
EPIST. LVIII (ad diversos episcopos Galliae). - Commendat monachos in Angliam ad Augustinum euntes.
EPIST. LIX (ad Theodoricum Francorum regem). - Hortatur ad synodum convocandam, et monachos eosdem commendat.
EPIST. LX (ad Theodebertum Francorum regem). - Hortatur ad synodum congregandam et eosdem commendat monachos.

EPIST. LXI (ad Clotarium Francorum regem). - Monachos ad Augustinum enntes commendat. Hortatur ad cogendam synodum adversus simoniacos.
EPIST. LXII (ad Brunichildem Francorum reginam). - Monachos in Britanniam euntes commendat.
EPIST. LXIII (ad Brunichildem Francorum reginam). - Ut ad evellendam simoniam synodum congregari praecipiat.
EPIST. LXIV (ad Augustinum Anglorum episcopum). - Ad varia dubia, de quibus ab Augustino consultus fuerat, responde [...] . - 1. De quadripartita bonorum ecclesiasticorum divisione. - 2. De clericis post clericatum uxorem ducentibus. - 3. De diversis consuetudinibus diversarum ecclesiarum non improbandis. - 4. De poenitentia furum et restitutione ecclesiasticarum rerum. - 5. Duo fratres possunt contrahere cum duabus sororibus. - 6. Qui sunt in contrahendo prohibiti gradus consanguinitatis et affinitatis. - 7. Neophyti in gradu prohibito juncti, nec separandi sunt, nec sacra communione privandi, sed admonendi ut abstineant. - 8. Quot sunt necessarii episcopi in episcopi consecratione. - 9. Qualiter metropolitanus in aliena provincia se habere debeat. - 10. Quod mulier praegnans et puer natus possit baptizari. Quae menstrua patitur ab ecclesiae ingressu non prohibetur, sed post concubitum conjuges ab ecclesiae ingressu se abstinere debent - 11. Quando nocturna pollutio celebrationem et communionem impediat.
EPIST. LXV (ad Augustinum Anglorum episcopum). - Pallii usum concedit. Idem spondet Londineusi, quem a synodo propria statuit ordinandum. Eboracensem integro metropolitani honore vult perfrui. Augustinum Britanniae totius primatem instituit.
EPIST. LXVI (ad Edilberthum Anglorum regem). - Hortatur ut in subjectis sibi populis Christianam fidem extendat. Augustinum libenter audiat et adjuvet. Docet cur imminenti mundi hujus termino signa praemittat Deus. Mittit xenia, fundit ad Deum preces.
EPIST. LXVII (ad Quiricum episcopum, etc.). - Eos qui in haeresi cum Trinitatis invocatione baptizati sunt, si ad Ecclesiam revertentur, non baptizandos; sed aut impositione manuum, aut chrismatis unctione, aut professione fidei reconciliandos. Redeuntes Nestorianos veram de incarnato Verbo fidem docendos, quam hic ipse firmat ex Scripturis; atque si Nestorium anathematizent, si quas recipit Ecclesia synodos venerentur, suscipiendos in propriis ordinibus.
EPIST. LXVIII (ad Virgilium  episcopum). - Commendat Augustinum episcopum, si ad eum venerit.
EPIST. LXIX (ad Brunichildem Francorum reginam). - De corrigendis sacerdotibus qui vitam prave instituunt.
EPIST. LXX (ad Candidum presbyterum rectorem patrimonii). - Aurelium presbyterum commendat, ut ei oratorium vel locum aliquem committat.
EPIST. LXXI (ad Anthemium subdiaconum). - Illum aliosve in causa Joannis Diaconi judices arguit, quod Hilarum subdiaconum calumniatorem nulla poena affecerint. Hunc privatum officio, ac verberibus publice castigatum, jubet exsulare. Eligendum Paschasio episcopo vicedominum et majorem domus.
EPIST. LXXII (ad Agapitum abbatem). - Illius monasterio aliud unit a monachis ob hostilitates prorsus desertum.
EPIST. LXXIII (ad Marinianum abbatem). - Ecclesia sancti Georgii curam Mariniano ejusque successoribus committit.
EPIST. LXXIV (ad Eusebium Thessalonicensem episcopum). - Falsatam ab Andrea monacho nequissimo illius epistolam. Nonnullos Gregorio ipsi ab eodem suppositos sermones. Exigendam a Luca presbytero suspecto fidei contessionem.
EPIST. LXXV (ad Aurelium). - Consolatur eum de morte fratris et tribulationibus quas patiebatur.
EPIST. LXXVI (ad Mellitum abbatem). - Dat mandata Augustino, quem adibat, exhibenda, ad faciliorem Anglorum conversionem.
EPIST. LXXVII (ad Bonifacium in Corsica defensorem). Aleriae et Adjacii episcopos quantocius eligi curet. Neque opprimi pauperes, neque clericos a laicis judicibus teneri patiatur.
EPIST. LXXVIII (ad Barbaram et Antoninam). - Divinam protectionem eis adprecatur. Quod Romam venire cupiant gaudet. Commendatas Joanni episcopo ac Romano defensori illarum causas. Accepta libenter xenia.
EPISTOLARUM LIBER XII.
EPISTOLA PRIMA (ad Dominicum Carthaginensem episcopum). - Quod ex gravi morbo convaluerit gratulatur. Monet saepe nobis vitae inducias concedi, ut paratiores ad judicium veniamus.
EPIST. II (ad Anthemium subdiaconum). - Det Matthaeo viro clarissimo in sustentationem solidos duodecim.
EPIST. III (ad Anthemium subdiaconum). - De puero quodam e Sicilia Misenum ducto, ubi monachi habitum susceperat.
EPIST. IV (ad Fantinum defensorem). - De finienda Maurentii contra Panormitanum Ecclesiam causa moneat Victorem episcopum.
EPIST. V (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Maurentii homines commendat.
EPIST. VI (ad Theodorum curatorem). - Commendat Maurentii homines.
EPIST. VII (ad Savinellam, Columbam et Agnellam). - Idem ad singulas scribens, hortatur ut largioribus eleemosynis coelestes comparent thesauros.
EPIST. VIII (ad Colombum Numidiae episcopum). - De gravi Donadei adversus Victorem episcopum suum querela inquirat sollicite, ut congruam det poenam reus.
EPIST. IX (ad Anthemium subdiaconum). - Adeodato seni, si revera pauper sit, relaxet ex annuis solidis duobus unum.
EPIST. X (ad Fantinum defensorem). - Isidori haeredibus instet ut xenodochium construant, aut jam constructo tribuant legatum.
EPIST. XI (ad Passivum Firmanum episcopum). - Mandat oratorium consecrare, percepta prius donatione legitima, atque illic presbyterum cardinalem constituere.
EPIST. XII (ad Passivum Firmanum episcopum). - Opportunum hortetur ut in bonis studiis crescat; tum monachus fiat aut subdiaconus, ac tandem Aprutii pastor.
EPIST. XIII (ad Fantinum defensorem). - Defuncti Primogeniti notarii res absque mora in tuto collocet, ne Romanae Ecclesiae aliisve haeredibus pereant.
EPIST. XIV (ad Azimarchum Scribonem). - E maris periculo ereptum hortatur ut divinae misericordiae nunquam non meminerit.
EPIST. XV (ad Romanum defensorem). - Laurentium juvet in finiendis Bonifacii numerarii rationibus.
EPIST. XVI (ad Azimarchum Scribonem). - Laurentio Bonifacii quondam numerarii rationes apud Leontium exponenti faveat.
EPIST. XVII (ad Maurilionem expraefectum). - Amice hortatur ut ad se scribat saepius.
EPIST. XVIII (ad Eupatorem ducem Sardiniae). - Valdarichum commendat.
EPIST. XIX (ad Maurentium magistrum militum). - Plectiles sellas viginti quatuor petit.
EPIST. XX (ad Maurentium magistrum militum). - Ad Arogem m [...] ttat epistolam suam de juvando in vehendis ad mare trabibus Savino subdiacono.
EPIST. XXI (ad Arogem ducem). - Ut Savinum incisas pro ecclesiis sanctorum Petri et Pauli trabes ad mare trahentem juvari praecipiat, xenium spondet.
EPIST. XXII (ad Gregorium expraefectum). - Ad vectandas trabes viginti homines suos ac boves commodet Savino.
EPIST. XXIII (ad Stephanum episcopum). - Homines cum bobus ad Savinum juvandum .
EPIST. XXIV (ad Joannem subdiaconum Ravennae). - Jubet, reprobato Constantio, Mau [...] um, sid [...] gnus inveniatur, abbatem ordinari; a peculiaritatis peste mundari monasterium; Claudii abbatis scripta ex ore suo excepta, sed a suo sensu in multis aliena, ad se mitti. Non probat sua in Jobum commentaria publice ad vigilias legi. Magis expedire ut legantur Psalmorum commenta. Nolle se, dum in hoc corpore versaretur, opera sua in publicum facile prodire. Albinum et Augustum commendat.
EPIST. XXV (ad Romanum defensorem). - Non jungendos matrimonio extra massam in qua natisunt Petri defensoris filios.
EPIST. XXVI (ad Maurentium magistrum militum). - Ne dimissis aliis, Domitii filium retineat.
EPIST. XXVII (ad Quertinum expraefectum). - Cur pro Bonito praefecturae administrationem expetente agere nolit.
EPIST. XXVIII (ad Columbum episcopum Numidiae). - Coercendum Paulinum antistitem, qui in clerum suum saevierat, et sacrilega nundinatione sacros ordines vendebat.
EPIST. XXIX (ad Victorem episcopum). - Ut Paulini saevitia in clerum et simonia puniatur ac reprimatur, concilium cogat, ad id vocato, si opus sit, Hilaro.
EPIST. XXX (ad Constantinum Scodritanum episcopum). - Quod in sequenti ad Joannem epistola adversus Pauli flagitium statuitur exsequatur ipse, si potest; sin vero, Joanni ut id exsequatur instet.
EPIST. XXXI (ad Joannem primae Justinianae episcopum). - Expositis Pauli Docleatini episcopi flagitiis, praescribit remedia.
EPIST. XXXII (ad universos episcopos concilii Bizacii). - De Clementio ipsorum primate graviter accusato strenne ac diligenter inquirant.
EPIST. XXXIII (ad Firminum episcopum Istriae). - Gratulatur de illius ad Ecclesiae unitatem reditu. Ut Satanae jaculis constantiae scutum opponat, aliosve, secum revocet, hortatur. Spondet subsidia. Paraturam mittit.
EPIST. XXXIV (ad Ciridanum). - Cum pro Sitonico id praestitum sit quod ipse jusserat, non perferendum jam ab Ecclesia illius detrimentum.
EPIST. XXXV (ad Desiderium Viennensem episcopum). - Ne Pancratium diaconum suum a monastica vita revocet.
EPIST. XXXVI (ad Bonitum defensorem). - Monachis fugitiva mancipia sua colligentibus opem ferat.
EPIST. XXXVII (ad Romanum defensorem, Anthemium, et Savinum subdiaconos). - Romani expraetoris homines ac possessiones commendat.
EPIST. XVXVIII (ad Deusdedit Mediolanensem episcopum). - De bonis ante episcopatum acquisitis testari posse episcopum; proinde ob legatum ex decessoris illius testamento Luminosam ancillam Dei non molestandam.
EPIST. XXXIX (ad Fantinum defensorem). - Ex Servidei diaconi haere litate, xenodochio tradat equas decem Luminosae ancillae Dei quatuor.
EPIST. XL (ad Venantium patricium). - Spondet se, ubi convaluerit, facta quaedam Samsonis allegorice expositurum.
EPIST. XLI (ad Pantaleonem notarium). - De Ecclesiarum quarumdam superstitibus tum pecuniis, tum clercis,tum rebus aliis.
EPIST. XLII (ad Romanum defensorem). - Salustium admoneat ne posthac Luminoso Ecclesiae servo sit molestus.
EPIST. XLIII (ad Joannem Syracusanum episcopum). -Sic exigendos ait reditus, ut neque contristentur debitores, neque Romana Ecclesia damnum sustineat.
EPIST. XLIV (ad Anthemium subdiaconum). - Accello,qui ab hostibus captivum Stephanum solidis octo redemerat, restituat pretium.
EPIST. XLV (ad Eugenium diaconum). - Servis Deiegentibus duas terrae portiones ad annos triginta sex concedit.
EPIST. XLVI (ad Felicem Portuensem episcopum). -Joannem famulum donat.
EPIST. XLVII (ad Venantium Perusinum episcopum). -Ecclesio episcopo frigore laboranti hiemales vestes absque mora mittat.
EPIST. XLVIII (ad Lucidum Leontinum episcopum). -Quem e congregatione sua Joannes abbas delegerit, ordinet pro monasterio presbyterum.
EPIST.XLIX (ad Romanum defensorem). - Palatii urbis Romae ministris annonam ab imperatore concessam postutantibus apud Leontium faveat.
EPIST.L (ad Eulogium Alexandrinum patriarcham). -A Monophysitarum errore conversos commendat.
EPISTOLARUM LIBER XIII.

EPISTOLA PRIMA (ad Romanos cives). - Non custodiendum juxta litteram Sabbati diem. Corpus Dominico die necessitatis causa lavari posse.
EPIST. II (ad Adeodatum abbatem). - Illius monasterio Craterense unit.
EPIST. III (ad Adeodatum monachum). - Permittit denationem ante susceptum monachatum verbo factam scriptis consignari et firmam haberi.
EPIST. IV (ad Januarium Caralitanum episcopum). - Desideriae abbatissae et Joannis abbatis contentionem, adhibitis episcopis duobus, finiat.
EPIST. V (ad Etherium episcopum Lugdunensem). - Qua ratione providendum sit cum episcopus in infirmitatem incidit et officio suo fungi non potest.
EPIST. VI (ad Brunichildem Francorum reginam). - De privilegiis monasterio et xenodochio concessis, legatis ejus auditis, Menna episcopo absoluto. De episcopo qui capitis infirmitate laborabat. De digamo non ordinando. Missurum se in Gallias qui synodo intersit. Privilegia quae mittit actis publicis inserenda.
EPIST. VII (ad Theodericum Francorum regem). - Pietatem regis ac prudentiam laudat. Agit de privilegiis iisdem, de illius legatis, de pace cum imperatore stabilienda.
EPIST. VIII (ad Senatorem abbatem). - Privilegium Xenodochii.
EPIST. IX (ad Thalassiam abbatissam). - Privilegium monasterii sanctae Mariae in urbe Augustodunensi.
EPIST. X (ad Luponem abbatem). - Privilegium Ecclesiae sancti Martini in subu [...] bano Augustodunensi.
EPIST. XI (ad Maximum Salonitanum episcopum). - Illius hominibus non crediturum se deinceps, nisi mandatum legaliter subscriptum habeant.
EPIST. XII (ad Paschasium Neapolitanum episcopum). - Non arcendos Judaeos a solemnitatibus suis, sed monitis ae blandimentis ad conversionem accendendos.
EPIST. XIII (ad Barbarum Beneventanum episcopum). - Ipsum Panormitanae Ecclesiae visitatorem sub consueta formula instituit.
EPIST. XIV (ad Panoramitanos). - Barbaro episcopo visitatori obediant.
EPIST. XV (ad Venantium patricium Panormit.) - Urbicum abbatem electum merito in episcopum, sed reluctantem non cogendum. Crescentis diaconi scrutandos mores. Si neque in hoc, neque in alio consentiant, mittendos Romam legatos.
EPIST. XVI (ad Passivum Firmanum episcopum). - Passivo ut monasterium in honorem sancti Savini consecret mandat sub consueta formula.
EPIST. XVII (ad Joannem subdiaconum Ravennae). - Marinianum episcopum hortetur, ut causam cum Joanne episcopo absque lite jubeat finiri. Alioquin judicium ipse urgeat, et sententiam exsequatur. Oratorii constructionem ac dedicationem ab Exuperantio episcopo in Joannis dioecesi factam improbat.
EPIST. XVIII (ad quosdam Siciliae episcopos). - Adrianum patrimonii rectorem commendat. Episcopos admonet ne, cum ad infantes consignandos egrediuntur, subjectos suos ultra modum gravent.
EPIST. XIX (ad Julianum). Dissimulatam ab illo ex verecundia inopiam queritur, constructo Catanae monasterio dat solidos annuos decem.
EPIST. XX (ad Honorium Tarentinum episcopum). - Constructo baptisterio uti permittit.
EPIST. XXI (ad Paschalem et Consolantiam). - Datas restituendae pecuniae inducias prorogat. In adversis positos consolatur.
EPIST. XXII (ad Rusticianam patriciam). - Infirmam illius valetudinem se dolere significat. Suorum dolorum pertaesus, exoplat mori. Agat ipsa apud impp. ut Beatorem perversa molientem coerceant.
EPIST. XXIII (ad Bonifacium notarium Corsicae). - Joannem clericum hortetur ut Romam cognoscendus veniat.
EPIST. XXIV (ad Savinum subdiaconum). - Proculo episcopo ea quae per absentiam suam fuerant neglecta reparanti opem ferat.
EPIST. XXV (ad Savinum subdiaconum). - Moneat Palumbum episcopum ut res Ecclesiarum tueatur diligentius, sin minus partes illius ipse expleat.
EPIST. XXVI (ad Anthemium subdiaconum). - Paschasii episc. negligentiam coram selectis testibus reprehendat.
EPIST. XXVII (ad Anthemium subdiaconum). - Campaniae episcopos officii sui immemores convocet, atque ut vigilantius agant moneat. Si quem postea noverit dasidem, mittat ilfum Romam.
EPIST. XXVIII (ad Joannem Syracusanum episcopum). - Cosmam presbyterum, ex qualitate loci ad quem assumptus tuerat afflictum, restituat priori loco.
EPIST. XXIX (ad Philippum presbyterum). - Gavisum se de Andreae obitu, quod ad aeterna gaudia pervenerit. Philippum rogat ut idem sibi a Deo impetret. Ipsi mittit solidos quinquaginta.
EPIST. XXX (ad Deusdedit Mediolanensem episcopum). - Theodorum com Defensore ad Venantium mittat, de Theodori expostulationibus inquisiturum
EPIST. XXXI (ad Phocam imperatorem). - Pessimos reges ad populi peccata punienda, optimos ad subditorum consolationem constitui. Hortatur ut afflictae reipublicae subveniat.
EPIST. XXXII (ad Eusebiam patriciam). - Hortatur ut plus ea quae animae quam quae sunt corporis cogitet
EPIST.  (ad Smaragdum exarchum). - Ut Firminum episcopum ad Ecclesia unitatem reversum, a Severi molestiis defendat hortatur. Servaturum triginta dierum inducias Cillanem, at Pisanos pacisci noluisse.
EPIST. XXXIV (ad Pantaleonem notarium). - Quod ad justam mensuram modium quo Ecclesiae coloni frumenta dabant redegerit laudat. Jubet perceptam ex injusto modio pecuniam colonis pauperioribus distribui.
EPIST. XXXV (ad Catulum et Romanum). - Optatum defensorem in amovendis a sacerdotum contubernio extraneis mulieribus adjuvet.
EPIST. XXXVI (ad Chrysanthum Spoletanum episcopum). - Habitantes cum extraneis mulieribus Nursinos sacerdotes coerceat.
EPIST. XXXVII (ad Joannem Panormitanum episcopum). - Pallii usum concedit.
EPIST. XXXVIII (ad Phocam imperatorem). - Diaconi sui absentiam ingeniose excusat. Mittit Bonifacium. Adversus Langobardos auxilium implorat.
EPIST. XXXIX (ad Leontiam imperatricem). - Gratulatur de adepto imperio. Divinam illi precatur gratiam. Romanam Ecclesiam commendat.
EPIST. XL (ad Cyriacum patriarcham Constantinopolitanum). - Hortatur ut pacis studio a superbo Universalis titulo abstineat. Commendat Bonifacium diaconum.
EPIST. XLI (ad Eulogium Alexandrinum patriarcham). - Eulogium ad simoniam evellendam hortatur
EPIST. XLII (ad Enlogium patriarcham Alexandrinum). - De non amisso oculorum visu, ac de aucto dominico grege gratulatur. Monet susceptas illius eulogias, neenou parata esse grandiora ligna, quibus si eget, scribat Bonifacio.
EPIST. XLIII (ad Joannem Panormitanum). - Quem videre peroptabat, manere in Sicilia concedit, ob navigii periculum.
EPIST. XLIV (ad Joannem Panormitanum episcopum). - Quae clericis suis justa petentibus promisit exhibeat.
EPIST. XLV (ad Joannem defensorem). - Quid in Januarii, Malacitani episcopi, cujusdam illius presbyteri, necnon Stephani episcopi agendum sit.
EPIST. XLVI (ad Joannem defensorem). - Dissolutos Capricanae insulae monachos in viam reducat.
EPIST. XLVII (ad Theodorum curatorem). - Petrum ejusque matrem amanter commendat.
EPISTOLARUM LIBER XIV.
EPISTOLA PRIMA (ad Paulum scholasticum). - Gratulatur tum de illius cum Leone episcopo reconciliatione, tum de zelo in maleficos.
EPIST. II (ad Vitalem defensorem Sardiniae). - De neglectis xenodochiis. De protegendis apud imperatorem Sardis. De quibusdam post lapsum ordinatis in abbates. De constructo in domo Pomponianae monasterio. De requirendis Ecclesiarum et monasteriorum rebus. De Januarii episcopi infirmitate, tempore sacrificii.
EPIST. III (ad Joannem Panormitanum episcopum). - Positam Romae domum cum Epiphanio Romanae Ecclesiae diacono permutare concedit.
EPIST. IV (ad Fantinum defensorem Panormit.). - Exbilarati episcopi actibus invigilet, tum ut ille clero suo charitatem, tum ut obedientiam illi clerus exhibeat.
EPIST. V (ad Joannem Panormitanum episcopum). - Causam Petri cum Fantino defensore perquirat diligenter faciatque judicium.
EPIST. VI (ad Marinianum Ravennatem episcopum). - Furtunatum abbatem injuste depositum restituat, et episcopum reprehendat quod a praedecessore ordinata absque causa mutaverit.
EPIST. VII (ad Alcysonem Corcyraeum episcopum). - Cassiopi castrum sub Corcyraei episcopi jurisdictione permaneat; ex illo tamen non ejiciantur Euriae sacerdotes.
EPIST. VIII (ad Bonifacium diaconum). - Apud imperatorem agat ut, subreptam de C ssiopi castro jussionem rescindens, sententiam suam servari praecipiat.
EPIST. IX (ad Joannem Panormitanum episcopum). - Basilicae consecrandae dat facultalem.
EPIST. X (ad Guduinum ducem). - Ancillae Dei stupratorem militem puniat.
EPIST. XI (ad Joannem episcopum). - De trium in episcopos electorum personis, moribus, ac scientia requirat.
EPIST. XII (ad Theodelindam Langobardorum reginam). Gratulatur de sociato catholicae fidei filio. Quod Secundo non responderit, causatur podagram. Habitam sub Justiniano synodum mittit. Romanae Ecclesiae orthodoxiam tuetur. Regi de facta pace gratias refert.
EPIST. XIII (ad Aleys nem Coreyraeum episcopum). - Beati Donati corpus in Cassiopi castro recondi sinat, salva Ecclesiae suae jurisdictione.
EPIST. XIV (ad Felicem subdiaconum). - Ecclesiae sancti Pauli ad fovenda lumina amplos concedit reditus.
EPIST. XV (ad Anthemium subdiaconum). - Exarchum temere loquentem moneat, et ipse per epistolam Romanorum malis speratum procuret levamen.
EPIST. XVI (Felicis Messanensis episcopi ad S. Gregorium). - Quaerit de consanguinitatis gradibus in quibus nubere licet; de episcoporum vexatione a subditis, ac de ecclesiis quarum dedicationes sunt dubiae.
EPIST. XVII (ad Felicem Messanensem episcopum). - Interrogatus respondet de consanguineorum conjunctione, de vexatione episcoporum a subditis, ae de dubia ecclesiarium consecratione. Segregari incorrigibiles, et synodum quotannis congregari praecipit.
*APPENDIX ad sancti Gregorii Epistolas.*
*Epistolarum sancti Gregorii variae tabutoe.*
FINI TOMI SEPTUAGESIMI SEPTIMI.